

59

Handwritten scribbles and faint markings, possibly including the number '10' at the bottom left.



2

6

15

100

12





*R.P. Natalis Alexander Predicator,
in Sacra Facultate Parisiensi
Doctor et Professor.*

Cutini Sculp.

THEOLOGIA
DOGMATICA, ET MORALIS
SECUNDUM ORDINEM
CATECHISMI CONCILII TRIDENTINI
IN QUINQUE LIBROS DISTRIBUTA,
HAC QUINTA VENETA EDITIONE

Omni accuratissima, plurimis accessionibus, & Notis, variis Epistolis,
& Monumentis, Appendice duplici comprehensis,

AUCTA, ILLUSTRATA, CONFIRMATA, ET LOCUPLETATA.


*Opus non solum Clericis, & Theologis quibusque, sed & Parochis,
Confessariis, & Concionatoribus perutile.*

AUCTORE R. P.
F. NATALI ALEXANDRO

Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi
Doctore, & emerito Theologiæ Professore.

TOMUS PRIMUS.

OPERUMQUE IPSIUS ORDINE TOMUS XIX.



PARISIIS,

Apud **SILVANUM DE GRASSORTIS.**



Expensis **THOMÆ BETTINELLI VENETI.**
CICCCCXLIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Ottawa

P R Æ F A T I O.



Um uni Dei gloriæ, Ecclesiæque utilitati studia mea consecrare, & Opera destinare, Deo adjuvante, decreverim; cogitavi diu quid Operis elucubrare possem, quod utilius esset, & conducibilius ad *Opus ministerii*, ad *ædificationem corporis Christi*. Visum est huic fini servire plurimum posse *Theologiam Dogmaticam, & Moralem*, in qua, sepositis omnino Quæstionibus Scholasticis, prætermittis etiam Positivæ Theologiæ Quæstionibus, quæ Criticam, Chronologiam, Historiam, & antiquam Ecclesiæ Disciplinam spectant; quarum tractatione curiosa delectatur eruditio, & in quibus alias versati sumus; ea dumtaxat tractentur, quæ in Concilio Tridentino finita sunt, aut tradita Dogmata, vel in ejusdem Concilii Catechismo exposita; & alia nonnulla, quæ scire Sacerdotes, Rectores Animarum, Conscientiarum Moderatores, necnon verbi divini Prædicatores debent, suo ut Ministerio digne fungantur.

Clericorum usui, ut magis accommodata sit hæc nostra Theologia, in ea sequi lubet ordinem Catechismi, jussu sacræ Synodi Tridentinæ editi, & a Summis Pontificibus, ac Synodis post Tridentinam celebratis non modo approbati, sed Parochis, & Seminariis traditi, atque commendati: & præstantissimos Theologos æmulatus, ex Religioso maxime Fratrum Prædicatorum Instituto, qui huic adlaborarunt Operi, *Pio V. Sanctissimo Pontifice, & S. Carolo Borromæo* dirigentibus, non proprios, & peculiare animi mei sensus, non privatas Scholæ Thomisticæ opiniones, sed Ecclesiæ tantum doctrinam (quantum quidem potui) in Dogmatibus Fidei, Morumque Regulis explicandis confector. Dogmatum probationes ex Scripturæ Sacræ, Traditionisque fontibus purissimis derivatas præfero: præcipuas etiam objectiones diluo ab Hæreticis oppositas, non ea quidem prolixitate, & eruditionis ubertate, qua Theologicis in subselliis, & Exercitationibus Academicis opus est; sed ea tamen integritate, & plenitudine, quæ Viris Ecclesiasticis ad Fidem saluberrimam Christianæ Plebi exponendam, eandemque nutriendam, roborandam, &, si ex adverso instent Hæretici, defendendam sufficiat. Moralis vero Christianæ Regulas, non ex recentiorum Auctorum opinionibus, sed ex Divinis pariter Litteris, Patribus, Conciliis, Summorum Pontificum Decretis, Sanctorum *Thomæ, Raymundi, Antonini* Operibus, & Sancti *Caroli Borromæi* Instructionibus trado, quod ab aliquo Dominicanæ Ordinis Theologo fieri, *Alexander VII. Pontifex* Maximus vehementer optabat.

Non solum autem priorum Pontificum Decretales Epistolas, & Constitutiones, sed & beatæ memoriæ *Alexandri VII. Innocentii XI. & Alexandri VIII. Decreta*, Censurasque Apostolicas in Moralis Christianæ Quæstionibus explicandis, & Regulis tradendis velut fundamenta posui, illasque passim hoc in Opere vindicavi; quo mea m erga Sedem Apostolicam, & in ea sedentes Sanctissimos Pontifices, eorumque Decreta, sive Fidem, sive Disciplinam, ac Mores spectantia, reverentiam, ac obedientiam toti Orbi Christiano approbem. Cum *Leonis* scilicet *Quarti* Concilio ex animo dixerim: *Si quis Dogmata,*

ta, Mandata, Sanctiones, Interdicta, vel Decreta pro Catholica Fide, pro Ecclesiastica Disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, a Sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit; Anathema sit.

Disciplinam porro in Sacramentorum Administratione observandam ex Tridentino Concilio, & aliis Synodis postea celebratis, ex Romanorum Pontificum Decretis, & Constitutionibus, ex Sancti Caroli nusquam satis laudatis Instructionibus, & ex Moribus, ac Ritualibus singularum Ecclesiarum, praefertimque *Romanae ceterarum Matris, & Magistrae*, propono, Patrum, & Synodorum antiquiorum testimoniis illustratam saepe, ac *roboratam*. Quae enim olim viguit, & nunc antiquata est, vel in defuetudinem abiit Disciplina; hanc scire, etsi per jucundum, & utile sit, non tamen omnino necessarium. Eam certe in usum privato arbitrio revocare qui voluerit, perturbabit omnia, laqueum Animabus injiciet, nimis emungendo eliciet sanguinem; ab Ecclesiae ingenio, quae ob Fidelium salutem promovendam vulnus Disciplinae suae inferri multoties passa est, illam saepe immutavit, severiorum etiam Regularum observantiam in defuetudinem abire interdum permisit, prorsus erit alienus. Praesentem igitur Ecclesiae Disciplinam in Sacramentorum Administratione, & Ecclesiae Regimine observandam censemus, ac docemus: quamvis & antiqua plurimi facienda sit, suspicienda, veneranda; ejusque instauratio in pluribus optanda, nusquam vero privato arbitrio, & auctoritate tentanda. Quo enim Spiritu gubernante eam olim servavit, eodem regente mutavit Ecclesia, eadem Fidei Regula manente, *Quae una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis*, ut loquitur *Tertullianus*. Praeclaram illam *S. Augustini* sententiam omnes animo imbibant, velim, ut menti penitus infixam esse meae: *Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

Hanc Theologiam in quinque Libros distribuimus: Librum quemque in plures seu Tractatus, seu Capita, Articulos, Paragraphos, Numeros; ordinis, perspicuitatis, & memoriae juvandae gratia. Rationes Metaphysicas, abstractas, subtiliores Scholae Theologorum relinquimus: Scolasticas etiam locutiones, quantum fas fuerit, vitamus (neque enim iis nusquam uti licuit) ut ad Clericorum omnium, qui in Seminariis instituuntur, quorum plerique in Philosophicis Disciplinis non admodum sunt exercitati, ingenium, captumque Theologiam hancce nostram attemperemus. Dicendi vero genus usurpamus nec barbarum, & rude, nec exquisitum nimis, & comptum, inflatum, aut certa periodorum mentione ad pompam studiosè compositum; sed purum, nitidum, facile, quali fere in aliis Operibus nostris usi sumus: quod intelligere difficilius non fuerit, quam Tridentini Concilii Catechismum Clericis omnibus familiarem.

Liber primus est *De Fide, & Symbolo*, singulisque illius Capitibus, sive Articulis, ad quos Theologica Dogmata pene omnia *De Deo Uno, & Trino, De Christo* ejusque *Mysteriis, De Gratia, & Ecclesia Christi*, revocantur.

Liber secundus *De Sacramentis*, qui Tractatus *De Sacramentis in Genere, Baptismo, & Confirmatione, De Eucharistia, De Pœnitentia, De Unctione*

Extrema, De Ordine, & De Matrimonio, complectitur. Tractatui *De Eucharistia* inserta sunt, quæ spectant *Missarum Celebrationem, & Cereemonias, Ecclesiarumque, & Altarium Consecrationem*. Tractatui *De Pœnitentia* adjuncta sunt, quæ *Censuras, & Indulgentias* attinent. Tractatui *De Extrema Unctione, quæ Testamenta, & Sepulturam Ecclesiasticam*; quæ quidem Rectoribus Animarum scire, & observare necesse sit. Tractatui *De Ordine*, inserta est *Ecclesiastica Hierarchiæ* delineatio: Tractatio item accurata *De Simonia*, cum Regulis necessariis ad ferendum judicium de Casibus conscientiæ circa hanc materiam emergentibus. Item *De Vita, & Honestate Clericorum*, maximeque *De Beneficiatorum officiis*: necnon *De Horis Canonicis*. Tractatus *De Matrimonio* complectitur præcipua difficultatum momenta, quæ negotium facessere possunt vel in foro conscientiæ, & Pœnitentiæ tribunali; vel in foro exteriori Ecclesiastico circa *Matrimonii Impedimenta*.

Liber tertius est *De Peccatis*, quorum cognitio ad Sacramenti Pœnitentiæ Administrationem necessaria est. Eo in Libro Regulæ generales Moralis Christianæ circa opinionum delectum, & peccatorum discrimen, atque gravitatem traduntur, & explicantur. Tum singillatim de septem peccatis capitalibus, & eorum surculis agitur, & Regulæ Morales circa singulas species traduntur, exponuntur, firmantur. Accedit brevis *De Virtutibus* Tractatus.

Liber quartus, *De Legibus, & Decalogo*: qui omnium, & singulorum Præceptorum explicationem accuratam, plenamque complectitur, cum Regulis Moralibus ad Casuum, circa Præcepti cujusque materiam emergentium, solutionem, & elucidationem necessariis.

Liber quintus *De Oratione*, Dominicæ Orationis brevem explicationem continet.

Opus secundis curis a me recensitum, & a mendis expurgatum, quæ in prima Editione Parisiensi, Coloniensi, & Veneta pauciora quidem irreperant, hac postrema Editione prodit in lucem, multis accessionibus, Notis, centum amplius Epistolis, Dogmata, Disciplinam, Moresque spectantibus, a me etiam recognitis; præclaris denique Monumentis, quibus Catholica Dogmata, & sanior Morum Disciplina confirmantur, auctum, illustratum, locupletatum.

Hoc Opere Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, quod Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ judicio, & correctioni humili devotione subjicio, cum fruentur Ecclesiastici, Religiosique Viri, in suis, amabo, Sacrificiis, & orationibus Auctorem Deo commendent Piorum suffragiis maxime indigentem.

E P I S T O L A
E M I N E N T I S S I M I D. D.
C A R D I N A L I S S P A D A,
I N N O C E N T I I X I I.
B E A T Æ M E M O R I Æ P O N T I F I C I S
Nomine, ac Mandato ad Auctorem data.

AD M O D U M Reverende Pater. Magnam Paternitati tuæ habeo gratiam, quod editos a te nuper Theologiæ Libros ad me transmiseris una cum singularibus humanitatis erga me tuæ significationibus. Litteras, quas adjecisti ad Sanctissimum Dominum nostrum, avide a me perlectas, simulque Librorum exemplar illico Sanctitatis suæ pedibus obtuli, omnino sperans uberem gaudii materiam ex luculentis adeo obsequentis animi tui declarationibus exorituram Sanctitati suæ. Nec me sane opinio fefellit; audiens enim Sanctissimus Pater ex iisdem Litteris, te reverenter adeo, atque ut vere Religiosum Virum decet, de Apostolicæ Sedis Auctoritate sentire, in qua, veterum Patrum sententia edoctus, præstari querentibus Fidei veritatem agnoscis, teque doctrinam, quæ in Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra conservatur, & prædicatur, tenere in omnibus, ac docere velle declaras; professus ibidem a Spiritu Sancto per os Romani Pontificis Fidei controversas judicari; ac propterea Sanctitatis suæ examini, iudicio, ac emendationi non Opus modo præfatum, sed & cetera, quæ in hunc usque diem edidisti, ac deinceps editurus es, summa animi demissione submittis; mirum est, quanta Pontificii animi iucunditate persusus fuerit, & quam profuse Christianam pietatem tuam, profitendæque veritatis studium commendaverit. Est itaque de quo admodum gratuler Paternitati tuæ, quod huiusmodi debite venerationis officiis ingenuæ mentis tuæ probitatem spectatam facere volueris, simulque Pontificiam benevolentiam promereri. Sane nemo te melius qui vetera Ecclesiæ Monumenta diurna, nocturnaque manu versare consuevisti, novit, sanctissimos quosque, laudatissimosque Scriptores peculiari Romanæ Fidei, doctrinæque professione maximam sibi gloriam comparasse; eosque contra male semper apud universam Ecclesiam audivisse, qui a Beati Petri Sedis Disciplina, velut ab universali Catholice Veritatis regula, deflexere. Quorum enim auctorum (ut scite olim Sanctissimi Gallie Antistites pronunciarunt) valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica aut intromiserit, aut Apocryphos fecit? Hæc itaque cum Paternitatem tuam latere non possint, Sanctissimus Dominus nosler, qui & virtutes tuas magnificat, & paternitate respicit charitate, plane confidit ea te universo Orbi daturum argumenta, quibus palam fiat, te ut egregium inclytæ Prædicatorum Familiæ Alumnum, germanumque Angelici Doctores discipulum, pietate non minus, & religiosa in Apostolicam Sedem observantia, quam sapientiæ, & eruditionis fama præstare; quo quidem nihil Deo, & Sanctitati suæ gratius, nihil bonis viris iucundius, Ecclesiæque ædificationi opportunius, nihil agere tibi gloriosius poteris. Ego vero dum ex Sanctitatis suæ sententia tibi ista significo, studia quoque mea, officiaque tuis impendenda opportunitatibus libenter polliceor, paratissimamque in tui servitium voluntatem. Deus Optimus Maximus Paternitati tuæ cœlestis gratiæ dona multiplicet, laboresque litterarios tuos fructu vacuos minime esse permittat. Romæ 13. Aprilis 1694.

P A T E R N I T A T I T U Æ

Inscriptio :

Ad officia
C A R D I N A L I S S P A D A.
Reverendo Patri NATALI ALEXANDRO
Ordinis Prædicatorum Parisios.
THEO-

THEOLOGIA

DOGMATICA, ET MORALIS

P. NATALIS ALEXANDRI

Que pluries in duobus Tomis in folio edita fuit, nunc in quatuor Tomos in quarto novo ordine distincta prodit. Ut autem Lectori innotescat, quid in quolibet Tomo tractetur, sequentem exhibemus Elenchum.

TOMUS PRIMUS.

Sex Tractatus exhibet, quorum primus est de Fide,
& sex Articulis constat.

IN primo Articulo Fidei naturam aperit P. Natalis, eamque sine spe, & charitate subsistere demonstrat; esse pariter Dei donum, nec sine gratia Dei acquiri posse contra Pelagianos ostendit. Ipsam non humanis conjecturis, non experimentis, non humanæ rationi, sed solum Dei revelantis auctoritati niti demonstrat. Confutat proinde errorem Abailardi, puram esse existimationem definiens. Discrimen pariter a scientia ibi assignat, & plura alia de ipsa disputat.

In secundo de Fundamentis, & Principiis nostræ Fidei differit; ea autem fundamenta in Scriptura, & Traditione adstruit; hinc de Traditionis necessitate, de Scripturæ Sacræ Libris, eorumque Versionibus, deque Judice Controversiarum erudite differit.

In reliquis sequentibus articulis Fidei necessitatem ad salutem adstruit. Eam non esse singularem fiduciam, qua quis credat sibi remissa esse peccata, aut se esse prædestinatum contra Lutheranos, & Calvinistas probat. Fidem sine charitate haberi posse contra eosdem propugnat. Nul- lum opus æternæ vitæ meritorium sine Fide haberi posse, nec tamen omnia Infidelium opera esse peccata, pluribus ostendit. Demum eas omnes rationes proponit, & discutit quibus Religionis nostræ veritas evidenter credibilis adversus Ethnicos demonstratur.

Tractatus secundus Symbolum Apostolicum declarat, & tredecim Articulis absolvitur.

Primus Articulus, quid sit Symbolum, quando, & qua ratione ab Apostolis conditum, cur in duodecim Articulos distributum, aperit, & declarat. Aliqua etiam hujus occasione de Symbolo Nicæno, Constantinopolitano, & Sancti Athanasii differuntur, & additio illa *Filioque* a Latinis facta contra Græcos defenditur.

Secundus Articulus primum Symboli Apostolici Articulum explicat; & primo vis hujus vocis *Credo* expenditur. Curiositatem, & humanam rationem a Fide excludi, animum nostrum sola Dei revelantis auctoritate ad divinarum rerum cognitionem perducere, nec de rebus Fidei quærendam esse rationem, sed totam rationem facti, potentiam esse facientis, pluribus demonstrat. Secundo quomodo Dei existentiam ex Creaturis natura-

li luminis ductu colligere possimus aperit, variosque modos credendi assignat, & declarat. Deinde ad Dei attributa figillatim expendenda descendit. Deum unum esse, non solum ex Scripturis, sed argumentis ex humana ratione petitis invicte probat. Ipsum pariter & Simplicem, & Immutabilem, Æternum, & Immortalem, Immensum, & Bonum, Misericordem, & Justum, Trinum, & Unum, distinctis paragraphis erudite probat, & explicat. Scientiam Dei esse infinitam, eamque humanæ libertati non officere contra Jansenistas probat. Deum sine malis meritis neminem deserere, reprobare, & damnare, invictis rationibus ostendit. Trinitatem Unitati non repugnare demonstrat, aptisque similitudinibus illustrat. Plura deinde ex divinis perfectionibus documenta colligit, quæ & moribus informandis, & vitæ recte instituendæ apprime necessaria sunt. Plura pariter de Omnipotentia Dei ejusque gratia tradit. Voluntatem Dei efficacissimam, si absoluta sit, semper impleri demonstrat. Gratiam Dei efficacem esse ab intrinseco, ejusque efficaciam ex divina omnipotentia pendere, nec humanæ libertati quidquam officere pluribus probat. Gratiam Dei ad conversionem peccatoris, ad vincendas tentationes, ad Deum super omnia diligendum, ad Dei mandata servanda, ad initium boni operis, & Fidei, & ad perseverandum necessariam esse, vimque omnem merendi in bonis operibus ex ipsa esse, eruditis dissertationibus contra Pelagianos, & Semipelagianos ostendit. De Primi Homini formatione, & Angelorum creatione pariter multa tractat. Primum Hominem in gratia, & justitia originali, & ad Dei imaginem conditum probat, & in quo illa Divinæ Imaginis ratio sita sit, expendit. Angelos in gratia conditos, & spiritualis esse naturæ demonstrat. Varios ipsorum ordines distinguit, & explicat, & Angelum Custodem cuique Homini a Deo præpositum demonstrat. Malorum Angelorum peccatum quale fuerit, exquirat, ipsorum cum bonis Angelis pugnam, & æternos ipsorum cruciatus describit, & explicat. Providentiam Dei adversus Atheos vindicat, & plura de æterna Hominum Prædestinatione tractat, quæ pluribus paragraphis continentur.

Articulo tertio secundum Symboli Articulum expendit. Hujus occasione multa præclara docet de Jesu Nomine. Christum Regem, Sacerdotem, & Prophetam fuisse probat. Ipsum verum Deum, verique Dei Filium contra Arianos demonstrat. Duas in ipso Naturas, unamque Personam contra Eutychanos, & Nestorianos invicte propugnat. Demum contra Elipandum Christum esse Filium Dei naturalem, non adoptivum demonstrat. An autem servus aliquo modo dici possit erudite discutit.

Articulo quarto Conceptionem Christi Spiritus Sancti operatione factam; ejusque Nativitatem ex Maria Virgine expendit. Christum veram carnem habuisse, non phantasticam, & apparentem, hancque ex Virgine accepisse, non e Cælo detulisse, contra Manichæos, Marcionitas, Valentinianos, aliosque hæreticos probat. Animam rationalem contra Apollinaristas; duplicem voluntatem, & operationem contra Monothelitas in Christo adstruit. Demum Beatæ Virginis Maternitatem, ejusque perpetuam Virginitatem eruditis dissertationibus vindicat.

Articulo quinto, de Christi Passione, Crucifixione, & morte disputat, earumque mysteria declarat. Christum ut Deum, & Hominem passum esse; nihil tamen passum esse ejus Divinitatem demonstrat. Passionem ejus fuisse voluntariam, non coactam; liberam, non necessariam, pluribus probat. Quanta fuerit acerbitas ejus Passionis; quæ figuræ, & Prophetarum oracula de ipsa præcesserint; quæ virtutum exempla in ipsa nobis præbuerit; quæ beneficia ex ipsa in nos redundarint; quanta fuerit Passio-

Passionis ejus, quæque sit Sanctæ Crucis gloria, quinque eruditissimis dissertationibus ostendit. Plura etiam hac occasione tractat de Gratia Christi. Interiorem gratiam in statu naturæ lapsæ admittendam esse, eamque veram potentiam ad opus supernaturale tribuere probat. Hanc Christianis omnibus urgente præcepto exhiberi; Infidelibus etiam, & Peccatoribus obduratis, & excæcatis dari; Parvulis autem sine Baptismo morientibus paratam esse, quatuor paragraphis demonstrat. Christum pro omnibus mortuum esse; Mandata Dei nulli Hominum esse impossibilia nec gratiam deesse, qua possibilia fiant, aliaque plura contra Novatores Jansenistas propugnat.

Articulo sexto, & septimo Descensus Christi ad Inferos, ejusque Resurrectionis, & Ascensionis mysteria aperit, & earumdem causas, necessitatem, gloriam, & utilitates exinde secutas pluribus paragraphis discutit.

Articulo octavo Postremum Judicium declarat; signa ipsum præcedentia describit; ipsius generales causas assignat, aliaque ad hanc materiam spectantia erudite persequitur.

Articulo nono Spiritum Sanctum Deum esse, & a Patre, Filioque procedere contra Macedonianos, & Græcos ostendit; deinde ipsius Sancti Spiritus varia nomina, attributa, & effectus discutit, dispositionesque ad ipsum suscipiendum requisitas assignat, & explicat.

Articulo decimo, & undecimo quid sit Ecclesia, quidve Sanctorum communio, & peccatorum remissio, pluribus erudite explicat. Ecclesiam visibilem esse, & manifestam; bonos simul, & malos complecti, contra Lutheranos, & Calvinistas probat. Notas deinde veræ Ecclesiæ aperit, ipsamque esse unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam pluribus paragraphis propugnat.

Articulo duodecimo de Carnis Resurrectione differit. Resurrectionis veritatem invictis argumentis adversus Sadducæos statuit, & aptis similitudinibus illustrat. Resurgentium condiciones, & dotes declarat, & varios fructus ex hoc articulo colligendos assignat.

Articulo ultimo quid sit Vita æterna, & in quo essentialis Beatitudo consistat, pluribus differit. Deum corporeis oculis non posse videri: ab humana mente ejus divinam naturam non posse comprehendere, nec visionem ejus viribus naturæ posse comparari, eruditissimis dissertationibus demonstrat.

Tractatu tertio de Sacramentis agit. Et primo quidem plura ad Sacramenti nomen, ejusque definitionem, & naturam explicandam tradit. De eorum necessitate subinde agit, ipsorumque differentiam a Veteris Legis Sacramentis latius explicat. Septem esse Sacramenta ex Scriptura, & Traditione ostendit. Omnia esse a Christo instituta; omnia gratiam conferre, & quidem ex opere operato; aliqua præter gratiam characterem etiam imprimere; horum Ministros non quoslibet promiscue Homines, sed certos tantummodo, & determinatos; fidem, & probitatem in ipsis non requiri; bene vero intentionem, & quidem internam, distinctis disputationibus demonstrat. Plura pariter de Sacramentorum partibus, materia, videlicet, & forma, eorumque ceremoniis, & ritibus, quibus conficienda sunt, disputat; pluresque regulas tum circa mutationes, sive substantiales, sive accidentales, quæ in materia, & forma Sacramentorum possunt contingere, tum circa Ministros, a quibus Sacramenta conficienda sunt, vel administranda, utilissimas tradit, & explicat.

Tractatu quarto de natura Baptismi, ejusque figuris erudite differit. Materiam ipsius esse solummodo aquam naturalem, valideque perfici sive ef-

fusione, five asperione, five immersione fiat; Formam vero probat esse hæc verba *Ego te baptizo &c.* invalidum proinde Baptismum in Christi nomine collatum demonstrat... Baptismum Joannis præparationem fuisse ad Baptismum Christi, neque eandem cum Baptismo Christi vim habuisse, ostendit. Baptismum tunc temporis institutum fuisse, probat, quando a Joanne baptizatus est; ejus tamen obligationem non nisi post mortem Christi, & sufficientem Evangelii promulgationem cœpisse demonstrat. Hunc non solum adultis, sed etiam parvulis esse ministrandum contra Anabaptistas probat; in adultis tamen per Baptismum flaminis, & in parvulis per martyrium posse suppleri, erudite demonstrat. Agit subinde de Patrinis, quos ex Apostolica Traditione arcescit; de suscipientis intentione, fide, penitentia, quas esse necessarias distinctis articulis probat. Agit etiam de ipsius Baptismi effectibus, & contra Lutheranos probat omnia peccata per ipsum remitti, ac perfecte deleri, pœnas omnes peccatis debitas relaxari, gratiam sanctificantem infundi, characterem imprimi, aliaque præstari, quæ septem distinctis propositionibus explicat. Plura denique tractat de Ceremoniis ipsius Baptismi, deque obligationibus ad ipsum consequentibus, pluresque regulas ad validam, & legitimam Baptismi ministrationem spectantes assignat, & dilucide explicat.

Tractatu quinto de Sacramento Confirmationis differit. Hoc esse verum novæ Legis Sacramentum a Baptismate distinctum contra Lutheranos, & Calvinistas statuit. Ejus materiam esse manuum impositionem cum oleo Chrismatis; Ministrum ordinarium esse Episcopum, extraordinarium etiam Presbyterum; effectum ipsius esse gratiam, & characterem contra Hæreticos probat. Septem subinde dona Spiritus Sancti, & fructus, qui ex hisce donis proveniunt, distinctis paragraphis erudite exponit, regulasque ad Moralem spectantes suis locis apponit, & explicat. Demum de necessitate hujus Sacramenti, de dispositionibus ad ipsum suscipiendum requisitis, deque ejus Ceremoniis erudite differit.

Tractatu sexto de Sacramento Eucharistiæ plura differit; & primo dignitatem, & excellentiam hujus Sacramenti explicat; indigitat nomina omnia, quibus a Scriptura, & Patribus designatum est; explicat figuras omnes, quæ ipsum præcesserunt, & adumbrarunt; agit de ejus institutione, materia, forma, effectibus, & ministro; pluraque & dogma, & praxim spectantia de his resolvit. Differit contra Hæreticos de Christi Domini reali in Eucharistia præsentia, de ejusdem transubstantiatione, de Communione sub utraque specie, de Præcepto annuæ Communionis, de ejusdem Communionis necessitate, de antiqua illa Ecclesiæ Disciplina parvulos statim post Baptismum communicandi, de institutione solemnitate Corporis Christi, deque pia illa consuetudine Eucharistiam in Altari exponendi, & per publicas vias solemniter circumferendi; de Cultu Patriæ ipsi præstando: de Sacrificio Missæ, ejusque ceremoniis, & mysteriis: de Missis privatis, in quibus solus Sacerdos communicat; de Missis, quæ pro animabus Purgatorii offeruntur, aliisque, quorum veritates adversus Lutheranorum, & Calvinistarum argumenta vindicat, & propugnat. Plures etiam regulas ad legitimam hujusce Sacramenti administrationem, rectumque usum tradit, ex quibus eorum omnium, quæ ad praxim hujus Sacramenti spectant, plena hauriri potest, & absoluta cognitio.

Præter enumeratos Tractatus inferuntur etiam septem Epistolæ ejusdem Auctoris delibatæ juxta materie ordinem, & exigentiam ex illis centum, & no-

vem, que in aliis Editionibus promiscue ad calcem Tomorum appositæ erant.

In I., alias 41. errorem quorundam refellit, qui peccata excæcatis, & obduratis hominibus non imputari effutiebant.

In II., alias 28. Thesim quamdam impugnat, qua Christiana Religio evidentiâ morali tantum improprie dicta evidens asserabatur; ostenditque pluribus hanc Thesim erroneam esse, viamque ad Socinianismum, & Religionis indifferentiam aperire.

In III., alias 42. demonstrat, propositionem hanc, *Facienti quod in se est ex solis nature viribus, Deus non denegat gratiam*, Pelagianum, aut certe Semipelagianum errorem involvere.

In IV., alias 45. ex veteri disciplina probat infideles non esse ad Baptismum admittendos, nisi prius in Fide instituti, & quadraginta saltem dierum spatio probati fuerint.

In V., alias 46. ostendit sumptionem Tabacci ante Sacram Communionem illicitam esse, gravibusque pœnis non Clericis tantum, sed etiam Laicis esse ab Ecclesia prohibitam.

In VI., alias 34. duabus quæstionibus ab Amico sibi propositis respondet: primo an Christus Discipulis in Emmaus pergentibus Eucharistiam porrexerit. Secundo an Jejunium quod in Vigilia Pentecostes modo observatur, ex antiqua Disciplina profluxerit.

In VII., alias 5. Sacerdotis cujusdam devotionem veluti superstitiosam improbat, qui diebus singulis Missam de Rosario B. M. V. celebrabat.

Adjiciuntur pariter variae Constitutiones, & Brevia Innocentii X. Alexandri VIII. Clementis IX. & Innocentii XII. quibus quinque celebres Jansenii propositiones proscribuntur. Denique Tomum claudunt Institutio Pastoralis Cardinalis de Noailles, & Epistola quinque Gallicanorum Præfulum ad Innocentium XII. data contra librum Cardinalis Sfondrati, cui titulus est, Nodus Prædestinationis dissolutus.

SECUNDUS TOMUS

Tres Tractatus complectitur, videlicet de Pœnitentia,
Extrema Unctione, & Ordine.

IN primo Tractatu quid sit Pœnitentia, quot ejus nomina, quæ species, disquirat P. Natalis. Pœnitentiæ publicæ gradus, & stationes describit, & antiquam disciplinam hac de re declarat. De Pœnitentia interna disputat, an sit virtus; an acquisita, vel infusa; an quovis tempore lapsis in mortale peccatum necessaria, & quibus gradibus ad ipsam ascendatur. De Externa quærit, an sit Sacramentum; an Sacramentum a Baptismate distinctum; an post Resurrectionem instituta; an sit absolute necessaria lapsis in mortale peccatum; an possit iterari; an peccata vere expungat, & tollat; an gratiam amissam conferat; an bona opera per peccatum mortificata reviviscere faciat, & alia, quæ pluribus propositionibus erudite persequitur. De Contritionis natura, necessitate, utilitate, efficacia, & objecto plura disputat, & expendit, regulasque plures proxim spectantes statuit, & firmat. Attritionem sine Dei amore saltem inchoato ad justificationem peccatoris in Sacramento non sufficere, proluxa, & erudita dissertatione ostendit. Confessionis Sacramentalis necessitatem adversus Novatores invicte propugnat; ejusdem Confessionis naturam, utilitates, partes; & conditiones omnes, quas habere debet, accurate disquirat, & explicat. Plura pariter de Potestate Clavium in Ecclesia Dei, de inviolabili Confessionis sigillo, de Præcepto annuæ Confessionis, de hu-

jus Sacramenti Ministro, ejusque potestate, jurisdictione, dotibus, & obligationibus, de Absolutione Sacramentali, de Reservatione casuum, de Canonibus Pœnitentialibus de satisfactionis Sacramentalis utilitate, & necessitate, deque his, quæ ad veram satisfactionem requiruntur, disputat, & erudite resolvit; centumque quadraginta & amplius regulas his de rebus statuit, quibus ea omnia, quæ Confessariis, & Penitentibus in hac materia occurrere possunt adamussim resolvit, & enucleat.

Huius Tractatus duo alii Tractatus adjecti sunt, de Censuris scilicet, & de Indulgentiis.

In primo de potestate ferendi Censuras, de Causis propter quas ferri possunt, deque iis qui possunt vel Censuris ligari, vel a Censuris absolvi, accurate tractat, causasque plures expendit, ob quas Censuræ vel nullæ, & irritæ, vel injustæ censi possunt. De Excommunicatione pariter suspensione, & Interdicto ipsarumque justo, & legitimo usu, deque penis quas inducunt, & bonis Ecclesiasticis, quibus privant, plura expendit, regulasque nonaginta ad praxim hujusce materiæ spectantes firmat, & statuit.

In secundo, Indulgentias concedendi potestatem a Christo Ecclesiæ concessam esse, eamque ab antiquissimis temporibus ea potestate usam fuisse, pluribus demonstrat. Regulas deinde vigintiduas Indulgentiarum dispensationem, usum, & efficaciam spectantes tradit, & explicat.

Tractatus secundus est de Sacramento Extremæ Unctionis. Hoc esse verum, proprieque dictum Novæ Legis Sacramentum adversus Novatores Hæreticos propugnat. Plura deinde de ejus materia, forma, Ministro, Suscipiente, & effectibus, quos in Suscipiente operatur, expendit, regulasque novem supra triginta statuit, in quibus plura circa hujusce Sacramenti administrationem, circa Infirmorum visitationem, circa Laicorum, & Clericorum testamenta, circa Sepulturæ electionem, funerumque pompam, expendit, & erudite resolvit.

Tractatus tertius est de Sacramento Ordinis. In eo agit de Ordinis essentia, ejusque divisione: de Minoribus Ordinibus: de Subdiaconatu, & Diaconatu: de Sacerdotio, ejusque materia: de Sacerdotalis Ordinis dignitate, & excellentia: de Episcopatu, & Episcoporum officiis: de Hierarchia Ecclesiastica, Presbyteris videlicet, Parochis, Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis, eorumque Summo Capite Romano Pontifice, cui in Christianos omnes, & universos Episcopos jurisdictionem divinitus collatam esse probat. Disputat pariter de Ordinationum Temporibus, Ritibus, & Ceremoniis: de Ordinandorum ætate, qualitatibus, & conditionibus: de Ordinationum impedimentis, aliisque pluribus. Demum regulas plures assignat, quibus ea omnia, quæ circa dimissorias, interstitia, Ordinandorum qualitates, & dispositiones, circa impedimenta ex sexu, ex servitute, ex Natalibus, ex Crimine, ex publica Infamia, ex Bigamia, ex corporis, animique defectibus, aliisque impedimentis derivantia, occurrere possunt, erudite resolvit, & exponit.

Huius Tractatus tres Appendices adjectæ sunt, scilicet de Beneficiis, de Simonia, & de Horis Canonicis. In prima de Beneficiis Ecclesiasticis agit, & quinquaginta duas regulas de eorundem Impetratione, Captatione, Possessione, Resignatione, Permutatione; nec non de Beneficiarios Officiis, Residentia, Obligationibus, aliisque hanc materiam spectantibus statuit, & roborat. In secunda Simoniam naturam, gravitatem, & malitiam, varias ejus species, & pœnas contra Simoniacos a Legibus statutas, quatuor articulis expendit. Deinde regulas quadraginta octo assignat, in quibus omnes eos casus, in quibus Simoniam crimen inesse potest, notat, & discu-

- discutit . In tertia de Horarum Canonicarum antiquitate , numero , & obligatione illas recitandi differit , & regulas quatuordecim assignat , quibus plena eorum omnium , quæ divinorum Officiorum celebrationem , & Canonicarum Horarum recitationem spectant , cognitionem tradit .
- His tractatibus accedunt XLIX. Epistolæ , in quibus plura tam de Dogmatibus Theologicis , quam de Disciplina Morum , quæ in hoc Tomo tradita sunt , confirmantur , & explicantur .*
- In Epistola igitur , quæ in hoc novo ordine VIII. est , alias 29. docet , iis , qui Symbolum , & Orationem Dominicam ignorant , ab solutionem necessario esse differendam , vel negandam .
- In IX. , alias 4. propositionem quamdam a se assertam , & ab Emulis Obtreptatoribus velut Lutheranam fugillatam , vindicat , probatque pluribus , peccati lethalis affectum sola charitate saltem inchoata excludi posse .
- In X. , alias 31. Comœdias Christianis illicitas , & Histriones a Sacra Communionem arcendos nisi artem ejurent , erudite demonstrat .
- In XI. , alias 6. probat non posse Confessarium Pœnitentes compellere ad votum Deo faciendum de certis peccatis non committendis .
- In XII. , alias 7. Casum ab Amico propositum resolvit : a quo scilicet Episcopo approbati debeant Sacerdotes , qui in Castris , aut Navibus Sacramentorum administrationi præfati sunt .
- In XIII. , alias 106. Amico ab ipso sciscitanti modum suggerit , quo in Sacro Pœnitentiæ Tribunali agere debeat cum Canonico , qui illis tantum horis , & officiis interest , quibus pinguioribus distributiones sunt annexæ , illis vero nusquam , cui nullæ , aut exiguæ constitutæ sunt .
- In XIV. , alias 23. Amico exponit , quid Episcopus agere debeat in causa cujusdam Parochi in suspicionem stupri adducto , quem tamen aliunde castæ , sanctæque conversationis fuisse constat .
- In XV. , alias 44. solam alimentorum provisionem Filiis illegitimis , non vero partem hæreditatis deberi , demonstrat .
- In XVI. alias 25. casum resolvit de Sacerdote Regulari , qui sacrum Viaticum Infirmo in casu repentino sine licentia Parochi ministraverat : utrum irregularitatem contraxerit , & excommunicationem .
- In XVII. , alias 40. Medicum instituit de officiis christianæ pietatis , quæ circa Infirmum exhibere debet .
- In XVIII. , alias 8. Superiori cuidam Regulari persuadet , ne omnimode permittat Religioso sibi subdito , ut executionem Testamenti suscipiat , in quo hæc clausula apposta est , ut executor decem millia nummorum ex ea hæreditate accipiat , & in eos usus impendat , quos Testator ipsi secreto significavit .
- In XIX. , alias 73. Abbatissam lethali morbo decumbentem non posse pensionis suæ fructus etiam ad pias causas legare , vel supellectilem aliquam alteri Moniali donare pluribus probat .
- In XX. , alias 74. Sanctimoniam ex fructibus vitalitæ pensionis , interposito Fratris nomine , pensionem sibi instituere non posse , demonstrat .
- In XXI. , alias 2. Anonymi cujusdam libellum confutat , veritatemque hujusce propositionis a se assertæ : *In mortalis peccati reatum incurrit , qui Tonfuram Clericalem indigne suscipit* , erudita apologia vindicat .
- In XXII. , alias 3. Regulam quamdam a se statutam in Capite de Vita , & honestate Clericorum , ab argumentis Anonymi cujusdam Cenforis eam velut duriorē , & severiorē improbantis tuetur , probatque pluribus , Clericos vel aleis ludentes , vel aleatores studiosè spectantes lethale crimen incurere .

- In XXIII., alias 55. plura de Simonia solide, & erudite resolvit, & explicat.
- In XXIV., alias 80. interrogatus ab Amico, utrum habens beneficium simplex ad honestam vitæ sustentationem non sufficiens, illud dimittere teneatur, postquam pinguius beneficium, ac per se sufficiens ad sustentationem adeptus fuerit; respondet probando, utrumque posse tuta conscientia retinere.
- In XXV., alias 13. demonstrat Episcopum non teneri sibi assumere duos Canonicos ad Capituli Visitationem, sed pro libito suo posse quoscumque ad id muneris eligere.
- In XXVI., alias 39. duobus sibi propositis casibus respondet; primo, an Episcopus licentiam vagam, & indefinitam concedere possit Abbatissæ, personas cujuscumque sexus, ætatis, conditionis, diu, noctuque, intra septa Monasterii pro suo arbitrio introducendi. Secundo an Abbatissa, aliæque personæ, quæ vaga illa Episcopi licentia sine causa utuntur, excommunicationem ipso facto incurrant.
- In XXVII., alias 83. Decretum cujusdam Episcopi approbat, quo sub suspensionis pœna Parochis prohibuerat, ne a suis Parochiis ne per hebdomadam quidem sine sua licentia abessent.
- In XXVIII., alias 84. probat Episcopum jure posse & debere denegare Parocho facultatem studium Theologicum in aliqua universitate decurrendi.
- In XXIX., alias 11. quæstionem sibi ab Amico propositam resolvit: an Vicarius Generalis Episcopi absque speciali mandato in eisdem casibus agere possit, in quibus agere potest Episcopus, ut Sedis Apostolicæ Delegatus; qua in quæstione plura erudite resolvit.
- In XXX., alias 12. Amico ipsum roganti exponit quæ sit Capituli potestas Sede vacante, & ad quæ possit ejus Jurisdictio se extendere.
- In XXXI., alias 15. declarat, qua ratione Capitulum statuta, & pœnas in eorum transgressores decernere possit.
- In XXXII., alias 16. Episcoporum auctoritatem in Regulares explicat, casusque omnes exponit, in quibus Regulares exempti Episcoporum jurisdictioni subesse possunt.
- In XXXIII., alias 9. Opinionem quorundam Canonistarum refellit, afferentium Episcopum promovere posse ad Sacros Ordines Juvenem in suo Seminario institutum, hoc solum titulo, quod Patrem divitem habeat, cujus aliquando hæres futurus sit.
- In XXXIV., alias 10. disputat, an Juvenis ex Parentibus Calvinianis ortus possit absque ulla dispensatione Pontificia ad sacros Ordines, & beneficia promoveri.
- In XXXV., alias 18. dubia sex circa Irregularitates sibi proposita non minus solide quam erudite resolvit.
- In XXXVI., alias 19. difficultates quasdam circa Irregularitates occultas expendit, & dilucide explicat.
- In XXXVII., alias 20. de quodam, qui in duello Hominem occiderat, & postea vitam religiosam professus Sacros Ordines absque dispensatione Pontificia susceperat, quærit, an Irregularis sit, possitque sacris operari.
- In XXXVIII., alias 21. ostendit, Regularem sine dispensatione Summi Pontificis, & suorum Superiorum licentia ad mitiorem Ordinem transeuntem, non esse Irregularem censendum.
- In XXXIX., alias 14. de Appellatione cujusdam Clerici ab Episcopo ad Metropolitanum disputat, eamque Appellationem in illo proposito casu velut legitimam approbat.
- In XL., alias 22. Episcopum hortatur, ut Clericos urbanitatis specie Mulieribus oscula libantes post monitionem saluberrimam severioribus remediis a licentia tam periculosa cohibeat.

- In XLI., alias 24. Clericos, qui boves, oves, aut equos emunt, in pascuis suis alunt, eorumque fructus vendunt, illicitæ negotiationis reos non esse probat.
- In XLII., alias 26. de Oblationibus quibusdam factis ad Imaginem B. M. V. Muro Castri contiguam disputat, easque ad Parochum, non ad Castri Dominum pertinere probat.
- In XLIII., alias 61. Prælatum Regularem instruit, quomodo in Monasteriorum sibi subditorum reformatione se gerere debeat.
- In XLIV., alias 91. de migrationibus Monialium de uno in alterum Monasterium, ut ipsi præsent, an licitæ sint, disputat.
- In XLV., alias 32. Archimandritam quemdam instruit, quid de Monachis contumacibus, & se emendare nolentibus agere debeat, modumque, quo ab Ordine ejiciendi sunt, ipsi declarat.
- In XLVI., alias 35. dubia quædam, quæ ex suppressione cujusdam Ecclesiæ Collegiatæ, quam meditabatur Episcopus, ut in ea Seminarium erigeret, & dotaret, oriebantur, erudite resolvit, & diluit.
- In XLVII., alias 36. quæstionem sibi propositam agit: an Episcopus Beneficia simplicia Capitulari Mensæ unire possit, & negative resolvit.
- In XLVIII., alias 37. ostendit Jus instituendi Parochi in Patronatu sive Laico, sive Ecclesiastico ad Episcopum devolvi, quoties duo de Jure Patronatus contendant, & lis intra quatuor menses in Patronatu Laico, vel intra sex in Ecclesiastico, finita non sit.
- In XLIX., alias 38. Præbendarum aliquarum suppressionem, ut aliis tenuibus uniantur, Episcopo permissam esse probat, variasque condiciones assignat, ut legitime fieri possit.
- In L., alias 8. Resignationem quamdam Canonicatus sex ante Professionem mensibus a Novitio factam veluti invalidam, & nullam improbat, & rejicit.
- In LI., alias 82. Dignitatem Cathedralis Ecclesiæ, quæ nullos fructus habet, & nullam animarum curam annexam, residentiam tamen personalem secundum Canones exigere demonstrat.
- In LII., alias 85. Amico ipsum consulenti ostendit, posse tuta conscientia Canonicatum simul, & Capellam in eadem Ecclesia sine dispensatione Sedis Apostolicæ retinere, quando horum alterum ad honestam vitæ sustentationem non sufficiat.
- In LIII., alias 86. Casum sibi propositum discutit, utrum habens Capellam teneatur Sacerdotium accipere, & divinorum Officiorum celebrationi per se ipsum satisfacere.
- In LIV., alias 88. Pensiones Ecclesiasticas solutionibus anticipatis redimi non posse sine licentia Romani Pontificis resolvit, & demonstrat.
- In LV., alias 89. lethalis peccati reos esse, qui defuncti Beneficarii corpus celant, vel celari procurant, ut obtineant Beneficium illis ab Infirmo ante viginti dies resignatum, ostendit, & probat.
- In LVI., alias 87. varios casus de Simonia sibi ab Amico propositos solvit difficultatesque omnes oppositas erudite diluit.
- Enumeratis Epistolis accedit celebris illa Pastoralis Institutio Mauriti Le Tellier Archiepiscopi Rhemensis, in qua de Ludovici Molinæ doctrina, aliorumque Theologorum, qui concordiam libertatis humanæ cum gratia ope Scientiæ Mediæ defendunt, prolixè, & erudite tractatur. Finem tandem huic Tomo imponunt Decretum Innocentii XI. De dispositionibus ad frequentem Communionem, & contra plures ea in re abusus, & Epistola Pastoralis Cardinalis Carpegna, qua Confessarios ad sanctam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem hortatur.

TERTIUS TOMUS

Tres Tractatus continet, scilicet de Matrimonio, de Peccatis, & de Virtutibus.

IN Primo plures Dogmaticas quæstiones discutit P. Natalis, scilicet an Matrimonium ut officium naturæ consideratum a Deo institutum sit; an omnibus imposita sit Matrimonii lex; an Matrimonium verum sit novæ Legis Sacramentum; an gratiam conferat, an sit jure divino insolubile; an per adulterium solvi possit; an possit per Professionem Monasticam; an Romanus Pontifex Matrimonium ratum, & non consummatum ex justa causa possit dissolvere; an Poligamia juri divino, & naturali repugnet; an accusandi sint Veteres Patres, qui plures Uxores duxerunt; an Matrimonia Filiorum sine consensu Parentum rata sint, & quid possint leges Principum in hac materia; an Ecclesia possit statuere impedimenta Matrimonium dirimentia; an Ecclesia potuerit non solum prohibere Matrimonia Clandestina, sed etiam irrita declarare. In his quæstionibus Catholicas Veritates roborat, & illustrat, & fundamenta omnia Hæreticorum funditus evertit. Ex his Veritatibus postea tercentas quinquaginta & amplius regulas ad Practicam Moralem spectantes colligit, ex quibus ea omnia, quæ de Sponsalibus, eorumque solutionum causis, de Contrahentium consensu, & conditionibus ei apposis, de Parochi, & Testium præsentia, de Impedimentis, eorumque dispensationibus, de Divortiiis, & Divortiorum causis, de Conjugum erga se, & erga Liberos officii disputari solent, plene absoluteque expendit, & elucidat.

In secundo Peccati Originalis existentiam, ejusque in posteros omnes propagationem contra Pelagianos adstruit: ejusdem peccati effectus declarat, & Beatæ Mariæ Virginis ab eodem peccato immunitatem defendit. Varias peccatorum species deinde assignat, & contra Calvinianos Deum non esse Auctorem peccati defendit; discrimen proinde Venialis a mortali pluribus declarat, eaque non ex sola relatione ad misericordiam Dei, sed ex sua natura distingui statuit. Peccata alia commissionis, alia omissionis, alia spiritualia, alia carnalia, alia in Deum, alia in se ipsum, alia in proximum esse, quædam ex ignorantia, quædam ex malitia, quædam ex infirmitate ortum habere fufe declarat. Plura hac occasione etiam tractat de ignorantia vincibili, & invincibili, de peccatis in Spir. Sanctum, ejusque speciebus, de peccatorum gravitate, ejusque effectibus & penis, quas æternas esse contra Origenem probat. Plures deinde regulas ad peccata cognoscenda, & dijudicanda assignat; in his quid augeat, quid minuat, quid excuset peccatum fufe declarat. Plura pariter circa opinionum probabilium delectum præstantissima habet pluribus paragraphis contenta, in quibus ea omnia, quæ Recentiores Probabilistæ statuunt, non minus subtiliter quam erudite impugnat, & evertit. Postremo ad singulas peccatorum species discutiendas, & examinandas transit, & de septem Vitiis Capitalibus septem distinctis capitibus agit; & quidem in primo Capite agit de Superbia, ejusque filiabus, Vanagloria scilicet, Ambitione, Inobedientia, Jactantia, Hipocrisi, Contentione, Discordia, & Præsumptione. In secundo de Avaritia, ejusque filiabus Proditione scilicet, Fraude, Fallacia, Perjurio, Inquietitudine, Violentia, & Obduratione. Agit etiam de Usuris, usurariisque Contractibus, quos divina, & naturali lege prohibitos erudita dissertatione probat. In tertio disputat de Luxuria ejusque speciebus, Fornicatione scilicet, quam jure divino prohibitam esse probat, Stupro, Adulterio, Raptu, Incestu, Sa-

crilegio, aliisque, quæ & legi Dei, & naturæ ipsi repugnant. In quarto de Invidia, ejusque filiabus, Odio videlicet Proximi, Sufuratione, Detractione, Exultatione in adversis, & Afflictione in prosperis. In quinto de Gula, ejusque speciebus, & filiabus, Inepta scilicet Lætitia, Scurrilitate, Immunditia, Multiloquio, & Hebetudine mentis. In sexto de Ira, ejusque filiabus, Rixa videlicet, Tumore mentis, Contumelia, Clamore, Indignatione, & Blasphemia. In septimo tandem de Acedia, ejusque filiabus, Malitia, Rancore, Pusillanimitate, Desperatione, Torpore, Evagatione mentis, & Otio. In his non solum vitiorum istorum naturam aperit, eorumque gravitatem, & malitiam, verum etiam rationes plures suppeditat, quæ nos a quolibet horum vitiorum in particulari deterreant, & remedia singulis accommoda proponit, & tercentas, & amplius regulas firmat, quibus ea omnia, quæ circa capitalia Vitia, ejusque singulas species occurrere possunt, resolvit, & explanat.

Huic Tractatui de Vitiis, & peccatis alter de Virtutibus respondet, in quo quatuor Cardinalium Virtutum naturam, partes, officia, Virtutes ipsis adjunctas, vel ex ipsis profluentes, & vitia ipsis opposita plene absoluteque tradit, & explicat.

Ad hunc pariter Tomum referuntur sequentes Epistolæ a numero 57. usque ad numerum 75. in quibus plura ad superiores Tractatus spectantia resolvit, & elucidat.

In Epistola igitur LVII., alias 30. Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia illicita esse, nec sine dispensatione Pontificia contrahi posse, demonstrat.

In LVIII., alias 27. ostendit illicitum esse Matrimonium contrahere hac conditione, ut celetur, vel ipsum jam contractum dissimulare.

In LIX., alias 17. rogatus ab Amico, ut sententiam suam diceret de quodam Juvene, qui cum vovisset Religionis ingressum, habitum quidem susceperat, sed post triduum ex mera animi levitate demiserat: resolvit, hunc adhuc reum esse voti, nec sine dispensatione Pontificia posse Matrimonium contrahere.

In LX., alias 43. Vicarium quemdam Generalem hortatur, ne Conjugatæ Mulieri, cui acerba est cum suo Viro dissensio, licentiam concedat Monasterium ingrediendi.

In LXI., alias 47. extrinsecam Probabilitatem ex unius, vel plurium Scriptorum auctoritate petitam opinioni morali securitatem conciliare non posse contra Anonymum Censorem defendit.

In LXII., alias 48. de Pertinacia, & Probabilitate differit.

In LXIII., alias 49. Regulam quamdam circa Opinionum Probabilium delectum a se statutam a calumniis & argumentis Adversariorum vindicat.

In LXIV., alias 52. illicitum esse probat Beneficia curam animarum habentia ambire, ac postulare, & plura de hac re explicat, & resolvit.

In LXV., alias 94. illicitum esse propugnat recipere aliquid ultra sortem ratione solius periculi, quod mutuo annexum sit, & plura de hac materia explicat, & resolvit.

In LXVI., alias 95. contractum, qui vulgo *Tres Contractus* dicitur, usurarium, & illicitum esse demonstrat.

In LXVII., alias 96. Thesim quamdam impugnat asserentem fornicationem simplicem non esse naturæ lege prohibitam.

In LXVIII. Emulorum quorundam criminationes diluit, qui propositiones aliquas a se in Theologia Dogmatica traditas, a Clero Gallicano proscriptas esse effutiebant.

In LXIX., alias 75. ostendit, in dubio, utrum res quæ præcipitur licita sit neminem teneri ad obediendum manente dubio; sed debere illud deponere, judiciumque suum superioris judicio submittere.

In LXX.

- In LXX., alias 76. ostendit, in dubio, utrum qui præcipit sit legitimus Superior, Regularem illi parere debere, quotiescumque præcipienti faveat communis, vel majoris, aut sanioris partis Regularium opinio.
- In LXXI., alias 109. Contractum quemdam, de quo fuerat interrogatus, injustum, & usurarium esse declarat.
- In LXXII., alias 70. Casus plures sibi propositos circa Usuras resolvit.
- In LXXIII., alias, 104. Ingenuam puellam, quæ a Juvene subintroducto vim passa, non clamasse, nec totis viribus restitisse convicta est, stupri ream censendam esse statuit, & probat.
- In LXXIV., alias 90. non licere Judici reum inebriare, ut ab eo confessionem criminis eliciat, pluribus ostendit.
- Enumeratis Epistolis accedunt varia Decreta Alexandri VII. Innocentii XI. Alexandri VIII. & Innocentii XII. quibus & errores Michaelis Molinos, & propositiones plures contra Sanam Moralem, & Ecclesiasticam Disciplinam vulgatæ proscribuntur, & damnantur. Finem tandem huic Tomo imponunt Mandatum Francisci de Salignac Archiepiscopi Cameracensis, & Epistola Pastoralis Nicolai Colbert Archiepiscopi Rothomagensis, qua libellum quemdam a Patre Buffiero Societatis Jesu vulgatum damnat, erroresque in eo contentos impugnat.

Q U A R T U S T O M U S

Duobus Tractatibus concluditur, de Decalogo videlicet,
& de Oratione.

Primus Tractatus in duodecim capita dividitur. Capite primo P. Natalis de Lege primum in universali, dein de Lege Æterna, & Naturæ, Scripta, & Tradita, Divina, & Humana, Canonica, & Civili fuse differit; Veterisque Mosaicæ Legis ab Evangelica discrimen pluribus statuit; regulas deinde quinquagintatres assignat, quibus ea omnia, quæ circa Legislatoris auctoritatem, Legis promulgationem, & acceptationem, Consuetudines, Privilegia, exemptiones, percriptiones, personas, quas obligant, & tempora, quibus obligant, in controversiam venire possunt, accurate resolvit, & enucleat. Capite secundo per octo articulos ostendit, omnia Legis Naturæ præcepta in solo Decalogo contineri, ad eorum observantiam Christianos teneri; motivaque omnia, quæ nos ad eorundem observantiam excitare debent erudite exponit, & demum ex sola Dei dilectione observanda esse demonstrat. Capite tertio primum Decalogi præceptum explicat. Deum fide, spe, & charitate colendum esse ostendit. Quid sit Religio, circa quod versetur, qui sint actus interni Religionis, qui externi; quid sit adoratio, & quot cultus religiosi species; quid sit Sacrificium, quid Votum erudite exponit, & declarat. Cultum Sanctorum, Reliquiarum honorem, Imaginum venerationem huic præcepto non repugnare demonstrat, regulasque plures circa Sanctorum cultum distinctis articulis exponit. Plures pariter regulas circa fidem, spem, & charitatem tum Dei, tum Proximi; circa Religionem, & peccata Religioni opposita, Divinationem scilicet, Magiam, Sortilegia, Maleficia, Sortes, aliasque id generis superstitiones; circa Vota, eorumque obligationem, dispensationem, commutationem, validitatem, & invaliditatem, distinctis articulis tradit, & explicat, casusque omnes, qui in hisce materiis possunt occurrere erudite discutit, & resolvit. In reliquis novem Capitibus accuratam, plenamque novem aliorum præceptorum cognitionem tradit, regulasque plures exhibet, quibus casus omnes circa præcepti cujusque materiam emergentes solvuntur, & elucidantur. In secundo Tractatu Orationis naturam, necessitatem, & utilitatem expendit: varios orandi gradus declarat, quænam a Deo sint petenda, pro quibus

quibus orandum, quas conditiones habere debeat Oratio, quis sit Orationis locus, quæ reverentia Templis debita, fuscè disserit, & demum excellentiam Orationis Dominicæ pluribus demonstrat, ejusque Proemium, & Petitiones distinctis articulis explanat.

Hos Tractatus sequuntur Epistolæ triginta quinque, quibus plura ad sanam Decalogi intelligentiam opportuna tradit, & explicat.

- In prima igitur, quæ in novo ordine LXXV. est, & alias 15. ostendit corda nostra sola charitate ad Deum erigi, veritatemque hujusce propositionis ab emuli cujusdam obtrectatoris calumniis, & argumentis vindicat.
- In LXXVI., alias 50. docet in Sanctorum invocatione spem in solo Deo collocandam esse, exponitque, quo sensu B.V. Maria spes nostra salutetur.
- In LXXVII., alias 51. de obligatione disputat iterandi frequenter actus divini Amoris.
- In LXXVIII., alias 53. propositionem quamdam a se assertam, nimirum graviter peccare eos, qui cum peccati lethali affectu Dominicis Festisque diebus Missam audiunt, ab argumentis cujusdam Critici eam novitatis, & nimii rigoris insimulantis, vindicat, pluribusque rationibus confirmat.
- In LXXIX. alias 63. casus plures circa Juramentum, Perjurium, ac Restrictiones mentales ab Amico sibi propositos solide, eruditeque resolvit.
- In LXXX, alias 93. ostendit, Parentes, qui secundo nupserunt non posse filiis ex secundo Toro susceptis pinguorem hæreditatem, quam filiis ex priore Matrimonio genitis tuta conscientia relinquere.
- In quatuor sequentibus nimirum LXXXI., alias 97. : LXXXII., alias 98. : LXXXIII., alias 99. : LXXXIV., alias 100. plura ad juramentum spectantia resolvit, & erudite explicat.
- In LXXXV., alias 101. propositionem quamdam impugnat Amadei Guimennii, qua assererat, posse subditos justa tributa Principibus non solvere.
- In LXXXVI., alias 102. modum tradit, quo consuetudines non tantum inutiles, & superflue, sed etiam pravæ, & vitiosæ aboleri possint.
- In LXXXVII., alias 105. disputat, an bonorum temporalium invasorem, & raptorem, in aliquo casu occidere liceat, suamque sententiam quam in Theologia docuerat ab argumentis Critici cujusdam Censoris tueri, & vindicat.
- In LXXXVIII., alias 92. recentiorum quorundam errorem, Deum verbis equivocis uti posse, & aliquando usum esse, asserentium, validis rationibus impugnat, & evertit.
- In LXXXIX. alias 33. probat Regulares Superiores ex officio teneri, Religiosos non solum fugitivos, & apostatas, sed etiam ab Ordine ejectos, & peremptorio judicio exclusos, quotannis requirere, & ad Ordinem revocare, illosque redeuntes suscipere.
- In XC., alias 62. respondet Amico ab ipso sciscitanti, utrum Episcopus jubere possit, ut Novitia, quæ in Monasterio sibi subdito a majori Capituli parte rejecta est, ad professionem admittatur, & negative resolvit.
- In XCI., alias 64. de professione cujusdam Monachi agit, quam, etsi irritam, & nullam agnoscat, ipsum tamen coram Deo obligare pluribus propugnat.
- In XCII., alias 65. Religioso rescribit, pluribusque rationibus persuadet, licitum ipsi esse ad austeriorem Ordinem sine impetrata sui superioris licentia transire.
- In XCIII., alias 66. disputat utrum liceat Monialibus ad arctiorem Ordinem transire, & qua ratione id liceat, ostendit.
- In XCIV., alias 67. Amico ab ipso quærenti, utrum Novitius, qui expleto probationis anno cum licentia suorum Superiorum in paterna domo moratus fuerat, ut ex morbo difficili, & diuturno convalesceret, posset absque alia probatione ad professionem admitti, affirmative respondet.

In XCV.

- In XCV, alias 68. Religioso Viro ipsum consulenti declarat, an & quomodo, & in quibus circumstantiis transitus ab austeriori Ordine ad mitiorem licitus sit.
- In XCVI., alias 69. Interrogatus per litteras, utrum Religiosi viventes in Monasteriis, in quibus regularis disciplina relaxata est, teneantur ad alia Monasteria, in quibus viget regularis disciplina transire; aut abstinentiam, & jejunia, eaque omnia, quæ exteriorem victum, & vestitum, communemque conversationem spectant, seorsim observare, utrumque negative resolvit.
- In XCVII., alias 71. fuse, & erudite probat, Superiorem Regularem peculiis usum subditis suis permittere non posse, modisque omnibus eniti debere demonstrat, ut proprietates quæcumque a Religioso eradicentur.
- In XCVIII., alias 72. largitiones munerum sine Superioris licentia Regularibus quibuscumque vetitas esse probat, pluresque casus hac de re resolvit.
- In XCIX., alias 77. consilium Prælo suggerit, ut Monialibus, quæ reformationem salutarem suscipere nolunt, tamdiu prohibeat, ne Novitias recipiant, donec Monasterium ad regularem observantiam redactum fuerit.
- In C., alias 78. casum resolvit de Novitio, qui summam octo millium librarum mense decimo probationis Conventui dederat, & ante professionem mortuus erat; hanc summam a Conventu parentibus esse restituendam probat.
- In CI., alias 79. casum alterum de hac materia resolvit.
- In CII., alias 54. Missionario Apostolico rescribit, nullo prætextu licere Christianis inter Paganos degentibus, eorum sacrificiis, ritibus, vel ceremoniis ministrare, idque pluribus probat.
- In CIII., alias 56. de Virga divinatoria disputat, eaque utentes lethale peccatum incurrere, nec absolvi debere, nisi huic superstitioni renunciaverint, pluribus probat.
- In CIV., alias 57. demonstrat, eum qui Horas Canonicas, ad quas tenetur Missæ tempore persolvit, præcepto de Missa audienda satisfacere; eum vero, qui peccata tali tempore Sacerdoti confitetur, non satisfacere probat.
- In CV., alias 58. quæstionem ab Amico sibi propositam agit, utrum Mulier, quæ pro Marito, vel alio fidejussit, restituere teneatur, an res suas abscondere tuta conscientia possit.
- In CVI., alias 59. discutit, an filius-familias, vel ejus pater, aut hæredes restituere teneantur, quæ ipse filius-familias, dum sub paterna potestate erat, mutuo accepit.
- In CVII., alias 60. Amico ipsum roganti exponit, qua ratione alienæ rei possessor sive bonæ, sive malæ fidei ad restitutionem fructuum teneatur; qua occasione plura de hac materia explicat, & resolvit.
- In CVIII. Presbytero de restitutione raptorum ipsum consulenti, respondet, non satis esse raptori ad veniam, & absolutionem obtinendam tantumdem reddere, quantum rapuit, sed debere etiam violentiam, & injuriam in rapiendo compensare.
- In CIX., alias 103. Mendacium sine duplicitate cordis nullum esse ostendit. Hisce Epistolis additur censura & declaratio Conventus Cleri Gallicani, qua propositiones plures tam in materia fidei, quam morum propria quadam, & speciali censura sigillatim perstringuntur, & damnantur. Accedit etiam Mandatum Cardinalis de Noailles, qua prædictam Censuram Parisiis, & in tota Diœcesi promulgari jubet. Coronidem tandem universo huic operi imponit Concionarius Index, in quo argumenta ad Conciones sacras in quibuslibet Dominicis, & Festis totius anni secundum ordinem Evangeliorum instituendas, accommodata traduntur, & conceptus omnes morales, qui in hac Theologia Dogmatica, & Morali continentur, quique Concionibus inservire possunt proponuntur, & denotantur.

Ne ordo Epistolarum in aliis editionibus statutus omnino excidat, utrumque ordinem, veterem, & novum Epistolarum hic apponere optimum duximus.

P. NATALIS ALEXANDRI

Epistolarum Moralium ordo novus cum antea vulgato comparatus.

<i>Ord. nov.</i>	<i>Ord. anti.</i>	<i>Ord. nov.</i>	<i>Ord. anti.</i>	<i>Ord. nov.</i>	<i>Ord. anti.</i>
I.	41	XXXVIII.	21	LXXV.	2
II.	28	XXXIX.	14	LXXVI.	50
III.	42	XL.	22	LXXVII.	51
IV.	45	XLI.	24	LXXVIII.	53
V.	46	XLII.	26	LXXIX.	63
VI.	34	XLIII.	61	LXXX.	93
VII.	5	XLIV.	91	LXXXI.	97
VIII.	29	XLV.	32	LXXXII.	98
IX.	4	XLVI.	35	LXXXIII.	99
X.	31	XLVII.	36	LXXXIV.	100
XI.	6	XLVIII.	37	LXXXV.	101
XII.	7	XLIX.	38	LXXXVI.	102
XIII.	106	L.	81	LXXXVII.	105
XIV.	23	LI.	82	LXXXVIII.	92
XV.	44	LII.	85	LXXXIX.	33
XVI.	25	LIII.	86	XC.	62
XVII.	40	LIV.	88	XCI.	64
XVIII.	8	LV.	89	XCII.	65
XIX.	73	LVI.	87	XCIII.	66
XX.	74	LVII.	30	XCIV.	67
XXI.	2	LVIII.	27	XCV.	68
XXII.	3	LIX.	17	XCVI.	69
XXIII.	55	LX.	43	XCVII.	71
XXIV.	80	LXI.	47	XCVIII.	72
XXV.	13	LXII.	48	XCIX.	77
XXVI.	39	LXIII.	49	C.	78
XXVII.	83	LXIV.	52	CI.	79
XXVIII.	84	LXV.	94	CII.	54
XXIX.	11	LXVI.	95	CIII.	56
XXX.	12	LXVII.	96	CIV.	57
XXXI.	15	LXVIII.	107	CV.	58
XXXII.	16	LXIX.	75	CVI.	59
XXXIII.	9	LXX.	76	CVII.	60
XXXIV.	10	LXXI.	109	CVIII.	108
XXXV.	18	LXXII.	70	CIX.	103
XXXVI.	19	LXXIII.	104		
XXXVII.	20	LXXIV.	90		

P. NATALIS ALEXANDRI

*Epistolarum Moralium ordo antea vulgatus ad
novum redactus.*


<i>Ord. an.</i>	<i>Ord. nov.</i>	<i>Ord. an.</i>	<i>Ord. nov.</i>	<i>Ord. an.</i>	<i>Ord. nov.</i>
1	LXXV.	38	XLIX.	75	LXIX.
2	XXI.	39	XXVI.	76	LXX.
3	XXII.	40	XVII.	77	XCIX.
4	IX.	41	I.	78	C.
5	VII.	42	III.	79	CI.
6	XI.	43	LX.	80	XXIV.
7	XII.	44	XV.	81	L.
8	XVIII.	45	IV.	82	LI.
9	XXXIII.	46	V.	83	XXVII.
10	XXXIV.	47	LXI.	84	XXVIII.
11	XXIX.	48	LXII.	85	LII.
12	XXX.	49	LXIII.	86	LIII.
13	XXV.	50	LXXVI.	87	LVI.
14	XXXIX.	51	LXXVII.	88	LIV.
15	XXXI.	52	LXIV.	89	LV.
16	XXXII.	53	LXXVIII.	90	LXXIV.
17	LIX.	54	CII.	91	XLIV.
18	XXXV.	55	XXIII.	92	LXXXVIII.
19	XXXVI.	56	CIII.	93	LXXX.
20	XXXVII.	57	CIV.	94	LXV.
21	XXXVIII.	58	CV.	95	LXVI.
22	XL.	59	CVI.	96	LXVII.
23	XIV.	60	CVII.	97	LXXXI.
24	XLI.	61	XLIII.	98	LXXXII.
25	XVI.	62	XC.	99	LXXXIII.
26	XLII.	63	LXXIX.	100	LXXXIV.
27	LVIII.	64	XCI.	101	LXXXV.
28	II.	65	XCII.	102	LXXXVI.
29	VIII.	66	XCIII.	103	CIX.
30	LVII.	67	XCIV.	104	LXXIII.
31	X.	68	XCV.	105	LXXXVII.
32	XLV.	69	XCVI.	106	XIII.
33	LXXXIX.	70	LXXII.	107	LXVIII.
34	VI.	71	XCVII.	108	CVIII.
35	XLVI.	72	XCVIII.	109	LXXI.
36	XLVII.	73	XIX.		
37	XLVIII.	74	XX.		



THEOLOGIÆ
 DOGMATICÆ, ET MORALIS
 SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI
 Concilii Tridentini

LIBER PRIMUS.

DE FIDE, ET SYMBOLO.



CUM fides spiritualis ædificii sit fundamentum, indeque ex-
 ordium sumat Christianæ Religionis institutio, ab ea quo-
 que Theologia nostra exordium sumat necesse est. Hac
 enim duce ad cognitionem Dei, rerumq; divinarum accu-
 ratam pervenimus, ad quas humana ratio tam propria in-
 firmitate, quam congenitis ex primi hominis peccato, te-
 nebris impar cecutit, variisque erroribus implicatur, nisi
 fidei lumine collustretur. Hinc homines, qui solo lumine naturali Deum
 cognoverunt, & fide destituti, non sicut Deum glorificaverunt, *sine Deo*
in hoc mundo fuisse, Apostolus asserit. Hinc etiam S. Hilarius Lib. iv. De
Trinitate scribit: Non subeunt ingenia nostra in celestem scientiam, neque in-
comprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi Deo de se
credendum est, & iis, quæ cognitioni nostræ tribuit, obsequendum. Et. Lib. v.
A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit: quia nonnisi se auctore
cognoscitur.

Q U Æ S T I O I.

De Fide.

A R T I C U L U S I.

Quid sit fides?

FIDES vulgo definitur *Donum Dei, seu Virtus a Deo infusa, cujus lu-*
mine mens hominis illustrata, firmiter assentitur iis omnibus, quæ Deus re-
Nat. Alex. Theol. Tom. I. Definitio fi-
dei.

A

re-

2 Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Liber I.

revelavit, & nobis per Ecclesiam suam credenda proposuit, sive illa sacris Literis expressa sint, sive non sint.

Fides Dei donum.

I. Dicitur *Donum Dei*, qua in re cum ceteris Virtutibus Theologicis, Spe scilicet, ac Charitate, convenit, immo cum omnibus virtutibus infusis, ac donis Spiritus Sancti, quæ pariter Dei dona sunt. Fidem autem esse Dei donum, etiam quando charitatis consortio destituta est, dogma est Catholicum, Scripturæ sacræ testimoniis firmatum, Joannis VI. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Ad Romanos XII. *Alii datur fides in eodem Spiritu.* Ad Philippenses II. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ad Philippenses I. *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et Actuum XVI. de Lydia purpuraria dicitur: *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ a Paulo dicebantur.* Hinc Pelagianorum hæresim, asserentium, Fidem homini ex seipso esse, propriisque viribus sine Dei gratia Evangelicæ prædicationi consentire illum posse: & Semipelagianorum dicentium, Gratiâ interiorem non esse necessariam ad initium fidei, gravissimis argumentis confutarunt S. Augustinus Libro De Prædestinatione Sanctorum, & Epistola ad Vitalem, & S. Prosper in Libris contra Collatorem, in Responsis ad Capitula Gallorum, & ad Excerpta Genuensium. Utitur autem S. Augustinus ad hunc profligandum errorem invictissima probatione ex Ecclesiæ precibus petita, quæ pro infidelibus Deum orat, ut convertantur ad fidem, & pro eorum conversione gratias agit. Easdem hæreses damnaverunt Africana Concilia, & Arausicanum secundum, Canonibus V. VI. VII. & VIII. ac demum Tridentinum Sessione VI. Canone III. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit.*

Fidei Iumen.

II. Divino isto lumine mens hominis illustratur, quia *Si opertum est Evangelium, in iis, qui pereunt, est opertum; in quibus Deus hujus sæculi excavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu, (inquit Apostolus II. ad Corinthios cap. IV.)*

Fidei certitudo.

III. Eo lumine fit, ut mens hominis firmiter assentiatur iis, quæ Deus revelavit. Cum enim fides non sensuum experientia, non conjecturis, non ratione humana, sed Dei revelantis auctoritate nitatur, primæ scilicet, ac supremæ Veritatis, quæ nec fallere potest, nec falli, postulat in assentiendo firmitatem, quæ omnem prorsus hæsitacionem excludat. Quantumvis igitur sensui, vel rationi contraria videantur quæ fide suscipiuntur, illis tamen citra dubitationem assentiendum, & intellectus omnis in captivitatem redigendus est in obsequium Christi, apud quem non est difficile, nedum impossibile omne verbum. Hinc S. Basilius Sermone De vera ac pia Fide, ita fidem definit: *Fides est assentiens approbatio sine ulla hæsitacione de eorum veritate, quæ divino munere sunt proposita.*

2. Cor. 10.
Lucæ 1.

Firmitatem illam explicat magis Apostolus, fidem ita definiens Epistolæ ad Hebræos cap. XI. *Est autem fides sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium.* Dicitur enim substantia rerum sperandarum, quia assensus est adeo certus, ac firmus, ut eas res, quæ a nobis sperantur, etsi adhuc futuræ sint, & in expectatione positæ, perinde tamen, atque si præsentesset, jamque in rerum natura subsisterent, nobis exhibeat. Efficat enim, ut nihilo magis de mysteriis a sensu remotis dubitemus, quam si vel oculis

oculis conspecta, vel ratione comprehensa essent; immo de illis multo certiores simus, quam de his, quæ nobis sensuum experientia, vel ratione persuadentur. Dicitur *argumentum non apparentium*, id est, ostensio, & demonstratio rerum, quæ non videntur, quia eas tametsi obscuras, & invidentes, tam certo tamen oculis mentis nostræ repræsentat, quam si vel corporis oculis conspicerentur, vel humanæ scientiæ rationibus comprehensæ intelligerentur.

IV. Fides igitur non est opinio, non est æstimatio, quo modo eam desinebat *Petrus Abailardus*, quem propterea *S. Bernardus* graviter reprehendit, ac refellit Epistola cxc. seu Tractatu *De erroribus Petri Abailardi* in Concilio Senonensi damnatis, ad *Innocentium II.* Pontificem Maximum, cap. *xv.* *Abst*, inquit, *ut putemus in fide, vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum, & non magis totum, quod in ea est, certa, ac solida veritate subnixum, oraculis & miraculis divinitus persuasum, stabilitum, & consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria Resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quo minus, ipse postremo Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audeat dicere æstimationem, nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet? Scio, cui credidi, & certus sum, clamat Apostolus: & tu mihi subsibilas: Fides est æstimatio? Tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius. Sed Augustinus aliter. Fides, ait, non conjectando, vel opinando habetur in corde, in quo est, ab eo cujus est, sed certa scientia, acclamante conscientia. Abst ergo, abst, ut hos fines fides habeat Christiana. Academicorum sunt istæ æstimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil. Ego vero securus in Magistri Gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide definitio. „ Fides est, ait, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia, inquit, rerum sperandarum, non inanium phantasia conjecturarum. Audis substantiam, non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum, fixumque præfigitur; certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris: non est enim fides æstimatio, sed certitudo. Hæsitacionem igitur excludit prorsus omnem. Unde *S. Jacobus* Epistolæ cap. *i.* *Postulet autem, inquit, in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur.**

V. Ut ab opinione, & æstimatione, sic etiam a scientia fides discernitur: quia divinum illud fidei lumen rebus credendis perspicuitatem non affert. Est enim fides rerum, quæ non videntur. Unde rursus Apostolus *i. ad Corinthios XIII.* ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Hinc *S. Augustinus* Tractatu *xi.* in Joannem, explicans illa Christi verba, *Et cognoscetis veritatem*, ait: *Nonne veritatem, cognoverant, quando Dominus loquebatur. Si non cognoverunt, quomodo crediderunt? Non quia cognoverunt crediderunt, sed ut cognoscerent crediderunt. Credimus enim, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus. Quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid est enim fides nisi credere, quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere, veritas, quod credidisti videre.* Et Tractatu *LXXIX.* explicans hæc Christi verba, *Et nunc dixi vobis prius, quam fiat, ut cum factum fuerit credatis*, ait: *Quid est hoc, cum magis homo credere debeat, antequam fiat, id quod credendum est? Hæc est enim laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam quid magnum est, si creditur quod videtur, secundum illam ejusdem Domini sententiam, quando Discipulum arguit dicens: Quia vidisti, cre-*

Fidei ob-
scuritas.

Joan. 8. 33.

Joan. 14. 29.

Joan. 20.

didisti; beati, qui non vident, & credunt? *Et nescio utrum credere dicendus est quisque, quod videt. Nam ipsa fides, in Epistola, quæ dicitur ad Hebræos ita est definita: Est autem fides sperantium substantia, convictio rerum, quæ non videntur. Quapropter si fides est rerum, quæ creduntur, eademque fides earum est, quæ non videntur, quid sibi vult, quod Dominus ait: Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis? Nonne potius dicendum fuit, Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut credatis, quod cum factum fuerit videatis? Nam & ille cui dictum est, Quia vidisti, credidisti, non hoc credidit, quod vidit; sed aliud vidit, aliud credidit. Vidit enim hominem, credidit Deum. Cernebat quippe, atque tangebat carnem viventem, quam viderat morientem, & credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat per hoc quod sensibus corporis apparebat. Sed etsi dicuntur credi quæ videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse; non tamen ipsa est, quæ in nobis edificatur fides, sed ex rebus, quæ videntur, agitur in nobis, ut ea credantur, quæ non videntur. Quocirca quod Dominus ait, Et nunc dixi vobis, prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis: illud utique dicit, cum factum fuerit, quod eum visuri erant post mortem viventem, & ad Patrem ascendentem: quo viso illud fuerant credituri, quod ipse esset Christus Filius Dei vivi qui potuit hoc facere, cum prædixisset, & predicare antequam faceret: credituri autem hoc non fide nova, sed audita; aut certe cum mortuus esset, defecta, cum resurrexisset, refecta. Neque enim eum Dei Filium non ante credebant: sed cum in illo factum esset, quod ante prædixit, fides illa, quæ tunc, quando illis loquebatur, fuit parva, & cum moreretur pene jam nulla, & revixit, & crevit. Hinc denique vulgatum illud S. Gregorii Magni, Homilia xxvi. Quæ apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem... Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Ratio firmiter assentiendi veritatibus fidei est Dei revelantis auctoritas.

VI. Fide divina illis omnibus assentimur, quæ Deus revelavit, sive præterita sint, sive præsentia, sive futura: illisque firmiter assentiendi unica ratio est divina auctoritas. Et hac præcipue cogitatione munire se debet animus Christianus adversus omnem carnis cogitationem, quæ vel contraria suggerit, vel Religionis veritatem in dubium vocat; Dei voces esse quæcumque fides loquitur, ut docet Apostolus I. ad Thessalonicenses II. *Cum, inquit, accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut vere est, verbum Dei.*

Dogmata quæ Deus revelavit, per Ecclesiam credenda nobis proponuntur.

1. Tim. 6.

1. Tim. 3.

Hebr. 1.

Matth. 18.

Traditionis necessitas.

VII. Quæ autem Deus nobis revelavit, ea per Ecclesiam suam nobis credenda proposuit, ac proponit. Illi namque credidit depositum fidei, de quo Apostolus ad *Timotheum* scribens, ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Ejus definitiones oraculorum instar Fidelibus omnibus esse debent, cum sit *Columna, & firmamentum veritatis.* In ejus auctoritate acquiescendum est, cum a Christo gubernata, qui cum ea se futurum promisit, usque ad consummationem seculi, & a Spiritu Sancto perenniter illuminata, deficere, aut errare non possit. Igitur qui illam audit, Christum audit, & Spiritum Sanctum per eam loquentes: qui illam spernit, eique resistit, spernit Christum, & Spiritum Sanctum per eam loquentes: Deuse-nim, qui *multifariam multisque modis locutus est nobis in Prophetis, & novissime locutus est nobis in Filio,* nunc Filii sui verbum nobis proponit per *Ecclesiam,* quam proinde, *qui non audierit,* habendus est, ex Christi sententia, *ut ethnicus, & publicanus.* Hinc S. Augustinus Libro contra *Epistolam Manichæi,* cap. v. ait: *Ego vero Evangelia non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

VIII. Omnibus porro, quæ Deus nobis revelavit, & per Ecclesiam suam

credenda proposuit, per fidem assentimur, sive illa sacris Litteris expressa sint, sive non sint. Eorum enim, quæ credenda sunt, & ad Catholicæ Religionis dogmata pertinent, quædam in Scripturis Sacris diserte sunt expressa, cujusmodi sunt, Deum esse trinum, & unum, Filium Dei factum esse hominem, pro nobis mortuum esse, resurrexisse, in cælum ascendisse, mortuos omnes ad vitam excitandos esse, hominem ex aqua, & Spiritu Sancto in Baptismo regenerari, totum Christum in Eucharistia realiter contineri, & alia id genus Religionis nostræ veneranda Mysteria. Quædam non sunt diserte, & explicitè in Sacris Scripturis exarata, quæ nihilominus Fide divina credenda sunt, quia ex Apostolorum Traditione illa accepit Ecclesia; divinaque illa Dogmata, quorum fidelis custos est, ac Magistra, suis Christique alumni credenda proponit, cujusmodi sunt, Beatæ Mariæ Matris Dei Virginitas perpetua, Baptismus infantium, sacrarum Imaginum cultus, Librorum Scripturæ sacræ numerus, & illorum, quos præ manibus habemus, authentica veritas, ac divina inspiratio, signi Crucis in frontibus Christianorum religiosa, & salutaris impressio, &c.

A R T I C U L U S II.

Quibus fundamentis, ac principiis Fides nitatur?

Fides verbo Dei, ut principio, & fundamento unico nititur, quod inconcussum est, adeo ut ei falsum subesse non possit; quia *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Et impossibile est mentiri Deum.* Quamobrem, nec per se, nec per alios fallere, uti nec falli potest.

Num. 23.

Joann. 3.

Hebr. 6.

§. I.

Duplex Fidei principium, ac fundamentum Scriptura sacra, & Traditio.

I. Duplex est verbum Dei; aliud *scriptum*, aliud *traditum*. Scriptum, Veteris, Novique Testamenti Libris continetur. Traditum, ipsius Christi ore ab Apostolis acceptum, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditum, ad nos usque pervenit.

Verbum Dei duplex scriptum, & traditum.

Scriptura Sacra Traditionis necessitatem, Traditio Scripturæ veritatem ostendit. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (inquit Apostolus I. ad Timotheum III.) *Et, Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (inquit S. Petrus Epistolæ II. cap. I.) *Laudo vos, fratres* (inquit S. Paulus I. ad Corinthios XI.) *quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Quo ex loco S. Basilius Libro de Spiritu Sancto, cap. XXIX. colligit, *Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inherere.* Et S. Epiphanius Hæresi LXI. *Sed & Traditione quoque opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, Traditione alia Sanctissimi Apostoli reliquerunt.*

Traditionis auctoritas.

At item Apostolus II. ad Thesalonicenses cap. II. *Itaque, fratres, state; & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Ex quo loco S. Jo. Chrysostomus Homilia IV. in illam Epistolam, ait esse perspicuum, quod Apostoli *Non omnia tradiderunt per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna.* Quamobrem, inquit, Ec-

6 Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Liber I.

Iesæ quoque Traditionem censeamus esse fide dignam. Est Traditio: nihil quæras amplius.

De Traditionibus, earumque necessitate, & auctoritate uberrime disseruimus adversus veteres, ac recentiores Hæreticos Disertatione xvi. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi II. Sufficiat Ecclesiasticis Viris, qui in Seminariis erudiuntur, illud Sacri Concilii Tridentini Decretum, Sessione iv. *Sacrofancta Synodus Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes Libros tam Veteris, quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam, vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur.*

§. II.

Qui Libri sacri?

Canonico-
rum Scri-
pturæ sacræ
librorum
divisio.

II. Libri illi sacri sunt, ac divini, qui in Ecclesiæ Canone, ut sacri, divinique, sive ut genuini Scripturæ Sacræ Libri recensentur a *S. Hieronymo* in Epistola ad *Paulinum*, & in Prologo Galeato, *Innocentio I.* Pontifice Maximo in Epistola ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum, *S. Augustino* Libro II. de *Doctrina Christiana* cap. VIII. & Libro xv. de *Civitate Dei*, cap. xxv. Concilio Carthaginensi III. Canone XLVII. *Gelasio I.* in Concilio Romano, *Eugenio IV.* in Decreto pro instructione Armenorum, & Concilio Tridentino Sessione iv. numerosiores, & majoris auctoritatis Ecclesias, Romanam præsertim, Africanam, & universam Ecclesiam Occidentalem, apud quam Traditionis Apostolicæ depositum incorruptum servatum est, sequuto (ut de aliis Patribus, & Conciliis nihil dicam impræsentiarum.) Libri illi vocantur Canonici: quia in Ecclesiæ Canone recensentur, & in auctoritatem ab Ecclesia recepti sunt, tamquam inspirante Spiritu Sancto, ab hominibus Dei conscripti.

Alii sunt Legales, alii Historici, alii Prophetici, alii Morales.

Libri Legales Veteris Testamenti, sunt *Pentateuchus*, seu Libri quinque *Moyfis*, id est, *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*.

Historici, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*: quatuor *Regum*, duo *Paralipomenon*: *Esdrae* primus, & secundus, qui dicitur *Nehemie*: *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*: duo *Machabæorum*, primus, & secundus.

Prophetici sunt, *Psalterium Davidicum* centum quinquaginta *Psalmodum*; quatuor Prophetæ Majores, scilicet, *Isaias*, *Jeremias* cum *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*: & duodecim Prophetæ Minores, scilicet, *Osee*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nabum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*.

Morales sunt, *Proverbia Salomonis*, *Ecclesiastes*, *Canticum Canticorum*, *Liber Sapientiæ*, & *Ecclesiasticus*.

Legales Novi Testamenti sunt quatuor *Evangelia*, secundum *Matthæum*, *Marcum*, *Lucam* & *Joannem*.

Historicus est Liber *Actuum Apostolorum*, a *Luca* Evangelista conscriptus.

Propheticus unicus est, scilicet *Apocalypsis Joannis Apostoli*.

Morales sunt, quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli: *Ad Romanos*, *duæ ad Corinthios*, *ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Philippenses*, *ad Colossenses*, *duæ ad Thessalonicenses*, *duæ ad Timotheum*, *ad Titum*, *ad Philemonem*, *ad Hebræos*: *Petri Apostoli duæ*: *Joannis Apostoli tres*: *Jacobi Apostoli una*: *Judeæ Apostoli una*.

Si quis autem Libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus prout in

Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit, & Traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, Anathemate percussit a Concilio Tridentino Sessione IV.

§. III.

Scripturæ Sacræ Versiones.

III. Sacrorum Librorum, plerique Hebraice, quidam Chaldaice, alii Græce scripti sunt. Eorum, qui Hebraice sunt scripti, plures editæ sunt Versiones: omnium celeberrima fuit, Ecclesiæque veteris usu consecrata Versio Græca Legis, & Prophetarum a LXX. Interpretibus adornata. Omnium Veteris, Novique Testamenti Librorum plures etiam Versiones Latinæ factæ sunt. Celeberrima est ea, quæ *Vulgata* nuncupatur, qua tota Ecclesia Latina utitur. Hanc Versionem, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habendam, Concilium Tridentinum statuit, ac declarat; & ut nemo illam rejicere quovis pretextu audeat, vel presumat: quo Decreto non derogat fontibus Hebraicis, & Græcis, ex quibus Vulgata illa Versio expressa est; sed ceteris Versionibus latinis anteponendam, solamque inter eas declarat authenticam, ut proinde ex Scriptura Sacra secundum illam Versionem Fidei controversiæ dirimi, hominumque mores in Christianæ Legis disciplina informari valeant.

Latina versio vulgata, authentica.

§. IV.

Scripturæ Sacræ interpretatio.

IV. Ad Scripturæ Sacræ intelligentiam, & interpretationem non sufficit privatus cujusque hominis spiritus. Solo enim Spiritu Dei haberi potest intelligentia verbi Dei: Spiritus autem Dei sibi ipsi contrarius esse non potest. Porro contrarios sensus testimoniis sacrarum Scripturarum in gravissimis Fidei controversiis attribuunt Catholici, & Hæretici: ipsique Hæretici, pro suæ quisque causæ studio, varios, & repugnantes sensus eidem Scripturæ loco affingunt: quam ergo ratione verus, ac legitimus a falso, & peregrino discerni poterit? Lutheranus perinde ac Calvinista Spiritum Dei se habere gloriabitur. Socinianus æque ac Catholicus. Et quis probabit spiritus, si ex Deo sint? Quinam erit controversiarum finis, nisi ad Ecclesiam deferantur, quæ visibilis est (talem enim judicem esse oportet) Christi que auctoritate donata, & Spiritus Sancti lumine nunquam ipsi defuturo illustrata? Certe si in Republica cuique Leges interpretari proprio judicio non licet, sed si quid in illis occurrit ambiguum, atque obscurum, publica auctoritate illud exponi necesse est, licebitne in Ecclesia privato judicio Scripturam divinam, Dei que Legem exponere? Absit. Judex itaque controversiarum Fidei, sensusque veri, ac genuini Scripturæ Sacræ, est Ecclesia. Hoc vero in judicio Regulam aliquam sequatur oportet, eamque plane divinam. Regula illa non est sola Scriptura Sacra, de cujus sensu controversia frequenter movetur: Traditio igitur in subsidium accedit, Ecclesiæque judicat de Fidei controversiis secundum doctrinam, quam ipsa ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit, ut loquitur Tertullianus. Hinc Christiani Antiocheni orta controversia de necessitate Circumcisionis, & cæremoniarum Legis Mosaicæ, non privato spiritu discreverunt veritatem prædicationis Pauli,

Ad Scripturæ sacræ interpretationem non sufficit privatus cujusque spiritus

8 Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Liber I.

& Barnabæ, negantium esse necessarias ad salutem, a sententia Phariseorum recens converforum ad Fidem, qui id afferebant: sed ad Apostolos, & Seniores hanc referri controversiam necesse fuit, quorum iudicio in Concilio Hierosolymitano finita est, (Actorum xv.)

Obscuro ergo Scripturæ loci per alios Scripturæ locos clariores, & secundum Traditionem, sensumque Ecclesiæ sunt explicandi, ac religiose servanda est Regula a sacra Synodo Tridentina præscripta, Sess. iv. decernentes: *Ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sacrarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in licentiam edende forent.*

S. V.

Unde Traditio innotescit?

V. Ecclesiasticam Traditionem nobis manifestant vel concursus Patrum Apostolica Traditio in Ecclesia Romana semper conservata. Doctrina, qui uno consensu, aperte, frequenter, perseveranter, idem docuerunt, & credendum Christianis tradiderunt, ut loquitur Vincentius Lirinensis in Commonitorio: vel Ecclesiæ oracula, quorum alia edita sunt a Romanis Pontificibus controversias Fidei finientibus ex Romanæ Ecclesiæ omnium Maxime, & antiquissimæ sensu, in qua ea, quæ est ab Apostolis Traditio, & annuntiata hominibus fides per successiones Episcoporum pervenit usque ad nos. Ad hanc etiam Ecclesiam, propter potentioris principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam hoc est eos, qui sunt undique Fideles, in qua semper conservata est ea quæ est ab Apostolis Traditio, ut loquitur S. Irenæus Lib. III. adversus Hæreses, cap. III. Alia vero a Conciliis Generalibus in Spiritu Sancto legitime congregatis, quæ sunt Representations totius nominis Christiani: quorum quidem tanta est auctoritas in Fidei controversiis dirimendis, convocante, præside, & confirmante Romano Pontifice, quem, ut caput membris venerando cætui suo præfuisse Chalcedonensis Concilii Patres ad S. Leonem scribentes testantur, ut S. Gregorius Magnus ea se sicut quatuor Evangelia venerari, & suscipere sit professus Lib. 1. Epist. xxiv. Quia, inquit, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arii Dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, & Macedonii error vincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas iudicatur: Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur; tota devotione complector, integerrima approbatione custodio. Quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ Fidei structura confurgit, & cujuslibet vitæ, atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror... Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, Anathema sit. Hæc S. Gregorius de Conciliis Generalibus ad sua usque tempora celebratis. Ceterorum porro, sive in Oriente, sive in Occidente deinde celebratorum,

par

Regula in Scripturæ sacre interpretatione servanda.

Apostolica Traditio in Ecclesia Romana semper conservata.

Tertullianus.

Concilio-rum generalium auctoritas.

De Fide, & Symbolo. Art. III.

9

par est auctoritas, in Dei verbo fundata, Matth. xviii. Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ego in medio illorum sum. Et Actuum xv. ubi Apostoli in Concilio congregati ajunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

A R T I C U L U S III.

De Fidei necessitate ad salutem.

§. I.

I. **F**idem ad salutem consequendam esse necessariam, nemo jure dubitabit, cum scriptum sit ad Hebræos ix. *Sine Fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Christi etiam Domini aperta sententia est (Marci ult.) *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et Joannis iii. *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Hinc Clemens Alexandrinus Lib. vii. *Stromatum*, Fidem vocat, *primam ad salutem inclinationem*, S. Cyrillus Alexandrinus lib. iv. in Joannem ipsam appellat *januam, & viam vitæ.* S. Hieronymus in cap. iiii. Epistolæ ad Galatas, ipsam nuncupat *principium, & originem fiduciæ, & accessus ad Deum.* S. Augustinus Lib. *De Prædestinatione Sanctorum* cap. vii. donum Dei, quo cetera impetrantur: *Ex Fide (inquit) dicit, Apostolus, justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur.* Ipsam item vocat *initium hominis Christiani*, Libro *De Dono perseverantiæ*, cap. ii. *Quod enim est, inquit, initium verius Christiano, quam credere in Christum?* Fidem denique spiritualis ædificii fundamentum appellat Sermone xxvii. alias *De verbis Apostoli* xv. cap. i. *Domus Dei (inquit) credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Per Fidem autem nos justificari dicit Apostolus, *Quia Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis;* ut explicat Concilium Tridentinum Sessione vi. cap. viii.

Fides humanæ justificationis, & salutis initium.

Rom:

Eandem veritatem ratio ipsa confirmat, suæ tenuitatis, imbecillitatis, ac infirmitatis conscia, qua ad res divinas cognoscendas extollere se non potest, nisi supernaturali lumine collustrata, Deique auctoritate freta. Unde S. Augustinus Lib. *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. ii. ait: *Quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum, vitiatorumque velantur, perspicuitati sinceritatisque rationis aspectum idoneum intendere nequeunt; saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacatam inducat auctoritas.*

Humane rationis imbecillitas.

§. II.

Fides ad salutem necessaria, non est singularis fiducia, qua quis credit sibi remissa esse peccata, aut se esse prædestinatum ad vitam æternam.

Dogma Fidei est, fidem justificantem non esse singularem fiduciam de remissione peccatorum, aut prædestinatione sua.

II. Fides porro, quæ necessaria est ad salutem, non est fiducia de singulari Dei misericordia, qua sibi quisque promissiones divinas de remissione peccatorum applicet, aut qua certo credat sibi remissa esse peccata, vel se esse in numero Prædestinatorum: sed assensus præstitus omnibus, quæ sunt a Deo revelata. Fiducia enim illa, qua quis credit, & certissime confidit sibi remissa esse peccata, tantum abest, ut verbo Dei præcipiatur, ut e con-

tra.

tra verbum Dei diserte doceat esse semper de remissione peccatorum, & de salute æterna timendum, nec de ea, citra revelationem singularem nos unquam futuros esse posse certiores. Job IX. *Etiam si simplex fuero; hoc ipsum ignoravit anima mea.... Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Job sanctissimus vir, quem non reprehenderat cor ejus in omni vita; metuere se tamen significat. At si Fides ipsum de justitia sua, & prædestinatione certum fecisset, nefas illi fuisset ea de re dubitare. Sed & David, cui Deus peccatum dimiserat, se nihilominus coram Deo occultorum forsitan delictorum esse reum declarat, Psalm. XVIII. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Id autem non solum frustra, sed & falso dixisset, si peccata quæcumque sibi remissa credidisset. Idem rursus docet Spiritus Sanctus Proverb. xv. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Ecclesiastici v. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum supra peccatum, & ne dicas: Misericordia Domini magna est, & multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Et cap. IX. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, an amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo, & impio.* Et Apostolus I. ad Corinthios IV. ait: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.*

Fidem, quæ ad salutem, & ad justificationem necessaria est, non esse singularem illam fiduciam, qua quis certo credat sibi remissa esse peccata, aut se esse in numero Prædestinatorum ad vitam æternam, docet, ac definit Concilium Tridentinum contra Calvinianos Hæreticos Sessione VI. cap. IX. & Canonibus XII. XIII. XIV. XV. & XVI. quorum hic est tenor.

Si quis dixerit, Fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur: Anathema sit.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hesitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis peccata sibi esse remissa: Anathema sit.

Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se absolvi, ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici: Anathema sit.

Si quis dixerit, hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum: Anathema sit.

Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit: nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, Anathema sit.

Justis quidem moralis interdum inest certitudo, quod in statu gratiæ sint; sed cum illa probabilibus dumtaxat conjecturis innixa sit, ad fidem divinam non pertinet, quæ hæitationem, & formidinem prorsus omnem excludit. Hoc sensu intelligenda sunt sequentia Apostoli loca. Ad Romanos VIII. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod Filii Dei sumus... Certus sum quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* I. ad Corinthios II. *Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.* II. ad Corinthios I. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia conversati sumus in hoc mundo.* Et cap. XIII. *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide. Ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis.*

Ad Fidem
divinam
non pertinet
moralis
certitudo.
quæ interdum
justis
inest, quod
in statu gratiæ
sint.

Testimonium illud scilicet, quod Spiritus Sanctus justis reddit, quod filii Dei sint, quandoque per bonæ voluntatis conscientiam innotescit, quæ de nullo nos crimine, aut affectu peccandi reprehendat; & ex fiducia ad Deum, quæ bonæ conscientia fructus est, secundum illud 1. Joannis 111. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Item ex studio honoris Dei, ex lubenti cognitione, & auditu rerum divinarum, & ad vitam secundum Deum instituendam spectantium, ex tranquillitate, & serenitate animi, cum interna consolatione, quæ Baptismum, & Pœnitentiæ Sacramentum sincero corde susceptum consequi solent, ex clamore denique, seu oratione devota ad Deum, affectuque tenero, quo Pater appellatur, conjicere possumus. Hos enim motus a Spiritu Sancto in nobis habitante effici, verisimillimum est. Verum quia sæpe de se ipsa mens hominis sibi mentitur, & quandoque fit, ut his prope similes motus, & affectus etiam illi sentiant, qui justis non sunt, ut nempe & Deum Patrem vocent, & quadam cordis teneritudine sermones de Deo, rebusque divinis non illubenter audiant, & suavitatem quamdam experiantur, quæ lachrymas etiam elicit; & cum offusæ tenebræ, quæ ipsum impediunt hominem, ne peccata sua cognoscat, malefanam aliquando pariant conscientia tranquillitatem: illi motus æquivoca signa sunt, & quandoque fallacia. Unde Spiritui Sancto his signis testimonium nobis perhibenti, quod filii Dei simus, fidem adhibere teneremur, si certum haberemus, illa esse a Spiritu Sancto. At cum id obscurum maneat, non possumus, nec debemus certo credere nos esse filios Dei signis illis suffragantibus: sicut credere debemus, & teneremur, si expressum testimonium per revelationem haberemus, par illi, quod per Prophetam Deus reddidit Davidi, dicentem: *Transstulit Dominus peccatum tuum a te: & per Christum Magdalenæ, Remissa sunt ei peccata multa: & Paralytico, Remittuntur tibi peccata tua*.

Hæc loci alterius Apostolici verba, *certus sum*, non designant certam animi persuasionem, quæ fallere non possit, sed conjecturalem, quæ signis illustribus innitatur. Hoc sensu vox illa *certus* usurpatur cap. xv. ejusdem Epistolæ: *Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione*. Hoc sensu interpretati sunt Græci Patres, de fiducia scilicet vehementi. Et hæc quidem responsio valeat, si Apostolus in propria persona locutus esse videatur, & justos quoque eadem confidentia dicere posse putemus: *Certus sum, &c.* At si Apostolum certitudinem fidei intellexisse cum S. Augustino censeamus, dicendum est, ipsum in persona propria, aut singulorum Justorum non loqui, sed totius generis Prædestinatorum, quibus ex maxima fiducia se adjunxit, quod signa illustria prædestinationis in se conspiceret. Loqui autem Apostolum de toto electorum genere, verba illa, quæ præmisit, ostendunt: *Quis accusabit adversus Electos Dei?* Cum autem ait: *Nulla creatura poterit nos separare a charitate Dei*, Charitatem non intelligit, qua Justis, & Electi Deum diligunt, quasi ab ea excidere nunquam possint, sed charitatem æternam, qua Deus Electos suos complectitur, ad eorum vocationem, justificationem, glorificationem; de quibus antea fuerat locutus, consummandam; cujus charitatis tanta vis est, & immutabilitas tanta, ut nulla prorsus creatura nos ab ejus sinu divellere possit, faciendo, ut ille nos amare desinat, aut ut illius erga nos amorem frustretur eventus.

Tertius locus ex 1. ad Corinthios secundo capite, de Fidelibus, aut justis omnibus non loquitur, sed de Apostolis, de quibus præmiserat: *Sapientiam loquimur inter perfectos; Sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est abscondita*. Et, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, &c.* Et, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est*. Nec

Unde innotescat testimonium Spiritus Sancti, quod filii Dei sumus?

2. Reg. 12.
13.
Luc. 7.
Luc. 5.

Rom. 8.33.

etiam

etiam de omnibus, & singulis Dei donis, sed de mysteriis arcano Dei consilio præparatis, & exhibitis, atque deinceps exhibendis toti Electorum societati, locus hic intelligendus est: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, &c.* Id est, sapientia sæculi non sumus instituti, ut sciamus, quæ sæculi sunt, sed Spiritum Dei accepimus, quo revelante divina Mysteria cognoscimus, redemptionem, justitiam, salutem, & gloriam Electorum spectantia. Quæ omnia gratis donavit, & ab æterno præparavit Deus diligentibus se. *Quæ & loquimur, inquit, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus.*

Quarto loco, scilicet II. ad Corinthios I. non loquitur Apostolus de justitia, aut gratia sua, sed de sinceritate, qua Munus Apostolicum hucusque gesserat, ac deinceps gerere pergebat. Itaque suæ conscientiæ testimonio fretus in Domino gloriabatur, quod sapientiæ sæcularis adminiculo usus non fuisset, sed a gratia Dei, id est, a gratuita, & omnipotenti Dei operatione, miracula per eum facientis, & plurimos ad credendum Evangelio, cuius erat Minister, occulte, & admirabiliter trahentis, fructum prædicationis suæ expectans, Apostolico Munere perfunctus esset. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis, & cognovistis.*

Quintus denique locus ex cap. XIII. non probat hominem justum certo scire se esse filium Dei, & Christum inhabitantem in se habere. Enim vero cum Corinthios admoneat Apostolus, ut se ipsos probent, ac tentent, sintne in Fide, per quam Christus in illis inhabitet, ea de re certi non erant. Quod enim certum est, probatione, & experimento nullo eget. At neque postquam seipsum probavit quisque, de Christi in se ipso inhabitatione absolute certus est, sed conjecturali tantum, & probabili cognitione id novit; signis subobscuris persuasus. Quamquam non de singulis Fidelibus ibi loquitur Apostolus videtur, sed de tota, ad quam scribit, Corinthiorum Ecclesia. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis.*

A R T I C U L U S IV.

Nullum opus æternæ vitæ meritorium sine fide fieri potest. Nec tamen omnia opera infidelium sunt peccata.

CUM sine fide impossibile sit placere Deo, fidesque sit ad salutem æternam consequendam necessaria, ut Articulo superiori probatum est: hinc sequitur, nullum opus æternæ vitæ meritorium sine fide fieri posse. Non tamen omnia infidelium opera peccata sunt. Ut enim docet Apostolus ad Rom. II. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quem quidem Apostoli locum licet quandoque Patres de Gentibus ad fidem conversis interpretati sint, illum tamen nonnunquam de Gentibus in infidelitate manentibus exposuerunt, ac de his legitime exponi posse declararunt Summi Pontifices S. Pius V. & Gregorius XIII. cum hanc Michaelis Baii propositionem proscripserunt: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos secundo: Gentes quæ legis sunt naturaliter faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Ex hoc porro testimonio perspicuum est, homines sine fide quædam legis divinæ præcepta adimplere. At nemo dixerit, opera, quibus præcepta legis adimplentur, esse peccata. Non omnia itaque infidelium opera sunt peccata.

Michaelis
Baii propo-
sicio dam-
nata.

Id ex hoc ipso Apostoli loco S. *Augustinus* confirmat Libro *De Spiritu, & Littera*, cap. xxvii. *Si autem* (inquit) *hi, qui naturaliter quæ Legis, sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justeque colentium, quedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus: quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur. Verumtamen quia non usque adco in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere: si hoc est, quod dictum est, quia Gentes, quæ legem non habent, hoc est, Legem Dei, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, & quia hujusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, idest, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat a Vetere Testamentum Novum, eo quod per Novum scribitur Lex Dei in corde Fidelium, quæ per Vetus in tabulis scripta est. Hoc enim illic scribitur per renovationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem.* Porro si quædam infidelium opera secundum justitiæ regulam merito laudantur, bona profecto sunt, non solum officio, sive secundum substantiam, sed etiam ratione finis. Vix quidem inveniuntur quæ recto fine fiant, si diligentius discutiantur: sed tamen inveniuntur aliqua, quæ ob finem honestum, recteque rationi, & legi naturali, sive reliquiis imaginis Dei in animis eorum non omnino detritis, convenientem aliquando fiant.

Quædam infidelium opera secundum justitiæ regulam merito laudantur?

Præterea, varia infidelium opera in Sacra Scriptura maxime laudantur, quæ sane si mala fuissent, nullam laudem promererentur. *Exodi* cap. i. laudantur obstetrices *Ægyptiæ*, quod contra Pharaonis mandatum Hebræorum masculos non interfecerint, sed eos pio quodam affectu servaverint; cujus quidem pietatis mercedem temporalem ipsas a Deo recepisse Scriptura testatur: *Quia timuerunt obstetrices Deum, edificavit illis domos.* *Æquo* etiam animo dici non potest peccasse *Abimelech* reddendo *Abrahæ* *Saram* uxorem ejus intactam, & salvum conductum eis præbendo, & munera largiendo. Quod quidem factum summo opere prædicat S. *Ambrosius* Lib. i. *De Abraham*, cap. ii. Quis etiam dixerit, peccasse, *Cyrum*, & *Darium* Reges *Perfarum*, cum Templum Domini Hierosolymis instaurari curarunt? (*II. Esdræ* II. & VI.) Quis *Assuero* crimen imputer, quod *Mardocheum* exaltaverit, *Aman* vero justo supplicio affecerit? (*Esther* VI. VII. & VIII.) Quis *Galaaditis* vitio vertat, quod *Davidi*, & ejus exercitui munera dederint, & cibos suppeditaverint, cum ad id officii ipsi exhibendum impulsæ fuerint honesto dumtaxat affectu, quia nimirum suspicati sunt populum fame, & siti in deserto fatigari? (*II. Reg.* xvii.) Quis humanitatis officium Apostolo *Paulo* a Barbaris exhibitum damnet, cum in Scriptura plurimum commendetur? (*Act.* xxviii.) Quis denique infideles peccare dixerit, cum parentes colunt, amicos diligunt, fratres salutant? (*Matth.* v.)

Sed & S. *Augustinus* Epist. cXLIV. alias cxxx. laudat *Polemonis* Ethnici continentiam, donumque Dei fuisse docet, quamvis illi tantum ad presentis vitæ honestatem non ad futuræ immortalitatem valuerit.

Et Epist. cLxv. alias xcix cap. ii. scribit, Infidelium plurimos, excepto Dei cultu, in quo erraverunt, colentes vana, & creaturæ potius, quam Creatori fervientes, In ceteris moribus parsimonie, continentie, castitatis, sobrietatis, mortis pro patriæ salute contemptus, servatæque fidei non solum civibus, verum & hostibus, imitandos merito proponi. Opera porro, quæ imitan-

tanda merito proponuntur, nemo nisi insipiens peccata esse dixerit.

Præterea Lib. *De Gratia Christi*, cap. xxiv. disertè docet, lenitatem Regis *Assueri* in Judæos ex interiori Spiritus Sancti impulsu fuisse, & motum bonæ voluntatis: indeque probat, *Deum interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate, operari in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*. Quis vero ita demens est, ut bonæ voluntatis motum, & fœtum Spiritus Sancti, peccatum ullo modo esse dixerit?

Denique Libro *De Spiritu, & Littera*, cap. xxviii. Catholicam veritatem, cujus in probatione versamur, disertis verbis confirmat. *Sicut* (inquit) *non impediunt a vita eterna Justum quedam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem eternam nihil profunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*. Non igitur omnia Infidelium opera peccata sunt, quemadmodum nec omnia Justorum opera bona sunt.

Nec adversatur huic veritati locus celebris Apostoli ad Rom. xiv. scribentis: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Fides enim dupliciter accipi potest. Primo ut est virtus Theologica, qua rebus a Deo revelatis præbentur assensum: secundo ut idem est ac conscientia. Secundum hunc posteriorem sensum, nulla dubitatio est, quin id omne peccatum sit, quod fit mala fide, id est, contra conscientiæ æquitatem. Hæc porro mens esse videtur Apostoli. Non enim hic agit Apostolus adversus Ethnicos, qui Fide Christiana carebant, sed de infirmis in Fide loquitur, id est, de Christianis, qui nondum doctrina Fidei satis erant instituti, ut crederent discrimina ciborum in Lege Mosaica præscripta, non jam esse necessario observanda post Evangelicæ Legis promulgationem, nihilque in cibis per se immundum esse. Itaque Fides hic accipitur pro persuasionem, qua quis credit, aut existimat aliquid sibi licitum esse. Sensus igitur est, *Omne, quod agit homo, non persuasus id sibi licere, sed vel illicitum putans, vel dubitans utrum liceat nec ne, peccatum est*. Ita hunc locum exposuerunt *S. Jo. Chrysostomus*, ceterique post eum Græci interpretes: inter Latinos vero Auctor Commentariorum inter *S. Ambrosii Opera* editorum, *Hugo a S. Victore*, & ut de aliis taceam, Patres etiam Conc. Lateranensis sub *Innocentio III.* can. xli. cujus hæc sunt verba: *Quoniam omne, quod non est ex fide peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis*. Quæ bona fides reperiri potest etiam in hominibus a Christi Fide alienis. Si vero nomine Fidei Theologica virtus intelligatur, ut *S. Augustinus*, & alii sæpe intellexerunt, sic exponendus est hic locus, ut peccatum sit, quicquid non est ex Fide, & procedit ex infidelitate, sive quod fit propter finem infidelitatis; non autem, quod procedit ex honestate, sive quod fit ex regulis rationis, & ex lege naturæ.

Igitur quotiescumque infidelis homo opus alioqui per se, & officio bonum, refert ad cultum idoli, aut ad alium pravum finem, opus pravo fine, & mala intentione vitiat, & peccatum est. Et hoc sensu *S. Augustinus* Lib. *De Nuptiis, & Concupiscentia*, cap. iiii. negat, *Pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori*. Et cap. iv. ait: *Quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando a Deo vero ipse animus fornicatur?* Hoc sensu Lib. iv. *Contra Julianum*, cap. iiii. Non officii, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes asserit. Officium est, quod faciendum est. Finis vero, propter quod faciendum est. *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur*. Refellit scilicet *Julianum*, qui habitus quotiescumque ex officio bonos veras esse virtutes propugnabat, licet finis

Quo sensu
omne, quod
non est ex
fide pecca-
tum sit?

Opus per se
bonum pra-
vo fine, &
mala inten-
tione vitia-
tur.

Non officiis
sed finibus,
a vitiis di-
scernuntur
virtutes.

nis illorum proximus esset malus, & inhonestus, v. g. veram appellabant justitiam, quæ referebatur ad finem avaritiæ. *Ut veram cogaris appellare justitiam* (inquit S. Augustinus) *etiam cujus dominam reperis avaritiam. Si quidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitia: sed cum queritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat; quomodo jam hoc factum veræ poterit esse justitiæ, cum serviat avaritiæ?* Hoc sensu, peccatum esse asserit, nudum operire, *in quantum non est ex Fide*, si nempe infidelis de bono illo opere in libero arbitrio, & non in Domino gloriatur, idest, si naturæ, liberique arbitrii viribus, non Deo bonæ voluntatis motum, & virtutis officium adscribat, aut illud ad vanam gloriam captandam exerceat. *Prorsus* (inquit) *in quantum non est ex fide, peccatum est: non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Eodem sensu paulo superius eodem capite dixerat: *Possunt aliqua bona fieri non beneficientibus, a quibus sunt. Bonum est enim, ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille, qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis, quam Dei facit, non bene bonum facit: quia non bonus facit quod non bona voluntate facit. Absit enim, ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur.* Verum cum omne infidelis hominis opus ob pravam finem non fiat, sed nonnulla interdum faciat ob finem proximum bonum, & honestum, ut ex aliis S. Augustini locis probatum est, omnia infidelium opera non sunt peccata.

Fatendum tamen est, bona opera, quæ interdum fiunt ab infidelibus, eos non efficere bonos. Unde voluntatem illorum arborem malam S. Augustinus vocat, respectuque illorum verum esse docet, quod a Domino dictum est: *Non potest arbor mala fructus bonos facere*: quia bona opera quæ faciunt, non ipsorum sunt, sed Dei; idest, non ipsorum malæ voluntati, sed Deo tribuenda sunt. Et bona hujusmodi opera non faciunt infideles, cum agunt ex infidelitate, sed cum agunt ex bono, quod in natura humana residuum est, ex lumine vultus Dei super omnes homines signato, ex recta ratione, & lege naturæ. Quamobrem Deo placent opera bona infidelium, sed infideles ipsi Deo propterea non placent, quia impossibile est placere Deo sine fide per dilectionem operante. Hoc sensu S. Augustinus ibidem ait: „ Porro „ si vitium est male misereri, proculdubio vitium est infideliter misereri. Quod „ si & ipsa per seipsam naturalis compassio opus est bonum: etiam isto bono „ male utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideli- „ ter facit: qui autem male facit aliquid, profecto peccat. Ex quo col- „ ligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, „ sed illius, qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, qui- „ bus & bona male faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta „ & noxia faciunt voluntate: qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, „ arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, idest, sola pec- „ cata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est. Et „ ideo Deus istas arbores non potest diligere, & si tales permanerint, dil- „ ponit excidere: quia sine fide impossibile est placere. “ Hinc animum infidelis, quamdiu in infidelitate manet, tenebrosum esse, & scædum S. Augustinus asserit, sicut contra justus animus splendidus est, ac Deo gratus, quamdiu charitatem servat, quantumvis in peccata venialia sæpius impingat; sed omnem infidelis actionem terram esse, & tenebrosam, S. Augustinus non censet: immo nonnulla infidelium opera Dei dona esse docet, laude digna, imitanda, quamvis per illa justus, & bonus non evadant, ut contendebat Julianus Pelagianus. Sicut ergo peccata venialia, quæ committit

De opere quod secundum se bonum est, non in Domino gloriari, peccatum est.

Quamvis opera quædam infidelium Deo placeant, illi tamen infideles Deo propterea non placent.

justus, iniqua sunt, & Deo displicent, & tamen justus ipse Deo gratus est. Ita bona opera, quæ fiunt aliquando ab infidelibus, bona sunt, & Deo placent, cuius sunt dona; sed tamen infidelis animus tenebrosus, ac fœdus est: hoc sensu *S. Augustinus* ait ibid. *Aut ergo intellige, quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit; si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: „ & hunc oculum „ agnosce intentionem, qua facit quisque, quod facit, & per hoc discite eum, „ qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, ejus quæ per di-*

Matth. 6.

Opera non
sunt absolu-
te bona, que
non fiunt
intentione
fidei bonæ.

„ lectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, ope-
„ ribus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. “
Denique bona ipsa infidelium opera sterilia sunt, magni sunt eorum cur-
sus, ut ait alibi *S. Augustinus*, sed extra viam: sed tamen laude digna sunt.
Et quamvis absurdum putet Doctor incomparabilis, ut bona sit voluntas,
quæ sterilis est: *Fieri non potest*, inquit, *ut steriliter bonissimus; sed boni non*
sumus, quicquid steriliter sumus; quamvis rursus sterilium fructus arborum
laudandos non esse contendat in sensu *Juliani*, quasi sint fructus arboris
bonæ, idest, bonæ voluntatis, & quæ Deo placeat *sine Christi fide, legem*
naturæ: non tamen negat, quin aliqua infidelium opera, tametsi sterilia,
& ad vitæ æternæ consecutionem inutilia, bona sint, non quatenus sunt
ab impia, & mala voluntate, sed quatenus sunt a Deo etiam per malos,
quod ipsi placet, operante. Unde *S. Augustinus* ibidem sic *Julianum* com-
pellat: „ Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum vi-
„ dentur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, Regnumque per-
„ ducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam,
„ illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei,
„ & hominum, nemini posse conferri: per quod solum homo potest ad æ-
„ ternum Dei donum regnumque perducere. Omnia proinde cætera, quæ vi-
„ dentur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes ve-
„ ræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato. Quod ad me perti-
„ net, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona: voluntas quippe infide-
„ lis, atque impia non est bona. Dicantur secundum te hujusmodi volun-
„ rates arbores bonæ, sufficit, quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non
„ bonæ, sint inter homines fructuosæ, inter quos sunt & bonæ; te auctore,
„ te laudatore, si vis etiam plantatore; dum tamen illud, velis nolis, ob-
„ tineam, quod amor mundi, quo quisque amicus est hujus mundi, non est a
„ Deo, amorque fruendi quibuscumque creaturis sine amore Creatoris, non
„ est a Deo. Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis.
„ Sine hoc amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis. Hoc er-
„ go amore opus est, ut bonum beatificum sit, & pudicitia conjugalis.

Infidelium
opera steri-
lia, & ad vi-
tam æter-
nam inuti-
lia.

Voluntas
bona, sine
gratia Chri-
sti esse non
potest.

Non posse hominem sine fide quidquam præstare, quo vitam æternam
mereatur, solum vult *S. Augustinus* Epist. cxciv. alias cv. ad *Sixtum*, cum
scribit: „ Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium,
„ non humano, quod isti extollunt, tribuamus arbitrio, nec ullis præceden-
„ tibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita, sed
„ gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, idest, sine me-
„ ritis cogitamus.... Opera quippe bona fiunt ab homine: fides autem fit
„ in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine. Omne enim, quod non
„ est ex fide, peccatum est. Quapropter, ne se, vel ipsius orationis meri-
„ tum extollat; etiamsi ad vincendas temporalium rerum cupiditates, & di-
„ ligenda bona æterna, atque ipsum fontem omnium bonorum Deum, ad-
„ jutorium datur oranti, fides orat, quæ data est non oranti, quæ utique
„ nisi data esset, orare non posset. “ Sed non negat, quin aliqua infidelium
opera moraliter bona sint, quod alibi tam diserte asserit.

Fides prima
gratia.

Rom. 14.

Con-

Contrarius Catholico huic dogmati error, quem *Jansenius* Yprensis Episcopus Lib. IV. *De statu naturæ lapsæ* propugnat, ab Ecclesia damnatus est. Inter *Michaelis. Baii* Articulos a Summis Pontificibus *S. Pio V. & Greg. XIII.* damnatos hic habetur: *Omnia infidelium opera sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.*

Michaelis Baii, & Jansenii Yprensis error damnatus.

A R T I C U L U S V.

Fides sine charitate esse potest.

Fides quandoque charitate perfecta, quandoque charitate destituta est. Illa formata dicitur, hæc informis, quia charitas forma est, & perfectio fidei; illa fides viva, hæc mortua dicitur. Eadem tamen est genere, & utrique eadem definitionis vis, & ratio convenit, ut loquitur Concilii Tridentini Catechismus. Fidem porro consistere sine charitate, Catholicum dogma est, ex Scripturis Sacris perspicue probatum, ut mirum sit novissimi temporis Hæreticos id negare ausos. Joannis XII. „ Ex principibus multi „ crediderunt in eum: sed propter Phariseos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam „ gloriam Dei. I. *ad Corinthios* XIII. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. *Ad Galatas* „ v. In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, „ sed fides, quæ per charitatem operatur. *Jacobi* II. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Num- „ quid poterit fides salvare eum? Si autem frater, & soror nudi sunt, & „ indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: *Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori; quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa... Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super Altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides consummata est? Et infra: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.*

Quid fides formata? quid informis?

Fides sine charitate, & bonis operibus non prodest ad salutem.

Idem confirmant Patres, præsertim *S. Augustinus* Lib. *De Fide, & Operibus*, ubi totus in eo est, ut probet, neminem ita sibi de Fide blandiri debere, ut per eam sine charitatis operibus salutem sibi spondeat. Item Lib. *De octo Dulcitii Quæstionibus*, qu. I. Sermone LIII. alias XIV. ex editis a Parisiensibus: „ *Ipsiâ fides, inquit, definita est, quæ per dilectionem operatur.* „ Tolle fidem, perit quod credis; tolle charitatem, perit quod agis: fidei „ enim pertinet ut credas; charitati ut agas. Si enim credis, & non amas, non te „ moves ad bonum opus: & si moves, ut servus moves, non ut filius; timendo penam, non amando justitiam. Illa ergo fides mundat cor, quæ per dilectionem operatur. *Et Sermone* CLVIII. alias XVI. *De Verbis Apostoli*, Si „ tantum credis, *inquit, & sine spe vivis, vel dilectionem non habes; & dæmones credunt, & contremiscunt. Quid magnum est, si dicis Christum „ Filium Dei? Hoc dixit Petrus, & audivit, Beatus es Simon Bar-Jona: hoc dixerunt dæmones, & audierunt, Obmutescite: & hoc ipsum dicunt, & repelluntur. Una vox est: sed Dominus radicem interrogat, non florem... Prius ergo discerne fidem tuam a fide dæmonis. Unde eam discernis? Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. Hinc Apo-*

Matth. 16.

- stolus ad Ephesios VI. scribit: *Pax fratribus, & charitas cum fide*. Incipit a fine, & venit ad initium. Nos dicamus, „ Fides, charitas, pax. Crede „ ama, regna. Si enim credis, & non amas; adhuc non discrevistis fidem „ tuam ab eis, qui tremebant, & dicebant, *Scimus, quis Filius Dei*. Ergo tu „ ama: quia charitas cum fide ipsa te perducit ad pacem. Quam pacem? „ Veram pacem, plenam pacem, solidam pacem, securam pacem, ubi nulla „ pestis, nullus hostis. Ipsa pax est finis omnium desideriorum bonorum: „ (inquit *S. Augustinus* Serm. CLXVIII. alias XVII. ex Homiliis quinquaginta.) Et Tract. x. in Epistolam *S. Joannis* explicans hæc verba: „ Omnis, „ qui credit, quod *Jesus sit Christus*, ex Deo natus est, ait: Quis est, qui „ non credit, quod *Jesus sit Christus*? Qui non sic vivit, quomodo præce- „ pit *Christus*. Multi enim dicunt, Credo. Sed fides sine operibus non sal- „ vat. Opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente *Paulo Apostolo*: Et fides, „ quæ per dilectionem operatur... Sine dilectione fides inanis est. Cum di- „ lectione Fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Nescio quis non „ vult credere in *Christum*, adhuc nec dæmones imitatur. Jam credit in „ *Christum*, sed odit *Christum*: habet confessionem fidei in timore pænæ, „ non in amore coronæ: nam & illi puniri timebant. Adde huic fidei di- „ lectionem, ut fiat fides, qualem dicit *Apostolus Paulus*: *Fides, quæ per „ dilectionem operatur*. Invenisti Christianum, invenisti civem *Jerusalem*, in- „ venisti civem *Angelorum*, invenisti in viam suspirantem peregrinum? Ad- „ junge te illi, comes tuus est, curre cum illo, si tamen & tu hoc es.
- Ad istud Dogma probandum duabus etiam Evangelicis Parabolis Patres utuntur; altera de decem Virginibus, quarum eas, quæ acceptis lampadibus non sumperunt oleum secum, Christianos charitatis, ac bonorum operum expertes significare Patres docent; qua de re legendus est *S. Augustinus* Sermone XCIII. alias XXIII. *De Verbis Domini*, & *S. Gregorius Magnus* Homilia XII. in Evangelia: altera de homine in convivium Nuptiarum ingresso, sed non induto veste nuptiali, quam quidam vestem charitatem interpretantur; cum alioquin homo ille sine Fide in convivium Regis, id est, in Ecclesiam Christi ingredi non potuerit. Qua de re *S. Augustinus* Sermone XC. alias XIV. ex editis a *Sirmondo*: „ Illa vestis est, inquit, quam non ha- „ bent nisi boni, in convivio relinquendi, servandi ad convivium, quo nul- „ lus malus accedit per *Domini* gratiam perducendi: ipsi habent vestem nu- „ ptialem. Queramus ergo inter Fideles, qui sunt, qui habent aliquid, quod „ mali non habent, & ipsa erit vestis nuptialis. Si Sacramenta dixerimus, „ videtis quemadmodum sint bonis, malisque communia. Baptismus est? Si- „ ne Baptismo quidem nemo ad Deum pervenit: sed non omnis, qui ha- „ bet Baptismum ad Deum pervenit. Non ergo possum intelligere Baptismum „ esse vestem nuptialem, id est, ipsum Sacramentum; quam vestem video „ in bonis, video in malis. Forte Altare est, vel quod accipitur de Altari? „ Videmus quia multi manducant, & iudicium sibi manducant, & bibunt. „ Quid ergo est? Jejunatur? Jejunant & mali. Ad Ecclesiam concurritur? „ Concurrunt & mali. Postremo miracula fiunt? Non solum boni faciunt, „ & mali, sed aliquando non faciunt boni... Quæ est ergo vestis illa nu- „ ptialis? Hæc est vestis nuptialis: FINIS autem præcepti est charitas de „ corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.
- Denique Dogma istud a Sacra Synodo Tridentina confirmatum est Sess. VI. c. VII. & XV. & Canone XXVII. cujus hæc sunt verba: „ Si quis dixerit, amissa „ per peccatum gratia, simul & Fidem semper amitti, aut Fidem, quæ rema- „ net, non esse veram Fidem, licet non sit viva; aut eum, qui Fidem sine „ charitate habet, non esse Christianum, Anathema sit.

ARTICULUS VI.

Fidei capita sunt evidenter credibilia.

Quamvis enim Fidei natura constare sine obscuritate non possit, & e Christianorum albo expungendi sint, qui Christo credendum negant, nisi reddita ratione, ut probat *S. Augustinus*, Libro *De Utilitate credendi*: quamvis præcipua, ac propria causa fidei sit interior ille Dei afflatus, quo ad assentiendum rebus ab eo revelatis impellimur; accedunt tamen externa quædam adminicula, quibus vel fidei sternitur via, vel fides jam parta roboratur, argumentationes scilicet ex ratione petitæ, invictæ, evidentes, quæ suadeant esse credibilia quæcumque ad credendum proponuntur a Deo, & ab Ecclesia, ipsasque prudentiæ humanæ leges præscribere, ut fides admittatur. Unde Propheta ait Psalmo xcii. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Hæc autem argumenta, quæ in Scholis *motiva credibilitatis* appellantur, petuntur ex Prophetarum vaticiniis, ex miraculis, ex hominum consensu, ex Evangelii propagatione, ex constantia Martyrum, ex doctrinæ Christianæ sanctitate.

Prophetarum vaticiniis pleraque Fidei nostræ Mysteria prænunciata sunt, quæ eo prorsus modo evenerunt, quo multo ante fuerant prænunciata. Prophetia porro a solo Deo esse potest, cui uni futurorum cognitionem Sapientes adjudicant. Et certe cum Prophetia sit narratio rerum futurarum, quæ ex naturalibus causis prævideri non possunt, ejus auctor supra naturam est, videlicet Deus. Hinc *Isaiæ xli. dicitur: Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quod Dii estis vos*. Hinc illud *Tertulliani*, Apologetici xx. *Idoneum testimonium Divinitatis, veritas divinationis*. Hinc *S. Hieronymus*, Comment. in *Danielem*, ait: *Confitentur magi, confitentur arioli, & omnis scientia secularis litteraturæ, præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei, ex quo probatur, Prophetas Dei Spiritu locutos, quia futura cecinerunt*. Cum igitur completa videamus, quæ a Prophetis prænunciata sunt Religionis nostræ Mysteria, Christi scilicet Nativitatem ex Virgine, Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem in Cælum, Missionem Spiritus Sancti, Evangelii Prædicationem, Ecclesiæque toto orbe propagationem, &c. credibilia sunt alia, quæ nondum advenerunt, scilicet Christi adventus ad judicandum vivos, & mortuos, & generalis Resurrectio mortuorum, vitæque æterna, quam non videmus, sed speramus. Legatur *S. Augustinus*, Libro *De Fide rerum*, quæ non videntur, cap. iv. & v.

Frustra vero responderent Ethnici confecta esse vaticinia, librosque Prophetarum a Christianis ex postfacto suppositos; si quidem Judæorum testimoniis luculentissime refellerentur. „ De Prophetia (inquit *S. Augustinus* „ *Tractatu 35. in Joan.*) convincimus contradicentes paganos. Quis est Christus? Dicit paganus. Cui respondemus: Quem prænunciaverunt Prophetæ. Et ille, Qui prophetæ? Recitamus *Isaiam*, *Jeremiam*, alios sanctos Prophetas, dicimus quam longe ante illum venerint, quanto tempore adventum ejus præcesserint. Respondet aliquis eorum, Qui Prophetæ? Nos recitamus, qui nobis quotidie recitantur. Et ille, Qui sunt hi Prophetæ? Nos respondemus: Qui & prædixerunt ea, quæ fieri videmus. Et ille, Vos, inquit, vobis ista finxistis, vidistis ea fieri, & quasi ventura prædicta essent, in libris, quibus voluistis, conscripsistis. Hic contra inimicos paganos occurrit nobis aliorum testimonium inimicorum. Proferimus

„ Codices a Judæis, & respondemus: Nempe & vos, & illi fidei nostræ-

stis inimici. Ideo sparsi sunt per gentes, ut alios ex aliis convincamus
 inimicis. Codex Isaïæ proferatur a Judæis, videamus si non ibi lego (cap.
 53.) Sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram ton-
 dente fuit sine voce, sic non aperuit os suum: in humilitate iudicium
 ejus sublatum est: livore ejus fanati fumus: omnes ut oves erravimus,
 & ipse traditus est pro peccatis nostris. Ecce lucerna mea. Alia profera-
 tur, Psalmus aperiatur, etiam inde prædicta passio Christi recitetur. (Psalm.
 21. 17.) Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia os-
 sa mea: ipsi vero consideraverunt, & conspexerunt me, diviserunt sibi
 vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Apud te laus
 mea, in Ecclesia magna confitebor tibi. Commemorabuntur, & conver-
 tentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus
 universæ patriæ gentium, quia Domini est regnum, & ipse dominabitur gen-
 tium. Erubescat unus inimicus, quia codicem mihi ministrat alius inimicus.
 Sed ecce de codicibus prolatis ab uno inimico alterum vici: & ipse, qui mihi
 codicem protulit, non relinquatur, ab illo proferatur, unde & ipse vinca-
 tur. Lego alium Prophetam, & invenio Dominum loquentem ad Judæos
 (Malach. 1. 10. & 11.) Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus,
 nec accipiam sacrificium de manibus vestris: quoniam ab ortu Solis usque
 ad occasum sacrificium mundum offertur nomini meo. Non venis Judæe
 ad sacrificium mundum, convinco te immundum. Lege & Lib. 1. *De con-*
sensu Evangelistarum, cap. 26. & cap. 13. ubi eos, qui magicis artibus Chri-
 stum populos ad se convertisse somniant, hoc invicto argumento refellit:
 Illud attendant, qui magicis artibus tanta eum potuisse, & nomen suum
 ad populos in se convertendos arte ipsa consecrassè delirant, utrum po-
 tuerit magicis artibus tantos Prophetas divino Spiritu, antequam in ter-
 ra nasceretur, implere, qui de illo talia futura prælocuti sunt, qualia
 jam præterita in Evangelio legimus, & qualia in orbe terrarum præsen-
 tia nunc videmus? Neque enim si magicis artibus fecit, ut coleretur &
 mortuus, magus erat antequam natus: cui prophetando ventura gens u-
 na deputata est, cujus Reipublicæ tota administratio prophetia esset il-
 lius Regis venturi, & civitatem cœlestem ex omnibus gentibus condi-
 turi.

Alterum argumentum petitur ex miraculis. Cum enim vera miracula to-
 tius naturæ creatæ superent facultatem, sola virtute divina fieri possunt:
 et cum Deus nec fallere possit, nec falli; fieri non possunt ad falsæ do-
 ctrinæ confirmationem. Innumera porro miracula a Christo Jesu edita es-
 se, & ab ejus Discipulis, aliisque viris sanctis, Evangelica Historia, Acta,
 & Epistolæ Apostolorum, Sanctorumque Acta ab Auctoribus fide dignis con-
 scripta testantur. Et adhuc in Ecclesia donum miraculorum perseverat, quam-
 vis non adeo frequentia sunt, utpote non ita necessaria, propagata jam,
 & confirmata Religione Christiana. Quod si per Apostolos Christi, ut eis
 crederetur prædicantibus, ista miracula facta esse negant infideles: *Hoc u-*
num nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miracu-
lis credidit (inquit S. August. Lib. xxii. *De Civitate Dei*, cap. v.) *Quis-*
quis adhuc prodigia, ut credat, inquit, magnum est ipse prodigium, qui mun-
do credente non credit (inquit idem Pater cap. viii.)

Tertium argumentum petitur ex hominum consensu in Religionem, que
 tam multa credenda proponit sensibus repugnantia, rationis perceptionem,
 comprehensionemque superantia: quæ præcepta tradit ardua, duraque ho-
 minibus ad voluptates pronis, scilicet inimicorum dilectionem, voluptatum
 fugam, divitiarum, honorumque contemptum, mortificationem carnis.

Quar-

Ex miracu-
lis.

Ex homi-
num con-
sensu.

Quartum, ex Evangelii prædicatione a viris pauperibus, & ignobilibus facta, qui divino afflatu, ac Spiritus Sancti in eos illapsi munere, summam sapientiam, & facundiam subito consecuti, turbas innumeras non solum simplicium, sed sapientissimorum hominum, ad eam Religionem amplectendam adduxerunt. Qua de re S. Paulus 1. ad Corinthios 1. scribit: „ Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuatur Crux Christi. Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt destrueret: ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus. Legatur S. Augustinus Libro XXII. De Civitate Dei, cap. v. & Lib. De Fide rerum quæ non videntur, cap. VII.

Ex Evangelii prædicatione, & Ecclesiæ propagatione a viris pauperibus, ignobilibus, & rudibus facta.

Quintum argumentum petitur ex constantia Martyrum infinitorum prope modum, qui pro Fide Christiana exquisitæ crudelitatis supplicia, mortisque acerbissimas obierunt: & tamen gravissimis persecutionibus prohiberi, ac deterreri non potuerunt homines innumeri, omnium gentium, omnis sexus, ætatis, conditionis, nobiles, prudentes, docti, ab amplectenda Religione, quam sæculi Potestates persequebantur, cujus Professores morti destinati erant: immo Ecclesia his persecutionibus crevit, Martyriis coronata est. Hinc Tertullianus Apologetici cap. 50. *Nec quicquam proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.* Et Minucius Felix in Octavio: *Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congregatur, cum adversum minas, & supplicia, & tormenta componitur, cum strepitum mortis, & horrorem carnificis inculcat; cum libertatem suam adversus Reges, & Principes erigit, soli Deo, cujus est, cedit: cum triumphator, & victor, ipsi, qui adversum se sententiam dixit, insultat. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit... Quot e nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præsertim haberent in sua potestate? Viros cum Mucio, aut cum Aquilio, aut Regulo comparo. Pueri, & mulierculæ nostræ cruces, & tormenta, feras, & omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere.*

Ex constantia Martyrum.

Matth. 5. & Luc. 6. Rom. 12. 1. Cor. 6. 1. Petr. 2. & 3.

Sextum argumentum petitur ex Doctrinæ Christianæ sanctitate. Lex enim Domini immaculata, convertens animas, non exterius dumtaxat corruptos hominum mores emendans, sed interius, pravaeque concupiscentias excindens, innocentiam autem, & sanctimoniam imperans, charitatem, pudicitiam non corporis tantum, sed animi; divitiarum contemptum, inimicorum

Ex Religionis Christianæ sanctitate.

dilectionem, beneficentiam, misericordiam, humilitatem, modestiam, mansuetudinem, in rebus adversis patientiam, cupiditatum, carnisque mortificationem. Hinc *Tertullianus* Apologetici XLV. *Innocentiam*, inquit, a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto Magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab in contemptibili Dispectore mandatam. Vobis autem humana estimatio innocentiam tradidit, humanitatem dominatio imperavit. Inde nec plene, nec adeo timendæ estis discipline ad innocentie veritatem. Quanta est prudentia hominis ad demonstrandum quid vere bonum? Quanta auctoritas ad exigendum? Tam illa falli facilis, quam ista contemni. Atque adeo, quid plenius dictum est, Non occides, an vero, ne irascaris quidem? Quid perfectius prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius de maleficio, an & de maleloquio interdicere? Quid instructius injuriam non permittere, an nec vicem injurie sinere? Et alibi Christianos, Non aliunde magis noscibiles esse ait, quam de emendatione vitiorum pristinorum.

Doctrinæ Christianæ sanctitas confirmatur S. *Augustini* verbis ad Ecclesiam, Libro *De Moribus Ecclesie Catholice*, Cap. xxx. „ Merito Ecclesia Catholica Mater Christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissime, atque castissime colendum prædicas... „ sed etiam proximi dilectionem, atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed animi ætas est, exerces, ac doces. Tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem, casta, & fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecillio rem sexum, sed sinceri amoris legibus præficias. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjugas, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore, atque arctiore, quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem, & affinitatis necessitudinem, servatis naturæ, voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis. Tu dominis servos non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhærere. Tu dominos servis, Summi Dei communis Domini consideratione placabiles, & ad consulendum, quam coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, & profus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces Reges prospicere populis, mones populos se subdere Regibus. Quibus honor debeat, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum & non omnibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debeat injuria. Jam vero cum hæc humana dilectio inhærentem uberibus tuis nutriverit, & roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum: ubi ejus Majestas ex tanta parte quanta homini, dum terræ hujus inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit, tantus ardor charitatis innascitur, & tantum divini amoris confurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, & homine purgato, atque sanctificato, satis appareat, quam divine dictum sit: *Ego sum ignis consumens: & Ignem veni mittere in mundum.*

Deut. 4.
Hebr. 12.
Luc. 12.

Evidentia
credibilitatis eorum,
quæ ab Ecclesia
Catholica
proponuntur,
dogmatum a
S. Augustino
demonstrata.

Credibilitatis eorum; quæ ab Ecclesia Catholica credenda proponuntur, evidentiam confirmat S. *Augustinus* Libro *contra Epistolam Manichei*, cap. IV. „ In Catholica Ecclesia, inquit, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad

33 cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex
 33 minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione co-
 33 gnoscant (ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed cre-
 33 dendi simplicitas tutissimam facit) ut ergo hanc omittam sapientiam,
 33 quam in Ecclesia esse Catholica non creditis; multa sunt alia, quæ in
 33 ejus gremio me iustissime teneant. Tenet consensus populorum, atque
 33 gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate au-
 33 cta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas
 33 oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præ-
 33 sentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catho-
 33 licæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ec-
 33 clesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint;
 33 quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus
 33 Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. *Et Libro*
 33 *De Utilitate credendi, Cap. xiv.* Miraculis conciliavit auctoritatem, au-
 33 ctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit
 33 vetustatem, vetustate roboravit Religionem.

Verum nihil præclarius ea de re dici potest his, quæ *S. Augustinus* con-
 33 gerit Epistola cxxxvii. alias *iii.* ad Volusianum. „*Quem, inquit,* non mo-
 33 veat ad credendum tantus ab initio ipso rerum gestarum ordo, & ipsa
 33 connexio temporum, præteritis fidem de præsentibus faciens, priora po-
 33 sterioribus, & recentioribus antiqua confirmans. Eligitur unus ex gente
 33 Chaldæorum, pietate fidelissima præditus, cui promissa divina post tantam
 33 sæculorum seriem novissimis temporibus complenda prodantur, atque in
 33 ejus femine omnes gentes habituræ benedictionem prænunciantur. Hic
 33 unum verum Deum colens universitatis Creatorem gignit filium senex,
 33 de conjugē, quam spe parendi penitus destitutam sterilitas, ætasque jam
 33 fecerat. Propagatur ex illo numerosissimus populus, multiplicatus in Æ-
 33 gypto, quo illam stirpem ex orientalibus partibus, promissis, effectisque
 33 crebrescens dispositio divina transmiserat. Educitur ex Ægypti servitute
 33 gens valida, horrendis signis, atque miraculis, pulsisque impiis gentibus,
 33 in terram promissionis perducta, & constituta, regno etiam sublimatur.
 33 Deinde prævalescente peccato, sacrilegis ausibus Deum verum, qui eis
 33 tanta beneficia contulerat, sæpissime offendens, variisque flagellata cladi-
 33 bus, & prosperitatibus consolata, usque ad Christi Incarnationem, decla-
 33 rationemque perducitur. Quem Christum Dei Verbum, Dei Filium, Deum
 33 in carne venturum, moriturum, resurrecturum, in Cælum ascensurum,
 33 præpollentissimo suo nomine in omnibus gentibus dicatos sibi populos ha-
 33 biturum, inque illo remissionem peccatorum, salutemque æternam futu-
 33 ram esse credentibus, omnia Gentis illius promissa, omnes Prophetiæ, Sa-
 33 cerdotia, Sacrificia, Templum, & cuncta omnino Sacramenta sonuerunt.
 33 Venit Christus, complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, passionibus,
 33 morte, Resurrectione, Ascensione, omnia præconia Prophetarum. Mittit
 33 Spiritum Sanctum, implet Fideles una in domo congregatos, & hoc ipsum
 33 promissum orando, atque desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu
 33 Sancto loquuntur repente linguis omnium gentium, arguunt fidenter er-
 33 rores, prædicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad penitentiam præ-
 33 teritæ culpabilis vitæ, indulgentiam de divina gratia pollicentur. Prædi-
 33 cationem pietatis, veræque Religionis signa congruentia, & miracula con-
 33 sequuntur. Excitatur adversus eos sæva infidelitas, tolerant prædicta, spe-
 33 rant promissa, docent præcepta. Numero exigui per mundum diffemi-
 33 nantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur,

„ persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum ex-
 „ trema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abiectissimis, ex paucissimis illumi-
 „ nantur, nobilitantur, multiplicantur, præclarissima ingenia, cultissima e-
 „ loquia, mirabilesque peritias acutorum, facundorum, atque doctorum sub-
 „ jugant Christo, & ad prædicandam viam pietatis, salutisque convertunt.
 „ Alternis adversitatibus, & prosperitatibus rerum, patientiam, & tempe-
 „ rantiam vigilanter exercent: mundo declinante in extrema, fessisque re-
 „ bus ætatem ultimam protestante, multo fidentius, quia & hoc prædi-
 „ ctum est, æternam civitatis celestis felicitatem expectant. Atque inter hæc
 „ omnia contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit: e-
 „ vincit illa patiendo, & inconcussam fidem inter obsistentium sævitiam pro-
 „ fitendo. Revelatę veritatis, quę diu promissis mysticis velabatur, Sa-
 „ crificio succedente, illa Sacrificia quibus hoc figurabatur, Templi ipsius
 „ everfione tolluntur. Reproba per infidelitatem gens ipsa Judęorum a se-
 „ dibus extirpata, per Mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet
 „ Codices Sanctos, ac sic Prophetię testimonium, qua Christus, & Ecclesia
 „ prænnunciata est, ne ad tempus a nobis fictum existimaretur, ab ipsis ad-
 „ versariis proferatur, ubi etiam ipsos prædictum est non fuisse credituros.
 „ Tempora, & simulacra dæmonum, Rituque sacrilegi paulatim, atque al-
 „ ternatim secundum prædicta Prophetica subvertuntur. Hæreses adversus
 „ nomen Christi, sub velamento tamen nominis Christi, ad exercendam Do-
 „ ctrinam sanctę Religionis, sicut prænnunciatę sunt, pullulant. Hęc om-
 „ nia sicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta, atque ex his jam totę
 „ & tantis, quę restant, expectantur implenda. Tandem mens avida æter-
 „ nitatis, vitęque præsentis brevitate permota, contra hujus divinę aucto-
 „ ritatis lumen, culmenque contendat?

Quę disputationes, quę Litterę quorumlibet Philosophorum, quę Leges quas-
rumlibet civitatum, duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam legem,
Prophetasque pendere, ullo modo sunt comparandę, Diliges Dominum Deum
 „ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua:
 „ & diliges proximum tuum tamquam teipsum? *Hic Physica, quoniam om-*
nes omnium naturarum cause in Deo Creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita
bona, & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quę diligenda sunt,
quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus, & proximus. Hic
Logica, quoniam veritas, lumenque animę rationalis, non nisi Deus est. Hic et-
iam laudabilis Reipublicę salus: neque enim conditur, & custoditur optime
civitas, nisi fundamento, & vinculo fidei, firmęque concordie, cum bonum
commune diligitur, quod summum, ac verissimum Deus est, atque in illo invicem
sincerissime se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui, quo animo
diligant, occultare non possunt.

Modus autem ipse dicendi, quo Sancta Scriptura contextitur, quam omnibus
 accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea, quę aperta continet, quasi
 amicus familiaris sine fuce ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea
 vero, quę in Mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non au-
 deat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed
 invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam se-
 creta exercent veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne
 aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo
 renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter & prava corri-
 guntur, & prava nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic do-
 ctrinę inimicus est animus, qui vel errando eam nescit saluberrimam, vel odit
 egrotando Medicinam.

In hoc S. Augustini loco breviter expositum habes quicquid afferri potest luculentius ad demonstrandam Christianæ Religionis veritatem, & evidenter esse credibilia, quæ in ipsa credenda proponuntur. Id confirmat Libro XXI. *De Civitate Dei*, cap. v. VI. & VII. ubi post multa luculente, ac eleganter isto de argumento dicta, sic concludit: *Legebantur præconia præcedentia Prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, & persuadebatur veritas nova consuetudini, non contraria rationi, donec orbis terræ, qui persequebatur furore, sequeretur fide.*

Argumenta tamen ex motivis credibilitatis petita, non sunt causæ, cur Fidei capitibus assensum præbeamus, sed Deus quatenus prima veritas revelans est. Ratio enim instrumentum est fidei, non causa credendi. Id illustratur exemplo. Si quis Edicto Regis parere detrectantem quempiam ad obsequium velit reducere, causasque ei exponat, cur Regi parere debeat, potestatem nempe Regiam a Deo constitutam esse; Regem jure suo uti, cum quid jubet; contra fas agere, qui imperium detrectat; hisque admonitionibus convictus perduellis, imperata se facturum promittat: admonitor ille non est causa quamobrem mos Regi a perduelle geratur, sed jus Regis refractario patefactum. Ita ratio cum argumenta colligit ex motivis credibilitatis, quibus animo persuadet assentiendum esse capitibus fidei, his nempe assensum prudenter adhiberi; ipsa quidem non est causa, cur animus assensum præbeat, sed prima Veritas revelans, fideique lumine mentem hominis illustrans, ac ejus excitans voluntatem, ut menti assensum imperet. Cui enim (inquit Tertullianus) *Veritas comperta sine Deo? Cui Deus cognitus sine Christo? Cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto? Cui Spiritus Sanctus accommodatus sine Fidei Sacramento?* Sic mulier Samaritana cum Jesu vocanti credidisset, concivibus suis rationem exposuit, quæ suadere posset ipsum esse Messiam: *Venite, inquit, & videte hominem qui dixit mihi omnia, quæ feci. Numquid ipse est Christus?* Et ea ratione plerisque persuasum est id esse quam maxime credibile. *Ex Civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, Quia dixit omnia quæcumque feci. At iidem deinde audito Christo, ipsum esse Messiam crediderunt, non propter rationem a muliere propositam, sed propter ipsius Christi Deique revelantis auctoritatem: Jam nos propter loquelam tuam credimus, inquit, ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator Mundi.*

Ex his compertum est, quale judicium de sequenti Propositione ferendum sit: *Religio Christiana non est evidenter vera. Nam aut obscure docet, aut quæ docet, obscura sunt. Immo qui ajunt Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est, falsam evidenter esse. Infer hinc, evidens non esse 1. Quod existat nunc in terris aliqua vera Religio: unde enim habes non omnem carnem corrupisse viam suam? 2. Quod omnium, quæ in terra sunt, veræ simillima sit Christiana: an enim terras omnes peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? 3. Quod & Apostolis, & demonibus manifesta fuerit divinitas Christi; id enim si doces, docere te oportet Christum manifeste Deum esse. 4. Quod afflante Deo fusa sint Prophetarum oracula: quid enim mihi opponas, si vel negem illa fuisse vera vaticinia, vel affirmem fuisse conjecturas? 5. Quod vera fuerint, quæ a Christo edita fuisse commemorantur miracula: quamquam negare hæc nemo prudenter potest.*

Quam Propositionem hac censura confixit Clerus Gallicanus in generalibus Comitibus anni 1700. *Doctrina hac propositione contenta, impia est, blasphema, erronea, & inimicis Christianæ Religionis favet.*

Hinc etiam compertum est, quam merito damnata sit ista Propositio:

Evi-

Argumenta extrinseca non sunt causæ cur Fidei dogmatibus præbeamus assensum, sed Deus, ut prima veritas.

Lib. De Anima c. 1.

Joan. 4.

Evidens non est evidentia morali propria dicta, & physica Religionem Catholicam esse veram.

De qua Propositione hoc iudicium tulit Illustrissimus, & Religiosissimus Clerus: *Hæc propositio doctrinam superiori Propositioni consentaneam continens, temeraria est, & in errorem inducens.*

Q U Æ S T I O II.

De Symbolo Fidei.

A R T I C U L U S I.

Quid, & quotuplex sit Symbolum Fidei, & quot ejus Articuli?

Symbolum, vox origine Græca, vel plurium rerum in commune collationem significat, vel signum, aut tesseram militarem, qua veri Milites ab aliis discernuntur. Apud Catholicos sumitur pro Regula Fidei, sive summa capitum Fidei, quæ omnibus credenda proponuntur. Conveniens enim fuit primaria præcipuaque fidei capita in unum breviter colligi, ut facilius omnibus proponi, ac memoriæ mandari possent: deinde ut Fideles ab infidelibus per ejusdem fidei regulæ professionem internoscerentur. Deus ipse breviter proponit hominibus, quæ ab iis credenda, & agenda sunt: quia imperatoria hæc brevitatis rerum omnium Domino convenit. „ Divina (*inquit* „ *Lactantius*) tradita sunt breviter, ac nude. Nec decebat aliter, ut cum „ Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tanquam „ fides ei non haberetur; sed ut oportuit est locutus, quasi rerum omnium „ maximus Judex, cujus non est argumentari, sed pronunciare verum. Un- „ de S. Augustinus *Sermone cccxiii. alias De Tempore cxcix.* Symbolum „ (*inquit*) est breviter complexa Regula Fidei, ut mentem illustret, nec „ oneret memoriæ; paucis verbis dicitur, unde multum acquiratur.

II. Triplex vulgo distinguitur Symbolum, scilicet Apostolicum, Constantinopolitanum, quod & Nicænum appellatur, & Symbolum S. Athanasii.

Primum Catechumenis tradebatur olim, illudque certo die ante Baptismum reddere, seu memoriter recitare tenebantur Competentes: alterum illud est, quod in Missa recitatur: tertium, quod in Primæ Officio Dominicis diebus dicitur, & incipit his verbis, *Quicumque vult salvus esse.*

Symbolum Apostolicum dicitur, non solum quia doctrinam, & Fidem Apostolicam continet, sed quia ab Apostolis traditum est, non litteris quidem, sed viva voce. Ut enim ait S. Hieronymus Epistola LXI. *Symbolum fidei, & spei nostræ ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, sed in tabulis cordis carnalibus.* Et S. Petrus Chrysologus, *Sermone lxxii. Symbolum Fidei sola fide firmatur: non litteræ, sed spiritui creditur, & mandatur cordi, non chartæ.* Cum igitur Apostoli mandatum a Domino accepissent, ut pro ipso legatione fungentes in universum mundum proficiscerentur, atque omni creaturæ Evangelium prædicarent, Christianæ Fidei formulam componendam censuerunt, & iis, qui obedirent Evangelio, tradendam, ut scilicet id ipsum omnes sentirent ac dicerent, neque ulla essent inter eos schismata, quos ad Fidei unitatem vocassent; sed essent perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Hæc autem Fidei Regula, & Professio ab Apostolis tradita Symbolum appellata est: sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est (ut quibusdam Auctoribus placuit) sive quia

ea veluti nota, & tessera usi sint Apostoli, qua desertores, & subintroduc-
tos falsos fratres, qui Evangelium adulterabant, ab iis, qui Christi mili-
tiæ sacramento se obligarent, facile possent internoscere, ut loquitur Con-
cilii Tridentini Catechismus.

III. *Symbolum Constantinopolitanum* editum est in Concilio Generali Con-
stantinopolitano 1. anno Christi tercentesimo octogesimo primo a Patribus
centum quinquaginta. Expositio, & auctarium est ejus, quod in Concilio
Nicæno 1. anno tercentesimo vigesimo-quinto a Patribus tercentum decem, &
octo conditum fuerat. Quamobrem & *Nicænum* appellatum est. Nam cum
Nicænum Concilium in Symbolo suo dixisset, Deum *Omnium visibilium fa-
ctorem*: Constantinopolitana Synodus posuit, *Factorem cæli, & terræ, visi-
bilium omnium, & invisibilium*, addidit etiam Confessionem divinitatis Filii,
Natum ante omnia sæcula. Item post hæc verba Nicæni Symboli, *Et incar-
natus est*, addidit, *De Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*. Item post hæc ver-
ba, *Ascendit in cælos*, addidit, *Sedet ad dexteram Patris*. Adjecit, & il-
lud, *Cujus regni non erit finis*. Item post hæc verba, *Et in Spiritum San-
ctum*, adjunxit, *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum
Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum: qui locutus est per Pro-
phetas*. Addidit denique Confessionem unius Sanctæ, Catholicæ, & Aposto-
licæ Ecclesiæ; unius Baptismatis in remissionem peccatorum, Resurrectionis
mortuorum, & Vitæ futuri sæculi. Post multa læcula addidit Ecclesia Ar-
ticulo de Spiritu Sancto, *Qui ex Patre Filioque procedit*, cum in Symbolo
Constantinopolitano solum haberetur, *Ex Patre procedentem*. Qua in re ni-
hil commissum est contra Decreta Concilii Ephesini, & Chalcedonensis, pro-
hibentia ne quid adderetur Symbolo: prohibuerant enim dumtaxat nequid
contrarium adderetur, sive ne alia, diversaque fides conderetur; non vero
ne adderetur aliquid per modum expositionis, quod fecerat Ecclesia in Con-
cilio Constantinopolitano. Quamobrem & jure suo usa est, cum ob emer-
gentem errorem contra Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, ad-
didit particulam, *Filioque*, qua verba illa Constantinopolitani Symboli, *Ex pa-
tre procedentem*, magis explicantur. Fides namque progressu temporis non
mutatur, sed exponitur, & illustratur: sicut in corporum incrementis, quam-
vis augeantur hominum membra, eadem tamen sunt juvenum membra, que
erant lactentium; una eademque Petri juvenis, & senis natura, una eadem-
que persona est; & si quid ævi maturioris ætate accedit, jam in semine pro-
fertum fuerat; ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non
in pueris jam ante latitaverit. Ita etiam (inquit Vincentius Lirinensis)
*Christianæ Religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis sci-
licet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen, il-
libatumque permaneat... Quodcumque igitur in hac Ecclesia, Dei agricultura,
fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, & obser-
vetur, hoc idem floreat, & maturescat, hoc idem proficiat, & perficiatur. Fas
est etenim, ut prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata processu temporis ex-
eurentur, limentur, poliantur: sed nefas est, ut commutentur, nefas, ut detrin-
centur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem: sed
retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.*

IV. *Symbolum*, quod S. Athanasii dicitur, a Concilio Augustodunensi an-
no Christi sexcentesimo septuagesimo commendatum est, Canone, quo Pres-
byterum, Diaconum, Subdiaconum, vel Clericum ab Episcopo damnari sta-
tuit, qui *Symbolum, quod Sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, &
Fidem S. Athanasii Presulis irreprehensibiliter non recensuerit*. Dicitur Sym-
bolum S. Athanasii, quia summam Fidei continet, cujus Sanctus Athanasius
assertor fuit, & vindex.

storii depo-
sitione. S.
Leo Epist.
13. ad Pul-
cheriam. S.
Isidorus L.
2. De Eccl.
Offic. c. 22.
Symbolum
Constanti-
nopolita-
num.

Fides pro-
gressu tem-
poris non
mutatur, sed
explicatur,
& illustra-
tur.

Common. 1
c. 28. & 29.

Symbolum
S. Athanasii

Cur Symbolum Apostolorum submissa voce recitatur? V. Symbolum Apostolorum submissa voce dicitur in Officio divino; Symbolum vero Constantinopolitanum alta voce recitatur, vel canitur in Missarum solemnibus. Hujus disciplinæ morisque rationem S. Thomas tradit *secunda secundæ*, Quæstione 1. Articulo ix. in Responsione ad sextam objectionem. *Quia*, inquit, *Symbolum Patrum est declarativum Symboli Apostolorum, & etiam fuit conditum fide jam manifestata, & Ecclesia pacem habente: propter hoc publice in Missa cantatur: Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum.*

Duodecim Articuli Symboli Apostolici.

VI. Symbolum Fidei in duodecim capita dividitur, quæ similitudine quadam a Patribus nostris frequenter usurpata, Articulos appellamus. Utenim corporis membra articulis distinguuntur; ita etiam in hac Fidei Confessione quicquid distincte, & separatim ab alio nobis credendum proponitur, recte, & apposite Articulum dicimus. De his S. Leo Epistola xxvii. alias xiiii. ad Pulcheriam Augustam, Cap. iv. scribit, *Eutychem*, quia duas in Christo naturas negabat, stultissime incessere ausum esse, *Quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare. Siquidem ipsa Catholici Symboli brevis, & aperta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes Hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.*

Duodenarii istius Articulorum numeri convenientem rationem tradit S. Thomas *Secunda Secundæ*, Quæstione 1. Articulo viii. Illa, inquit, pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducimur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet arcanum divinitatis Christi, cujus visio nos beatos facit, & Mysterium humanitatis Christi, per quem ad gloriam filiorum Dei accessum habemus. Unde Joannis xviii. dicitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscat te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Eorum igitur, quæ credenda sunt, quædam pertinent ad Majestatem Divinitatis; quædam vero ad Mysterium humanitatis Christi. Circa Majestatem Divinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primo quidem unitas Dei, quæ primo articulo: secundo Trinitas personarum, quæ tribus articulis proponitur: quorum primus etiam personam Patris; secundus personam Filii; octavus personam Spiritus Sancti spectat. Tertio proponuntur nobis opera divinitatis propria, quorum primum pertinet ad naturam, scilicet Creatio; alterum ad gratiam, scilicet hominis sanctificatio, tertium ad gloriam, scilicet beatificatio. Creationem articulo primo profiteamur: quæ sanctificationis opus spectant, articulo nono, quo Sanctam Ecclesiam Catholicam, & Sanctorum Communionem; & articulo decimo, quo remissionem peccatorum credere nos contestamur: quæ opus gloriæ, sive beatificationis spectant, articulo undecimo, de Resurrectione carnis, & duodecimo, de vita æterna, continentur. Sex itaque Articuli Symboli pertinent ad Dei Majestatem, operaque ipsi propria: sex vero reliqui ad humanitatem Christi, seu Verbi incarnati Mysterium, œconomiam, & dispensationem. Et quidem Conceptionem illius articulus tertius: quartus vero Passionem ejus, mortem, atque sepulturam: quintus, descensum ad inferos, & Resurrectionem: sextus, admirabilem in cœlos Ascensionem: septimus, futurum Adventum ad judicium vivorum, & mortuorum hominum complectitur.

ARTICULUS II.

Quo primus Apostolici Symboli Articulus explicatur: Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ.

Istius Articuli sensus est: Certo Credo, & sine ulla dubitatione profiteor, Deum Patrem, primam scilicet Sacrosanctæ, & individua Trinitatis Personam, qui sua omnipotenti virtute omnia, quæ cœli, & terræ ambitu continentur, visibilia, & invisibilia, ac proinde Angelos ipsos, ex nihilo conditos, & condita conservat, providentiaque sua regit. Neque solum eum corde credo, & ore confiteor; verum summo studio, ac pietate ad illum, veluti summum, & perfectissimum bonum contendo. Sed quoniam magna Mysteria in singulis fere verbis latent, ea diligentius explicanda sunt, ut ad divinæ Majestatis gloriam contemplandam fidelis populus cum timore, & tremore promoveatur.

§. I.

‡ Quæ sit vis istius verbi, Credo.

Credendi vox non significat hoc loco putare, existimare, opinari, sed certissime assentiri. Credo igitur idem est, ac sine ulla dubitatione assentior Deo Mysteria sua revelanti. Quamvis obscura illa mihi sint, quamvis sensuum perceptionem, rationisque comprehensionem superent meæ, ipsis tamen assentior firmitudine certe majori, quam iis, quæ sensibus ipsis usurpo, aut humana ratione cognosco. *In captivitatem redigo intellectum in obsequium Christi*, secundum Apostoli mandatum; sed & sine curiositate prorsus ulla, vel inquirendi studio certissime teneo universa, quæ Deus hominibus revelavit, & per Ecclesiam suam credenda proponit. Divina Mysteria, judiciumque scrutari Deus prohibet, Prov. xxv. *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur a gloria*. Sapientia 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis querite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui Fidem habent in illum: perverse enim cogitationes separant a Deo, Ecclesiastici IIII. Altiora te ne quesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus non eris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. . . . Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum habebit male in novissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.* Ad Romanos XI. *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time.* II. ad Corinthios x. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionemmunitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Fasces igitur Fidei sumite, imperiosa ratio. Deus locutus est, nihil inquiras ulterius. Si arrogantis, & impudentis hominis est, gravi, ac sapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere, sed præterea urgere, ut quid dixerit, rationibus, aut testibus probetur: quantæ temeritatis, ac stultitiæ est, Dei voces audientem, cœlestis, ac salutaris doctrinæ rationes requirere? Hinc S. Ambrosius Lib. I. de Abraham, Cap. III. ait, Abrahamo, qui credidit Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum, quod significatur his Christi verbis, *Abraham diem meum vidit, & gavisus est*; Job. 8. ideo reputatum esse ad justitiam, quia rationem non quæsit, sed promptissima fide credidit. *Bonum est, ut rationem præveniat Fides; ne tamquam ab homine, ita a Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum, ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non creda-*

Virtus Fidei.

1. Corinth. 10

Fides humilis curiositatem excludit.

Dei auctoritate, non humana ratione.

tionē in rebus salutis duci debemus. 1. Reg. 2. *damus?* Auctoritate non ratione in rebus Religionis duci hominis animum necesse est. Sapientum auctoritate regi insipientes oportet. Quis Deo sapientior, qui ipsa sapientia est? Quis insipientior homine? Deo itaque subjicienda humana mens est, quo uno duce perducī potest ad rerum divinarum, captumque rationis superantium cognitionem. *Deus scientiarum Dominus est: & ipsi præparantur cogitationes.* Verfabatur humana mens non veritate certior, sed consuetudine securior, in rebus humanis (inquit S. Augustinus Lib. De Moribus Ecclesiæ Catholicæ, Cap. VII.) *At ubi ad divina perventum est; avertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inbiat amore, reverberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione convertitur. Quam hic formidandum est, quam tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirat. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis Sapientiæ nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, & mirabilibus rerum, vocibusque librorum velut signis temporalibus veritatis, umbrisque blandiatur.* Ad lucem divinarum mysteriorum oculi rationis humanæ cæcutiunt. Auris Deo revelanti accommodanda est, ut illorum cognitionem assequamur, quia *Fides ex auditu.* Centurio videns, quod Jesus sic clamans expirasset, ait: *Vere hic homo Filius Dei erat.* Si credidisset oculis suis, nihil nisi humanum in Jesu conspexisset. Videbat enim corpus flagellis laceratum, caput spinea corona perfossum, faciem sputis, & sanguine deformem. At auditu Deum esse cognovit. *Ex voce agnovit Filium Dei, & non ex facie. Auditus invenit, quod non visus: oculum species fefellit, auri veritas se infudit. Oculus pronuntiabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum: auri Dei Filius, auri formosus innotuit. Erat ille Centurio incircumcisus, sed non aure, qui ad unam expirantis vocem sub tot infirmitatis iudiciis Dominum Majestatis agnovit: ideoque non despexit, quod vidit, quia credidit, quod non vidit. Non autem credidit ex eo, quod vidit, sed ex eo proculdubio, quod audit, quia Fides ex auditu. Dignum quippe fuerat per superiores oculorum fenestras veritatem intrare ad animam: sed hoc nobis, o anima, servatur in posterum, cum videbimus facie ad faciem. Nunc autem unde irrepit morbus, inde remedium intret, & per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis: & sanet oculum, qui turbatus est, ut serenus videat, quem turbatus non potest. Auris prima mortis janua, prima aperiatur & vite: auditus qui tulit, reparet visum: quoniam nisi crediderimus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, visus ad præmium. Unde Propheta: Auditui meo, inquit, dabis gaudium & lætitiā: quod fidelis retributio auditionis beata visio sit, & beatæ meritum visionis fidelis auditio. Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Porro fide oportet mundari oculum qui videat Deum, quemadmodum habes: Fide mundans corda eorum. Et ut scias Spiritum Sanctum hunc in anime spiritualis profectu ordinem observare, ut videlicet prius formet auditum, quam lætificet visum: Audi, inquit, filia, & vide. Quid intendis oculum? Aures para. Videre desideras Christum? Oportet te prius audire eum, audire de eo, ut dicas, cum videris: Sicut audivimus, sic vidimus.... Verba sunt S. Bernardi Sermone xxviii. in Cantica. Et ante ipsum S. Augustinus Tractatu xxix. in Joannem: Intelligere vis? Crede. Deus enim per Prophetam dixit: Nisi credideritis, non intelligetis... Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli querere ut credas, sed crede ut intelligas.*

Rom. 10. *Ex Libro De Agone Christiano, Cap. XIII. Fides, inquit, est prima, quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & lucere incipit, quod antea tantummodo credebatur.*

Marc. 15. *Intelligentia merces fidei.*

Fides ex auditu.

Psalm. 5.

Matth. 5.

Act. 15.

Psalm. 44.

Isai. 7. 9. Secundum Lxx.

tur. Cum enim cognitio, & actio beatum hominem faciant; sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. Errat autem quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem mundum istum diligere; & ea, quæ nascuntur, & transeunt pro magno habere, & ea concupiscere; & pro his laborare, ut acquirantur; & letari cum abundaverint, & trisbari cum pereunt. Talis vita non potest puram illam, & sinceram, & incommutabilem videre veritatem, & inherere illi, & in æternum jam non moveri. Itaque prius quam mens nostra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valeamus; quoniam verissime dictum est per Prophetam: Nisi credideritis, non intelligetis.

Regulæ credendi subnectuntur præcepta vivendi.

Isai. 7. Secundum Ver. fo. Lxx.

Rationem ne quæras ad credendum Mysteriis, aut factis admirabilibus, ubi Tota ratio facti, est potentia facientis (ut loquitur S. Augustinus Epist. cxxxvii. alias III.) Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In rebus Religionis curiositas reos facit, non peritos. Cum Deus aliquid revelat, jubet, aut se facturum spondet, credendum, ac parandum est, non disquirendus rerum faciendarum modus, aut factarum exploranda ratio. Mittuntur a Moyse Exploratores, qui Terram Chanaan considerant (Num. xiii.) Referunt ad Ducem suum telluris fertilitatem: Venimus, inquit, in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte, & melle. Verum cum Caleb ipsos ad expugnandam terram hortaretur, inclamant: Terra ista devorat habitatores suos. Proptereaque ipsos morte repentina percussos fuisse, Scriptura Sacra refert, Numerorum xiv. Cur, quæro, tam severe puniti sunt Exploratores illi? Ob suam curiositatem, si S. Joannem Chrysostomum Homilia II. in Epistolam ad Romanos audiamus. Quia, inquit, victoriæ modum disquisiere, omnes nullo bello, nulla instructa acie perierunt. Vides quanta incredulitatis perniciēs. Rahab meretrix servatur incolumis in obsidione urbis Jericho, Josue II. cur perdita servatur, tot vero innoxii homines, tot virgines ferro Hebræorum pereunt? Fides Rahab meretrix non periit cum incredulis, inquit Apostolus ad Hebræos xi. servata est ab excidio suæ urbis, quia non curiose inquisivit, quomodo Hebræi urbem munitissimam expugnare possent, sed absque hæsitatione credidit victores futuros, qui Deum sui Exercitus ducem, ac præsidem haberent. Novi, inquit, quod Dominus tradiderit vobis Terram. Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum. Non interiit una cum incredulis, inquit S. Joannes Chrysostomus eadem Homilia: neque enim secum ipsa dixit: Quid poterunt hi, cum sint captivi, fugitivi, exules, nos urbis, mœnium, ac turrium dominos sub suam victos potestatem cogere? Quandoquidem si hæc secum elocuta fuisset, & se ipsam, & illos una perdidisset. Scilicet, Extremum supplicium curiosis propositum est. Obmutescat igitur humana ratio, nihilque sibi juris esse noverit in divinis Mysteriis indagandis. Qui Fidem quærit, rationem non quærit. Quid Athenis, & Hierosolymis? Quid Academiæ, & Ecclesiæ? Nostra institutio de porticu Salomonis est, quæ monet Deum in simplicitate cordis esse quærendum (inquit Tertullianus Lib. De Præscriptionibus Hereticorum, Cap. vii.) Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Et Cap. xiv. Fides in regula posita est... Cedat curiositas Fidei, cedat gloria saluti.... Adversus Regulam nihil scire, omnia scire est. Ea de re plane persuasus, scrutari nolim Mysteria, sed ea firmissime Credo. Hæc scilicet scrutari, temeritas est; credere, pietas; nosse, vita æterna.

Pænæ curiositatis in rebus Religionis.

Verum cum dico, Credo, non solum intimum declaro meæ mentis assensum, qui interior fidei actus est, sed summa alacritate Fidem ipsam palam profiteor, eo Spiritu animatus, quo Propheta dixit: Credidi, propter quod

locu-

locutus sum. Si quidem Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, ut ait Apostolus. Occasione igitur data cum illo dicamus: Non erubescio Evangelium: Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.

Psal. 115.
Rom. 10.
Rom. 1.
Rom. 1. 16.

§. II.

In Deum.

IN primis Deum esse Christianus credit: *Accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est.* Suadet quidem ratio Deum esse; ex effectibus id demonstrat Philosophia, creaturæ namque omnes Creatorem prædicant, & ex iis primam rerum omnium causam naturalis luminis ductu cognoscere possumus. Unde *Sapientiæ XIII.* dicitur: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset Artifex... A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri... Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent estimare sæculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Hinc Apostolus ad Romanos 1. *inexcusabiles* pronunciat eos, qui ad Dei notitiam ratione non perducuntur, aut qui cognito per rationem Deo, eum non colunt, nec ipsi gratias agunt. *Revelatur, inquit, ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Et Actorum XIV. apud Lycaonas verba faciens: Annunciantes, inquit, vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt... Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, bene faciens de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & letitia corda nostra.*

Sicut ergo cum videmus amplam, ac populosam civitatem, in qua immensa hominum, ætate, conditione, fortunis, moribusque disparium multitudo collecta est, qui recte, atque ordine vivunt inter se, summa pace, & concordia, statim cogitamus Principem aliquem esse, qui hanc tranquillitatem publicæ pacis administret; etsi nondum oculis eum nostris aspexerimus: & cum in corpore membrorum inter se concordiam videmus, & unumquodque citra dissensionem munere suo, & officio fungi, ex eo prorsus intelligimus animam in illo inesse corpore, quæ hæc omnia moderetur, quamvis oculis ea non sit exposita: sic ex hujus universitatis ordine, atque concentu, principem, & administratorem necesse est intelligi Deum.

Ad Heb. 11. 6.
Ratio ipsa suadet Deum esse.
S. Athanas. Orat. contr. Gentes.
Minucius Felix in O. Cæcilio.

Nec solum ex rerum creaturarum vestigiis ad Dei notitiam provehi me n humana potest, sicut provecti sunt Gentiles plerique omnes Philosophi; sed maxime ex ipsius Animæ rationalis natura, secundum quam ad Imaginem Dei conditi sumus. Unde & Propheta ait: *Signatum est supernos lumen vultus tui, Domine.* Hinc *S. Gregorius Magnus Homilia XVII. in Ezechielem, Sæpe, inquit, volumus omnipotentis Dei naturam invisibilem considerare, sed nequaquam valemus, atque ipsis difficultatibus fatigata Anima ad semetipsam redit, sibi que de se ipsa gradus ascensionum facit: ut primum semetipsam, si valet, consideret, & tunc illam Naturam, quæ super ipsam est, in quantum potuerit, investiget.* Ex Animæ, inquam, testimonio Deum esse perspicue intelligitur, quæ, veritate ex ipso naturæ sensu erumpente, Deum nominat, *Deus magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit, omnium*

Animæ rationalis natura, & testimonium Deum esse fident.
Psal. 4.

non est. Judicem quoque contestatur illum: Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium Animæ naturaliter Christianæ! (exclamat Tertullianus) Denique hæc pronuncians, non ad Capitolium, sed ad Cælum respicit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo & inde descendit. Igitur, Hæc est summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. Unde & S. Augustinus Tractatu cvi. in Joannem, ait: Quod Deus dicitur universæ creaturæ, etiam omnibus Gentibus antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc est enim vis veræ Divinitatis ut rationali creaturæ jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem. In hoc ergo, quod fecit hunc mundum cælo, terraque conspicuum, & antequam imbuerentur Fide Christi, notus omnibus Gentibus Deus. In hoc autem, quod non est injuriis suis cum Diis falsis colendus, notus in Judea Deus. In hoc vero quod Pater est hujus Christi, per quem tollit peccatum mundi, hoc nomen ejus prius occultum omnibus, nunc manifestavit eis, quos dedit ei Pater de Mundo.

Tertull. A-
polog. c. 17.

Utinam nulli fiat, de quibus videatur prædixisse Propheta: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Quamvis enim impii id palam dicere non audeant, tamen Dum amant hoc sæculum, & non amant Deum; ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo, Non est Deus (inquit S. Augustinus in illum Psalmum.) Unde subdit Propheta: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum: ita pravus cupiditatibus suis obsequuntur, ita in vitiorum genus omne sunt effusi, ac si Deum nullum agnoscerent. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Plures me-
ribus, & fa-
ctis Athei.
Psalm. 13.

Quamvis autem Deum esse ratio suadeat, multo tamen certior, multoque perfectior Dei notitiam Fidei lumine consequimur, quæ nulli obnoxia est errori, cum sæcularis Philosophia multis admixta sit erroribus, si Fidei consortio sit destituta. Diuturno præterea tempore, longoque studio est opus, ut Philosophus quis evadat: nullo autem labore, nulla temporis prolixitate, ut quis fiat Fidelis. Scite igitur S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæstione II. Artic. IV. ait: Necessarium esse homini accipere per modum Fidei, non solum ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt. Idque triplicem ob causam. Primo quidem, ut citius homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat. Scientia enim, quæ Deum esse probat, & ejus perfectiones demonstrat, ultimo hominibus addiscenda proponitur, aliarumque disciplinarum adminiculo indiget. Et sic nonnisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perveniret. Secundo, ut cognitio Dei sit communior. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt; vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes, & necessitates corporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi: Qui omnino Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per modum Fidei, Tertio, propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens. cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes, in multis erraverunt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata & certa cognitio apud homines de Deo oportuit quod divina eis per modum Fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest. Maximæ igitur gratiæ Deo agendæ sunt, qui, cum lucem habitat inaccessibilem, voluit tamen, ut accessum ad eum per Fidem haberemus, & De tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum.

Ad Tit. 1.

Certior, ac
perfectior
Dei notitia
est, quæ fi-
de habetur,
quam quæ
ratione, &
Philosophia
comparatur.

Gratiæ Deo
agendæ ob
Fidei do-
num.

1. Tim. 6.
Rom. 5.
1. Petr. 2.

§. III.

*Quid sit discriminis inter, Credere Deo, Credere Deum,
& Credere in Deum?*

Theologi, S. *Augustino* duce, hæc tria sic distinguunt, ut *Credere Deo*, sit credere vera esse, quæ Deus loquitur; *Credere Deum*, sit credere, quod ipse sit Deus (quorum utrumque malis etiam commune est) *Credere autem in Deum*, sit credendo Deum amare, sive in ipsum tendere per fidem non qualemcumque, sed *Quæ per charitatem operatur*, ut ait *Apostolus*: de qua scriptum est, *Iustus ex fide vivit: & Corde creditur ad justitiam*: non mente sola, sed corde; non cognitione sterili, sed amorem Dei pariente: & *Accedamus cum vero corde in plenitudine Fidei*. Fides namque sine charitate, & observantia divinorum mandatorum, non est plena fides, sed imperfecta. Fides, ut ipsum quidem nomen indicat, inde dicta est: *Quia fit, quod dicitur*. Hinc *Sapiens* ait: *Qui credit Deo, attendit mandatis*. Hinc de eo, qui Dei mandatum non servat, suorum curam ac salutem negligens *Apostolus* ait: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*.

Hoc discrimen adstruit S. *Augustinus*, *Tractat. xxix.* in Joannem. *Quis nesciet* (inquit) *hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit. Ut credatis in eum; non, ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei. Non autem continuo, qui credit ei, credit in eum. Nam & demones credebant ei, & non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere, Credimus Paulo, sed non Credimus in Paulum: Credimus Petro, sed non Credimus in Petrum. Credenti enim in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus: & non invenit, quod exigit, nisi donaverit, quod inveniat: quæ fides, nisi quam definiit alio loco *Apostolus* plenissime dicens: *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur?**

§. IV.

Unus tantum Deus credendus est.

I. **D**eum intelligimus id, quo majus, melius, aut excellentius nec esse, nec cogitari potest, summum hominis bonum, quod summe, ac primitus esse rectissime dicitur. Unde a *Mose* interrogatus quis esset, respondit: *Ego sum, qui sum*, Et, *Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos*. Hinc & S. *Joannes* *Apocalypsis* I. scribit: *Gratia vobis ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Solus scilicet Deus a seipso est, nec aliunde principium habet; cetera vero omnia ejus sunt beneficio, eoque manum subtrahente in nihilum redigerentur. Unde *Isaiæ* *xl.* 15. & 17. dicitur: *Ecce Gentes quasi stilla stule, & quasi momentum statera reputate sunt. Ecce Insule quasi pulvis exiguus... Omnes Gentes quasi non sunt, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputate sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum? Esse* (inquit S. *Augustinus* *Sermone vii.* alias *vi.* ex *Carthusiæ MSS.* edito.) *Nomen est incommutabilitatis. Omnia enim, quæ mutantur, desinunt esse, quod erant, & incipiunt esse, quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet nisi qui non mutatur. Ille habet esse, cui dicitur, Mutabis ea & mutabuntur; Tu autem idem ipse es... Cum ergo sit hoc nomen æterna-*

Dei nomine quid intelligitur.

Exod. 3. 14.

Legatur S. *Augustin.* *Tractat.* xxxviii. in Joann

Psal. 107.

nita-

nitatis, plus est, quod dignatus est habere nomen misericordiæ. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. *Illud in se, hoc ad nos. Si enim hoc solum esse vellet, quod est in se, quid essemus nos?* Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. *Erige spem. Sic sum quod sum, sic sum ipsum esse, ut nolim hominibus deesse.*

Exod. 3. 15.

Dei unitas.

II. Ex eo porro, quod Deus sit summum esse, summum magnum, summum bonum, unum etiam Deum esse, non plures Deos, confitendum est. Nam cum Deo summam bonitatem, & perfectionem tribuamus, fieri non potest, ut id, quod summum, atque absolutissimum est, inveniatur in pluribus. Quod si cui aliquid ad summum deest, eo ipso imperfectus est, quare nec Dei natura illi convenit, (inquit Concilii Tridentini Catechismus.) Hinc Tertullianus Libro I. Contra Marcionem, cap. III. Deus, inquit, si non unus est; non est: quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debeat. Deum autem, ut scias unum esse debere, quære, quid sit Deus. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod & omnium conscientia agnosceret, Deum Summum esse Magnum, in æternitate constitutum, innatum, indefectum, sine initio, sine fine... Quæ erit jam conditio ipsius Summi Magni? Nempe, ut nihil illi adequetur, id est, ut non sit aliud Summum Magnum... Ergo unicam sit necesse est, quod fuerit Summum Magnum, par non habendo, ne non sit Summum Magnum. Legatur S. Cyprianus Lib. De Idolorum vanitate.

Atque hoc multis Sacrarum Litterarum locis comprobatur. Deuteron. VI. 4. *Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Et cap. XXXII. *Videte, quod ego sum solus; & non sit alius Deus præter me.* Exodi XX. 3. *Non habebis Deos alienos coram me.* Isai. XL. XLIV. XLVIII. *Ego primus, & novissimus, & absque me non est Deus.* Ad Ephesios IV. v. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* His autem Scripturæ Sacræ testimoniis non Gentiles dumtaxat, sed illi etiam Hæretici refelluntur, qui præter bonum, auctoremque bonorum omnium Deum, malum alterum statuebant rerum aspectabilium conditorem, quales erant Marcionitæ, ac Manichæi.

Neque vero movere nos debet, quod interdum Sacræ Litteræ Dei nomen creatis etiam rebus imponunt. Nam quod Prophetas, & Judices Deos appellarunt, non Gentium more factum est, quæ sibi plures Deos stulte, & impie fluxerunt, sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam functionem, vel virtutem, quæ Dei munere illis concessa est. Hoc sensu scriptum est Exodi XXII. 28. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Psalmo LXXXI. I. *Deus stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat.* Ad Corinthios V. *Scimus quia nihil est idolum in Mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.* Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum. Deum igitur natura, substantia, essentia unum Christiana Fides credit, & profitetur, quem admodum ad confirmandam veritatem in Symbolo Nicæni, & Constantinopolitani Concilii expressum est: *Credo in unum Deum.*

Quo sensu Dei nomen creatis quibusdam rebus imponitur?

Sed heu! Vitam non instituunt secundum Fidem, quam profitentur, qui vitiis suis, & cupiditatibus serviunt, tametsi nullam mundi hujus aspectabilis partem, nullum simulachrum venerentur. *Serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi.* Aut carnalibus gaudiis subditi sunt, aut potentiam vanam fovent, aut aliquo spectaculo delectati

Mali Christiani vitam non instituunt secundum fidem, quam profiteatur unius Dei.

infaniunt. Ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent: His autem rebus, quibus quisque beatus vult effici, seruiat necesse est. Nam quocumque duxerint, sequitur, & quisquis ea visus fuerit auferre posse metuitur (inquit S. Augustinus Libro De Vera Religione, cap. xxxviii.) Triâ illa notata sunt I. Joannis ii. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ .

§. V.

Quid de divinis perfectionibus doceat Fides?

Deus id
quo nihil
maelius

Deus per-
fectissimus.

I. **D** eum esse id, quo nihil melius, aut excellentius inveniri, aut excogitari potest, Fides Christiana docet, immo & ipsa ratio; adeoque perfectiones omnes complecti, nullius extra se boni indigum, ut ait Propheta, Psal. xv. i. Dixi Domino, Deus meus est tu, quoniam honorum meorum non eges. Indeficientis esse naturæ, ac permanentis constat ex Psal. ci. Ipsæ peribunt; Tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Summum esse ipsius imperium, & omnia, quæ sunt creaturis bona, ipsius Majestati accepta referri. i. Paralip. xxix. ii. Tua est, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus. Cuncta enim, quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt, Tuum, Domine, Regnum, & Tu es super omnes Principes. Tuæ divitiæ, & tua est gloria: Tu dominaris omnium, in manu tua virtus, & potentia, in manu tua magnitudo, & imperium omnium.... Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: Ipsum dare omnibus vitam, & inspirationem, & omnia (ait Apostolus Actuum xvii.) Deus nec principium habet, nec terminum., Nativitatem omnibus præstat, sibi perpetuitatem. Antequam mundum fuit sibi ipse pro mundo. Universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consumat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi potest, nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus, & soli sibi tantus quantus est notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est: & ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio Magnitudinem Dei: qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non novit. Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est: illic vocabulis opus est, cum per singula propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Quem si Patrem dixerò, terrenum opineris; si Regem, carnalem suspiceris; si Dominum, intelliges utiq; mortalem. Aufer additamenta nominum, & perspicies ejus claritatem (inquit Minucius Felix in Octavio.)

§. VI.

Dei simplicitas.

Deus ex
corpore
omnisque
compositio-
nis.

II. Docet Fides Christiana, Deum esse corporis, omnisque materialis concretionis, & figuræ expertem: Joannis iv. Spiritus est Deus. Quibus verbis refellitur insanus Anthropomorphitarum error, qui Deo corporea membra, formamque humanam tribuebant. Cum igitur Deo corporea membra, & sensuum organa, functionesq; Scriptura Sacra tribuit, figuratæ locutiones sunt. Nam & cum oculi ipsi adscribuntur, quod omnia cognoscat, ac videat exprimitur: cum aures, quod omnia audiat significatur: cum manus, quod omnis creaturæ sit auctor, & omnia operetur: cum brachium, quod nulla natura contra robur ipsius, ac potentiam repugnare possit: Cum pedes, quod impleat omnia, nec sit quidquam ubi non sit Deus. Neque enim

nim

nim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cujus-
 lum etiam tacitum arbitrium & serviunt & adsunt omnia. Exulat a Deo
 omne compositionis genus. Dicimus magnum, bonum, justum, & innumera
 talia, sed hæc omnia unum in Deo sunt: alioquin Deo aliquid melius co-
 gitari posset. Nam *Verò iudicio natura simplex multiplici antefertur . . . Tam
 non habet Deus hoc, & illud, quam non hæc, & illa. Est Qui est, non quæ
 est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, ni-
 hil de locis trahens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens, quod ad nu-
 merum dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum.
 Non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non fortis sub-
 stat, ut omne, quod factum est (inquit S. Bernardus, Libro v. De confide-
 ratione, cap. vii.) Denique Deo Non est alia substantia, ut sit, & alia
 potestas, ut possit: non aliud illi est scientia qua scit, aliud essentia qua est, quia
 id, quod habet, est. Simplex igitur natura est. Non sic mens humana,
 cui non hoc est esse, quod nosse: potest enim esse, nec nosse, ut loquitur
 S. Augustinus Tractat. xx. & xcix. in Joannem.*

§. VII.

Deus immutabilis.

III. Deum esse immutabilem Fides pariter docet, Scripturæ Sacræ aucto-
 ritate freta, Numerorum xxiii. *Non est Deus quasi homo ut mentiat, nec
 ut filius hominis, ut mutetur. Psal. ci. Tu autem idem ipse es; & anni tui non
 deficient. Malach. iii. Ego Dominus, & non mutor. Sapientiæ vii. Et
 cum sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat. Jacobi i. Apud
 quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quem Patrem Lumi-
 num, hoc est fontem, auctoremque lucis, ac velut Solem esse significaverat,
 cum nulla vicissitudine infuscari docet, nulla interposita nube obscuritatem
 pati. Ipsa enim mutabilitas umbra est, quæ quasi obscuraret Lucem, si hanc per
 aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla
 ejus lumen umbra vicissitudinis intercudit (inquit S. Gregorius Libro xii.
 Moralium Cap. xvii.) Nec in melius proficere, nec in deterius deficere po-
 test; non proficere, quia perfectissimus; non deficere, quia æternus est. At-
 que hæc est naturæ divinæ dos propria. Solus, inquam, Deus immuta-
 bile bonum est. Ea vero, quæ fecit, bona quidem sunt, quod ab illo: verum-
 tamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt (inquit S. Au-
 gustinus Libr. xii. De Civitate Dei, Cap. i.) Non mutatur Deus, cum ali-
 quid in tempore creare incipit, quia nec opus novum, non novum, sed sem-
 piternum adhibet consilium; non aliter afficitur cum vacat, aliter cum operatur.
 Nulla in ejus vacatione cogitanda est ignavia, desidia, inertia: sicut
 neque in ejus opere labor, conatus, indultia. Novit quiescens agere, &
 agens quiescere. In illo non alteram præcedentem altera subsequens mutavit,
 aut abstulit voluntatem; sed una, eademque sempiterna, & immutabili volun-
 tate res, quas condidit, & ut prius non essent, egit, quandiu non fuerunt, &
 et posterius essent, quando esse cœperunt. Ita S. Augustinus ibidem Cap. xvii.*

Nec vero recte colligeretur, mutabilem esse Deum, quia Scriptura Sacra
 quosdam animi motus Deo tribuit, iram, pœnitentiam, &c. figuratæ nam-
 que locutiones sunt, & ex humanis motibus translata vocabula. Iræ nomine
 vindictam Dei, quæ sine perturbatione fit, & justissima est, sive ejus ju-
 diciam, quo pœnas irrogat peccato. Scriptura significat. Pœnitentiæ vero
 nomine voluntatem mutandi aliquid in opere suo, sed immutabilem ipsam,
 ac æternam dolorisque, & commotionis expertem. Cum pœnitere dicitur,

Non mutat-
 tur Deus
 cum aliquid
 creare inci-
 pit.

Quo sensu
 quidam ani-
 mi motus
 tribuuntur
 Deo.

inquit S. Augustinus, *vult non esse aliquid, sicut fecerat ut esset. Sed tamen cum ita esset, ita debebat: & cum ita esse jam non finitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam, & tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit.* Sic quia conjugis castitatem zelando viri custodire consueverunt, illam Dei providentiam, per quam præcipitur, & agitur, ne anima corrumpatur, & falsis diis adhærens quodam modo fornicetur, Scriptores sacri zelum Dei appellaverunt. Legatur & S. Gregorius Lib. xx. *Moralium*, Cap. xxiii.

§. VIII.

Deus æternus.

IV. Quia immutabilis Deus, æternus est, initio, & fine carens, secundum illud Jeremiæ: *Tu autem Domine in æternum permanebis, solum tuum in generationem, & generationem.* Et Psalm. lxxxix. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesternæ, quæ præterit.* Anni Dei æternitas est: æternitas ipsa Dei substantia est. Anni ejus, dies unus, & dies ejus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus non cedit crastino, neque succedit hesterno. Ideo cœternum genuit, cui dixit: *Ego hodie genuite.* Ista quoque Dei propria dos est. Unde Tertullianus Libro *Contra Hermogenem* Cap. iv. præclare ait: *Quis alius Dei census, quam æternitas? Quis alius æternitatis status, quam semper fuisse, & futurum esse, & prerogativa nullius initii, & nullius finis?* Si quæ ergo creatæ res æternæ dicantur familiari Scripturæ loquendi more, æternitatis nomen pro diuturna duratione, longoque tempore accipitur.

§. IX.

Deus immortalis.

V. Æternitatis divinæ conditio est immortalis, quæ Deo peculiari quadam, ac propria ratione convenit, cujus particeps esse creatura nulla potest: unde Apostolus I. ad *Timotheum* iv. ait: *Qui solus habet immortalitatem.* Hanc enim a seipso habet, nec eam debet alteri, qui auferre possit, si velit. Angeli autem, & hominum Animæ sic immortalitatem obtinent, ut ex Dei nutu, & arbitrio pendeant, a quo possunt in nihilum redigi. Omnis certe mutatio, mors quædam est. Angeli ergo, quorum aliqui peccaverunt, & Dæmones facti sunt; alii peccare potuerunt: & Anima humana, quæ, si juste vivebat, & peccat, moritur justitiæ; si peccatrix erat, & justificatur, moritur peccato (ut alias ejus mutationes taceam) non sunt immortales ut Deus, etsi nunquam sint perituri.

§. X.

Deus immensus. Ubique est.

VI. Immensum esse Deum, nullo loco definiri, substantia, virtute, præsentiaque sua omnia complere, omnibus operibus suis totum, & indivisum inesse, Fides Christiana docet. Deuter. iv. *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* Psalm. cxxxviii. *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Job. xi. *Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura ejus, & latior mari.* III. Reg. viii. *Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt.*

(inquit Salomon) *quanto magis Domus hæc, quam edificavi? Isai. LXVI. Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista Domus, quam edificabitis mihi, & quis est iste locus quietis meæ? Jerem. XXIII. Si occultabitur vir in absconditis; & ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus? Sapient. I. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Actorum denique VII. S. Paulus apud Areopagitas de Deo differens: Quamvis, inquit, non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Est igitur Deus ubique totus in seipso. Ubique, qui nusquam est absens; totus, qui non solum universitati, sed cuilibet parti rerum præsens est; in se ipso, quia non continetur ab eis, quibus est præsens, tamquam sine eis esse non possit, ut explicat S. Augustinus Epist. CLXXXVIII. alias LVII. ad Dardanum. Denique implet cælum, & terram præsentem potentia, non indigente natura, ut loquitur idem S. Doctor Lib. VII. de Civitate Dei, Cap. xxx.*

Cum ergo dicitur in Scripturis, Deum descendisse, ut videret, figurata locutio est. Non enim potest descendere, nisi qui de loco in locum moveri potest. Deus autem, cum ubique præsto sit, nullo pacto migrare de loco in locum potest. Ad formam igitur Judiciorum humanorum hæc sunt exponenda, ut significant, Deum præsentem judicaturum, & animadversurum. Dei scilicet Sapiencia, cum descensura esset, usque ad corpus humanum, prius usque ad humana verba descendit (ait S. Augustinus Lib. Contra Adimantum, Cap. XIII.) Vel descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodam modo ejus ostendat. Vel dicitur descendisse, quia descenderunt Angeli ejus, in quibus habitat (inquit idem Augustinus Lib. XVI. De Civitate Dei, Cap. V.) Alias de cælis descendisse dicitur Deus affectu misericordiæ, & ratione novi effectus, cujus admirabilitas Deum singulari quodam, & ineffabili modo præsentem ostendit: sive ob novum præsentis modum, quo in creatura exiltere incipit absque ulla sui mutatione, sed cum ipsius creaturæ mutatione in melius, sive perfectione. Sic Filius Dei descendit de cælis, & incarnatus est. Sic intelligitur illud Isaiæ LXIV. Utinam dirumperes cælos, & descenderes. Sic Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in Christum descendisse dicitur, cum baptizaretur in Jordane: & super Apostolos in igneis linguis.

Et cum dicit Deus, Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; & Christus orare nos docet, dicentes, Pater noster qui es in cælis: id non ita intelligendum est, quasi Deus cælo circumscriptus sit; sed ita loquitur Scriptura, ut Dei sublimitas incomparabilis, ac magnificentia hoc dicendi modo significetur: & quia in cælis gratiæ suæ, gloriæque divitias magis expromit, seque ipsum, suamque divinam Majestatem, ac essentiam Angelis, & Sanctis Animabus intuendam præbet, ac fruendam.

Deus igitur est intra omnia, extra omnia, ultra omnia. Ut se indicaret interiorum esse, & superiorem omnibus, cælum sibi sedem esse ait. Ut vero se ostenderet omnia circumdare, cælum metiri palmo, & terram se asserit pugillo concludere. Ipse est interior, & exterior: ipse inferior, & superior: regendo superior, portando inferior: replendo interior, circumdando exterior. Sicque est intus, ut portet; sic circumdat, ut penetret; sic præsidet, ut portet; sic portat, ut præsideat (inquit Gregorius M. Hom. XVII. in Ezechielem.)

Ne vero curiosius inquiras, ubi erat Deus ante mundum. Præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat. Unde & Tertullianus Lib. Adversus Praxeam, Cap. V. Ante omnia, inquit, Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.

Genes II. 8.
12.

Quo sensu
Deus descen-
dissè dicitur.

Isai. 60.
Quo sensu
cælum Dei
sedes appel-
letur?

Isai. 40.

Deus ante
mundum in
seipso erat.

Scientia Dei infinita.

VII. Deum intelligentem esse, ac scientem, singulas res omnes cognoscere, nihil prorsus illi esse ignotum, Fides Christiana docet: quod sacræ Literæ passim prædicant. Genesis I. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Qui quidem intuitus Dei perfectam rei cujusque notitiam, & approbationem significat. Job xxviii. „Tempus posuit teæbris, & universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis... Sapiencia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?... Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit. *Et Cap. xlii.* Respondens Job Domino, dixit: Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. I. Reg. ii. Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. *Psal. xlix.* Meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, & boves. Cognovi omnia volatilia cæli, &c. *Psal. cxxxvii.* Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit. *Psal. cxxxviii.* Domine, probasti me, & cognovisti me; tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam, & funiculum meum investigasti: & omnes vias meas prævidisti... Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima, & antiqua. *Proverbior. xv.* In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos. *Ecclesiast. xxi.* Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. *Ad Romanos xi.* O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! “ Ex quibus omnibus impietatis convincuntur hujusmodi voces: *Quomodo scit Deus? Et si est scientia in excelsis?*

Idest, postquam perfecta sunt.

Universales autem creaturas suas & spirituales & corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit: non enim nescivit, quæ fuerat creaturus: quia ergo scivit, creavit; non quia creavit scivit; nec aliter ea scivit creata quam creanda: non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis; sed illis existentibus sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit ut erat. (inquit S. Augustinus Lib. xv. *De Trinitate*, Cap. xiii.) Certe si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat: ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset. Verba sunt ejusdem sancti Doctoris Lib. xi. *de Civitate Dei*, Cap. x.

Futura ut præsentia Deus intuetur.

Ea, quæ non sunt, vocat Deus tamquam ea, quæ sunt, & fecit, quæ futura sunt, ut Scriptura, & Patres loquuntur. Futura scit potius quam præscit. Ipsi quippe præsentia sunt universa in æternitate, & Sapiencia ejus, omnium artifices. *Quomodo est præscius* (inquit S. Gregorius Libro xx. *Moralium* Cap. xxiii.) *dum nulla, nisi quæ futura sunt, præsciantur? Et scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne, quod nobis fuit,*

fuit, & erit, in ejus prospectu præsto est; omne quod præsens est, scire potest potius quam præscire. Et paulo post: Quia ea, quæ nobis futura sunt, videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt. Nam & quæque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur. . . . In illo enim nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in se ipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo præterit, quod transit: quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina seculorum transeuntia manent, currentia stant.

S. XII.

Præscientia Dei non officit humanæ libertati.

Quamvis porro Deus necessario prævideat omnia, quæ nos libere agimus, etiam peccata nostra, non est consequens, ut necessario illa fiant. Libertatem necessitate perimit: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate*; dogma Fidei est, contra Janfenianam Hæresim a Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. definitum, declaratum, firmatum. Nullum proinde meritorium opus, nullum peccatum esset, si necessario evenirent, quæ a Deo prævisa sunt, ac præscita, sive etiam (quod de bonis dumtaxat dici potest) definita, ac prædestinata. „ Quamobrem (inquit S. August.) non propterea nihil „ est in nostra voluntate, quia Deus præscivit, quid futurum esset in nostra „ voluntate. Non enim, qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porro si ille, qui „ præscivit, quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed „ aliquid præscivit; profecto & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, & veraciter confitemur: illud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. Unde absit a nobis ejus negare præscientiam, ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes, & vituperationes: quia & ipsas futuras esse præscivit, & valent plurimum, quantum eas valituras esse præscivit, & preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præscivit: & juste præmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscivit: immo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non factum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit. Qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, hoc etiam ille præscivit. *Hæc S. Augustinus Lib. v. De Civitate Dei, Cap. x.* Non est ergo consequens, ut si Deo certus est ordo omnium causarum, ideo nihil sit in voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita, qui omnes rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit “ (inquit S. Augustinus, Cap. præced.) Sane sicut non continuo peccare cogeres hominem, quem peccaturum esse præscires, quia sua voluntate, non aliqua necessitate peccaturus esset: ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. *Cur ergo non vindicet justus, quæ*

Libertas cum necessitate coherere non potest.

Janfenii propositio hæretica.

que fieri non cogit prescius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, que preterierunt, sic Deus prescientia sua non cogit facienda, que futura sunt. Et sicut tu quedam, que fecisti, meministi; nec tamen, que meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, prescit, nec tamen omnium, que prescit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, justus est ultor (inquit S. Augustinus Lib. III. De Libero arbitrio, Cap. IV.)

§. XIII.

Deus summum bonum.

Divinæ bonitatis indicia.

VIII. Deum summum esse bonum, ejus naturam bonitatem esse, ab ipso cetera esse bona, Fides docet. Quo sensu Christus Lucæ X. ait: *Nemo bonus nisi solus Deus*. Multa porro sunt infinitæ bonitatis ejus indicia. Primum, quod cum solus esset ex omni æternitate, seque contentus uno, immensa bonorum copia, deliciisque omnibus affluens, ac perpetua nunquam interruptæ felicitatis possessione dives, alia præter se creare voluerit, ac præsertim Angelos, & homines, cum quibus bonitatem suam communicaret.

Matth. 5.

Conc. Trid. sess. 6. c. 11.

Secundum est, quod eadem illa a se producta fovet, ac conservat, præsertim ea, quæ ratione, intelligentiaque prædita sunt; etiam peccatores adversus Creatorem, & benefactorem suum perduelles, & ingratos: quibus & beneficia generalia naturæ ordinem spectantia ex æquo dispensat: *Solem enim suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super justos, & injustos: & gratiæ dona singulis omnibus offert; & sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur.*

Tertium summæ bonitatis indicium est, quod ex hominibus eadem perditionis massa involutis quosdam ab æterno elegerit, ac prædestinaverit ad gloriam suam. Quam divinæ beneficentiæ in humanum genus largitatem commendat Apostolus ad Romanos IX. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali... Non ex operibus, sed ex vocante dictum est.... Jacob dilexi... Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui... Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Et ad Ephes. I. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Quo etiam referri potest illud Jeremiæ XXXI. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans tui.* Et illud I. Joannis IV. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

Quartum summæ bonitatis argumentum est, quod non solum ad unum commoditatis genus prodest iis, quibus se communicat, sed ad omnes opportunitates valet, sine ulla personæ, loci, aut temporis exceptione. Unde S. Bernardus Serm. V. De Assumptione Beatæ Virginis, *Omnia, inquit, sunt nobis in Deo, & est Deus omnia in nobis.*

§. XIV.

Deus summe misericors, & justus.

IX. Ex summa Dei bonitate misericordia infinita sequitur. Summe misericordem, sed & summe justum fides docet: Psalmo XXIV. *Omnes viæ Domini misericordia, & veritas.* Psal. XXXII. *Diligit misericordiam, & judicium: Misericordia Domini plena est terra.* Psalmo XXXII. *Domine, in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes... Judicia tua abyssus multa.* Psal. LVIII. *Deus meus, misericordia ejus preveniet me.* Psal. XXII. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Psal. LXXXIII. *Misericordiam,*

iam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus. Psal. CII. Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus injuriam patientibus. Psal. XLVII. Justitia plena est dextera tua. II. ad Corinth. I. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Psal. CXVIII. Justus es, Domine, & rectum iudicium tuum. Ad Rom. II. An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem querunt, vitam æternam; iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. Jacobi II. Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium. Quamvis autem justitia ejus infinita sit, sicut & misericordia, magis tamen misericordiam exercet suam, quam justitiam Psal. CXLIV. Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Nam & in damnatione reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliquantulum allevians, dum punit citra condignum (inquit S. Thomas I. P. Quæst. XXI. Artic. IV.) Id est, quamvis æternæ sint, & gravissimæ damnatorum poenæ, minores tamen sunt, quam mereantur, spectatis illorum in Dei Majestatem, ac bonitatem infinitam offensis, & injuriis.

Deus misericordiam suam exercet magis quam justitiam.

Justitia in Deo ita misericordiæ conjugata est, ut miserendo justus, puniendo sit misericors, ut docet S. Hilarius in Psalmum CXLIV. ad illum Versum, „Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eruclabunt, & justitia tua exultabunt. Sic enim habet: Dei justitia justitiæ non cœquatur humanæ. Neque enim naturæ legi subdita est, per quam lex est statuta naturæ, ut necessitatem non habeat bona non esse cum justa, sit. Habet Dei justitia miserandi voluntatem. Neque tamen per miserendi voluntatem ita erit a se demutata, ne justitia sit... Hoc in Deo præcipuum, hoc in Potente laudandum, non celum fecisse, quia potens est: non terram fundasse, quia virtus est: Non annum astris temperasse, quia sapiens est: non hominem animasse, quia vita est: non mare in accessus, ac recessus movisse, quia spiritus est: sed misericordem esse, qui justus est: sed miserantem esse, qui Rex est: sed dissimulantem esse, qui Deus est.

Deus miserendo justus puniendo misericors

§. XV.

Deus neminem deserit, reprobatur, & damnatur sine malis meritis.

X. Id vero inter divinæ misericordiæ, & justitiæ opera, inter gratiarum profusiones, & irrogationes poenarum discriminis interest, quod nulla sit divinæ in nos misericordiæ ratio præter ejus voluntatem, ac infinitam bonitatem: justitiæ autem in nos exercendæ occasionem, ac materiam semper illi præbeamus. Quo fit, ut nullum misericordiæ ejus, gratiæque meritum quærendum sit: nam si esset ex meritis, non esset gratia: sed obdurationis, reprobationis, damnationis meritum semper existit in iis, qui obdurantur, deseruntur, reprobantur a Deo. Fides enim Catholica docet, Deum de suo optimum, de nostro justum; (ut loquitur Tertullianus) Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nossent, ex naturæ proprietate: at nunc etiam justum eum patitur ex causæ necessitate. Hinc S. Augustinus Lib. 3. contra Julianum, Cap. XVIII. Bonus est Deus, inquit, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. Justus autem non esset, si nulli obnoxiam peccato imaginem suam vita privaret æterna; aut virum justum ad Regnum suum

Discrimen inter misericordiam, & justitiæ economiam.

Lib. de Resurr. carnis.

S. Augusti Lib. I. contra Julianum c. 7 lib. 43. c. 4.

suum

suum non admitteret. *Jacob quidem dilexit Deus, Esau odio habuit, antequam quidquam boni, vel mali egissent, ut ait Apostolus. Verum Quid diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus fecisset aliquid mali nisi originale peccatum? Nam neque, in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat (inquit S. Augustinus Epistola cxciv. alias cv. ad Sixtum.) Cujus vult Deus miseretur, & quem vult indurat (inquit Apostolus) Numquid tamen est iniquitas apud Deum? Absit. Nam, ut ibid. S. Augustinus docet, Querimus meritum obdurationis, & invenimus. Merito namq; peccati universa massa damnata est; nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: At potius, ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Querimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis reddatur. In eadem massa damnationis omnes homines erant involuti propter originale peccatum, quod ex Adam contraxerunt: & etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam. Sed aliquos liberavit misericors Deus, pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ut ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, & quo etiam istos debitum Dei judicium duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret. Quid igitur obmurmuras, & quereris? *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me finxisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* (inquit Apostolus.) Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam. Potuit Deus absque injustitiæ labe, ex eadem massa, utique merito, recteque damnata, facere aliud vas in honorem indebitum propter misericordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iræ justitiam, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa Misericordiæ, sic ostendens quid eis largiatur, cum id supplicium recipiant vasa iræ, quod pariter omnibus debebatur. „ Miseretur ergo Deus magna bonitate, obdurat nulla ini-
 „ quitate; ut nec liberatus de suis meritis gloriatur, nec damnatus nisi de
 „ suis meritis conqueratur Sola enim gratia redemptos discernit a perditis,
 „ quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa com-
 „ munitis (inquit S. Augustinus *Enchiridii Cap. xcix.*) Satis sit igitur Chri-
 „ stiano ex fide adhuc viventi, nosse vel credere, quod neminem Deus li-
 „ beret nisi gratuita misericordia per Dominum nostrum Jesum Christum;
 „ & neminem damnet nisi æquissima veritate per eundem Dominum no-
 „ strum Jesum Christum. Cur autem illum potius, quam illum liberet,
 „ aut non liberet, scrutetur, qui potest judiciorum ejus tam magnum pro-
 „ fundum: verumtamen caveat præcipitium. Numquid enim est iniquitas
 „ apud Deum? Absit. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles
 „ viæ ejus. “ Verba sunt *S. Augustini* in Epistola ad Sixtum.
 „ Impia certe, ac feralis *Calvini* sententia est, qui Deum sola sua volunta-
 „ te, sine ulla prævisione peccati, certos homines ad æternam damnationem
 „ ordinasse, & ad peccatum incitare, immo necessitate compellere asserit.
 „ Quam Hæresim & *S. Prosper* in Responsione ad objectionem tertiam Vin-
 „ centianam ita refellit: „ Omnium quidem hominum Deus Creator est, sed
 „ nemo ab eo ideo creatus est, ut periret: quia alia est causa nascendi,
 „ alia pereundi. Ut enim nascantur homines, Conditoris est beneficium: ut
 „ autem pereant, prævaricationis est meritum.*

Rom. 7.
 Massa dam-
 nationis.

Ex ea si nul-
 lus liberare-
 tur, nemo
 propterea
 Dei justiti-
 am jure vi-
 superaret.

Rom. 9.

Cur hunc
 potius quam
 illum Deus
 liberet, in-
 scrutabile.

Impia Cal-
 vini de re-
 probatione
 sententia.

Nemo a Deo
 creatus est, ut
 periret.

Eadem Hæresis prædamnata est a Concilio Arausicano II. & Valentino III. ex tribus Galliæ Provinciis, Lugdunensi, Viennensi, & Arelatensi congregato anno Christi octingentesimo quinquagesimo-quinto. Canone III. *Fidenter, inquit, fatemur prædestinationem Electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deam ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturum erat... In malis vero ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsorum est; non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sane malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præscivisse, & prædestinasse, quia justus est, apud quem (ut S. Augustinus ait) de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia... Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet, ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausicana Synodus, illis Anathema dicimus.*

Prædestinatio electorum ad gloriam gratuita: prædestinatio impiorum ad mortem ex malis meritis.

Valentini Concilii sensui consonat Carisiacense cap. I. cujus hæc sunt verba: *Deus bonus, & justus elegit ex eadem massa perditionis, secundam præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, & vitam illis prædestinavit æternam. Ceteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit. Pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam.*

§. X V I.

Ex divinis Perfectionibus nonnulla colliguntur documenta ad morum informationem.

I. Ex his, quæ de divinis perfectionibus dicta sunt, multa colligi possunt ad morum informationem. Deus perfectissimus est; nos summopere imperfecti: igitur eniti debemus ad perfectionum imitationem divinarum, & ad Dei nostri similitudinem, quantum quidem creaturæ cum ejus gratia fas est, in nobis exprimendam, quemadmodum jubet Christus Dominus (Matth. v.) *Estate ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Nam Religionis summa est, imitari quem colis (inquit S. Augustinus Libro VIII De Civitate Dei, cap. XVII.) Hinc illud Plotini Philosophi Platonici a S. Augustino laudatum Libro IX. De Civitate Dei, cap. XVII. *Fugiendum est ad charissimam Patriam, & ibi Pater, & ibi omnia. Quæ igitur classis, aut fuga? Similem Deo fieri. Si ergo (inquit S. Augustinus) quanto similior, tanto fit quisque propinquior; nulla est ab illo alia longinquitas, quam ejus dissimilitudo. Incorporati vero illi æterno, & incommutabili tanto est anima hominis dissimilior, quanto rerum temporalium, mutabiliumque cupidior.* Atque in illa divinarum perfectionum imitatione semper proficiendum est, Angelorum instar, qui per scalam mysticam Jacob descendebant, & ascendebant, nullus stabat, & quiescebat, quia in via Christianæ perfectionis non progredi, regredi est. Unde Apostolus ad Philippenses III. *Unum quidem (inquit) quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brævium superne vocationis Dei in Christo Jesu: non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Et tamen paulo post ait: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Aliter ergo hic non potes esse perfectus, nisi scias hic te non esse perfectum. Hæc ergo erit perfectio tua, sic te quædam transiisse, ut ad quædam properes; sic quædam te transiisse, ut restet aliud, ad quod omnibus transactis transiliendum est. Hæc tuta fides est. Nam quisquis se jam pervenisse putat,*

Dei perfectiones imitande.

In Divinarum perfectionum imitatione semper proficiendum. Genes. 38.

tat;

tat, in alto se ponit, ut cadat. Verba sunt S. Augustini, Enarratione in Psalmum xxxviii.

Dei simplici-
tatem
quomodo
imitari de-
bemus?

Galat. 5.

1 Cor. 6.

Job. 1.

Matth. 10.

Matth. 6.

Eccle. 2.

Matth. 4.

Matth. 23.

In mutabili-
tatem in
quo imitari
debemus?

Eccle. 27.

Eccle. 33.

Psalms. 61.

Jungen-
dum cor
nostrum
æternitati
Dei.

II. Deus incorporeus est, ac simplicissimus. Ipsum in Spiritu adoremus, & veritate. A terrenis, & corporeis rebus abstrahamur, secundum carnem ne ambulemus, sed secundum Spiritum, & interiorem hominem, qui de die in diem renovatur ad imaginem ejus, qui fecit illum. Spiritu ambulate (inquit Apostolus) & desideria carnis non perficietis. Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus. Ergo (inquit S. Ambrosius Sermone iv. in Psalmum cxviii.) secundum voluntatem Dei ambulemus ut Deo inhærere dicamur, cui si adhæreamus, unus cum ipso spiritus efficimur. Nam Qui adheret Domino, unus spiritus est, ut ait Apostolus. At vero, inquit S. Ambrosius, Qui secundum corporis appetentiam vivit, caro est. Qui secundum præcepta Dei, spiritus est. Uni, simplicissimoque Deo servientes, simplicitatem sectemur, ob quam Sanctus Job meruit commendari: Erat vir simplex. In mente, corde, ore, opere nostro simplicitas eluceat. In mente per veritatem, in corde per charitatem, in ore per sermonis ingenuitatem, in opere per veram, & minime fucatam justitiam. Christi verbis pareamus: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbe: & Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Cordis dupliciter fugiamus: Væ enim duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Sit sermo noster, Est, est, Non, non. Ab hypocrisi longe abhorreamus, quod vitium in Phariseis toties, & tam acriter infectatus est Christus, Væ illis sæpius ingeminans: Væ vobis! Scribæ, & Pharisei hypocrite, quia mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, ut fiat id quod deforis est, mundum. Væ vobis! Scribæ & Pharisei hypocrite: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus justis, intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. Nos simplices esse Christus jubet. Quomodo autem eris simplex? Si te non mundo implicaveris, sed ex mundo explicaveris. Explicando enim te simplex eris (inquit S. Augustinus Tractatu xxiiii. in Joannem.)

III. Deus immutabilis est: ejus immutabilitatem honoremus boni propositi firmitate, constantia voluntatis in ejus mandatorum observantia, & in ejus amore. Ne mutemur, nisi in melius: peccatores ne imitemur, quorum character est levitas, instabilitas, inconstantia. Nam Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol: stultus sicut Luna mutatur: Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatio illius. Ne similes simus nubibus, quæ ab omni vento circumferuntur, aut arundini vento agitata. Cum Propheta dicamus: Nonne Deo subiecta erit anima mea? Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus. Susceptor meus, non movebor amplius. In Dei contemplatione, & amore defixi, beatarum mentium immutabilitatem jam in hac mortali vita æmulemur, de qua S. Augustinus Libr. xii. Confessionum: Quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendes ei te, & sufficis ei: & ideo non declinat a te, nec ad se.

IV. Deus æternus est. Jungamus cornostrum æternitati Dei, temporalia, & peritura bona parvipendamus, ad æterna, & invisibilia suspiremus, & tendamus. Animus enim nullo modo sanus existimandus est, qui non temporalibus æterna præponit (inquit S. Augustinus in Epist. ad Probam) Curramus alacriter in via mandatorum Dei, nullis tribulationibus ab eo separemur, aut ab incepto cursu retardemur, aut desiciamus. Id enim, quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ

viden-

videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt (inquit Apollolus II. ad Corinth. IV.) Ascendant cogitationes nostræ supra tempus: æterna meditemur, ut dicere possimus cum Propheta: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Qui sunt anni æterni? Magna cogitatio, quæ vult magnum silentium. *Ab omni forinsecus strepitu, ab omni rerum humanarum tumultu intus requiescat, qui cogitare vult annos istos æternos* (inquit S. Augustinus.) Hi sunt anni, qui stant, qui non venientibus, & abeuntibus diebus peraguntur, de quibus alio loco Scriptura dicit Deo: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ad Deum æternum confugiamus, siquidem propter ipsum conditi sumus: dicamus cum Propheta: *Domine, refugium factus es nobis. . . . Prius quam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, a seculo, & usque in seculum tu es Deus.* Quæ verba, S. Augustinus expendens, ait: *Æternitas facta est nobis refugium: ut in ea mansuri, ad eam de hac temporis mutabilitate fugiamus. Sed quoniam cum hic sumus, in magnis, & multis tentationibus vivimus, quibus ne avertamur ab isto refugio metuendum est: intueamur, quid consequenter poscat oratio hominis Dei: Ne avertas hominem in humilitatem: idest, ne a tuis æternis, atque sublimibus homo averfus temporalia concupiscat, sapiatque terrena. Et hoc a Deo poscit, quod Deus ipse præcepit.*

Psalm. 76.

Enarrat in Psalm. 76.

Psalm. 101.

Psalm. 89.

I. Tim. 1.

V. Regi seculorum immortalis, & invisibilis, soli Deo honorem, & gloriam dantes, vitemus (quod in nostra potestate cum ejus gratia positum est) mortem peccati: *Sicut enim vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus* (inquit S. Augustinus Enarratione in Psal. LXX.) *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (inquit Dominus per Prophetam.) Quod si a Deo per mortale peccatum separemur, nos manet *Secunda mors, & æterna, de qua Christus ait: Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* De qua S. Augustinus Libro VI. De Civitate Dei, cap. ult. scribit: *Si anima in penis vivit æternis, quibus & ipsi Spiritus cruciabantur immundi, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe major, & pejor est mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animæ natura, per id, quod immortalis creata est, sine qualicumque vita esse non potest; summa mors ejus est alienatio a vita Dei in æternitate supplicii.*

Immortalitatem Dei imitari debemus, vitando mortem peccati

Ezech. 18.4.

Matth. 10. 28.

VI. Deus ubique est, & omnia novit: debemus igitur omnia opera nostra agere, cogitationes omnes, & intentiones dirigere quasi sub oculis Dei supremi Judicis, ac testis, cujus oculis nihil est absconditum, qui falli, aut circumveniri non potest. *Omnia enim nuda sunt, & aperta oculis ejus.* Deum præsentem semper cogitemus, ut peccatum vitemus, ut in virtute confirmemur, secundum illud Prophetæ oraculum Psal. xv. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Et Psal. civ. *Querite Dominum, & confirmamini, querite faciem ejus semper.* Quæ est facies Domini, nisi præsentia Dei? (inquit S. Augustinus.) *Deus sine fine querendus, quia sine fine amandus. Dicimus enim etiam præsentem alicui, Non te quero: idest, non te diligo. Ac per hoc, qui diligitur, etiam præsens queritur, dum charitate perpetua, ne fiat absens, agitur.* Proinde quem quisque diligit, etiam cum videt, sine fastidio semper vult esse præsentem, hoc est, semper querit esse præsentem. Et nimirum hoc est, Querite faciem ejus semper: Ut non huic inquisitioni, qua significatur amor, finem præstet inventio: sed amore crescente inquisitio crescat inventi. Deum præsentem intueri, & velut sub ejus oculis omnia opera sua facere, Angelicæ vitæ imitatio est. *Angeli enim sem-*

Deum præsentem semper intueri, & velut sub oculis ejus omnia opera nostra facere debemus.

Ad Hebr. 12. 1.

- Matth. 18.* *semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.* Contra vero, oblivio Dei causa est cur homines in omne peccatorum genus prolabantur. Unde Psal. ix. dicitur: *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Hinc inter scelera Jerusalem oblivio Dei recensetur Ezechielis XXII. *Meique oblita es, ait Dominus Deus.* Nec mirum: Memoria enim Dei excludit cuncta flagitia (inquit S. Hieronymus in hunc locum.) Certe quando peccamus, si cogitaremus Deum videre, & esse præsentem, nunquam, quod ei displicet, faceremus. Si oculos a Deo non avertas oculos ipse suos super te benignus firmabit, quemadmodum Psalmo xxxi. scriptum est: *Firmabo super te oculos meos.* Id est, S. Augustino interprete, *Non a te auferam oculos meos, quia & tu non auferes a me oculos tuos. Jam justificatus, jam post remissionem peccatorum leva oculos tuos ad Deum. Putruerat enim scor tuum, cum esset in terra. Non gratis audis. Sursum Cor, ne putreat. Ergo & tu leva jam oculos tuos semper in Deum, ut firmet super te oculos suos ... Oculos tuos in illum erige, & non timebis, ne in laqueum incurras. Audi alium Psalmum, Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellat de laqueo pedes meos.* Ideo Abrahamo dixit Deus: *Ambula coram me, & esto perfectus:* quia compendiaria ad Christianam perfectionem via est perennis memoria Dei, & Majestatis ejus ubique præsentis consideratio. Hinc S. Gregorius Nazianzenus Oratione xxxi. *Nectam sepe, inquit, spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus.* Et S. Basilius in Regulis fusius disputatis, interrogatione v. *Omni, inquit, custodia custodiendum cor nostrum, neque patiendum ut assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur. Agendum, ut ex perpetua, ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod sigillum circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga Deum acquiri charitas consuevit. Quæ simul, cum ad faciendam Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoque ab iisdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conservatur.*
- Psalm. 24.*
- Gen. 17. 1.*

- Cum ubique sit Deus, non tamen in omnibus habitat, sed in iustantum, qui templum illius sunt per gratiam sanctificantem, & charitatem, de quibus ait Christus Dominus: „ Si quis diligit me, sermones meos servabit: „ & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et Apostolus: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Unde fatendum est (inquit S. Augustinus Epistola CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum) Ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi proculdubio gratia dilectionis ejus agnoscitur, non dicimus, Pater noster, qui es ubique, cum & hoc verum sit, sed, Pater noster, qui es in cœlis; ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod & nos ipsi esse debemus, & in quantum sumus, in tantum ad ejus societatem, & adoptionis familiam pertinemus.
- Eniti debemus, ut simus templum Dei, ut in nobis habitet.*
- Joan. 14.*
- 1. Joan. 4.*
- „ Si enim populus Dei nondum factus æqualis Angelis ejus adhuc in ista peregrinatione dicitur Templum ejus, quanto magis est Templum ejus in cœlis, ubi est populus Angelorum, quibus aggregandi, & coæquandisumus, cum finita peregrinatione, quod promissum est, sumpserimus? Totis ergo studiis, ac viribus ejus gratia adjuti enitamur, ut simus Templum Dei, in quo ipse habitet; Templum illud mundemus, ornemus, Deoque consecratum ab omni pollutione peccati servemus. Qui iustus est, justificetur adhuc; qui sanctus, sanctificetur adhuc, ut in eo Deus magis habitet, quia etiam, in quibus habitat, non æqualiter habitat (inquit S. Augustinus.) Unde enim in omnibus Sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum? Præ omnibus vero caveamus, ne abili-

lo peccando recedamus, & longe abeamus. Hi enim ab eo longe esse dicuntur, qui peccando dissimillimi facti sunt; & hi ei propinquare, qui ejus similitudinem pie vivendo recipiunt. Sicut recte dicuntur oculi tanto esse ab hac luce longius, quanto fuerint ceciores. Propinquare autem luci merito perhibentur oculi, qui sanitatis accessu aciem recipiendo proficiunt. Denique Deus aliter in nobis, & nos aliter in Deo habitamus. *Habitas in Deo, sed ut continearis. Habitat in te Deus, sed ut te contineat, ne cadas. Ne sic te putes domum Dei fieri, quomodo domus tua portat carnem tuam. Si subtrahat se domus, in qua es, cadis: Si autem tu te subtrahas, non cadit. Deus integer est, cum eum deseris, integer, cum ad illum redieris* (inquit S. Augustinus Tract. VIII. in Epistolam S. Joannis.)

Aliter Deus in nobis, aliter nos in Deo habitamus.

VI. Deus summe bonus est, & omnis boni bonum, modoque singulari, & eximio bonum nostrum. Ipsi ergo adhærere, ipsum appetere, qui replet in bonis desiderium nostrum, ipsam diligere præ omnibus, & super omnia debemus. Dicamus igitur cum Propheta: *Mibi adhærere Deo, bonum est.* Nam *Inde necesse est, ut fiat homo beatus, unde fit bonus* (inquit S. Augustinus Epist. cxxx. alias cxxi.) Dicat ergo Epicureus, *Mibi frui carne bonum est:* Stoicus dicat, *Mibi frui mea mente, ac virtute bonum est:* Christianus dicet: *Mibi autem adhærere Deo, bonum est.* Hoc est totum bonum. Dicat Epicureus, *Beatus est, cujus est in fructu voluptas carnis ejus.* Dicat Stoicus, *Immo Beatus, cujus est in fructu virtus animæ ejus.* Christianus dicet: *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.*

Deo, quatenus summum bonum est summe adhærere debemus.

Psal. 72.

S. Aug. serm. 156. alias 13. de verbis Apostoli.

VII. Deus misericors est, & justus. Misericordiam ejus laudamus, dicentes cum Propheta, *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Gratias ei agamus immortales, quia *Misericordie ejus munus est, Quod non sumus consumpti, quia Sicut miseretur Pater filiorum, sic misertus est nostri; Secundum altitudinem cæli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se: & quantum distat Ortus ab Occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.* Ad ipsam confugiamus semper nobis necessariam, cum Propheta pœnitente orantes: „ *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.:* „ *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Inclamemus, Deus meus misericordia mea, cujus miserationes super omnia opera ejus, gratias tibi ago, quia eruisti animam meam ex inferno inferiori. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Deus cujus Misericordia superexaltat judicium, non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. De misericordia Domini ne desperemus unquam, quia infinita est, eique proprium est misereri semper; sed nec abutamur, ne de illa præsumamus, ne *Divitias bonitatis ejus, & longanimitatis contemnamus, Secundum duritiam nostram, & impenitens cor thesaurizantes nobis iram in die iræ, & justii judicii Dei.* Ut vero misericordiam Dei impetremus, misericordiam ipsius imitemur, erogando elemosynas, injurias condonando. *Estote misericordes* (inquit Christus) *sicut & Pater vester misericors est.:* *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Denique inquit Jac. Apost. *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Deum misericordem diligamus; justum timeamus; immo justitiam ipsam timendo diligamus, quæ, ut ait Tertullianus Lib. II. *Contra Marcionem, Cap. VIII.* „ *Plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum* „ *perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem clementia; Dominum disciplina: Patrem potestate blanda: Dominum severa: Patrem diligendum pie;**

Psal. 102.

Thren. 3. 22. Laudanda, & imploranda est misericordia Dei, quin etiam imitanda. Psal. 50.

Hebr. 4.

Psal. 85. Psal. 93. Psal. 56. Jacobi 2.

Psal. 14.

Rom. 2.

Luc. 6.

Matth. 5.

Jacob. 2. 13

Justitia Dei
timenda.

„ Dominum timendum necessarie : diligendum , quia malit misericordiam ;
„ quam sacrificium ; & timendum , quia nolit peccatum : Diligendum , quia
„ malit pœnitentiam peccatoris , quam mortem : & timendum , quia nolit
„ peccatores sui jam non pœnitentes . Ideo Lex utrumque definit , Diliges
„ Deum , & Timebis Deum . Aliud obsecutori proposuit , aliud exorbitato-
„ ri .

§. XVII.

Deum unum in Essentia, Trinum in Personis Fides Catholica confitetur .

Sanctissimæ
Trinitatis
Mysterium.

Summæ Dei unitati, & simplicitati Personarum Trinitas non officit, U-
trumque credendum, non subtilius exquirendum est. Unitatem in es-
sentia, substantia, natura, deitate; distinctionem, & Trinitatem in perso-
nis Fides Catholica tradit. Tres personas subsistentes, suisque proprietati-
bus distinctas, non tria dumtaxat nomina, aut tres energias, sive operatio-
nes, contra Noeti, Praxeæ, & Sabellii Hæreses, Scriptura Sacra docet.
Pf. xxxii *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus
eorum.* Nomine Domini intelligitur Pater, prima Trinitatis persona, cui
creatio rerum tribuitur, quamvis sit indivisum trium Personarum opus.
Verbum Domini Filius est, secunda Trinitatis persona, per quem omnia
facta sunt. Spiritus oris Dei est Spiritus Sanctus, tertia Trinitatis per-
sona, cui perfectio divinorum operum singulari quadam ratione tribuitur.
Joannis I. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus
erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum :: Omnia per ipsum facta sunt,
& sine ipso factum est nihil :: Et Verbum Caro factum est.* Verbum erat in
principio, antequam res ulla creata esset; & Verbum erat Deus, per quem
rerum universitas condita est. Igitur una est Verbi, sive Filii, & Patris es-
sentia, potestas una, vis una, operatio una. *Verbum erat apud Deum.* Est
igitur Persona subsistens, a Patre distincta: nemo enim apud semetipsum
esse congrue dicitur. *Et Verbum Caro factum est,* non Pater. Distincta igitur
est a Patre Persona. Jo: XIV. Mysterium Trinitatis disertis verbis Chri-
stus docet: *Si cognovissetis me, & Patrem meum cognovissetis . . . Philippe,
qui videt me, videt & Patrem . . . Non creditis, quia ego in Patre, & Pa-
ter in me est? . . . Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Se
a Patre, & Paraclito, idest, Spiritu Sancto, Persona distinctum, aliumque
significat: sed unum essentia, & deitate, ex qua agnosci poterat. Distin-
ctionem realem Personarum confirmant verba Christi, Joan. VIII. *Solus non
sum, sed & ego, & qui misit me Pater. Et in Lege vestra scriptum est, quia
duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de
me ipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Legis enim suffra-
gium dicentis, *In ore duorum, vel trium stare omne verbum,* instituto suo haud
recte accommodaret, nisi persona esset a Patre distincta. Idem probat missio:
nemo enim mittit seipsum. Alius igitur a Patre est, quem misit Pater. Idem
Mysterium docet forma Baptismatis a Christo tradita, Matt. ult. *Euntes docete
omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*
Pater Filius, & Spiritus Sanctus, tres Personæ sunt: in eorum vero nomi-
ne, non in nominibus baptizari jubentur homines, quo significatur unitas
essentiæ. Idem docet S. Joannes Epistolæ I. cap. v. *Tres sunt, qui testimo-
nium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum
sunt.* Tres, qui testimonium dant, Personæ sunt distinctæ: Unum vero sunt,
quod Essentiæ significat unitatem. Unum sunt, non unus: Tres sunt, non
tamen triplex, sed trinus, & unus Deus: Trinus Personis, unus Essentia.
Quæ quidem Essentia, & Natura divina non minor in singulis est Personis,
quam

Deut. 17. 6.

quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in singulis: sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul, & Filio: & tanta in solo Spiritu Sancto, quanta simul in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Una summa Res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul Personæ, ac singulatim quælibet earundem. Cum autem in his adorandis Personis non sit majus, aut minus, non prius, aut posterius, sed coæternæ sibi sint, & coæquales, suis tantummodo proprietatibus personalibus distinctæ intelliguntur. Pater siquidem ingenitus est, Filius a Patre ante omnia sæcula genitus, Spiritus Sanctus a Patre, & Filio procedit. Pater, Filius, & Spiritus relativa sunt nomina. Relativum porro dicitur, quod ad aliud cognoscendum referimus, ut dum unum nominamus, alium necessario intelligamus, ac demonstramus. Substantiæ vero nomen unum est, scilicet Deus. Relationis ergo nomina propria singulæ personæ retinent, substantiæ vero nomen unum communiter possident. Quod a Ss. Patribus frequenter repetitum principium, cum de Sacrosancta Trinitate sermonem fecerunt, Conc. Toletanum XI. his verbis declaravit: *In relativis Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur: quæ cum relative tres Personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur.* Tum paucis interpositis: *In relatione Personarum numerus cernitur, in Divinitatis vero substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod invicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Quamobrem Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: sed tamen non tres Dii, sed unus est Deus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus: non tamen tres Domini, sed unus est Dominus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Sic igitur trium personarum eandem essentiam, eandem substantiam, eandem naturam, perfectiones easdem, eandem omnipotentiam, immensitatem, æternitatem, mentem, scientiam, voluntatem eandem confitemur: ut in confessione veræ, sempiternæque Deitatis & in Personis proprietas, & in Essentia unitas, & in Majestate æqualitas, a nobis credatur, & adoretur.

Id aliqua similitudine Populo Christiano explicari utcumque potest. Nam cum de fonte interrogati, non possumus dicere, quod ipse sit fluvius: nec de fluvio interrogati, possumus eum fontem vocare; & rursus potionem, quæ de fonte, vel fluvio est, nec fluvium possumus appellare, nec fontem: „Tamen in hac Trinitate aquam nominamus, & cum de singulis quæritur, „singillatim aquam respondemus. Nam si quæro, utrum aqua in fonte „sit, respondetur aqua; & si quæramus, utrum aqua sit in fluvio, nihil „aliud respondetur; & in illa potionem non poterit esse alia responsio; nec „tamen eas tres aquas, sed unam dicimus. Cavendum tamen est, ne quisquam ineffabilem Divinæ Majestatis substantiam sicut fontem istum visibilem, atque corporeum, vel fluvium, vel potionem cogitet. In his enim „aqua illa, quæ nunc in fonte est, exit in fluvium, nec in se manet; & „cum de fluvio, vel de fonte in potionem transit, non ibi permanet, unde „sumitur. Itaque fieri potest, ut eadem aqua nunc ad fontis appellationem „pertineat, nunc ad fluvii, nunc ad potionis: cum in illa Trinitate non „possit fieri, ut Pater aliquando sit Filius, aliquando Spiritus Sanctus: sicut in arbore non est radix nisi radix, nec robur est aliud quam robur, „nec ramos nisi ramos possumus dicere: non enim quod dicitur radix, id „potest dici robur, & rami; nec lignum, quod pertinet ad radicem, potest aliquo transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, „sed tantummodo in radice: cum illa regula nominis maneat, ut radix lignum

Proprietatibus, seu relationibus personalibus SS. Trinitatis personæ distinguuntur.

SS. Trinitatis Mysterium pro captu mentis humanæ explicatur.

S. Aug. lib. de Fide, & Symbolo, c. 9.

„ fit, & robur lignum, & rami lignum, nec tamen tria ligna dicantur, sed
 „ unum. Aut si hæc habent aliquam dissimilitudinem, ut possint non absur-
 „ de tria ligna dici, propter firmitatis diversitatem; illud certe omnes con-
 „ cedunt, si ex uno fonte tria pocula impleantur, posse dici tria pocula,
 „ tres autem aquas non posse dici, sed omnino unam aquam; quamquam de
 „ singulis poculis interrogatus, in quolibet horum aquam esse respondeas.

Ne autem cogites Filium alterius esse naturæ, diversæque substantiæ, quia Pater Deus non est de altero Deo, Filius autem Deus est de Patre Deo: his enim verbis non indicatur substantia, sed origo, id est, non quid sit, sed unde sit quisque, vel non sit. Neque enim Abel, & Adam ideo non unius naturæ, atque substantiæ fuerunt, quia iste fuit homo de homine illo, ille de nullo. *Si ergo utriusque natura quæritur, homo Abel, homo Adam: Si autem origo, prius homo ex quo Abel, nullus homo ex quo Adam. Ita in Deo Patre, & Deo Filio, si utriusque natura queratur, uterque Deus, nec magis alter altero Deus: si autem origo, Pater est Deus, de quo Filius Deus: de quo autem Pater, nullus est Deus.* Explicatio est ejusdem S. Augustini Epist. CLXX alias LXVI.

SS. Trinitatis imago in Angelo, & homine.

Quamvis autem nonnulla sint in creaturis corporeis Sacrosanctæ Trinitatis vestigia, in solis tamen creaturis intelligentibus, Angelo nimirum, & homine, ad imaginem Dei conditis, ejus imago est, in memoria scilicet, intelligentia, & voluntate; quæ cum tres sint facultates, sive operationes, non sunt tamen tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; consequenter nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Rursus mens se ipsam novit, ac diligit. Se cogitando, & intelligendo notitiam parit intra se manentem, seu verbum interius, quam veluti prolem dicendo intus gignimus, quæ nascendo non recedit a mente. Inde vero oritur amor, quo mens se ipsam cognitam amat. Hæc imago quædam, quamvis incomparabiliter impar, divinæ Trinitatis est. *Ipsa mens, & notitia ejus, quod est proles ejus, ac de se ipsa verbum ejus, & amor tertius: & hæc tria unum, atque una substantia. Nec minor proles, dum tantam se novit mens, quanta est; nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum novit, & quanta est* (inquit S. Augustinus Lib. IX. De Trinitate, Cap. XII.) Veram expressior est in mente imago Dei, eo quod meminit, intelligit, & diligit Deum, ut docet S. Aug. Lib. XIV. Cap. XII. *Hæc, inquit, Trinitas mentis, non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens, & intelligit, ac diligit se: Sed quia potest etiam meminisse, & intelligere, & amare, a quo facta est. Quod cum facit, sapiens ipsa fit. Si autem non facit, etiam cum sui meminit, seseque intelligit, ac diligit, stulta est.*

Verum cum in omnibus, quæ proferuntur, & proferri possunt ad explicandum utcumque Trinitatis adorandæ Mysterium infinita sit disparitas, ac dissimilitudo, nec ad illius cognitionem sola ratione duce pervenire possimus, oremus Deum assidue, ac ferventer, ut qui ipso revelante id credimus, aliquando in æterna tabernacula recepti videamus, quæ tanta sit Dei Patris fecunditas, ut se ipsum intuens, atque intelligens, parem, & æqualem sibi Filium gignat: quomodo duorum idem plane, & par charitatis Amor, qui Spiritus Sanctus est, a Patre, & Filio procedens Genitorem, & Genitum æterno, atque indissolubili vinculo inter se connectat: atque ita divinæ Trinitatis una sit Essentia, & trium Personarum perfecta distinctio. *Existimabam enim, ut cognoscerem hoc. Labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei.*

S. XVIII.

Imago Sanctissimæ Trinitatis in nobis reformanda.

Oremus interim, & operam demus, ut SS. Trinitatis imago in nobis per peccatum

tum

tum, & cupiditates sæculares deformata, reformetur per Dei gratiam, a qua formata est. *Renovamini* (inquit Apostolus) *spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Peccando justitiam, & sanctitatem veritatis homo amisit; propter quod hæc imago deformis, & decolor facta est: Hanc recipit, cum reformatur, & renovatur. „ Sane ista renovatio non momento uno fit ipsius conversionis, sicut „ momento uno fit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum: „ neque enim, vel unum quantulumcumque remanet, quod non remittatur. Ephes. 4.
 „ Sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ fe- „ bribus facta est, revalescere: itemque aliud infixum telum de corpore de- „ mere, aliud vulnus, quod eo factum est secunda curatione sanare: ita prima „ curatio est, causam removere languoris, quod per omnium fit remissionem „ peccatorum; secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo „ in renovatione hujus imaginis. Quæ duo demonstrantur in Psalmo ubi legitur: Psal. 102.
 „ *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis: Quod fit in baptismo: Deinde „ sequitur: Qui sanat omnes languores tuos: Quod fit quotidianis accessibus, „ cum hæc imago renovatur.* „ De qua re Apostolus apertissime locutus est, „ dicens: *ET SI exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* 2. Cor. 4.
 „ In agnitione igitur Dei, justitiæque, & sanctitate veritatis, qui de die in „ diem proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, „ a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritalia; atque ab istis „ cupiditatem frænare, atque minuere, illisque se charitate diligenter alli- „ gare insistit. In hac autem imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, 2. Cor. 4.
 „ cum perfecta erit visio. Unde Apostolus II. ad Corinthios III. ait: Nos „ autem revelata facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem „ transformamur, de claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu. Hæc S. Augustinus, Lib. xv. De Trinitate, Cap. XVI. & XVII.

Præclare, ac pie omnino de Trinitatis imagine in nobis reformanda S. Bernardus disserit Sermone XLV. Beata illa, & sempiterna Trinitas, inquit, Animam rationalem ad imaginem, & similitudinem suam condidit, Memoria, Ratione, & Voluntate instructam: „ Ut manens in illo, participatione „ ejus esset beata: averfa ab illo, quocumque se conferret, esset misera. „ Sed hæc trinitas creata elegit potius per motum propriæ voluntatis ca- „ dere, quam ex gratia Conditoris per liberum arbitrium stare. Cecidit ergo „ per suggestionem, delectationem, consensum, ab illa summa, & pulchra „ Trinitate, scilicet potentia, sapientia, puritate, inquamdam contrariam, „ & sedam trinitatem, scilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam. Me- „ moria enim facta est impotens, & infirma, Ratio imprudens, & tene- „ brosa, Voluntas impura. Porro Memoria, quæ simplicis Divinitatis po- „ tentiam stans cogitabat, ab illa cadens, & velut supra saxa corruens, in „ tres partes contracta diffiliit, scilicet in cogitationes affectuosas, onerosas, „ otiosas. Affectuosas voco illas, in quibus ipsa afficitur, ut in curis re- „ rum necessariorum, edendi, bibendi, ceterarumque similibus. Onerosas, „ ut in exterioribus administrationibus, & occupationibus duris: Otiosas, „ quibus, nec afficitur, nec oneratur, & tamen ab æternorum contem- „ platione per illa distenditur: ut si cogitet, verbi gr. equum currentem, „ aut avem volantem. Rationis quoque triplex calus est: Siquidem ejus „ erat discernere inter bonum, & malum, verum, & falsum, commodum, „ & incommodum: In quibus discernendis tanta modo caligine cæcatur, ut „ sæpe in contrarium ducat judicium, recipiens malum pro bono, falsum „ pro vero, noxium pro commo, & e converso. Numquam vero in his „ falleretur, si numquam Luminē, a quo creata est, privaretur. Sed quia

Creata Tri-
nitas, scilicet
ratio, memo-
ria, volun-
tas, per sug-
gestionem
delectatio-
nem, & consen-
sum lapsa
a B. Trini-
tate refor-
matur per fi-
dem, spem,
& charita-
tem.

„ & ipsa inde cecidit, proculdubio nihil aliud, quam tenebras suæ cæcitatatis
 „ invenit... Sequitur voluntas, cujus ruina similiter tripartita est. Quæ-
 „ nim summæ benignitati, & puritati inhærere, & eam solam diligere de-
 „ buit, per propriam iniquitatem a supernis in hæc infima lapsa, per con-
 „ cupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi,
 „ terrena dilexit. Quid hoc infelicius casu potest æstimari, ubi pereunte
 „ Memoria, Ratione, Voluntate, tota Animæ substantia perimitur?

„ Verumtamen hunc tam gravem, tam tenebrosam, tam sordidum lapsum
 „ nostræ naturæ reparavit illa beata Trinitas, memor misericordiæ suæ, im-
 „ memor culpe nostræ. Venit ergo a Patre missus Dei Filius, & dedit Fi-
 „ dem. Post Filium missus est Spiritus-Sanctus, & dedit, docuitque Charitatem.
 „ Itaque per hæc duo, idest, Fidem, & Charitatem, facta est spes
 „ redeundi ad Patrem. Et hæc est trinitas, scilicet Fides, Spes, Caritas,
 „ per quam velut per tridentem reduxit de limo profundi ad amissam bea-
 „ titudinem illa incommutabilis, & beata Trinitas mutabilem, lapsam, &
 „ miseram trinitatem. Et Fides quidem illuminavit rationem, spes erexit
 „ memoriam, charitas vero purgavit voluntatem. Cum ergo venit Deus Fi-
 „ lius, & factus est homo, qui erat Deus, tamquam Medicus bonus dedit
 „ præcepta, quibus observatis reformaretur salus amissa. Ut vero præceptis
 „ faceret fidem, exhibuit signa. Ut eorundem præceptorum persuaderet uti-
 „ litatem, promisit beatitudinem. Est igitur fides alia præceptorum, alia
 „ signorum, alia promissorum: idest, qua credimus in Deum, qua credimus
 „ Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum;
 „ credere autem in Deum, est in eum sperare, & eum diligere. Per fidem
 „ signorum credimus Deum, qui talia potest, & omnia potest. Per fidem
 „ promissorum credimus Deo, qui quicquid promittit, veraciter complet.
 „ Similiter quoque spes triplex est, & procedit de prædicta triplici fide. Nam
 „ de fide præceptorum oritur spes veniæ: de fide signorum, spes gratiæ:
 „ de fide promissorum, spes gloriæ. Caritas itidem ternario numero col-
 „ ligitur, *De corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta*, Puritatem
 „ debemus proximo, conscientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem est, ut
 „ quidquid agitur, aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei.
 „ Maxime autem exhibenda est proximo, quia Deo manifesti sumus: pro-
 „ ximo autem non possumus, nisi in quantum illi cor nostrum aperimus.
 „ Conscientiam bonam faciunt in nobis duo, pœnitentia, & continentia:
 „ quando scilicet per pœnitentiam peccata commissa punimus, & per con-
 „ tinentiam deinceps punienda non committimus; & hanc debemus nobis.
 „ Post hæc superest fides non ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda est, ut nec
 „ propter proximum, cui nos impendimus charitatem, offendamus Deum:
 „ nec propter conscientiam, quam per penitentiam, & continentiam in hu-
 „ militate custodire volumus, minus exequamur mandatorum Dei obedi-
 „ tiam: & hæc est fides non ficta. Non ficta autem ponitur ad differentiam
 „ mortuæ fidei, & fictæ. Mortua fides est, quæ sine operibus est. Fides fi-
 „ cta, quæ ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit.

§. XIX.

P A T R E M.

Quo sensu nomen Patris hic sumatur?

Deum re-
rum om-
nium crea-
tarum pa-
ter.

Nomen *Pater* dupliciter accipi potest in divinis: vel quatenus conve-
nit Deo respectu creaturarum, vel quatenus convenit uni personæ
respectu alterius. Primo modo, commune tribus adorandæ Trinitatis Per-
sonis

sonis nomen est, non minus quam creatoris provisoris, atque rectoris rerum omnium creatarum. Quemadmodum enim eum, a quo familia propagata est, cujusque consilio, & imperio regitur, patrem vocamus; sic ducta ex humanis rebus similitudine, Deum, quem omnium rerum opificem, & rectorem agnoscimus, & credimus, Patrem appellamus. Quo etiam nomine sacræ Litteræ usæ sunt, cum de Deo loquentes, universorum creationem, potestatem, admirabilemque providentiam ei tribuendam indicarent. Deut. xxxii. „ Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? *Malach. ii.* Numquid non Pater unus omnium nostrum? „ Numquid non Deus unus creavit nos? *Matth. vi.* Pater tuus, qui videt „ in abscondito, reddet tibi. *Luce vi.* Estote misericordes, sicut & Pater vester „ misericors est. Singularem vero ratione Deus Pater Christianorum dicitur, qui non acceperunt „ Spiritum servitutis in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Hanc enim charitatem dedit nobis „ Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus. Quod si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, qui est primogenitus in multis fratribus. Propter quam causam non confunditur fratres nos vocare, „ dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

Secundo sensu, *Pater*, nomen est primæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, prout usurpatur Psalmo lxxxviii. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu.* *Matth. xvi.* *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* *Matth. xxviii.* *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, & pluribus aliis in locis.* Patrem porro primam personam dicimus, non quod in Trinitate sit prius, aut posterius, majus, aut minus; sed quod Principium sit sine Principio, & *Fons totius Deitatis*, quam duabus aliis personis communicat, a nullo vero alio accipit. Unde *ingenitus* etiam merito vocatur a Patribus, & ab Ecclesia: quod nomen eo sensu usurpatum, character est, & nota primæ Personæ, ad ejus notitiam conducens: unde & ejus Notio a Theologis vocatur. Quamvis autem tres Personæ sint unus Deus, interdum tamen Patri nomen *Dei* singulari ratione tribuitur, propterea quod *Totius Deitatis Principium Pater est*, ut loquitur *S. Augustinus* Lib. iv. *De Trinitate.* Cap. xx. Filius enim, & Spiritus Sanctus, licet eandem habeant cum Patre Deitatem, Filius tamen illam habet a Patre; Spiritus Sanctus a Patre, & Filio: Pater autem a nullo communicatum habet, cum sit expers Principii. Hoc sensu Christus ait, *Joan. xvii.* *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Et *i. ad Cor. viii.* *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.*

Præterea, solus Deus verus appellatur Pater, non ad aliarum Personarum divinarum exclusionem, sed ad exclusionem creaturarum, sive eorum, qui falso ab Ethnicis putabantur Dii, & pro Diis colebantur. Quemadmodum igitur non sequitur, Patrem non esse lucem veram quia, de Christo scriptum est: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ita non sequitur, Filium non esse verum Deum, licet Pater dicatur solus verus Deus.

Tertio, sic intelligendam Christi sententiam Patres docent: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, solum esse verum Deum.* Sicut etiam Apostolus non excludit Patrem ab appellatione unius Domini, quamvis Filius ab ipso dicatur *Unus Dominus*; ita Filium non excludit ab appellatione unius Dei, quamvis Pater dicatur *Unus Deus.* Nec Pater igitur a dominationis jure, nec Filius a veræ Deitatis communione, hoc Apostoli loco discernitur. Eodem sensu Ecclesia sanctitatem, domina-

Christiano-
rum pater
est singulari
ratione.

Rom. 8.

1. Joan. 1.

Hebr. 2.

Pater no-
men est pri-
mæ personæ
SS. Trinita-
tis.

Cur Dei no-
men illi sin-
gulari ratio-
ne tribuatur
in Scriptura
tametsi tres
personæ sint
unus Deus?

Joan. 1:

S. Athan.
Or. 4. cont.
Arianos S.
Greg. Na-
zianz. Or.
36. S. Cyril-
lus Lib. 11. in

Joan. cap. 5.
S. Amb. l. 5.
de Fide, c. 1.
S. August. l. 3.
cont. Maxim.
Arian. & Tr.
35. in Joan.

Primæ SS.
Trinitatis
personæ
principii no-
men ratione
singulari
convenit.

tionem, magnitudinem infinitam soli Filio tribuit in Hymno Angelico, ad exclusionem scilicet rerum omnium creaturarum, non ad exclusionem Patris, & Spiritus-Sancti, dicens: *Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus, Jesu Christe*: unde subdit, *Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris*.

Vocabulum *Patris*, primæ in Trinitate personæ peculiarem notionem, & proprietatem personalem indicat. Primario autem Deus pater est, qui sine initio, & sine Pater est, semper habens Filium ex se genitum. A Deo igitur in hominum genus ulus istius nominis, proprietatq; descendit, ut docet Apostolus ad Eph. III. *Ex quo, inquit, omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*. Convenit etiam primæ Trinitatis Personæ peculiari modo *Principii* nomen, respectu Filii, & Spiritus Sancti, quamvis & Filio tribuatur respectu rerum creaturarum, quæ in ipsotamquam in Verbo, Sapientia, idea, & arte Patris ex eterno continebantur, & per ipsum in tempore conditæ sunt. *Pater Principium est, non de Principio: Filius Principium de Principio: sed utrumque simul non duo, sed unum Principium*, ut loquitur S. August. Lib. III. *Contra Maximinum*, Cap. XVII. Dicitur etiam Pater Æternus auctor Filii, ratione originis, qua Filius ab ipso est. Hinc S. Augustinus Sermone LXXI. alias XI. *De Verbis Domini*, Cap. XII. *Insinuat nobis, inquit, in Patre auctoritas, in Filio navitas, in Spiritu-Sancto Patris Filiique communitas, in tribus equalitas... Est ergo Pater Filio veritati origo verax, & Filius de veraci Patre orta veritas: & Spiritus-Sanctus a Patre bono, & Filio bono effusa bonitas: Omnium est autem non impar divinitas, nec separabilis unitas*.

Deo, ut re-
rum omni-
um creatu-
rum Patri,
quid debe-
mus?

Serm. 213.

Deum esse rerum omnium creaturarum Patrem diximus, ratione creationis, conservationis, providentiæ, gubernationis. Hoc nomine ipsi honorem, amorem, obsequium debemus. Malachiæ VI. *Filius honorat patrem, & servus dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus; & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. Deus est, & pater est, Deus potestate, Pater bonitate. Quam felices sumus, qui Dominum nostrum Patrem invenimus!* (inquit S. Augustinus.)

Joan. 1.

Singulari ratione Deum esse Christianorum Patrem diximus, ratione spiritualis adoptionis. Unde Christus natura Dei filius coæternus, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*.

Amiſſa pri-
mæ adoptio-
nis gratia
per peniten-
tiam repa-
randa.

Luc. 15.

Per gratiam Baptismatis regenerati sumus, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem. Si ab illa prima adoptionis gratia infeliciter excidimus, potest in nobis divina illa adoptio per penitentiam reparari. Operante Deo, cooperantibus nobis amiſſa gratia restauratur per Dominum nostrum Jesum Christum, qua rursus efficiamur *Divinæ consortes naturæ*. Ad Patrem igitur redeamus, cum Filio Prodigio dicentes: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te. Qua spe, qua fiducia, qua confidentia?* (inquit S. Petrus Chrysologus Sermone II.) *Qua spe? Illa qua Pater est. Ego perdididi, quod erat filii: ille, quod patris est, non amiſit. Apud patrem non intercedit extraneus; intus est in patris pectore ipse, qui intervenit, & exorat affectus. Urgentur patris viscera, iterum filium genitura per veniam. Ibo ad Patrem reus: sed Pater viso filio cooperit mox reatum; dissimulat judicem, qui magis vult implere genitorem; & sententiam cito vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire. Quam felices nos existimaremus, si Regis amici essemus! Sed nunc Dei amici erimus, si velimus, nec amici tantum, sed filii. Si hanc dignitatem, felicitatemque non assequamur, per nos stabit: Nisi homini placuerit, Deus non erit. Quod alio sensu a Tertulliano dictum est in Apologetico. Ve-*

rum ut filii Dei simus, desinamus necesse est esse filios hujus sæculi; cessamus vivere secundum carnem, & sanguinem, secundum hominem; vivamus secundum Spiritum, secundum Deum. Sed heu! Christiani plerique secundum hominem vivere malunt; ut de ipsis merito dicatur, quod alia occasione de Imperatoribus Ethnicis dixit *Minucius Felix* in Octavio: *Optant in homine perseverare, fieri se Deos metuunt.*

Diximus Patris nomen proprium esse primæ Personæ SS. Trinitatis. Fle-
 scamus igitur genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ipsum adorantes, ipsum glorificantes, ipsi gratias agentes. Ad ipsum omnes pene orationes suas dirigit Ecclesia: sed tamen omnis oratio Fidei nostræ, quamvis ad unam ex Trinitate Personam dirigi videatur, totius in ea Trinitatis honorificentia continetur. Ille enim, qui ait, *Qui me odit, & Patrem meum*
 „ *odit.* Et de quo B. Joannes ait: *Qui diligit Genitorem, diligit eum, qui*
 „ *natus est ex eo;* sicut communiter cum Patre vel odio habetur, vel diligitur; ita cum Pater exoratur, simul cum eo cognoscitur a Fidelibus exorari. Et quoniam unus est Patris, & Filii Spiritus, necesse est, ut dum invocatur Pater, aut Filius, in Patre, & Filio etiam ille, qui unus est
 „ utriusque Spiritus invocetur. Unus est autem Jesus Christus unigenitus
 „ Dei Patris Filius, cujus nomine concludimus omnem orationem, quam desinamus ad Patrem. Nec tamen sine Sancti Spiritus nomine, ut ostendamus totam nos humiliter poscere Trinitatem. Non enim omni Trinitati dicimus, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,* sed soli Patri, cujus est unigenitus Filius Dominus noster Jesus Christus. Ad
 „ hoc autem nomen Jesu Christi, & Spiritus-Sancti, cum Patrem oramus, adjungimus, ut quicquid poscimus, a tota nos Trinitate postulare
 „ monstremus. Et certe cum una sit operatio Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, tres illæ adorandæ Personæ sunt unus orationis finis; siquidem sunt unum operationis principium, ab iisque simul, & indivise expectatur orationis effectus. „ Certum est itaque secundum veræ Fidei regulam, in
 „ qua Sanctæ Trinitatis una substantia creditur, nullam separationem Patris, & Filii fieri, sive Pater, sive Filius a Fidelibus invocetur. Ab
 „ illis autem nec Patrem invocari, nec Filium, qui in invocatione, quæ offertur Patri, non credunt cum Patre Filium naturaliter invocari. Hoc
 „ enim habet naturalis unitas Trinitatis, ut inseparabiliter cuncta illis tribus Personis exhibeantur Sanctæ Religionis obsequia, in quibus una est
 „ inseparabilis, incommutabilisque natura. In orationibus quippe quas una
 „ vera Ecclesia fundit ad Deum, & naturæ servatur unitas, & personarum discretio custoditur: ut cum ad Patrem dirigitur oratio, qui est origo
 „ Filii, & Spiritus-Sancti, unam esse naturam Trinitatis appareat, commemoratione vero Filii, & Spiritus-Sancti, Trinitatem veram ipse finis orationis ostendat. Sic Sabellii, atque Arii perfidia vincitur, dum in ipsis
 „ quoque orationibus, & precibus, tam unius naturæ quam trium Personarum veritas a Catholicis Sacerdotibus prædicatur. Verba sunt S. *Fulgentii* Lib. ix. *contra Fabianum.* Ibidemque docet, non soli Patri, sed toti simul Sanctæ Trinitati Sacrificium offerri. *Sive enim in oratione, sive in sacrificio, nullam facit fides vera discretionem muneris, quia non est in Trinitate diversitas potestatis.*

Omnes pene Orationes Ecclesie ad Patrem eternum diriguntur.

Joan. 15.

1. Joan. 5.

Tota tamen Trinitas orationum nostrarum finis est, sic ut & fidei objectum.

O M N I P O T E N T E M.

De Omnipotentia Dei.

CUM multis nominibus Dei summam vim, & immensam Majestatem sacrae Litterae explicent, ut ostendant, quanta religione, & pietate colendus sit, illi Omnipotentiam frequentissime tribuunt. Ipse enim de se ait *Genesis* xvii. *Ego Dominus omnipotens*. Et rursus cum Jacob filios ad Joseph mitteret, ita illis precatus est, *Gen.* xliii. *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem*. Deinde vero in Apocalypsi scriptum est: *Dominus Deus, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens*, Et *Cap.* xvi. *Dies magnus omnipotentis Dei* appellatur. Idem significat Scriptura, cum nihil Deo impossibile, vel etiam difficile esse ait. *Gen.* xviii. *Numquid Deo est quidquam difficile?* *Job* xlii. *Scio, quia omnia potes*. *Matth.* xix. *Apud homines hoc impossibile est: Apud Deum autem omnia possible sunt*. *Marci* xiv. *Abba, Pater, omnia tibi possible sunt*. *Lucæ* i. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*.

Omnipotentis autem nomine intelligimus, Deum omnia posse, & in omnia potestatem, ac dominatum exercere: Ita ut nihil sit, nihil cogitatione fingi possit, quod Deus efficere nequeat, aut quod illius providentiae, potestati, & imperio non subdatur. Non solum igitur hæc, quæ tametsi maxima sunt, aliquo tamen modo in cogitationem nostram cadunt, efficiendi potestatem habet Deus; nimirum, ut omnia ad nihilum recidant, atque ut plures mundi ex nihilo repente existant, verum etiam multo majora in illius potestate sita sunt, quæ humanæ menti, & intelligentiæ suspicari non licet. Multa enim Deum posse, quæ non vult, etsi nihil velit, quod non possit, Scriptura Sacra docet. Potest Deus *De lapidibus suscitare filios Abrahæ*. Facere potest, ut *Per foramen acus camelus transeat*. Potuit Pater Æternus mittere duodecim Legiones Angelorum pro Christo pugnaturas. Potuit uno momento totam pluviam immittere, quam quadraginta diluvii diebus immisit. Potuit simul & semel Gentes exterminare a terra, quam dedit filiis Israel, quod tamen paulatim fieri voluit. Potuit Verbum caro non fieri, hominemque non liberare, si plus eum severitas, ac justitia, quam clementia delectaret. Potuit alio modo liberare; potuit aliunde carnem quam ex fœmina assumere; potuit suscitare Judam, sicut suscitavit Lazarum: & alia sexcenta possunt occurrere, quæ facere Deus potuit, & potest, quæ tamen facta non sunt, nec fient. Quo ex principio colligit *S. August.* Lib. *De Spiritu, & Littera* cap. i. fieri posse, ut homo sine peccato sit, quamvis nullus homo præter Christum fuerit sine peccato. Addamus & B. Virginem Deiparam, de qua, cum de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam *S. Aug.* ipse vult fieri mentionem. Potest igitur Deus omne, quod possibile est absolute, sive quod contradictionem non habet. Quæ autem contradictionem habent, ea fieri non possunt, quamvis Deus omnia possit: si enim ea Deus posset facere, posset nihil; adeoque non esset omnipotens. Talia sunt, triangulum esse absque tribus angulis, montem sine valle, lapidem ambulare, avem intelligere, & sapientem esse, factum non esse, quod factum est, & alia id genus. Neq; etiam, cum omnia Deus possit, mentiri tamen, aut fallere, aut falli, aut peccare, aut interire, aut ignorare aliquid potest. Hæc enim in eam naturam cadunt, cujus imperfecta actio est; Deus vero cujus perfectissima semper est actio, ideo hæc non posse dicitur, quia posse ea, infirmitatis est, non omnipotentis virtutis, & majestatis. Unde *Apost.* II. ad *Tim.* II. de Deo scribit: *Seipsum negare non potest*. Et alibi: *Impossibile est men-*

Multa Deus potest, quæ non vult: Nihil vult quod non possit.

Matth. 3.

Matth. 19.

Matth. 26.

viri Deum. Ideo omnipotens est, quia ista non potest, ut explicat S. Aug. Sermone De Symbolo ad Catechumenos, item Ser. ccxiii., alias De Tempore cxix. Omnipotens est ad facienda majora, & minora: omnipotens est „ ad facienda cælestia, & terrestria: omnipotens est ad facienda spiritalia, „ & corporalia, visibilia, & invisibilia. *Magnus in magnis, nec parvus in minimis*. Postremo omnipotens est ad facienda omnia, quæ facere voluerit: Non potest mori, non potest peccare, non potest falli. *Tanta non potest: quæ si posset; non esset omnipotens*. Et Serm. ccxiv. *Ne quis me temere dixisse arbitretur, aliquid Omnipotentem non posse, hoc & B. Apostolus dixit:* „ Si non credimus, ille, qui fidelis permanet, negare se ipsum non potest. *Sed quia non vult, non potest, quia & velle non potest*. Non enim potest iustitia velle facere, quod injustum est, aut sapientia velle, quod stultum est, aut veritas velle, quod falsum est. Unde admonemur, Deum omnipotentem, non hoc solum, quod ait Apostolus, Negare seipsum non potest, sed multa non posse. Deus omnipotens non potest mori, non potest mutari, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci. Ac per hoc non solum ostendit veritas omnipotentem esse, quod ista non possit; sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse, qui hæc possit. Volens enim est Deus quicquid est: *Æternus ergo, & incommutabilis, & verax, & beatus, & insuperabilis volens est*. Si ergo potest esse, quod non vult, omnipotens non est: Est autem omnipotens; ergo quicquid vult potest. Et ideo, quod non vult esse non potest; qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quicquid vult potest. De quo & Psalmus dicit: Omnia, quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Psalm. 134.

Ceterum nihil ab Omnipotente potest non fieri, etiam eorum, quæ a communi naturæ lege abhorreere videntur. Nec enim ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit (inquit S. Aug. Lib. vi. De Genesi ad Litteram, cap. xiiii.) Et Lb. xxi. De Civitate Dei, cap. viii. Portenta contra naturam fieri negat, quia secundum voluntatem Dei fiunt. Quomodo est contra naturam (inquit) quod Dei fit voluntate; cum voluntas tanti utique Conditoris conditæ rei cuiusque natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura. In eo igitur vis omnipotentis divine posita est, quod *Universa creatura sua Deus utitur, ut ei placeat; ut loquitur idem Pater Lib. xxvi. Contra Faustum, cap. v. Hinc S. Ambr. Lib. 11. In Hexameron, cap. 111. Sermo Dei, inquit, virtus naturæ est*. Et B. Petrus Damiani, Opusculo xxxvi. c. xi. *Ipsa quippe rerum natura, inquit, habet naturam suam Dei voluntatem, ut sicut illius leges quælibet creata conservant, sic illa, cum jubetur, sui juris oblita, divine voluntati reverenter obediatur*.

Cum porro Patrem omnipotentem profiteamur, nemo ita errare debet, ut Filio etiam, & Sp. Sancto communem non esse omnipotentiam arbitretur. Æque enim ipsis augustum hoc nomen convenit, nec tamen sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Neque vero sic ista de Patre dicuntur, ut ab illo aliena sint, quid dixit: *Ego, & Pater unum sumus*. Et de quo Apostolus ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Quomodo igitur non erit omnipotens Filius, Per quem facta sunt omnia? cum etiam sit Virtus & Sapientia Dei, de qua scriptum est, quod cum sit una, omnia potest. Sed tamen præcipua quadam ratione omnipotentiam tribuimus Patri; quia omnis originis fons est, & principium non de principio. Ita etiam Filio, qui æternum Patris Verbum est, sapientiam; Ita Sp. Sancto, qui utriusque Amor est, bonitatem tribuimus; Quamvis

Quicquid fit per Dei voluntatem, non fit proprie contra naturam.

Omnipotentia Filio, & Spir. Sancto cum Patre communis.

Joan. 10.
Philip. 2.
Joan. 1.
1. Cor. 1.
Sap. 7.
Omnipotentia cur præcipue attributa Patri.

hæc,

hæc, & alia hujusmodi nomina communiter in tribus Personis ex Catholici-
cæ Fidei Regula dicantur.

§. XXI.

*Dei voluntas efficacissima est; semper impletur, si absoluta sit, nullaque ex con-
ditione suspendi velit, quem intendit effectum.*

IN hoc enim maxime sita vis est omnipotentiae Dei, ut possit efficere quic-
quid vult, nec voluntati ejus quisquam resistere, aut illius effectum im-
pedire possit, vel illius beneplacitum frustrari: Quod S. Litteræ sepe diser-
tisque verbis docent. Ps. cxlii. *Omnia, quaecumque voluit, fecit.* Eccl. VIII.
Omne, quod voluerit, faciet: & sermo illius potestate plenus est. Isa. XIV. *Do-
minus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta,
& quis avertet eam? Et c. xlvi. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea
fiet.* Esther XIII. *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta
sunt posita, & non est qui possit tunc resistere voluntati, si decreveris salvare Is-
rael.* Dan. IV. *Juxta voluntatem suam facit tam in Virtutibus caeli, quam in
habitoribus terræ: & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fe-
cisti?* Ad Rom. IX. *Voluntati ejus quis resistet?*

Id confirmat S. Augustinus in *Enchiridio* c. xciv. ubi loquens de cognitio-
ne Sanctorum in vita æterna, ait: „ Tunc in clarissima Sapientiæ luce vide-
bitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione vi-
deatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam mul-
ta possit, & non velit, nihil autem velit, quod non possit: quamque sit
verum, quod in Psalmo canitur: *Deus autem noster in cælo sursum, in cæ-
lo & in terra omnia, quaecumque voluit, fecit:* Quod utique non est ve-
rum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius, ideo non fe-
cit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis im-
pedivit. Non ergo fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut
fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam si-
nendo fieri quæcumque sunt male. Non enim hoc nisi justo judicio finit.
Et profecto bonum est omne, quod justum est. Quamvis ergo ea, quæ
mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen ut non solum
bona, sed etiam sint & mala bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut
essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab Omnipotente bono: Cui pro-
cul dubio quam facile est, quod vult facere, tam facile, quod non vult
esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ Confessio-
nis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.
Neq; enim ob aliud veraciter vocatur Omnipotens, nisi quoniam quic-
quid vult potest, nec voluntate cujuscumque creature voluntatis omnipo-
tentis impeditur effectus.

Et Capite centesimo, ait: Miro, & ineffabili modo non fieri præter ejus vo-
luntatem, quod etiam contra ejus sit voluntatem. Quia non fieret si non sineret:
Nec utiq; nolens finit, sed volens: Nec sineret bonus fieri male, nisi O-
mnipotens & de malo posset facere bene. *Et Cap. cxi.* Sed quantolibet
sint voluntates vel Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malo-
rum, vel illud, quod Deus, vel aliud volentes quam Deus; Omnipoten-
tis voluntas semper invicta est.

Et Lib. xxii. de *Civitate Dei*, Cap. ii. *Multa, inquit, sunt a malis qui-
dem contra voluntatem Dei: Sed tantæ est ille sapientiæ, tantæque virtutis, ut
in eos exitus, sive fines, quos bonos, & justos ipse præscivit, tendant omnia,
quæ voluntati ejus videntur adversa: Ac per hoc cum Deus mutare dicitur
voluntatem, ut quibus leniserat, v. gr. reddatur iratus, illi potius quam ipse mu-*

Dei volun-
tas invicta,
& immuta-
bilis.

Psal. 113.

Non fit præ-
ter Dei vo-
luntatem,
quod fit
contra ejus
voluntatem

ratur, & eum quodam modo mutatum in his, quæ patiuntur, inveniunt: Sic-
ut mutatur Sol oculis fauciatis, & asper quodam modo ex miti, & ex dele-
stabili molestus efficitur, cum ipse apud seipsum maneat idem, qui fuit.

„ Dicitur etiam voluntas Dei, quam tacit in cordibus obedientium man-
„ datis ejus, de qua dicit Apostolus, *Deus est qui operatur in vobis & vel-*
„ *le.* :: Secundum hanc ergo voluntatem, qua Deum velle, dicimus, quod
„ alios efficit velle, a quibus futura nesciuntur, multa vult, nec facit. Multa
„ enim volunt fieri Sancti ejus ab illo inspirata sancta voluntate, nec fiunt; sic-
„ ut orant pro quibusdam pie, sancteque, & quod orant, non facit; cum
„ ipse in eis hanc orandi voluntatem Sancto Spiritu suo fecerit. Ac per hoc,
„ quando secundum Deum volunt, & orant Sancti, ut quisque sit salvus, pos-
„ sumus illo modo locutionis dicere: Vult Deus, & non facit, ut ipsum di-
„ camus velle, qui ut velint isti facit. “ Sed hæc non est Dei voluntas pro-
„ prie dicta sive interior actio Dei volentis aliquid fieri: signum est externum
dumtaxat divinæ voluntatis, non ejus beneplacitum. Signa illa externa quæ
Deum aliquid velle significant, quinque vulgo numerantur a Theologis. *Præ-*
ceptum, prohibitio, consilium, permissio, operatio. Quæ hoc modo velle dicitur
Deus, non semper fiunt, quia sepe aliud fieri vult, quam quod extrinsecus
indicat, etsi ad illud ipsum, quod præcipit, exequendum navare operam suam
hominem velit, aut pro sua virili abstinere malo, quod prohibet. Sic Abra-
hamo filium suum immolare jussit, quod re ipsa fieri volebat: sed cum inter-
ior illa Dei voluntas S. Patriarchæ ignota esset, solumque nosset externum
indiciam, quo se Deus id velle significabat, quæ suarum erant partium præ-
stare debuit, quia Deus voluit, ut præstaret, paratamque ad mactandum fi-
lium voluntatem exhiberet, atque ad exequendum Dei mandatum se accin-
geret. Pergit S. Aug., Secundum illam vero voluntatem suam, quæ cum ejus
„ præscientia sempiterna est, profecto in cælo, & in terra omnia, quæcumq;
„ voluit, non solum præterita, vel præsentia, sed etiam futura jam fecit. Ve-
„ rum antequam veniat tempus, quo voluit, ut fierent, quod ante tem-
„ pora universa præscivit, atque disposuit, dicimus, Fiet quando Deus vo-
„ luerit. Si autem non solum tempus, quo futurum est, verum etiam utrum
„ futurum sit ignoramus, dicimus, Fiet, si Deus voluerit: non quia Deus
„ novam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit; sed quia id, quod ex
„ æternitate in ejus immutabili præparatum est voluntate, tunc erit.

Philip. 2.

Signum di-
vinæ volun-
tatis, Dei
voluntas in
Scriptura
sacra interdum appel-
latur.

Quinq; signa
divinæ vo-
luntatis.

Quæcumq;
Deus pro-
prie voluit,
secundum
præscientiã
suam jam fe-
cit.
Psalm. 115.

Nova vo-
luntas in
Deo nõ est.

§. XXII.

*Cur omnes homines non salventur, cum Deus omnium salutem velit, si
voluntas ejus semper impletur?*

Observationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus
hominibus fieri jubet Apost. I. ad Tim. II. quia *Hoc bonum est, & acce-*
ptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad
agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & homi-
num homo Christus Jesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.

Qua ratione
Deus vult
omnes ho-
mines sal-
vos fieri.

Tres istius loci Expositiones S. Augustinus affert, quartam SS. Jo: Chryso-
stomus, Jo: Damascenus, & Thomas. Primam expositionem S. Augustinus tra-
dit in *Enchiridio*, Cap. CIII. ubi ait: *Cum audimus, & in sacris Litteris le-*
gimus, quod velit omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus omnipo-
rentissime Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere, quod scriptum est,
Qui omnes homines vult salvos fieri; tamquam diceretur, nullum hominem
fieri

Prima ex-
positio S.
Aug.

fieri *salvum*, nisi quem fieri ipse voluerit. Non quod nullus sit hominum, nisi quem *salvus* fieri velit; sed quod nullus fiat, nisi quem velit; & ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus, & quod in Evangelio scriptum est, Qui illuminat omnem hominem: non quia nullus est hominum, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Eadem expositio habetur Lib. IV. *Contra Julianum* cap. VIII. Lib. De *Prædestinatione Sanctorum*, cap. VIII. & Epistola cxxvii. alias cvii. ad Vitalem.

Altera expositio S. Aug. Luc. II. Expositionem alteram tradit in eodem *Enchiridii* loco. Aut certe dictum est, Qui omnes homines vult *salvos* fieri: non quod nullus hominum esset, quem *salvum* fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse *pœnitentiam*, si fecisset; sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascumq; differentias distributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, doctos, indoctos, divites, pauperes, mediocres, mares, feminas: Iste locutionis modo. & Dominus usus est in Evangelio, ubi ait Pharisæis, Decimatis mentam, & rutam, & omne olus. Neque enim Pharisæi, & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus, omne olerum genus intelligere possumus, & quocumque alio modo, ita & illic omnes homines omne hominum genus intelligi potest; dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse: qui sine ullis ambiguitatibus, sic in cælo & in terra, sicut eum veritas cantat, omnia quæcumque voluit fecit, profecto facere noluit quodcumque non fecit. Eadem expositio habetur Lib. De *Correptione*, & *Gratia*, cap. xiv.

Tertia expositio S. Aug. Tertiam Expositionem tradit Libro De *Correptione*, & *Gratia*, cap. xv. Quia ergo nos, qui *salvi* futuri sint nescientes, omnes, quibus predicamus hanc pacem, *salvos* fieri velle Deus jubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundendo istam charitatem in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: potest etiam sic intelligi, quod Omnes homines Deus vult *salvos* fieri: quoniam nos facit velle: sicut Misit Spiritum Filii sui clamantem, Abba, Pater, idest, nos clamare facientem. De ipso quippe Spiritu alio loco dicit: Accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit, ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum recte dixit Scriptura, a quo efficitur, ut clamemus; recte etiam volentem Deum, a quo efficitur, ut velimus.

Deus vult omnes homines *salvos* esse, si velint, sed preparatur voluntas a Domino. Ex tribus his Expositionibus colligitur, voluntatem, qua Deus vult omnes homines *salvos* fieri, & ad agnitionem veritatis venire, absolutam non esse; quia salutis effectum suspendi vult in adultis hominibus ex eorum voluntate; idest, vult eos salutem consequi, si velint mandatis suis parere, & bene operari; quamvis eorum, qui volunt, *Preparetur voluntas a Domino*, & tantum adjuvetur munere charitatis ut possint, ea possibilitate, quæ Sanctis cum effectu provenit. Hinc Sanctus Augustinus *Enchiridii* cap. xciv. ait: Nec atique Deus injuste noluit *salvos* fieri, cum possent *salvi* esse, si vellent. Hinc Dominus in Evangelio compellans impiam Civitatem, ait: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & nolui- sti? Quod non ita intelligendum est, quasi Dei voluntas superata sit hominum voluntate, & infirmis nolendo impediens, non potuerit facere Potentissimus, quod volebat; sed potius *Jerusalem* filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios ejus collegit ipse, quos voluit: quia in cælo, & in terra non quædam voluit, & fecit, quædam vero voluit, & non fecit, sed omnia quæcumque voluit, fecit. Quis porro tam impie despiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates

tates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit, cum autem non facit, per iudicium non facit, quoniam cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Voluntate igitur absoluta solos prædestinatos Deus vult salvos fieri: omnes homines salvos fieri non vult eodem modo: unde mirum non est, quod hæc ejus voluntas non impleatur, quia non est voluntas absoluta respectu omnium. Ideo autem respectu reproborum absoluta non est, quia vel originali peccato, ut parvuli; vel iis, quæ propria voluntate addituri sunt, ut adultæ ætatis homines, indigni sunt æternæ salutis beneficio, quod electis sola misericordia præparat, reprobis iusto iudicio denegat.

Quartam loci hujus Apostolici expositionem tradunt S. Jo: Chrysostomus Homilia I. in Epistolam ad Ephesios, & S. Jo: Damascenus Lib. I. De Fide orthodoxa, Cap. xxiv. Deum scilicet velle omnium salutem voluntate prima, quam & antecedentem vocant, non voluntate secunda, quam & consequentem appellant. Hac enim voluntate vult electos dumtaxat salvos fieri. Jo: Damasceni verba magis expressa subjicit: „ Illud quoque nos ne fugiat, „ Deum ut bonitate præstantem, primarie quidem omnes homines salvari, „ ac Regni sui compotes esse velle. Neque enim supplicii, ac cruciatus „ causa, verum ad hoc, ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit. „ Ut justum autem, iis quoque, qui peccant, pœnam inferri nihilominus „ velle. Ac prius illud antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex „ ipso manans: secundum autem consequens voluntas, atque permissio, a „ nostro vitio ortum ducens. Scilicet Deus de suo optimus, de nostro justus, ut Tertullianus ait: quatenus de suo bonus, vult omnes homines salvare. Quatenus de nostro justus, vult iniquos in peccatis permanentes damnare. Hoc est quod Theologi de Schola dicunt, S. Jo: Damascenum secuti, velle Deum omnium hominum salutem voluntate prima, & antecedente, non voluntate secunda, & consequente. Voluntas prima est, qua Deus ex se se vult aliquid sine ulla consideratione circumstantiarum rerum. Secunda, qua ex certis circumstantiis vult aliquid, quod alioqui nollet. Hæc autem distinctio voluntatis divinæ ex ipsa interna Dei volentis operatione non petitur, quæ simplicissima est, nec prius, & posterius admittit, sed ex parte rerum volitarum. Quod hunc in modum explicat perspicue S. Thomas I. P. Qu. xix. Art. vi. „ Unumquodque secundum quod bonum est, sic est „ volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, „ secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum: quod tamen „ prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio „ ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum: & hominem „ occidi est malum, secundum absolutam considerationem. Sed si addatur „ circa aliquem hominem quod sit homicida, vel vivens in periculum „ multitudinis; sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere. Unde „ potest dici, quod Judex justus antecederet vult omnem hominem vi- „ vere: sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecederet vult omnem hominem salvari: sed consequenter vult quosdam „ damnari, secundum exigentiam suæ Justitiæ. Neque tamen id, quod antecederet vult, simpliciter volumus, sed secundum quid: quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in seipsis sunt: in seipsis autem sunt in particulari. Id est quatenus omnibus circumstantiarum rerum, & adjunctarum conditionibus sunt circumvestitæ. Unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus: quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod Judex justus

Rom. 9.
Non eodem modo vult Deus omnes homines salvos fieri.

Expositio quarta SS. Jo: Chrysost. Damasceni & Thomæ.

Deus vult omnes homines salvos fieri voluntate prima, & antecedente, non secunda, & consequente.

Quid voluntas Dei prima, sive antecedens, & voluntas secunda, sive consequens? Sincera est in Deo voluntas salutis omnium hominum.

simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vellet eum vivere; (idest, secundum considerationem aliquam, certumve aliquem intuitum) scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet, quod quicquid Deus simpliciter vult, fit; licet illud, quod antecedenter vult, non fiat. Velleitatem S. Thomas vocat, si cum voluntate consequente, & absoluta comparetur; sed tamen vera est, & sincera voluntas, ac Beneplacitum in Deo existens. Sic enim antecedentem illam voluntatem vocant S. Joannes Chrysostomus loco supra citato, & S. Thomas in Libro Sententiarum.

Bonitas
Creatoris,
æquitas ju-
dicis.

Ezech. 33.

Voluntatem illam divinam salutis omnium hominum approbat, & explicat egregie Ecclesia Lugdunensis, Libro *De tribus Epistolis*, Cap. XII., Secundum pium quorundam Patrum piorum sensum, *inquit*, Deus omnes homines vult salvos fieri bonitate Creatoris, qua creaturam suam bene a se conditam perire non vult: idipsum iterum non vult Judicis æquitate, qua eandem creaturam suam, vel originali, vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam, & vitiatam impunitam esse non sinit. In tantum enim neminem vult perire, nec voluntas ejus alicui causa perditionis existit, ut per Prophetam etiam juret, & dicat: “Vivo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem impii, sed ut revertatur a via sua impia, & vivat: & tamen ipse, qui non vult mortem impii, perseverantem in impietate sua impium proculdubio punit. Ita in uno, atque eodem homine & bonitatem, & severitatem suam ostendens; bonitatem, qua non vult eum perire, severitatem, qua perseverantem in iniquitate, non vult impunitum relinquare. Si ergo hoc, quod de uno homine diximus, de universo genere hominum pereuntium similiter intelligatur, potest forsitan non absurde dici, quod Deus omnes homines salvos fieri velit bonitate Creatoris: & tamen eos, quos indignos salute judicaverit, justa Judicis severitate non salvet.

Semipelagianorum
erronei sensus
circa divinam
salutis omnium
voluntatem
excluduntur.

Id unum cavendum, ne dicamus, aut sentiamus Deum expectare eorum, quos vult salvos fieri, voluntatem, ut ipsi libero arbitrio suo incipiant velle salvari, & tunc divina bonitate salventur; ut initium salutis eorum sit ex ipsis, perfectio autem ejusdem salutis ex Deo. Hic enim error Semipelagianorum est, ab Apostolo damnatus, ad Rom. II. scribente: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* A Conc. Arausico. II. Can. IV. confixus his verbis: „Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expe-
ctare contendit: non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti: “Præparatur voluntas a Domino; & Apostolo salubriter prædicanti: *DEUS est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Hunc sensum merito rejicit Ecclesia Lugdunensis, quod Pelagianæ pravitati faveat, quæ salutem hominis non ex Dei dono, sed ex libero ipsius hominis arbitrio esse asserit. „Quod autem, *inquit*, ibi simpliciter intelligitur, Deum omnes homines velle salvos fieri, bonitate scilicet Creatoris; ita (ut putamus) fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem non credatur humana ob-
sistente voluntate implere non posse, sed obsistente humana iniquitate implere nolle.

Cavendum etiam ne generali tantum, & indiscreta voluntate Deum velle omnium hominum salutem asseramus, ita ut salus Prædestinatorum nullo modo in peculiarem Dei voluntatem, seu æternum vocationis propositum, quo discreti sunt a reprobis, sed in humanæ naturæ, liberique arbitrii initiales quosdam conatus refundatur. Hic enim Semipelagianorum

norum error est, ut constat ex Epistolis *Prosperi*, & *Hilarii* ad *S. Augustinum*, & ex *S. Prospero*, in Carmine *De Ingratis*.

*Cum sine delectu seu Lex, seu Gratia Christi
Omnem hominem salvare velit, Dominique vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua, proprioque venire vigore,
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.*

Et ex *S. Fulgentio* Lib. *De Incarnatione, & Gratia*, Cap. xxix. Illud vero Apostolicum, inquit, ubi dicitur de Deo, Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordie, sic & in vasis iræ accipiendam existimant, minus considerantes veracissimam Scripturæ sententiam, quæ divinæ commendans omnipotentiam voluntatis, Omnia, inquit, quæcumq; voluit fecit. Quomodo igitur omnia, quæ vult facit, si volens hominem salvum fieri, cujus salus non nisi a bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur, expectat?

Hoc autem errore seposito, & damnato, quem ut everteret *S. Augustin.* æternum divinæ voluntatis propositum erga electos prædicavit, in ejusque efficacia commendanda maxime insistens, tres priores dumtaxat Apostolicæ sententiæ, qua Deum velle omnes homines salvos fieri docet, expositiones tradidit, alteri expositioni præjudicatum nolens, modo sana & Catholica esset; hoc, inquam, Semipelagianorum errore damnato, sentiendum est, Deum velle omnium hominum salutem, non solum Bonitate Creatoris, ut loquitur Lugdunensis Ecclesia, verum etiam Bonitate Redemptoris, qua sanguinis Christi pretium pro omnibus omnino hominibus sufficienter ab ipso Mediatore Dei, & hominum Christo Jesu Deo oblatum est, Evangeliiq; prædicatio, & Sacramenta, qui sunt Fontes Salvatoris, omnibus communiter exposita sunt, ac præterea gratiæ etiam interiores sufficientes ad salutem ex hoc inexhausto divinæ bonitatis fonte jugiter, & ubertim scaturientes, omnibus, & singulis hominibus conferuntur, vel offeruntur. Hinc Apost. 1. ad *Tim.* 11. inde probat, Deum velle omnes homines salvos fieri quod pro ipsis mortuus sit Christus: Omnes homines, inquit, vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Hinc *S. Thomas* docet, Voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnium hominum salutem, effectum esse ordinem nature in finem salutis, & omnia communiter hominibus proposita, tam naturalia, quam gratuita.

1. Tim. 2

Psalm. 113

Non bonitate solū creatoris sed etiā redemptoris vult Deus omnes homines salvos fieri.

§. XXIII.

Vis efficacissima divinæ gratiæ ex Dei omnipotentia derivatur. Quid de gratia credendum?

Divinæ gratiæ vim efficacissimam *S. Litteræ* innumeris in locis prædicant, quibus Deus nos ad se convertere dicitur; cor, & labia aperire; auferre cor lapideum, & dare cor carneum; facere, ut in præceptis ejus ambulemus; cor Regis habere in manu sua, & quocumque voluerit, illud vertere; operari in nobis velle, & perficere; sine Christo nihil nos posse facere; & ad ipsum venire neminem, nisi Pater Æternus traxerit eum. Psalm. lxxxiv. *Converte nos Deus salutaris noster.* Jerem. xxxi. *Converte me, & convertar.* Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam. Thren. ult. *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.* Ezech. xxxvi. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum*

deum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operemini. Prov. XXI. Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud. Psalm. L. Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. II. Mach. I. Deus det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis. Et Act. 16. de Lydia purpuraria dicitur: Cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. Jo: VI. Nemo potest venire ad me (inquit Christus) nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et Jo: xv. Sine me nihil potestis facere. Ad Rom. IX. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? :: Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? I. Ad Cor. IV. Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ad Phil. II. Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.

Idem confirmat Ecclesia, cui Legem credendi, lex statuit supplicandi, ut Celestinus I. loquitur, cum Deum orat: „ Ut nostras etiam rebelles ad se „ compellat propitius voluntates: Ut largiatur nobis Spiritum cogitandi, „ quæ recta sunt, propitius & agendi: Ut inferat cordibus nostris sui amo- „ ris affectum: Ut faciat amare, quod præcipit. Ut dirigat corda nostra suæ „ miserationis operatione, quia ipsi sine ipso placere non possumus: Ut piis „ Ecclesiæ suæ precibus adsit Auctor ipse pietatis, præstetque, ut quod fi- „ deliter petimus, efficaciter consequamur.

Vim efficacissimam divinæ gratiæ ex divina omnipotentia derivatam plurimis in locis confirmant SS. Patres, præsertim SS. Augustinus, Prosper, & Fulgentius. Unus, aut alter dumtaxat S. Augustini locus in præsentī sufficiat. Lib. De Correctione, & Gratia, cap. VIII. sic habet: „ An audebis di- „ cere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, „ si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perfe- „ verare noluisse? Quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo „ Christus rogasset, ut vellet. Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fi- „ dem Petri, si ea, qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permanfu- „ ram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas a Do- „ mino; ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando roga- „ vit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in „ fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam volunta- „ tem? Tum colligit, vim illam efficacissimam divinæ gratiæ non officere ho- „ minis libertati: Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra „ eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non liber- „ tate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret „ delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.

Et Cap. XII. de dono Perseverantiæ electorum sic loquitur: „ Tantum „ quippe accenditur Sp. Sancto voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic „ volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tan- „ ta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio „ Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus „ in eis operaretur ut vellent: inter tot, & tantas tentationes infirmitate „ sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia de- „ ficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate volunta- „ tis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut „ divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis „ infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.

Christi ora-
tio pro Pe-
tro deficere
nō poterat.

Invictissima
simul, & li-
berrima Pe-
tri in fide
voluntas.

Homines
ideo sic vo-
lunt, quia
Deus opera-
tur, ut ve-
lint.

Humana
voluntas
Dei gratia
insuperabi-
liter agitur.

Et Cap. XIV. asserit, Deum habere humanorum cordium quo placet inclinandum omnipotentissimam potestatem.

Et paulo post ait, Israelitas ex animo, & bona voluntate constituisse Regem David: *Et tamen inquit, hoc in his egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur: Ac per hoc Dominus omnipotens, qui erat cum illo, adduxit istos, ut eum Regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut celesti constituatur in Regno?*

Et paulo ante eodem Capite: „ Cum autem homines per correptionem in „ viam justitiæ seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eo- „ rum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quoli- „ bet in agris, vel arbusculis operante, dat incrementum Deus: cui volenti „ saluum facere nullum hominum resistit arbitrium? Sic enim velle, seu „ nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non „ impediatur, nec superet potestatem.

Et Lib. De Gestis Pelagii, Cap. IV. „ Proculdubio, inquit, plus est agi quam „ regi: qui enim regitur, aliquid agit, & a Deo regitur, ut recte agat; „ qui autem agitur, agere aliquid vix ipse intelligitur. Et tamen tantum „ præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dice- „ re, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Nec aliquid in nobis libera „ voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui male „ agere non potest; & hoc cum fecerit, ab illo se, ut faceret, adjutam esse non „ dubitet, cui dicitur in Ps. *DEUS meus, misericordia ejus præveniet me.*

Idem Lib. I. Ad Bonifacium, Cap. XIX. *Credimus, inquit, tunc a Sanctis, quos persequeretur, non inaniter oratum esse pro Saulo, ut ad fidem, quam vastabat, voluntas ejus converteretur. Et illius quidem conversio desuper facta, manifesto etiam miraculo apparuit. Quam multi inimici Christi, quotidie subito Dei occulta gratia trahuntur ad Christum! Quod verbum si non ex Evangelio posuissim, quanta de me propter hoc iste dixisset, cum etiam nunc obli- ceter non mihi, sed illi, qui clamat: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum? Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Lib. De Gratia, & Libero Arbitrio, Cap. XVI. *Certum est, nos velle cum volumus: sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, Præparatur voluntas a Domino: de quo dictum est, A Dominogressus hominis dirigentur, & viam ejus volet: de quo dictum est, Deus est, qui operatur in vobis & velle.* „ Certum, est nos facere, cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præ- „ bendo vires efficacissimas voluntati. Et Cap. XX. Scriptura Divina, si dili- „ genter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas „ ipse facit ex malis, & a se factas bonas, in actus bonos, & in æternam „ dirigit vitam, verum etiam illas, quæ conservant sæculi creaturam, ita „ esse in Dei potestate, ut eos quo voluerit, quando voluerit, faciat incli- „ nari. Et Cap. XXI. Agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiam „ motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse vo- „ luerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit.

Libro de Prædestinatione Sanctorum, Cap. VIII. *Hæc itaque gratia,*

Deus intus agit, corda tenet, movet, bonas voluntates in illis operatur.

Deo volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium.

Voluntates hominum a Deo non solum reguntur, sed aguntur. Rom. 8.

Psal. 5

Inimici Christi occulta gratia ad illum trahuntur.

Joan. 6. 47. Deus in cordibus hominum operatur, ut volentes ex nolentibus fiat. Prov. 8.

Secundum Lxx. Ps. 36.

Phil. 2.

Deus facit ut faciamus bonum.

Gratia est.

cax a nullo
duro corde
respuitur.

In negotio
salutis, &
œconomia
gratiæ to-
rum Deo
dandum.

Quæstio de
modo, quo
gratia est
efficax,
Scholasti-
corum dis-
putationi-
bus relin-
quitur, qua-
rum tamen
æstus sum-
morum
Pontificum
interdicta
coercent.

quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.

In *Enchiridio ad Laurentium*, Cap. xxxii. „Si recte dictum est, Non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet: cur non & e contrario recte dicitur, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus Christianus dicere audebit, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea recte dictum intelligatur, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandum, & adjuvat præparatam.

Et in *Psal. 34. Serm. 1* sic Deum compellat: Apprehendis animam meam, & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ, & coruscationis vibrata, quid est anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat, aut pugnet de illa? Nam quælibet optime facta frama, nisi habeat bellatorem jacet.: Ergo quidquid vult facit de anima nostra. Cum in manu ejus est, utitur ea, quemadmodum vult.

Ex his omnibus perspicuum est, divinæ gratiæ vim efficacissimam ex omnipotentia divina derivari; in eamque refundi oportere. Id agnoscimus, cum Deum omnipotentem in Symbolo Fidei nostræ profiteamur. In quo vero posita sit efficacia gratiæ, sive quomodo sit efficax, in Seminariis disceptandum non putamus, sed Scholasticorum contentionibus quæstionem istam relinquendam. De gratia efficaci, quæ necessaria est, ut agamus, & a gratia sufficienti distincta, quæ necessaria est, ut possimus in ordine supernaturali, & cui sæpe resistitur, cum efficaci gratiæ nunquam resistatur; ea nosse sufficiat, quæ Catholica Fides docet, atq; *S. Aug.* cujus de gratia doctrinam probavit Ecclesia, secundum eam tenendum esse, ac propugnandum scripsit. „Ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas Regulas Apostolicæ nos Sedis scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.: profundiores vero, difficilioreq; partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere“ (inquit Auctor collectionis auctoritatum Sedis Apostolicæ de gratia, & libero arbitrio subnexarum Epistolæ Cælestini I. ad Episcopos Galliæ.)

§. XXIV.

De gratia quid credendum?

Gratia non datur secundum merita.

I. Credendum est in primis, *Gratiam Dei secundum merita nostra non dari.* Quod de gratia prorsus omni habituali, sive sanctificante, & actuali, sufficiente, & efficaci; præveniente, atq; excitante, adjuvante, & subsequente, operante, & cooperante, intelligendum est. Si enim gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Et *Ephes. 2. 8. Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis gloriatur.* Attamen *Ipsa Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici* (inquit *S. Augustinus Epistola CLXXXVI. alias CVI.*)

§. XXV.

Gratia ad singulos actus datur.

II. Credendum est, *Gratiam Dei ad singulos actus dari; sive ad singulos actus*

*S. Aug. Ep. 217. alias 107. ad Vira-
ralem.
Rom. 11. 6.*

S. Aug. Ep. 107.

actus esse necessariam, proindeq; Deum semper orandum, ut deducat nos in
 „ semitam mandatorum suorum, ut perficiat gressus nostros in semitis suis,
 „ ut non moveantur vestigia nostra, ut in adiutorium nostrum intendant; ut
 „ aptet nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem; ut dirigat corda
 „ nostra in charitate; ut sua nos gratia semper & præveniat, & sequatur;
 „ ut actiones nostras aspirando præveniat, & adjuvando prosequatur, ut cuncta
 „ nostra oratio & operatio ab ipso incipiat, & per illum cepta finiatur; ut ejus au-
 „ xiliis abstrahamur a noxiis, & ad salutaria dirigamur. “ Divini enim mu-
 „ neris est, cum & recte cogitamus, siquidem „ Non sumus sufficientes cogi-
 „ tare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo
 „ est; ut ait Apostolus. *Et* Quoties bona agimus, Deus in nobis, atq; no-
 „ biscum, ut operemur, operatur. *Quamvis enim multa sint in homine bona,*
 „ *quæ facit homo,* Nullum tamen bonum est, quod non præstet Deus, ut fa-
 „ ciat homo. Quamobrem nobis Deo adjuvante sit studium, semper a Deo
 „ petere, ut in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus, atq; actio-
 „ nibus nostris ipse teneat primatum, qui dixit se principium, quoniam ex
 „ ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia (*inquit S. Prosper Lib. Contra Col-*
 „ *latorem. Cap. X.*) Hujus gratiæ adiutorium semper est nobis a Deo poscen-
 „ dum; sed ne ipsum, quod poscimus, nostris viribus assignemus: neq; e-
 „ nim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitus fuerit attri-
 „ butus. Ut ergo desideremus adiutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus
 „ est gratiæ. Quidquid igitur habes bonæ voluntatis, vel bonæ operationis,
 „ Deo assigna, qui dedit, & ipsum humiliter roga, ut conservet, & auge-
 „ at, quod donavit. Nihil tibi boni tamquam tuum assignes, ut non acci-
 „ pias, quod recipere poteras, & quod acceperas perdas. “ Monitum est
 lutare S. Fulgentii Epistola VI. cap. VII. & VIII.

1. Cor. 3. Com.
 Arausic. c. 9.
 §. 20.

§. XXVI.

Gratia ad conversionem peccatoris necessaria.

III. Credendum est, Gratiâ Dei ad conversionem peccatoris esse omnino
 necessariam; ut proinde Prophetæ verbis orandum sit, *Converte nos, Domi-*
ne, ad te, & convertemur. Natura enim humana, etiamsi in illa integrita-
 te, in qua condita est, permaneret, *Nulla modo se ipsam Creatore suo non*
adjuvante servaret. Cum ergo sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam
 accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare, quam perdidit? Nullus ergo
 miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præve-
 nitur, ut dicit Psalmista: *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, & Deus me-*
us, misericordia ejus præveniet me. Unde sacra Synodus Tridentina eos Ana-
 themate ferit, qui dixerint, *Hominem suis operibus, quæ vel per humanæ na-*
ture, vel per Legis doctrinam fiant, absq; divina per Jesum Christum Gra-
tia posse justificari coram Deo. A te deficere potes, infelix homo, tu te ip-
 sum reficere non potes. *Ille reficit, qui te fecit* (*inquit S. Augustinus*) *Et,*
Nemo de suo habet nisi mendacium, & peccatum (*inquit Arausiana Syno-*
 dus II.)

Thren. ult.

S. August.
 Epist. 186.
 alias 106.

Conc. Arau.
 2. c. 14. §. 19.
 Conc. Trid.
 Sess. 6. c. 1.

----- Deus ergo sepultos
 Suscitât, & solvit peccati compede vindes.
 Ille obscuratis dat cordibus intellectum.
 Ille ex injustis justos facit, indit amorem,
 Quo redametur amans; & amor, quem conferit, ipse est.
 Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
 Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
 Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,

S. Prosper in
 Carm. de
 Ingr. c. 15.

*Nemo alii dat, nemo sibi, non littera Legis,
Nec naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceptis labi novit, consurgere nescit.*

§. XXVII.

Gratia necessaria ad vincendas tentationes.

IV. Credendum est, ad vincendas tentationes, & peccata vitanda necessariam esse Christi gratiam, per quam Deus dat nobis victoriam, qui contemnit Satanam sub pedibus nostris; qui rogavit pro Petro, ut non deficeret fides ejus; qui dixit, *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*: ut proinde, gravibus præsertim tentationibus pulsati, orare debeamus cum Propheta, *Quoniam in te eripiar a tentatione*: Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Orare debemus, ut faciat *Cum tentatione proventum*, ut possimus sustinere. Gratia igitur Christi non solum valet ad remissionem peccatorum quæ jam commissa sunt, *Sed etiam ad adjutorium, ut non committantur*. Pelagianos fecus sentientes Anathemate confixit Synodus Carthaginensis Canone tertio. Atque istud discrimen est inter Medicum hominem, & celestem supremumque animarum Medicum Deum, ut *S. Augustinus* explicat Lib. De Natura, & Gratia, Cap. xxvi. *Medicus homo cum sanaverit hominem, jam de cetero sustentandum elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, atque persistat, Deo dimittit: qui præbet ista in carne viventibus, cujus etiam erant illa, quæ dum curaret, adhibebat. Ipse autem Deus, cum per Mediatorem Dei, & hominum hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat egrum, vel vivificat mortuum, idest justificat impium, & cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit, non deserit, nisi deseratur, ut pie semper, jusq; vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic & homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus. Aliqua quidem vitant peccata, & aliquibus tentationibus resistunt peccatores ipsi, immo etiam Ethnici, sed ea non vitant, nec iis resistunt, ut par est, amore scilicet Dei, sed amore laudis, & gloriæ, vel alia cupiditate, & vitiis occultis: nec omnia vitant, nec gravibus tentationibus, diuque resistunt; sed *Aliquas cupiditates ideo vincunt, ut alias expleant, quarum granditate vincuntur; & In vulnera vulnere surgunt. Tunc itaque vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per Mediatorem Dei, & hominum Jesum Christum.**

§. XXVIII.

Gratia necessaria ad Deum super omnia diligendum.

V. Credendum est, Gratiam Dei omnino necessariam esse ad Deum super omnia diligendum: siquidem *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum, qui datus est nobis. Utrumq; igitur est Dei donum, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus. Prorsus Donum Dei est diligere Deum: ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit: displicentes amati sumus, ut fieret in nobis, unde placeremus. Quamobrem Secundum Sanctarum Scripturarum sententias, antiquorum Patrum definitiones prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi*

Gra.

Gratia eum, aut Misericordia divina prævenit. Arausici Conc. II. verba sunt. Idemque confirmat Conc. Tridentinum Sess. VI. Canone III. Hinc Ecclesia publicis in precibus Deo supplicat, ut amorem sui Fidelibus inspiceret: *Da populis tuis id amare quod præcipis :: Sancti nominis tui timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum :: Infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis :: Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis.* Amor Dei suppliciter a Deo postulatur, quia *Nisi detur inde nobis, non est unde possit esse in nobis. Ac per hoc voluntas bona, qua diligitur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur & velle* (inquit S. August. lib. de Patientia, cap. 25.) *Liberum enim arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* (ait idem Pater Epist. 217. alias 107.) *Quare igitur unde homini diligere Deum, nec invenies omnino, nisi quia prior ille dilexit nos. Non possumus diligere Deum, nisi per Spir. Sanctum amemus Deum de Deo.* (Sermone 34. alias 2. De Diversis.)

§. XXIX.

Gratia necessaria ad servanda Dei mandata.

VI. Credendum est, Christi Gratiam ad servanda Legis divinæ mandata esse omnino necessariam : nec per illam solum nobis revelari, & aperiri intelligentiam mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; sed *Per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Credendum est, necessarium esse, ut divina Mandata simpliciter implere possimus, ac vitam æternam promereri, non autem *Ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tamquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata.* Qui secus sentiebant Pelagiani Hæretici, damnati sunt, & anathemate perculsi, Canonibus IV. & V. Concilii Africani, qui Milevitani nomine vulgo proferuntur, quos Tridentinum Concilium renovavit Sess. VI. Canone secundo. Lex igitur data est, ut Gratia quæreretur, Gratia data est, ut lex impleretur. Lex data est, ut monstraret homini infirmitatem, & quæreret demonstrata infirmitas Salvatorem. *Ad hoc potius valet legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio.* Ubi enim non est lex, ait *Apostolus*, nec prævaricatio. Et, *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* „ Ac per „ hoc usque adeo aliud est lex, aliud gratia, ut lex non solum nihil pro- „ sit, verum etiam plurimum obsit, nisi adjuvet gratia; & hæc ostendatur „ legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad „ gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent, adjuvandos. Ju- „ bet enim magis quam juvat: docet morbum esse, non sanat; immo ab ea „ potius, quod non sanatur augetur, ut attentius, & sollicitius gratiæ Me- „ dicina quærat. Quia *LITTERA* occidit, Spiritus autem vivificat “ (in- „ quit S. August. Lib. De Gratia Christi, cap. VIII.)

Quod autem ait *Apostolus*, *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter, quæ Leges sunt, faciunt*, vel de Gentibus ad Christum conversis, ejusque fide imbutis intelligendum est, nec ibi natura opponitur gratiæ, sed Legi scriptæ, quæ data est Judæis; naturaque cogitanda est per gratiam Christi reparata. *Non per naturam negata est gratia, sed per gratiam reparata natura: ut ex-*

Discrimen
Legis, &
Gratiæ.

Rom. 7.

Rom. 4.

1. Cor. 3.

Rom. 2.
Quo sensu
Gentes Legem
non habentes,
naturaliter
quæ Leges
suat, faciunt?

plicat S. Augustinus Libro De Spiritu, & Littera, cap. xxvi. & xxvii. Vel si de Gentibus a Christi fide alienis etiam exponatur, intelligendum est, illas absq; gratia Christi omnia Legis præcepta non implere, sed aliqua dumtaxat faciliora, qualia sunt, honorare parentes, colere amicitiam, justam ferre sententiam: & hæc quidem quoad substantiam operis dumtaxat, non quoad modum, scilicet ex charitate, & (ut uno verbo multa complectar) Sicut oportet, ad justificationem, & vitam æternam consequendam, ut loquuntur Concilia Arausicanum II. & Tridentinum. *Necessaria est gratia adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis*, inquit S. August. alio loco. Et, *Mandatis Dei rectis, & arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas.*

Quamobrem gratiam ad implenda Dei mandata ab ipso cum Ecclesia ferventissimis precibus postulemus. *Dirigere, & sanctificare digneris hodie corda, & opera nostra in Lege tua, & in operibus mandatorum tuorum. Præsta, ut quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis. Mentem nostras benignus illustra, ut videre possimus, quæ agenda sunt, & quæ recta sunt, agere valeamus. Perfice, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus.* Oremus & cum S. Augustino dicentes: *Domine, da, quod jubes, & jube, quod vis.*

Lib. 10. Cor-
fess. c. 29.

§. XXX.

Gratia necessaria ad initium boni operis, & fidei.

VII. Credendum est, Gratiam non solum ad consumationem, sed etiam ad initium boni operis, & ad ipsum initium fidei esse omnino necessariam: quia *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: cujus sumus factura, Creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Et *Nemo ad Christum venire potest, nisi Pater traxerit eum, & nisi fuerit ei datum a Patre:* Orandum igitur est, ut *Qui cœpit in nobis opus bonum, perficiat usque in diem Christi Jesu.* Fidem etiam, tota quanta est, esse donum Dei Apostolus prædicat ad Ephesios scribens: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Tandem non posset vere dici homini, *Quis te discernit? Quid autem habes, quos non accepisti?* si fidei, aut boni operis initium ex seipso haberet. Quamobrem Semipelagianam hæresim Conc. Arausicanum II. confixit Canone 111. cujus hæc sunt verba: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaie Prophete, vel Apostolo idem dicenti: INVENTUS sum a non quærentibus me; palam apparui his, qui me non interrogabant.*

1. Cor. 6.

Eph. 2.

Joan. 6.

Philip. 1.

2. Cor. 4. 7.

Isai. 65.

Rom. 10.

S. Aug. Lib.
De Gratia
Christi c. 23.
& 25.

Enchirid.
Cap. 32.

Et Canone v. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium. non per gratiæ donum, idest, per inspirationem Spiritus-Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis Dogmatibus adversarius approbatur.* Idem etiam fidei Dogma Canonibus vi. & vii. confirmatur. „ Ut igitur perveniatur „ ad adjutorium Dei, ad Deum non curritur sine adjutorio Dei: qui non „ solum posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle operatur „ in nobis: non quia nos non volumus, aut non agimus, sed quia sine „ ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quamvis enim „ bona voluntas hominis multa Dei dona præcedat, non tamen omnia: „ quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque

„ legitur in sanctis Eloquiis, & *Misericordia ejus præveniet me; & Misericordia ejus subsequetur me.* Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. Assiduis quidem precibus a Deo postulanda gratia est; sed ut ait S. Prosper,

Hæc ut cujusque studio, affectuque petatur.

Ipsa agit, & cunctis dux est venientibus ad se,

Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.

*Carm. deliz.
gratis c. 25.*

Nec frustra nos adhortatur Scriptura Sacra, ut Deum quæramus, ut ad januam misericordiæ illius pulsemus, ut ad eum convertamur, & redeamus debemus enim quærere, pulsare, ad Deum converti, & redire, idque cum Dei gratia possumus; *Qua ut non adjuventur homines, in ipsis causa est, non in Deo;* ut S. Augustinus docet. Ad peccandum namque non adjuvatur a Deo: justa autem agere, vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur a Deo. *Sic enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus, aversusque discedat; ut autem videat, adjuvatur ab ea, neque hoc omnino, nisi illa adjuverit, potest: ita Deus, qui Lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, nostrum est..... Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam, ut convertamur, ipse adjuvat: quod certe oculis corporis lux ista non præstat. Cum ergo nobis jubet dicens, Convertimini ad me, & convertar ad vos; nosque illi dicimus; Deus Virtutum converte nos; quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cum jubet dicendo, Intelligite insipientes in populo; & nos illi dicimus, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua: quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cum jubet dicendo, Post concupiscentias tuas non eas; nosque dicimus, Scimus, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, quid aliud dicimus quam, Da quod jubes? Cum jubet dicendo, Facite justitiam: nosque dicimus, Doce me justificationes tuas: quid aliud dicimus, quam, Da, quod jubes? Quærentes itaque Dominum, dum inveniri potest, firmissime credamus, quod, Nunquam redire potest ovis errans, nisi fuerit boni Pastoris inquisitione præventa, & humeris reportata. Propterea Pastor bonus venit quærere, & salvam facere ovem perditam, quæ Pastorem suum quærere non potest prius quam ab eo quærat, sed a quærente prævenitur, ut quærat. Pastor autem frustra eam quæreret, si quæsitâ Pastorem ipsa quærere non posset; sed hoc ei quærentis Pastoris bonitas donat, ut etiam ipsa quærendi Pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem, ut quærat, quando illuminatur, ut credat (inquit S. Fulgentius.)*

Hæc propositio Semi-pelagiana est. Facienti, quod in se est per naturam vires, Deus non denegat gratiam.

Lib. 2. De Peccat. Meritis, & Remiss. c. 17. Ibid. c. 5.

*Zach. 1.
Psalm. 79.
Psalm. 92.
Psalm. 118.
73. Eccl. 18.
Sap. 1.
Isa. 56.*

*Psalm. 118.
12.*

S. Fulg. Lib. De incar. & Orat. c. 22.

S. XXXI.

Singularis Gratia ad perseverandum necessaria.

VIII. Credendum est, singularis gratiæ donum ad perseverandum necessarium esse. Eos enim dumtaxat in justitia stare, quos Deus omnipotenti voluntate sua statuit, Apostolus significat dicens: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum.* Idem perfectionem boni operis, idest, perseverantiam in justitia, usque in diem Christi Jesu, gratiæ tribuit. Cui consentiens S. Petrus scribit: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam gloriam suam in Christo Jesu, modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Donum illud singulare David a Deo rogabat dicens: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Illud sibi, populoque suo adprecabatur his verbis, *Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum,*

Rom. 14.

*Ph lip. 1.
1. Petr. 5.*

Psalm. 16.

& sem-

Psalm. 16.
2. Paral.
29.

Joan. 17.

S. Aug. Lib.
De Dono
Persev. cap.
6.

Phil. 2.

1. Cor. 10.

Joan. 15.

Apoc. 2.

S. Aug. Lib.
De Correp.
& Grat. c.
7

Rom. 8.

Et semper in venerationem tui mens ista permaneat. Illud pro Electis suis Christus a Patre postulavit: *Pater Sancte* (inquit) *serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. . . Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos a malo.* Eo denique Oratio Dominica pene tota collineat, ut Perseverantiæ donum a Deo efflagitemus, ut S. Cyprianus ostendit Tractatu De Oratione Dominica. Dogma istud Fidei S. Augustinus adversus Pelagianos, & Semi-pelagianos passim confirmat Libro De Correptione, & Gratia, & Libro De Dono Perseverantiæ. Conc. Arausicanum II. Canone x. declarat, *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper esse implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Concilium denique Tridentinum Sessione VI. Can. XXII. Anathemate percellit eos, qui dixerint, *Hominem justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse.* Igitur Magnum illud usque in finem perseverantiæ donum, quod nemo se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine nosse potest absque speciali revelatione ut eadem Sacra Synodus docet Canone XVI. a Deo continuis, ferventissimisque precibus postulemus, quia etsi illud non possimus absolute promereri, possumus tamen suppliciter emergere, hoc est, possumus impetrare. Deum oremus, ut *Det nobis perseverantem in sua voluntate famulatum: ut faciat nos suis semper obedire mandatis: ut nunquam nos a se separari permittat.* Cum metu, & tremore salutem nostram operemur. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Maneamus in Christo, ut maneat Christus in nobis. Fideles sumus usque ad mortem, & dabit nobis coronam vitæ. Nulla erit excusatio nostra, si non perseveremus, quia nobis vere dicitur, *Perseverares, si velles*, quamvis bona voluntas ex Dei munere sit, a quo præparatur. Ratum denique sit, donum perseverantiæ non negari nisi ob peccatum. *Quibus deest tale adjutorium, pena peccati est* (inquit S. August. Lib. De Correptione, & Gratia, Cap. XI.) *Deus enim sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*, ut S. Augustinus passim docet, & Conc. Tridentinum Sess. VI. Cap. XI. „ Et Deus, nisi illius gratiæ defuerimus, sicut cœpit opus „ bonum, ita perficiet operans velle, & perficere (inquit idem Concilium, „ Cap. XIII.) Verumtamen, qui se existimant stare, videant, ne cadant, „ & cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in elemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate: formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriæ, & nondum „ in gloriam renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, „ cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: *Debitorum sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

§. XXXII.

Vis omnis merendi bonis operibus ex Gratia Christi est.

IX. Credendum est, vim omnem merendi operibus Justorum ex Christi gratia inesse. *Christus enim Jesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in justificatos jugiter virtutem infuit; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent.* Nemo igitur in seipso gloriatur, sed in Domino, *Cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, ut loquitur Concilium Tridentinum Sessione VI. Cap. XVI. post Celestinum I. Pontificem Maximum. Bonis operibus Justos vitam æternam promereri credendum est, secundum illud Apostoli: „ Stabiles.

„ biles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. *Et*, Id, quod in præsentibus est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. *Item*, De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. *Et*, Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Quamobrem Concil. Tridentinum Sessione VI. Canone xxvi. eos Anathemate merito ferit, qui dixerint, *Iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint.* „ Sed quamvis debeatur merces bonis operibus, si fiant; Gratia tamen, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Hinc *Gratia Dei vita æterna* ab Apostolo dicitur, non quod meritis non detur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Non enim nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam. *Cui ergo redderet coronam justus Judex, si non donasset Gratiam misericors Pater?* Quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ justificat impium? *Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur?* Denique *Cum Deus coronat merita nostra, non aliud coronat, quam munera sua.* De quo scriptum est, *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.*

1. Cor. 15.

2. Cor. 4.

2. Tim. 4.

Conc. A-

raus. 2. cap.

18. S. Aug.

Lib. De Grat.

& Lib. Arb.

c. 6. & Epist.

194. alias

105. ad Six-

tum.

Psalm. 102.

§. XXXIII.

Liberum arbitrium Gratiæ cooperatur.

X. Credendum nihilominus est, liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum ad opera bona, cum Dei gratia, & ex ipsa gratia agere, non autem *Mere passive se habere*, aut moveri *velut inanime quoddam*: quæ hæresis est damnata a Concilio Trid. Sessione VI. Canone IV. *Qui enim Spiritu Dei aguntur*, ita aguntur, ut agant, & cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant. Spiritus Dei, qui te agit agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce quid possas, agnosce quid confitearis, quando dicis, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* *Adjutorem utique invocas Deum.* Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. *Scimus* (inquit idem Apostolus) *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sinon esses operator, ille non esset cooperator. Cum igitur auditis, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, nolite vos demittere. Neque enim Templum suum sic de vobis ædificat Deus quasi de lapidibus, qui non habent motum suum: levantur, ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi: *Et vos tamquam lapides vivi coædificamini in Templum Dei.* Ducimini, sed currite & vos: *Ducimini, sed sequimini.* *Quia cum secuti fueritis, verum erit illud, Quia sine illo nihil facere potestis.*

Rom. 8.

Psalm. 26.

Rom. 8.

3. August.

serm. 156.

alias 13.

de verbis

Apostoli.

Ephes. 2.

§. XXXIV.

Gratia efficax, & sanctificans non datur omnibus.

XI. Credendum est, Gratiam efficacem, & Gratiam, quæ justificat impium, Gratiam fidei, Gratiam regenerationis, Gratiam seu donum perseverantiæ usque in finem, *Non omnibus hominibus dari: eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari; eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari*, ut loquitur S. August. *Quare autem illos potius, quam illos liberet, iterum,*

S. Aug. E-

pist. 217. a-

lias 107.

rum atque iterum dicimus, nec dicere nos piget: O HOMO tu quis es, qui respondeas Deo? Nec ulla est acceptio personarum, in duobus debitoribus equaliter reis; si alteri dimittitur, alteri exigitur, quod pariter ab utroque debetur... Cum enim iustus esset, etiamsi utrumque puniret; qui liberatur, habet unde gratias agat qui damnatur, non habet, quod reprehendas.

§. XXXV.

Gratia efficax libertati non officit.

XII. Quamvis ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita sit ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri, ut ait S. Aug. Lib. De Gratia Christi, cap. 47. nihilominus credendum est, Gratia vim efficacissimam ex divina omnipotentia, & divinæ voluntatis infinita virtute promanantem, humanæ libertati nullatenus officere; cum homo excitanti, moventi, atque adjuvanti gratiæ libere cooperetur, illamque *Abjicere*, & ei *dissentire possit*, si velit, ut a Conc. Trid. Sessione VI. Cap. VI. & Canone IV. definitum est. *Voluntas ergo libera tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ, gratiæque subjectior: libertas enim sine gratia, non est libertas, sed contumacia* (inquit S. August. Epistola CLVII. alias LXXXIX.) Omnipotentissimæ Dei voluntatis, gratiæque; efficacis vim ex illa insuperabilem habentis, concordiam cum hominis libertate S. Anselmus confirmat, Libro De Concordia Præscientiæ, & Prædestinationis, Cap. III. *Quoniam*, inquit, *quod Deus vult, non potest non esse; cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum; tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Sane divinæ omnipotentia, & voluntatis vis efficacissima, *Attingens a fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter*, non solum omnia opera nostra in nobis operatur, sed etiam modum eorum, ut quæ ex Gratia præveniente sunt a voluntate libera, tam libere fiant, quam si essent a sola voluntate; siquidem *Deus magis habet in potestate sua hominum voluntates, quam ipsi suas*; ut docet S. Augustinus. Propterea Deus voluntatem excitans, in eaque operans, ut ipsa cooperetur, trahit ipsam *Amore, & voluntate*, facitque, ut *magis delectet, quod præcipit, quam delectat, quod impedit. Dominus dat benignitatem, sive suavitatem gratiæ suæ, & terra cordis nostri dat fructum suum.* Facit ut *spiritalis boni delectatione* agamus. Quis vero libertatem lædi putet, cum voluntas agit amando, & agendo delectatur, cum *Sub gratia sanante, juvante, delectante implet legem, quæ non est ei pondus, sed decus, nec timentis tormentum, sed amanti ornamentum?* (ut loquitur S. Augustinus Sermone XXXIII.)

Cap. 8.

S. August.

Alias de div.
versis 18.

Rom. 9. 16.

Gratia per
se efficax
semper cõ-
grua est vo-
luntati, quæ
a Deo tra-
hitur, &
moveretur.

Etsi vero *Non volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei*, ut ait Apostolus; etsi *Gratia Ipsa suum consumet opus, cui tempus agendi semper adest...* *Nec moribus illi fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis, nec quod sola potest cura, officiove ministri exequitur, famulisve vicem committit agendi:* ut ait S. Prosper in Carmine De ingratis: Deus tamen Gratiam suam ita contemperat illis, quos efficaciter vocat, movet, excitat ad bonum, ut illis congrua sit. Unde quamvis Deus multos vocet, *Eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Falsum est autem si quis dicit, *Igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur: & non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit.* Cu-

ius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat: non quidem explorando, aut expectando consensum voluntatis, sed efficiendo, & temperando Gratiam, quomodo illis, quos vocat, aptum est, ut moveantur, intelligant, & sequantur. Illi ergo sequuntur vocationem, Qui ei capiendæ reperiuntur idonei: non quia se ipsos idoneos reddunt, quibus vere dicitur: Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Sed quia præparatur eorum voluntas a Domino, qui Ad fidem mentem applicat, voluntatemque conjungit (ut loquitur S. Aug. Lib. 1. ad Simplicianum, Quæst. 11.) Amorem justitiæ inspirat, voluntateique flectit, ac movet, ut Rex Omnipotens, & Optimus, imperio quidem efficaci, sed suavi, liberi arbitrii jure servato; non ut tyrannus cogit, aut dura, & ineluctabili necessitate compellit, & constringit. Congrua certe est gratia quælibet efficax ea congruitate, quam Dei voluntas omnipotens facit. Quid enim congruentius, aut quid jucundius infirmis gratia, qua sanantur, vel pigris gratia, qua excitantur, vel volentibus gratia, qua juvantur? Quis animo completitur aliquid, quod eum non delectat? Verum Quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industria, aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. Verba sunt S. Augustini, loco mox indicato.

Auxilio itaque, & munere Dei non auferitur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum (inquit Celestinus I. sive alius Auctor Collectionis Sententiarum de Gratia, & Libero Arbitrio, ejus Epistolæ ad Gallos Episcopos adjunctarum.) Et, ut ait S. Prosper in Responsione ad Capitula Gallorum, Cap. xv. Arbitrium hominis gratia Dei non abolet, sed adolet: & ab errore in viam revocat ac reducit: ut, quod sua libertate erat pravam, Spiritu Dei agente sit rectum.

Liberum arbitrium gratia per se efficaci non auferitur, sed liberatur.

S. XXXVI.

Totum Deo tribuendum.

XIII. Denique quamvis liberum arbitrium per gratiam a Deo excitatum, motum, adjutum, ipsi cooperetur; totum tamen Deo tribuendum est: non Deo ex parte, & homini ex parte, sed *Humilis sit, & devota confessio, & detur totum Deo; ut sæpe repetit S. Augustinus. Cum enim Nemo habeat de suo nisi mendacium, & peccatum, ut docet Arausiana Synodus II.) In nullo gloriandum est, quando nostrum nihil sit. Quam S. Cypriani Sententiam S. Augustinus contra Gratia hostes protulit. Quicquid sumus, Dei misericordia sumus; quicquid ex nobis sumus, mali sumus. Quicquid boni habet homo, non habet nisi ab illo, qui omne bonum nostrum est. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt (inquit S. Bernardus.) Totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa. Igitur, qui recte sapiunt, triplicem confitentur operationem: non quidem liberi arbitrii, sed divinae Gratia in ipso, sive de ipso. Prima creatio; secunda reformatio; tertia est consummatio. Primo namque in Christo creati in libertatem voluntatis; secundo reformamur per Christum in Spiritum libertatis, cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis... Cum igitur consummatio fieri habeat de nobis, sive etiam in nobis non autem a nobis; creatio vero facta sit, & sine nobis: sola quæ nobiscum quodammodo fit pro-*

Lib. de Domino persever. cap. 5. Enchirid. c. 32.

S. Cyprianus Lib. 3. Testim. ad Quirinum.

S. Bernardus Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 14.

Triplex operatio divine gratia.

„ pter

Deus voluntatem applicat operi, opus explicat voluntati.

Primum gratiæ beneficium, redigere nos ad confessionem infirmitatis nostræ.

„ pter consensum voluntarium nostrum, in merita nobis reputabitur reformatio. Sed Deus auctor est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. Agnoscamus igitur infirmitatem, & impotentiam nostram: quicquid boni cogitamus, dicimus, operamur, ad Deum auctorem referamus, a quo est omne bonum, & datum optimum. *Ipsa est enim gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confessionem infirmitatis, ut quicquid boni possumus, quicquid potentes sumus, in illo simus, ut qui glorietur, in Domino gloriatur* (inquit S. Augustinus Enarratione in Psalmum xxxviii.) Cum enim Deus operetur in nobis velle, & operari pro bona voluntate, *Hæc Sanctis causa est tremendi, atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ* (inquit S. Leo Sermone viii. De Epiphania.)

S. XXXVII.

Fidei in Deum Omnipotentem utilitas.

Nulla res (inquit Concilii Tridentini Catechismus) tam ad fidem, & spem nostram confirmandam valet, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse. Quicquid enim deinceps credere oportet, quamvis magnum, & admirabile sit, rerumque ordinem, ac modum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla hæsitatione assentitur, quin potius, quo majora sint, quæ divina oracula doceant, eo libentius fidem eis habendam esse existimat. Plane credendum est, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.

Fides de omnipotentia Dei orationem format, spem erigit, ad humilitatem ad timorem Dei ad gratiarum actionem nos influit.

Præterea, si boni aliquid expectandum sit, nunquam animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur; sed erigit sese; atque confirmat, sæpe illud cogitans, nihil esse, quod ab omnipotenti Deo effici non possit. Hac igitur fide præcipue munitos nos esse oportet, vel cum admiranda aliqua opera ad proximorum usum, & utilitatem edenda sunt, vel cum a Deo precibus impetrare aliquid volumus. Alterum enim ipse Dominus docuit, Matth. xvii. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* De altero S. Jacobus scribit Epistolæ Catholicæ Cap. i. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans: Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur. Non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Fides igitur impetrat quod lex imperat. Si fides deficit, ratio perit. *Quis enim orat, quod non credit? Unde & Apostolus, cum ad orandum exhortaretur, ait, Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse irerivum ubi caput aquæ siccatur, adjunxit: Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Ergo ut oremus, credamus: & ut ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.* Sed præsertim spem in misericordiam Dei erigit fides, quam ipsum omnipotentem credimus. *Credamus ergo in eum, & omnia nobis de ipsius misericordia promittamus, quia omnipotens est: Ideo in Deum Patrem omnipotentem credimus. Nemo dicat: Non mihi potest dimittere peccata. Quomodo non potest omnipotens? Sed dicis, Ego multum peccavi. Et ego dico, Sed ille omnipotens est. Et tu, Ego talia peccata commisi, unde liberari, & mundari non possum. Respondeo, Sed ille omnipotens est. Videte, quid ei cante-tis in Psalmo: Benevenc anima mea Domino, & noli oblivisci omnes re-*

Rom. 10.

S. August. serm. 115. alias 26. De Verbis Domini.

S. August. serm. 213. alias De Tempore 119.

tributiones ejus: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. *Ad hoc nobis est ejus omnipotentia necessaria* (inquit S. Augustinus.) Psal. 106.

Præterea, hæc fides ad omnem animi modestiam, & humilitatem nos instituit. Unde Princeps Apostolorum, Epistolæ I. Cap. 5. *Humiliamini*, inquit, *sub potenti manu Dei*, qui nimirum superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Monet insuper, non esse trepidandum, ubi nulla est timendi ratio, sed unum Deum timendum esse, Regem Regum, & Dominum dominantium, in cujus potestate nos ipsi, & omnia nostra posita sint. Unde Salvator noster Lucæ XII. *Ostendam vobis*, inquit, *quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis; hunc timete.*

Utimur denique hac fide ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda, & celebranda. Nam qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo esse non potest, quin sæpius exclamet: *Fecit mihi magna qui potens est.* Luca I.

§. XXXVIII.

CREATOREM COELI, ET TERRÆ.

I. **C**reationis opus admirabile Personæ Patris eadem ratione tribuitur; qua omnipotentia, quamvis commune sit tribus Personis adorandæ Trinitatis, cujus inseparabilis est operatio. Nam & *Per Verbum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit. Quod, etiam de Spiritu Sancto Propheta prædicat, dicens: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sed creatio tribuitur Patri, & de illo Christus ait, *Pater in me manens ipse facit opera*, quod ab illo fit etiam origo operum, a quo est existentia cooperantium Personarum; quia & Filius de illo natus est, & Spiritus Sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus est Filius, & cum quo illi communis est idem Spiritus. Cum igitur ait Dominus, *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit*, non ad Filium, & Spiritum Sanctum retulit, quasi non sint illis operibus cooperati; sed ad homines, a quibus leguntur multa facta miracula, & tamen a nullo, quæ Filius fecit. Et quod ait Apostolus de Spiritu Sancto, *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus*, non ideo dictum est, quasi non ei cooperetur Pater, & Filius, sed quia in his operantibus non sunt multi, sed unus Spiritus, & in diversis suis operationibus non est a se ipso diversus. Sic Patrem dixisse credimus, *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*: Et tamen huic miraculo vocis de cælo sonantis cooperatos esse Patrem, & Filium agnoscimus. Eodem modo cum rectissime dicamus, non Patrem, nec Spiritum Sanctum super mare ambulasse; illud tamen opus tanti miraculi, Patrem, & Spiritum Sanctum cooperatos esse quis abnuat? Sic & solum Filium vere dicimus suscepisse carnem, non Patrem, aut Spiritum Sanctum, & tamen hanc Incarnationem ad solum Filium pertinentem quisquis negat cooperatum Patrem, aut Spiritum Sanctum, non recte sapit. Item dicimus, nec Patrem, nec Filium, sed solum Spiritum Sanctum, & in columbæ specie, & in linguis velut igneis apparuisse, & dedisse pronunciare illis, in quos venerat, multis, & variis linguis magnalia Dei: A quo tamen miraculo ad Spiritum Sanctum pertinente, cooperationem Patris, & Verbi unigeniti separare non possumus. *Ita singulorum quoque in Trinitate opera Trinitas operatur, unicuique operanti cooperantibus duobus, conveniente in tribus agendi concordia, non in uno deficiente efficacia peragendi* (inquit S. Augustinus Sermone LXXI. alias II. De Verbis Domini, Cap. XVI.)

80 Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Liber I.

Deus ex nihilo mundum condidit.

2. Creatorem cœli, & terræ profitemur Deum, quia mundum, qui est cœli, terræque compages, ex nihilo condidit, non ex materia aliqua sibi coæterna, quam ipse non fecerit; idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte, & voluntate. Neque vero ulla alia fuit causa, quæ Deum ad opus creationis impelleret, nisi ut bonitatem suam cum rebus, quæ ab ipso essent effectæ, communicaret. Nullius enim rei indiget qui per se beatissimus est. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egēs; (inquit Propheta.)* Quemadmodum autem sola suæ bonitatis propensione mundum condidit, ita non exemplum aliquod, aut formam extra se positam imitatus est in creatione rerum; sed rerum omnium creandarum rationes intelligibiles, vivas, æternas, incommutabiles, seu præformatas, & descriptas in mente sua, in arte sua; in Verbo suo imagines, atque exemplaria, quæ in ipsa arte divina unum sunt, intuitus, ac veluti imitatus, summa sapientia, & infinita virtute, quæ ipsius propria est, rerum universitatem in principio procreavit. *Ipse enim dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* De Ideis illis, seu exemplaribus rerum in mente Summi Artificis Dei, seu in Verbo divino existentibus illud *S. Joannis* oraculum, *Quod factum est in ipso vita erat*, *S. Augustinus* interpretatur, *Tractatu I. in Joannem.*, *Facta est terra, inquit, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita: Est autem in ipsa Sapientia spiritualiter ratio quædam, qua terra facta est, hæc vita est... Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam: Si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere, numquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, & illa manet, quæ in arte est: Nam potest illa arca putrescere, & iterum ex illa, quæ in arte est, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est: quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. Sic ergo quia Sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem non continuo vita sunt, sed quicquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte Terra: Cœlum vides, est in arte Cœlum: Solem, & Lunam vides, sunt & ista in arte: sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.*

Quamvis porro Deus creaturas plurimas ex aliis condiderit, atque etiamnum producat, illarum nihilominus Creator proprie, vereque appellatur, tum quia materiam, qua constant, ex nihilo produxit in prima rerum motione; tum quia, quod homines spectat, illorum Animas e nihilo quotidie creat, & creando corporibus infundit; tum quia in rerum quotidiana productione per causas secundas, quibuscum efficiendi vim, causæque dignitatem communicat, materia non indiget, circa quam agit, & ex qua formas educit, nec ab ea ullo modo dependet ejus operatio. Hinc eandem actionem, qua homo gignitur, *S. Augustinus* creationem vocat, quatenus a Deo est, generationem vero quatenus ab homine est. Sic enim *Libro IV. Contra Julianum, Capite VIII. Qui nondum, inquit, sicut parvuli utuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur.* Et *libro I. De Nuptiis, & Concupiscentia, Cap. I. Ex maribus, & fœminis Deus homines creat.* Tum *libro II. De Anima, & ejus Origine, Cap. III. Creatura omnis, inquit, ex Deo, sed creante vel ex nihilo, vel ex aliquo, non autem gignente, vel producente de seipso.* Et alibi: *Nascuntur homines hominibus generante, Deo creante, peccato inficiente, diabolo possidente.*

COELI, ET TERRÆ Creatorem credere nos profiteamur Deum, his nominibus intelligentes, & significantes quicquid cælum, & terra complectuntur. Nam præter cælos, quos *opera digitorum* ejus Propheta appellavit, lucem etiam, splendoremque Solis, Lunæque, & ceterorum Syderum ornatum addidit, ut diem, ac noctem dividerent, essentque in signa, & tempora, & dies, & annos. In cælo etiam spiritualem naturam, scilicet Angelos innumerabiles ex nihilo creavit Deus, qui ipsi ministrarent, & assisterent. Hinc de Filio Dei Apostolus ad Colossenses scribens, Cap. 1. ait: *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Terram porro super stabilitatem suam fundatam Deus verbo suo jussit in medio Mundi consistere, effecitque, ut ascenderent montes, & descenderent campi in locum, quem fundavit eis: ac ne aquarum vis illam inundaret, terminum posuit quem non transgredientur, neque convertentur operire terram. Deinde non solum arboribus, omnique arborum, & florum varietate convestivit, atque ornavit, sed innumeris etiam animantium generibus, quemadmodum antea aquas, & aerem, ita etiam terras complevit. Postremo ex limo terre condidit hominem, *Dei manu pro matrice usum*, ut *Basilius Seleuciensis* loquitur: & *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est in animam viventem.* Hæc omnia cæli, & terræ verbis intelligenda sunt, quæ Propheta hac sententia expressit: *Tui sunt cæli, & tua est terra; orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundasti:* & multo brevius Nicæni Concilii Patres additis Symbolo duobus illis verbis, *Visibilem, & invisibilem*, significaverunt. Quæcumque enim rerum universitate comprehenduntur, ea vel sub sensum cadunt, & visibilia dicuntur; vel mente, & intelligentia percipi a nobis possunt, quæ invisibilem nomine significantur. Id autem additum contra Manichæorum hæresim, qui Deum Optimum Maximum carnis conditorem, corporumque negabant, sed mali Principii esse dicebant opificium; & duas Animas in homine esse asserbant, unam bonam a bono Deo, alteram malam ab adverso Principio. Hæc autem omnia Deus non ab æterno, sed in principio temporis creavit, ut declaravit Ecclesia in Concilio Lateranensi IV. sub *Innocentio III.* Canone 1. *Unum, inquit, universorum Principium, Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium: quia sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.*

Cæli, & Terre nomine quid intelligendum in primo Symboli Articulo. *Psalms. 8. Genes. 1.*

Genes. 2.

Psalms. 88.

Manichæorum error.

§. XXXIX.

Quid de Angelis sentiendum?

I. **A**ngelos Spiritus esse, fides docet. Psalmo enim *ciii.* scriptum est: *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* Et ab Apostolo, *Administratorii Spiritus* appellantur. Incorporei sunt, immortales, invisibiles; pinguntur tamen, & sculptis imaginibus, ut homines repræsentantur, quia in humana forma ad tempus assumpta hominibus apparuerunt, cum ad eos missi sunt a Deo. Magno illos esse numero certum est, id enim Sacræ Litteræ nos docent, *Danielis VIII. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assidebant ei.* Et *Apocalypsis v. Et erat numerus eorum millia millium.* Quanta sit eorum multitudo, pro certo non habetur: infinitam non esse certum est. Scientia eminenti præditos esse Scriptura Sacra testatur *II. Regum XIV. Tu, Domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Cogitationes

Hebr. 1.

Angeli Spiritus sunt.

Magnus Angelorum numerus.

Angellorum scientia eminens.

Cogitatio-
nes cor-
dium non
cogno-
scunt.
Psalm. 7.
Psalm. 31.
Psalm. 43.

Act. 1.

Angelo-
rum perni-
citas.

Hominum
preces Deo
offerunt.

tamen hominum minime noverunt, quia hujusmodi cognitio Dei propria est, qui *Scrutatur renes, & corda; Qui Finxit sigillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum: & Novit abscondita cordis.* De quo & III. Regum, Cap. VIII. Salomon ait: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* De quo, & Apostolus ad Hebræos IV. *Vivus est sermo Dei, & efficacax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Hinc Apostoli orantes dixerunt: *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, &c.* Potentes sunt, magna- que vi pollent, ut S. Rex David significat his verbis: *Potentes virtute, fa- cientes verbum illius.* Quamobrem sæpe in Sacris Litteris *Virtutes, & Exer- citus Domini* appellantur. Pernicitatis sunt incredibilis, & minimo tempo- ris spatio ad quælibet locorum intervalla raptim feruntur, & eo quidem modo, quem ne adumbrare quidem cogitando possumus, nedum oratione, aut argumentis assequi. Hinc *Tertullianus* Apologetici Cap. XXII. de An- gelis ait: *Omnis Spiritus ales, hoc est, Angeli, & Demones. Igitur momen- to ubique sunt. Totus orbis illis locus unus. Quid ubi geratur tam facile sciunt, quam enuntiant.* Hinc alii instructi pinguntur Angeli, quibus & Sanctorum Spirituum fervor, & velocitas ad Dei mandata exequenda adumbratur: maximeque ad orationes nostras *ambitioso famulatu, ac ministerio* ad Deum pervehendas, ut loquitur S. *Hilarius*; nec preces tantum, sed & cetera pie- tatis opera. Quo spectat illa scilicet Jacob cælitus repræsentatæ expositio, & per eam ascendentium infatigabili alternatione Angelorum. Unde *Alcimus Avitus*, Fragmento VI. in Epistolam ad Philippenses ait: *Scalæ gradus sunt supplicationes humane, quibus quisque pro viribus in divinas aures precum qualitate mittatur. Ascendunt autem per eos Angeli, cum vota nostra in cæ- lum porrigunt. Descendunt, cum de cælis obtenta transmittunt. Assistunt hi precibus nostris, non pennarum flatu, sed donorum spiritu, quorum volasse, voluisse est. De tanta beatitudine, unde nos modo peregrinamur, attendunt nos peregrinos, & miserantur nos, & jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam Patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis fonte Domini- co veritatis, & æternitatis aliquando satureremur* (inquit S. *Augustinus* Enar- tatione in Psalmum LXII.)

§. XL.

Angeli in Gratia conditi.

Job. 8.
Ezech. 28.

Angeli
non potue-
runt se
ipsum facere
meliores.

H. Cum Gratia conditos Angelos omnes colligitur ex eo, quod Sacræ Litteræ de Diabolo testantur, quod *in veritate non stetit*; & ex iis, quæ ab *Ezechiele* de diabolo figurate dicta sub persona Regis Tyri, Patres pleri- que, & universa Theologorum Schola interpretantur. *Tu signaculum simi- litudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitiis Paradisi Dei fui- sti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. . . Aurum opus decoris tui. . . Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in Monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis a die conditionis tue, donec inventa est iniquitas in te.* Deus igitur Angelos cum bona vo- luntate, id est, cum amore casto, quo illi adhererent, creavit, simul eis condens naturam, & largiens gratiam; ut loquitur S. *Augustinus* Lib. XII. De Civitate Dei, Cap. IX. *Si enim boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in se ipsis Deo non operante fecerunt; ergo me- liores a se ipsis, quam ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine bona voluntate nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala volun-*

voluntas eis inerat, certe nondum tales, nondum tam boni, quam esse cum bona voluntate cœperunt. Aut si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit: profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio Creatoris habere non possent... Confitendum igitur est, cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quod Charitas diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis; nec tantum hominum, sed primitus præcipueque Angelorum bonum esse, quod scriptum est: Mibi adhærere Deo, bonum est. Psal. 72.

§. XLI.

Sanctorum Angelorum pugna cum malis. Quodnam istorum peccatum?

III. Tria dumtaxat Sanctorum Angelorum nomina ex Scriptura Sacra nominamus, Michaelis, Raphaelis, Gabrielis. Prælium magnum in cœlo factum S. Joannes Apocalypsis XII. commemorat. Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone (idest, cum Angelorum perduellium principe, cui Lucifero, & Belsebub nomen,) & draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem; & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte. " Michael, cuius nomen significat, Quis ut Deus? ejusque Sancti Commilitones Deo subiecti, gratiasque pro acceptis donis divinæ Majestati referentes, humilitate diabolum vicerunt, & Angelos ejus, steteruntque per liberum arbitrium, gratia tamen ampliori adjutum. Ceteri per liberum arbitrium a Domino Deo refuge facti sunt. *Istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt* (inquit S. Augustinus.) Proinde causa beatitudinis bonorum Angelorum ea est, quod ei adhæserint, qui summe est. Cum vero causa miseræ malorum Angelorum quæritur, ea merito occurrit, quod ab eo, qui summe est, averfi, ad se ipsos conversi sunt, qui non summe sunt: & hoc vitium quid aliud, quam superbia nuncupatur? *Initium quippe omnis peccati superbia.* Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam: & qui magis essent, si ei, qui summe est, adhærent, se illi præferendo, id quod minus est prætulerunt. Verba sunt S. Augustini Lib. XII. De Civitate Dei, Cap. VI.

Illud superbiæ diabolicæ crimen dilucide S. Gregorius Magnus explicat Libro XXXIV. *Moralium*, Cap. XVII., Ei, inquit, a quo conditus fuerat, subesse despexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit: Levathan vero iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perverse libertatis appetiit, ut & præesset ceteris, & nulli subesset, dicens: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit. Qui enim charitatem ejus imitari debuit subditus, ambiit ejus celsitudinem, & hoc, quod imitari poterat, amisit elatus. Celsus nimirum esset, si ei, qui veraciter celsus est, inhærere voluisset: celsus esset, si participatione veræ celsitudinis contentus fuisset. Sed dum privatam celsitudinem superbe appetiit, jure perdidit participatam. Relicto enim eo, cui debuit inhærere, principio, suum sibi appetiit quodammodo esse principium. Relicto eo, qui vere

Dan. 10. &
12.
Juda Vers 9.
Apoc. 12.
Tob. 3. &c.
Dan. 8. & 9.
Luca 1.

Angeli Sancti Luciferum, & Angelos ejus humilitate vicerunt.

Amplius gratia sunt adjuti.

S. August. Lib. De Corrupt. & Grat. c. 12. Lib. 12. de Civit. Dei, cap. 9.

Primum malorum Angelorum peccatum, superbia. Eccli. 10. Isai. 14.

illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse judicavit; & tanto magis intra se cecidit, quanto magis se contra gloriam sui Conditoris erexit. Superbiam propriam, primumque diaboli peccatum fuisse perspicue significat Apostolus I. ad *Timotheum* III. cum *neophytum* ad Episcopatum provehi vetat, *Ne in superbiam elatus, in judicium incidat Diaboli*. Superbiam, casumque diaboli invidia felicitatis humanæ secuta est: qua *Invidia mors intravit in mundum*.

§. XLII.

Mali Angeli in infernum detrusi.

Plures in aere dæmones ad hominum exercitationem & infestationem.

Ephes. 2.

Luca 8.

Sui semper ferunt tormenta.

In cap. I. Epist. S. Jacobi.

IV. Superbiæ igitur merito ex altissimis cœli sedibus deturbati dæmones, in infernum detrusi sunt, æternas defectionis suæ pœnas luituri. De quibus S. Petrus, II. Epistolæ suæ Cap. II. scribit: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos in judicium reservari*. Et S. Iudas Apostolus in Epistola sua Canonica: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*. Dæmones igitur omnes in tartara sunt præcipitati, ibidem igne æterno cruciandi, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Non tamen inferis sic addicti sunt, & affixi dæmones, ut inde tamquam e carcere nunquam exeant ante ultimum judicii diem. Nam constat, plurimos permittente Deo per aera discurrere, ibique sedem suam constituere ad hominum exercitationem, & infestationem. Unde a S. Paulo diabolus vocatur *Princeps potestatis aeris hujus*: cui scilicet subjecti sunt, & obsequuntur dæmones, qui in aere degunt. Et apud S. Lucam iidem illi, cum se ex obfessis corporibus exturbandos viderent a Christo, *Rogaverunt illum, ne imperaret illis ut in Abyssum irent*. Quo nomine tartara, inferosque designant. Qui vero in aere isto caliginoso versantur, quamvis actu non alligentur igne tartareo, tamen ex hoc ipso, quod sciunt illam alligationem sibi deberi, seque sempiternis ignibus destinatos, non minuitur illorum pena, sicut nec gloria beatorum Angelorum, qui e cœlo ad nos descendunt. Unde Venerabilis Beda de Dæmonibus ait: *Suarum secum ferunt semper tormenta flammarum, instar febricitantis; qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apertis, fervorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest*.

§. XLIII.

Varii beatorum Angelorum Ordines.

Isai. 6.
Ezech. 9. &
10. Ephes. I.
21. Coloss. I.
16.

S. August. Lib. contra Priscill. & Origen. c. x. & in Ench. c. 58. Dionys. lib. de Celest. Hierarch.

Gregor. Homil. 14. in Evang. Iud. 6.

Orig. Bernard. lib. 5. de Consid. & serm. 10. in Cant.

V. Varia esse beatorum Angelorum nomina, quibus certi gradus, & ordines illorum designantur, certo colligitur ex Prophetis, Apostolo, & SS. Patribus. Quot sint Hierarchiæ, vel Ordines Sanctorum illorum Spirituum, & quid inter se distent, quamvis Fides non doceat, sequè ignorare S. August. fateatur; recepta tamen sententia est, & SS. Dionysii, Gregorii Magni, Maximi, Isidori, Bernardi, & Thomæ auctoritate fulta, novem esse Angelorum Choros, sive Ordines, scilicet *Seraphim*, *Cherubim*, *Thronos*, *Dominationes*, *Virtutes*, *Potestates*, *Principatus*, *Archangelos*, & *Angelos*. *Seraphim* ab igneo charitatis ardore appellantur. *Cherubim* a multitudine scientiæ. *Throni*, ob celsitudinem, & quod in eis Deus sedeat, singulæque modo requiescat. *Dominationes*, quod mira potentia præmineant, eisque ceteri Ordines inferiores ad obediendum subjecti sunt. *Virtutes*, ob firmitatem, & vigorem; & quod per eos signa, & miracula frequentius fiant. *Potestates*, quia hoc potentius ceteris in suo Ordine perceperunt, ut eorum ditioni dæmones subjecti sint, eorumque potestate comprimantur, ne ho-

ne hominibus tantum noceant quantum volunt. *Principatus*, quod inferioribus Ordinibus ad explenda divina ministeria præsent. *Archangeli*, qui Mysteriorum divinorum conscii, nonnisi maxima nunciant, & Angelis præsent. *Angeli*, qui minima. Angeli commune nomen est, non naturæ, sed officii. Singulos vero beatorum Spirituum Ordines Deum, Christumque proprio sibi amore diligere, *S. Bernardus* ostendit, Sermone XIX. in Cantica.

§. XLIV.

Angelus Custos cuique homini a Deo præpositus.

VI. Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, ut tradit Apostolus ad Hebræos scribens, Cap. I. Suum cuique homini a Deo præpositum Angelum Custodem, maxime vero Fidelibus, Patres summo consensu docent, Christianumque istud Dogma certo colligitur ex verbis Christi, Matth. XVIII. Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. At ex Actuum XII. ubi scriptum est, *S. Petro*, postquam ex carcere liberatus est, ostium pulsante, dixisse qui domi tunc erant, *Angelus ejus est*. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis ad sui custodiam Angelum deputatum. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Fide cognoscimus Angelos *Ascendentes*, & *descendentes*. Ascendunt per contemplationem Dei, descendunt per compassionem tui, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum ejus, descendunt ad nutum ejus; quoniam *Angelis suis mandavit de te*. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? *Reverentiam pro presentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia*. „Caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, „sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, „in quovis angulo. Angelo tuo reverentiam habe. “ Ne audeas illo præsentate, quod vidente homine non auderes. Gratias Deo agamus, qui Angelis suis mandavit, ut custodiant nos, ut protegant, ut proficiant, ut dæmonum infestationes, & tentationes comprimant, ut pia nobis consilia suggerant, ut preces nostras offerant Deo, ab eoque vicissim beneficia nobis reportent, ut nobis in periculis quibusque opem afferant. Soli Deo honor, & gloria, qui ipsis mandavit, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Verum & beatis illis Spiritibus, qui ei ex tanta charitate obediunt, ne simus ingrati, redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus. *Totus tamen ei reddatur & amor, & honor noster, a quo tam ipsis, quam nobis est totum, unde honorare possumus, vel amare, unde amari, honorarive meremur*. „In Deo diligamus Angelos ejus, tamquam futuros aliquando cohæredes nostros, interim vero actores, & tutores a Patre præpositos nobis. Nunc enim filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, eo quod adhuc parvuli sub tutoribus, & actoribus sumus, tamquam nihil interim differentes a servis. Ceterum etsi parvuli sumus, & tam magna nobis, & periculosa restet via, quid tamen sub tantis Custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt. *Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt*: quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cæli commoremur. *Angelorum, si meruerimus, candidati*, ut loquitur *Tertullianus*, idest, ejusdem beatitudinis confortes aliquando futuri, ad unam cum illis Civitatem Dei pertinentes, angelice vivamus, *amore casto*, sicut beati illi Spiritus, Deo

Tertull.
lib. de Anima
cap. 13.
Origenes
Hom. 20. in
Num. Ho-
mil. 8. in
Josue.
Homil. 1. in
Psal. 37.
Euseb. lib.
13. de præ-
parat.
Evang.
cap. 17.
S. Basil. in
Psal. 48.
& lib. 3.
contra Eu-
nom. S. Gre-
gor. Niss.
lib. de Vita
Mosis S.
Ambros. in
Psal. 38.
& serm. 1.
in Psal. 118.
Theodoret.
Quæst. 3. in
Genes. 8.
S. Hieron.
in cap. 18.
S. Matth.
S. August.
Epist. 120.
121. & ali-
bi, alii
Patres,
S. Thomas,
omnes
Theologi.
Psal. 90:
Joann. 1.
S. Bernard.
serm. 11.
& 12. in
Psal. 90.
Quid nobis
præsent
SS Angeli
Custodes
nostr.
Quid SS.
Angeli
Custodibus
nostris de-
beamus.

adhæreamus: castitatem mentis, & corporis servemus: per continentiam sit nobis *Angelificata caro* (ut Tertulliani verbis utar.) Sic enim *De Familia Angelica deputabimur*. Simus, ut beatæ illæ mentes, a terrenis corporeisque rebus secreti, ad divina obsequia prompti, ac ferventes, in Deum Christumque prospicere desiderantes, faciem Patris, quam in cœlis vident, hic fidei oculis aspicientes, Deumque semper habentes præsentem. Huic assistamus jugiter, & ministremus. Humiles simus, & Deo grati, si quam excellentiam Dei dono habemus, sive nobilitatis, sive formæ, sive ingenii, sive scientiæ, sive virtutis, ejus amore, ac voluptate capti, ne nobis nimium placeamus, ne intumescamus, sed ad Deum referamus quicquid boni habemus, scientes, quod *Superbia ex Angelis demones fecit: Humilitas homines Sanctis Angelis similes reddit* (ut ait *Julianus Pomerius* Lib. III. *De Vita Contemplativa*, Cap. III.) Denique Animæ nostræ curam geramus, sicut nostri curam gerunt Deus, & Angeli ejus. Non dormit, neque dormitat, qui custodit Israel. „ Nos autem aut non attendimus, aut „ minus attendimus reverentiam præsentis, protegentis custodiam, beneficentiam largientis, ingrati gratiæ, immo tam multiplicibus gratiis, quibus prævenit nos, & subvenit nobis. Et nunc quidem per seipsum implet splendoribus Animas nostras, nunc per Angelos visitat, nunc per homines instruit, nunc etiam consolatur, & erudit per Scripturas. Quid nos soli nobis non adsumus? Quid soli negligimus nosmetipsos? An ideo dissimulandum nobis, quia undiq; subvenitur nobis? Immo vero propterea studiosius vigilandum. Neque enim tam magna pro nobis in cœlo, & in terra sollicitudo gereretur, si non magna nobis incumbere necessitas videretur: non tam multiplex nobis custodia, nisi ob multiplices insidias, poneretur.

§. XLV.

*De Hominis Creatione.**Homo creatus immortalis.*

Hominem propter se, ut cetera hominis gratia, Deus ex limo terræ, postremum omnium operum suorum condidit. Hujus excellentiam demonstrat ipsa procreandi ratio aliter atque in aliis instituta. Nam ad aliorum productionem solo usus imperio, *Dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt*. Ubi ad creationem hominis ventum est, consultationem adhibet, ac de eo creando veluti deliberat. Quod *Tertullianus* Libro II. *Contra Marcionem*, Cap. iv. eleganter expressit: *Quis dignus, inquit, incolere opera Dei, quam ipsius imago, & similitudo? Eam quoque bonitas, & quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso: „ Faciamus hominem ad imaginem, & „ similitudinem nostram. „ Bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo. Res scilicet ceteræ materia constantes, minores erant, ac inferiores homine, propter quem fiebant, & cui mox a Deo addictæ sunt. Merito igitur, ut famula, jussu, & imperio, & sola vocali potestate universa processerant. Contra homo, ut dominus eorum, in hoc ipso a Deo extractus est, ut dominus esse posset, dum fit a Domino (inquit *Tertullianus* Libro *De Resurrectione Carnis*, Cap. v.) Eum autem sic corpore constitutum effinxit, ut non quidem naturæ ipsius vi, sed divino beneficio immortalis esset, ac impassibilis. *Creavit, inquam, Deus hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis sue fecit illum. Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum* (ut habetur *Sapientie* II.) Et *Apostolus* diferte docet, mortem humano generi penæ loco inflictam esse, pro-*

S. Bernard.
serm. 51. in
Psalm. 90.

Psalm. 32.

Rom. 5.

pro-

pter peccatum primi hominis: *Per unum hominem, inquit, peccatum in hunc mundum intravit; & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et postea: Corpus mortuum est propter peccatum: spiritus vero vivit propter justificationem.* Hinc in Africana Synodo jure optimo damnatus est Pelagianorum error, asserentium, *Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ.* Eundemque errorem damnavit Concilium Tridentinum Sessione v. Canone primo. „ *Corpus igitur Adami ante peccatum, & mortale* „ *secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat: id* „ *est, mortale, quia poterat mori: immortale, quia poterat non mori.* Aliud „ *est enim non posse mori: sicut quasdam naturas immortales creavit Deus:* „ *aliud est autem posse non mori.* Secundum quem modum primus creatus „ *est homo immortalis: quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ.... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.* Verba sunt S. Augustini Libro vi. *De Genesi ad Litteram, Capite xxv.*

Rom. 8.

Error Pelagii.

Can. i. ex iis, qui sub Milevitanæ Synodi nomine sunt editi.

§. XLVI.

*Homo ad imaginem Dei conditus.
In quo sita sit divinæ imaginis ratio?*

II. Quod autem ad Animam pertinet natura sua spiritualem, ac proinde immortalem, ad imaginem, & similitudinem suam Deus hominem creavit: *Faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Cujus imaginis ratio in mente potissimum posita est, qua Deum ipsum potest cognoscere, necnon in voluntate, & libero arbitrio, quo ipsum potest amare, & ad illius similitudinem virtutum coloribus in sese exprimendam tendere, & eniti. Datum est homini liberum arbitrium, quo mereri posset, vel demereri, sicque beatitudinis capax esset, vel miseræ. Quod enim sui liberum non est, quo pacto ei bonum, vel malum imputatur? *Excusat nempe utrumque necessitas. Porro ubi necessitas est, libertas non est: ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc, nec judicium* (inquit S. Bernardus Libro *De Gratia, & Libero Arbitrio. Cap. II.*) „ *Hinc* „ *est, quod infans, infantibus, itemque dormientibus, nihil quod faciunt, vel bonum, vel malum imputatur: quia nimirum sicut suæ* „ *non sunt compotes rationis, sic nec usum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc, nec judicium libertatis. Cum igitur voluntas nil* „ *liberum habeat nisi se, merito non judicatur nisi ex se. Siquidem* „ *nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus,* „ *nec sensus obtusus, nec vita languens, reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem: quia hæc necessarie, ac præter* „ *voluntatem posse provenire probantur. Sola ergo voluntas, quoniam* „ *pro sui ingenita libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo* „ *consentire, nulla vi, nulla cogitur necessitate; non immerito justam, vel* „ *injustam, beatitudine, seu miseria dignam, ac capacem creaturam constituit; prout scilicet justitiæ, injustitiæque consenserit.* Hic S. Bernardi locus Hæreseos Jansenianæ Caput illud refellit a duobus Pontificibus damnatum, & ab universa reiectum Ecclesia: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Triplex autem est libertas, scilicet, *Libertas a peccato, a miseria, & a necessitate.* De prima intelligendus est Apostolus, cum ait: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et illud, *Cum enim servi essetis*

Liberum hominis arbitrium.

Ubi necessitas, non est libertas.

S. Bernardus Lib. De Grat. & Lib. Arb. c. 84

Hæretica Jansenii Propositio.

Triplex
libertas .
2. Cor. 3.

Rom. 6.

Rom. 8.

Eccli. 15.

peccato, liberi fuistis iustitiæ. Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam eternam. De secunda loquitur idem Apostolus, cum ait: *Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* De tertia intelligitur insignis ille Ecclesiastici locus: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te... Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.* Cum igitur triplex sit nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate: *Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ (inquit S. Bernardus) in primam restauramur a gratia, media nobis reservatur in patria. Prima Libertas naturæ, secunda libertas gratiæ, tertia vitæ, vel gloriæ dici potest. Primo nempe in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura: secundo reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura: tertio sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris; secunda plurimum etiam virtutis; novissima cumulum jucunditatis. Ex prima quippe præstamus ceteris animantibus; in secunda carnem; per tertiam mortem subjicimus.*

§. XLVII.

Primus Homo in Gratia, & Justitia originali creatus.

Eccl. 7.

Eccli. 17.

Qualis gra-
tia hominis
innocentis.

S. August.

Lib. De

Corrept.

& Grat.

c. 11.

Matth. 6.

Rom. 7.

III Accidentia quædam ornamenta, & complementa divinæ similitudinis in homine erant Gratia, & Justitia originalis, in qua Deus hominem condidit, omnes motus animi, atque appetitiones ita in eo temperans, ut rationis imperio nunquam non parerent: nec non dominium in cetera omnia animantia. *Fecit ergo Deus hominem rectum.* Et *Vestivit illum virtute;* atque *In sanctitate, & justitia constituit,* ut docet Sacra Synodus Tridentina, Sessione v. Canone i. Quin & præter Gratiam sanctificantem, præveniente, & adjuvante actuali Gratia donatus est, sine qua in eo bono, quo factus fuerat rectus, perseverare non posset. Verum Gratia medicinali integra natura opus non habuit, qua in isto naturæ lapsæ statu indigemus. Gratiam habuit, & quidem „ Magnam, sed disparem (inquit S. Augustinus) Ille in „ bonis erat, quæ de bonitate sui Conditoris acceperat.... Sancti vero in „ hac vita, ad quos pertinet hæc liberationis gratia, in malis sunt, ex qui- „ bus clamant ad Deum, *Libera nos a malo.* Ille in illis bonis Christi mor- „ te non eguit: istos a reatu & hæreditario, & proprio illius Agni San- „ guinis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, „ cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi men- „ tis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Infelix ego homo, quis me „ liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Domi- „ num nostrum. Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & „ spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes, ac peri- „ clitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi Gratiam „ postulant. Ille vero nulla tali rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus, „ atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Pro- „ inde etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indi- „ gent isti. . . . Istam Gratiam non habuit homo primus, qua nunquam „ vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam „ malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non pos- „ set, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. “ *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua Gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est,*

nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Nam etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, Non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate, cum velit; ad vitam verotenenam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum, sive quorumcumque tutaminum desint: sic homo in Paradiso ad se occidendum, relinquendo justitiæ, idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret (inquit S. August. in Enchiridio, Cap. CVI.)

Liberum arbitrium homini innocenti non sufficiebat ad retinendam justitiæ.

Primævi status illius felicitatem describit idem S. August. Lib. XIV. De Civitate Dei, Cap. XXVI. „ Vivebat, inquit, homo in Paradiso, sicut volebat, „ quoad hoc volebat, quod Deus jussit: vivebat fruens Deo, ex quo „ bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate; ita vivere semper habens in „ potestate. Cibus aderat, ne esuriret: lignum vitæ, ne illum fenestra dis- „ solveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis „ ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metue- „ batur extrinsecus. Summa in carne sanitas; in anima tota tranquillitas. Sic- „ ut in Paradiso nullus æstus, aut frigus: sic in ejus habitatore nulla ex „ cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino „ triste, nihil inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in „ quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non „ ficta: atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors „ mentis, corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitu- „ do fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. Erat in illo statu „ Devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino malum, quod „ contristaret, irruerat.

Primævi status felicitas.

§. XLVIII.

Primi Hominis lapsus.

IV. Ab hoc felici statu cecidit homo, violando præceptum, quo illi prohibuerat Deus, ne de fructu arboris boni, & mali comederet. Malus non erat secundum se fructus ille, non arbor mala, quam Deus creaverat: „ Sed „ obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationa- „ li mater quodam modo est omnium, custosque virtutum: quandoquidem „ ita facta est, ut ei subditam esse sit utile; perniciosum autem, suam, non „ ejus, a quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi ge- „ nere edendo, ubi aliorum tanta copia subiacebat, tam leve præceptum ad „ observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præsertim nondum „ voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subse- „ cutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto faciliore posset „ observantia custodiri (inquit S. Augustinus.) Vitium porro, quo homo in- „ terius depravatus est, ut in apertam inobedientiam laberetur, superbia „ fuit. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. „ Porro male voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia? Initium enim „ omnis peccati superbia. Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis ap- „ petitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui animus debet inherere prin- „ cipio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis pla- „ cet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei ma- „ gis placere debuit, quam ipse sibi. Quamvis & in illo peccato uno plures „ peccati species possint intelligi. Nam & superbia est illic, quia homo in sua „ potius esse quam in Dei potestate dilexit; & sacrilegium, quia Deo non cre-

Cap. 12.

Primi hominis inobedientia divino præcepto.

Apertam ejus inobedientiam superbia præcessit.

Ecc. 10.

Cap. 13.

In uno Adam peccato multe peccati species.

didit; & homicidium, quia se præcipitavit in mortem; & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suavitate corrupta est; & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; & avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit, appetivit (inquit S. Augustinus in *Enchiridio*, Cap. XLV.) Sic a Creatore suo deficiens Adamus in summam illam incidit calamitatem, ut sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amitteret, totusque per illam prævaricationis offensam, secundum corpus, & animam, in deterius commutaretur. Propterea vero peccatum, & peccati pena in eo unonon constitit, sed ex eo tamquam ex capite in omnem posteritatem propagatum est, ut explicat, ac definit Tridentina Synodus Sessione v. Canonibus primo, & secundo: qua de re alias agemus.

§. XLIX.

Deus hominem extra statum Gratiæ, & iustitiæ originalis creare potuit.

V. Eo porro majores gratias Deo habere debuit homo, cum illa integritate, iustitia, sanctitate, sapientia, summaque boni agendi, & peccati vitandi facilitate conditus; quod in alio statu, & sine eximiis illis dotibus, ac donis Deus illum creare potuit. *Quamvis enim ignorantia, & difficultas essent hominis primordia naturalia: nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset* (inquit S. Augustinus Lib. I. *Retractionum*, Cap. IX.) Hinc Summi Pontifices S. Pius V. Gregor. XIII. Urbanus VIII. & Innocentius X. has Michaelis Baii Propositiones damnarunt.

Possibilis
status naturæ
puræ.

Michaelis
Baii propositiones
damnatae.

22 *Humanae naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinae naturæ debita fuit integritati primæ conditionis.*

27. *Integritas conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

33. *Deus non potuit ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

Jansenii
Yprensis
error.

Rejicienda igitur & Jansenii Yprensis Episcopi doctrina, qui prædamnatas Baii propositiones temere propugnavit, statum Naturæ puræ impossibilem esse contendens, idest, statum, in quo homo sine Gratia, & iustitia originali conditus esset, ignorantia, miseris hujus mortalis vitæ, ipsique morti obnoxius. Gratis a Deo collata fuisse primo homini illa dona, quis vere Catholicus negare possit? Erant igitur indebita: alioqui *Gratia jam non esset gratia*. Si indebita, creari sine illis potuit, si Deo ita placuisset.

Ignorantia
& concupiscentia,
in præsentis
statu filie, &
penæ peccati:
in statu naturæ
puræ naturales
defectus fuissent.

Quamvis autem in præsentis naturæ lapsæ statu, ex cujus hypothesi S. Augustinus, contra Pelagianos pugnat, ignorantia, concupiscentia, & mors sint filie, & penæ peccati; characterem tamen illum deformitatis non habuissent in illo statu, quem, secundum Ecclesiæ Doctrinam, possibilem asserimus; sed naturales defectus fuissent, ex hominis conditione consecuti, eo quod ex nihilo conditus esset, corpore constans animali, sentiente, & ex contrariis qualitatibus composito. Quamvis porro concupiscentia perduellis, quæ est effectus peccati, & cum ei ad illicita consentitur, peccatorum mater multorum, malum sit quatenus legi mentis repugnat, quatenus vulnus est ex originali peccato relictum; & sub ea ratione a Deo esse non possit: malum tamen non est, quatenus naturæ sentientis appetitus est, & propensio ad privatum bonum sensibile, quod rationi, & legi mentis necessario, & per se contrarium non esse, nemo cordatus non videt. Itaque in illo *Naturæ puræ* (ut vocant) possibili statu, fuisset homo cum concupiscentia, idest, cum appetitu sentiente conditus; sed perduellis illa, & refractaria legi mentis non fuisset, facileque cum auxilio Creatoris tunc homini secundum naturæ legem viventi non defuturo, potuisset intra fines Rationis moderatricis imperio præscriptos contineri.

Potuisse etiam homo in illo statu ad beatitudinem pervenire, non qui-

dem supernaturalem, quæ Dei visio est (propter hanc quippe conditus in illa hypothesi non fuisset;) sed naturalem; Dei scilicet, ut Auctoris naturæ cognitionem, & amorem, naturæ compoti rationis consentaneum. Quo quidem amore Gentiles ipsi Philosophi prosequendum esse Deum agnoverunt, quorum hac in parte sententiam laudat S. Augustinus Libro VIII. De Civitate Dei, Cap. VIII. & IX. *Ipsium verum, ac summum bonum, inquit, Plato dicit Deum. Unde vult esse Philosophum amatorem Dei: ut quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, favens Deo sit beatus quicumque Deum amaverit. Quicumque igitur Philosophi de Deo summo, & vero ista senserunt, quod & rerum creatarum sit effector, & lumen cognoscendarum, & bonum agendarum: quod ab illo nobis sit principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vite: eos omnes ceteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur.* Hinc summi Pontifices S. Pius Quintus, & Gregorius XIII. illam Baii Propositionem damnarunt: *Distinctio duplicis Amoris, naturalis nempe, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est, & commentitia; & ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis Veterum testimoniis excogitata.*

Duplex amor Dei distinguendus.

Deus omnium rerum creatorum effector, lumen cognoscendarum, & bonum agendarum.

Baii propositio damnata.

S. L.

Fructus ex Hominis creatione colligendi.

VI. Ex his, quæ hucusque de hominis creatione dicta sunt, nonnulla colligenda sunt ad morum informationem. Primo Deo nos ob creationis beneficium gratias immortales agere debere, cum nos bonitate sua omnipotenti produxerit e nihilo, infinitis creaturis possibilibus in eo relictis. Secundo, quod nos ad imaginem, & similitudinem suam condiderit. Cavere proinde debemus, ne Creatori nostro simus ingrati, & existentia, vita, ratione, libertate, corpore, animæque, & corporis facultatibus, in ejus offensam, & injuriam abutamur, cui totum debemus, quod sumus. Omnia propter nos condidit, nos propter ipsum, ut eum colamus, ipsique serviamus: ceteris itaque rebus creatis uti debemus, ex ejus munere, velut adminiculis, ut in ipsum tendamus; illo vero uno frui, qui finis ultimus noster est, summumque bonum nostrum, hoc nomine præ omnibus, & super omnia diligendum. *Quid amas, ut Deum non ames? Ama, si potes, aliquid, quod ille non fecit. Circumspice universam creaturam, vide utrum alicubi cupiditatis viscotenearis, & a diligendo Creatore impediaris, nisi ea re, quam creavit ipse, quem negligis. Quare autem amas istas, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quam ille, a quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea, quæ miraris, ama, quem non vides. Interroga creaturam; si a se ipsa est, remane in illa; si autem ab illo est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur Creatori.* Verba sunt S. Augustini in Psalmum LXXIX. Sed nec seipsum nimium amet homo, ne in se hæreat, ne sibi nimium placeat, ne superbia elatus a Creatore suo deficiat, ut defecit Adamus. *Relicto enim Deo esse in semetipso, hoc est, sibi placere, non jam nihil esse est, sed nihilo propinquare. Bonum est enim sursum habere cor: non tamen ad se ipsum, quod est superbiæ; sed ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse* (inquit S. Augustinus Libro XIV. De Civitate Dei, cap. XIII.)

Cavendum, ne Creatori nostro simus ingrati

Creatura non præponenda Creatori.

Cavendum, ne qui sumus conditi, ut dominemur omnibus animantibus, pravis cupiditatibus serviamus. *Arbitrium voluntatis tunc vere liberum est, cum vitiis, peccatisque non servit* (inquit S. Augustinus Lib. XIV. De Civitate Dei cap. XI.) *Superior Anima quam corpus; superior quam Anima Deus. Præstat aliquid inferiori, præstatur illi a Superiore. . . . Serviat Domino suo, ne*

Uni Deo, non pravis cupiditatibus servendum.

conculceretur a servo suo. Participatione Dei fit beata: non participatione sanctæ Animæ fit beata infirma Anima, nec participatione Angeli fit beata sancta Anima: sed si querit beata esse infirma Anima, querat unde beata fit sancta Anima. Non enim beatus efficeris ex Angelo tu: sed unde Angelus, inde & tu (inquit S. Augustinus Tractatu xxiiii. in Joannem.) Vigilandum est, ne diabolus Divinæ Imaginis prædo, ut Tertullianus loquitur, ejuslineamenta in nobis obliteret, seu potius, ne obliteremus nos ipsi tentationibus illius consentientes, ut consensit primus homo. Cautos nos reddat Adami casus, ne de viribus nostris præsumamus. Deum contempsit, serpenti credidit, & quod acceperat, perdidit. Si tunc ille homo non fuit cautus, nunc homo caveat vel expertus. Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non nisi adjuvetur a Deo Non ergo gloriatur humana natura de se, sed in eo gloriatur, qui fecit se (inquit S. Augustinus Libro De Cantico Novo, cap. viii.) Deo nos egere humiliter confiteamur, qui ex nobis nihil sumus, ejus divinæ Majestati de perceptis donis gratias agamus, ejus auxilium pro donorum acceptorum conservatione invocemus, ad ipsum devote confugiamus, cum Serpentis antiqui tentationibus pulsamur. Primusenim homo lapsus est, quia hæc officia non implevit; ut docet Gelasius I. Pontifex Maximus Libro contra Pelagianam Hæresim. *Ulla primæ conditionis integritas* (inquit) *dum ita de se fudit, tamquam eo, qui condiderat, non egeret; nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur; nec de conservandis, quæ sumpserat, postulat auxilium; nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrat, & confugit, suæque se credit inter prospera voluntati, facile sine præsidio Creatoris, patuit deceptoris insidiis.* Ne vero despondeamus animum, quamvis a felici illo statu exciderimus in Adamo, in quo ille conditus fuerat infirmique simus, & difficultatem boni agendi patiamur: „ Quia „ ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. *Tale quippe erat Adjutorium primi hominis, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat, „ *Hæc præstat Ut cum omnibus amoribus, terroribus erroribus suis vincatur, hic mundus.* Verba sunt S. Augustini Libro De Correctione, & Gratia, cap. xi. & xii.

Cautos nos reddere debet Adami casus.

Rom. 5: 20.

Gratia Medicinalis Salvatoris imploranda.

Psal. 94.

Primi peccati pena erudiamur.

Hanc Gratiam a Deo cum humilitate, & fervore postulemus: penitentiam agamus pro peccatis, quæ propria commisimus voluntate, sicut egit Adamus pro delicto suo, quo se ipsum, posterofque suos omnes miseros fecerat. *Venite, adoremus, & procidamus, ploremus ante Dominum, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster: & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.* Adoremus Creatorem nostrum, & ante ipsum procidamus: *Non enim fecit, & deserit: non enim curavit facere, & non curat custodire.* Ploremus ante Dominum, qui nos fecit: quia non ploravimus, quando nos fecit, & tamen fecit. Non enim homo, qui non erat, promeruit, „ ut esset. *Qui ergo fecit, ante quam rogaretur, non deserit, cum rogatur. Utique exaudit, quos fecit: utique non potest non curare, quos fecit* (inquit S. Augustinus Sermone xxvi. alias De Verbis Apostoli xi.) Ipsa primi peccati pœna erudiamur, eamque convertamus in Penitentiaæ sacrificium. Quamquam enim justa vindicta sit peccati, quod corpus hominis imbecillum factum sit, & morti destinatum, „ Plus tamen clementiaæ Domini „ quam

quam severitatis ostendit. Ita enim nobis suadetur a corporis voluptatibus ad æternam essentiam veritatis amorem nostrum oportere converti. Et est justitiæ pulchritudo, cum benignitatis gratia concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. Nam ita etiam nostra supplicia divina Providentia moderata est, ut & in hoc corpore tam corruptibili ad justitiam tendere liceret, & deposita omni superbia uni Deo vero collum subdere, nihil de seipso fidere, illi uni se regendum, tuendumque committere. Ita ipso duce, homo bonæ voluntatis molestias hujus vitæ in usum fortitudinis vertit. Verba sunt S. Augustini Libro De vera Religione, Cap. xv.

§. LI.

Deus omnium Conservator, ac Rector est. Providentia illius vindicatur.

I. **D**Eum ita Creatorem, atque effectorem omnium esse, ut perfecto, absolutoque opere suo manum omnipotentem non subtrahat, fides Christiana docet: quia nisi conditis rebus perpetua ejus Providentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constitutæ sunt, illas conservaret, statim ad nihilum redirent, quemadmodum Psalm. ciii. scriptum est: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Et sapientiæ xi. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* Hinc Scriptura Sacra jugi Dei operationi omnia tribuit. Quare ab Apostolo dictum est, cum Atheniensibus Deum annunciaret, quem ignorabant, Actuum xvii. Hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ: definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non sit longe ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Et ad Hebræos i. Portans omnia verbo virtutis suæ. Item ad Colossenses i. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Quod Christus ipse in Evangelio disertis verbis docet, Matth. vi. Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini... Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? ... Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quæ probant Deum generali providentia res omnes a se conditas, ac præcipue homines, & inter illos maxime fideles conservare, fovere, ac regere. Et Matt. x. Nonne duo passerres esse videntur: & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Verbum ergo, quod dixit Deus, Germinet terra her-

- Gen. 1. *herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram, non desinit operari, & ad finem usque sæculi operabitur. Unde Christus ait: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Providentissimam illam Dei de rebus omnibus a se conditis curam David mirifice inculcat: Omnia, inquit, a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent ... Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Et alibi: Qui operit celum nubibus, & parat terræ pluviam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Et rursus: Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos: populus ejus, & oves pascuæ ejus. Quæ omnia evidenter ostendunt, nos non nasci, vivere, ali, aut operari casu, aut nostris tantum viribus, seu providentia, sed Deo dante, vivificante, conservante, providente, regente.*
- Job 5. *Id confirmat S. Augustinus Libro IV. De Genesi ad Litteram, cap. XII., Creatoris, inquit, potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis. si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque motus concideret. Neque enim sicut structor ædium, cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante, atque abscedente stat opusejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait, Pater meus usque modo operatur, continuationem quamdam operis ejus, quo universam creaturam continet, atque administrat, ostendit. Et quod scriptum est de Sapientia ejus, Pertingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; de qua item scriptum est, quod motus ejus agilior, celeriorque sit omnibus motibus: satis apparet recte intuitibus, hunc ipsum incomparabilem, & ineffabilem, & si possit intelligi, stabilem motum suum, rebus eum præbere suaviter disponendi, quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras. Tum ex illis verbis Apostoli, In illo vivimus, movemur, & sumus, colligit, Ne uno quidem die cessasse Deum ab opere regendi, quæ creavit, ne motus suos naturales, quibus aguntur, atque vegetantur, ut omnino naturæ sint, & in eo quod sunt, pro suo quæque genere maneant, illico amitterent, & esse aliquod omnino desinerent, si eis subtraheretur motus ille Sapientiæ Dei, quo disponit omnia suaviter.*
- Psal. 44. *Idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei, cap. 29. Providentia, inquit, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Quod si providentia nihil aliud est quam Dei voluntas, omnia procul dubio, quæ providentia fiunt, recta ratione, pulcherrimeque, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliore modo existere prorsus nequeant. Eundem etenim, & rerum præcreatorem, & administratorem esse oportet. Neque enim convenit alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat, atque prospiciat. Sic quippe in imbecillitate, uterque omnino versaretur; ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, qui procreavit, & qui procurat. Atque & procreans, & conservans, & procurans ipsius potentia; nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit, nec voluntati ejus, qui resistat, ullus est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, atque conservari, & consistit ... Solutus Deus natura bonus, ac sapiens est. Quatenus igitur bonus, providet (neque enim bonus est, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli suæ naturali quodam affectu præ-*
- Psal. 146. *Idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei, cap. 29. Providentia, inquit, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Quod si providentia nihil aliud est quam Dei voluntas, omnia procul dubio, quæ providentia fiunt, recta ratione, pulcherrimeque, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliore modo existere prorsus nequeant. Eundem etenim, & rerum præcreatorem, & administratorem esse oportet. Neque enim convenit alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat, atque prospiciat. Sic quippe in imbecillitate, uterque omnino versaretur; ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, qui procreavit, & qui procurat. Atque & procreans, & conservans, & procurans ipsius potentia; nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit, nec voluntati ejus, qui resistat, ullus est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, atque conservari, & consistit ... Solutus Deus natura bonus, ac sapiens est. Quatenus igitur bonus, providet (neque enim bonus est, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli suæ naturali quodam affectu præ-*
- Psal. 146. *Idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei, cap. 29. Providentia, inquit, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Quod si providentia nihil aliud est quam Dei voluntas, omnia procul dubio, quæ providentia fiunt, recta ratione, pulcherrimeque, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliore modo existere prorsus nequeant. Eundem etenim, & rerum præcreatorem, & administratorem esse oportet. Neque enim convenit alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat, atque prospiciat. Sic quippe in imbecillitate, uterque omnino versaretur; ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, qui procreavit, & qui procurat. Atque & procreans, & conservans, & procurans ipsius potentia; nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit, nec voluntati ejus, qui resistat, ullus est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, atque conservari, & consistit ... Solutus Deus natura bonus, ac sapiens est. Quatenus igitur bonus, providet (neque enim bonus est, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli suæ naturali quodam affectu præ-*
- Psal. 99. *Idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei, cap. 29. Providentia, inquit, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Quod si providentia nihil aliud est quam Dei voluntas, omnia procul dubio, quæ providentia fiunt, recta ratione, pulcherrimeque, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliore modo existere prorsus nequeant. Eundem etenim, & rerum præcreatorem, & administratorem esse oportet. Neque enim convenit alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat, atque prospiciat. Sic quippe in imbecillitate, uterque omnino versaretur; ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, qui procreavit, & qui procurat. Atque & procreans, & conservans, & procurans ipsius potentia; nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit, nec voluntati ejus, qui resistat, ullus est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, atque conservari, & consistit ... Solutus Deus natura bonus, ac sapiens est. Quatenus igitur bonus, providet (neque enim bonus est, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli suæ naturali quodam affectu præ-*
- Deus res omnes conservat, & movet. *Idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei, cap. 29. Providentia, inquit, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Quod si providentia nihil aliud est quam Dei voluntas, omnia procul dubio, quæ providentia fiunt, recta ratione, pulcherrimeque, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliore modo existere prorsus nequeant. Eundem etenim, & rerum præcreatorem, & administratorem esse oportet. Neque enim convenit alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat, atque prospiciat. Sic quippe in imbecillitate, uterque omnino versaretur; ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, qui procreavit, & qui procurat. Atque & procreans, & conservans, & procurans ipsius potentia; nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit, nec voluntati ejus, qui resistat, ullus est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, atque conservari, & consistit ... Solutus Deus natura bonus, ac sapiens est. Quatenus igitur bonus, providet (neque enim bonus est, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli suæ naturali quodam affectu præ-*
- Sap. 8. *Idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei, cap. 29. Providentia, inquit, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Quod si providentia nihil aliud est quam Dei voluntas, omnia procul dubio, quæ providentia fiunt, recta ratione, pulcherrimeque, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliore modo existere prorsus nequeant. Eundem etenim, & rerum præcreatorem, & administratorem esse oportet. Neque enim convenit alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat, atque prospiciat. Sic quippe in imbecillitate, uterque omnino versaretur; ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, qui procreavit, & qui procurat. Atque & procreans, & conservans, & procurans ipsius potentia; nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit, nec voluntati ejus, qui resistat, ullus est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, atque conservari, & consistit ... Solutus Deus natura bonus, ac sapiens est. Quatenus igitur bonus, providet (neque enim bonus est, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli suæ naturali quodam affectu præ-*
- Act. 17. 28. *Idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei, cap. 29. Providentia, inquit, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Quod si providentia nihil aliud est quam Dei voluntas, omnia procul dubio, quæ providentia fiunt, recta ratione, pulcherrimeque, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliore modo existere prorsus nequeant. Eundem etenim, & rerum præcreatorem, & administratorem esse oportet. Neque enim convenit alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat, atque prospiciat. Sic quippe in imbecillitate, uterque omnino versaretur; ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, qui procreavit, & qui procurat. Atque & procreans, & conservans, & procurans ipsius potentia; nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit, nec voluntati ejus, qui resistat, ullus est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, atque conservari, & consistit ... Solutus Deus natura bonus, ac sapiens est. Quatenus igitur bonus, providet (neque enim bonus est, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli suæ naturali quodam affectu præ-*

„ spiciunt: & vituperatur, qui non prospicit) quatenus autem sapiens, ea,
 „ quæ sunt, optime procurat. Ac proinde nobis faciendum est, ut hæc at-
 „ tento animo considerantes, omnia providentiæ opera suspiciamus, omnia
 „ laudemus, omnia citra ullam censuram comprobemus: quamlibet ea ple-
 „ risque iniqua videantur, quod videlicet, nec Dei providentia cognosci, com-
 „ prehendi que possit, & nostræ cogitationes, & actiones, & futura ipsi so-
 „ li nota, atque comperta sint.

Non solum autem Deus universa, quæ sunt Providentia sua tuetur, at-
 que administrat, inquit Concilii Tridentini Catechismus, *Verum etiam, quæ*
moventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita im-
pellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, preveniat
tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat, & quemadmodum Sa-
piens testatur, Attingat a fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia sua-
viter.

Deus agen-
 tia omnia
 ad motum
 atq; actionem præ-
 veniendo
 impellit.

Quæ Catechismi doctrina S. Augustino consonat Libro De Gratia, & Li-
 bero Arbitrio, cap. xx. Scriptura divina, inquit, si diligenter inspiciatur, o-
 scendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a
 se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam, verum etiam il-
 las, quæ conservant sæculi creaturam ita esse in Dei potestate, ut eas, quo vo-
 luerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstan-
 da, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo qui-
 dem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo. Et cap. xxi. Agit enim Omni-
 potens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat,
 quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit. Vo-
 luntates quas bonas fecit, ad actus bonos Deus movet, qui omnis boni prin-
 cipium, & finis est: voluntates autem, quæ sua sponte ab illo deficientes pro-
 prio vitio factæ sunt malæ, non movet, nec impellit ad scelus, sed ad be-
 neficia, vel supplicia irroganda summi judicis æquitate.

§. LII.

Providentiæ Divinæ argumenta.

II. Divinam in res omnes Providentiam demonstrat primo cœlestium or-
 bium, ac syderum in conficiendis motibus varietas admirabiliter æqualis;
 diurnæ, & annuæ Solis conversiones, dierum, ac noctium, & anniver-
 sariarum tempestatum constantes vicissitudines. Secundo rerum contraria-
 rum, & mutabilium in mutua conflictione conservatio. Tertio stirpium,
 & animantium rata, & perpetua propagatio. Quarto, brutorum animan-
 tium instinctus, solertia, & industria in vita tuenda, in procurando pabu-
 lo, in quærendis, aut fabricandis latibulis, ac nidis, in evitandis periculis,
 in persequendis, & captandis aliis. Quinto, vita, & gesta sanctorum ho-
 minum, præsertim Martyrum. Sexto, varia vitæ communis exempla, & ex-
 perientia quotidianorum eventuum. Nam multa, quæ temere primum, ac
 fortuito facta videbantur, tam opportune ad aliarum rerum occasionem inci-
 dunt, quas maxime cupiebamus, vel quæ publice, aut privatim commodæ
 sunt, ut non casu accidisse, cum evenerint; sed superiore aliqua Ratione
 moderante ordinatim dispositæ videantur. De his argumentis legi possunt *Theo-*
doretus, Orationibus decem De Providentia, *Nemesius* Christianus Philoso-
 phus, Libro de Natura hominis, *S. Joannes Chrysostomus* in Libris De Providen-
 tia, *S. Ambrosius* Lib. v. & vi. Hexameron, *Salvianus*, in Lib. De Gubernatione
 Dei, & *Ludov. Granatensis* eruditus, piusq; Catechismus.

Providen-
 tia divina
 curat o-
 mnia, sed
 non equali-
 ter.

Non summa tantum, & præstantissima divina Providentia curat, sed

etiam infima quæque, & abjecta, non solum universim, sed singulatim, quamvis peculiarem illam curam, paternamq; benevolentiam, quam exhibet homini, brutis non exhibeat, sive *Eamdem irrationabilium, quam rationalium providentiam non habeat*; ut loquitur S. Hieronymus in cap. 1. *Habacuc*. Homo enim præcipua *Divini ingenii cura*.

Tertul. lib.
De Resur.
carnis.

§. LIII.

Mala divinæ Providentiæ non repugnant, neque ipsa peccata.

III. Divinæ vero Providentiæ non repugnant, quæ in mundo conspiciuntur mala. Nam quod spectat ea, quæ naturæ, vel pœnæ mala dicuntur, qualia sunt quotidiana vitæ hujus incommoda, & quæ corporibus cladem, ac perniciem afferunt, aut ad peccatores puniendos ordinantur, ea magnas utilitates habent, & divinam Providentiam mirum in modum commendant. Ut enim præclare scribit S. Paulin. Epist. xxxviii. *Omnia Dei facta pulcherrima sunt; & non est malum, quod bonum habet Auctorem: qui cuncta per mundum nostris usibus præparavit, & nostris utilitatibus agit: & ita istius universitatis opus condidit, ut alia ad serviendum, alia ad exercendum alia ad dominandum creaverit. Itaque corporeis, animalibusque naturis homines ratione dominamur. Sed ne ipsa potestatis nostræ licentia resolvamur, utiliter exercemur adversis, aut spiritibus dæmonum, aut difficultatibus negotiorum, aut ipsorum sæpe elementorum motibus, videlicet ut exagitati, curis prudentiæ, & metu Divinitatis acuamur.*

Peccata
permittit
Deus, ut ex
eis bona eliciat.

S. August.
in Enchir.
cap. 27.

S. August.
Serm. 175.
alias 9. De
Verbis A-
postoli, &
Serm. 174.
alias 8. de
verbis Apo-
stoli S. Leo
Serm. 3. De
Pentec.

Ipsa vero peccata Deus non efficit quidem, sed permittit, ut ex eis bona eliciat, scilicet, vel electorum suorum, qui in illa quandoque prolabantur, humilitatem majorem, pœnitentiam ferventiolem, cautiolem vigilantiam, suæque misericordiæ in illos commendationem; vel justitiæ suæ manifestationem in reprobis; vel alias, quas novit, utilitates. Quid diabolo nequius? Et de illius nequitia quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro salute nostra sanguis Redemptoris, nisi per nequitiam desertoris. *Melius enim judicavit Deus, de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.*

„ Ex Adami peccato Filii sui Incarnationem elicit. Magnus enim de celo descendit Medicus, quia magnus in terris jacebat ægrotus. Tolle morbos, tolle vulnere, & nulla est causa medicinæ. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. *Non veni, inquit, vocare justos, sed peccatores. Venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat.* Si homo non perisset, Filius hominis non venisset. Perierat homo, venit Deus homo, & inventus est homo. Si homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ naturæ honore mansisset, nec diaboli fraude deceptus, a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret. Ex Angelorum malorum ruina, hominum exaltatio in eorum locum ordinante Deo provisiva est, ut S. Augustinus explicat *Enchiridii* cap. xxix. „ Placuit itaque (inquit) universitatis Creatori atque Moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo illa deserente persisterat, de sua certissime cognita semper futura felicitate gauderet: alia vero creatura rationalis quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis, & originalibus & propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod Angelicæ Societati ruina illa diabolica minuerat, suppleretur. Hoc enim Sanctis promissum est, quod erunt æquales Angelis Dei.

Quem-

Quemadmodum ergo in cantando interpositiones silentii certis, moderatissimeque intervallis, quamvis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, & suavitati cantus aliquid conferunt: & umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt; ac non specie, sed ordine placent: sic in rerum universitate mala bonis permixta, a Deoque ordinata, ipsius mundi pulchritudinem, summamque Dei Sapientiam, & Providentiam commendant. *Neque enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret & de malo* (inquit S. Augustinus, Enchiridii cap. xi.) Non ideo igitur, quia videntur perversæ res humanæ, videatur nobis non esse gubernationem rerum humanarum. Omnes enim homines in locis suis ordinantur: sed unicuique videtur, quia ordinem non habent. Tu tantum vide, quid velis esse: nam quomodo volueris esse, novit Artifex, ubi te ponat. Pictorem attende. Ponuntur ante illum varii colores, & novit ubi ponat quemque colorem. Certe peccator niger color esse voluit: ideo nescit ordo Artificis, ubi eum ponat? Quanta ordinat de nigro colore, quanta ornamenta facit pictor? Tu vide, quid velis esse: non cures, ubi te ordinet qui non novit errare, scit, ubi te ponat. Sic enim per leges istas mundi videmus hoc fieri. Effractor esse voluit nescio quis: novit lex iudicis ubi illum ponat, ordinat illum optime. Ille quidem male vixit, sed non male ordinavit iex. Ex effractore erit metallicus: de opere metallici quanta opera construuntur? Illius pena damnati, ornamenta sunt civitatis. Sic ergo Deus novit, ubi te ponat. Noli putare, quia turbas consilium Dei, si perversus esse volueris. Qui creare te noverat, ordinare te non novit? Bonum est tibi, ut illuc coneris, ut bono loco ponaris. Quid dictum est de Juda ab Apostolo? *Abiit in locum suum*. Operante utique divina Providentia, quia per malam voluntatem malus esse voluit, non autem Deus malum ordinando fecit. *Sed quia ipse malus peccator esse voluit, fecit quod voluit, sed passus est, quod noluit. In eo, quod fecit, quod voluit, peccatum eius deprehenditur: in eo, quod passus est, quod noluit, ordo Dei laudatur*. Ita S. Augustinus Sermone cxlv, alias xv. ex editis a P. Sirmondo.

Luc. 20.

S. August. Lib. De Genes. ad Litt. Imperf. cap. 5.

Id est, ad metalla damnatus, vel ad secanda marmora.

§. LIV.

Divine Providentiæ non repugnant prosperitates impiorum, & adversæ res justorum.

IV. Nec etiam pugnat cum divina Providentia, quod & bonis male, & malis benefæcius eveniat: quare percussus David ait: *Moi autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, &c.* Nam rationes suas habet divina Providentia, gravissimas quidem, æquissimas, ac penitus adorandas, ob quas viros bonos, ac sanctos plerumque rebus adversis jactari patitur; vel ut eorum variis exercita casibus, a probata virtus, illustrior existat; ut in Job, Tobia, aliisque contigit; vel ut ingens aliquod commodum inde oriatur: quemadmodum nefarium Judæorum facinus ideo permisit, ut ex eo Christi mors, & totius humani generis salus, ac vita sequeretur: vel ut privatim illis ipsis, qui adversa tolerant, salutaris sit perpessio. Sic enim Apostolus, ne tot bonorum successibus insolesceret, a stimulo carnis, Angelo Satanæ vexatus est. Denique variis calamitatibus boni jactantur, ut peccatorum maculas quotidianas eluant, ut a mundi, qui adeo amarus est, præ-

Psalm. 72.

Justorum adversitas. & tribulatio Dei beneficium est. Prosperitas impiorum supplicium

sentisque vitæ amore abstracti, Deo magis adhæreant, & ad æternam patriam ferventius suspirent, ut momentaneum hoc, & leve tribulationis æternum gloriæ pondus in eis operetur. Improborum autem pœna est, quæ felicitas existimatur. Prosperis rebus superbiunt magis, Deique obliiti, in peccatis obdurescunt, propter quæ suppliciiis æternis destinantur. „ Ducunt „ in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt Quia in „ diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris adducetur. Con- „ gregat eos Deus quasi gregem ad victimam, & sanctificat eos in die oc- „ cisionis. Tandem, Oculi domini super timentes eum, ut eruat a morte „ animas eorum, & alat eos in fame Oculi Domini super Justos, „ & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes „ mala, ut perdat de terra memoriam eorum Quoniam Dominus amat „ iudicium, & non derelinquet Sanctos suos: in æternum conservabun- „ tur: injusti punientur, & semen impiorum peribit. Justi autem hæ- „ reditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.....

Job. 21. „ Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum. Dominus autem „ non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum cum judica- „ bitur illi. Expecta Dominum & custodi vias ejus: & exaltabit te, ut „ hæreditate capias terram: cum perierint peccatores videbis. Vidi im- „ pium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, & „ ecce non erat; & quæsi eum, & non est inventus locus ejus.....

Jerem. 12. „ Salus autem Justorum a Domino: & Protector eorum in tempore tribu- „ lationis. Et adjuvabit eos, Dominus & liberabit eos: & eruet eos a „ peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo.

Psal. 32. „ Argumentum istud præclare tractat S. *Augustinus* Libro I. *De Civitate Dei* „ Cap. VIII. „ Placuit, *inquit*, divinæ Providentiæ præparare in posterum „ bona Justis, quibus non fruenter injusti, & mala impiis, quibus non ex- „ cruciabantur boni. Ista vero temporalia bona, & mala utrisque vo- „ luit esse communia: ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque „ habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerum- „ que afficiuntur. Interest autem plurimum qualis sit usus vel earum re- „ rum, quæ prosperæ, vel earum, quæ dicuntur adversæ. Nam bonus tem- „ poralibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo „ hujuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit „ tamen Deus, sæpe etiam in his tribuendis evidentius operationem suam. „ Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret pœna, nihil ultimo ju- „ dicio servari putaretur: rursus si nullum peccatum puniret aperte Divi- „ nitas, nulla esse Providentia divina crederetur. Similiter in rebus secun- „ dis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate conce- „ deret, non ad eum ista pertinere diceremus: itemque si omnibus eas pe- „ tentibus daret, non nisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitra- „ remur, nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, & ava- „ ros. Hæc cum ita sint, quicumque boni & mali pariter afflicti sunt, „ non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod utrique „ perpeffi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine „ passionum, & licet sub eodem tormento, non est idem virtus, & vi- „ tium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub ea- „ dem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum „ oleo amurca confunditur, quia eodem prelipondere exprimuntur: ita u- „ na eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos dam- „ nat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestan- „ tur, atque blasphemant; boni autem precantur, & laudant. Tantum „ in-

interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari modo tu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragrat unguentum.

Et Cap. ix. Bonos cum malis pariter flagellari ait, ut id ipsis valeat ad profectum. Primo, quia ipsa peccata considerantes, quibus indignatus Deus publicas calamitates immittit, quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis, atque impiis, tamen non usque adeo se a delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se judicent dignos. Secundo, quia malos docere, admonere, aliquando etiam objurgare, & corripere negligunt, vel cum eos timent offendere; vel cum inimicitias devitant, ne impediant, & noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas. *Jure igitur istam vitam, quando divinitus affliguntur cum eis amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem peccantibus eis amari esse noluerunt.* Tertio habent aliam causam boni, quare temporalibus affligantur malis, qualem habuit Job: *Ut sibi ipse humanus animus sit probatus, & cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat.*

Denique res adversæ Dei beneficia sunt. *Quid ergo non misericorditer præstatur hominibus a Domino Deo, a quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est admonentis Dei* (inquit Sanctus Augustinus Epistola ccx. alias LXXXVII.)

Legatur ejusdem Sancti Doctoris Enarratio in Psalmum xxxvi. Sermone III. Item Enarratio in Psalmum cxxxvi. ad illum versum, *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Legatur & S. Ambrosius Libro I. De Officiis, cap. xii. xv. & xvi. Item S. Gregorius Libro xviii. Moralium, cap. xiii. & Lib. xxi. cap. iv. Ex quibus locis multa ad morum informationem colligi possunt, ut doceantur Christiani, quo animo in rebus prosperis, & adversis esse debeant.

Ne igitur adversus divinam providentiam obmurmures, *Sicut quidam murmuraverunt, & perierunt ab Exterminatore.* Ne innitaris *Super baculum arundinum confractum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.* Nam *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Quamobrem *Jacka in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.* Ad Christi mandatum attende: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt.... Querite ergo primum Regnum Dei, & Justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Summa in Patris nostri cœlestis providentia animatus fiducia, omnes vitæ tuæ eventus, teque ipsum illius dispositioni committas, dicens: *Ego autem in te speravi Domine: dixi, Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meæ.* Tutius illi quam humanis consiliis, industriæ, favori, negotiorum tuorum exitum committes: quamquam humana media in negotiis humanis non sint negligenda. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum* (inquit Apostolorum Princeps) *quoniam ipsi cura est de vobis.* Calamitates, & adversitates a Deo immixtas, persecutiones, atque vexationes per homines illatas, divinæ Providentiæ favores existimate: *Hæc est enim gratia; si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* In hoc enim vocati estis: *quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut*

1. Cor. 10.

Isa. 36.

Jerem. 17.

Fiducia in divina providentia, Psalm. 54.

Matth. 6.

Psalm. 30.

1. Petr. 5.

1. Petr. 2. Calamitates, ut Dei favores debemus decipere.

1. Petr. 4.

*sequamini vestigia ejus... Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam, quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatutur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem, ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine... Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fidei Creatori commendent animas suas in beneficiis. Prosteamur denique nos a Divina Providentia pendere totos in omnibus eventibus, vulgari etiam loquendi modo: Christianus ille fit, fati fortunæque profanum nomen longe sit ab ore nostro. Jacobi Apostoli salubre monitum sectemur: *Ecce nunc, quæ dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur: pro eo ut dicatis, Si Dominus voluerit, & Si vixerimus; faciemus hoc, aut illud.**

Ipso loquendi modo profrendum est nos a divina providentia totos pendere. Jacob.

Jaeta in Dominum curam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Quid tibi curaturus es, quid tibi provisurus? Habeat tui curam, qui fecit te. Qui habuit curam tui, antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es, quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ. Curam tui non habebit, qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos: te jam justum ex fide viventem negliget, deferet, dimittet? Immo vero & hic fovet, & hic adjuvat, & hic necessaria subministrat, & noxia refecat. Dando consolatur, ut permaneas, auferendo corripit, ne pereas. Dominus curam habet tui: securus esto. Ille portat, qui te fecit: ab Artificis tui manu noli cadere: si cecideris a manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit. Dic, Deus meus, volui; & portabit ipse, & tenebit ipse. Jaeta te in illum, noli putare inane esse, ut quasi præcipiteris. Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse. Dominus sollicitus est mei. Verba sunt S. Augustini Enarratione in Psalm. xxxix. num. 27.

G. LV.

Peculiarî quadam, ac præcipua Providentia Deus Electos suos regit.

Quid de Prædestinatione sentiendum?

Quid sit prædestinatio?

Rom. 8.

Act. 13.

Rom. 8.

I. **C**UM Prædestinatio sit Præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, ut Sanctus Augustinus definit Libro De Dono Perseverantiæ, cap. xiv. seriêm illam beneficiorum, in quibus & vita æterna, sive gloria, ut omnium præstantissimum, ceterorumque finis continetur, certissime confert Deus iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti, & præordinati sunt ad vitam æternam, prout ordinavit ante mundi constitutionem, & ex omni æternitate. Nam Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit hos, & iusti.

justificavit : quos autem justificavit , illos & glorificavit . His omnia coope-
rantur in bonum , ordinante , ac regente Deo . Illis sola Dei miserentis vo-
luntate , non solum gratia , sed vita æterna præparata est : quod duorum
geminorum Jacob , & Esau exemplo , seu typo proposito declarat Apostolus :
„ Cum , inquit , nondum nati fuissent , aut aliquid boni egissent , aut mali ,
„ ut secundum electionem propositum Dei maneret , non ex operibus , sed
„ ex vocante dictum est ei , quia major serviet minori : sicut scriptum est , Ja-
„ cob dilexi , Esau autem odio habui . Quid ergo dicemus ? Numquid ini-
„ quitas apud Deum ? Absit . Moyse enim dicit : Miserebor cujus misereor :
„ & misericordiam præstabo , cujus miserebor . Igitur neque volentis , ne-
„ que currentis , sed miserentis est Dei , &c . Jacob scilicet , ac electos om-
„ nes , quorum velut typus a Spiritu Sancto proponitur , Dilexit per miseri-
„ cordiam gratuitam , Esau autem , & reprobum quemvis odio habuit per judi-
„ cium debitum : quod cum deberetur ambobus , in altero alter cognovit ,
„ non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum , quod in eadem cau-
„ sa idem supplicium non incurrit ; sed de divinæ gratiæ largitate : sola
„ enim gratia redemptos discernit a perditis , quos in unam perditionis mas-
„ sam concreverat ab origine ducta causa communis (inquit S. Augustinus
„ in Enchiridio , cap. xcviii . & xcix .) Ex futuris vero operibus electos asserere
Non ex præsentibus , sed ex futuris operibus , id tamen non ait , sed ab-
solute : Non ex operibus , ut gratiam commendaret . Hæc electio est , quæ non
invenit eligendos , sed facit . De qua Apostolus ad Ephesios i . scribit : Bene-
dictus Deus , & Pater Domini nostri Jesu Christi qui benedixit nos in omni
benedictione spirituali in cælestibus in Christo , sicut elegit nos in ipso ante mun-
di constitutionem , ut essemus sancti , & immaculati in conspectu ejus in chari-
tate . Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ip-
sum , secundum propositum voluntatis suæ , in laudem gloriæ gratiæ suæ . Non
ergo , quia futuri eramus Sancti , sed ut essemus : Ideo quippe tales eramus
futuri , quia elegit ipse prædestinans , ut tales per gratiam ejus essemus . Hæc
electio est , de qua Christus ait , Joannis xv . Non vos me elegistis , sed ego
elegi vos , ut eatis , & fructum afferatis , & fructus vester maneat . Elegit Fi-
deles , sed ut sint non quia jam erant . Hinc Apostolus Jacobus ait : Nonne
Deus elegit pauperes in hoc mundo , divites in fide , & heredes Regni , quod
promisit Deus diligentibus se ? Eligendo ergo facit divites in fide , sicut
hæredes Regni . Recte quippe in eis hoc eligere dicitur , quod ut in eis
faciat , eos elegit (inquit S. Augustinus Libro De Prædestinatione Sanctorum ,
cap. xvii .)

Gratuitæ Prædestinationis exemplum illustre in Sancto Sanctorum Jesu
 Christo habemus, *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spi-*
ritum sanctificationis, ut ait Apostolus. Atque ex eo probat S. Augustinus
 Sanctorum prædestinationem, & electionem secundum propositum, non in
 eorum merita, sed in solam Dei misericordiam esse refundendam. „ Est et-
 „ iam præclarissimum lumen Prædestinationis & Gratia ipse Salvator, ipse
 „ Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, qui
 „ bus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura hu-
 „ mana quæ in illo est comparavit? Respondeatur quæso: ille homo ut a
 „ Verbo Patri coæterno in unitatem Personæ assumptus, Filius Dei unigen-
 „ nitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum quaecumque præcessit?
 „ Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem ex-
 „ cellentiam perveniret? *Et infra*: Sicut ergo prædestinatus est ille unus,
 „ ut caput nostrum esset: ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

Prædestinatio non solum ad gratiam, sed ad gloriam omnino gratuita.
 Rom. 9.

S. August. Lib. 2 ad Bonifacium Cap. 7. Idem Epist. 186. alias 106.

S. August. Lib. De Prædest. Sanct. c. 18.

Jacob. 2.

Rom. 1.

Gratuitæ Prædestinationis exemplum in Christo.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 15.

„ effemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam : &
 „ regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum,
 „ unicum Dei Filium, unicum Dominum. Quisquis in Capite nostro præ-
 „ cedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis
 „ membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.
 „ Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus
 „ ab omni obligatione peccati, de Spiritu & Virgine nasceretur : Sic &
 „ nobis ut ex aqua & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo
 „ merito, sed gratis tributum : & si nos ad lavacrum regenerationis fides
 „ duxit, non ideo putare debemus priores nos dedisse aliquid, ut retribuere-
 „ retur nobis regeneratio salutaris. Ille quippe nos fecit credere in Christum,
 „ qui nobis fecit in quem credimus Christum : ille facit in nobis principium
 „ fidei, & perfectionem in Jesum, qui fecit hominem principem fidei, &
 „ perfectorem Jesum. In hoc forte vocati sumus, prædestinati secundum
 „ propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

Ephes. 3.

Gratuita
 prædestina-
 tio probatur
 exemplo parvulorum.

Sap. 4. 11.

Gratuitam omnino prædestinationem probat & exemplum parvulorum, qui suscepto baptismo statim ex hac vita rapiuntur, ne malitia mutet intellectum eorum. Nec vero ob propria merita futura a Deo præscita prædestinantur. Quod enim a Spiritu Sancto per os Sapientis dictum est, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, dictum est secundum pericula hujus vitæ, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, hoc est, quod mortem immaturam erat ei præstiturus, ut tentationum subtraheretur incendium, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset; ut loquitur S. Augustinus. Neque etiam ob parentum merita secernuntur parvuli a massa damnationis, cum sæpe Dei judicio occulto, sed tamen justo, non baptizentur, qui ex parentibus justis nati sunt: & baptismi gratiam non raro consequantur, qui ab infidelibus, & impiis geniti. Idem probat exemplum adultorum plurimorum, qui, ut Sanctus Prosper observat carmine de Ingratis,

*Per supra, per cædes vitam duxere nefandam,
 Et tamen incumbente obitu, jam limine in ipso
 Extremi flatus, miserantem nocte remota
 Cognovere Deum, purgatorisque lavacri
 Munere percepto, mutarunt tartara cælo.
 Quæ merita hic numeras? Si præcedentia cernas,
 Impia; si quæras post habita, nulla fuerunt.*

„ Ex duobus igitur parvulis peccato originali pariter obstrictis, cur iste
 „ assumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate jam grandibus impiis,
 „ cur iste ita vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.
 „ Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem,
 „ alteri non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus
 „ debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam
 „ si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini bibe-
 „ rat hoc secretum, mansissent utique nobiscum. Doctrina est S. Augustini Li-
 „ bro *De Dono perseverantiae*, cap. 3.

1. Joan. 2. 19

Rom. 11. 13.

Epist. 194.
ad Sixtum.

Prædestinationis itaque mysterium humili fide credamus, non curiosa, & superba ratione scrutemur. Quid abyssum judiciorum Dei penetrare frustra nitimur, Apostolo exclamante: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* S. Augustino dicente: *Scrutetur, qui potest, judiciorum Dei tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium.*

Æterna Electio sine meritis, Salus ex meritis.

II. Verum, qui Sanctos elegit ab æternò sine meritis, dat illis unde coronentur ex meritis. Adultos enim abique bonis operibus non salvari, & hæc vitam æternam mereri, Dogma Fidei est. Quamobrem Christus in supremo iudicio electos suos in Regni æterni possessionem mittens ait: *Venite, Benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Et Apostolus gloriam æternam vocat coronam iustitiæ, meritis repositam: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Id confirmatur ex comparationibus, quas instituit Apostolus vitæ æternæ cum bravio, & cum deposito. Sicut enim in stadio currentibus, & in agone contendentibus corona corruptibilis datur, ut cursus, victoriæque præmium: ita currentibus in via mandatorum Dei, & contra salutis hostes dimicantibus incorrupta corona tribuitur, ut præmium victoriæ: hoc tamen cum discrimine, quod Agonothetes homo currendi, vincendique vires, & cursum ipsum, atque victoriam currentibus, & pugilibus non donat; utrumque vero dat electis suis Agonothetes Deus: quia *Non volentis, neque currentis, sed misereantis est Dei: & Dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Hæc autem comparatio habetur I. ad Corinthios IX. *Nescitis, inquit, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Idem probat comparatio depositi, quod ex iustitia redditur ei, qui ipsum credidit fidem alterius. *Scio cui credidi* (inquit Apostolus II. ad Timotheum I.) *Et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Itaque bona opera, & passiones, quas pro Christi nomine, ac gloria perferimus, apud Deum deponuntur, qui in novissimo die pro his præmium æternum retribuet.

Matth. 25.

2. Tim. 4.

Vite eterne cum bravio & cum deposito comparatio ab Apostolo instituta.

Rom. 9.

1. Cor. 15.

Ipsa tamen merita, & gratiæ, quibus comparantur, ex gratuita Dei predestinatione velut ex fonte derivantur. Unde Apostolus ad Romanos scribens ait: *Stipendium peccati mors est, Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Cum dixisset, *Stipendium peccati mors*, cur non addidit, *Stipendium iustitiæ vita æterna*; siquidem merito iustitiæ tamquam stipendium redditur: unde etiam merces plurimis Sanctarum Scripturarum locis appellatur? Respondet S. *Augustinus* Epistola cxciv. alias cv. ad *Sixtum*, Apostolum eo loquendi modo usum non esse, sed vitam æternam Dei gratiam vocasse, ut elationem reprimeret. „ *Audito, inquit, quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere, & contrariam morti vitam æternam tamquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita æterna vera iustitia est. Si autem vera iustitia est, ex te non est, deforsum est descendens a Patre luminum. Ut haberes eam, si tamen habes eam, profecto accepisti: quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, o homo, si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa iustitia. Tibi enim tamquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur. Nunc vero de plenitudine ejus accepimus non solum gratiam, qua nunc iuste in laboribus usque in finem vivimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, ut in requie postea sine fine vivamus. Hoc nihil salubrius fides credit, quia nihil verius in-*

Rom. 6.

Cur vita æterna non dicitur stipendium iustitiæ, sicut mors dicitur stipendium peccati.

Vita eter na gratia pro gratia.

- Merita nostra Dei sunt munera. „ intellectus invenit. *Igitur* Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. “ Et, ut ait Auctor Librorum *De Vocatione Gentium*, inter opera S. Prosperi, cap. 11. „ Datur unicuique sine merito, unde tendat ad meritum: & datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum laborem. “ Quamobrem Propheta ait, *Pro nihilo, Domine, salvos facies illos*; id est, *gratis data gratia tua* (inquit S. Augustinus.) Quid enim, „ Ille Latro attulerat ad Crucem? De carcere „ in iudicium, de iudicio in lignum, de ligno in Paradisum. Credidit propter quod locutus est. Sed & ipsam fidem quis donavit, nisi qui juxta pendit? *Hinc etiam Apostolus ait*: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*: “ ut significet, Deum bona opera in nobis operari nullis nostris meritis præcedentibus, sicut mundum produxit ex nihilo, id est, nulla præexistente materia. Quærit S. Augustinus cur Apostolus præmiserit, *Non ex operibus, ut ne quis gloriatur*. Sed audi, inquit, & intellige, „ *Non ex operibus dictum*, tamquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tamquam his in quibus te Deus finxit id est formavit, & creavit; non ea creatione, qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui utique jam homo erat, *Cor mundum creavit in me, Deus*: „ & de qua dicit Apostolus, *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transferunt, ecce facta sunt omnia nova, omnia autem ex Deo*. Fingimur ergo, „ id est formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Itaque si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro justitia; ut verum sit, quoniam verum est, quia reddet unicuique Deus secundum opera ejus. Hinc Joannis I. de Christo Domino dicitur: *Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*. Hæc S. Augustinus Lib. *De Gratia*; & *Liberi Arbitrii*, cap. VIII. Qui ergo secundum propositum vocati sunt, electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia illis est omne meritum.
- Deus, qui fecit, quæ futura sunt, mansiones in domo Patris sui electis suis præparavit, & præparat; nec alias, sed quas præparavit, has præparat. *Quas præparavit prædestinando, præparat operando*. Jam ergo sunt in prædestinatione. Unde Christus ait, *Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum*: id est, *prædestinabo*. Jam enim ibi sunt mansiones illæ, & non est opus aliquam sic præparare. Sed quia *Nondum sunt in operatione*, subdit: *Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum* Parat autem quodammodo mansiones, mansionibus parando mansores. Hæc autem præparatio fit per merita: sed merita sine meriti prorsus ullius intuitu data sunt, & prædestinata, cum gratiæ, misericordiæque divine dona sint, atque ita per merita Deus nos præparat ad gloriam; sed nulla meritorum habita ratione nos prædestinavit ad gratiam; non tantum ad temporalem, qua essemus Sancti, sed æternam, qua essemus Beati. *Gratia enim Dei vita æterna*; quam Deus rependens meritis, dat *Gratiam pro gratia*. Hinc S. Augustinus Tractatu LXVIII. in Joannem, mox prolata Christi Domini verba explicare pergens, ait: *Sed quid est, quod, ut præpararet, abiit cum profecto nos ipsos præpararet, quod non faciet, si reliquerit? Agnosco, Domine, ut possim: nimirum illud significas, quia ut parentur istæ mansiones, vivere debet Justus ex fide*. Qui enim a Domino peregrinatur, opus habet ex fide vivere; quia per hanc ad spe-

Merita nostra Dei sunt munera.

Psal. 55.

S. August. Enarrat. in Illud Psalm.

Ephes. 2.

Psal. 50.

2. Cor. 5.

Apoc. 2.

S. August. Libr. De Correp. & Grat. cap. 7.

Mansiones in domo Patris sui Christus electis suis præparavit prædestinando, & præparat etiamnum operando. Joan. 14.

Matth. 5. Act. 15

speciem contemplandam paratur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Et*, Fide mundat corda eorum. „ Fides autem, qua eorum, qui Deum visuri sunt, corda mundantur, quod non videt credit: nam si vides, non est fides. Credenti colligitur meritum, videnti reddetur præmiam. Eat ergo Dominus, & paret locum, eat, ne videatur, lateat, ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideretur ut desideratus habeatur: desiderium dilectionis, præparatio est mansionis. Ita, Domine, para quod paras: nos enim tibi paras, & te nobis paras: quoniam locum paras, & tibi in nobis, & in te nobis. Tu autem dixisti, *Manete in me, & ego in vobis*. Quantum quisque fuerit particeps tui, alius minus, alius amplius, hæc erit diversitas præmiorum pro diversitate meritorum: hæc erit multitudo mansionum, pro disparilitate mansorum; sed tamen omnium in æternitate vivorum, & sine fide Beatorum. Quid est, quod vadis? Quid est, quod venis? Si bene te intelligo, nec unde vadis, nec unde venis recedis: vadis latendo, venis apparendo. Sed nisi maneat regendo, ut proficiamus bene vivendo; quomodo parabitur locus, ubi possimus manere perfruendo?

Job. 15.

Ecclesiæ fidem, ac doctrinam de gratuita electorum prædestinatione explicat Hadrianus I. in Epistolis ad Egilam, & ad Episcopos Hispaniæ. „ Opera, *inquit*, misericordiæ, ac justitiæ suæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futurorum operum suorum nunquam fuit ignarus, sic in eorundem operum præparatione nunquam improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita: præparavit eisdem glorificandis & præmia; malis vero non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit eis iusta, & æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus... Teneatur ergo prædestinationis veritas a fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem prædestinationis effectum.

§. LVII.

Quamvis certa Prædestinatio sit, sua tamen cuique salus cum metu, & sollicitudine procuranda est.

III. Cognovit porro Dominus, qui sunt ejus, scit, quos elegerit, & ex illis quos dedit illi Pater, non perdit quemquam, nec oves ejus quisquam de manu ejus rapiet; ut ipse ait, Joan. X. *Oves mee vocem meam audiunt: & ego cognosco eas & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis. Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea... Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* „ Quicumque enim ab originali damnatione, seu perditionis massa, quæ facta est per primum Adam; ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt; & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt; & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo, ante constitutionem mundi per electionem Gratia. Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, usque adeo profus omnia, ut etiam si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores. Ho-

1. Tim. 2: 19.

rum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus (inquit S. Augustinus Lib. De Correctione & Gratia, cap. VII. & IX.)

Sed quamvis eorum, qui prædestinati sunt in Regnum Dei, ita certus sit numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis: recte tamen & ipsis prædestinatis dicitur: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini: & Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam; quasi eos perseveraturos habeatur incertum: nec aliter hæc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine Fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Istud ergo secretum esse vult Deus, Ne forte quis extollatur, sed omnes etiam, qui bene currunt timeant, dum occultum est, qui perveniant. Præsumptio enim in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas (ut loquitur S. Aug.) Recte etiam dicitur omnibus, Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Certam (inquam) non Deo, qui electos suos usq; in finem perseveraturos certissime novit, quia ipsis perseverantiam dare ab æterno decrevit; sed vobis certam; non quidem absoluta, & infallibili certitudine, sed morali, quæ maximam fiduciam, & firmissimam spem cum timore, & tremore conjungit. Moralîs autem ista certitudo ex signis quibusdam habetur, non quidem omnino certis, sed probabilibus Prædestinationis, qualia sunt, 1. Auditio religiosa verbi Dei, eo animo, ut observetur, & executioni mandetur; *Qui enim ex Deo est, verba Dei audit.* 2. Misericordia sive in pauperibus sublevandis, sive in dimittendis injuriis: *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.* 3. Patientia in adversis, & persecutio propter justitiam. Unde malo Diviti dicitur: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Et, *Beati prædicantur, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Et *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus in nobis operatur.* 4. Bonæ vitæ decursus. Unde S. Augustin. sic populo prædicandam ait Prædestinationem: *Sic currite, ut comprehendatis, atq; in ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noveritis, ut legitime curreteris.* Si autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam, quod tamen cum feceritis, 1. Cor. 9. „ nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari, quasi hoc non accepistis; est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona Philip. 1. „ voluntate, & a Domino gressus vestri diriguntur, ut viam ejus velitis. Psalm. 36. „ *ipso autem cursu vestro bono rectoq; condiscite vos ad Prædestinationem divinæ gratiæ pertinere.* Vos itaq; etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre lumine, a quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis operationibus poscere, atq; hoc faciendo confidere, non vos esse a Prædestinatione Populi ejus alienos, quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui spem habet in homine; & Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine; quia *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Jerem. 17. „ Hanc spem tenentes, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* Psalm. 117. „ quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non mendax Psalm. 2. „ Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ *Tentatio est super terram;* sed faciet nos perseverare in se usq; in ejus vitæ finem, cui quotidie dicimus, *Ne nos inducas in tentationem.* Credamus cum Abraham, quia *Quæ promisit Deus, potens est,* & fa-*

facere. Mirum, quod homines infirmitati suæ se committere malint, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi (inquis) de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times, *Qui videtur stare, videat ne cadat?* Cum igitur utraq; incerta sit, „Cur non homo fir-

„miori, quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemq; committit? (inquit S. Augustinus *Lib. De Prædestinatione Sanctorum, c. xi.*) Vos itaq; etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atq; hoc faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui spem habet in homine: & bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: quia Beati omnes, qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore... An vero timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus & infelicissimus poneret?“ (inquit S. August. *Lib. de Dono Perseverantiæ, c. xxii.*) Quoniam vero *Multi sunt vocati, pauci electi*, sine intermissione oremus, vigilemus, bonum operemur non deficientes. Deo ferventer, humiliter, perseveranter supplicemus cum Ecclesia, *Ut nos ab æterna damnatione eripi, & in electorum suorum jubeat grege numerari.* Vigilemus, ne intremus in tentationem. In eum spem nostram conjiciamus, qui „Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Curam omnem subinferentes, ministremus in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. *Quamvis ergo, quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur.* Cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum, & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secretò præfinitio hujus electionis abscondita est. Et de nullo ante ipsius finem pronunciaripotest, quod in electorum gloria sit futurus, ut perseverantem humilitatem utilis metus servet; & qui stat videat, ne cadat“ (inquit Auctor Librorum *De Vocatione omnium Gentium, Lib. II. ca. xxvi.*)

Contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nemo nisi errando disputare potest. Frustra ergo quis objiceret: Aut e numero sum electorum, aut non sum. Si ex illo sum numero, fieri non potest, ut a salute excidam: Decretum enim illud Dei efficax, & immutabile deficere non potest. Si non sum, nullo meo conatu salutem adipisci poterò. Quicquid agam igitur, ad salutem perveniam, si a Deo sum electus; in damnationem vero præceps ruam, si sum reprobus.

Frustra (inquam) hæc objiciuntur. Prædestinationis enim executio nostre pendet ex meritis, & pietatis officiis, per quæ, & propter quæ Deus sempiternæ felicitatis præmia se nobis collaturum ab æterno decrevit; quamvis ratio primaria, qua impulsus est ad eam nobis destinandam felicitatem, & gloriam, non sint merita nostra, sed una illius misericordia, & bonitas. *Bona autem illa opera, quæ in divina Prædestinatione, ut media ad illius consum-*

1. Cor. 10.

Jacobi 1. 17

Jer. 17. 5.
psal. 117. 8.
Psal. 2. 13.

Matth. 7.

3. Pet. 1.

S. Aug. Lib.
De Dono
Perf. c. 19.
Occupatur
objectio.Nostræ præ-
destinationis executio
pendet ex
meritis.

- summationem a Deo præordinata, utq; gratiæ ejus munera nobis ad hunc finem data involvuntur, electorum liberrima cooperatione ponenda sunt, ipsa etiam perseverantia. Unde sicut falso, & inepte diceret agricola: Quicquid agam, nihilominus terra fructum dabit, messimq; afferet uberrimam, si Deus ita decreverit; vel non afferet, si futuram sterilitatem prænoverit, atq; decreverit Deus; quia voluntas ejus deficere, aut præscientia falli non potest: quid igitur necesse est, ut laborem, ut terram excolam, ut seminem? Et stulte diceret Architectus: Domus hæc stabit, si Deus ita decreverit, sin vero, certissime corruet: quid ergo refert, super quod fundamentum ædificem, utrum in arena, an super firmam petram? An ex selectis, & affabre dolatis lignis, sectisq; ac politis lapidibus, vel ex feno, & stipulis extruam? Ita inepta est vulgaris illa humani sensus, & animalis hominis, non percipientis ea quæ Dei sunt, objectio: falsumq; est nos ad æternam felicitatem perventuros quidquid agamus, si ex electorum numero simus; aut ab ea defecturos, si ex reproborum numero. *Dei agricultura estis: Dei edificatio estis* (inquit Apostolus.) Deus feminat in cordibus nostris verbum suum, gratiam suam, & per Spiritus Sancti subministrationem dat incrementum, ut fructum afferat: sed nihilominus feminare nos debemus bona opera, ut tempore messis manipulos cum exultatione feramus, in horreo celestis Patris familias reconducos. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes. Meminerimus quod Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur: accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.* Ædificemus domum spiritualem, non super arenam, sed super firmam petram, super fundamentum solidum, & inconcussum, quod est Christus Jesus: Superædificemus aurum, argentum, lapides pretiosos, id est, opera bona, opera virtutum, ex charitate, & propter Deum. *Si cujus enim opus manserit, mercedem accipiet.* Vitam ita sancte instituamus, ut cor nostrum nos non reprehendat: quia & bonæ conscientiæ testimonium probabile quoddam prædestinationis signum est. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus ... Et qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus, quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.* Tunc enim Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. *Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si autem compatimur, ut & conglorificemur.* Operam demus, ne excidamus ab hæreditate. Faciamus quod in nobis est, ut Dei mandata impleamus, cum ejus gratia, quæ nunquam nobis nisi culpa nostra deest, nunquam negatur, nisi in pœnam præcedentis peccati: quoniam *Deus non deserit, nisi deseratur: & Nisi fecerimus casum, ipse a nobis non facit occasum* (ut loquitur S. Augustinus.) Et Lib. De Natura, & Gratia cap. 26. *Si ab illo avertimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, & concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit: sed etiam ut convertamur ipse adjuvat.*

§. LVIII.

In nullo gloriandum.

IV. Certum habeamus, *In nullo gloriandum esse, quando nostrum nihil sit.* (Quæ S. Cypriani Sententia est) *Non esse in potestate nostra cor nostrum, &*

nos.

nostras cogitationes (quod S. Ambrosii dictum est, a S. Augustino laudatum) quia Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est (quod oraculum est Apostoli) falli non posse Dei præscientiam, nec mutari prædestinationem, quia Sine penitentia sunt dona & vocatio Dei. Deo tamen obediamus, qui Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Bonum operemur, in bonis operibus perseveremus. Castitatem namq; charitatem, pietatem, perseverantiam usq; in finem, & omnem obedientiam qua obeditur Deo. Dei dona esse, nemo Christianus diffiteri potest: proindeq; ab ipso prædestinata: præscivit scilicet, quæ fuerat ipse factururus. In sua autem præscientia opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare. Sicut ergo ille, quem castum futurum esse præscivit Deus, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit, ut castus sit: ita ille, quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit, ut castus sit; quoniam Dei dono se audit futurum esse, quod erit, immo etiam gaudet ejus charitas, nec infatur, tamquam id non acceperit. Non solum ergo prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verum & ad hoc adjuvatur, ut cum gloriatur, in Domino gloriatur. Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, hoc de charitate, de perseverantia, & ne pergam per singula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veracissime dici potest. Ita S. August. Lib. De Dono Persev. c. xviii. Prædestinationis nostræ exitum Sanctorum precibus, ac præcipue Sanctissimæ Virginis Mariæ Dei Matris, erga quam sincera pietas, & devotio cum vitæ Christianæ integritate conjuncta, prædestinationis etiam signum est, commendemus. Quamvis enim obtineri nequaquam possint, quæ prædestinata non fuerunt; tamen Ea, que sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis Regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi pio labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare. Verba sunt S. Gregorii Magni Lib. 1. Dialogorum, cap. viii.

S. Cyr. l. 3: ad Quirint. cap. 4.

S. Amb. Lib. De Fide seculi cap. 1. Rom. 11. Jacob. 1.

Exitus prædestinationis nostræ, precibus Sanctorum, præsertim Dei-pare Virginis Mariæ, commendandus.

§. LIX.

Fides, Gratia sanctificans, & Charitas, plerisque reprobis a Deo tribuantur.

V. Certum habeamus præterea, fidem, justitiam, sive gratiam sanctificantem, & charitatem pleriq; reprobis a Deo tribui: de quibus S. Joannes ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Id est, *Non erant filii, etiam quando erant in professione, & nomine filiorum; non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt.* Neque enim ait, *Nam si fuissent ex nobis, veram, non fictam justitiam tenuissent utique nobiscum; sed, Si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* In bono illos volebat proculdubio manere. Erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, usque in finem non perseveraverunt: non erant, inquit, ex nobis, & quando erant nobiscum, hoc est, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide de filiorum: quoniam, qui vere filii sunt, præsciti, & prædestinati sunt conformes imagini Filii ejus, & secundum propositum vocati sunt, ut electi essent. *Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis.* Fuerunt ergo isti ex multitudine vocatorum, ex electorum autem paucitate non fuerunt. Justi ergo illi temporales, cum pie vivunt, dicuntur filii Dei: sed quoniam victuri sunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei; sunt enim filii Dei, qui nondum sunt

1. Joan 2

Joan. 11. ^{us} nobis, & sunt jam Deo, de quibus ait Evangelista Joannes: *Quia Jesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed etiam, ut filios Dei dispersos congregaret in unum*: quod utiq; credendo futuri erant per Evangelii prædicationem, & tamen antequam esset factum, *Jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam, vel temporaliter, gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo*. Ita *S. Augustinus Lib. De Correctione, & Gratia, cap. ix.* Qui vel unus locus, ne multa alia testimonia congeram, demonstrat fidem, & justitiam plerisq; reprobis a Deo tribui. Quod fidei dogma contra *Calvini* hæresim Sacra Synodus Tridentina definivit, Sess. VI. Canone XVII.

§. LX.

Fides, & justitia possunt amitti.

Ezech. 13: & 33. Heb. 6. Nec minus certum est, fidem, & justitiam semel acceptam in hominum cordibus extinguere posse, ac revera extinguere in iis, qui a justitia sua conversi, faciunt iniquitatem, de quibus scriptum est: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*: & quod prolapsi sunt, cum semel essent illuminati, gustassent etiam donum celeste, & participes facti essent Spir. Sancti: qui deniq; non perseverant usq; in finem. Quod fidei Catholicæ dogma *S. Aug. Lib. præsertim De dono Persever. confirmat, cap. VI II. & IX.* asserens tam eos, qui non perseverant, quam qui perseverant in justitia, vocatos fuisse, vocantem secutos, ex impiis justificatos, & per lavacrum regenerationis æque renovatos. Idem confirmant *S. Prosper* in Responsione ad Objectiones Vincentianas, cap. XII. XIII. XV. & in Responsione ad Capitula Gallorum cap. II. III. & VII. & *S. Bernardus* Serm. LIV. in Cantica. Unde Calvinianum dogma de inamissibili justitia, velut hæreticum a Concilio Tridentino merito damnatum est Sess. VI. Canone XXVI.

1. Joan. 3: Quo sensu non peccat, nec peccare potest qui ex Deo natus est. Nec vero Calviniano dogmati patrocinium quaeri potest ex illis verbis *S. Joannis, Omnis, qui natus ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*. His enim verbis solum significatur, mortalium peccatorum perpetrationem cum statu, ac dignitate filiorum Dei cohærere non posse: non autem, quod cum persona filiorum Dei conjungi non possint, sive ab iis, qui filii Dei sunt, committi; ita tamen, ut illa committendo a statu filiorum Dei excidant. Hic loquendi modus similis est illis propositionibus, quæ vulgo in ore hominum versantur: *Honestæ, & pudicæ femina sermonibus ad stuprum allicientibus aures non accommodat: Fidelis subditus cum hostibus Regis sui sedus non init: Judex integer muneribus, aut gratia non corrumpitur: Princeps optimus ad infantes opprimendos potestate non abutitur sua. Hæ namq; propositiones enunciant, atq; indicant id, quod hujusmodi personis convenit secundum dotes, quæ ipsis tribuuntur: sed non inde sequitur, mulierem pudicam labi non posse; Subditum fidelem non posse deficere a fide, & officio erga Principem; Judicem integerrimum non posse ab integritate dimoveri precibus potentissimis, commodis, aut minis: Principem optimum, qualis erat David, non posse eo abripi cupiditatis æstu, ut occidat infentem. Sic itaq; omnis, qui ex Deo natus est, peccatum non facit, nec facere potest, quandiu divinæ illius nativitatis Spiritum sequitur: sed tamen, si officium negligat suum, & Dæmonis tentationibus consensum præbeat, in mortale peccatum prolabi poterit, quo a statu filiorum Dei excidat. Omnis igitur, qui natus ex Deo est, non peccat, quatenus ex Deo natus est: & non potest peccare, quatenus est filius Dei: sed peccare potest, quatenus filius est Adami. Ergo duas nativitates attendite. Duo sunt homines, sed unus ipsorum homo homo, alter ipsorum homo Deus: per hominem*

hominem, peccatores sumus, per hominem Deum justificamur. Nativitas illa deiecit ad mortem, ista nativitas erexit ad vitam, nativitas illa trahit secum peccatum, nativitas ista liberat a peccato. In hoc enim venit Christus homo, ut solveret peccata hominum. Omnis, qui in ipso manet, non peccat. In quantum in ipso manet, in tantum non peccat. Verba sunt S. Augustini Tract. IV. in Epist. S. Joannis.

§. LXI.

Nemo absque singulari Dei revelatione de sua Prædestinatione certus esse potest.

VI. Æque certum est, neminem, citra singularem Dei revelationem, de sua prædestinatione certum esse posse, ut Sacra Synodus Tridentina contra Calvinum errorem definivit Sess. VI. Can. XVI. quapropter timere debemus quandiu in hac vita sumus, quæ tentatio est super terram. Cum metu igitur, & tremore vestram salutem operamini (inquit Apostolus.) Timeant sibi iusti: Quid enim sunt hodie, sciunt; quid cras futuri sint, nesciunt... Qui injustus est, conversus poterit justus esse: quomodo & justus aversus poterit injustus esse. Itaque nec de te præsumas, nec de illo desperes. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Quia vocati sumus, novimus: si sumus electi, nescimus. Tanto ergo necesse est, ut unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat.

Hæc veritas radix timoris, & humilitatis.

S. Aug. Enarrat. in Ps. 51.

Matth. 25. S. Gregor. M. Hom. 38.

§. LXII.

Perditio Reprobatorum ex ipsis est, non ex Deo:

VII. Certum est denique perditionem reprobatorum ex ipsis esse, Deum ipsos in peccatum non impellere, sed permittere tantum, ut cadant: damnationis penam illis non decernere nisi propter culpam, in quam libera sua voluntate casuri sunt. Numquid (inquit) voluntatis meæ est mors impii, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?... Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, & vivite. (Ezech. XVIII.) Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. (Osee XIII.) Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis (Matth. XVIII.) Et tamen in illa puerorum turba, quæ tunc oblata est Christo Domino, neminem nisi Prædestinatum fuisse, minus verisimile est. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire (inquit Apostolus) Id ipsum SS. Patres confirmant.

S. Hieronymus, in c. LXIII. Isai. Voluit Deus salvare cupientes, & provocavit ad salutem, ut voluntas haberet præmium; sed illi credere noluerunt, &c. Nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt: sed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, & salvarentur. Et in c. XVIII. Ezechielis, ad illa verba, Numquid voluntatis meæ est mors impii, & non ut convertatur a viis suis? ait: Ergo Domini voluntatis est, omnes salvos fieri. Ubi autem Dei videtur severa, & truculenta sententia, non homines, sed peccata condemnat.

1. Tim. 2.

S. Paulinus, Epist. II. Omnem, quantum in ipso est, hominem salvum fieri vult qui fecit omnes.

S. Ambrosius, Lib. II. De Cain, & Abel, c. III. Redemptor ideo omnibus opem sanitatis detulit: ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere: Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia, eo quod ii, qui pereunt, sua pereant negligentia: qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et in enarratione Psal. CXVIII. Bonitas Dei in omnes est, severitas in paucos. In eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem. Si enim non cecidissent, uterentur & ipsi bonitate Dei.

S. Augustinus, Lib. de Spiritu, & Littera, c. XXXIII. Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat

mat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes iustissime judicentur; Quod cum fit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno, & summo bono, malisq; penalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, v. gr. *Volo, ut hi omnes servi mei cperentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat: videtur quidem quicumq; contempserit, contra voluntatem domini sui facere; sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate. Unde scriptum est, Semel locutus est Deus: Duo hæc*

Psal. 61.

„ audi, quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia, quia tu red-
 „ des unicuiq; juxta opera sua. Ille igitur reus erit ad damnationem sub po-
 „ testate ejus, qui contempserit ad credendum misericordiam ejus. Quisquis au-
 „ tem crediderit, eiq; se a peccatis omnibus absolvendum & ab omnibus vitis fa-
 „ nandum, & calore, ac lumine ejus accendendum, illuminandumq; commiserit,
 „ habebit ex ejus gratia opera bona, ex quibus etiam secundum corpus a meritis
 „ corruptione redimatur, coronetur, bonisq; satiatur, non temporalibus, sed æter-
 „ nis, supra quam petimus, & intelligimus.

Object. 2. S. Augustino concinit S. Prosper in Responsione ad Objectiones Vincentianas:
 „ Sincerissime (inquit) credendum, atq; profitendum est, Deum velle, ut o-
 „ mnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est,
 „ sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo
 „ pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus, quod multi pereunt, pe-
 „ reuntium est meritum: quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut
 „ enim reus damnetur, inculpabilis Dei justitia est: ut autem reus justifi-
 „ cetur, ineffabilis Dei gratia est.

His adde egregium S. Isidori Pelusiota locum Lib. II. Epist. cclxx. „ Etenim
 „ modis omnibus salvari vult eos, qui in vitio voluntantur, & ad eos alle-
 „ gat, qui remedium adhibeant, non ignorans, quidem fore, ut illi morbo
 „ intereant: sed ut omnem eis excusationem eripiat. Nam etsi ab infania
 „ non resipiscant isti: hos tamen inde fructus consequitur, quod suas ipse
 „ partes sit executus.

Prædestinatio igitur luci similis est, quæ ex celo oritur, & in aerem, ter-
 ramque diffunditur, nihil illis ad illuminationem suam conferentibus: repro-
 batio similis est fulmini, quod oritur e terra materiam subministrante, sed
 e nubibus in ipsam recidit. Prædestinatio ex solo Deo est, nihil nobis me-
 riti conferentibus: reprobatio ex nostro peccato ortum habet: *Deus enim
 de suo bonus, de nostro justus* (ait Tertullianus.)

A R T I C U L U S III.

Quo Symboli Apostolici Articulus alter explicatur.

ET IN JESUM CHRISTUM FILIUM EIUS UNICUM DOMI-
 NUM NOSTRUM.

§. I.

Quam necessaria sit, & utilis hujus Articuli Fides.

Joan. 17.

QUANTA sit hujus Articuli credendi necessitas, & quæ ex illius fine utili-
 tas in hominum genus derivetur, illud Christi Domin' oraculum de-
 clarat: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, &*
 quem

quem misisti Jesum Christum. Idem ostendit beatitudinis præconium, quod a Christo Salvatore Principi Apostolorum tributum est, cum ipsam *Filium Dei vivi* confessus esset: „ Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. *Idem confirmat testimonium illud S. Joannis*: Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo ... Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est ... Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? ... Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Hoc fundamentum firmissimum est nostræ salutis ac redemptionis. Hoc certum, propriumque Fidei Catholicæ fundamentum. Ut enim ait Apostolus, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*. Hoc fundamentum Fidei nostræ: *Unus Deus: unus & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*. Nam neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei, & hominum, hominem Jesum Christum, nisi esset & Deus. Sed cum factus est Adam, homo scilicet rectus, Mediatore opus non erat. Cum vero genus humanum peccata longe separaverunt a Deo per Mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, occisus est, reconciliari nos oportebat Deo, usque ad carnis resurrectionem in vitam æternam: ut humana superbia per humilitatem Dei argueretur, ac sanaretur, & demonstraretur homini, quam longe a Deo recesserat, cum per incarnatum Deum revocaretur, & exemplum obedientiæ per hominem Deum contumaci homini præberetur; & Unigenito suscipiente formam servi, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panderetur, & carnis etiam resurrectio redemptis promissa in ipso Redemptore præmonstraretur; & per eandem naturam, quam se decepisse lætabatur diabolus, vinceretur; nec tamen homo gloriaretur, ne iterum superbia nasceretur. In causa igitur duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non ejus, a quo factus est; iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus, a quo missus est: in horum (*inquam*) duorum hominum causa proprie Fides Christiana consistit. Quoniam non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Et in illo definivit Deus fidem omnibus, suscitans illum a mortuis. *Itaque sine fide Incarnationis, & Mortis, & Resurrectionis Christi, nec antiquos Justos, ut justii essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, Veritas Christiana non dubitat: sive in eis Justis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium, vel inde usque ad Legem datam, vel ipsius Legis tempore, non solum in filiis Israel, sicut fuerunt Prophete, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job. Et ipsorum enim corda eadem mundabantur Mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum Sanctum, qui ubi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens* (ut docet S. Augustinus Libro De peccato originali, cap. xxiv.) Justii illi veteres sub Legge non erant, sed sub Gratia, eadem quippe fide & ipsi mundabantur, qua & nos. Unde Apostolus dicit: *Habentes eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus,*

Matth. 16.

1. Joan. 4 & 5.

1. Cor. 3.

1. Tim 2.

S. August. in Enchir. cap. 103. Christus Mediator.

Fides Christiana in duorum hominum causa proprie consistit.

Act 4. 12. Act. 17.

Justi Antiqui Christi Mediatoris fide justificati sunt.

2 Cor. 4

- propter quod & loquimur. Ex ipsa fide de ipso dicebatur, *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo celo egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus, nec est, qui se abscondat a calore ejus.* Ex fide ipsa ipsi dicebatur. *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo letitiae praesortibus tuis.* Ex ipsa fide dicebatur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: id est, Nobiscum Deus.* „ Eodem Spiritu fidei „ hæc ab illis futura videbantur, quo a nobis facta creduntur. Neque e- „ nim, qui nobis ista fidei dilectione prophetare potuerunt, eorum ipsi par- „ ticipes non fuerunt. Unde S. Petrus ait *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per Gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Igitur & illi per Gratiam Domini nostri Jesu Christi salvi facti sunt, non per Legem Moysi, per quam non sanatio, sed cognitio facta est peccati. *Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est, testificata a Lege, & Prophetis. Justitia autem Dei per Fidem Jesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* „ Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, „ sed occulta. Cujus occultationem significabat Templi velum, quod est ad „ ejus significandam revelationem Christo moriente confissum. Et tunc er- „ go ista Gratia unius Mediatoris Dei, & hominum hominis Christi Jesu e- „ rat, in populo Dei: sed tamquam in vellere pluvia, quam non debitam, „ sed voluntariam segregat Deus hæreditati suæ, inerat latens; nunc autem „ velut siccato illo vellere, hoc est, Judaico populo reprobato, in omnibus „ Gentibus tamquam in area cernitur patens. Hinc Apostolus ait: *Per homi- „ nem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Illi ergo antiqui Justii ideo „ in resurrectionem vitæ æternæ venturi sunt, quia in Christo vivificabun- „ tur: ideo in Christo vivificabuntur, quia ad corpus pertinent Christi: id- „ eo pertinent ad corpus Christi, quia & ipsis caput est Christus: ideo & ip- „ sis caput est Christus, quia unus Mediator est Dei, & hominum homo „ Christus Jesus. Mediator autem illis non fuisset, nisi in ejus resurrectionem „ per ejus Gratiam credidissent. Et hoc quomodo fieret, si eum in carne ven- „ turum esse nescissent, neque ex hac fide juste, pieque vixissent? Nam si „ propterea illis non profuit Incarnatio Christi, quia nondum facta erat: nec „ nobis prodest Judicium Christi de vivis, & mortuis, quia nondum factum „ est. Si autem nos per hujus nondum facti, sed futuri Judicii fidem stabi- „ mus ad dexteram Christi; profecto illi per Incarnationis ejus tunc nondum „ factæ, sed futuræ fidem membra sunt Christi. Sic ratiocinatur S. Aug. Li- „ bro *De Peccato originali*, cap. xxvi.
- Spem futuræ per Christum redemptionis ab initio mundi præmonstrata.
- Spem futuræ per Christum redemptionis, cujus fides ad salutem consequendam necessaria est, semperque fuit, Deus ab initio mundi præmonstravit, cum proprium diabolo damnum, quod ex liberatione hominum facturum erat, his verbis denunciavit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Eandem promissionem deinceps confirmavit, iis præsertim hominibus, quibus singularis benevolentia signa præbere voluit: inter ceteros vero Patriarchæ Abrahamæ, eo præsertim tempore, quo Dei mandato obediens filium suum unigenitum immolare voluit. *Quia, inquit, fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas celi, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gen-*
- Psal. 18. „
- Psal. 44. „
- Isai. 7. „
- Act. 13. „
- Rom. 3. „
- Gratia Christi Jesu erat tempore Legis veteris, sed occulta.
- Matth. 27. „
- Jud. 6. „
1. Cor. 1. „
- Abraham fi- de Incarnationis Filii Dei imbutus.

gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Quo Deus significavit oraculo, ex progenie Abrahamæ futurum, qui omnibus ab immani Satanæ tyrannide liberatis salutem afferret. Illum autem Dei Filium natum ex femine Abrahamæ secundum carnem fore necesse erat. Nullis enim Angelorum, aut hominum viribus a lapsu suo sublevari, & reparari poterat hominum genus. Quamobrem opus erat, ut Dei Filii infinita virtus, assumpta carnis nostræ imbecillitate, infinitam peccati vim, & exuberantem malitiam copiosa redemptione tolleretur, infinitam injuriam divinæ Majestati illatam infinito pretio & superabundanti satisfactione compensaret, nosque Deo reconciliaret in sanguine suo. Quod autem natus ex femine Abrahamæ Dei Filius id præstiterit, declarat *S. Petrus, Act. 111.* dicens Judæis: *Vos estis filii Prophetarum, & Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abrahamam: Et in femine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicientem vobis: ut convertat se unusquisque a via sua.* Hinc Dominus Jesus de Abraham dixit: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavissus est.* Si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profecto perhibuit Abrahamæ, quod fide Incarnationis ejus fuerit imbutus. Secundum hanc enim habet tempus: divinitas vero ejus omne tempus excedit, quia per illam universa facta sunt tempora. Propter hoc, & servum suum manu sub femore suo posita jurare voluit, quod uxorem ex mulieribus Chananæis filio suo Isaac non esset accepturus, prænosens carnem, in qua venturus erat Deus Cæli, de illo femore propagari. Cujus carnis, & sanguinis, quando ipsum Abraham benedixit, Melchisedech etiam testimonium Christianis Fidelibus notissimum protulit, ut tanto post Christo diceretur in Psalmis, quod nondum factum, sed adhuc futurum, eadem tamen ipsa, & Patrum, quæ nostra est, fides una cantabat: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Non ita multo post Dominus promissi Abrahamæ facti memoriam renovavit, sancito cum Jacob ejus nepote fœdere, quando in somnis vidit scalam stantem super terram, cujus cacumen cælos tangebatur, Angelos quoque Dei per eam ascendentes, & descendentes, audivit etiam Dominum innixum scalæ dicentem sibi: *Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo, eritque semen tuum quasi pulvis terræ. Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in Semine tuo cunctæ tribus terræ.* Constituta denique Judæorum, qui ex genere Abrahami erant, Republica, insignes figuræ Christi venturi populo Dei exhibitæ sunt, & multis, apertissimisque Prophetiis Filii Dei Incarnatio, & Nativitas ex Virgine, Miracula, doctrina, mores, consuetudo, Passio, Mors, Resurrectio, ceteraque ejus Mysteria prænunciata sunt, scilicet Ps. 11. v. 6. 7. 8. Ps. XXI. v. 17. 18. 19. Ps. XLIV. v. 7. & 8. Ps. CIX. toto. *Isaie*, cap. VII. v. 14. cap. VIII. v. 2. 3. & 4. cap. IX. v. 6. cap. XI. v. 1. 2. 3. 4. & 5. & toto cap. LIII. *Jer.* XXI. v. 5. & cap. XXX. v. 8. & 9. cap. XXXI. v. 22. cap. XXXIII. v. 15. & 16. *Danielis* VII. v. 13. & 14. & cap. IX. v. 24. 25. 26. & 27. Præter alia plurima Prophetarum Oracula, quæ a Viris Eruditis adnotata sunt, & cum Novi testamenti locis, quibus eorum exitus, & consummatio continetur, diligenter collata, præsertim a Doctissimo *Abrincensium* Episcopo *Petro Daniele Huetio*, in *Demonstratione Evangelica*, Propositione nona. Quæ quidem ita manifesta sunt, ut si futuri, & præteriti temporis tollatur diversitas, nihil jam inter Prophetarum Vaticinia, & Apostolorum Prædicationem; nihil inter veterum Patriarcharum fidem, & nostram interesse videamus, ut ait *Conc. Trid. Catechismus.* Typi, seu figuræ tam illustres, Vaticinia tam perspicua Filii Dei Incarnationem, ceteraque Mysteria præcesserunt ad concilian-

Joan. 8.

Gen. 24.

S. Aug. Lib. De Peccato orig. c. 27. q. 62. in Gen. & Tract. 43. in Joan. Psalm. 109.

Gen. 28.

Insignes Christi venturi figure, & Prophetiæ.

Tertull. Lib. Adversus Judæos.

dam fidem. Filii Dei Incarnatio, & Nativitas ex Virgine Paraturam desiderabat, ut crederetur (inquit Tertullianus.) Et Sacramentum Passionis ejus figurari in prædicationibus oportuerat: quantoque credibile, tanto magis scandalum futurum, si nude prædicaretur; quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. Quamobrem Daniel in adventu ipsius implendam Visionem, & Prophetiam prædixit: Quoniam ipse est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ retro de eo Prophete nuntiaverant.

Dan. 9.

§. II.

ET IN JESUM.

De Nomine Jesu.

Quomodo
& per quid
Christus
Mediator
est?

S. Aug. Lib.
De Peccato
orig. c. 28.

S. Aug. Lib.
9. De Civ.
Dei, cap. 5.

Nomen Je-
su Dei con-
silio. & præ-
cepto Chri-
sto imposi-
tum.

Lucæ 1.

Matth. 1.

Lucæ 2.
Christi
Circumci-
sio.

Christus
non instar
aliorum Je-
sus vocatur.

I. **M**ediator noster Deus simul, & homo, non per hoc Mediator est, quod est æqualis Patri: per hoc enim quantum Pater, tantum & ipse distat a nobis: & quomodo erit mediatio, ubi eadem distantia est? Per hoc ergo Mediator, per quod homo; inferior Patre per quod nobis propinquior; superior nobis, per quod Patri propinquior: quod aptius ita dicitur, inferior Patre, quia in forma servi, superior nobis, quia sine labe peccati. Per humanam igitur naturam Christus Mediatoris exercuit officia, satisfecit Patri, Sacrificium obtulit, rogavit, passus est, ac mortuus: quamvis actiones illæ, & officia, quibus functus est, dignationem, & æstimationem infinitam non ex humanæ conditionis modulo, sed ex adjuncta divinitate consecuta sint. Verum tamen ipsam Mediatoris Personam ex duabus Naturis constare oportuit, Deumque simul esse, & hominem, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque similis hominibus, longe esset a Deo, aut in utroque Deo similis longe esset ab hominibus, atque ita Mediator non esset. Mediatorem igitur inter nos & Deum, & mortalitatem oportuit habere transeuntem, & beatitudinem permanentem: ut per id, quod transit, congrueret morituris, & ad id, quod permanet, transferret ex mortuis. Proprium Mediatoris Dei, & hominum, qui Deus, & homo est, Nomen est JESUS, quod Salvatorem significat, non quidem fortuito, aut hominum judicio, ac voluntate, sed Dei consilio, & præcepto illi impositum. Angelus enim Mariæ Matri conceptionis ejus Mysterium annuncians, ait: Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Ac deinde Joseph Virginis sponso non solum, ut eo nomine Puerum appellaret, præcepit; sed etiam rationem Nominis consiliumque Dei illud imponentis declaravit his verbis: „ Joseph filii David, noli timeere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Sp. Sancto est. Pariet autem „ Filium, & vocabis Nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum „ suum a peccatis eorum. De adorando illo Nomine Habac. III. prænuncia- „ tum est: Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo. „ Id Nomen Christo impositum est octavo die, cum circumcisus est. Circum- „ cisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & Nomen, quod est super „ omne nomen gloriam indicat Majestatis. Circumciditur tamquam verus „ Abrahæ filius; Jesus vocatur tamquam verus Filius Dei. Neque enim „ ad instar priorum meus iste Jesus Nomen vacuum, aut inane portat. „ Non est in eo magni Nominis umbra sed veritas; (inquit S. Bernardus Serm. 1. in Circumcisione Domini.) Jesus appellatus est Filius Nave, qui Moyfi

Moyſi ſucceſſit, & populum a Moyſe ex Ægypto liberatum, in Terram promiſſionis, quod ipſi Moyſi negatum fuerat, deduxit. Eodem etiam Nominine *Jofedech* Sacerdotis filius appellatus eſt. Eodem & filius *Sirac*. Sed longe potiori jure hoc nomen Salvatori noſtro impoſitum eſt, qui non uni alicui populo, ſed univerſiſomnium ætatum hominibus, non quidem fame, aut Ægyptiaco, vel Babilonico dominatu oppreſſis, ſed in umbra mortis ſedentibus, & duriffimis peccati & diaboli vinculis obſtrictis, lucem, libertatem, & ſalutem dederit, qui eos e mundi erroribus evocatos ad cæleſtis Regni hæreditatem provexerit, eiſque cælum reſeraverit. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* In illis velut typis adumbratus eſt Chriſtus Dominus, qui de ſe ipſo vere dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Joſue, ſive Jeſus filius Nave ſucceſſit defuncto Moſi: Jeſus abrogata Moſis Lege novam condidit: *Finis enim Legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.* Moſes ad Chanaanitidis terræ fines Hebræos deduxit; in Terram ipſam introducere non potuit, quod præſtitit Joſue. Lex Moſis nomine ſignificata juſtificare, & ſalvare non potuit homines; quod præſtitit Fides, & Gratia Chriſti Jeſu. *Scientes* (inquit Apoſtoloſ) *quod non juſtificatur homo ex operibus Legis, niſi per Fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex Fide Chriſti, & non ex operibus Legis,* Chanaanitidis terræ compotes Hebræos, Jordane trajecto, fecit Joſue: in Patriam cæleſtem ablutos nos baptiſmi aquis inducit Jeſus. Duodecim lapides de Jordanis alveo ſublatoſ ad poſteritatis memoriam in caſtris ſtatuſ jubet Joſue, atque alioſ item duodecim in ipſo Jordanis alveo: Jeſus duodecim elegit Apoſtoloſ, quorum Principi derivatum a Petra nomen impoſuit, ipſoſ vero fundamentum myſticæ ſuæ domoſ, ideſt Eccleſiæ, conſtituit. Secundæ Circumciſionis Hebræiſ Adminiſter fuit Joſue: in Jeſu circumciſi ſumus, „ Circumciſione non manu facta in extirpatione cor- „ poriſ carniſ, ſed in Circumciſione Chriſti, Circumciſione cordiſ in Spi- „ ritu, non littera. *Hinc Tertullianuſ Libro Adverſuſ Judæoſ, cap. ix ſcri- „ bit: Quia Jeſuſ Chriſtuſ ſecunduſ populuſ, quod ſumus noſ, Nationeſ „ in ſæculi deſerto commoranteſ antea, introducturuſ eſſet in Terram re- „ promiſſionis, melle, & lacte mananteſ, ideſt, in vitæ æternæ poſſeſſio- „ nem, qua nihil dulciuſ: idque non per Moſem, ideſt, non per Legis „ diſciplinam, ſed per Jeſum, ideſt; per novæ Legis Gratiã pervenire ha- „ bebat circumciſiſ nobiſ petrina acie, ideſt, Chriſti præceptiſ (Petra enim „ Chriſtuſ multiſ modiſ, & figuris prædicatuſ eſt) ideo iſ vir, qui in „ hujuſ Sacramenti imaginem parabatur, etiam Nominis Dominici inaugu- „ ratuſ eſt figura, ut Jeſuſ nominaretur. Joſue bellator fuit; bellator & Jeſuſ, cujuſ ex ore gladiuſ ancepſ exhibit; de quo dictuſ eſt: „ Specioſuſ „ forma præ filiis hominuſ, diſfuſa eſt gratia in labiis tuiſ, propterea be- „ nedixit te Deuſ in æternuſ. Accingere gladio tuo ſuper femur tuuſ, „ potentiffime . . . Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda „ inimicoruſ Regiſ. *Joſue fuit magnuſ ſecunduſ nomen ſuũ, maxi- „ muſ in ſalutem Electoruſ Dei, expugnare inſurgenteſ hoſteſ, ut con- „ ſequeretur hæreditateſ Iſrael: De Chriſto Salvatore noſtro ait Ange- „ luſ Virgini Mariæ. *Hic erit Magnuſ, & Filiuſ Altiffimi vocabitur.* No- „ men ejuſ magnuſ; humiliatiõniſ enim ipſiuſ, quæ maxima fuit, præ- „ miuſ eſt. *Humiliavit ſemetipſuſ factuſ obediẽtiſ uſque ad mortem, mortem „ autem Crucis. Propter quod & Deuſ exaltavit illum, & donavit illi no-***

Eccli. 1.

Aggæi 1.

Act. 4. 12.

Joan. 14. 6.

Joan. 10. 9.

Jeſuſ Filiuſ Nave typuſ inſignis Jeſu Chriſti :

Act. 4.

Joan. 10.

Joan. 14.

Rom. 10.

Coloſſ. 2.

Rom. 2.

Apo. 1. 16. &c.

cap. 19. 12.

& ſeq. Pſal.

44.

Eccli. 46.

Luc. 1.

- men, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Ad salutem omnium hominum
- Philip. 2. venit Christus, eo nomine Maximus. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Hinc S. Augustinus passim ex nomine Jesu argumentum petit contra Pelagianos peccatum originale negantes, quod & parvulis Christus sit Jesus, idest Salvator. Sic in fine Libri II. De Nuptiis, & Concupiscentia, Concedat, inquit, Jesum etiam parvulis esse Jesum: & ut per eum facta omnia fateatur per id, quod est Verbum Deus; ita etiam parvulos ab eo salvos fieri fateatur per id, quod est Jesus, si vult Catholicus esse Christianus. Sic enim scriptum est in Evangelio. Et vocabunt nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. In quo populo sunt utique & parvuli: sunt ergo & in parvulis peccata originalia, propter quæ Jesus, idest Salvator, possit esse & ipsorum. Josue expugnavit insurgentes hostes populi Dei: Christus Salvator noster Vicit mundum, & expolians Principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso; & per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, idest, Diabolum. Hinc Josue adversus Amalecitas pugnante, Moses tota die expansis manibus orabat: Quia illic, ubi Nomen Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus Diabolum, Crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus. Verba sunt Tertulliani Libro Adversus Judeos, cap. x.
- Matth. 1. Jesum Filium Josedech Christi Salvatoris typum etiam fuisse merito diximus. Pontifex enim uterque fuit. Utrique adversatus est Satan. Ille Judæorum e captivitate Babylonis in Patriam redeuntium dux fuit: hujus ductu homines e mundi captivitate liberati ad cœlestem patriam perveniunt. Ille vestibibus sordidis indutus est: hic peccata nostra tulit, infirmum corpus induit, supplicii demum ignominia, sputis, sanguineque suo sedatum. Ille vestimentis sordidis exutus, noxisque purgatus, novas vestes, ac mundas induit, eique cidaris imposta est: Christus, mundo, morte, peccato, ac diabolo victis, veste immortalitatis assumpta, susceptoque diademate triumphans in Cœlum ascendit. Jesu Josedech filio ait Deus, *Judicabis domum meam, & custodies atria mea*: Christum vivorum, & mortuorum Judicem Deus constituit, totiusque Ecclesiæ custodem præposuit, Sponsum, ac Dominum. Ille in Templo reparando socius fuit Zorobabelis: hic Ecclesiam Dei vivi Templum ædificavit.
- Joan. 16. Coloss. 2. Hebr. 2. *Jesu filius Sirach doctrinam sapientiæ, & discipline scripsit in Libro Ecclesiastici, & Renovavit sapientiam in corde suo*: Christus Salvator noster *Dei Virtus, & Dei sapientiæ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, factus est nobis sapientiæ a Deo*. De quo Siracides ipse cap. I. scripsit: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna, &c.* Et cap. xxiv. *Sapientiæ laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur, & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens, Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam, &c.*
- Aggæi 1. Non igitur sola magni nominis umbra, sed veritas in Christo Jesu fuit, cujus nomen admirabile, amabile, suave, potens, malignis Spiritibus tremen-

mendum est. Nomen Jesu tribuit Sacramentis virtutem remittendi peccata, conferendi gratiam, salutem operandi. Nomen Jesu genus omne miraculorum operatur, dæmones expellit, vincit, profligat. Serpentium morsus, & haustus veneni nomine Jesu sanatos fuisse, Judæi ipsi Thalmudistæ referunt. In nomine Jesu a Deo impetramus quicquid petimus, si ut oportet, petamus. Sic orationes suas concludit Ecclesia, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*. Nomen Jesu velut *Oleum effusum* (inquit S. Bernardus Sermone xv. in Cantica) *lucet, pascit, & ungit*. *Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit, & ungit*. Unde in toto orbe tanta, & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen dicat merito Paulus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?* Hoc nomen coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel portare jussus est idem Apostolus; & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat ubique: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus*. Nec tantum lux est nomen Jesu, sed & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis, impingat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insuper est, si non hoc sale conditur. *Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus*. Sed est & medicina. Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Jesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris Nominis duritia cordis, ignavia torpor, rancor animi, languor acedia? Cui fons forte siccatus lacrymarum, invocato Jesu, non continuo erupit uberius, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti, & trepidanti, invocatum nomen virtutis non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui in dubiis æstuanti, & fluctuanti non subito ad invocationem clari Nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti jamjamque deficienti, si Nomen adjutorii sonuit defuit fortitudo? Nimirum morbis, & languores animæ isti sunt, illud medicina. Denique & probare licet: *Invoca me in die tribulationis, eruum te, & honorificabis me*. Nihil ita iræ impetum cohibet superbæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. *Siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum; misericordem, & omni denique honestate, ac sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanctet, & roborat adjutorio*. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus *Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum & sensus dirigantur, & ædus*. Denique & invitatis: *Pone me, ut signaculum super cor tuum, super brachium tuum. Habes unde & brachio medearis, & cordi*. Habes in nomine Jesu, unde ædus tuos, vel pravorum corrigas, vel minus perfectos adimpleas, itemque unde tuos sensus aut serves, ne corrumpantur, aut si corrumpantur, saves.

Virtus nominis Jesu.

Lib. de Sabato c. 14.

Ephes. 5.
Act. 9.
Rom. 13.

Psalm. 49.

Cant. 8.

Omnia præterea nomina, quæ prædicta sunt Filio Dei divinitus im-

nenda, ad unum hoc *Jesu* nomen referuntur. Cum enim salutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent, hoc ipsum universæ salutis humanæ vim, rationemque complexum est (inquit Conc. Tridentini Catechismus.) Quod antea *S. Bernardus* pie, & eleganter exposuerat Serm. 11. in Circumcisione Domini. Exultavit *Isaias*, ut videret diem hunc & vidit, & gavissus est. Et loquebatur gratulabundus, & laudans Deum: „ *Puer natus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: vocabitur Nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Magna quidem nomina: sed ubi est nomen, quod est super omne nomen, nomen *Jesu*, in quo omne genuflectatur? Forte „ in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodammodo, & effusum. Nempe ipsum est, de quo *Sponsa* in Cantico amoris. *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum.* Habes ergo unum in his omnibus appellationibus *Jesum*, Nec omnino, aut vocari posset, aut esse *Salvator*, si forte quippiam horum defuisset. Numquid non vere *Admirabilem* eum singulifumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum. Hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere, quod diligebamus, dolere, unde lætabamur, amplecti, quod timebamus, sequi, quod fugiebamus, optare, quod contemnebamus. *Admirabilis* plane, qui hæc operatur mirabilia, Sed nihilominus & *Consiliarium* sese exhibeat necesse est in electione Pœnitentiæ, & vitæ ordinatione: ne forte sit nobis absque scientia zelus, & voluntati bonæ prudentia desit. Sane opus est, ut *Deum* quoque probemus, in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac salus nobis constare potest: & nemo potest dimittere peccata nisi solus *Deus*. Verum ne id quidem sufficit ad salutem: nisi *fortem* quoque experiamur in expugnando impugnantes nos ne ab eisdem rursus concupiscentiis superemur, & fiant novissima nostra peiora prioribus. Videturne jam aliquid deesse *Salvatori*? Plane deesset, quod maximum est, nisi & *Pater* esset *futuri sæculi* ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc fatis, si non etiam *Princeps pacis* Patri nos reconciliaret, cui traditurus est *Regnum*: ne forte sicut filii perditionis utique, non salutis, resurrecturi videremur ad penam. „ Multiplicabitur sane ejus imperium, ut merito *Salvator* dicatur etiam pro multitudine salvandorum: & pacis non erit finis, ut veram noveris esse salutem, quæ non possit timere defectum. Hæc *S. Bernardus*. Summa igitur animi devotione veneremur, & invocemus *Nomen novum*, quod *os Domini nominavit*. Fidem, spem, charitatem in *Salvatorem* excitet, accendat, augeatque in cordibus nostris nomen salutis; cujus officium statim adimplevit *Christus*, cum illud accepit, sanguinem suum fundere incipiens sub cultro circumcisionis, ut has sanguinis sui primitias *Deo Patri* offerret velut arrham, & pignus totius pretii, quod in cruce persolaturus erat, pro omnium hominum, maximeque *Fidelium*, redemptione totum sanguinem fundens. Nomen quod *Mille continet thesauros bonorum*, quod *Angeli* reverentur, quo audito demones contremiscunt, eo majori veneratione, & amore prosequamur, quo *Propter nos, & propter nostram salutem descendit de cælis, & noster*, non *Angelorum Jesus*, id est, *Salvator* appellatus est. Non enim *Angelos, sed semen Abrahamæ apprehendit*. Demus igitur operam, ne sit nobis inutile culpa nostra nomen *Jesu*, ne judicem experiamur, quem nolumus habere *Salvatorem*. Invocemus nomen *Jesu*, quod *quicumque, ut par est, invocaverit, salvus erit*. *Nemo potest dicere,*

Omnia Filii Dei nomina ad unum nomen Jesu referuntur.

Isai. 9.

Cant. 1.

Veneratio, & invocatio nominis Jesu.

Isai. 62.

S. Jo. Chryl. Homil. 4. in Matth.

Hebr. 2.

Dominus Jesus, nisi Sp. Sancto: Sed si dicit factis, non solis verbis. Possunt enim dicere, Dominus Jesus, Heretici, & qui in peccatis mortalibus ja-
cent, de quibus tamen ait Christus: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælis, ipse intrabit in Regnum cælorum.* Dicit & de quibusdam *Apostolus: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Quemadmodum negatur factis, sic dicitur factis. Hoc modo dicendi. Nemo dicit, Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto, inquit S. Augustinus Serm. cclxx. alias xx. ex editis a P. Sirmondo.)

1. Cor. 2.

Ad Tit. 1.

§. III.

CHRISTUM.

Cur nomini Jesu Christi nomen addatur?
CHRISTUS, *Propheta, Sacerdos, & Rex.*

I. JESU nomini CHRISTI etiam nomen additum est, quod *Unctum* significat, & officii nomen est, ac honoris. Ungebantur enim olim Prophetæ, Sacerdotes, & Reges. Cum porro Jesus Salvator noster in mundum venit, Prophetæ, atque Doctoris, Sacerdotis, ac Regis partes, & officia suscepit, ideoque *Christus* dictus est, unctus scilicet ad illorum munerum functiones, non quidem alicujus mortalis opera, sed cælestis Patris virtute; non terreo unguento, sed spiritali oleo, scilicet Spir. Sancti plenitudine, gratiæque, & omnium donorum uberrima in sanctissimam ejus animam effusione. Quod præclare David ostendit, his eum verbis compellans: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Idem etiam demonstravit *Isaias* ex ipsius Redemptoris persona loquens: *Spiritus (inquit) Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me &c.* Quod oraculum in se impletum Christus testatur *Lucæ IV.* Ac proinde verus est *Messias*. Idem enim *Hebræis* hoc nomen significat, quod *Græcis* *Christus*. Verus, inquam, *Messias* est promissus a Prophetis. Unde cæcus *Judæorum* populus frustra alium expectat.

Lev. 8.
1. Reg. 12.
3. Reg. 19.

Psalm. 44.

Isai. 41.

Gen. 49.
Dan. 9.

II. Itaque Jesus Christus summus Prophetæ, & Magister fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, a quo terrarum orbis Patris cælestis cognitionem accepit. De quo *Moyse* *Israëlitico* populo prædixit: *Prophetam de gente tua. & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Et infra: *Et ait Dominus mihi; Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Hinc *Judæis* ait Christus: *Si crederetis Moyse, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* De illo Dominus ait: *Eccete stem populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem Gentibus.* De illo *Isaias* ait: *Et non faciet avolare a te ultra Ductorem tuum: & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.* Ideo se missum ait, ut testimonium perhibeat veritati. Quotquot extiterunt Prophetæ, ejus discipuli fuerunt, atque ob illam præcipue causam missi, ut Prophetam hunc, qui ad salvandos omnes venturus erat, prænunciarent. Tria vero præcipue docuit; primo fidem; & cultum unius verique Dei; secundo, ejus præmium, quod est *Regnum cælorum*; tertio, viam, qua ad illud pervenitur.

Christus summus
Propheta,
& Magister.
Deut. 18.

Joan. 5.

Isai. 55.

Isai. 30.

Joan. 18.

Quæ Christi docuit

Gentes imprimis docuit verum Dei cultum, & ea de causa se illum misisse testatur Deus Pater, ut Gentes ab idololatriæ tenebris ad lucem fidei, ac salutem transferret. *Dedi te, inquit, in fœdus populi, in lucem Gentium;*
ut ape-

II. 42. & 49.

Christus
Gentes docuit
verum; Dei cultum.
Joan. 4.

Joan. 17.

ut aperires oculos cæcorum. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Ipse etiam Christus testatur se in mundum venisse ut diabolo ejecto, Deus ab omnibus agnosceretur, & coleretur, tum Pater, tum ejus Filius unicus. „ Ego veni, inquit, ut vitam habeant, & abundantius habeant, &c. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam, &c. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Hinc S. Aug. Libro De vera Religione, Cap. LV. ait: Quod ergo colit sumus Angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens Angelus, aliunde homo; aliunde ille verax, aliunde homo; sed ab una incommutabili sapientia, & veritate. Nam id ipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam ipsa Dei Virtus, & Dei Sapientia incommutabilis, & consubstantialis Patri, & coæterna suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali, & rationali colendum est.

Docuit
Christus,
quæ sit vera
felicitas &
quomodo
ad illam
perveniamus.

Docuit præterea Christus quis sit, & ubi quærendus finis ultimus noster, veraque, ac sempiterna felicitas. Eam non in hac vita quærere, sed in futura sperare jussit, ac *Regnum celorum* appellavit. Docuit denique viam, qua ad illud tenditur, ac pervenitur, illo præsertim mirabili Sermone, quem in Monte ad Discipulos habuit, omnia præcepta, quibus vita Christiana informatur, exponente. Hinc S. August. Epist. cxxxvii. ad Volusianum alias 111. ostendit in Christo venisse hominibus *Magisterium, & adjutorium ad capeendam sempiternam salutem*. Non verbis autem dumtaxat, sed vita, atque factis doctrinam salutis expressit ad humani generis imitationem. Qua de re eleganter S. August. Lib. vii. De Trinitate, cap. 111. „ Nos autem, inquit, nitentes imitamur manentem, & sequimur stantem, & in ipso ambulantes tendimus ad ipsum, quia factus est nobis via temporalis per humilitatem quæ mansio nobis æterna est per divinitatem. Quoniam quippe Spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei, & Deo equalis & Deus præbet exemplum ut se idem exemplum redeundi etiam lapsi præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum, pœnamq; mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, non mutando divinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo, & formam servi accipiens venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est; ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum: exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem se qui non debebat nisi Deum, & sentire non poterat Deum; sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul & quem sentire poterat, & quem sequi debebat. Quod & alibi breviori sententia exprimit, si tamen ipsius est Sermo ccclxxi. alias De diversis LII. Homo sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur; & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.

Summa doctrinæ
Christi.

Summam Doctrinæ Christi accurato compendio S. Aug. explicat Libro De vera Religione, cap. xvi. *Satellites, inquit, voluptatis divitiis perniciose populi appetebant; pauper esse voluit. Honoribus, & imperiis inhiabant; Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant: tale conjugium, prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria, quam justum, innocentemque dam-*
nari?

nari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant, morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus Crucem putabant, crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vile fecit. Omnia, quæ vitare cupientes a studio deviabamus veritatis, perpetiando deiecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi aut dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.

2. Secunda dignitas, ad cujus exercendas functiones Jesus Salvator noster spirituali oleo, scilicet plenitudine Sp. Sancti unctus fuit, est Sacerdotium. Sacerdos enim fuit, non quidem ex ordine Aaron, ex quo in veteri Legge Leviticæ Tribus Sacerdotes extiterunt; verum ex illo, de quo David Prophetæ cecinit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: cujus rei argumentum Apostolus ad Hebræos scribens cap. VII. accurate persecutus est. Quæ quidem Sacerdotis dignitas ipsi ab æterno non convenit, ut Deo; sed in tempore, ut homini: sive secundum humanam naturam, ab ipsa statim Incarnatione, Sacerdotio suo functus est, cum *In diebus carnis sue preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Cum in Cruce velut altari *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, ipse Sacerdos, & victima; & sic Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa; scilicet in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei, pro nobis semper interpellans*: Christus enim Jesus *Orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur a nobis*. *Orat pro nobis, ut Sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster*. *Agnoscamus ergo in illo voces nostras, & voces ejus in nobis* (inquit S. Augustinus Enarratione in Psalm. LXXXV.) *illum Tertullianus apposite, & eleganter Catholicum Patris Sacerdotem appellat, idest, generalem; vel quia solus oblationum, donorum, ac sacrificiorum genera omnia Deo Patri offert: vel quia unus omnibus sufficit, ut & pro universis hominibus illa offerat, & omnes per illum offerant sacrificia, & orationes suas, cujus unius interventu, ac merito Deo placent, ac probantur. Oramus scilicet ad illum, per illum, in illo, ut loquitur S. Augustinus*. Sacerdotii denique sui officium in hoc etiam exequitur, quod per vicarios Sacerdotes in Catholica Ecclesia ritu simili cum Melchisedech, *Verissimum, & singulare sed incruentum sacrificium corporis, & sanguinis sui, toto orbe terrarum offerre non desinit*.

3. Unctus est insuper Jesus, ut Rex justitiæ, & pacis, ob idque Christus est appellatus. Regiæ namque Christi dignitati Scriptura Sacra passim suffragatur. Pl. II. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Item, *Postula a me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Pl. LXXI. *Deus judicium tuum Regi da, &c.* Jer. XXIII. *Et regnabit Rex, & sapiens erit*. Zach. IX. *Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi Justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pulum filium asinæ*. Angelus etiam ejus Incarnationem Virgini Matri annuntians, Regem declarat: *Regnabit, inquit, in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*. Rex Judæorum, & Rex Israël passim appellatur: & ubi de extremo judicio agit, ac de sententia ab se pronuncianda, se Regem esse significat: *Tunc dicit Rex his, qui a dextris ejus erant, &c.* Regnum porro Christi spirituale est, & æternum, non terrenum, ac temporale; nec hæreditario, aut humano jure illi obtigit, tametsi genus a clarissimis Regibus duceret: *Regnum meum inquit, non est de hoc mundo*. Sed Rex fuit, propterea quod Deus in illum hominem contulit quicquid potestatis, amplitudinis, dignitatis hominis natura

Christus
Sacerdos.

Psalm. 109.
Hebr. 5.
Ephes. 5.

Hebr. 9.

Christus
orat pro nobis,
& in nobis, & oratur a nobis.

Lib. contra
Marcionem,
cap. 9.

S. Aug. Lib.
de Spiritu,
& Littera. c.
11.

Christus
Rex justitiæ
& pacis.

Lucæ 1.

Matt. 25.

Joan. 18.

tura

- Conc. Tri.
Cath. tura capere posset. Illi igitur totius mundi regnum tradidit, eique omnia, quod jam fieri cœptum est, plene, perfecteque in die iudicii subji-
entur, *Cum tradiderit Regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem*. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subiecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Quæ quidem non eo spectant, ut Christus Regia Potestate exuere se debeat post generalem omnium hominum resurrectionem, sed quod hostibus omnibus debellatis, Ecclesiam suam, idest, electos omnes Deo Patri offeret, seque ipsum secundum naturam assumptam, cum corpore suo mystico illi in æternum subiectum profitebitur, ingentem illam: & ineffabilem gloriam Regni, cujus non erit finis, & cujus felicitas, paxque sempiterna erit, non sibi tribuens, sed Patri acceptam referens: *Ut sit Deus omnia in omnibus*, idest, ut innotescat, Deum auctorem esse omnium bonorum, tam ipsius Christi hominis, quam totius Regni ejus, idest omnium electorum, ex quibus solistunc Regnum ejus constabit, ac propterea solus Deus in omnibus glorificetur, & laudetur in secula seculorum.
- r. Cor. 15. Regnum igitur Christi in terris inchoatur in cælo perficitur. Ac Regis quidem officia admirabili providentia suæ præstat Ecclesiæ. Ipse eam regit, ipse ab hostium impetu, atque insidiis tuetur; ipse ei leges præscribit observatione facillimas, atque suavissimas: *Jugum enim ejus suave est, & onus leve*. Mandata ejus non sunt *Sarcinæ onerati, sed alæ volaturi*. Ipse non solum sanctitatem, & justitiam largitur; verum etiam ad perseverandum facultatem, & vires præbet. Rex idem est, & Sacerdos, ad utramque functionem a Deo unctus: *Rex pugnavit pro nobis: Sacerdos obtulit se pro nobis* (inquit S. Aug. Enarratione in Psal. cXLIX.) Quamvis autem hujus Regni finibus tam boni, quam mali contineantur, atque adeo omnes homines jure ad illud pertineant; ii tamen præ ceteris regiam ejus bonitatem, & beneficentiam experiuntur, qui ex ejus præceptis integram, atque innocentem vitam agunt. *Quod est enim ejus Regnum, nisi credentes in eum?* (inquit S. Augustinus Tract. cxv. in Joannem.) A Christo dicimur Christiani, idest, uncti, per doctrinam illius illuminati, per Sacerdotium, & sacrificium a peccatis expiati, per Regiam potestatem contra tentationes invidi. Quamvis data sit illi *omnis potestas in cælo, & in terra*, Charitate magis, quam auctoritate nos regit: nostris consulit utilitatibus, non suis, cum bonorum nostrorum non egeat: nobis dominatur, ut nos ad æternam felicitatem perducatur: totum se nobis impendit. *Pertransit benefaciendo, & sanando omnes*: Legem immaculatam, convertentem animas tradit, adjutoria præbet ad illam implendam efficacissima. Illam implet, qui cælestem illum Regem amat. Nullum aliud tributum exigit, nisi amoris. Rex est sapientissimus, & faciens judicium, & justitiam in terra. Vitam suam pro subditis omnibus, etiam perduellibus exponit, & proposito gaudio pro illis crucem sustinet. Ipsorum inimicos prosligat, & Satanam sub eorum pedibus conterit *Rex virtutum, Dominus fortis, & potens in prælio, Rex gloriæ*. Incomparabili mansuetudine ipsos regit, pastorem illis potius se exhibens, quam Regem. Facilem omnibus ad se præbet aditum: omnes invitat, omnes absque personarum, & conditionum discrimine complectitur, fovet, tuetur, *Omnibus equalis, omnibus Rex* (inquit Tertullianus.) Totus nobis datus, totus nostros expensus in usus, nos fratres suos vocare dignatur, ad mensam suam admittit, in consortium Regni sui nos vocat, immo nos
- Christi Regnum inter. ra inchoatur in cælo perficitur.
- Christi Regis beneficia.
- Matth. 23.
- Act. 10.
- Jerem. 23.
Psal. 23.
- Ezech. 37.
22.

nos Deo Regnum, & Sacerdotes facit. Christo igitur Deo, ac Regi nostro in omnibus obediamus, qui & Rex noster est jure nativitatis, & jure victoriæ, & jure electionis; siquidem in Baptismo illum elegimus, nosque illius imperio; ac dominationi in perpetuum addiximus. Illi fideliter serviamus, cui servire, regnare est: ne ipsius offendendo Majestatem dicamus factis, sin minus verbis: *Nolumus hunc regnare super nos*. Rex omnis terræ Deus sit Rex cordis nostri. Nihil in nobis ejus imperio reluctetur; nec tumultuentur cupiditates; ordinata sint omnia, & in summa pace, quæ tranquillitas ordinis est, pareant principi pacis. Regnum Dei sit intra nos, non ad tempus, sed in æternum. Judæis ne similes simus, qui Regem Christum recusaverunt, & Regem Cæsarem elegerunt. *Est quidem & Cæsar Rex homo hominibus ad humana, sed alius Rex est ad divina: alius Rex ad vitam temporalem, alius ad æternam. Rex terrenus sub Rege cælesti, Rex cælestis super omnia. Non ergo illi, quia dixerunt se habere Regem Cæsarem, peccaverunt; sed quia Regem Christum habere noluerunt. Et modo multi Christum Regem in cælo sedentem, & ubique regnantem habere nolunt. Ex illorum numero ne simus. Illi dicamus ex animo, Tu es ipse Rex meus, & Deus meus. Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum sæculi. Diabolo gloriæ illius, nostræque salutis inimico fortes in fide resistamus: in hoc enim uncti sumus a Christo, ut contra diabolum luctemur, nec pacem cum illo unquam habeamus. Ideo nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit (inquit S. Augustinus Tract. 33. in Joannem) Immaculatam vitam agamus, quia Christi corpus sumus, immo Christus ipse, per unctionem inhabitantis in nobis Spiritus ejus. Inde autem apparet (inquit S. Augustinus Enarratione in Pl. xxvi.) Christi corpus nos esse, quia omnes unguimur, & omnes in illo & Christi, & Christus sumus, quia quodammodo totus Christus caput, & corpus est.*

Denique, Si Reges triumphorum suorum titulis nuncupantur (inquit S. Petrus Chrysologus, Serm. LVII.) & subjectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta: ita Christus bonorum suorum titulis nuncupatur: a Chrismate enim vocatus est Christus, qui Divinitatis unguentum aridis jam mortalium membris pius Mediator infudit. Et ut a chrismate Christus: sic Jesus vocatus est a salute; qui ob hoc nos divino infudit unguento, ut ægris certam salutem, perditis perpetuam redderet sanitatem.

§. IV.

FILIIUM EJUS UNICUM.

CHRISTUS verus Deus, Deique Filius est.

Due in Christo nature.

His verbis profiteamur Jesum Christum Filium Dei esse, & verum Deum, sicuti Pater est, qui cum ab æterno genuit; non eo modo, quo illi dicti sunt Dii, ad quos sermo Dei factus est; & quo Moses dictus est *Deus Pharaonis*, sed natura eadem, & essentia, quæ Patris est, & Sp. Sancti. Illum, inquam, sanctissimæ Trinitatis secundam Personam, aliis duabus omnino æqualem confitemur, unius essentia, sapientia, voluntatis, & potestatis cum Patre, ipsique consubstantialem, & coæternum, ut Nicæni Concilii Patres in suo Symbolo explicatius tradiderunt, contra hæresim Arii Presbyteri Alexandrini, qui Filium Dei aliquando non fuisse, & ex iis, quæ non sunt factum esse, & alterius esse substantiæ ac essentia, quam Patrem, creatum denique, impie, ac pertinaciter asserbat. Contra hanc igitur Hæresim credere nos profiteamur, secundum Symbolum Nicænum. *In unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum ante omnia sæcula,*

Nostra erga
Christum
Regē officia.Apoc. 1. &
5.

Lucæ 19.

S. Aug.
Enar. in
Psalm. 55.Psalm. 43.
Psalm. 144.

secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Filii porro divinitas, sive Patris, & Filii consubstantialitas, omnimodaque, & perfecta æqualitas, multis Scripturæ Sacræ oraculis aperte probatur contra veteres, & novos Arianos, sive Socinianos; tum istis præsertim Novi Testamenti.

Matth. XVI. ,, Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei
 ,, vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona, quia
 ,, caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.

Joannis I. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &
 ,, Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum fa-
 ,, cta sunt. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc
 ,, mundum. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Jo. X. Oves meæ
 ,, vocem meam audiunt. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in eter-
 ,, num, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi,
 ,, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego, & Pater
 ,, unum sumus. Non dixit, *Ego, & Pater unus sumus*, quod Personarum
 unitatem significaret, sed, *unum sumus*, quod significat unitatem essentia. Si
 vero sola unitate concordia, & affectus unum essent; quemadmodum Fideles
 dicuntur cor unum, & anima una, quod dedit ei Pater, majus omnibus non
 esset: sola enim divinitas est, qua nihil est, aut esse potest majus, vel co-
 gitari: nec æqualis omnino, & eadem Patris, & Filii potestas esset; quod
 tamen significant hæc Christi Domini verba: *Et non rapiet eas quisquam de
 manu mea: & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Jam vero potestas, &
 essentia in Deo non distinguuntur; quicquid enim est in Deo, Deus est.

Atque hoc sensu Christi verba Judæi intellexerunt, ipseque sic intelligenda
 confirmavit. ,, Responderunt ei Judæi. Tu homo cum sis, facis te ipsum
 ,, Deum. Respondit eis Jesus. Quem Pater sanctificavit & misit in mun-
 ,, dum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio
 ,, opera Patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, & si mihi non vultis
 ,, credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, &
 ,, ego in Patre. Joannis XIV. Creditis in Deum, & in me credite. Si cogno-
 ,, vissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis, & amodo cognoscetis eum,
 ,, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & suffi-
 ,, cit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis
 ,, me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Joannis XVI. Omnia quæ
 ,, cumque habet Pater, mea sunt. Joannes XX. Deinde dicit Thomæ: Infer di-
 ,, gitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in
 ,, latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & di-
 ,, xit ei: Dominus meus, & Deus meus. Act. XX. Attendite vobis, & univer-
 ,, so gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,
 ,, quam acquisivit sanguine suo. Quibus verbis significatur, Jesum Christum,
 qui Ecclesiam sanguine suo acquisivit, esse verum Deum. Ad Rom. IX.
*Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus
 in secula.* Ad Gal. I. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem,
 sed per Jesum Christum, & Deum Patrem. Non est igitur Christus purus
 homo, sed Deus homo, Deique Filius: *Qui cum in forma Dei esset, non
 rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, ut ait idem Apostolus ad Philip-
 penses scribens, c. 11. Et ad Col. I. ,, Qui est imago Dei invisibilis, pri-
 ,, mogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in
 ,, cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia. Omnia per ipsum, & in
 ,, ipso creata sunt, & ipse est ante omnes: & omnia in ipso constant. Ad
 ,, Hebr. I. Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hære-

Filius Dei
 verus Deus
 consubstan-
 tialis Patri.

Joan: 10.

dem univerſorum, per quem fecit & ſæcula, qui cum ſit ſplendor gloriæ,
 & figura ſubſtantię ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purga-
 tionem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram Majeltatis in excelsis: tan-
 to melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæredita-
 vit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego ho-
 die genui te? Et rurfum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Fi-
 lium? Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et
 adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui fa-
 cit Angelos ſuos ſpiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium
 autem: Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi, virga æquitatis, virga
 regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit te
 Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. Et, Tu in prin-
 cipio, Domine, terram fundavi, & opera manuum tuarum ſunt cęli;
 ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut veſtimentum vetera-
 ſcent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem
 ipſe es, & anni tui non deficient. 1. *Joannes v.* Scimus, quoniam Filius
 Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſi-
 mus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. *Apoc. I.*
 Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus,
 qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens. Loquitur autem
 idem ipſe, qui venturus eſt in nubibus, quem videbit omnis oculus, &
 qui eum pupugerunt, & ſuper quem plangent omnes tribus terræ, Jeſus
 Chriſtus Judex vivorum, & mortuorum, de quo & cap. iv. dicitur: "
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt,
& qui venturus eſt.

Sed cum Jeſum Chriſtum Filium Dei, & a Patre genitum eſſe dicimus,
 vel audimus, nihil terrenum, aut mortale de illius generatione cogitandum
 eſt: nec Filium minorem Patre, nec Patrem antiquiorem Filio, aut abique
 Filio aliquando fuiſſe; ſed Filium coæternum Patri; generationem mutationis
 omnis, & corruptionis expertem: non ſubſtantię divinæ partem, cum di-
 vina ſubſtantia ſimpliciſſima ſit, indiviſibilis, immutabilis; ſed totam eſſen-
 tiam divinam, ac perfectiones omnes, quas complectitur, abſque diſiſione
 Filio communicatas æterna illa generatione credere debemus. Cujus qui-
 dem divinę generationis Myſterium ratione percipere, atque perfecte intel-
 ligere nullo modo poſſumus; ut cum Propheta potius exclamandum ſit:
Generationem ejus quis enarrabit? Nefas eſt nescire, quod natus ſit Dei Fi-
 lius, ſed non licet diſcutere, quemadmodum natus ſit: credere convenit,
 non perſcrutari. *Perfecta ſcientia eſt ſic Deum ſcire, ut licet inenarrabilem, ta-
 men non ignorabilem ſcias* (inquit S. Hilarius.) *Credendus eſt, intelligendus eſt,*
adorandus eſt, & his officiis eloquendus eſt. Et S. Athanaſius Oratione III.
 contra Arianos: *Indecorum eſt, ait, quærere, quomodo ex Deo Verbum exi-
 ſtat: aut quomodo ſit Dei ſplendor: aut quomodo generet Deus: & quis ſit mo-
 dus generationis Dei. Inſanus enim ſit, qui talia audeat: cum inexplicabilem
 rem, ac divinę naturę propriam, ſolique ipſi & ejus Filio cognitam oratione
 ſua declarare conetur.*

Ex omnibus autem, quæ ad indicandum modum, rationemque æternę ge-
 nerationis ſimilitudines afferuntur, illa propius ad rem videtur accedere,
 quæ ab animi noſtri cogitatione ſumitur. Quamobrem S. Joannes Filium Dei
 Verbum appellat. Ut enim mens noſtra ſeiſpſam quodam modo intelligens
 ſui effingit imaginem, quam Theologi verbum dixerunt; ita Deus (quan-
 tum tamen divinis humana conferri poſſunt) ſeiſpſum intelligens, Verbum
 æternum generat. *Quod eſt, de his omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo, ut*
 loqui-

Æterna Fi-
 lii Dei ge-
 neratio.

1ſai. 53.

Libr. 2. De
 Trinitate.

Libr. 15. De
 Trinitate
 cap. 14.

loquitur S. August. Verbum illud non est sonus transiens, aut exterior locutio, non est verbum prolatitium, sed interiori locutione, sive cognitione perfectissima, & perfectissime assimilatrice, hoc est divina, genitum, in quo nihil minus, aut amplius est, quam in ipso Patre, ejus imago subsistens, in eo manens, eique per omnia æqualis. „ Verbum autem Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, & quicquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad alterius cognitionem proferatur: sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit dignis animis secretissimus Pater, Verbum ejus convenientissime nominatur. Inter animum autem nostrum, & verba nostra, quibus eundem animum ostendere conamur, plurimum distat. Nos quippe non gignimus sonantia verba, sed facimus: quibus faciendis materia subjacet corpus. Plurimum autem interest inter animum, & corpus. Deus vero, cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit: neque de nihilo, neque de aliqua jam facta, conditaque materia; sed de se ipso, id quod est ipse. Hoc enim & nos conamur, cum loquimur.: Quid enim aliud molimur, nisi animum ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum, & perspiciendum animo auditoris inferre; ut in nobis ipsi quidem maneamus, nec recedamus a nobis, & tamen tale indicium, quo fiat in altero nostra notitia, proferamus; ut quantum facultas conceditur, quasi alter animus ab animo, per quem se indicet, proferatur? Id facimus conantes & verbis, & ipso sono vocis, & vultu, & gestu corporis, tot scilicet machinamentis id quod intus est demonstrare cupientes; quia tale aliquid proferre non possumus: & ideo non potest loquentis animus penitus innotescere; unde etiam mendacis locus patet. Deus autem Pater, qui verissime se indicare animis cognituris, & voluit, & potuit, hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse, qui genuit.“ Sic explicat S. Augustinus Libro De Fide, & Symbolo c. III.

Cum præceptor discipulum docet, isque doctoris sui scientiam perfecte assequitur, eadem in discipulo, quæ in præceptore scientia est natura, distincta dumtaxat origine. Scientia enim præceptoris principium est, & origo, ex qua scientia discipuli derivatur: sic una divinitas est, una mens, una cogitatio, una sapientia secundum naturam in Patre, & Filio: sed in Patre sine principio, in Filio de principio, quia Deus de Deo est, ex ingenito genitus, ex mente, & corde Patris velut ex utero genitum verbum. Immo sicut in nobismetipsis eadem rationis natura est in verbo, quod cogitamus, & in verbo, quod loquimur; ita eadem est Divinitas in Patre intelligente, & in verbo, quod loquitur, quod in ipso est, & pariter Deus est, per quem omnia facta sunt. *Id quo facilius intelligas, ex te ipso ante recognosce, ut ex imagine, & similitudine Dei, quam habeas, & tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali scilicet artifice non tantum factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. Vide cum tacitus tecum ipse congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, & ad omnem sensus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est; & dum loqueris collocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo. Ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago, & similitudo censeris, quod habeat in se etiam tacendo rationem, & in ratione sermonem? Explicatio est Tertulliani Libro Adversus Praxeam, cap. v. Sicut etiam Christus*

Christus Eucharistiam in ultima Cœna consecrans, seipsum sub Sacramento produxit: & idem erat secundum naturam Christi Corpus, idem secundum substantiam Sanguis in ipso Christo, & sub Sacramento, atque ita *Manibus suis ferebatur*, ut ait S. Augustinus; sed tamen statu, licet non substantia alius erat Christus sub Sacramento, & in seipso; quia Christus in seipso spectatus producens erat seipsum sub Sacramento, consecratione Panis: Christus vero sub Sacramento productus erat ipsis verbis Consecrationis ab ipso metropolitano: ita Pater, & Filius sunt unus Deus, unus (inquam) naturæ, & substantiæ unitate, quamvis Filius sit alius a Patre ratione originis, quia Pater principium est, & ingenitus; Filius ex Patre velut ex principio genitus: quia *Omnis origo parens est; & omne, quod ex origine profertur, progenies est: multo magis sermo Dei, qui etiam proprie Filii nomen accepit* (inquit Tertullianus Lib. *Adversus Praxeam.*) Alius est igitur a Patre, *Personæ, non substantiæ nomine: distinctione, non divisione.*

Coæternum Patri Filium credimus, eamque coæternitatem similitudinibus quibusdam explicamus, quibus tamen fides nostram nititur. Prima petitur ex igne, & luce, apposite quidem, quia Filius Dei *Candor est lucis æternæ*. Ignis lucem fundit, lux ab igne funditur. Splendor de igne, non ignis de splendore existit. Splendor igni coævus est. Da sempiternum ignem, & do sempiternum splendorem. Candor de luce gignitur, & tamen gignenti coæternus est candor. Semper lux, semper candor ejus. Genuit candorem suum, sed nunquam fuit sine candore suo. Cum ergo videas splendorem igni esse coævum, persuasum habe Deum generare Filium sibi coæternum. Altera similitudo petitur ex virgulto super aquam orto, & ejus imagine, in aqua apparente, non minus apposite, quia Filius *Speculum est sine macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius*. Imago hominis intuentis speculum, de speculo existit, mox ut aspector extiterit: & cum quisque vel transit, vel stat super aquam, videt ibi imaginem suam. Ponamus ergo aliquid natum super aquam, velut virgultum, aut herbam, nonne cum imagine sua nascitur? Mox ut incipit existere, incipit cum illo existere imago ejus: non præcedit nascendo imaginem suam, sed nascitur cum imagine sua; & tamen imago ab illo, non illud ab imagine. Itaque & generans, & quod genitum est, simul esse cœperunt. Ergo coævæ sunt. Si semper virgultum, semper & imago de virgulto. Potest ergo semper esse generans, & semper cum illo, quod de illo natum est. Hinc intellige coæternum Filium natum æterno Patri. Verum cum in similitudinibus allatis sit inæqualitas, & splendor minus luceat quam ignis, & imago virgulti minus sit existens, quam virgultum ipsum, jungamus duo similitudinum genera, ut Patris, & Filii æqualitatem simul, & coæternitatem exponamus. Homo hominem generat, equus equum, & pecus pecudem. Ad eandem substantiam venerant ista, sed non ad idem tempus. Diversa sunt tempore, sed non sunt diversa natura. Quid ergo laudamus in ista nativitate? Certe æqualitatem naturæ. Quid autem deest? Æqualitas temporis. Teneamus hic unum, quod laudatur, id est, æqualitatem naturæ. In illo autem genere similitudinum, quod dedimus de splendore ignis, & de imagine virgulti, æqualitatem naturæ non invenis, invenis coævitatatem. Conjunge, quæ laudas. In creaturis enim deest aliquid, quod laudas, in Creatore deesse nihil potest: quia, quod invenis in creatura, a Creatore artifice processit. Quid ergo in coævus? Nonne hoc Deo dandum, quod ibi laudas? Quod autem deest, non tribuendum Majestati, in qua nullus defectus est. Tribue ergo illi ex isto genere similitudinum pro coævitate coæternitatem, ut coæternus sit natus cum eo, a quo natus sit. De alio autem similitudinum genere quid ibi laudas? Æqualitatem naturæ.

Filius Dei
Patri coæternus.

Sap. 7. 26.

Ibidem.

Jam propter illam distinctionem dederas Filio Dei coæternitatem; da propter istam, æqualitatem; & perfecta est nativitas ejusdem substantiæ. Hæc S. Augustini expositio est Serm. cxvii. alias xxxviii. De Verbis Domini, & Serm. cxiiii. alias xiiii. ex editis a P. Sirmondo.

Dux in Christo natura.

Quædam de ipso in Scriptura Sacra dicuntur secundum formam Dei, alia secundum formam servi.

Joan. 10.

Joan. 14.

S. Aug. lib. 1. De Trin. c. 7. 11. 12.

Joan. 1.

Gal. 4.

Joan. 10.

Joan. 6.

Joan. 5.

Matth. 26.

1. Joan. 5.

Philipp. 2.

Joan. 16.

Joan. 17.

Joan. 7.

Marci 13.

Gen. 22.

Joan. 15.

Prov. 8.

Quia porro Jesum Christum non solum verum Deum, sed & verum hominem; genitum quidem, ut Deum ante omnium sæculorum ætates ex Patre: ut hominem autem natum in tempore ex Matre M. Virgine, credendum fides proponit: *Eundem consubstantialem Patri secundum divinitatem; eundem consubstantialem nobis secundum humanitatem: ex duabus, & in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter, subsistentem*, ut Concil. Chalcedonense contra Eutychnam Hæresim credendum definit: hinc sequitur, ut eorum, quæ de Christo Jesu in Scripturis Sacris dicuntur, quædam ad divinam, alia ad humanam naturam sint referenda. Nam de se secundum formam Dei dixit, *Ego, & Pater unum sumus*: idemq; de se ipso dixit secundum formam servi, *Pater major me est*, secundum quem modum etiam seipso minor est Filius, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Neq; enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri. Non itaq; immerito Scriptura utrumq; dicit, & æqualem Patri Filium, & Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi sine ulla confusione intelligitur. Et hanc nobis regulam per omnes S. Scripturas dissolvendæ hujus Quæstionis Apostolus tradit, ad *Philippenses*, cap. 11. ubi manifestius istam distinctionem commendat. Ait enim: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Est ergo Dei Filius Deo Patri natura æqualis, habitu minor. In forma enim servi, quam accepit, minor est Patre: in forma autem Dei, in qua erat etiam, antequam hanc accepisset, æqualis est Patri. Secundum formam Dei, *Omnia per ipsum facta sunt*: secundum formam servi, ipse *Factus est ex muliere, factus sub Lege*. Secundum formam Dei, *Ipsè & Pater unum sunt*. Secundum formam servi, *Non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui eum misit*. Secundum formam Dei, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*: secundum formam servi, *Tristis est anima ejus usq; ad mortem: & Pater, inquit, si fieri potest, transeat a me Calix iste*. Secundum formam Dei, *ipse est verus Deus & vita æterna*: secundum formam servi, *Factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis*. Secundum formam Dei, omnia quæ habet Pater, ipsius sunt: *Et omnia mea tua sunt*, inquit, *& mea tua*: secundum formam servi ait, *Mea Doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*. Et, *De die illo vel hora nemo scit, neq; Angeli in celo, neq; Filius, nisi Pater*. Hoc enim nescit, quod nescientes facit, idest, quod non ita sciebat, ut tunc Discipulis indicaret: sicut dictum est ad Abraham, *Nunc cognovi, quod timeas Deum*, idest, Nunc feci, ut cognosceres, quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam & illud utiq; dicturus erat Discipulis tempore opportuno, de quo futuro tamquam præterito loquens, ait: *Jam non dicam vos servos sed amicos: quia omnia quæcumq; audivi a Patre meo, nota vobis feci*: Eo scilicet genere locutionis nescire quisq; dicitur, quod occultat, quo dicitur fossa cæca, quæ occulta est. Neq; enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humana non inveniatur: quia utiq; hominibus loquuntur. Secundum formam Dei dictum est, *Ante omnes colles genuit me*, idest, ante omnes altitudines creaturarum, & *Ante Luciferum genui te*, idest, ante omnia tempora, & temporalia: secundum formam autem servi dictum est, *Dominus possedit me*, vel (ut habet alia Versio) *Creavit me*

in

in principio viarum suarum: quia secundum formam Dei dixit, *Ego sum Veritas*; & secundum formam servi, *Ego sum via*. Quia enim ipse primogenitus & mortuis iter fecit Ecclesiæ suæ ad Regnum Dei, ad vitam æternam, cui caput est ad immortalitatem etiam corporis, ideo creatus est in principio viarum Dei in opera ejus. Secundum formam Dei, *Principium est, quod & loquitur nobis*: secundum autem formam servi, *Sponsus procedens de thalamo suo*. Secundum formam Dei, *Primogenitus omnis creaturæ, & ipse ante omnes est, & omnia in illo constant*: secundum formam servi, *Ipsa est caput corporis Ecclesiæ*. Secundum formam Dei, *Dominus est gloriæ*: secundum formam servi, fatagentibus Discipulis de glorificatione sua respondit, *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*: id est, non est humane potestatis hoc dare, ut per illud intelligatur hoc dare, per quod Deus æqualis est Patri. *Non est meum, inquit, dare, id est, non humana potestate ista do, sed quibus paratum est a Patre meo*. Sed jam tu intellige: quia si omnia, quæ habet Pater, mea sunt, & hoc utiq; meum est, & cum Patre ista paravi. Eodem sensu, & hæc Christi Domini Sententiæ intelligendæ sunt: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non judico eum. Non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, aut quid loquar*. Id est, qui in me credit, non in hoc, quod videt, credit, ne sit spes nostra in creatura, sed in illo, qui suscepit creaturam in qua humanis oculis appareret, ac sic ad se æqualem Patri contemplandum per fidem corda mundaret. Ideoq; ad Patrem referens intentionem credentium, & dicens: *Non in me credit, sed in eum, qui me misit*, non utiq; se a Patre, id est, ab illo, qui eum misit, voluit separari, sed ut sic in eum crederetur, quomodo in Patrem, cui est æqualis. Quod aperte alio loco dicit, *Creditis in Deum, & in me credite*: id est, sicut creditis in Deum, sic & in me; quia Ego, & Pater unus Deus. Ait etiam *Ego non judicabo*; cum ipse judicaturus sit vivos, & mortuos: sed quia non ex potestate humana, propterea recurrens ad deitatem, sursum erigit corda hominum, propter quæ sublevanda descendit. Itaque utrumque dici potest, & Filius hominis judicabit: &, Filius hominis non judicabit: quia Filius hominis judicabit, ut verum sit, quod ait, *Cum venerit Filius hominis, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes*; & Filius hominis non judicabit, ut verum sit quod ait, *Ego non judicabo*; & *Ego gloriam meam non quero: est qui querat, & judicet*. Nam secundum id, quod in judicio non forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit, nec ipse Pater judicabit: secundum hoc enim dictum est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Deniq; quod ait, *Ego ex meipso non sum locutus*, si ad formam Dei referatur, sic intelligendum est, Ego non ex me natus sum. Si enim verbum Patris loquitur, seipsum loquitur: quia ipse est verbum Patris. Plerumq; etiam ait, *Dedit mihi Pater*. In quo vult intelligi, quod eum genuerit Pater, non ut tamquam jam existenti, & non habenti dederit aliquid; sed seipsum dedisse, ut haberet, genuisse est, ut esset. Ita Scripturarum loca, quæ Ariani in suæ patrociniū Hæresis detorquebant, una serie S. Aug. explicat Lib. I. De Trinit. Cap. VII. XI. & XII.

Sed & aliam Regulam tradit initio Lib. II. ad intelligendas Script. Sacræ de Filio locutiones necessariam. „ Quædam, inquit, ita ponuntur in Scripturis

Joan. 14
Joan. 5.

Par est operatio Patri & Filio, sed a Patre est Filio.

Ibid.

de Patre, & Filio, ut indicent unitatem, æqualitatemq; substantiæ, sicuti est, *Ego, & Pater unum sumus: & Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: & quæcumq; talia sunt. Quædam vero ita, ut minorem ostendant Filium propter formam servi, idest, propter assumptam Creaturam mutabilis, humanæq; substantiæ, sicuti est, quod ait: Quoniam Pater major me est: & Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Quædam porro ita, ut nec minor, nec æqualis tunc ostendatur, sed tantum, quod de Patre sit, intimetur, ut est illud, Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso. Et illud, Nequus enim potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Hæc enim ideo dicta sunt, quia incommutabilis est vita Filii sicut Patris, & tamen de Patre est; & inseparabilis est operatio Patris, & Filii, sed tamen ita operari Filio de illo est, de quo ipse est, idest de Patre; & ita videt Filius Patrem, ut quo cum videt, hoc ipse sit Filius. Non enim aliud illi est esse de Patre, idest nasci de Patre, quam videre Patrem; aut aliud videre operantem, quam pariter operari. Sed ideo non a se, quia non est a se. Et ideo, quæ viderit Patrem facientem, hæc eadem facit & Filius similiter, quia de Patre est. Neque enim alia similiter, sicut pictor alias tabulas pingit, quemadmodum alias ab alio pictas videt; nec eadem dissimiliter, sicut corpus easdem litteras exprimit, quas animus cogitavit: sed, Quæcumq; inquit, hæc eadem & Filius similiter facit. Et, Hæc eadem dixit, & similiter. Ac per hoc inseparabilis, & par est operatio Patri, & Filio, sed a Patre est Filio. Ideo non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. His igitur, & similibus locis, non Filium Patre minorem, sed de Patre esse Scripturæ significant: his Non inæqualitas, sed Nativitas ejus ostenditur. De Filii Divinitate, & consubstantialitate plura dabit Dissertatio nostra.*

xxxix in Historiam Ecclesiasticam sæculi Quarti.

Christiani cum Deo, & iter se unum esse debent per charitatem, ut nature ac substantiæ unitatem in Patre, & Filio honorēt, ac pro viribus imitentur,

Matth. 5.48.

Rom. 12. 5.

Sicut Pater, & Filius in adoranda Trinitate sunt unum unitate substantiæ, ita Christiani inter se unum esse debent unitate affectus, & concordia animorum, quod fit per charitatem, ut in illis impleatur, quod Christus Patrem rogavit, Joan. XVII. *Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos: Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus: Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum. Illam enim unitatem Christus discipulis suis adprecatur, quam homines consequi possunt: at cum Christus unum sit cum Patre & essentia, & concordia, solam concordia unitatem homines consequi possunt: solam igitur unitatem concordia illis adprecatur. Sicut cum ait: *Estote perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est: illos ad infinitam, & divinam sanctimoniam non adhortatur, sed ad eam, ad quam homines aspirare possunt, divinæ sanctimonie imitationem. Cum ergo Multi unum corpus simus in Christo, unoq; ejus Spiritu vegetari debeamus, ita debemus esse charitate conjuncti, ut omnium nostrum, sicut primorum Christianorum sit Anima una, & cor unum. Eo autem major inter nos erit animorum unitas, quo major erit charitas; eo major charitas, quo minus regnabit iniquitas.**

Hanc Christi pro electis suis Patrem rogantis sententiam præclare S. August. explicat Lib. iv. De Trin. cap. ix. ubi observat, ipsum non dixisse, *Ego & ipsi unum; quamvis per id, quod Ecclesie caput est, & corpus ejus Ecclesia, possit dicere, Ego & ipsi, non unum, sed unus, quia caput, & corpus unus est* Chri-

Christus: sed Divinitatem suam consubstantiali Patri ostendens (propter
 „ quod & alio loco dicit, *Ego, & Pater unum sumus*) in suo genere hoc est
 „ in ejusdem naturæ consubstantiali paritate, vult esse suos unum; sed in
 „ ipso: quia in se ipsis non possent, dissociati ab invicem per diversas volu-
 „ ptates, & cupiditates, & immunditias peccatorum: unde mundantur per
 „ Mediatorem, ut sint in illo unum: non tantum per eandem naturam, qua
 „ omnes ex hominibus mortalibus æquales Angelis fiunt, sed etiam per eandem
 „ in eandem beatitudinem conspirantem concordissima voluntate, in unum spiri-
 „ tum quodammodo igne charitatis conflam. Ad hoc enim valet, quod ait:
 „ *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*: ut quemadmodum Pater, & Filius,
 „ non tantum æqualitate substantiæ, sed etiam voluntate unum sunt; ita,
 „ & ii, inter quos & Deus Mediator est Filius, non tantum per id, quod ejus-
 „ dem naturæ sunt, sed etiam per eandem dilectionis societatem unum sint.

Per charitatem autem unum esse fideles inter se non possunt, nisi sint u-
 num cum Deo eadem illa charitate, qua *Qui Deo adheret, unus spiritus est*:
 & *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Sic mutuam illam,
 & ineffabilem divinæ Personarum immanentiam, qua Pater in Filio, & Fi-
 lius in Patre est, sic admirabilem illam & adorandam unitatem, qua unum
 sunt, æmulamur. Hinc S. Hilarius in Pl. cxxxi. *Cælestis est, inquit, secun-*
1. Cor. 6. 17,
1. Joan. 4. 16
1. Joan. 4. 16
 dus Adam, qui Verbum caro factum est.: In hoc ergo Verbo Deus tamquam
 in celo habitat, in eo scilicet, quod ex se, ac suum est, manens, per eum in eis
 quoque, qui cælestes sunt, habitans, sicut ipse ad Patrem ait, Ut omnes unum
 sint, sicut ego in illis, & tu in me. Ergo si qui in Adam limus fuimus, nunc
 cælestes sumus in Christo, & Christus habitator est nostri: per habitantem Christum
 in nobis, etiam ille quoque habitator est nostri, cui est habitans Christus in nobis ha-
 bitatio. Hinc & S. Bernardus ser. Lxxxi. in Cantica: Nunc, inquit, cum & ipse
 in Patre, & Pater in ipso sit, non est, quo claudicet unitas, sed vere, perfe-
 ctæque unum sunt ipse, & Pater. Sic igitur Anima, cui adherere Deo bonum
 est, non ante se existimet ipsi perfecte unitam, nisi cum & illum in se, & se
 in illo manentem persenserit. Non quia vel tunc unum dicatur cum Deo, sicut
 unum sunt Pater, & Filius: quamvis, qui adheret Deo, unus spiritus est.:
 Quid ergo dicit Filius? Ego in Patre, & Pater est in me, & unum sumus: Di-
 cit homo: Ego in Deo, & Deus in me est, & unus spiritus sumus.

Sed & alium modum adinvenit bonitas Dei, quo nos & cum ipso, & cum
 fratribus, unum efficeret, sacram scilicet Eucharistiæ Communionem. Quo-
 modo enim non cum Deo, & cum fratribus unum sumus, qui eodem Chri-
 sti corpore pascimur, eodem Spiritu sanctificamur? Qua de re præclare S.
 Cyrillus Lib. xi. in Joannem: Ut ad unitatem, inquit, cum Deo, & inter nos
 contenderemus, atque nos una commisceremur, licet corporibus, & animis alii
 ab aliis differamus, rationem quamdam excogitavit Unigenitus per convenien-
 tem sibi sapientiam, & consilium Patris. Uno enim corpore, suo nimirum,
 Fideles omnes benedicens, per mysticam Communionem cum eos sibi, tum et-
 iam inter se corporales efficit. Quis enim eos, qui per illud unum sanctum Cor-
 pus ad unitatem cum Christo conjuncti sunt, a naturali inter se unione remo-
 verit? ::. De unione vero spiritali dicemus rursus, nos omnes accepto uno,
 & eodem Spir. Sancto nimirum, commisceri quodammodo & inter nos, & cum
 Deo. Licet enim multi simus, & in unoquoque nostrum Christum Spiritum Pa-
 tris, ac suum inhabitare faciat; unus tamen est, & indivisibilis, qui Spiri-
 tus invicem distinctos, quatenus singulariter subsistunt, in unitatem colligit per
 seipsum; & omnes velut unum quid cerni faciat in seipso. Quemadmodum e-
 nim sanctæ Carnis virtus concorporales reddit eos, in quibus est, eodem mo-
 do unus in omnibus indivisibilis inhabitans Dei Spiritus ad unitatem spiritualem

Per sacram
 Eucharistiæ
 Communio-
 nē cū Deo,
 & cum fra-
 tribus u-
 num sumus.

omnes cogit.: Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum. Est enim nobis Filius, corporaliter quidem ut homo, nobiscum commixtus, & unicus per Eulogiam mysticam: spiritualiter autem ut Deus sui Spiritus virtute, & gratia, spiritum, qui in nobis est instaurans ad novitatem vitæ, & divinæ sue naturæ consortes faciens.: Consummati ergo sumus in unitate cum Deo, ac Patre, Christo mediante. Suscipiendo quippe in nobis & corporaliter, & spiritualiter eum, qui natura & vere Filius est, qui substantialiter cum eo habet unionem, supremæ Naturæ participes, & consortes facti glorificati sumus.

§. V.

Christus una Persona est, & Filius unicus Patris Æterni, ac Beate Mariæ Virginis.

Duplicem Christi nativitatem agnoscimus, & confitemur, unam ex Deo Patre ante omnia sæcula, alteram ex Maria Virg. Matre in plenitudine temporis: adeoq; & duas naturas, divinam, & humanam: Christum tamen Filium unicum Patris, eundemq; Filium unicum Virginis Matris. Una enim persona est, in quam divina, & humana natura conveniunt. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. Agit utraq; forma cum alterius communiōe, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Unum horum coruscet miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab equalitate Paternæ gloriæ non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Unus enim idemque est vere Dei Filius, & vere hominis Filius (inquit S. Leo) Idem est in forma Dei, qui formam suscepit servi. Idem est incorporeus manens, & corpus assumens. Idem in sua virtute inviolabilis, & in nostra infirmitate passibilis. Idem a paterno non divisus throno, & ab impiis crucifixus in ligno. Idem super cælorum altitudinem victor mortis ascendens, & usq; ad consummationem sæculi universam Ecclesiam non relinquens. Nam Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & Christus vocatus est Filius Dei, ut Angelus prænunciavit, & cum baptizatus in Jordane est a Joanne, audita est vox Patris dicentis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et, Judæi Dominum gloriæ crucifixerunt: & qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. Denique Scripturæ Sacræ passim Jesum Christum tamquam unum, & eundem adjungunt, & annumerant Patri: Unus Deus Pater, ex quo omnia (inquit Apostolus) & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, &c. Non igitur secundum gratiam dumtaxat, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel equalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, seu virtutem, aut bonam voluntatem, Deus homini in Christo copulatus est, & confœderatus. Non morali dumtaxat consociatione una persona est, qualis est amicorum unio, qualis est sponsi, & sponsæ consociatio, qualis est iustorum ad Deum adhæsiō, ratione cujus Qui adhæret Deo, unus spiritus est; qualis ex auctoritatis, & potestatis divinæ miracula faciēda communicatione quadam confurgit, propter quam Moyse Deus Pharaonis constitutus dicitur: sed unione physica, hypostatica, personali, natura divina, & humana in Christo unitæ sunt, & adstrictæ. Verbum caro factum est, non carnis hospes: Deus homo factus, non hominis habitator: non meri hominis sanguine redempti sumus, quod redemptioni nostræ impar pretium extitisset; sed hominis Dei, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis. Vivifica non fuisset Christi caro, si exteriori dumtaxat contubernio, seu morali fœdere consociata illi fuisset Deitas, non medullitus, & substantialiter inserta Verbi vita. Duæ igitur naturæ, divina, & humana,

scilicet

S. Leo Ep. 24
alias 10. ad
Flavianum.

Joan. 1.

Luc. 1.

Luc. 3.

1. Cor. 2.

Ephes. 4.

1. Cor. 8.

S. Cyrillus

Anathem

3. Synodus

8. Collat. 8.

Can. 4.

Exod 7. 1

S. Cyr. Dial.

Quod unus

sit Christus.

citra confusionem, conversionem, & divisionem sese intime permeantes, unite sunt in uno Filio Salvatore nostro Jesu Christo, ut loquitur Conc. Chalcedonense Act. v. Et quemadmodum ex animæ rationalis, & corporis mutua coexistentia una hominis persona concrevit: ita ex intima immissione, & pervasione utriusque naturæ in Christo, sive ex eo, quod natura humana divinæ conferta sit, ab illa; ut a nobiliori, & potentiori sustentetur, una est persona Christi: Unde in Symbolo, quod S. Athanasii nomine inscriptum canit Ecclesia, dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus.* Et S. August. Epist. cxxxvii. alias III. ad Volusianum, cap. III. Personam Christi mixturam esse Dei, & hominis asserit, sicut hominis persona mixtura est animæ, & corporis: neque tamen hic mixtionis nomen intelligendum secundum consuetudinem corporum, eo modo quo duo liquores ita permiscuntur, ut neuter fervet integritatem suam, sed eo modo, quo lux incorrupta permiscetur aeri. Naturam enim divinam, & humanam ita se permeare, ut integræ, incorruptæ; indivisæ, inconfusæ permaneat, ex iisque fiat una persona Christi, sicut ex anima, & corpore fit una persona hominis. *Verbum, inquit, in principio, per quod facta sunt tempora, tempus elegit, quo susciperet carnem, non tempori cessit, ut verteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus a se recessit. Sic autem quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret Persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit; quasi rationem ipsi reddant de re, quæ quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ, & corporis; in hac Persona mixtura est Dei, & hominis: si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam: quamquam & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis mixtura est animæ, & corporis: persona autem Christi mixtura est Dei, & hominis. Cum enim Verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, & simul & animam suscepit, & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines, hoc semel factum est ad liberandos homines. Non sic tamen assumpta est a Verbo divino humana natura, ut prius creata postmodum assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.*

Unicam esse Christi Jesu Personam in duabus naturis subsistentem Ephesina Synodus Generalis sub Cælestino I. Pontifice Maximo congregata defini- vit, damnata Nestorii Episcopi Constantinopolitani Hæresi, duas in Christo hypostases, sive personas asserentis. Istud Fidei Catholicæ dogma confir- mant duæ eloquendæ Incarnationis formulæ, quasi tesserae quædam fidei a Patribus usurpatæ. Prima his verbis exprimitur, *Una est natura Dei Verbi incarnata.* Hac enim Propositione significatur in Christo unicam esse Per- sonam, scilicet Verbum divinum, sive Filium Dei: naturas vero duas, scili- cet naturam divinam, quæ Verbo, sive Filio cum Patre, & Sp. Sancto com- munis est, ac in tribus illis adorandis Personis omnino eadem: & naturam humanam, seu naturam carnis assumptæ. Illud enim S. Joannis oraculum, *Et Verbum caro factum est,* naturam integram hominis assumptam a Verbo divino significat figurata locutione in Scripturis non infrequenti, qua pars pro toto sumitur, ut Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam,* idest: omnis ho- mo. Ps. lxxvii. 39. *Et recordatus est, quia caro sunt.* Ps. cxliv. *Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto ejus.* Lucæ 3. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Rom. 3. *Quia ex operibus legis non jus- tificabitur omnis caro,* idest omnis homo. I. Cor. i. *Infirma mundi elegit De- us, &c. Ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.* Hæc igitur sententia,

Quomodo
persona Chri-
sti mixtura
fit Dei & ho-
minis?

Due eloquē-
dæ incarna-
tionis for-
mulæ a Pa-
tribus usur-
patæ.

bum caro factum est, non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personæ sit caro suscepta, in cujus utriusque nomine homo totus accipitur, inquit *S. Leo Serm. xxvi. sive vii. In Nativitate Domini*. Verbum autem carnem factum potius quam hominem, consulto scripsit *S. Joannes* suggerente Sp. Sancto, ut Filii Dei humiliationem summam, sive exinanitionem luculentius exprimeret, quod infirmitatem nostræ naturæ assumpserit. Hanc porro eloquendæ Incarnationis formulam, *Una Verbi natura incarnata*, usurpant *S. Cyrillus Alexandrinus* Epistola ad *Successum*, in Lib. *Ad Reginas*, & ad *Anathematismum viii. contra Orientales*, & *S. Athanasii* auctoritate confirmat: *Petrus Diaconus* Lib. *De Incarnatione*, & *Gratia*, cap. 11. *Gelasius* Lib. *De duabus Naturis*, *Ephræmius* Patriarcha Antiochenus, & *Eulogius* Episcopus Alexandrinus in *Bibliotheca Photii* Cod. *xxix. & ccxxx.*

Altera loquendi formula, ab Ecclesia consecrata, qua in Christo unicam esse Verbi personam in duabus naturis subsistentem confirmat, hæc est: *Christus est una de Trinitate Persona: Unus de Trinitate crucifixus est carne*. Quam quidem Propositionem approbant *S. Proclus* Epistola ad Armenos, *S. Fulgentius* Libro *De Incarnatione*, & *Gratia*, cap. x. Quinta Synodus Canone x. *Joannes II. Pontifex Maximus* Epist. 111. ad Senatores. *Facundus Hermianensis* Libro 1. cap. 111. *Ferrandus* Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus in Epistola ad *Anatolium* S. R. E. Diaconum. *Salva igitur proprietate utriusque naturæ, & in unam coeunte personam, suscepta est a Majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus, atque idem Dei hominumque Mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex altero* (inquit *S. Leo Serm. i. in Nativitate Christi*.)

De unitate Personæ Christi plura legi possunt in *Dissertatione nostra 111. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi v. De duabus vero Naturis* videri potest *Dissertatio iv.*

S. VI.

Christus Homo non est Filius adoptivus Dei, sed naturalis.

EAdem, qua credimus, fide Christum esse Filium Dei unicum, pariter credendum est Filium adoptivum Dei non esse, sed naturalem. Adoptio namque extraneæ personæ electio, liberaque assumptio est ad hæreditatem. At Christus homo non est persona extranea, sed verus, propriusque Dei Filius, natura, & æterna generatione, non voluntate, & electione, secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis. Unicum porro esse Dei Filium verum, & proprium in utraque natura subsistentem, *Scripturæ Sacræ* probant oracula. *Lucæ 1. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Non ait Angelus, Adoptivus vocabitur (id est erit) Filius Dei, sed absolute Filius Dei, *Joan. 1. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre*. Non scripsit, duorum filiorum, quorum unus genitus sit, alter adoptivus; sed Unigeniti. Item, *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. *Joan. III. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Qui autem pro salute mundi a Patre datus, Homo Deus est Christus Jesus. *Joannis IX. hominem, qui fuerat cæcus a nativitate, cuique visum restituerat, in Templo sibi obvium Salvator interrogavit, Tu credis in Filium Dei? Et respondente illo: Quis est, Domine, ut credam in eum? dixit ei Jesus: Et vidisti eum,*

eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo, Domine; & pro-
cidens adoravit eum. Quin etiam Pater cęlestis semel, iterumque hominem
illum, quem coram mortales intuebantur, Filium esse suum testatus est,
Matth. III. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Lucę
IX. *Hic est Filius meus dilectus*: idest, interprete S. Leone, Serm. xciv.
five Homilia de transfiguratione, *Hic est Filius meus, non adoptivus, sed
proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi fa-
ctus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis.* Ad hæc, S. Petrus
interroganti Christo, quem se esse crederent, utique cum ipsis ambulantem,
& pro homine se gerentem, ex cęlesti Patris instinctu respondit: *Tu es
Christus Filius Dei vivi.* Præterea S. Paulus ad Romanos scribens cap. viii.
Proprium Dei Filium appellat, qui pro nobis morti traditus est. *Qui proprio,*
inquit, *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomo-
do non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et c. i. Epistolę ad Hebręos,
Filius, quem Deus misit in mundum, *Per quem novissime locutus est, quem
constituit heredem universorum, eundem esse profitetur, per quem fecit &
secula, & qui splendor est glorię Patris, & figura substantię ejus.* Hunc de-
nique S. Joannes verum Dei Filium, ac Deum nominat, Epist. i. c. v. *Et
simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Quæ sane filiis
Dei adoptivis minime conveniunt.

Matth. 19.

Idem confirmant Conc. Nicęnum, & Constantinopolitanum in Symbolo;
quo Ecclesia *Unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum* profite-
tur, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cęlis,
& incarnatus, & homo factus est.* Item Hadrianus I. Pontifex Maximus, &
Francofordiensis Synodus ex variis Provinciis congregata, cui Legati ejus
interfuerunt, in qua Felix & Elipandus Hispani Episcopi damnati sunt,
quod Christum adoptivum Dei Filium assererent. Legi potest Synodi Fran-
cofordiensis Ep. ad Episcopos Hispanię; Paulini Aquilejensis Episcopi *Liber
Sacrosyllabus*, & Libri tres contra Felicem; Etherii Episcopi, & Beati Pres-
byteri, Hispanorum, Libri duo contra Elipandum; Alcuini Libri adversus
Felicem, & Elipandum; nec non Agobardi Lugdunensis Episcopi adversus
eamdem Hæresim editi, quam Scripturę Sacrę, & veterum Patrum con-
sistentibus testimoniis, & validis rationibus refellunt.

Neque vero Christum filium esse adoptivum Dei, colligere licet ex eo,
quod S. Augustinus gratia filium Dei esse Christum doceat, quatenus homo
est, Libro *De Prædestinatione Sanctorum*, cap. xv. & alibi. Loquitur enim
de gratia unionis, qua naturę humanę, nullis ejus meritis præcedentibus,
præstitum est, ut Verbo Patri cœterno personaliter conjuncta sit, in eo-
que subsistat, & eadem cum ipso adoratione colatur; non de gratia ado-
ptionis, quę cum naturali filietate pugnat. *Ea gratia fit ab initio fidei sue
homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Chri-
stus.* Gratiam utrobique S. Augustinus prædicat, quia nec in homine Chri-
sto merita præcesserunt ulla, quibus natura humana in personę divinę u-
nitatem assumeretur; nec ulla præcedunt in nobis, ut Christiani simus: sed
non gratiam ejusdem generis. Nam gratia humanę naturę communicata,
quę est ipsa persona Verbi divini illam assumens, sibi que conferens, & co-
pulans, hic homo Filius Dei naturalis veraciter, & proprie dicitur, *Ne non
Trinitas, sed quaternitas credatur*: nos vero gratia regenerationis filios dum-
taxat adoptivos efficit. Ratio discriminis est, quia Christo *Non ad mensu-
ram dat Deus Spiritum.* Pater enim *diligit Filium, & omnia dedit in manu
ejus*; ut dicitur Joan. III. „ Pater diligit Joannem, & non dedit omnia in
manu ejus: diligit Petrum, & non dedit omnia in manu ejus: Pater dili-
git

Gratia u-
nionis, non
gratia ado-
ptionis,
Christus
quatenus
homo Filius
est Dei.

S. Aug. tr.
14. in Joan.

git Filium, quomodo unicum, non quomodo adoptatum; itaque omnia dedit in manu ejus. Quid est omnia? Ut tantus sit Filius, quantus est Pater. Ad æqualitatem enim sibi genuit eum. Hinc Christus quoties de Deo, ut suo, nostroque Patre sermonem fecit, sibi aliter, nobisque aliter Patrem esse significavit. Ascendo, *inquit*, ad Patrem meum, & Patrem vestrum, *Non ait*, „ Ascendo ad Patrem nostrum. *Cui dicimus*, Pater noster, *nisi Patri Christi?* „ (*inquit S. Augustinus.*) Qui ergo Patri Christi dicit, Pater noster, quid dicit Christo, nisi frater noster? Non tamen sicut Christi Pater, ita & Pater noster. Nunquam enim Christus ita nos sibi conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos, & se. Ille enim Filius æqualis Patri, Patri- que cœternus, nos autem facti per Filium adoptati per Unicum. Proinde nunquam auditum est de ore Domini nostri Jesu Christi, cum ad Discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo Patre suo, *Pater noster*, sed aut Pater meus dixit, aut Pater vester... Unum nos vult esse in se, unum autem Patrem, & se.

Joan. 20. 17.

Idem Tr. 21.
a. Joan.Adoptionis
gratia per
Christum
donati su-
mus. Joan. 1.

Ex eo autem, quod Filius Dei naturalis sit Christus, & secundum generationem divinam unicus per ipsum in tempore natum ex Virgine donavit nos adoptionis gratia Pater cœlestis. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus (*inquit S. Joannes.*) Magna benevolentia, magna misericordia (*ait S. August.* *Tractat. 11. in Joannem.*) Unicus natus est, & noluit manere unus. Multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia omnia solus possessurus est, & non habebit, qui cum eo dividat hæreditatem, ne pauperior remaneat. Non sic Deus. Unicum eundem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, misit in hunc Mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit Unigenitus solvere peccata, quibus peccatis implicabamur, ne adoptaret nos propter impedimentum eorum; quos sibi fratres facere volebat, ipse solvit, & fecit cohæredes. Sic enim dicit Apostolus: *Si autem filius, & hæres per Deum.* Et iterum: *Hæres quidem Dei, cohæres autem Christi.* Non timuit ille habere cohæredes: quia hæreditas ejus non sit angusta, si multi possederint. Illi ipsi certe eo possidente fiunt hæreditas ipsius & ipse vicissim fit hæreditas ipsorum. Audi, quomodo ipsi fiunt hæreditas ipsius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. *Ille quomodo fit hæreditas eorum? Dicit in*

Gal. 4.
Rom. 8.Nos hære-
ditas Chri-
sti, & hære-
ditas nostra
Christus.

Psalm. 2.

Psalm. 15.

Joan. 1.

Psalmo: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. „ Et nos illum possideamus, & ipse nos possideat: ille nos possideat, ut Dominus; nos illum possideamus sicut salutem, nos possideamus sicut lucem. Quid ergo dedit his, qui receperunt illum; *Dedit potestatem Filios Dei fieri. Hi non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ut autem homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus. Non quæsit quidem nisi Matrem in terra, quia jam Patrem habebat in cœlo: natus ex Deo, per quem efficeremur: & natus ex femina, per quem reficeremur. Noli ergo mirari, o homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundum Verbum ejus. Prius ipsius Verbum nasci voluit ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo. & diceres tibi: Non sine causa Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur.

Dei

Dei ergo filii adoptivi per Christum facti fratres ab illo non solum dicimur, sed & fratrum loco habemur, ut una cum eo paternæ hæreditatis gloriam adipiscamur, si tamen ea quæ ab illo præcipiuntur, impleamus. Unicus enim similis nascendo, nos similes Deum diligendo, & recte vivendo. Quæ similitudo in nobis perficietur, cum *Videbimus eum sicut est*. Fratres ergo Christi sumus in quantum gratia filii Dei sumus, cujus ille natura Filius unicus est. Unde ab Apostolo vocatur *Primogenitus in multis fratribus*. Hæc gratia dignitasque fraternitatis Christi Angelis minime convenit, qui Christo consubstantiales, & concorporales non sunt, cum corporis expertes sint, nec eorum naturam Dei Filius assumpserit. Nobis vero de Christo dicere licet: *Caro nostra, & frater noster est*. Ex Adamo enim, quantum ad substantiam corporis, tam Christus est, quam nos sumus. „ Qui enim sanctificat, & qui „ sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur, „ fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in me- „ dio Ecclesiæ laudabo te... Et iterum, Ecce ego, & pueri mei, quos de- „ dit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, „ & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, „ qui habebat mortis imperium, idest diabolum... Nusquam enim Angelos „ apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit. Unde debuit per omnia fra- „ tribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & repro- „ pitaret delicta populi (inquit Apost. cap. II. Epist. ad Hebræos.) Hinc homines justi cum homine Christo unus fiunt Christus, ut S. Augustinus colligit ex illis Apostoli verbis: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, „ omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus; ita & Christus.* Non dicit: *Ita & Christi, idest, corpus Christi, vel membra Christi, sed ita & Christus: unum Christum appellans caput, & corpus.* Observatio est S. Aug. Lib. I. De Peccatorum meritis & Remiss. c. xxxi. Plura de hoc argumento dabit Dissertatio nostra 7. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi VIII.

1. Joan. 3. 2.

Rom. 8.

Gen. 37.

Hebr. 2. 11.

Psalm. 17.

Isai. 8.

Homines
justi cum
homine
Christo fi-
unt unus
Christus.

Rom. 12. 4.

§. VII.

DOMINUM NOSTRUM.

Cur Christus Dominus noster appelletur? An servus aliqua ratione dici possit?

Eorum, quæ de Christo in S. Litteris dicuntur, quædam ipsi conveniunt, ut Deus est; alia, ut homo; quoniam a diversis naturis diversas earum proprietates accepit. Igitur vere dicimus Christum esse omnipotentem, æternum, immensum, quod a divina natura habet. Rursus vere de illo dicimus, passum, mortuum esse, resurrexisse; quæ secundum naturam humanam ei conveniunt. Verum præter hæc quædam alia utrique naturæ congruunt, ut *Domini nostri* appellatio. Nam quemadmodum ipse æternus Deus est, ut Pater, etiam omnium rerum que Dominus est, & unus quidem cum Patre Dominus. Sed multis etiam rationibus, ut homo est, Dominus noster optimo jure appellatur. Primo, quia est Redemptor noster, morteque sua nos a peccatis, & a diaboli servitute liberavit, sibi que vindicavit. Unde Apostolus ad Phil. 11. scribit: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ipseque Christus de se post Resurrectionem ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Et quamvis pro nobis mortuus non esset, nihilominus tamen Dominus omnium diceretur ob unitatem personæ, quæ duas naturas, divinam, & humanam

Conc. Trid.
Catech.

Christus etiam ut homo, noster Dominus est.

Matt. 28. 18.

manam admirabiliter conjunctas sustentat, & complectitur. Verum cum sit rerum omnium conditarum Dominus, præcipue tamen Fidelium, qui illi serviunt, & summo animi studio obsequuntur, Dominus est. Ideo nos credere profiteamur *In Jesum Christum Dominum nostrum*: quibus verbis admoneamur quotquot in Christo per Baptismum renati sumus; quotquot habemus redemptionem per sanguinem ejus; ut totos nos ei dedicemus, qui nos a Diaboli servitute liberavit, sibi que peculium, & populum acquisitionis fecit. Nam cum essemus servi peccati, ob idque justitia Dei in potestatem diaboli traditum esset genus humanum, clementissimus Dominus nostri misertus, nos ab ejus tyrannide eripuit, justitia magis quam potentia contra illum usus. Sola, inquam, auctoritate nos imperio, ac jure *Principi hujus mundi*, cujus ultro nos servituti addixeramus, Christus non eripuit; sed justitia, mortem patienti pro nobis; ut SS. Patres docent præsertimque, S. *Aug. Lib. XIII. De Trinitate, c. XII. & XIII.* „ Modus iste, *inquit*, quo traditus est homo in „ diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, „ aut fieri jusserit: sed quod tantum permiserit, juste tamen: illo enim de- „ ferente peccantem, peccati author illico invasit. Nec ita sane Deus de- „ seruit creaturam suam ut non se illi exhiberet Deum creatorem & vivifi- „ cantem, & inter pœnalia mala etiam bona multa præstantem. Non enim „ continuit in ira sua miserationes suas. Nec hominem a lege suæ potesta- „ tis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit: quia neque ipse diabo- „ lus a potestate Omnipotentis alienus est, sicut neque a bonitate. Si ergo com- „ missio peccatorum per iram Dei justam hominem subdidit diabolo, profecto „ remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam eruit hominem a „ diabolo. Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit. Nam „ quid omnipotente potentius? Aut cujus creaturæ potestas potestati Creatoris „ comparari potest? Sed cum diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator „ potentiæ, & desertor, oppugnatorque justitiæ... Placuit Deo, ut propter „ eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia „ vinceretur, atque ita & homines imitantes Christum justitia quererent diabo- „ lum vincere, non potentia... Quæ est igitur justitia, qua victus est dia- „ bolus? Quæ, nisi justitia Jesu Christi? Et quomodo victus est? Quia cum in eo „ nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est, „ ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo „ debito occidit. Hoc est, quod justificari dicimur in Christi sanguine. Sic „ quippe in remissionem peccatorum nostrorum innocens Sanguis ille fusus est. Sic destructo principis tenebrarum imperio, a crudelissimo illo tyranno domi- „ nium in se transtulit Christus, nosque suavissimo jugo suo subdidit: ut qui dia- „ bolo, & mundo nos renunciare, & Jesu Christo totos nos tradere in Baptismo „ declaravimus, non jam ex mundi, & diaboli legibus, ac moribus, sed ex „ Christi Domini, ac Redemptoris nostri institutis, ac præceptis vivamus. Sua- „ vissima vox est dicentis: *Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis, „ sum etenim. Sed vide, quid repositat: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum „ ego feci, ita & vos faciatis.* Equum igitur est nos ipsos non secus ac man- „ cipia Redemptori nostro, ac Domino in perpetuum addicere, & conservare.

Christus ju-
stitia magis
quam po-
tentia dia-
bolum vi-
cit.

Quid Chri-
sto Jesu, ut
Domino no-
stro debea-
mus.

Joan. 13.

I. Cor. 6.

Luc. 22.

vissima vox est dicentis: *Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Sed vide, quid repositat: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Equum igitur est nos ipsos non secus ac mancipia Redemptori nostro, ac Domino in perpetuum addicere, & conservare.

Non estis vestri (inquit Apostolus) *empti enim estis pretio magno*, scilicet pretioso sanguine Agni immaculati. Quamobrem liberati a peccato, servi autem facti Deo, ne nos diaboli servituti iterum subjiciamus, sed Christo Domino fideliter serviamus. Gratias immortales agamus amantissimo Servatori, qui tametsi nos in potestate sua, & dominatu veluti servos Sanguine suo redemptos habeat, ea tamen charitate complectitur, ut non servos vocet, sed amicos, sed fratres, Sed & ministrum agere inter Discipulos suos di-
gnatus

gnatus est. *Ego (inquit) in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

Verum hæc vocabula non æqualitatis, sed similitudinis, cognationis, & charitatis sunt. Nam, quod ad humanam naturam attinet, habitu quidem inventus est, ut homo, receptis in se omnibus incommodis, quæ naturæ veritatem comitantur, ut exsolveret, quod commerueramus; sed interim gratia; & veritate semper plenus, nempe in quo inhabitavit omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, expers omnis peccati, & ad peccandum proclivitatis, erroris, ignorantix, & omnium, quæ divinæ personæ infinitæ dignitati, & sanctitati non congruunt. Unde quamvis *Formam servi* Filius Dei suscepit, idest, naturam, cui suapte essentia convenit subjectio, & servitus, quia creata est; eoque nomine servus ab *Isaia* nuncupetur, ubi ait, *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi*; Patriq; suo subjectus fuerit, ad opera etiam, & munia servorum ex charitate se demittens, & factus sit obediens usque ad mortem; non tamen conditione servus est; quod servitutis genus originem habet ex peccato, ut illius pœna. Conditionalis enim illa servitus dignitati Filii Dei repugnat. Nam, qui ita servus est, eadem cum eo, cui subjectus est, conditione non censetur, nec jus habet ad hæreditatem. Hinc Apostolus Christum cum Angelis conferens, in eo discrimen inter illos constituit, quod servi sint, & ministri Dei, ille vero Dei Filius: *Tanto melior*, inquit, *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, &c.* Rursus Christum cum Mose comparans, illum isto longe præstantiorem esse ex eo probat, quod Moses famulus, Christus Filius. *Et Moses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus vero tamquam Filius in domo sua.* Servilis itaque conditio cum Filio Dei pugnat. Christus autem homo revera Dei Filius est: repugnat igitur, ut conditione servus appelletur.

Christus in forma servi sine conditione servili Phil. 2.

Isa. 49.

Heb. 1.

Hebr. 3.

Id confirmat *S. Augustinus* a Conc. Francofordiensi in Epistola Synodica citatus: *Dominus noster, inquit, etiam in forma servi non servus; sed in forma etiam servi Dominus fuit.* Et Tract. III. in Joannem, ad illa verba, *Lex per Mosem data est; Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*, ait: *Per servum Lex data est, reos fecit: per Imperatorem indulgentia data est, reos liberavit. Lex per Mosem data est; non sibi aliquid amplius servus assignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tamquam fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundum Legem potest, solvere a reatu Legis non potest.*

Idem confirmat *S. Leo* Ser. II. in Nativ. Domini, c. III. *Assumpta est, inquit, de matre Domini natura, non culpa. Creata est forma servi sine conditione servili: quia Novus Homo sic, contemperatus est veteri, ut & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.*

Præterea, cum *Felix Urgellitanus*, & *Elipandus Toletanus*, Episcopi Hispani, Christum non solum Filium Dei adoptivum, sed & *servum conditionalem* assererent, utrumque errorem egregie, ac luculenter editis contra illos Libris confutarunt *Paulinus Aquilejensis* Episcopus, & *Alcuinus*: damnarunt *Hadrianus I.* Pontifex Maximus in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Conc. Francofordiense in Epistola Synodica. Prophetæ quidem servum nominarunt, sed in umbris Veteris Testamenti, dum per servos adumbrabatur: *Sed postquam cessavit umbra veritatis, & ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegorica silva latebat, nusquam eum a Patre servum vocatum legimus, sed Filium, & dilectum, & suum: nec Filium dominum cum suum appellasse, sed Patrem (inquit Hadrianus I.) Et si Propheta eum ser-*

Felicis, & Elipandi hec estis.

Christus non conditione servus quamvis naturam servi assumpserit.

- vum nominavit, *Non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem* (ait Synodus Francofordiensis.) Et Filio enim proprio, dum ex amoris redundantia fervorem obit munia, Patrique famulatur, utcumque servi nomen adjicitur, sed ejus ingenuitati id minime officit ... Non enim servum, sed genuinum se filium esse significat, qui amore patris ad servilia usque munera inclinatur. Filium voluntas, servum necessitas urget ad obsequium. At Christus non necessitate, sed voluntate, & charitatis pondere indeclinabili ad obediendum agebatur. Igitur *divine dispensationis sacramento* servus a Propheta nominatus est, scilicet *Non conditione debite servitutis, sed implende paternæ voluntatis in salute humana voluntaria obedientia* (inquit Paulinus Aquilejensis.)
- Paulinus Aq. Lib. 4. *Nam in Christo quicquid gestum est, totum voluntatis fuit, non necessitatis: qui Apostolo, teste, Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Alia est enim voluntaria humilitas, alia servilis necessitas.* Tradidit quidem Filium in mortem pro nobis Pater, sed & ipse Filius *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ait quidem ipse, *Diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:* sed & de eo Isaias ait, *Oblatus est, quia ipse voluit.* Scriptum quidem erat in capite Libri, ut Dei voluntatem faceret: sed & ipse accinit, *Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* Sic Deus quidem *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* sed & ipse Filius, quamvis *rapinam non arbitratus esse se æqualem Deo,* tamen sua iponte, summaque libertate *exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Absit ergo, ut conditionis necessitate servus dicatur Christus, qui nos a servitute liberavit, quem Scriptura Sacra Dominum, etiam ut homo est, prædicat. *Nobis unus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum* (inquit Apostolus.) Nullus Evangelistarum, nemo Apostolorum Christum servum appellat, sed Dominum, & Salvatorem. Nam Joan. 13. 6. *Thomas* explorans vestigia vulnerum, exclamavit dicens, *Dominus meus, & Deus meus!* Petrus ait, *Domine tu mihi lavas pedes?* Discipuli omnes, *Domine adauge nobis fidem.* Paulus eum semper Dominum confitetur. *Dominum Jesum, & Jesum. Christum Dominum nostrum* semper vocat. Sed nec ipse Luc. 10. 21 *Christus Patrem unquam Dominum suum appellavit.* Ait quidem, *Confiteor tibi Pater, Domine celi, & terre:* sed interpunctione, ipsiq; verbis docuit, *Illum & Patrem suum, & rerum creaturarum esse Dominum,* ut observat S. Athanasius Or. III. contra Arianos. Et quamvis Deum suum Patrem appellet, dicens: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum:* tamen sicut alia ratione sibi, ac nobis Patrem esse significat, ita alia ratione sibi, ac nobis Deum. Pater nobis est, non ut Filio suo naturali, sed ut servis per ejus gratiam adoptatis: & Deus illi est, non ut nobis. Scilicet nobis Deus est tamquam mancipiis suis imperans: illi Deus est tamquam Filio humiliter obsequenti paterna auctoritate eminens. *Non enim Christus necessitate velut servus aliquis obedivit; sed seipsum sua sponte pro nobis obtulit* (ait Theodoretus in cap. v. Epist. ad Ephesios.)
- Christum itaque ut Dominum nostrum veneremur, & adoremus; gratias ipsi agamus, quod nos a diaboli dominatu, & servitute ereptos, ac in libertatem gloriæ filiorum Dei vocatos, suo imperio addixerit. Illi pareamus, non servili animo, sed liberali; non ut servi sub lege, sed ut liberi sub gratia constituti; non timore premente compulsi, sed charitate sublevante excitati. *Qui liber vocatus est, servus est Christi. Quid est autem servum esse Christi? Sapientiæ, Justitiæ, Veritatis, & omnium omnino virtutum, quæ Christus est* Atque utinam hoc saltem obtineri possit in vita mortalium, ut
- Nostra ergo Dominum nostrum Jesum Christum officia.
1. Cor. 7. 22. *ser-*

servus quis Christi ex integro sit, non carni, non sanguini, non vanae gloriæ, non cupiditati, non avaritiæ, non iracundiæ, non invidiæ, sed soli Christo, id est, omnibus simul virtutibus serviat. Verba sunt Origenis in c. 1. Epistolæ ad Romanos. Christo sincera animi devotione dicamus: *Tuus sum ego, saluum me fac.* Non potest dicere Christo, *Tuus sum*, qui suis cupiditatibus servit: plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, *Meus es*; quia
 „ ea, quæ sunt corporis, concupiscis: in illius adolescentulæ amore tibi
 „ vendidisti, in illius concubitu meretricis pretium pro te annumeravi. Ve-
 „ nit avaritia, & dicit: *Argentum, & aurum, quod habes, servitutis tuæ*
 „ *pretium est: possessio quam tenes, juris tui emptio, venditio libertatis*
 „ *tuæ est.* Venit luxuria, & dicit: *Meus es: unius diei convivium, pre-*
 „ *tium tuæ vitæ est; ille sumptus epularum, tui capitis, tui est summa*
 „ *contractus; & quod pejus est, caro emptus es, vilior cibo estuo: pretio-*
 „ *sior est unius diei mensa tua, quam totius temporis vita: Inter calices* Matth. 4.
 „ *te redemi, inter epulas acquisivi.* Venit ambitio, & dicit tibi: *Plane meus*
 „ *es.* Nescis, quod ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipsi servires? Ne-
 „ scis, quod ideo potestatem in te contuli; ut meæ te subjicerem pote-
 „ stati? An ignoras ipsi Domino Salvatori dictum esse ab hujus mundi prin-
 „ cipe, cum ei ostendisset omnia regna mundi, *Hæc omnia dabo tibi, si pro-* Matth. 7.
 „ *cidens adoraveris me?* Ante ergo ipse subjicitur, qui alios vult habere
 „ subjectos. Veniunt omnia vitia, & dicunt: *Meus es.* Quem tanti com-
 „ petunt, quam vile mancipium est! Quomodo ergo tu, qui hujusmodi es,
 „ potes Christo dicere: *Tuus sum?* Respondebit tibi ille: *Non quicumque*
 „ *dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: non quicumque*
 „ *dicit mihi, Tuus sum, meus est. Meus plane es, si vocem non redarguat con-*
 „ *scientia, si sermonem tuum animus, aut opera non refutent. Ego non nego*
 „ *meum esse eum, qui ipse se non neget, aut certe si pro me seipsum sibi abne-*
 „ *get. Nolo habere servulum pluribus dominis servientem. Nam quomodo meus*
 „ *est, si mihi dicat verbo, Tuus sum, & operibus neget, & factis se diabolo*
 „ *adjudicet, & obstringat? Non est meus, quem libido succendit; quia mea est*
 „ *castitas. Non est meus, quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea in-*
 „ *tegritas est. Non est meus, quem ira mobilis inquietat; quia mea tranquillitas*
 „ *est. Non est meus, vini crapula temulentus in lucem, ambitione gloriæ secula-*
 „ *ris ebrius, qui in periculum non possit sobriæ moderationis servare vestigium. Pax*
 „ *sum ego, litigare non novi. Quid mihi ad eum, de quo veniat diabolus, &*
 „ *dicat: Meus est, nam mihi sua colla curvavit, mea in illo plura reperio:*
 „ *nomen sibi tuum vindicat, & meum munus? Non est ergo Christi, nisi qui*
 „ *est alienus a crimine, non est Christi, nisi qui potest se Christi semper servulum*
 „ *demonstrare.* „ Nam si quis mutabilis est, ut ego aut mœrore mutor,
 „ aut indignatione, venit ira, & dicit: *Meus est*, ante horam *meus* erat,
 „ spero, quod iterum *meus* fiat. Venit tristitia, & dicit: *Meus est*, ante
 „ horam in mea possessione fuit, in meo jure; erigere animum præmoro-
 „ re non poterat, nec oculos levare; & si triste aliquid acciderit, ad me
 „ illico revertetur. Quis ergo est Dei, nisi qui potest dicere: *Nihil mihi*
 „ *consciis sum?* Ideo dicebat Paulus Apostolus Jesu Christi quia nulli alii
 „ obnoxius tenebatur. Ego autem nunc Dei mei sum, nunc tristitiæ, nunc
 „ iracundiæ, nunc verbi otiosi; & ideo, qui plures dominos habet, non po-
 „ test uni dicere: *Domine Jesu, Tuus sum.* Recte ergo Propheta David di-
 „ xit, *Tuus sum*, qui semper in Domino mansit. Et qua ratione dixerit,
 „ *Tuus sum*, addidit: *Justificationes tuas exquisivi*, hoc est, nihil aliorum quæ-
 „ sivi, sed id solum, quod tuum est, desideravi. Alii quærunt monilia pre-
 „ tiosa, ego solas justificationes tuas, quasi quædam ferta justitiæ: alii do-
 „ mum

„ mum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli habitare possint
 „ in terra hac: *Mihi in tuis justificationibus omne patrimonium est.* Nescio pos-
 „ sidere, nisi quod tui juris est. In tuis eloquiis spiritualis mihi cura reful-
 „ sit argenti. *Mihi portio Deus est. Tuus sum Ego,* quia pars mihi hæredi-
 „ tatis non in auro, non in argento est, sed in Christo Jesu. Hæc S. *Am-*
 „ *brosius* Serm. XII. in Psalmum CXVIII.

ARTICULUS IV.

Quo Symboli Articulus III. explicatur.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine:

I. **H**UJUS Articuli sensus est, nos credere, & confiteri, eum ipsum Je-
 sum Christum unicum Dominum nostrum, Dei Filium, cum pro
 nobis humanam carnem suscepit in utero Virginis, non ex virili semine, ut
 alii homines, sed supra omnem ordinem naturæ, Sp. Sancti virtute conceptum
 esse; ita ut eadem persona Deus permanens, quod ex æternitate erat, ho-
 mo fieret, quod ante non erat, citra ullam sui mutationem. Quod S. *Aug.*
 Serm. CLXXXVII. alias *De Tempore* XXVII. egregia similitudine explicat. „ Ne-
 „ que enim, inquit, quando membra humana suscepit, opera divina deseruit:
 „ nec attingere a fine usque ad finem fortiter, & disponere omnia suavi-
 „ ter destitit; quando infirmitate carnis indutus virginali utero receptus est,
 „ non inclusus; ut nec Angelis subtraheretur Sapientiæ cibus, & nos gusta-
 „ remus quam suavis est Dominus. Quid hoc miramur de Verbo Dei, cum
 „ sermo ille, quem promimus, ita liber sensibus influat, ut eum & recipiat,
 „ & non includat auditor? Nam nisi reciperetur, neminem instrueret: si in-
 „ cluderetur, ad alios non veniret. Et utique sermo iste verbis, syllabisque
 „ dividitur: nec tamen ex eo tamquam ex cibo ventris singulas particulas
 „ tollitis; sed omnes totum auditis, totum singuli capitis. Nec timemus,
 „ dum loquimur, ne totum audiendo unus absumat, nec alter possit habere,
 „ quod sumat: sed ita vos attentos esse volumus, nullius aurem, mentemque;
 „ fraudantes, ut & totum singuli audiat, & totum ad audiendum ceteris re-
 „ linquatis. Neque hoc fit alternis temporibus, ut cum sermo, qui dicitur,
 „ ad te primum intraverit, exeat a te, ut ad alium possit intrare: sed si-
 „ mul ad omnes venit, & totus ad singulos pervenit. Et si totus memoria
 „ teneri valuisset, sicut ad totum audiendum omnes venistis, ita cum toto
 „ singuli rediretis. Quanto magis Dei verbum, per quod facta sunt omnia,
 „ & quod in se manens innovat omnia, quod nec locis concluditur, nec tem-
 „ poribus tenditur, nec morulis brevibus longisque variatur, nec vocibus
 „ textitur, nec silentio terminatur; quanto magis hoc tantum, & tale Ver-
 „ bum potuit Matris uterum assumpto corpore fecundare, & de sinu Pa-
 „ tris non emigrare? hinc ad oculos humanos exire, inde Mentis Angelicas
 „ illustrare? Nemo ergo credat Dei Filium conversum, & commutatum esse
 „ in hominis Filium, sed potius credamus, & non consumpta divina, & per-
 „ fecte assumpta humana substantia manente, Dei Filium, factum hominis
 „ Filium. Neque enim quia dictum est, *Deus erat Verbum, & Verbum caro factum*
 „ *est;* sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus: quando in ipsa
 „ carne, quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, Nobiscum Deus.
 „ *Sicut verbum, quod corde gestamus, fit vox, cum id ore proferimus; non tamen*
 „ *illud in hanc commutatur, sed illo integro ista, in qua procedat, assumitur, ut*
 „ *& intus maneat, quod intelligatur, & foris sonet quod audiat: hoc idem*

tamen

Dei Filius
 absque ulla
 mutatione
 sui homo
 factus.

tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio; atque ita verbum cum fit vox, non mutatur in vocem; sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deserit cogitantem. Non cum ipsa vox in silentio cogitatur, quæ vel Græcæ est, vel Latine, vel linguae alterius cujuslibet: sed cum ante omnem linguarum diversitatem res ipsa, quæ dicenda est, adhuc in cubili cordis, quodam modo nuda est intelligenti, quæ ut inde procedat, loquentis voce vestitur. Verumtamen utrumque hoc, & quod cogitatur intelligendo, & quod sonat loquendo, mutabile, atque dissimile est: neque illud manebit, cum oblitus fueris: neque hoc cum silueris: Verbum autem Domini manet in æternum, & incommutabiliter manet.

§. I.

Quid his verbis significetur, Qui conceptus est?

His verbis significatur, Filium Dei hominem factum, non assumendo corpus a Deo creatum, aut ex quavis substantia formatum, sed in utero Virginis Matris, ex purissimo illius sanguine compactum. Unde Apostolus ait: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Gal. 4.

I. Detestandi ergo sunt Manichei Hæretici, & Marcionitæ, qui Dominum nostrum Jesum Christum veram carnem assumpsisse negant, sed in eo inane dumtaxat corporis simulacrum agnoscunt. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Et *Quia pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Atque ipsemet Christus Discipulis post resurrectionem suam conspicuum se præbens: *Palpate, inquit, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet.* Nisi vera sit Christi caro, vita ejus, qui veritas est, nihil aliud fuisset, quam mendacii cujusdam proluxa contextio, cum carnem omnibus dictis gestisque prætulit. Inanis fuerit, & ludificatoria redemptio nostra, si vera caro non sit, per quam, & in qua Christus salutem nostram operatus est. Sine vera carne, nec vere passus est, nec vere resurrexit; atque ita spes nostra omnis intercipitur, & evertitur totum Dei opus, & Christiani nominis fructus. Nisi veram carnem assumpsisset, homo, & hominis filius, quod nomen toties sibi tribuit, non esset. Nisi vera sit Christi caro, nec ea, nec per eam ipsa Deitate pascimur in Sacramento Eucharistiæ; neque corpora nostra sunt membra Christi. Ut enim ait S. Aug. Serm. CLXI. alias XVIII. De Verbis Apostoli, *Si Dominus noster Jesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra ejus non essent nisi animæ nostræ: quia vero corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex anima, & corpore constamus, profecto illius membra sunt & corpora nostra.* Joan. 1. Hebr. 2. 14. Vera Christi caro. Luc. 24. 39. S. Aug. Lib. De Contin. cap. 10. Terull. Lib. 3. cont. Marcionem.

Frustra vero carnis, & conceptionis in utero muliebri immunditias exaggerabant Manichæi, & Marcionitæ, ut veram Christi carnem, veramque conceptionem in utero Virginis jure negare viderentur. *Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus; & Omnia munda mundis.* Et si radii Solis per cloacarum fetores diffusi, nulla tamen contaminatione sordescunt, cum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior: *Quanto minus poterat pollui Verbum Dei, non corporeum, neque visibile, de femineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima, & spiritu, quibus intervenientibus habitat Majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius?* Unde manifestum est, nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculata est. Non enim cum regit corpus, atque vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur (inquit S. Aug. Lib. De Fide, & Symbolo, cap. IV.) Mendacio certe contaminaretur potius Deus, simulatam carnem ludificandis hominum oculis exhibens, quam ve-

ræ carnis assumptione . Unde *Tertullianus* Lib. III. contra Marcionem, *Nulla, inquit, substantia digna est, quam Deus induat. Quodcumque induerit, ipse dignum facit, sine mendacio tamen. Et ideo quale est, ut dedecus existimarit veritatem potius quam mendacium carnis!* Et Lib. de Carne Christi: *Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit carne nasci, quam ex aliqua se parte mentiri.*

Caro a Filio
Dei in tem-
pore assum-
pta.

II. Detestandus pariter Apollinaristarum Hæreticorum error, qui carnem a Filio Dei, non tempore assumptam, sed ab æterno concretam fuisse, assererebant: ex quo consequens erat, carnem consubstantiali esse Dei Filio, Patrem consubstantiali esse carni; Incarnationem Verbi, Mariæque puerperium, necessaria non fuisse, impassibile suapte natura non fuisse Verbum divinum. Quæ errorum monstra ex Apollinaris Hæresi consequi ostendunt, ac refellunt *S. Athanasius* Epistola ad Epitæctum, *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione IV. *S. Ambr.* Libro *De Incarnatione*, cap. VI. *Theodoretus* Dialogo III. qui inscribitur, *Impatibilis.*

Christi ca-
ro nec e cæ-
lis delata,
nec e fide-
ribus, vel ex
aere decer-
pta.

III. Execranda etiam *Valentini* impietas, qui Christum e cælo detulisse carnem, & per Mariæ Virginis uterum, velut aquam per fistulam transisse docuit, nihilque ex ea sumpsisse. Quam hæresim referunt luculente *S. Irenæus* Lib. III. c. xxxii. & *Tertullianus* Libro *De Carne Christi*, cap. xv. xx. xxi. xxii. *Valentini* errori cognatus *Apollinaris* error, qui Filium Dei, cum e cælo descendit, sideream sibi carnem, & aeream contexuisse commentus est. In sui patrocinium erroris Hæretici illi detorquebant verba Christi, *Joannis* III. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo;* Et cap. VI. *Ego sum Panis vivus qui de cælo descendi.* Et verba *Apostoli* I. ad Corinth. cap. xv. *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis.* Sed hæc testimonia solum indicant Christum e cælis descendisse ratione personæ, & naturæ divinæ, non ratione corporis assumpti: Quod quidem cæleste dici potest, & *Panis de cælo*, ratione virtutis qua formatum in utero Virginis fuit: (compactum siquidem est, obumbrante, & operante Sp. Sancto) non vero ratione substantiæ. Quod præclare *S. Hilarius* explicat Lib. x. *De Trinitate.* Carnem certe nostræ congenerem, & consubstantiali Christum habuisse, ac gessisse corpus ex carne, ossibus, sanguine, membrorumque omnium integritate compositum, Scripturæ probant omnes, quæ Dei Filium factum hominem asserunt, ut illud *Joan.* VIII. *Nunc me quæritis interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum: & quæ ipsum in utero conceptum, esurivisse; sitivisse, fatigatum ex itinere fuisse, passum, cruci suffixum, sanguinem fudisse, mortuum, per omnia*

Luc. I.
Matth. 4. &
8. Joan. 4. &
19. Hebr. 4.

fratribus similitum testantur. Hæc enim corpori cælesti, siderææ carni que non conveniunt. Veram certe carnem ex muliere natam, non e cælo allatam, non ex sideribus, aut æthere decerptam indicant *S. Paulus* (*Rom.* I.) de Filio Dei loquens: *Qui factus est ei* (inquit) *ex semine David secundum carnem, & S. Joannes* (*Epist.* I.) scribens: *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in Carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Corpus nostris corporibus consubstantiali indigitat *Christus* Eucharistiæ Sacramentum instituens, cum ait: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Plura dabit *Dissertatio* nostra xv. in *Historiam Ecclesiasticam* Sæculi II. Artic. II.

In Christo
vera fuit A-
nima &
mens ho-
minis.

IV. Non minus detestandus est *Apollinaris* error alter qui naturam hominis in Christo semiplenam putavit, hoc est, anima carentem, cujus vicem supplere corpori dicebat Verbum ipsum incarnatum. Deinde vero animam in Christo agnoscens, qua vivimus, & sentimus, ac communia ceteris nobiscum animantibus officia præstamus, partem illius detraxit, qua ratio-

tionales fumus, sive mentem. Hoc erroris portentum Scripturæ Sacræ testimonia refellunt, in primis illud Christi Domini. Matth. xxvi. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Illud item Joan. x. *Et animam meam pono pro ovibus meis: & Ego ponam animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego ponam eam a me ipso & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Tum illud Act. ii. usurpatum ab Apostolo Petro de Ps. xv. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quibus verbis animam pariter, & corpus Redemptoris nostri significat, quorum hoc in tumultu reconditum a corruptione vindicari, illam in inferno diutius non detineri postulat. Sed & ratio Catholico Dogmati suffragatur. Christus enim Deus est, & homo perfectus, consubstantialis Patri secundum divinitatem, consubstantialis nobis secundum humanitatem, ut Scripturæ, Patres, Concilia, Ecclesiæ Symbola docent: perfectus autem, & verus homo non est, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit. Certe Christum inter nos, ac Deum Mediatorem, ac sequestrem, ejusdem cum Deo, ejusdem & nobiscum substantiæ esse oportebat. Non esset autem ejusdem cum hominibus substantiæ, si parte aliqua hominem componente careret. Unde *S. Fulgentius* Lib. i. ad *Trasimundum*, cap. xv. Hominem Jesum Christum Mediatorem Dei, & hominum nuncupatum ait: „ Quia idem „ Deus totam in se suscepit naturam hominis; & idem homo totam in se „ habet substantiam deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus „ a Deo; inter Deum irascentem, hominemque peccantem talis utique Me- „ diatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, „ totum, verumque in se Deum de Deo natum haberet; & ad reconcilian- „ dum hominem Deo, totum, verumque in se de homine natum hominem „ contineret. “ Denique cum peccati labes, & calamitas hominem totum infecisset; atque pervasisset; si pars hominis ulla naturæ a Filio Dei assumptæ defuisset, expers illa fuisset curationis, & salutis, adeoque totus homo non fuisset reparatus, ac redemptus. Hinc *S. Gregorius Nazianzenus* Epist. i. ad *Cledonium* ait: „ Si quis in hominem mentis expertem sperat, „ amens est revera, neque dignus, qui totus salvetur. Quod enim assum- „ ptum non est, curationis est expers. Quod autem unitum est Deo, idi- „ psum & salute donatur. Si dimidiatus tantum Adamus lapsus est, dimi- „ diatum quoque tantummodo fit, quod assumitur, & salvum fit. Quod si „ totus peccavit, toti quoque Genito unitus est, atque ex toto salutem assequitur. Et *S. Augustinus* Lib. *De Fide, & Symbolo*, cap. iv. „ Cum ista susceptio „ (inquit) pro salute nostra sit gesta, cavendum est, ne cum crediderit ali- „ quid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salu- „ tem. Et cum homo, excepta forma membrorum, quæ diversis generibus „ animantium diversa tributa est, non distet a pecore nisi rationali spiritu, „ quæ mens etiam nominatur; quomodo sana est fides, qua creditur, quod „ id nostrum susceperit Dei Sapientia, quod habemus commune cum pe- „ core, illud autem non susceperit, quod illustratur luce Sapientiæ, & quod „ hominis proprium est?

Plura dabit Dissertatio nostra XLII. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi Quarti.

V. Execranda etiam est Monothelitarum Hæresis, qui unicam in Christo voluntatem, atque operationem esse, eamque divinitatis propriam, pertinaciter asseruerunt: duæque in Christo voluntates, divina nempe, & humana, duæque operationes pro numero naturarum, ex Fidei Catholicæ præscripto sunt agnoscendæ, secundum Scripturæ Sacræ expressa testimonia, Matth. xxvi. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* & Lucæ xxii. *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

Duplex in Christo voluntas.

Et Jo. vi. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Hinc enim perspicue constat, aliam fuisse Christi voluntatem, ac Patris; non divinam utique, quam unam, & eandem amborum esse nemo Catholicus dubitat, sed hominis propriam; quam proinde, præter divinam, habuit Filius Dei, qui loquebatur, incarnatus. Idem Fidei dogma summo consensu, constantique Traditione a Patribus assertum Lateranensis Synodus sub *Martino I.* Romano Pontifice, & Sexta Synodus Generalis Constantinopoli sub *Agathonis* Pontificatu, Legatis ejus præsentibus celebrata, contra Monothelitarum hæresim stabiliverunt; *S. Maximus* Martyr in disputatione cum *Pyrrho* Monothelita aliisque Operibus, & *S. Jo. Damascenus* Lib. III. cap. xv. vindicaverunt. Quamvis autem duæ sint in Christo voluntates, absit tamen, ut contrarias, & repugnantes aliquando fuisse dicamus, vel cogitemus. Nam *velle hominis assumpti a Deo non fuit contrarium Deo, utpote totum deificatum* (inquit *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione xxxvi.) Humana voluntas divinæ perfectissime consentiens semper fuit. Unde *S. Leo* Serm. LIV. *De Passione Domini* v. ait: *Admonitis Discipulis Dominus, ut contra vim tentationis instantis vigilantibus oratione certarent, ipse Patri supplicans, ait: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* *Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optavit ex nostro, hoc elegit ex proprio. Nec enim equalis Patri Filius, omnia esse Deo possible nesciebat, aut ad suscipiendam crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, ut hanc diversarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed ut suscipientis, susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis, divinam desideravit potentiam; quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, & cito demonstratum est, quid possit a trepidante orari, & quid non debeat a medente concedi.* Horum omnium dogmatum fidem profiteamur his verbis, *Qui conceptus est, sive istis Constantinopolitanis Symboli, Et incarnatus, & homo factus est.* Plura dabit Dissert. v. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi VII.

Humana Christi voluntas divinæ perfectissime consentiens.

§. II.

DE SPIRITU SANCTO.

Cur Christus ex Spiritu Sancto conceptus dicatur?

Tota Trinitas Mysterium Incarnationis operata est. Luc. I.

I. **CUM** dicimus Christum Sp. Sancti virtute conceptum esse, unam hanc divinæ Trinitatis personam Incarnationis Mysterium fuisse operatam non asserimus. Omnia enim, quæ Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis esse communia, neque unam magis quam aliam, aut unam sine alia agere, Fides Catholica docet: quamvis S. Litteræ earum operationum, quæ personis omnibus communes sunt, aliam alteri tribuere soleant, ut creationem Patri, redemptionem Filio, sanctificationem Sp. Sancto; sicut & Patri potentiam, Filio sapientiam, Sp. Sancto amorem. Tota ergo Trinitas adorandum Incarnationis, sive conceptionis Christi Mysterium communiter, & indivise operata est. Quod testatur Evangelista, referens, Angelum Virgini Mariæ respondisse: *Sp. Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Adest ergo Altissimus, quo nomine Patrem intellige, fontem totius deitatis. Adest Virtus altissimi, nempe Filius, qui proprie carnem assumpsit, sibi in unitate personæ copulavit, ac solus incarnatus est. Adest Sp. Sanctus, cui tamen admirabile illud opus singulari quædam ratione attributum Scriptura de-

dedicat, Ecclesieque in Symbolo adscribit; cum alias in suis etiam orationibus profiteatur tres personas SS. Trinitatis nostræ redemptionis Mysterium simul, & indivise operatas esse. Sic enim orat Sacerdos ante Communionem: *Domine Jesu Christe, qui per voluntatem Patris, cooperante Sp. Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti.*

II. Multiplex autem ratio est cur Christi conceptio Sp. Sancto tribuatur. Prima est, quod miracula, & opera supernaturalia Spir. Sancto quasi *Dei digito* assignentur. Conceptio autem Christi, sive Incarnatio, miraculorum omnium maximum est, eo præsertim, quod simul atq; B. Virgo Angeli verbis assensum præbuit, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: statim Sanctiss. Christi corpus ex purissimo ejusdem Virginis sanguine formatum, eique anima rationalis conjuncta est; atque ita in ipso temporis articulo perfectus Deus, & perfectus homo fuit. Hoc autem novum fuisse, atque admirabile Sp. Sancti opus, nemo dubitare potest; cum servato naturæ ordine, nullum corpus nisi intra præscriptum temporis spatium hominis anima informari possit. Maxima vero admiratione dignum est, quod non prius fuerit Christus homo, quam Deus; sed ut primum cum corpore conjuncta est anima, ipsa etiam divinitas cum corpore, & anima copulata est. *Non est igitur intervallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ Majestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariæ Virginis conceptio Divinitatis, & carnis, & unus est Christus Dei Filius in utraque natura conceptus, ut maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoq; nascentium videbatur existere* (inquit S. Fulgentius Lib. De Incarnat. & Gratia, cap. iv.) *Miraculum illud præcinuit Jeremias, cap. xxxi. Creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum. Vir scilicet in Virginis utero Christus (quamvis infanti corpore) sapientia, gratia, cujus demonstratione sola profecisse dicitur apud Deum, & homines. Quin & beata Dei visione Christus homo ab ipsa statim conceptione sua potitus est, ejusque anima sanctissima summum æternæ felicitatis gradum attigit, ut Christiani omnes summo consensu agnoscunt. Magnum certe, novumque miraculum, ubi agnoscitur Longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens; panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari letitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia letificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Numquid non facile tibi est, inter hæc fœminam agnoscere virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum a Deo Jesum suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum, non solum jam, cum diceretur Vir Propheeta potens in opere, & sermone, sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei Mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minus fuit Sapientia Jesus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus. Verba sunt S. Bernardi Homilia II. super Missus est.*

Idem Pater Serm. III. in Vigilia Nativitatis Domini, Mysterium istud vocat omni miraculo admirabilius. „ Tria opera, inquit, tres mixturas fecit „ omnipotens illa Majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint

Multiplex tamen ratio cur Christi conceptio Sp. Sancto tribuatur.

Matth. 12.
28. Luc. 11.
20. Luc. 1.

Incarnatio, seu conceptio Christi in utero B. Virginis omnium miraculorum maximum est.

Luc. 2. 52.

Luc. 24.

„ amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus, & homo,
 „ & Mater, & Virgo, Fides, & cor humanum. : Contraxit se Majestas, ut
 „ quod melius habebat, videlicet se ipsam limo nostro conjungeret, & in Per-
 „ sona una sibi invicem unirentur Deus, & limus, Majestas, & infirmitas,
 „ tanta vilitas, & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius
 „ limo: & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque di-
 „ gnitate limus ascendit in Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus fe-
 „ cisse credatur: quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur,
 „ tam ineffabili, quam incomprehensibili sacramento. Et attende, quia sic
 „ ut in illa singulari Divinitate Trinitas est in personis, unitas in substan-
 „ tia: sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis in persona uni-
 „ tas. Verbum enim, & anima, & caro in unam convenere personam; &
 „ hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed uni-
 „ tate personæ. : Secunda mixtura est Virgo, & mater, admirabilis plane,
 „ & singularis. A sæculo non est auditum, quod virgo esset, quæ peperit,
 „ quod mater esset, quæ virgo permansit. : Tertia est Fides, & cor huma-
 „ num. Mirum enim est, quomodo cor humanum his duobus fidem accom-
 „ modavit, quomodo credi potuit, quod Deus homo esset; quod Virgo man-
 „ ferit, quæ peperisset. Prima itaque ratio, cur conceptio Christi tribuatur
 „ Spiritui Sancto, est divini istius operis admirabilitas, & stupenda novitas.

Ratio hujus attributionis altera est, quod divinæ Incarnationis Myste-
 rium singularem, atque immensum Dei erga nos amorem declaret. Unde
 Joan. III. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum da-*
ret. Hinc S. Augustinus divinum istud opus ceteris Misericordiæ, Bonitatisque
 Dei operibus antecellere asserit Lib. x. *De Civ. Dei*, cap. xxix. *Gratia Dei,*
 inquit, *non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se*
incommutabiliter manens, indueret hominem, & spem dilectionis suæ daret ho-
minibus homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longe
erat immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, justus ab im-
piis, beatus a miseris. Et S. Leo divinam benignitatem in hoc Mysterio ma-
 xime commendari docet Ser. xxiii. in Nativ. Domini iv. *Semper quidem,*
 inquit, *diversis modis, multisque mensuris humano generi bonitas divina con-*
suluit, & plurima providentiæ suæ munera omnibus retro sæculis clementer
impertit: sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis
excessit, quando in Christo, ipsa ad peccatores Misericordia, ipsa ad errantes
Veritas, ipsa ad mortuos Vita descendit: ut Verbum illud coæternum, & co-
quale Genitori in unitatem Deitatis suæ naturam nostræ humilitatis assumeret,
 & Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. Cum igitur
 bonitas tribuatur Sp. Sancto, sicut sapientia Filio, & potentia Patri, illeque
 sit Amor subsistens Patris, & Filii; Incarnationis opus Spiritui Sancto pecu-
 liari ratione convenienter tribuitur.

Tertio, Conceptio Christi speciatim Spiritui Sancto tribuitur, quia natura
 humana a Filio Dei in unitatem personæ, non ex aliquibus meritis, sed ex
 sola gratia assumpta est, quæ quidem gratia unio ipsa hypostatica est, sive
 communicatio Personæ divinæ humanitati facta, ut idem Christus ab initio
 conceptionis suæ Deus simul, & homo esset. „ Hic omnino granditer, & e-
 „ videnter Dei gratia commendatur (inquit S. Augustinus in *Enchiridio*, cap.
 „ xxxvi.) Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in
 „ unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona
 „ voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, qui-
 „ bus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea
 „ fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter

„ pro-

Immensus
Dei erga nos
amor in My-
sterio Incar-
nationis ma-
xime com-
mendatur.

Gratia ma-
xime de-
monstratur
in Conce-
ptione Chri-
sti.

promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cepit non aliud cepit esse homo, quam Dei Filius: & hoc unicus, & propter Deum Verbum quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro; ita fit Christus una persona Verbum, & homo. Unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis precedentibus meritis, sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic, & sola Dei gratia fideliter, & sobrie considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eandem gratiam se justificari a peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum habere posset peccatum? *Hinc Evangelista cum dixisset, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; continuo subdit: Et vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis. Quod ait; Verbum caro factum est; hoc est, plenum gratiæ. Quod ait, gloriam Unigeniti a Patre: hoc est, plenum veritatis. Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei Filius, non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis Filius. Idem namque Jesus Christus Filius Dei unigenitus, idest, unicus Dominus noster, natus est de Sp. Sancto, & Virgine Maria. Et utique Sp. Sanctus Dei donum est, quod quidem & ipsum est æquale donanti. Ex hoc ergo, quod de Sp. Sancto est secundum hominem Nativitas Christi, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur? His gemina sunt, quæ habet idem Sanctus Doctor Libro De Prædestinatione Sanctorum, cap. xv. & Libro De Correctione, & Gratia, cap. xi.*

Quarto, Conceptio Christi tribuitur Sp. Sancto, ut significetur discrimen conceptionis ipsius a ceterorum omnium hominum conceptione, qui ex voluntate carnis concipiuntur, & quorum caro per concupiscentiam facta, & propagata, est caro peccati, quo fit, ut originali peccato coinquinetur eorum anima, statim atque infunditur corpori, & propensionem ad peccata, quæ propria voluntate committuntur, etiam habeant: Christus enim ex charitatis ardore, & amore veritatis, non ex concupiscentia conceptus est; *non concupiscentia carnis urente, sed fidei charitate fervente* (inquit S. Augustinus Ser. ccxiv.) Ideoque non in carne peccati, sed *in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne*, ut loquitur Apostolus. Quod S. Augustinus confirmat Lib. De Nuptiis, & Concupiscentia, cap. xii. de S. Josephi, & B. Virginis Mariæ nuptiis loquens. *Solus ibi, inquit, nuptialis concubitus non fuit; quia in carne peccati fieri non poterat sine illa pudenda carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato. Sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Et Tractat. iv in Joan. *Non enim, inquit, in iniquitate conceptus est, quia non de mortalitate conceptus est. Nec eum in peccatis Mater ejus in utero aluit, quem Virgo concepit, Virgo peperit: quia fide concepit, fide suscepit. Ergo, Ecce Agnus Dei. Non habet iste traducem de Adam: carnem tantum sumpsit de Adam; peccatum non assumpsit. Qui non assumpsit de nostra massa peccatum, ipse est, qui tollit omne peccatum.*

Quinto, Conceptio Christi tribuitur Sp. Sancto, ob sanctitatem excellentem, & affluentem hominis Christi. Ad hoc enim terminata est Incarnatio, ut qui concipiebatur homo Sanctus esset, non accidentaria, creataque sanctitate, sed substantiali, scilicet divinitatis plenitudine. *In ipso enim habitat plenitudo divinitatis corporaliter*; qui conceptione sua factus est Filius Dei. Unde a Daniele Sanctus Sanctorum appellatur; & Gabriel Archangelus Mariam alloquens, *Quod nascetur, inquit, ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Porro Sp. Sanctus vocatur Spiritus sanctificationis. Sicut ergo ho-

Joan. 1.

Christus charitatis fervore, non ex concupiscentia conceptus.

Rom. 8.

Christi hominis sanctitas infinita, & immensa.

Coloss. 2.

Dan. 9.

Luc. 1.

mines per Sp. Sanctum sanctificantur, ut sint filii Dei adoptivi: ita Christus per Sp. Sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis. Unde ad Rom. 1. dicitur: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis.* Seipsum, idest, assumptam a se naturam sanctificavit Christus, ut ipse ait Joan. xvii. *Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Sanctificatur autem in Sp. Sancto, quem accipit quatenus homo est; sibi vero dat, quatenus Deus est, *Non ad mensuram, ipse est enim, qui dat, ipse, qui accipit. Et quia potens est ad mensuram dare; ideo non potuit ad mensuram accipere.* In forma enim Dei manens Spiritum dat: formam servi accipiens, Spiritum accipit. Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit. Ad mensuram quippe dat multis filiis; sed non ad mensuram accipit unicus Filius; quia sic est verus homo, ut sit verus Deus (inquit S. Fulgentius in Responsione ad Interrogationem III. Ferrandi.) Christus ergo plenam, ac mensuræ, modique expertem, hoc est, inmensam, ac infinitam sanctitatem, ut homo accepit, quo sensu S. Petrus ait: *Quomodo unxit eum Deus Sp. Sancto & virtute.* Hæc autem unctio Divinitas ipsa fuit, & Persona Verbi naturæ humanæ communicata. Hoc oleum exultationis, quo unctus est præ confortibus suis.

- Impeccan-
tia Christi.
- Joan. 3.
- Act. 10.
1. Petr. 2.
- Joan. 8. 46.
Hebr. 7.
- Lib. 2. De
Principiis
cap. 6.
- Psal. 44. 8.
- Psal. 37. 6.
- Ex hoc fonte Christi manat impeccantia, hoc est, non vacuitas solum ab omni peccato, quam spectans S. Petrus ait: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: & ipsemet Christus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Sed peccandi impossibilitas. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Quomodo enim Lux vera peccati tenebris obscurari posset? Quomodo Anima, quæ (ut ferrum igni conjunctum, in eoque permanens totum igne sic permeatur, sic incenditur, ut frigus recipere pro illo statu non possit) ita divinitati conjuncta est, ita ab ipsa permeatur, ut una, eademq; persona sit Deus, & homo; quomodo, inquam, illa peccatum admittere potuisset? Quomodo vas unguenti deifici fœtoris aliquid olere potuisset? „ Ad omnes sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse „ (inquit Origenes) in hac autem Anima ipse ignis divinus substantialiter re-
„ quievit credendus est, ex quo ad ceteros calor aliquis venerit. Denique
„ quod dixit, quia *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis*, ostendit,
„ quod aliter ista Anima oleo lætitiæ, idest, Verbo Deo ungitur, & aliter par-
„ ticipes ejus: illi enim in odorem unguentorum ejus cucurrisse dicuntur; ista
„ autem Anima vasculum unguenti ipsius fuit ex cujus fragrantia participantes
„ digni quique Prophetæ fiebant, & Apostoli. Sicut ergo aliud est unguenti sub-
„ stantia, aliud odor ejus: ita aliud est Christus, & aliud participes sui. Et
„ sicut vas ipsum, quod substantiam continet, & unguentum, nullo genere
„ potest aliquid recipere fœtoris, hi vero, qui ex odore ejus participant, si se
„ paulo longius a fragrantia ejus removerint, possibile est, ut incidentem recipiant
„ fœtorem: ita Christus velut vas ipsum, in quo erat unguenti substantia, im-
„ possibile fuit ut contrarium reciperet odorem; participes vero sui, quam propin-
„ qui fuerint vasculo, tam odoris erunt participes, & capaces. *Prætermittere non possim similitudinem egregiam, qua S. Hyppolitus Martyr ad impeccan-
„ tiam Christi describendam utitur apud Theodoretum, Dialogo 1. Arca, in-
„ quit ex lignis, quæ putrescere nequeunt, fuit ipse Salvator. Illa quippe
„ putredine intactum, & corruptela tabernaculum significabat ipsius, quod
„ nullam peccati putredinem genuit. Nam qui peccavit, confitendo di-
„ cit: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.*
„ Dominus autem impeccabilis erat, ex lignis cariem non sentientibus,
„ qua homo fuit, hoc est, e Virgine, & Spiritu Sancto, intus, &
„ foris*

foris tamquam purissimo Divini Verbi auro undequaq; tectus. Hinc super Christum requievisse, & mansisse Sp. Sanctum Scriptura Sacra testatur.

Isai. II.
Joan. I.

Isti porro Fidei Catholicæ Dogmati non repugnat Apostolica illa Sententia II. ad Corinth. v. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Significat enim Apostolus, Christum factum esse hostiam pro peccato. Scripturæ scilicet phrasi, victima pro peccato offerenda, vel oblata peccatum dicitur, ut Osæ IV. *Peccata populi mei comedent Sacerdotes.* Unde S. Augustinus, Enchirid. cap. XLII. *Nulla, inquit; voluntate carnalis concupiscentiæ seminatus, sive conceptus, & ideo nullum peccatum originaliter trahens, Dei quoque gratia Verbo Patris unigenito, non gratia Filio, sed natura, in unitate personæ modo mirabili, & ineffabili adjunctus, atque concretus, & ideo nullum peccatum & ipse committens; tamen propter similitudinem carnis peccati, in qua venerat, dicitur est & ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe Lege peccata vocabantur Sacrificia pro peccatis: quod vere iste factus est, cujus umbræ erant illa. Hinc Apostolus, cum dixisset, Obsecramus pro Christo, reconciliari Deo: continuo subjunxit, Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos timus justitia Dei in ipso. Id est, Deus, cui reconciliandi sumus, fecit Christum sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit: ut quoniam peccatum ei non inerat, ita quodam modo peccato moreretur, dum moritur carni, in qua erat similitudo peccati; & cum secundum vetustatem peccati nunquam ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reviviscentem vitam novam sua Resurrectione signaret. Ob impeccantiam igitur absolutam ex unione personali naturæ humanæ cum Persona divina manantem, Conceptio Christi Spiritui Sancto tribuitur.*

Quo sensu
Christus di-
citur pro
nobis factus
peccatum?

S. III.

Cur Spiritus Sanctus non sit Pater Christi, cum Christus ex Spiritu Sancto sit conceptus?

Licet Christus ex Spiritu Sancto conceptus sit, non tamen Spiritus Sancti, sed Dei Patris Filius unicus est, idemque Virginis Matris. Non enim quicquid nascitur de aliqua re, continuo ejus Filius est, nisi sit ejusdem generis, atque ex vi originis suæ naturæ ejusdem similitudinem habeat. Ut enim alia exempla prætermittamus, qui nascuntur ex aqua, & Spiritu Sancto, aquæ filios nemo rite dixerit, sed plane dicuntur filii Dei Patris, & Matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu Sancto natus est Filius Dei Patris, non Spiritus Sancti. Neque omnes, qui dicuntur alicujus filii, consequens est, ut de illo nati esse dicantur, sicut sunt, qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati, sicut filii regni, qui præparantur in regnum. Cum itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo, ut sit filius, nec rursus omnis, qui dicitur filius, de illo sit natus, cujus dicitur filius; profecto modus iste, quo natus est Christus de Spiritu Sancto non sicut Filius, & de Maria Virgine sicut Filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio nature sue, quo esse cepit, Verbo Deo copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui Filius Dei: ac sic nature humane susceptione feret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, que nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum Sanctum fue-

2. Cor. 5.

fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Deidomum. Ita differit S. Augustinus in Enchiridio, cap. xxxviii. xxxix. & xl.

Brevius explicat Paschasius S. R. E. Diaconus Lib. I. De Spiritu Sancto, c. II: cur Christus non sit filius Spiritus Sancti, cum de eo conceptus sit? Homo namque assumptus ex Maria, inquit, operatio Spiritus Sancti fuit non portio, nec ab eo genitus, sed creatus; conceptus est potentia non substantia; operatione, non participatione; virtute, non genere. Nascitur itaque de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, nec tamen filius est Spiritus Sancti, quia corpus ejus non est portio substantiæ Spiritus Sancti, sed Mariæ Virginis. Nascitur de Spiritu Sancto per gratiam, nascitur de Maria generante per naturam.

§. IV.

Licet tres Personæ SS. Trinitatis Incarnationem operatæ sint, solus tamen Filius incarnatus est.

Quamvis una, & eadem sit trium Sanctissimæ Trinitatis Personarum actio, & efficientia, ut diximus, adeoque Incarnationem simul omnes, & indivise operatæ sint, non tamen tres incarnatæ sunt, sed solus Filius: quia divinitatis, & carnis una Persona; proprietates autem personalis cuique Personæ ita convenit, ut alteri Personæ non competat. Non enim ipse Pater est, qui Filius, nec Spiritus Sanctus est aut ipse Pater, aut Filius. Quo fit, ut aliquid a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto factum dici, & esse possit, quod tamen a solo Filio sit acceptum. Sicut anima per corpus, immo cum corpore facit, quando corpus comedit; & tamen solum corpus accipit, quod ut accipiatur, anima simul cum corpore facit. In illa itaque comestione, una est animæ carnisque operatio, sed solius est carnis acceptio. Sic humana natura totius quidem Trinitatis opere facta, a solo tamen Filio fuit in unitatem personæ suscepta. Ita explicat S. Fulgentius, Libro Contra Sermonem Fastidiosi Ariani, & in Responsione ad Quæstionem Ferrandi id & alia similitudine illustrat. Vox (inquit) corporea, qua spiritale verbum cordis nostri, seu locutio interior induitur, ut ad audientium notitiam perferatur, simul fit a memoria, & a cogitatione, & a voluntate, sed a sola cogitatione, idest, interiore suscipitur verbo. Sic humana Christi natura a tribus Sanctissimæ Trinitatis Personis facta est, sed a solo Filio in unitatem Personæ assumpta est. Idem Dogma Fidei S. Augustinus confirmat, & explicat Epistola XI. alias cccviii. ad Nebridium; sed illius explicatio subtilior est, & omnium captui minus accommodata. Idem confirmat S. Hildephonsus, Beatam Virginem his verbis compellans: *Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola Persona Filii Dei in corpore tuo nascitura, carnem assumet de te.*

§. V.

NATUS EX MARIA VIRGINE.

Beata Virgo Maria vere, proprieque Mater Dei credenda est.

Luc: 1.
Isai. 7.

Eodem enim temporis puncto Deum, & hominem concepit, Christum Jesum, eique substantiæ suæ portionem communicavit, sanguinemque purissimum formando illius corpori subministravit, qui eodem, quo conceptus est momento Deus, & homo fuit; eumque in utero mensibus gestavit, ac impleto tempore peperit. Id ab Angelo Mariæ Virgini significatum est cum ait: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et eventu com-
pro-

probatum est, quod *Isaias* prædixit, *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium.* Cum enim esset Bethleemi cum *Josepho* Sponso suo, ac virginitatis Custode, *Impleti sunt dies ut pareret, & peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.* Idem quoque *Elizabeth*, cum *Spiritu Sancto* repleta, *Filii Dei* conceptionem intellexisset, his verbis declaravit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Hinc *Matthæus* Evangelista *Christi* Genealogiam contexens, ubi ad *Joseph Virum Mariæ* illam perduxit, *De qua inquit natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Hunc autem verum Deum, & hominem esse tota *Novi testamenti* Scriptura prædicat. Et *S. Paulus* *Filium Dei factum ex muliere*, ait, non alia utique, quam *Virgine Maria.* *Christus* verus *Emmanuel, Nobiscum Deus, super omnia Deus benedictus in sæcula*, ut *Apostolus* loquitur: *Maria* itaque *Virgo Christi mater*, vere, proprieque *Dei Mater* est. Non *Christi* igitur dumtaxat *genitrix* dicenda est, sed *Dei* contra *Nestorium* *Constantinopolitanum* Episcopum, qui *Mariam* *Virg. Dei* *Genitricem* negabat: quæ *Hæresis* ab *Ephesina* *Synodo* generali cum impiissimo *Auctore* damnata est.

Neque vero nova, aut a *S. Cyrillo*, & *Ephesinis* *Patribus* adinventæ, & invectæ primum est, *Mariæque* *Virgini* tributa *Dei Genitricis* appellatio, *Dei Matrem* ante *Concilium Ephesinum* constanter appellarunt *Origenes* *Tom. I.* in *Epistolam* ad *Romanos*, ut *Socrates* refert *Lib. VII. cap. xxxii.* *S. Dionysius Alexandrinus* in *Epistola* *Synodica* ad *Paulum* *Samolatenum*, *S. Athanasius* *Oratione IV.* contra *Arianos*, *S. Basilii* *Homilia* *xxv.* de *humana* *Christi* *generatione*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *Oratione xxxv.* & *Epistola I.* ad *Cledonium*, *S. Amphilocheus* *Oratione IV.* *S. Proclus* *Oratione v.* *Antiochus*, & *Ammon*, a *S. Cyrillo* *Alexandrino* laudati *Libro De Recta Fide*, &c. *Nestorium*, statim atque prædicare ausus est *Mariam* *Virginem* *Dei* *Matrem* non esse *Christiani* omnes sunt execrati. *Joannes Antiochenus* *Nestorii* alias *amicus*, nomen *Θεοτόκος*, *Dei Mater*, a nemine *Doctorum* *Ecclesiasticorum* repudiatum, plures ac celeberrimos eo usos esse scripsit ad ipsum *Nestorium*; & *Theodoretus*, quamquam *Nestorio*, diu faverit, *Libro* tamen *IV.* *Hæreticarum Fabularum*, *cap. xii* scribit, *Antiquissimos Fidei Catholicæ* *Præcones* ex *Apostolica* *Traditione* docuisse, *Matrem Domini nominandam, credendamque esse Dei Genitricem.* Hanc *Traditionem* secuti sunt *S. Cyrillus*, *Ephesina* *Synodus*, aliique *Patres*, *Pontifices*, *Concilia*, & præsertim *Quinta* *Synodus* *Generalis* *Canone* *sexto*, *Anathemate* feriens eos, qui dixerint, *Sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, abusive, & non proprie, & vere Dei Genitricem esse.* Quarum vocum *vere*, & *proprie*, necessitatem ad *Catholicæ* *istius* *Dogmatis* *fidem* *exprimendam*, & contra *Nestorianos* *vindicandam* ostendunt *Joannes Secundus* *Pontifex* *Maximus* in *Epistola* ad *Avienum* *Senatorem*, & alios, & *Ferrandus* *Carthaginensis* *Ecclesiæ* *Diaconus* in *Epistola* ad *Anatolium*.

Non tamen *divinitatis* *Mater* est *Virgo* *Maria*, sed *Dei*, *Verbique* *incarnati.* *Nec* *solius* *carnis* *mater* est, sed *hominis* *Dei*, sicut alias *Matres* *solius* *corporis* *genitricis* nemo recte dixerit, quamvis *animam* non pariant: concipiunt enim, ac pariunt *hominem* *anima*, *corporeque* *constantem.* Sic *beata* *Virgo* *vere*, ac *proprie* *Dei* *Mater* est, quamvis *divinitatem* non genuerit, quia *Deum*, *hominemque* *genuit*, hoc est *Christum* *Jesum* qui *vere* *Deus*, & *vere* *homo* est; nec alterius excluso altero *Mater* esse poterat, aut appellari potest; sicut *Elizabeth* non dicitur *mater* *carnis*, sive *corporis* *solius* *Joannis* *Baptistæ*, neque *solius* *animæ*, sed *totius* *Joannis* *ex* *anima*, & *corpore* *compositi.* Sic explicat *S. Cyrillus* in *Epistola* ad *Monachos.*

Durior cuiquam videbitur *S. Hilarii* locutio *Libro* *x.* *De Trinitate* scribentis:

Lucæ 2.

Maria Virgo vere, proprieque Dei Mater; id fidei dogma.

Matth. 1.

Rom. 9.
Nestorii hæresis.

Quam antiquum Dei patris nomen.

S. Hilarii locutio durior in speciem explicatur.

tis :

tis: *Non ex se corpori Maria originem dedit*. Verum nihil aliud significat, nisi Christi corpus naturali, & usitato modo non fuisse conceptum, & genitum. Nam *Ex conceptu Spiritus Sancti Virgo progenit*: & licet sexus sui officio genuerit, non tamen terrene conceptionis suscepit elementa: genuit enim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu (inquit ibidem S. Hilarius.) Innocens ergo est hæc sententia: *Non ex se corpori Maria originem dedit*, sine Spiritu Sancto in ipsam superveniente, Christi que corpus præter consuetum naturæ ordinem formante: *Licet ad incrementa, partumque corporis, omne quod sexus sui naturale est, contulerit. Quod vero hominis Filius est, susceptæ in Virgine carnis partus est.*

Cur Filius Dei nasci ex muliere voluerit?

Plura dabit Dissertationis nostræ 111. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi v. Art. 11. Filius autem Dei nasci voluit ex muliere, qui aliunde sibi corpus formare, & aptare poterat, ob plurimas rationes, quamvis prima ratio voluntas ejus fuerit: primo ut sexum utrumque honoraret, & ad utriusque liberationem, ac salutem se venisse significaret. Quam rationem S. Augustinus affert Libro *De diversis Quæstionibus octoginta tribus*, Quæstione xi. Deus inquit, *cum liberat, non partem aliquam liberat, sed totum liberat, quod forte in periculo est. Sapientia ergo, & Virtus Dei, qui dicitur unigenitus Filius, homine suscepto liberationem hominis indicavit. Hominis autem liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat, ut fœminei sexus liberatio hinc appareret, quod vir ille de fœmina natus est.*

Secundo, Christum ex muliere nasci decuit, ad veritatem Incarnationis adstruendam. Unde S. Ambrosius Libro *De Incarnationis Dominicæ Sacramento*, cap. sexto ait: *Secundum naturam se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præmium est: multa que in eodem & secundum naturam invenies, & ultra naturam. Secundum conditionem enim corporis, in utero fuit, natus est, lactatus est, in præsepio est collocatus: sed supra conditionem Virgo concepit, Virgo generavit: ut crederes, quia Deus erat, qui novabat naturam, & homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.*

Et S. Augustinus Epistola cxxxvii. alias 111. ad Volusianum: *Quid si, inquit, Omnipotens hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret ad spectibus? Quid si nullas ex parvulo in juventam mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet somnos; nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur, & dum omnia mirabiliter facit, auferret, quod misericorditer fecit? Nunc vero ita inter Deum, & homines Mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.*

Tertio, Christum ex muliere nasci conveniens fuit ut hoc modo omnis diversitas generationis humanæ compleretur (inquit S. Thomas 111. Part. Quæst. xxxi. Artic. iv.) Nam primus homo productus est ex limo terræ sine viro, & fœmina: Eva ex viro sine fœmina: homines ceteri ex viro, & fœmina oriuntur: quartum nascendi modum, ex fœmina sine viro sibi Christus tamquam proprium vindicavit.

Occupatur objectio. Joan. 2.

Quarto, de muliere Christum nasci decuit, ut auctor peccati, auctor fieret remedii: & sicut per mulierem in hunc mūdum mors intravit, salus per Virginē redderetur. „ Nec nos ad negandam Christi Matrem cogit, quod ab eo dictum est, „ *Quid mihi, & tibi est, mulier? Nondum venit hora mea*. Sed admonet „ potius, ut intelligamus, secundum Deum non eum habuisse Matrem, cuius „ jus Majestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo. Quod „ autem crucifixus est, secundum hominem crucifixus est: & illa hora erat, „ quæ nondum venerat, quando dictum est: *Mihi, & tibi quid est? Nondum*

venit hora mea, id est, qua te cognoscam. Tunc enim, ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, & dilectissimo Discipulo humanissime commendavit. Nec illud nos moveat, quod cum ei nuntiarentur Mater ejus, & fratres, respondit: *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* &c. Sed potius doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei fratribus ministramus, cum parentes impediunt, non eos debere cognosci. Nam si propterea quisque putaverit non eum habuisse matrem in terris, quia dixit, *Quæ mihi mater?* Cogatur necesse est, & Apostolos negare habuisse patres in terris, quoniam præcepit eis dicens: *Nolite vobis patrem dicere in terris: unus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Ita respondet S. Augustinus Libro *De Fide, & Symbolo*, cap. iv.

§. VI.

Maria Mater Dei Virgo perpetua.

I. **B**eatam Mariam Virginem Dei Matrem Virginem fuisse perpetuam, ante partum scilicet, in partu, & post partum, Dogma Fidei est. Ante partum Virginem fuisse, probant Prophetiæ, & Evangelium. Matth. 1. Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est, in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum... Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Et Lucæ 1. Missus est Angelus Gabrieli a Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria... Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum... Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Conceptum Virginis tamquam *Signum* proponit Isaias; Jeremias vero Novitatem appellat: *Creavit, inquit, Dominus Novum super terram: femina circumdabit virum.* Signum autem, & novitas non fuisset, si puella post delibatam Virginitatem more communi feminarum concepisset. Nec ipsa respondisset Angelo nuntianti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* nisi virginitatem ante Deo consecrasset, ac vovisset, ut docent S. Gregorius Nyssenus Oratione in Natali Domini, S. Augustinus, Libro *De Sancta Virginitate*, cap. iv. & alii Patres. Præclarus est hac de re Tertulliani locus Libro *De Carne Christi*, cap. xvii. *Novæ inquit, nasci debebat novæ Nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Isaia prædicabatur. Quod est istud signum? Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet Filium.* Conceptum igitur Virgo, & peperit Emmanuel, nobiscum Deum. Hæc est Nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta sine semine aliquo antiquo, ut illam novo semine, id est, spiritaliter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota novitas ista, sicut & in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione Domino

,, na-

„ nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum se-
 „ menti subacta: ex ea hominem factum accepimus a Deo in animam vi-
 „ vam. Igitur si primus Adam de terra traditur, merito novissimus Adam,
 „ ut Apostolus dixit, proinde de terra, idest, carne nondum generationi
 „ resignata, in Spiritum vivificantem a Deo est prolatus... Deus imaginem,
 „ & similitudinem suam a diabolo captam æmula operatione recuperavit. In
 „ Virginem enim adhuc Evam irrepsit verbum ædificatorium mortis. In
 „ Virginem æque introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ: ut
 „ quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redi-
 „ geretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod
 „ illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Sed Eva nihil tunc concepit in
 „ utero ex diaboli verbo. Immo concepit. Nam exinde ut abjecta pareret, &
 „ in doloribus pareret, verbum diaboli illi semen fuit. Enixa est denique diabolum
 „ fratricidam. Contra, Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel,
 „ interemptorem suum, salvum quandoque præstaret. In vulvam ergo Deus
 „ Verbum suum detulit bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet...
 „ Ergo jam Dei Filius ex Patris Dei semine, idest, Spiritu, ut esset, & ho-
 „ minis Filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine.
 „ Vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen. Itaque, sicut nondum
 „ natus ex Virgine Patrem Deum habere potuit sine homine Matre: æque
 „ cum de Virgine nasceretur, potuit Matrem habere hominem sine homine patre.

Cum autem dicitur Epistolæ ad Galatas cap. iv. *Misit Deus Filium suum,*
factum ex muliere, vox illa *Mulier* sexum tantum, & naturam denotat, &
 ad virgines, nuptas, & viduas æquo jure pertinet, ut idem *Tertullianus*
 observat Libro *De Virginibus velandis*, cap. iv. quod probat ex his secundi
 Capitis Geneseos: *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de A-*
dam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Ubi Eva *Mulier* appellatur,
 prius quam Adam traderetur. Probat & ex Gabrielis Archangeli Saluta-
 tione; nam cum conceptum Mariæ, & partum salva virginitate sponderet,
 ait nihilominus, *Benedicta tu in mulieribus.*

B. Maria
 Dei Mater
 Virgo in
 partu.

II. *Beatam Mariam* in partu Virginem fuisse, hoc est, intemerata virgi-
 nitate, integro virginitatis sigillo, uteri septis illæsis, & irruptis, Christum
 Deum peperisse, ex Traditione Patrum omnium constanti consensu firmata,
 Ecclesia Catholica profitetur. Quomodo igitur postea ex sepulchro clauso, &
 obsignato egressus est, atque ad Discipulos clausis januis intravit, sic ex
 alvo materna sine ullo maternæ virginitatis detrimento editus est Jesus Chri-
 stus. Et quomodo Solis radii concretam vitri substantiam penetrant, neque
 frangunt tamen, aut aliqua ex parte lædunt, sic & altiori tamen modo,
 Christus intemerato septo pudoris, & inviolatis integritatis signaculis, virgi-
 nali fusus est partu. Quod quidem Spiritus Sancti virtute effectum est, qui
 in Filii conceptione, & partu Matri ita adfuit, ut ei & fœcunditatem de-
 derit, & perpetuam virginitatem conservaverit. Unde *S. Augustinus* Epistola
 cxxxvii. alias III. ad *Volusianum*, ait: „ Ipsa virtus per inviolatæ Matris vir-
 „ ginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra
 „ juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum
 „ poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fa-
 „ teamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est poten-
 „ tia facientis *S. Fulgentius Lib. I. De veritate Prædestinationis, & Gratiæ*,
 „ cap. II. Dominus verus veram ex Virgine suscipiens carnem, & perfe-
 „ ctionem ex ea humani corporis sumpsit, & virginitatis ei gratiam non ademit.
 „ Neq; enim decebat, ut integritatem virginitatis Creator humanæ carni Domi-
 „ nus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ susceptor Dominus,
 „ quod

„ quod fecerat, redempturus, Virginitatem carni, de qua nascebatur, auferret. “ Et S. Leo Sermone II. in Nativitate Domini : Nova, inquit, nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria, quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret. . . . Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu, & consuetudine, quod credimus, caret; sed divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, quod Virgo pepererit, & Virgo permanserit. Non hic cogitur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, ut volebat, & poterat. . . . Oportuit enim, ut primam Genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, Divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitæ donare virtutem; ut Virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis & confitendo, & renascendo. Admirabilis illius partus novitas multis figuris, & oraculis Scripturæ Sacræ significata est. Huc enim pertinet porta illa Sanctuarii, quam Ezechiel clausam vidit, de qua Prophetiæ ejus cap. XLIV. Hæc dicit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur; & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino; per viam portæ vestibuli ingreditur, & per viam ejus egredietur. Clausa fuit in Maria Dei Matre virginitatis porta; soli Deo Christo Principi patuit, respiciens ad Orientem, unde Sol oritur nunquam occidens, qui visitat nos Oriens ex alto, ut illucescat his, qui in tenebris, & umbra mortis sedent. Per hanc prodijt Sol ille justitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non humana, & vulgari ratione. Spectabat enim porta ad viam Sanctuarii exterioris, quoniam ea nativitas erat præter vulgarem humanæ nativitatis modum & contra usum originis naturalis. Ad partus illius admirabilem novitatem significandam pertinere SS. Doctores intellexerunt, Lapidem de monte sine manibus abscissum, qui factus est mons magnus, & implevit universam terram (Danielis Cap. II.) Item Virgam Aaron, quæ una inter virgas Principum Israhel germinavit, (Numer. VII.) Necnon Rubum, quem Moyses vidit ardere, & non comburi. (Exod. III.) Illud etiam Cantic. IV. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

III. Denique Beatam Mariam Dei Matrem Virginem post partum perpetuo mansisse, eadem Traditio docet, & vel eo nomine merito damnati sunt ab Ecclesia, ut Hæretici Helvidius, Jovinianus, Bonosus, quod Mariam Virginem, post Christum in lucem editum, alios ex Josepho genuisse filios impie assererent. Damnata est hæc Hæresis a Siricio Romano Pontifice in Romana Synodo; a S. Ambrosio, aliisque Episcopis in Concilio Mediolanensi, necnon a Synodo Capuensi. Hanc hæresim refellunt inter alios Patres S. Epiphanius Hæresi LXXXVIII. quæ est Antidicomarianitarum; S. Ambrosius Libro De Institutione Virginis, cap. V. VI. VII. VIII. & Epist. XLII. S. Hieronymus Libro Adversus Helvidium, De Perpetua Virginitate Beatæ Mariæ; S. Hildephonsus Toletanus Archiepiscopus Libro De Virginitate Sanctæ Mariæ. Hinc B. Maria Mater Dei antonomastice Virgo semper a fidelibus appellata est, ut S. Epiphanius observat. Quis unquam, inquit, aut in qua generatione Sanctæ Mariæ nomen ausus est appellare, qui non sciscitanti statim vocabulum Virginis adjunxit? Nam ex epithetis istis statim lucent argumenta virtutis. Quippe justis omnibus, pro eo ac singulos decebat, sua sunt cuique dignitatis attributa nomina. Quemadmodum Jacob Israel vocatus

S. Ambr.
Epist. 42.
ad Siricium
Papâ nomi
ne Synodi
Mediola
nens. scri
pta. Et Li
bro De In
stit. Virgi
nis, cap. 8.
S. Hieron.
in cap. 44.
Ezech.

S. Maria
Mater Dei
Virgo post
partum.

Hæretici
perpetuæ
Virginitatis
B. Mariæ
Matris Dei
hostes.

Hæres. 78.

Helvidii argumentis responde-
tur. tusest; Zebedei filii, *Boanerges*, hoc est, *tonitruum filii*, Sancta Maria antonomastice dicta est *Virgo*, quia semper Virgo fuit: ante partum, in partu, & post partum.

Matth. 1. Quatuor argumentis perpetuam Matris Dei virginitatem oppugnabat *Helvidius*, sed ea levissima sunt, & a Patribus facile diluta. Primo, quod S. Matthæus scribit, *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Convenire quippe hic idem est, ac nuptiarum opusexequi. Ex quo consequens putabat Helvidius, postea convenisse. Sed non est necesse: *Nam Scriptura, quid factum non sit, ostendit* (inquit S. Hieronymus in cap. 1. S. Matthæi.)

Matth. 1. Alterum argumentum instruebat ille Heresiarcha ex illis verbis, *Et non cognoscebat eam, donec peperit*, quasi particula *donec*, significet post id tempus cognovisse. Verum S. Ambrosius, & S. Hieronymus observant, vocem hanc, *donec*, non semper indicare id, quod ommissum dici videtur, postea repetitum fuisse, aut id desivisse, quod erat. Scriptum est enim Isaiaæ XLVI. *Ego sum, ego sum, & donec senescatis, ego sum*. Numquid propterea postquam fenuerunt, quibus *donec* dictum erat, Deus esse desivit? Item Psal. cix. legimus: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Numquid subjectis populis nationum, qui ante videbantur inimici, cum salutis auctorem negarent, simulacris servirent, ad dexteram Patris Filius sedere desivit, aut in perpetuum non sedebit?

Matth. 12. Tertium argumentum petebat Helvidius ex eo, quod Primogenitus Beatæ Virginis Christus dicatur, *Donec peperit filium suum primogenitum*. Sed respondent Patres *primogenitum* non perpetuo dici post quem alius, sed ante quem nullus est genitus, ut constat ex Num. xviii. Vers. 15. & Exod. xii. Vers. 29.

7. & 13. Quartum argumentum ex Christi fratribus in Evangelio nominatis petebat. Marc. c. 6. Verum nec illi filii erant Beatæ Virginis Mariæ ex Josepho, nec Josephi ex alia uxore suscepti, antequam illam duceret, sed Mariæ conjugis *Alphæi*, qui & *Cleophas* cognominatus est, unde & *Maria Cleophas* in Evangelio appellatur. Jacob. 2. & 7. Hæc Jacobi Minoris, & Josetis mater, Beatæ Virginis soror, Christi mater-tertera. Joan. 19. Fratres igitur Domini dicti sunt illi cognatione, non natura: quomodo Loth Abraham, quomodo Jacob Laban appellatus est frater; quomodo & filia Salphaad sortem accipiunt inter fratres suos; quomodo & Abraham ipse Saram sororem suam habuit uxorem, fratris nempe sui filiam.

S. Joseph Virginitas. Sed & S. Joseph virginem fuisse, S. Hieronymus docet. Sic enim ille contra Helvidium: *Tu dicis, Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuisse non scribitur. Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus; relinquitur, Virginem eum mansisse cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari.*

S. VII.

Luc. i.

De Nomine Virginis Dei Matris.

Maria Domina, spesque nostra. **S**ymbolum Virginem Dei matrem designat ex nomine *Mariam*: quod & S. Lucas facit, dicens: *Et nomen Virginis Maria*. Hæc est, ad cuius nomen omnes animæ piorum recreantur. *Mariam* (inquit S. Epiphanius Oratione de laudibus ipsius) *interpretari solemus Dominam, atque etiam spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi. Rursus nomen illud, Maria, interpreteris Myrrham maris. Myrrham vero aliquis dicet de immortalitate; eo quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est, in mundo: cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum partum pe-*

pe-

peperit Christum. Rursus itaque Mariæ beatum nomen interpreteris, illustratam, utpote quæ illustrata sit a Filio Dei, & cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit. Sancta enim Virgo Maria est Sponsa Trinitatis, ac plane arcanus dispensationis thesaurus, cui Gabriel ait, Ave gratia plena, Dominus tecum. Suggestit Gabriel, Pater de cælo Spiritum Sanctum arthabonem misit. Præparavit, desponditque Virginem unigenito Filio, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus Sanctus percipivit. Tum addit, Prophetas celestium illarum nuptiarum seriem prædicasse, nimirum *Quomodo Virgo celestis, sponsa & mater simul invenitur, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit, dotis vero gratia cælum una cum Paradiso. Deinde Salutationis Angelicæ verba præclare commentatur. Ave gratia plena: Immensa gratia Sanctæ Virginis. Ave gratia plena virtutibus multis exornata, inextinguibilem lucem prætendens. Ave gratia plena, hami esca spiritualis: in te siquidem hamus divinitas. Ave gratia plena, arca gloriæ spiritualis, urna aurea continens manna cæleste.... Quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias.... Mare spiritale, gemmam cælestem Christum habens.... Splendidum cælum, quæ incomprehensum in cælis continet Deum.... Porta cælorum.... Quo pacto beatam illa prædicabo, quæ tota, ac radicitus fundata gloria est? Solo enim Deo excepto cunctis superior est.... Ipsa cæli, & terræ Mediatrix, utriusque unionem commisit.... O Virginem stupendum monile Ecclesiæ! Magnum Mysterium! Sacerdotem pariter, ac Altare indigitat Virgo, quæ cælestem panem Christum mensæ instar ferens, tribuit in remissionem peccatorum nostrorum. Quemadmodum Christum cum Adamo humani generis primo parente confert Apostolus, eumque novissimum Adam appellat; sic Beatam Mariam Dei Matrem cum Eva conferunt SS. Patres. „ Quemadmodum enim Eva per sermonem diaboli seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita Maria per Angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo; Ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata (inquit Ireneus Martyr.) Eva inobediens facta, & sibi, & universo generi humano causa facta est mortis: Maria Deo obediens, & sibi, & universo generi humano causa facta est salutis. Quod alligavit Eva per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem. Eva viventium Mater: potiori jure nomen istud Mariæ Virgini convenit, quæ vitam ipsam peperit, Dei Filium. Eva Adamo visibilia, & terrena vestimenta contexit: „ Maria Virgo Agnum nobis, atque ovem peperit, cujus ex splendore, ac gloria tamquam e vellere, per ejusdem virtutem immortalitatis nobis vestis sapienter confecta est (inquit S. Epiphanius,) „ Eva hominum generi causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecata: „ Maria vitæ causam præbuit, per quam Vita ipsa nobis est producta. Hæc Sanctis omnibus anteponenda, ut Dei Mater, & præ omnibus, ac super omnes honoranda, ob cæleste illud Mysterium, quod in ejus utero perfectum est. Hanc Patres omnes religiose colendam, ut a Deo secundam, ante, & supra omnes Sanctos, & a Christianis omnibus pie, & cum summa fiducia invocandam esse docent, ut quæ non solum Christi Dei, quem & corde, & carne concepit; & corde quidem felicius quam carne gestavit; sed etiam omnium Christianorum mater sit. Præclara sunt ea de S. Augustini verba Libro De Sancta Virginitate cap. vi. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem & soror, & mater. Ac per hoc illa una femina, non solum spiritu, verum etiam corpore & mater est, & virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis ostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritualiter nata est, quia*

B. Virginis
Mariæ elo-
gia.

Maria Vir-
go Christo
excepto
cunctis su-
perior.

S. Ireneus
lib. 3. c. 33.
& lib. 5. cap.

19.
S. Epiph.
Hæres. 78.
Maria sibi,
& universo
generi hu-
mano causa
facta est sa-
lutis, pa-
riendo
Christum.

S. Epiph.
Hæres. 79.
S. Mariæ
Virginis
Deiparæ
cultus sin-
gularis, &
invocatio.
Maria Vir-
go non so-
lum Christi
Dei, sed
Christiano-
rum om-
nium Ma-
ter.

omnes qui in eum crediderint , in quibus & ipsa est , recte filii sponsi appellan-
 lantur : Sed plane mater membrorum ejus , quod nos sumus : quia cooperata est
 charitate , ut fideles in Ecclesia nascerentur , quæ illius capitis membra sunt :
 corpore vero ipsius capitis mater . Hæc omnium titularum ejus , ac honorum
 summa , De qua natus est Jesus , qui vocatur Christus . Ob id Gratia plena ,
 & Benedicta in mulieribus . Huic ut præpararetur dignitati , omnium pleni-
 tudine gratiarum , omnium donorum charismatibus , omnium virtutum moni-
 libus ornata est . Ceteris per partes , in Mariam tota se infudit gratiæ
 plenitudo . Ea puritate donata est , qua major sub Deo non potest intelligi .
 Tota pulchra est , & macula non est in ea . Cum de peccatis agitur , nullam
 de ea , propter honorem Domini , fieri mentionem æquum est . Ipsa contrivit
 caput antiqui Serpentis . In ea , non minus quam in Angelis Deus erat con-
 dens naturam , & largiens gratiam . In ejus immaculata Conceptione , & ortu ,
 Natura gratiæ cedit , ac tremulastat , progredi non sustinens Natura gra-
 tiæ fetum antevertere minime ausa est : verum tantisper expectavit , dum gratia
 fructum suum produxisset . Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi-
 que rerum omnium conditarum Primogenitum , in quo omnia coagmentata sunt ,
 paritura erat (inquit S. Joannes Damascenus .) Hæc tota Spiritus Sancti thalamus ,
 gratiarum pelagus , tota pulchra , tota Deo propinqua cælum animatum , orbis
 reparatrix , hominum vivificatrix , eo nomine , quod Salvatorem ediderit ,
 quod Vitæ Authorem pepererit ; Regina Angelorum , Mediatrix hominum .
 His , aliisque innumeris laudum titulis ipsam jure cumulant SS. Patres .
 Ipsam invocemus in hujus sæculi mari turbulento . *Mariam Stellam Maris* ,
 secundum nominis significationem , in periculis respiciamus . *O quisquis te*
intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas , & tempestates fluctuare
quam per terram ambulare : ne avertas oculos a fulgore hujus sideris , si non
vis obrui procellis . Si insurgant venti tentationum , si incurras scopulos tribu-
lationum ; respice stellam , voca Mariam . Si jactaris superbiæ undis , si ambitio-
nis , si detractionis , si æmulationis : respice stellam , voca Mariam . Si avari-
tia , aut iracundia , aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis , respice
ad Mariam . Si criminum immanitate turbatus , conscientiæ feditate confusus ,
judicii horrore perterritus , barathro incipias absorberi tristitiæ , desperationis abisso :
cogita Mariam . In periculis , in angustiis , in rebus dubiis , Mariam cogita , Mariam
invoca . Non recedat ab ore , non recedat a corde : & ut impetres ejus oratio-
nis suffragium , non deseras conversationis exemplum : ipsam sequens , non de-
vias : ipsam rogans , non desperas : ipsam cogitans , non erras : ipsa tenente , non
corruis : ipsa protegente , non metuis : ipsa duce , non fatigaris : ipsa propitia ,
pervenis : & sic in temetipso experiris , quam merito dictum sit : Et Nomen
Virginis Maria . Verba sunt S. Bernardi Homilia secunda in Evangelium ,
 Missus est , Mariam imitemur , quæ Virginitate placuit , humilitate concepit .
 Portavit Christum in utero , portemus eum in corde . Gravidata est Virgo
 Incarnatione Christi , gravidentur pectora nostra fide Christi . Peperit Virgo
 Salvatorem pariat : anima nostra salutem , pariamus & laudem . Non simus
 steriles , animæ nostræ Deo sint fecundæ . Quia veritas , & pax , & justitia
 Christus est : hunc fide concipiamus , operibus edamus : ut quod egit ute-
 rus Mariæ in carne Christi , agat cor nostrum in lege Christi . Ad partum
 Virginis pertinemus , siquidem Christi membra sumus . Caput nostrum pe-
 perit Maria , nos Ecclesia . Nam ipsa quoque & mater , & virgo est : Ma-
 ter visceribus charitatis , virgo integritate fidei , & pietatis : populos parit ,
 sed unius membra sunt , cujus ipsa est corpus , & conjux , etiam in hoc si-
 militudinem gerens illius Virginis , quia & in multis mater est unitatis .

Matt. 1.16.

Deiparæ
Virginis
summa fe-
cundum
Deum pu-
ritas .
S. Anselm.
S. August.S. Joann.
Damasc.
Orat. 1. De
Nativit. B.
Virginis .S. Maria
Stella Ma-
ris , in pe-
riculis re-
spicienda ,
& invo-
canda .S. Mariæ
Virginis
Deiparæ
imitatio .
S. August.

Qui fructu ex Christi Incarnatione, & Nativitate colligendi?

I. **M**ysteriorum istorum commemoratione ad gratiarum actionem excitatus est, ut Constantinopolitanum Symbolum explicat: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de celis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est*: Propter nos venit, non propter Angelos. *Non enim Angelos, sed semen Abrahamæ apprehendit*. Non solum propter nos homines, sed etiam propter nos peccatores, non venturus ad homines in felici innocentiae primævæ statu perseverantes. Non aliam ob causam in carne venit, ac forma servi accepta factus est obediens usque ad mortem Crucis, nisi ut hac dispensatione misericordissimæ gratiæ, omnes, quibus tamquam membris in suo corpore constitutis caput est, ad capessendum Regnum cælorum vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui prius fuissent in peccatorum morte, languoribus, servitute, captivitate, tenebris constituti, sub potestate diaboli principis peccatorum: ac sic fieret Mediator Dei, & hominum, per quem post inimicitias impietatis nostræ illius gratiæ pace finitas, reconciliaremur Deo in æternam vitam, ab æterna morte, quæ talibus impendebat, erepti. Quod innumera Scripturæ Sacræ testimonia confirmant, quæ S. *Augustinus* congerit., Non „ veni vocare justos, sed peccatores.... Venit Filius hominis quærere, & „ salvum facere, quod perierat... Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum „ Mundi... Ut salvum faciat populum suum a peccatis eorum... In hoc „ manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli... Sic Deus dilexit Mundum, „ ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non „ pereat... Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut „ nos simus justitia Dei in illo... Gratia vobis, & pax a Deo Patre, & Do- „ mino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.. Deus, qui dives „ est in misericordia, propter multam dilectionem, qua dilexit nos, cum es- „ semus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo... Eripuit nos de pote- „ state tenebrarum, & transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ, in quo „ habemus redemptionem... Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia „ Jesus Christus venit in hunc Mundum peccatores salvos facere, quo- „ rum primus ego sum... Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris „ nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum mi- „ sericordiam suam salvos nos fecit..... Quia pueri communicaverunt „ carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem „ destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum, & libera- „ vit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.... „ Unus Deus, unus Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui „ dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.... Huic omnes Prophetæ „ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus „ omnes qui credunt in eum... Spiritus Domini super me, evangelizare pau- „ peribus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissio- „ nem, & cæcis visum, dimittere contractos in remissionem.“ Venit de cæ- „ lis Deus, homo factus ex Virgine, ut esset via per quam veniremus ad Patrem, „ ut ipse ait: *Ego sum via, veritas, & vita*. Neque enim per ullam creaturam ve- „ nitur ad Patrem, sed tantum per Filium „ Si veritatem quæris (inquit S. August.) „ viam tene: nam ipsa est via, quæ est veritas. Ipsa est quo is, ipsa est, qua is. „ Per Christum ad Christum venis. Per Christum hominem ad Christum De- „ um... Ambulare vis? Ego sum via: Falli non vis? Ego sum veritas. Mori non vis?

Filius Dei propter nos peccatores incarnatus, & natus est; quomobrem gratiæ illi immortalis agendæ.
Hebr. 2. S.
Aug. l. 1.
De pecc. mer. & re- miss. c. 26.

Luc. 5.
Luc. 15.

Joan. 1.
1. Joan 3

Joan. 3.
2. Cor 6.

Galat. 1.

Ephes. 2.

Coloss. 1.

1. Tim. 1.

Tit. 3.

Hebr. 2.
1. Tim. 2.

Act. 10.
Luc. 4.
Isai. 61.

Christus factus est via qua eamus ad Patrem
Joan. 14. 6.
Tract. 13. in Joann.
Idem.

Tract. 22.

Et Tract.
34.

Sapientia
Dei cibus
Angelo-
rum facta
est lac ho-
minum .
Psal. 77.
Joann. 1.
S. August.
Tract. 13.
In Joan. &
Tract. 1.
Serm. 117.
alias 38.
De Verb.
Dom. Et
Enarrat.
in Psal. 130.
Filius Dei
homo factus
est, ut nos
faceret fi-
lios Dei.

Primus fru-
ctus ex in-
carnatione
& Nativi-
tate Christi
colligendus.
S. Leo .

Fructus al-
ter ex In-
carnatione,
& Nativi-
tate Christi
colligendus
fervens
amor Dei.

„ Ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus. Non est, quoeas; nisi ad me;
„ non est qua eas, nisi per me. Manens apud Patrem veritas, & vita, in-
„ duens se carne, factus est via. Non tibi dicitur, Labora quærendo viam,
„ ut pervenias ad veritatem, & vitam: non hoc tibi dicitur. Piger surge,
„ Via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitavit. “ Verbum
caro factum est, ut lactaret infantiam nostram Sapientia Dei, per quam
creata sunt omnia: cibus Angelorum factus est lac hominum. *Panem cæli
dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.* Quis est panis Angelorum?
In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum. Quomodo panem An-
gelorum manducavit homo? *Verbum caro factum est. & habitavit in nobis.*
„ Quare hoc factum est propter te? Ut fugeres, qui manducare non po-
„ teras. Invalidus est infans ad comedendam escam, quæ in mensa est;
„ quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Sic Verbum
caro factum est, ut lacte parvuli nutrireretur, qui ad cibum quidem era-
mus infantes. Verum hoc interest, quia quando cibum mater incarnatum
„ lac facit, cibus in lac convertitur. Incommutabile autem manens Ver-
bum, carnem assumpsit; quod est, non corrumpit, non commutavit, ut
per habitum tuum tibi loqueretur, non in hominem transmutatus, atque
„ conversus. Filius Dei homo factus est, ut nos faceret filios Dei. Factus
est homo nostri generis, ut nos divinæ naturæ possimus esse consortes.
„ Originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis.
„ Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spi-
ritus Sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut re-
„ generet unda credentem... Universa summa fidelium, fonte orta baptisma-
„ tis, sicut cum Christo in Passione crucifixi, in Resurrectione resuscitati,
„ in Ascensione ad dexteram Patris collocati, ita cum ipso sumus in ejus Na-
„ tivitatem congeniti. Quisquis enim hominum in quacumque mundi parte
„ credentium regeneratur in Christo, interciso originalis tramite vetustatis,
„ transit in novum hominem renascendo; nec jam in propagine habetur car-
„ nalis patris, sed in germine Salvatoris, qui ideo filius hominis factus est,
„ ut nos filii Dei esse possimus. Nisi enim ille ad nos hac humilitate de-
„ scenderet, nemo ad illum ullis suis meritis perveniret. “ Verba sunt S.
Leonis Sermone v. & vi. in *Nativitate Domini*. Gratias igitur immortales
Deo agamus. In Christo renati, ut novi homines vivamus, in novitate Spi-
ritus ambulemus, ut nova in Christo creatura. Deponamus veterem homi-
nem cum actibus suis: & adepti participationem generationis Christi, car-
nis renunciemus operibus. Agnoscamus dignitatem nostram, & divinæ con-
sortes facti naturæ, in veterem vilitatem degeneri conversatione ne redea-
mus. Meminerimus, cujus capitis, & cujus corporis membra sumus. Remi-
niscamur, quia eruti de potestate tenebrarum, translati sumus in Dei lu-
men, ac regnum. Per Baptismatis Sacramentum Spiritus Sancti templa facti
sumus. Tantum Habitorem pravis actibus ex animis nostris ne effugemus.
Diaboli ne nos iterum subjiciamus servituti: quia pretium nostrum sanguis
Christi est, qui in veritate nos judicabit, qui in misericordia nos redemit.
Primus ille ex Incarnatione, & Nativitate Christi fructus est colligendus;
cavendumque, ne maximo nostro malo eveniat, ut quemadmodum in diver-
sorio Bethleem locus, ubi nasceretur, defuit, ita etiam locum in cordibus
nostris invenire non possit, ubi in spiritu renascatur.

II. Deinde his Mysteriis ad amorem Dei vehementer accendi debemus.
Hic scilicet Incarnationis, & Nativitatis Dominicæ finis est, ut diserte
S. Augustinus docet Libro *De Catechizandis Rudibus*, cap. iv., Quæ major
„ causa est (inquit) Adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam
„ in no-

in nobis, commendans, eam vehementer; quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hoc autem ideo, quia finis præcepti, & plenitudo legis, charitas est. Ut & nos invicem diligamus, & quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic & nos pro fratribus animam ponamus: & ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, & Filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio, quam prævenire amando: & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere.... Si ergo maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus, & ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem, a quo prior dilectus est, inardesceret, proximumque illo jubente, & demonstrante diligeret, qui non proximum, sed longe peregrinantem diligendo factus est proximus; omnisque Scriptura divina, quæ ante scripta est, ad prænunciandum Adventum Domini scripta est, & quicquid postea mandatum est litteris, & divina auctoritate firmatum, Christum narrat, & dilectionem monet: manifestum est, non tantum Legem, & Prophetas in illis duobus pendere præceptis dilectionis Dei, & proximi, sed etiam quæcumque posterius salubriter conscripta sunt, memoriæque mandata Divinarum volumina Litterarum. " Verbum caro factum est, ut carnalem hominum amorem totum ad se alliceret, & a ceteris sensibilibus omnibus in suam carnem totum avocaret. Hac arte usus est benignissimus Deus, ut homines ad spiritalem amorem sapientiæ, justitiæque in Christi carne latentis proveheret; ut docet S. Bernardus Sermone xx. in Cantica. „ Ego, inquit, hanc ar- bitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus conversari, ut carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem.

III. Imitari debemus virtutes, quarum nobis exemplum dedit Filius Dei in Incarnatione, & Nativitate sua, humilitatem in primis, paupertatem, mortificationem carnis. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: & Propter nos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia divites essemus.* Natus est ut peregrinus in diversorio: natus est in vili præsepio: natus est media hyeme. *Factum est* (inquit S. Lucas) *cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareretur, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Neque vero scribit, non fuisse locum in diversorio, sed ei non fuisse, qui dicit: *Meus est orbis terre, & plenitudo ejus.* Quod etiam S. Joannes testatus est: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* „ In præsepio velut in schola, quam aperit Verbum infans, exemplis clamat prius, quam verbis: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Non ait, *Discite a me mundum fabricare, aut mortuos resuscitare, sed quia mitis sum, & humilis corde.* O doctrinam salutarem! O Magistrum, Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata, atque transfusa est! Noluit docere, quod ipse non esset: noluit jubere, quod ipse non faceret. Hæcine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, quoniam mitis es, & humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi a te, qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset? Ita plane. " *Non enim aliter invenitur requies anime, nisi inquieto timore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat* (inquit S. Augustinus Libro De Sancta Virginitate, cap. xxv.) „ Quid est Christus, qui diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam. Cum Christum nomino,

Imitandæ virtutes, quarum nobis exemplum in Incarnatione, & Nativitate sua Christus dedit.

Philipp. 2.
2. Cor. 8.

Lucæ 2.

Psal. 49.
Joann. 1.
Matth. 11. 29

S. August.
Enarrat. in
Psal. 33.

Idem Enarrat. in
Psalm. 18.

Idem Serm. 117. alias
38. De Verbis Domini.

S. August. Lib. De Agone Christiano cap. 11.

maxime nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo, redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus. Et quem nobis proponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, & Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. *Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem; Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. Quamobrem Erubescat esse homo superbus, propter quem humilis factus est Deus.... Ad magna nos tendimus, parva capiamus, & magni erimus. Vis capere celsitudinem Dei? Cape prius humilitatem Dei. Dignare esse humilis propter te, quia Deus dignatus est humilis esse propter eundem te: non enim propter se. Cape ergo humilitatem Christi, disce humilis esse, noli superbire. Confitere infirmitatem tuam, jace patienter ante Medicum: cum ceperis humilitatem ejus, surgis cum illo: non quasi & ipse surgat, secundum quod Verbum est: sed tu potius, ut magis, magisque a te capiatur.* Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpeffus est. Hæc medicina hominum tanta est, quantum non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si charitate Filii Dei non sanatur? Nolite amare carnalia, quia in Filio Dei nec masculus nec fœmina sumus. Nolite amare temporalia, quia si bene amarentur, amaret ea homo, quem suscepit Filius Dei. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia rescipientem, omnia superflua refecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perditâ reparantem, omnia depravata corrigentem!

Tunc Lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed charitate illius, qui præcepit, fiunt quæcumque præcepit. Omnia ergo bona terrena contempfit homo factus, Dominus Jesus Christus, ut contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de Matre, quæ quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanferit, Virgo concipiens, Virgo pariens, Virgo moriens, tamen fabro desponsata erat; omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus etiam in Civitate Bethелеem, quæ inter omnes Judææ Civitates ita erat exigua, ut hodie vix appelletur, noluit quemquam de cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cujus sunt omnia, & per quem creata sunt omnia, ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separaverat: quamvis sempiternum ejus Regnum universa creatura testetur. Esurivit, qui omnes pascit, &c. (inquit S. Augustinus, Libro De Catechizandis Rudibus, cap. xxii.)

Serm. 5.
In Nativ.
Domini.

Hyeme, nocte, in tanta aeris inclementia, in tenebris nasci elegit Christus, in gravi paupertate, in præsepio, in fœno, in medio duorum animalium, cum aliter nasci posset. *Aut iste fallitur, inquit S. Bernardus, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est Sapientiam. Christus elegit, quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tamquam a seductore cavendum.... Jam vero etiam nocte voluit nasci. Ubi sunt, qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus eligit, quod salubrius judicat, vos eligitis, quod reprobatur ille.*

ille. Quis prudentior e duobus? Cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat: & ecce annuntiat eum Angelus, laudat multitudo cælestis exercitus. Et tu ergo, qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, fileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur. Et nonne ipse est, qui dicit, Meus est orbis terræ, & plenitudo ejus? Quid ergo stabulum elegit? Plane ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Nec dum loquitur lingua, & quæcumque de eo sunt clamant, prædicant, evangelizant, ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus Mundi iudicium arguitur, subvertitur, confutatur. Ipse est promissus olim per Isaiam. Parvulus sciens reprobare malum, & eligere bonum. Malum ergo voluptas corporis, bonum vero afflictio est. Siquidem & hanc eligit, & illam reprobat Puer sapiens, Verbum infans.

Psal. 44.

Isa. 7.

ARTICULUS V.

Quo quartus Articulus Symboli exponitur.

Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, Mortuus, & Sepultus.

Mysterium Passionis Domini explicandum impræsentiarum suscipimus, in quo solo nos gloriari oportet, & præter quod nihil scire se profiteretur Apostolus. *Non judicavi, inquit, me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Licet enim *Verbum Crucis pereuntibus stultitia sit: his tamen, qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est.*

1. Cor. 2.

1. Cor. 1.

§. I.

*Articuli Fides explicatur.**Deus, & homo Christus vere passus; non tamen passa Deitas.*

Christum Dominum Deum verum, Deique Filium vere passum esse, hoc est, captum, illusum, variis injuriarum, & cruciatuum generibus affectum, demum in Crucem sublatum, ibi mortuum esse, ut opus redemptionis nostræ consummaret, hoc Articulo profiteamur. Judicis autem nomen, sub quo passus est Christus adscriptum est, ad historiæ, temporisque exploratorem cognitionem. Erat enim id temporis Pontius Pilatus Judææ Præses, sub Tiberio Imperatore. Tum iis verbis etiam declaratur, illam Salvatoris prædictionem exitu comprobata. „ Ecce ascendimus Jerosolymam, & „ filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemna- „ bunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellan- „ dum, & crucifigendum. *Unde Discipuli (ut refertur Actuum IV.) unani- „ miter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti „ cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt; qui Spiritu Sancto „ per os Patris nostri David pueritui dixisti: Quare fremuerunt Gentes, & „ populi meditati sunt inania? Adstiterunt Reges terræ, & Principes con- „ venerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus? Con- „ venerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Je- „ sum, quem unxisti, Herodes, & Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel, „ facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.*

Matth. 10.

Psal. 2.

Christum igitur Deum, ac Dominum nostrum, Verbum, quod erat in „ principio apud Deum, per quem omnia facta sunt, quem constituit Deus „ hæredem univerforum, per quem fecit & sæcula: *qui est Splendor gloriæ, „ & figura substantiæ ejus, qui portat omnia verbo virtutis suæ, qui pur- „ gationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis: hunc, inquam, vere passum esse credimus, non solum pro hæreditaria la- „ be primorum parentum, sive originali peccato, sed etiam pro vitiis omni- „ bus, & peccatis, quæ homines a mundi origine ad hunc diem admiserunt, ac*

Joan. 1.

Hebr. 1.

deinceps usque ad sæculi finem admissuri sunt. „ Vere languores nostros ipse
 „ tulit, & dolores nostros ipse portavit Cum sceleratis reputatus est :
 Isai. 53. „ & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Unde S.
 „ Petrus Epist. I. cap. II. Christus, inquit, passus est pro nobis, vobis re-
 „ linquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fe-
 „ cit, nec dolus inventus est in ore ejus : qui cum malediceretur, non ma-
 „ ledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judican-
 „ ti se injuste : qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut pec-
 „ catis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis.

Passus est autem non corpore solum, sed etiam anima, quam, quoad inferiorem
 Matth. 26. partem, humanorum affectuum perpeffionibus tradidit. Unde ait : *Tristis est anima
 mea usque ad mortem.* Et, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et si enim
 Personæ divinæ natura humana in Christo conjuncta fuerit; nihilo minus tamen
 passionis acerbicatem sensit, quam si ea conjunctio facta non fuisset : cum in una
 Jesu Christi persona utriusque naturæ, divinæ, & humanæ proprietates servatæ
 sint. *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est : Verbo
 scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Unum horum coru-
 scat miraculis; aliud succumbit injuriis;* inquit S. Leo in Epistola ad Flavia-
 num. Passus igitur Christus secundum carnem, idest, secundum humanam
 naturam, non quod anima fuerit a doloribus libera : sed immunis fuit a
 cruciatibus, & doloribus secundum divinitatem, quæ doloris, & mutatio-
 nis incapax est. *Ea, quæ sunt carnis suæ propria sibi necessario faciens, pas-
 sus dicitur, quæ secundum carnem acciderunt : quamvis patiendi esset expertus
 quatenus Deus intelligitur* (inquit S. Cyrillus Alexandrinus, in Epistola ad
 Valerianum.) Et quomodo recte dicimus, Mortuus est homo, quamvis anima
 ejus non moriatur; ita recte dicimus, Passus, & mortuus est Christus Deus
 homo, quamvis divinitas passioni, & morti non sit obnoxia.

Quæ de Filio Dei verba dicuntur, videndum est secundum quid dicantur.
 Non enim homine assumpto personarum numerus auctus est, sed eadem
 Trinitas mansit. Nam sicut in homine quolibet, præter unum illum, qui
 singulariter susceptus est, anima, & corpus una persona est, ita in Christo
 Verbum, & homo una persona est. „ Et sicut homo, verbi gratia, Philo-
 „ sophus non utique nisi secundum animam dicitur, nec ideo tamen absur-
 „ de, sed congruentissima, & usitatissima locutione dicimus Philosophum cæcum,
 „ Philosophum mortuum, Philosophum sepultum, cum totum secundum carnem
 „ accidat, non secundum illud, quod est Philosophus : ita Christus Deus,
 „ Dei Filius Dominus gloriæ, & si quid hujusmodi secundum Verbum dici-
 „ tur; & tamen recte dicitur Deus crucifixus, cum hoc eum secundum car-
 „ nem passum esse, non secundum illud, quo Dominus gloriæ est, non ha-
 „ beatur incertum. Quia igitur Filius hominis idem est Filius Dei, non ta-
 „ men Filius hominis dicitur propter formam Dei, in qua est æqualis Deo
 Patri, sed propter acceptam formam servi, qua minor est Patre : ideo &
 „ *Filium Dei crucifixum fatemur, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate
 humanitatis; non ex suæ naturæ permansione, sed ex nostræ susceptione.* Sic
 istud fidei caput explicat S. Augustinus Epist. CLXIX. alias CII. ad Evodium,
 & Epist. CCXXXVIII. alias CLXIV. ad Pascentium.

§ II.

Acerbitas Passionis Christi.

Interior
 animi dolor
 in Christo
 gravissimus.

Acerbissimam fuisse Christi Domini Passionem multa probant. Et primo
 quidem interiorum animi dolorem fuisse gravissimum, colligitur ex illius
 causa. Doloris enim illius, tristitiæque usque ad mortem cruciantis causa
 fuere totius humani generis peccata, pro quibus Patri satisfaciebat patiendo.

Un-

Unde ea sibi adscribit, ut fidejussor. Longe, inquit, a salute mea verba de-
lictorum meorum. Dolorem auxit vehementer Judæorum, aliorumque mor-
 tis ejus authorum casus & perditio, & præcipue Discipulorum lapsus, pro-
 ditio Judæ, negatio Petri, desertio ceterorum. Tunc in Christo completa
 sunt Prophetica illa Vaticinia: Psal. XL. *Etenim homo pacis meæ, in quo spe-*
ravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Psal. LIV.
Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is, qui
oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu
vero homo unanimis, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces ca-
piebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu. Psal. LXVIII. *Extra-*
neus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ... In conspectu tuo
sunt omnes, qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, & mise-
riam. Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, &
non inveni. Psal. LXXXVII. *Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abo-*
minationem sibi. Traditus sum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ in-
opia... Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria. Psal.
 CXL. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret*
me. Periit fuga a me, & non est, qui requirat animam meam. Isaïæ LXIII.
Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsi, & non fuit qui adjuvaret. Da-
 nielis IX. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Zachariæ XIII. *Fra-*
mea, suscitare super Pastorem meum, & super virum coherentem mihi, dicit
Dominus exercituum: percutite Pastorem, & dispergentur oves. Tertia doloris
 interioris causa fuit jactura vitæ, & quidem pretiosissimæ, quam homo
 suapte natura refugit. Jerem. XII. *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem*
meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Quarta causa
 est inutilitas passionis ejus, & sanguinis pretiosissimi pro maxima homi-
 num parte, scilicet pro reprobis, maximeque Christianis, qui gratia redem-
 ptionis abutuntur, peccatisque suis celestem medicinam irritam reddunt, *Fil-*
ium Dei conculcantes, & sanguinem pollutum ducentes, in quo sanctificati sunt,
& Spiritu gratiæ contumeliam facientes. Rursus crucifigentes sibi metipsis Filium
Dei, & ostentui habentes. Quorum quidem crimen gravius est quam Judæ-
 orum, qui *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Christia-
 ni autem plerique & se nosse Christum profitentur, & tamen factis negantes,
 quodammodo violentas ei manus videntur inferre. Unde S. Augustinus Enarra-
 tione in Psal. VII. ait: *Videtur consummata nequitia hominum, qui crucifixerunt*
Filium Dei: sed eorum major est, qui nolunt recte vivere, & oderunt præcepta
veritatis, pro quibus crucifixus est Filius Dei. Horum omnium præscientia, &
 perspicacissima cognitio non poterat non excitare timorem, tædium, dolorem
 acerrimum in inferioribus animæ Christi viribus. *In vacuum laboravi sine*
causa, inquiebat, & vane fortitudinem meam consumpsi... Cor meum contur-
batum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor, & tremor vene-
runt super me, & contexerunt me tenebræ. Vim doloris vehementissimam te-
 statur sudor sanguineus: *Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est su-*
dor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Psal. 21.

Hebr. 10.

Hebr. 6.

1. Cor. 2.

Isai. 49.

Psal. 103.

Luc. 22.

Corporis etiam dolores acerbissimi fuere: nulla enim fuit corporis ejus
 pars, quæ gravissimas penas non senserit. Nam & pedes, & manus clavis
 cruci affixæ; caput spinis compunctum, & arundine percussum; facies spu-
 tis sedata, alapis cæsa; totum corpus flagellis verberatum, ac laniatum est.
 Passus est in libertate, quia captus, & funibus vinctus; in fama, quia blas-
 phemiis appetitus; in honore, & gloria, quia illusus, & contumeliis lace-
 fitus, & cum latronibus crucifixus; in gustu, quia felle, & aceto potatus;
 in olfactu, quia fetore cadaverum in Calvariæ Monte sepulcorum infectus; in

Corporis dolores in Christo patiente acerbissimi.

Coloss. 1.
Cor. 7.

auditu, quia voces blasphemantium, iridentium, & exprobrantium audivit; in visu, quia mœstissimam Matrem, & dilectum Discipulum juxta crucem stantes, & flentes vidit; in toto corpore, quia & flagellatio sævissima, & spinarum aculei, & Crucis bajulatio, & confixio suspensioque in cruce, mortisque diuturnitas dolorem incomparabilem effecerunt. Ejus etiam magnitudinem augebat ipsa Christi Jesu corporis constitutio, & habitus; quod quidem cum Spiritus Sancti virtute formatum esset, multo perfectius, & temperatius fuit, quam aliorum hominum corpora esse possunt; ideoque acriorem quoque sentiendi vim habuit, & gravius tormenta illa omnia perpeffum est. Accessit ad doloris cumulum solatii cujuslibet subtractio. Sanctis enim hominibus, quicumque supplicia, & cruciatus pro Christo pertulerunt, non defuit animæ solatium, aut interius gaudium divinitus inspiratum, quo recreati, vim tormentorum æquo animo perferrent. *Gaudeo*, inquiebat Apostolus, *in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ defunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*. Et, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Verum Christus Dominus amarissimæ Passionis calicem, quem bibit, nulla suavitate permixta temperavit. Humanæ enim naturæ, quam assumpsit, sentire, ac perpeti omnia tormenta permisit, non fecus ac si homo purus, non etiam Deus fuisset. Has rationes afferunt *S. Thomas III. Part. Quæst. XLVI. & Concilii Tridentini Catechismus*.

Christi porro dolores acerbissimi vaticiniis Prophetarum prædicti sunt. *Pf. LXX. Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat*. Lamentationum Jerem. IV. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est pro peccatis nostris*. *Pfal. XXXIV. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me ... Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant: & dilataverunt super me os suum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri, Psal. XL. Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur, & peribit nomen ejus ... Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt adversum me. Psal. XXI. Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum ... Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput ... Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est, qui adjuvet. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens, & rugiens. Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Psal. LXVIII. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam ... Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me ... Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam. Quoniam propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam, &c. Isai. L. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab inerepantibus, & conspuentibus in me: Et cap. LIII. Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus, & despectus; unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina*

plina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Lament. Jerem. III. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Et cap. I. Attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.

§. III.

C R U C I F I X U S.

Hoc verbo mortis genus exprimitur, quam pro nobis Christus Dominus perpeffus est, quo nullum turpius, aut acerbius excogitari potuit, quo affici non nisi nocentissimi, ac sceleratissimi homines consueverant, maxime apud Judæos. Nam in Lege eorum scriptum erat: *Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno.* Quod quidem mortis genus fini, quem sibi Christus Salvator noster proposuerat, convenientissimum fuit. Primo propter exemplum virtutis. Ut enim ait S. Augustinus Libro De Diversis Quæstionibus octoginta tribus Quæst. xxv. *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea, quæ non sunt metuenda, non metuere. Mors autem metuenda non est. Oportuit ergo id ipsum illius hominis, quem Dei Sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem, ut ipsa mors metuenda non est, ita nullum genus mortis bene, & recte viventi homini metuendum est. Nihilominus igitur hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidolosius.*

Secundo, genus illud mortis conveniens erat satisfactioni, quam Christus pro peccato primi parentis exhibere Patri decreverat. Peccaverat enim comedendo fructum arboris vetitæ: ideo decuit, ut Christus ad satisfaciendum pro illo peccato se ipsum ligno affigi pateretur, quasi restituens, quod Adam sustulerat, secundum illud Psal. LXXVIII. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Unde Auctor Sermonis inter Augustinianos olim ci. De Tempore, nunc in Appendice xxxi. *Quod, inquit, juste debebat Adam, Christus injuste mortem suscipiendo persolvit. Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem, iste ad crucis amaritudinem: ille arborem necis, iste salutis ostendit: Adam mortem universis intulit, & Christus vitam omnibus reparavit.*

Tertio, decebat, Christum in aere, & non sub tecto pati, ut aerem ab infestatione dæmonum, quos Apostolus vocat *Potestates aeris hujus*, purgaret, sicut terram mundavit effusione sanguinis e latere manantis. Terram sanctificavit, in ea ambulando, aerem, moriendo.

Quarto, decebat Christum in aere mori, ut viam nobis ad celum munit, novumque iter aperiret, quod his verbis significatur: *Attollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales.* Non enim illi, sed nobis ea cælestis referatio januæ necessaria erat, quos ipse suo corpore in sublime attollebat. Nam quemadmodum illud pro omnibus morti obtulit, ita quoque per illum viam ad celos demonstravit (inquit S. Athanasius Oratione De Incarnatione Verbi Dei.) Hinc ipse Christus, Joannis XII. ait: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

Quinto, id mortis genus significandæ univerforum hominum saluti per crucem partæ congruebat. Si mors Domini nostri Jesu Christi (inquit ibidem S. Athanasius) *redemptio est omnium, ac ejus intermedius ille paries macerie solvitur, conficiturque vocatio Gentium: quomodo nos advocasset, nisi crucifixus esset? In sola enim cruce mors extensis, porrectisque manibus toleratur; ideo par erat ut Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque ejus extenderentur, ut hac quidem veterem Populum; illa vero Gentiles attraheret, & ambos in se conjungeret.*

Deut. 21.
Cur Christus mortem crucis elegerit?

S. Thom. 111. P. Q. 46. Art. 4.
Christus in cruce mortuus, ut nullum genus mortis homini recte viventi metuendum esse ostenderet.

Mors crucis conveniens satisfactioni pro peccato primi parentis exsolvendæ.

Ephes. 2.
Cur Christus in aere mortuus?

Pl. 23. 7.

Significandæ omnium saluti per crucem partæ id genus mortis congruebat

Sexto, hoc genere mortis virtutes diversæ designantur. Unde S. Agustinus *Epistola cXL. alias cxx. ait* : „ Non frustra tale genus mortis elegit: „ nisi ut in eo latitudinis hujus, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis Magister existeret. *De qua scilicet scribit Apostolus* : In charitate „ radicati, & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ „ fit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam super- „ eminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. *Ephes. III.* Nam latitudo est in eo ligno, quod transversum de- „ super figitur: hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. „ Longitudo in eo, quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est: ibi „ enim quodam modo statur, idest persistitur, & perseveratur; quod longi- „ nimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo, quod „ tranversum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est ad caput crucifixi, „ quia bene sperantium superna expectatio est. Jam vero illud ex li- „ gno, quod non apparet, quod fixum occultatur, unde totum illud exfur- „ git, profunditatem significat gratuitæ gratiæ.

Septimo id genus mortis figuris, & oraculis Sacrarum Scripturarum Veteris Testamenti respondet, sive Prophetarum Vaticiniis. Atque ut de figuris pauca quædam attingamus, *Abel* primum, qui fratris invidia occisus est; deinde *Isaac* Sacrificium; præterea *Agnus*, quem Judæi, cum e terra Ægypti egrederentur, immolarunt; tum *Serpens æneus*, quem Moyses in deserto exaltavit, Christi Domini Passionis, ac mortis figuram præmonstrabant (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

I. *Abel* integerrimo viro *Caini* fratris invidiam conflavit eximia pietas: *Jesu* omnium hominum innocentissimo fratrum Judæorum odium divinæ virtutes pepererunt. Fuit *Abel* pastor ovium: *Jesus* hominum. *Abel* mortem parat *Cainus*: *Jesu* Judæi. *Abel* em foras ad mortem educit *Cainus*: *Jesum* Judæi ad supplicium extra Hierosolimam rapiunt. Vox sanguinis *Abel* clamat ad Deum de terra, de *Jesu* scribit Apostolus: *Accessistis ad Testamenti Novi mediatorem Jesum, & Sanguinis asperisionem melius loquentem quam Abel.* Exilio *Cainum* mulctavit Deus, patriisque sedibus ejecit; sic tamen ut tutam ei, & incolumem vitam præstaret: profugipassim, & extorres errant Judæi, nec penitus tamen excinduntur, sed certa gens ab aliis discreta esse pergunt.

II. Promissionis filius fuit *Isaac*: *Jesum Deus promisit per Prophetas suos in Scripturis Sanctis.* Unigenitus uterque fuit. *Isaac* a Patre sacrificio destinatus, & ad mortem ductus est: Deus *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* *Isaac* ligna, quibus imponendus, & immolandus erat: *Jesus* crucem, cui suffigendus erat, in montem ipse portavit. Arietem Deo sacrificavit *Abraham* pro filio *Isaac* substitutum: voluit Deus, ut pro hominibus a se procreatis sibi *Jesus* immolaretur. Arietem in vepreto cornibus hærentem vidit *Abraham*: Spinis *Jesus* coronatus est. Uterque in monte Hierosolymitano est immolatus.

III. *Agnus* ab Israelitis immolatus, cum e terra Ægypti egrederentur, ac deinceps ad vesperam Paschæ immolari solitus, *Jesu Christi* figura insignis fuit. Ut enim Apostolus ait, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Quo anni, mensis, & diei tempore Paschalis agnus, hoc ipso immolatus est *Christus Jesus, Agnus immaculatus, & incontaminatus.* Paschalem Agnum comedere festinanter, pedibus calceatis, baculos manibus tenentes, & ad iter expediti jubentur Israelitæ. *Christus Jesus* intra paucas horas captus; damnatus, & morte affectus est. Agni, & *Christi Jesu* mors cruenta, utraque in gratiam populi. Sanguis Agni domorum foribus aspersus Hebræis salutis fuit: Sanguis *Jesu* universis hominibus, quicumque eo abluuntur. Unde *Isaias* de *Christo* prædixit: *Iste asperget gentes multas.* Lege cautum erat, ne Agni ossa confringerentur; de *Jesu*

fieri-

Virtutes di-
versæ, cru-
cis dimen-
sionibus si-
gnificantur.

Figuris, &
oraculis,
Scriptura-
rum mors
Christi, ge-
nusq; mortis
adumbran-
tur, & præ-
dicuntur.

Figuræ *Abel*
Gen. 4
Rupertus
Abbas 1 3.
in Gen. c. 6.

Hebr. 12.

Isaac.
Rom. 2.
Rom. 8.
Gen. 22.
Agnus Pa-
schalis. E-
xod. 12. 1.
Cor. 5.

1. Pet. 1.

Isai. 52.
Joan. 19.

Joannes: *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non freg-
runt ejus crura. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur, Os non commi-
nuctis ex eo.* Post Agni Paschalis sacrificium statim Ægyptiaca servitute redem-
pti sunt Israelitæ: per Sacrificium crucis, vitiorum, dæmonum ac mortis ty-
rannide liberamur.

IV. Serpentium Israelitis infestorum figuram habuit æneus Serpens, sed eo-
rum veneno caruit: Jesus habuit *similitudinem carnis peccati, & tentatus est
per omnia pro similitudine, absque peccato.* Moses posuit serpentem æneum pro
signo: Jesus positus est in signum cui contradicetur. Uterque in altum sublati-
tus est. Unde ipse Christus Joannis III. *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in
deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipsum non
pereat sed habeat vitam æternam.* Qui serpentem æneum aspiciabant, sana-
bantur a moribus serpentum: *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummato-
rem Jesum, qui propositio sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, sa-
nantur a moribus dæmonum, & veneno peccatorum.*

V. His figuris addi possunt *Hircus Emisarius*, cujus capiti mala impreca-
batur Pontifex, quique Israelitarum peccatis velut onustus in desertum abi-
gebatur: Christus enim *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*, atque hoc
onere gravatus, Hierosolymis exactus, & ad mortem deductus est. Et *Vacca Rufa*,
ex cujus cineribus aqua expiationis fiebat. Hæc jugum nondum passa esse
debit, Christus Jesus veteris Legis jugum excussit, eique nos subduxit. Hæc
victima extra castra immolatur: Christus extra Urbem passus est. Hinc Apo-
stolus scribit: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per
Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus, ut
sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est. Excamus
igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Jubetur Sacerdos di-
gitum in Vaccæ rufæ sanguinem intingere, & septies Tabernaculi fores as-
pergere; & ex crematæ demum cineribus aquam expiationis conficere, qua
impuritates abluantur: Christi Sanguis ab omnibus immunditiis nos abluit.*
Unde Apostolus ait: *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ
asperfus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis
Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emun-
dabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?*

Prophetarum etiam vaticiniis mors Christi in cruce prædicta est Psalmo XXI.
Foderant manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.
Jeremiæ XI. Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non
cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum
in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non
memoretur amplius. Ezechielis IX. Et dicit Dominus ad eum: Transi per me-
diam civitatem in medio Jerusalem, & signa Thau super frontes vi-
rorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt
in medio ejus. Et illis dixit audiente me: Transite per civitatem sequentes
eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem,
adolescens, & virginem, parvulum, & mulieres interficite usque ad in-
ternecionem: omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis, & a
Sanctuario meo incipite. Littera Thau antiquis Hebræis formam crucis ha-
bebat. *Cruz Signum Filii hominis*, quo signati ab æterna morte liberantur
qui sincere dolent, & gemunt ob peccata, propter quæ in crucem actus est,
Zachariæ XII. *Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusa-
lem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: &
plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut do-
leri solent in morte primogeniti.* Et Cap. XIII. *Et dicetur ei: Quid sunt plage
istæ*

Serpens
æneus. Rom.
8 Hebr: 4.
Num. 11
Luc. 2

Hebr. 12.

Levit. 16.
Hircus emis-
sarius.
1. Petr. 2.
Vacca rufa.
Num. 19.
Hebr. 13.

Hebr. 9.

Propheta-
rum vatici-
nia de mor-
te Christi
in Cruce.

Marc. 14.

ista in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.

§. IV.

MORTUUS, & SEPULTUS.

Mors Christi.

Christus, postquam crucifixus est, non specie tenus, sed vere mortuus est, ac sepultus, quod fidei caput veterum Hæreticorum, Simonianorum, Basilidianorum, Saturninianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorum, omniumque Phantasiatarum deliriis opponitur, qui carnem non revera, sed sola specie a Filio Dei susceptam somniarunt, adeoque & mortem Christi ludicram, fictam, & specie tenus adumbratam asseruerunt. Sed quin vere mortuus sit Christus, nulla est dubitandi ratio, cum ejus mortem Prophetæ prædixerint, Evangelistæ, & Apostoli testentur. Sic enim Isaias: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussus eum. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.... Ideo disperdiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Daniel IX. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Mortem ipse suam prædixit Matthæi XVI. Vers. 21. Matth. XVII. 22. & XX. 18. 19. Marc. VIII. 31. & IX. 30. & X. 34. Luc. IX. 22. & XVIII. 32. Denique suffixus cruci, *Clamans voce magna emisit spiritum.* Cum igitur mors nihil aliud sit quam animæ separatio a corpore, Jesum Christum vere mortuum esse certum est; Judæos *Auctorem vitæ interfecisse; Christum Jesum Humiliasse semetipsum, factum obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Isai. 53.

Matth. 27.

Marc. 15.

Luc. 23.

Joan. 19.

Act. 3.

Philip. 2.

Matth. 127.

Joan. 9.

Christi sepultura.

Nec solum mortuum, sed & sepultum confitemur, quod in Symbolo expressum est, ut de morte ejus minus dubitare liceat, cum maximo argumento sit, aliquem mortuum esse, si corpus ejus sepultum probemus: deinde ut Resurrectionis miraculum magis declararetur, atque eluceat, spesque resurgendi per Christum illis data, qui in sepulchris positi sunt. Tum denique ad exemplum eorum, qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur a conturbatione hominum. Unde ad Colossenses III. dicitur: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Unde & baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo. Rom. VI. Cap. *Consepulti cum Christo per Baptismum in mortem.*

Persona divina nec ab anima Christi, nec ab ejus carne separata est. S. Athanasius lib. de Salut. Advent. Jesu Christi S. Greg. Niss. Epist. ad Eustathiam, & Ambrosiam S. August. Tract. 67. in Joan.

De utroque Mysterio, mortis scilicet, ac sepulturæ Christi præclare Tertullianus Lib. De Carne Christi, C. v. Marcionem impugnans. *Quid enim, inquit, indignius Deo? Quid magis erubescendum, nasci, an mori? Carnem gestare, an crucem? Circumcidi, an suffigi? Educari, an sepeliri? In præsepe deponi, an in monumento recondi? Et paulo post: Nonne vere crucifixus est Deus? Nonne vere mortuus ut vere crucifixus? Nonne vere resuscitatus, ut vere scilicet mortuus? Falso ergo statuit inter nos scire Paulus tantum Jesum crucifixum, falso sepultum ingessit, falso resuscitatum inculcavit. Falsa est igitur & fides nostra; & phantasma erit totum, quod speramus a Christo. Scelestissime hominum, qui interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vere est passus. Parce unice spei totius orbis. Quid destruis necessarium dedecus fidei? Quodcumque Deo indignum est, tibi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. Crucifixus est Dei Filius: non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius: prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit: certum est,*

est, quia impossibile est. Sed hæc quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus, si non vere habuit in se, quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur, & resuscitaretur? Carnem scilicet sanguine suffusam, ossibus structam, nervis intactam, venis implexam, quæ nasci & mori novit?

Doctrina autem Ecclesiæ est, Fidei Catholicæ regulæ conveniens, Personam divinam, sive Deum Verbum, nec ab anima Christi, nec ab ejus carne separatam fuisse, quando mors animam a corpore separavit: sed tum ad inferos descendenti animæ, tum jacenti in sepulchro corpori, revera, & secundum hypostasim conjunctum, ut erat, permansisse. Hoc enim argumento tamquam validissimo telo Apollinaristas antiqui Patres confutarunt, qui animam detrahebant homini Christo: ex eo sequi, Verbum a corpore fuisse disjunctum, si pro anima ipsi fuerit: siquidem mors est animæ separatio a corpore. Igitur Filium Dei sepultum recte confitemur, quod Scripturæ, ac Symbola Fidei docent: „ Quia si quis etiam tuam tunicam illæ carne tua
 „ conscindat, tibi facit injuriam: nec sic clamas pro veste tua, ut dicas, con-
 „ scidisti tunicam meam; sed conscidisti me. Loqueris ista integer, & verum
 „ dicis, & de carne tua nihil detraxit qui læsit. Sic & Dominus Christus
 „ crucifixus est, Dominus est, unicus Patri est; Salvator noster est: tamen
 „ crucifixus est; sed in carne, & sepultus in sola carne. Nam ubi sepultus
 „ est, & quando sepultus est, tuncibi nec anima fuit ... Sola caro jacet, &
 „ tu dicis, Dominus noster? Dico plane, dico: *Quia vestem intueor, & vesti-*
 „ *tum adoro. Caro illius vestimentum fuit: quia Cum in forma Dei esset, non rapi-*
 „ *nam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi ac-*
 „ *cipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Sic expli-
 „ cat S. Augustinus Serm. ccxiii. alias De Tempore cxix. Idem alia similitudi-
 „ ne illustrat Sermones sequenti. Cum (inquit) sit otus Filius Dei unicus Do-
 „ minus noster Jesus Christus Verbum, & homo, atque, ut expressius dicam,
 „ Verbum, anima, & caro; ad totum refertur, quod in sola anima tristis fuit
 „ usque ad mortem; quia Filius Dei unicus Jesus Christus tristis fuit: ad to-
 „ tum refertur quod in solo homine crucifixus est, quoniam Filius Dei uni-
 „ cus Jesus Christus crucifixus est: ad totum refertur, quod in sola carne se-
 „ pultus est. Ex quo enim cœpimus dicere, Credere nos *In Jesum Christum Fi-*
 „ *lium ejus unicum Dominum nostrum*, quicquid aliud de illo dicimus, non sub-
 „ auditur nisi Jesus Christus Filius Dei unicus Dominus noster. Nec mire-
 „ mini: sic enim dicimus Filium Dei unicum Jesum Christum Dominum no-
 „ strum sepultum, cum sola caro ejus sepulta sit; quemadmodum verbi gratia,
 „ dicimus Apostolum Petrum hodie jacere in sepulchro; cum & illud verissime
 „ dicamus, eum in requie cum Christo gaudere. Eundem quippe Apostolum
 „ dicimus: non enim duo Apostoli Petri, sed unus est. Eundem ergo ipsum
 „ dicimus, & in solo corpore jacere in sepulchro, & in solo spiritu gaudere
 „ cum Christo. Dogmatis istius veritatem confirmat S. Fulgentius Libro III.
 „ *Ad Trasimundum*, Cap. xvi. *Ab ipso namque conceptionis virginalis exordio sic*
 „ *in Christo personalis unitas mansit, ut utriusque naturæ inconfusa veritas perdu-*
 „ *ravit: ut nec homo a Deo divelli, nec Deus a suscepto posset homine separari:*
 „ *nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutaret: &*
 „ *licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura, Divinitas tamen*
 „ *Christi nec ab anima, nec a carne posset separari suscepta.* Idem confirmat S.
 „ Joannes Damascenus Lib. III. Cap. xxvii.

Neque hujus dogmatis veritatem convellit, quod derelictum se a Deo Christus in cruce queritur. Deus enim illum dereliquit, quia auxilium non contulit; sed non dereliquit, quia præsentiam non abstulit: subtraxit protectionem, sed non separavit unionem, inquit Hugo a S. Victore.

Philip. 2.

Lib. 2. de
Sac. Fid. P.
I. c. 10.

Quam-

Corpus Christi putredinis corruptio- nem pas- sum non est.

Pfal. 115.

Cur Chri- stus in alie- no monu- mento, eo- que novo sepultus ?

Quamvis autem corpus Christi sepultum sit, non tamen putredinis cor- ruptionem passum est. Corruptibile quidem fuisse similiter ac reliquorum homi- num corpora, fides docet: sed tamen corruptum non fuisse, ipsum conservan- te potentia Divinitatis, juxta sacrum illud Oraculum: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Id accurate omnino S. Fulgentius explicat, Regino res- pondens, Cap. 11. *Fuit, inquit, in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis. Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus pu- tredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed Resurrectionis ce- leritas fecit.* Hinc Isaia xi. dicitur, *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

In monumento autem alieno sepultus est, eoque novo. Non habebat Chri- stus tumulum suum (*inquit S. Ambrosius Libro x. in Lucam*), „ Etenim tumulus „ his paratur, qui sub lege sunt mortis. Victor mortis tumulum suum non „ habet. Quæ enim communio tumulo, & Deo? Specialis igitur præter „ communem omnium mortem mors Christi est, & ideo non cum aliis se- „ pelitur, sed solus tumulo includitur .. Mors Christi communis secundum „ naturam corporis, specialis secundum virtutem. Quis est autem Joseph, cu- „ jus in tumulo ponitur? Utique ille Justus. Bene ergo Christus monumento „ creditur Justi, ut habeat Filius hominis, ubi caput suum reclinet, & justitiæ „ habitatione requiescat. Bene autem novo, ne alius suscitatus a perfidis diceretur.

S. V.

Luc. 22. 22.

Passio, & Mors Christi voluntariæ fuerunt, non coactæ; liberæ, non necessariæ.

Quamvis Christus Passionem, & Mortem subierit, quæ secundum cir- cumstantias omnes definita erat, & imperata a Patre, secundum illud, „ Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: Verumtamen væ ho- „ mini illi, per quem tradetur. *Et Actuum iv.* Convenerunt in civitate ista „ adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pilatus „ cum gentibus, & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum „ decreverunt. *Joannis xiv.* Ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & „ sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite, eamus hinc. *Philip.* „ *II.* factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Tunc tamen mortuus est, cum ipse mori decrevit, & mortem non tam aliena vi illatam, quam voluntariam obiit. Nec vero mortem solum, sed etiam lo- cum, & tempus, in quo moreretur, ipse sibi constituit, *Isaia* teste: *Obla- tus est*, inquit, *quia ipse voluit.* Idque idem Dominus significat, cum de se ipso ante passionem ait: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Ne- mo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Isa. 53.

Joan. 20.

Luc. 13.

Quod autem ad tempus, & locum attinet, cum Herodes ejus vitæ infidiare- tur, ipse ait: *Dicite vulpi illi, Ecce ejicio demonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consumor. Verumtamen oportet me hodie, & cras, & se- quenti die ambulare: Quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Hinc S. Augustinus Tract. xxxi. in Joannem de Christi morte verba faciens, ait: *In- clinato capite reddidit spiritum. Videtis potestatem morientis; quia hoc expecta- bat, donec omnia complerentur, quæ de illo prædicta fuerant ante mortem futu- ra ... Postea quam completa sunt, dixit, Perfectum est; & abscessit potestate, quia non venerat necessitate. Ideo quidam plus mirati sunt istam potestatem mo- rientis, quam potentiam miracula facientis.*

Æternum consilium, præceptum- que Patris, Christi libertati in morte sub- eunda non officit.

Christus igitur liberrime passionem, mortemque sustinuit, quamvis æterno consilio, imperioque Patris, quoad ipsas etiam circumstantias perfinitam, quia erga illas in se ipsis, & absolute spectatas indifferens prorsus erat humana Chri- sti voluntas per sese, ad easque non ulla vi extrinseca, aut ulla sibi intrinseca

necessitate, sed sola Patris jubentis charitate ferebatur. Non fervili obedientia; sed libera consensione paternis imperiis mortem subiit, immutabili quidem, & impeccabili, sed tamen indifferenti voluntate. Præcepto Patris ad mortem subcundam tenebatur, sed quod sibi ipse sanxerat, cum volens, lubensque carnem carnisque mortem amplexatus est. Hinc S. Joannes Chrysostomus Homilia LIX. in Joannem, Christum ita libere animam posuisse ait, ipsi ut præcepto non esset opus ad mortem oppetendam. „ Qui a se ipso ponit, præcepto non indiget. Et „ causam cur faciat, affert, quod scilicet sit Pastor & Pastor bonus: bonus „ autem Pastor ad ovium custodiam hortatore non indiget. Quod si in ho- „ minibus usuenit, multo magis in Deo. Ideo Paulus inquit, quod seip- „ sum exinanivit. Nihil autem aliud hoc in loco præceptum signat, quam „ cum Patre concordiam. Quod si humiliter, & humane locutus est, au- „ ditorum imbecillitati tribuendum.

Et S. Cyrillus Libro x. in Joannem *Habes igitur in subjectione voluntaria voluntatum Patris adimpletionem, quas loco mandatorum Filius apud se esse ait. Nam cum Patris consilia, ut Verbum intelligat, ejusque profunda scrutetur, immo vero cum sit Sapientia, & Virtus Patris, voluntatem ejus ad opus perducit, mandati loco eam habens, atque ita humano more eam nuncupans. Atque hoc sensu Christus Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: Corpus autem aptasti mihi; Holocausta pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Hinc Apostolus de ipso rursus scribit: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Servatoris gaudium est salus hominum. Pro hac passionem subiit. Potuisset non pati, si hoc voluisset; sed passionem sustinuit, beneficio omnes afficiens. *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Et tradidit semetipsum pro me* (inquit Apostolus.) Tradidit ergo Pater Filium, & Filius ipse se tradidit. Tradidit Pater volentem, tradidit offerentem (inquit S. Ambrosius.) Legatur S. Anselmus Libro *Cur Deus homo*, Cap. ix. & x. ubi singulari quodam, præclaroque modo hanc veritatem explicat.

Nec vero quis existimet, Christum in passione, & morte subeunda minus fuisse liberum, quia metu mortis imminentis Patrem oravit, ut ab illo transiret calix iste: affectus enim nostros liberrima voluntate suscepit, sicut & carnem, & animam humanam, ut illos sanaret, ut illos nobis vinceret, ac subterneret, ut nobis & exemplo esset, & solatio, & auxilio. Exemplo, ut cum hujusmodi perturbationum tempestatibus jactamur, fortiter agamus, ad Deum confugiamus, ejus nos addicamus voluntati. Solatio, ne in his procellis desperemus, cum ab illis nec Deum in nostra carne immunem fuisse fides doceat. Auxilio, cum intestinæ illius tempestatibus vim primus expertus sit, ac fregerit. Hinc maxime pietatem ejus, ac majestatem demirari, ac laudare decet. *Minus enim contulerat mihi* (inquit S. Ambrosius in Cap. xxii. Lucæ) *nisi meum suscepisset affectum: suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiā largiretur; & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomine, quia crucem prædico. Neque enim speciem Incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem Nos vult erudire, ut quia in Joseph didiceramus carcerem non timere, mortem vincere disceremus in Christo: & quod est amplius, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam vinceremus Sed adhuc dormiunt, & nesciunt dolere, pro quibus Christus dolebat. Ita enim legimus, Quia peccata nostra portat, & pro nobis dolet. „ Doles ergo, Domine „ non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. Et nos*

Hebr. 10.
Psal. 38.
Hebr. 12.

Theodor.
in cap. 12.
Epist. ad
Hebr.

S. Ambr.
Libro De
Spiritu San-
cto. cap. 12.

Christus af-
fectus no-
stros liberi-
me suscepit,
quas ob cau-
sas?

Lib. x. in
Lucam.

Isai. 53.

„ æstimavimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me dolere
 „ infirmatus enim es, sed propter peccata nostra: non quia illa tibi infi-
 „ mitas erat ex Patre assumpta, sed pro me suscepta; quia mihi proderat
 „ ut eruditio pacis nostræ esset in te, & livore tuo vulnera nostra sanares

*Sed quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro uno flevit? Quid mirum
 moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus illachrymat? Se-
 & ibi piæ Sororis lachrymis commovetur, quia mentem humanam tangebant
 Et hic alto operatur affectu, ut quia in carne sua peccata nostra perimebat*

Causa tri-
stis Chri-
sti.
Sap. 2.

*morem quoque animæ nostræ suæ animæ mæror aboleret. Et fortasse ideo tristi-
 est, quia post Adæ lapsum tali transitu nobis erat ex hoc seculo recedendum
 ut mori esset necesse. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vi-
 vorum, Et ideo fastidit, quod ipse non fecit ... Tristis videbatur, & tr.*

Matth. 26.

*stis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait, Percutiam
 Pastorem, & dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relin-
 quebat. Ceterum quam constanter se morti obtulerit, Scriptura declarat; quan-
 doquidem querentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, Pr-
 ditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero, si tristis erat p-*

Joan. 18.
Luc 22.

*persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturus. Et ideo d-
 xit, Transfer hunc calicem a me; non quia Dei Filius mortem timebat, se-
 quia vel malos perire volebat. Denique ait: Domine, ne statuas illis hoc
 peccatum, ut passio sua esset omnibus salutaris.*

Joan. 12. 27.

*S. Augustinum de eo argumento differentem audire jucundum erit. Si
 autem habet Tract. LII. in Joannem, ubi explicat illa verba Christi, Nun-
 anima mea turbata est: NOS, inquit, in se transtulit, nos in se suscepit. Ca-
 put nostrum, membrorum suorum suscepit affectum: & ideo non est ab aliquo
 turbatum; sed sicut de illo dictum est, cum Lazarum suscitaret, Turbavit se*

Joan. 11.

*metipsum: oportebat enim, ut unus Mediator Dei, & hominum homo Chri-
 stus Jesus, sicut nos excitavit ad summa, ita nobiscum pateretur & infirma*

Joan. 12. 3

*Audio superius dicentem: Venit hora, ut glorificetur Filius hominis. Si mor-
 tificatum fuerit granum, multum fructum affert. Audio: Qui odit animam
 suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Nec permittor tan-
 tummodo mirari, sed jubeor imitari. Deinde sequentibus verbis, Si quis mihi
 ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, & ibi minister meus erit: „ mun-
 „ dum contemnere accendor; & in conspectu meo nihil est mundi hujus
 „ totus, quantumlibet fuerit prolixus, vapor: præ amore terrenorum tem-
 „ poralia mihi cuncta vilescunt: & rursus ipsum Dominum meum, qui in
 „ illis verbis ab infirmitate mea rapuit ad firmitatem suam, audio dicen-*

Christus
sponte, &
potestate;
non neces-
sitate turba-
tus.

*tem, Nunc anima mea turbata est. Quid est hoc? Quomodo sequi jube-
 „ animam meam, si turbari video animam tuam? Quomodo sufferam
 „ quod grave tanta firmitas sentit? Quale fundamentum quæram, si Pe-
 „ tra succumbit? Sed videor mihi audire in cogitatione mea respondentem
 „ mihi Dominum & quodammodo dicentem: Magis sequeris, quia sic in
 „ interpono, ut sufferas. Audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem
 „ infirmitatis tuæ: vires suggero, ut curras, nec reprimo, quod acceleras
 „ sed transfero in me, quod trepidas: & substerno, qua transeas. O Domine
 „ Mediator. Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam
 „ nam quod tu tantus tuæ charitatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo
 „ qui suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant consolaris
 „ Denique homo, qui se qui vult, audiat, qua sequatur. Accessit forte hora ter-
 „ ribilis: proponitur optio aut faciendæ iniquitatis, aut subeundæ passionis: tur-
 „ batur anima infirma, propter quam sponte turbata est Anima invicta: præpon-
 „ tuæ voluntati voluntatem Dei ... Docuit te, quid cogites, docuit, quid dica-*

quem

quem invocet, in quo speret, cujus voluntatem certam atque divinam tuæ voluntati humanæ, infirmæque præponas ... Sicut autem hic dicit, *Nunc anima mea turbata est*; ita etiam ubi dicit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*: & , *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*; hominis suscepit infirmitatem, ut doceat, sic contristatum, & conturbatum, quod sequitur dicere: *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater*. Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas divina præponitur.

Matth. 26.

Et tract. LX. „ Qui mortuus est pro nobis, turbatus est idem ipse pro nobis. Qui ergo potestate mortuus est, potestate turbatus est. Qui transfiguravit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ, transfiguravit etiam affectum infirmitatis nostræ, compatiens nobis affectu animæ suæ. Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus, quasi deficiat: non perit, sed nos quærit. Nos, inquam, nos, omnino sic quærit. Nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus. Quando turbatur qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur, qui turbatur & nolens. Pereant argumenta Philosophorum, qui negant in Sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi: & Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Turbetur plane animus Christianus, non miseria, sed misericordia: timeat, ne pereant homines Christo; contristetur, cum perit aliquis Christo: concupiscat acquiri homines Christo; lætetur, cum acquiruntur homines Christo: timeat & sibi ne pereat Christo; contristetur peregrinari se a Christo: concupiscat regnare cum Christo; lætetur, dum sperat se regnaturum esse cum Christo.

1. Cor. 13.

Psal. 93.

Et infra: „ Quid est ergo, quod ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, hoc est, in sua Ecclesia, suæ infirmitatis voluntaria similitudine consolatus est: ut si qui suorum adhuc morte imminente turbantur in spiritu, ipsum intueantur, ne hoc ipso se putantes reprobos, pejore desperationis morte sorbeantur. Quantum itaque bonum de participatione divinitatis ejus expectare, & sperare debemus, cujus nos & perturbatio tranquillat, & infirmitas serenat? Sive ergo isto loco ipsum Judam pereuntem miserando turbatus est; sive sua morte propinquante turbatus est: non est tamen ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum; ne nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate, sed infirmitate turbamur. Non ergo aliquo est cogente turbatus, sed turbavit semetipsum, quod de illo evidenter expressum est, quando Lazarum suscitavit ... Affectum quippe humanum, quando oportuisse judicavit in seipso potestate commovit, qui hominem totum potestate suscepit. “ Id nimirum discriminis inter affectus Christi, ac nostros, quod nos necessitate, non voluntate, his affectibus subdimur; Christus voluntate, non necessitate. Christus illis imperabat; nos quodammodo servimus. Christus horum affectuum primordia, incrementa, accessionem omnimodam in potestate habebat; nos vero nec affici incipimus cum libet, & incipimus, etsi non libet: nec quantum, & quamdiu volumus afficimur. Hic perturbationum tantum exordia, non incrementa Christo tribuit Scriptura. *Capit pavere, inquit, & tædere*. Propassiones erant, ut loquitur *S. Hieronymus* in Cap. xxvi. *S. Matthæi* quia morem gerebant rationi; illam præeuntem sequebantur, non antevolabant; serviebant, non turbabant, nec a tranquilla Deitatis contemplatione illam vel tantisper avocabant. Unde *S. Augustinus* Enarrat. in Psal. lxxv. explicans hæc verba, „ Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum, ait: Gloriam suam Deum dicit etiam ille, quem sic suscepit Deus Verbum, ut simul cum eo Deus fieret.

Discrimen
inter affe-
ctus Christi,
& nostros.

„ *Et exaltans caput meum*. Mentem ipsam humanam hic accipiendam puto, quo
 „ caput animæ non absurde appellatur: quæ ita inhesit, & quodammodo coalui
 „ excellenti supereminentiæ Verbi hominem suscipientis, ut tanta passionis hu
 „ militate non deponeretur.

Christus
 passiones
 nostras sub
 iit, ut sana
 ret.

His omnibus addenda sunt præclara *S. Leonis* verba Sermone VII. De Passio
 Domini. *Passiones*, inquit, mortalitatis nostræ ob hoc Misericordia subiit, ut
 „ sanaret; ob hoc Virtus recepit, ut vinceret. Cum itaque Dei Filius dicit: *Pa*
 „ *ter, si fieri potest, transeat a me calix iste*; nostræ utitur voce naturæ, & causam
 „ agit fragilitatis, & trepidationis humanæ: ut in iis, quæ toleranda sunt, &
 „ patientia roboretur, & formido pellatur. Denique cessans hoc ipsum petere
 „ excusato quodammodo nostræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere ne
 „ expedit, in alium affectum transit, & dicit: *Verumtamen non sicut ego volo, se*
 „ *sicut tu*. Et iterum: *Si non potest calix iste transire a me, nisi bibam illum, fiat vo*
 „ *luntas tua*. Hæc vox capitis, salus est totius corporis: hæc vox omnes Fideles
 „ instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quæ
 „ mundi odia, quis tentationum turbines, qui posset persecutorum superare te
 „ rores; nisi Christus in omnibus, & pro omnibus diceret Patri: *Fiat voluntas tua*.

§. VI.

Immensa ex Passione, & Morte Christi Beneficia in nos redundarunt.

Cum Passionem, Mortemque pro nobis Christus Dominus subierit, exp
 canda sunt ingentia commoda, & bona, quæ ex sacro illo fonte in nos
 manarunt.

Primum
 Beneficium
 ex passione
 Christi in
 nos manās,
 liberatio
 est a peccato

I. Primum est, *Liberatio a peccato*, secundum illud Apostoli ad Romanos I I.
 „ Justificati per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus pro
 „ pitiationem per fidem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium
 „ delictorum. *Et ad Ephesios* I. Gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo hab
 „ bemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum. *Ad Colo*
 „ *ss. I I.* Et vos, cum mortui essetis in delictis, convivificavit cum illo, donans vol
 „ omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, qu
 „ erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. *Ad He*
 „ *bræos* IX. Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.... Semel oblat
 „ est ad multorum exhaurienda peccata. *Aposcal.* I. Dilexit nos, & lavit nos a pe
 „ catis nostris in sanguine suo. Est igitur Passio Christi causa universalis remissi
 „ nis omnium peccatorum præteritorum, præsentium, futurorum: universalis me
 „ dicina omnium animæ nostræ morborum, a cœlesti Medico ex ipsiusmet vivi
 „ cacarne, vulneribus, & sanguine confecta: quæ tamen singulis applicetur ne
 „ cesse est per fidem charitate formatam, ad percipiendum fructum ipsius, secundum
 „ illud Apostoli ad Romanos I I I. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem*
 „ *sanguine ejus*: & per Baptismum, Pœnitentiam, aliaque Sacramenta, quorum
 „ virtus omnis ex Passione Christi derivatur.

Alterum
 Beneficium
 liberatio est
 a diaboli
 tyrannide
 Tract. 52 in
 Joan.

II. Effectus alter Passionis Christi est *Liberatio a diaboli tyrannide*. Quod ip
 Christus imminente passione sua significavit (*Joannis XII.*) dicens: *Nunc ju*
 „ *dicium est mundi. Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras: & ego si exaltat*
 „ *fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. „ Possidebat scilicet diabolus genus hu
 „ manum, inquit *S. Augustinus*, & reos suppliciorum tenebat chirographo pe
 „ catorum; dominabatur in cordibus infidelium, quos ad creaturam colendam
 „ deserto Creatore deceptos, captivosque pertrahebat. Per Christi autem
 „ dem, quæ morte ejus, & resurrectione firmata est, per ejus sanguinem, qui
 „ in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium a dominatu liberant
 „ diaboli, Christi corpori copulantur, & sub tanto capite, uno ejus Spiritu fid
 „ lia membra vegetantur. Hoc vocabat judicium, hanc discretionem, hanc
 „ suis redemptionis diaboli expulsiorem.

Duplici

Duplici fundamento fulciri videbatur diaboli in hominum genus dominatio, divinæ scilicet permissionis, & humanæ consensionis: quamobrem subvertendum utrumque fuit. Sed cum a Deo concessæ potestatis fines transgressus sit, & qui innocentes dumtaxat, & vel originalis, vel propriæ contagio culpæ reos sævire permissus erat, in Christum innocentem, totiusque justitiæ Auctorem grassatus sit, juste spoliatus est jure suo, & concessa potestate exutus. *Justissime*, inquam, *dimittere cogitur credentes in eum, quem injustissime occidit* (inquit S. Augustinus.) Sic justitia Christi (ut dictum est) magis quam potentia victus est diabolus, quia cum in eo mortis meritum non inveniret, secundum illud: *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*, idest nullum peccatum, occidit eum tamen. Justum ergo erat, ut quos debitores tenebat, liberi dimitterentur, credentes in eum, quem sine ullo debito occidit; ut differit idem sanctus Doctor. Hac justitia victus, & hoc vinculo vinctus est fortis, ut vasa ejus eriperentur, quæ apud eum cum ipso, & Angelis ejus fuerant vasa iræ, & in vasa misericordiæ verterentur. Hinc Apostolus credentes ad gratiarum actionem invitans, *Qui eruit nos*, inquit, *de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum.*

Lib. 3. De
Liber. Arb.
c. 10.

Joan. 14.

S. August.
lib. 13. De
Trin. c. 14.

Marc. 3.
Coloss. 1.

„ In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto diabolus non ditatus, sed ligatus: ut nos ab ejus nexibus solveremur, nec quemquam secum eorum, quos Christus ab omni debito liber indebite fuso suo sanguine redemisset, peccatorum retribus involutum traheret ad secundæ, ac sempiternæ mortis exitium.

Christus, ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret (inquit S. Leo Sermone XI. De Passione Domini) „ & sævienti diabolo potentiam suæ Majestatis occuluit, & infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis, & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere: ne omnium captivorum amitteret servitutum, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas sua: intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur: fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo & pretium esset, & poculum. Suscepit Dominus, quod secundum propositum suæ voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt scelere, famulatae sunt Redemptori.

Quamvis porro diabolus etiam nunc Deo permittente homines tentare possit, quantum ad animam, & vexare, quantum ad corpus: *Tamen præparatum est homini remedium ex Passione Christi, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis æternæ. Sed si aliqui hoc remedio uti negligant, nil deperit efficaciæ Passionis Christi; ut loquitur S. Thomas III. Part. Quæst. XLIX. Art. II. in Resp. ad secundam, & tertiam objectionem. Præclare vero S. Augustinus Tractat. LII. in Joannem explicat, qua ratione diabolus a Christo sit ejectus foras, & nihilominus Fideles tentare permittatur. Aliud est, inquit intrinsecus regnare, aliud forinsecus impugnavit: nam & munitissimam Civitatem aliquando hostis oppugnat, nec expugnat. Et si aliqua tela ejus missa perveniunt, admonet Apostolus, unde non lædant, commemorat lorica & scutum fidei. Et si aliquando vulnerat, adest, qui sanat. Quia sicut pugnantibus dictum est, Hæc scribo vobis, ut non peccetis: ita, qui vulnerantur, quod sequitur audiunt, Et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: ipse est propitiatio peccatorum nostrorum. Quid enim oramus, cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, nisi ut vulnera nostra sanentur? Et quid aliud petimus, cum dicimus,*

Qua ratione
diabolus a
Christo fo-
ras eje-
ctus } fideles
tentare ni-
hilominus
permittitur?

2. Thess. 5.
1 Joan. 2.

Matth. 6.

Ne nos inferas in tentationem, nisi ut ille, qui insidiatur, vel certat extrinsecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla possit virtute superare? Quantaslibet tamen adversum nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus est foras. Sed nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabit, qui custodit. Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, si non vultis foras ejectum diabolum intro iterum revocare.

Tertium beneficium solutio est peccati nostris debitæ. Par debitis nostris pretium solus Deus solve-
re potuit.
Psal. 48.
S. Aug. Ser. 1. in hunc Psalmum legatur. & S. Basilii in eundem Psalmum.

III. Tertium beneficium ex Christi passione ad nos promanans, est peccati nostris peccatis debitæ solutio. Integram enim, atque omnibus numeris perfectam satisfactionem pro peccatis nostris Deo Patri persolvit, quam homo purus exhibere non poterat. Totum hominum genus peccato infectum, ac perditum, tota natura humana peccato corrupta erat, nec bonum singularis personæ, vel etiam plurium, æquiperabat naturæ totius detrimento. Omnium vitæ redimendæ par non erat nisi ipsa vita. Imaginî suæ redimendæ par pretium non erat nisi Deus. *Frater non redimit: redimet homo? Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ.* Quis est frater, qui si non redemerit, nullus homo redempturus est? Qui post Resurrectionem dixit; *Vade dic fratribus meis.* Frater noster voluit esse; & cum Deo dicimus, *Pater noster*, hoc manifestatur in nobis. Qui enim dicit Deo, *Pater noster*; Christo dicit, *Frater*. Ergo si ipse non redimet, homo redempturus est? Aliquis homo redimet, si Filius hominis non redimit? Si Christus non redimit, Adam redimet? (inquit S. August.) *Frater non redimit, redimet homo?* Hinc S. Cyrillus Lib. II. in Joannem: „Cum in multis (inquit) „ peccatis, essemus, atq; ideo morti, & corruptioni obnoxii, dedit Filium „ suum Pater redemptionem pro nobis, unum pro omnibus, quoniam omnia „ sunt in ipso, & omnibus melior est. *Et S. Proclus Constantinopolitanus Episcopus Orat. I.* Homo, inquit, quod peccati debito subjaceret, salvare utiq; „ non poterat: Angelus vero, quod tantum redemptionis pretium ipsi non „ suppeteret, genus humanum redimere nequibat. Supererat igitur, ut im- „ peccabilis Deus pro peccatoribus moreretur; hæc restabat mali redemptio... „ Ex Virgine natus est Deus, & homo, non solum id pretium habens, quod „ reorum multitudini ad justitiam redimendæ par esset, sed & quod multis „ partibus excelleret. Nam ut Filius est, eandem virtutem, ac perfectionem „ incommutabiliter servat cum Patre; ut rerum Opifex, nullius virtutis est „ indigens; ut Misericors, immensa misericordia pollet; ut Pontifex, digne „ intercedendo assistit. Quorum quidem omnium nihil unquam simile, ni- „ hil æquale in alio quopiam reperire quis poterit. “ Deniq; S. Avitus Vien- nensis Episcopus Epist. XXVIII. scribit: *Nescio in quem effectum redemptio no- stra surrexit, si non creaturæ suæ pretium Deus extitit.*

Infinita pec-
cati malitia.
111. P. Q. I.
A. 2. ad se-
cundum.

Præterea, peccatum quatenus injuria est infinitæ Dei Majestati irrogata, infinitæ est malitiæ. *Tanto enim offensa est gravior, inquit S. Thomas, quanto major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfactionis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, & hominis existens.* Infinita peccati enormitate exasperata Dei justitia placari, & propitiari non poterat, nisi rependeretur ipsi ablati honos a persona infinitæ dignitatis. Sicut enim crescit enormitas injuriæ ex vilitate offendentis; ita crescit pretium satisfactionis ex dignitate satisfaciendæ. Pretium igitur, quo injuria Deo illata plena satisfactione compensaretur, non aliud erat, quam Deus ipse. Hominem enim tanto muneri imparem reddebat non solum conditio naturæ, sed & indignitas culpæ: Angelum naturæ impotentia, & inopia, cum ex propriis opibus æquale pretium divinæ justitiæ pro hominibus solvere non valeret: solus Agni immaculati sanguis pretium redemptionis nostræ esse potuit. Unde Apostolorum Princeps Epist. I. c. I. ait: *Non corruptibili-*

bilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterne traditionis, sed pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati. Et S. Paulus ad Galat. III. scribit: Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.

Neque vero pretium, quod pro nobis persolvit Christus debitis nostris par solum, & æquale fuit, verum ea longe superavit. Vita hominis Dei pretiosior est, quam omne, quod Deus non est, & superat omne debitum peccatorum. Si enim interfectio illius superat omnem multitudinem, & magnitudinem peccatorum, quæ cogitari possunt, palam est, quia bonitas, pretiumq; vitæ ejus præponderat malitiæ omnium peccatorum. Hanc vitam Homo iste cum ex debito mori non deberet, quoniam peccator non erat, sponte dedit de suo ad honorem Patris, cum eam sibi auferri propter justitiam permisit. Cumulatissima igitur, & superabundans fuit satisfactio Christi. Sic ratiocinatur S. *Anselmus* l. II. *Cur Deus Homo*, c. XIV. & Meditatione XI., Apud

„ Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio (*inquit Propheta*)
 „ Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia (*inquit Apostolus*) Et,
 „ Si unius delictum mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiæ,
 „ & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per Jesum
 „ Christum. *Non gratiam dumtaxat, sed Gratia redundantiæ S. Paulus ap-*
 „ *pellavit* (*inquit S. Joannes Chrysost. Hom. x. in Epist. ad Romanos.*) Non enim
 „ quantum indigebamus ad peccati interitum, tantum accepimus modo ex
 „ ipsa gratia, sed & multo amplius: nam & liberati sumus supplicio, &
 „ vitiositatem omnem deposuimus, & de integro regenerati sumus, & resur-
 „ reximus sepulto veteri homine, & redempti sumus, & sanctificati, & in
 „ adoptionem adducti, & justificati, & fratres effecti Unigeniti, & cohære-
 „ des, & in eandem corporis unitatem redacti, & in ipsius carnem cense-
 „ mur, atque ut corpus capiti, sic isti uniti sumus. Hæc igitur omnia gra-
 „ tiæ exuberantiam appellavit Paulus, interim declarans, nos non medica-
 „ men vulneri par solum accepisse, sed & sanitatem, & pulchritudinem, &
 „ honorem, & gloriam, & dignitatem natura nostra longe superiorem. Atq;
 „ horum unumquodque per se ad mortem solvendam suffecerit: cum autem
 „ omnia in unum concurrere apparuerit, relinquitur, ut ne vestigium qui-
 „ dem, aut umbra illius prorsus deletæ apparere usquam possit. “ Si damna
 nostra tanto cum fenore resarciit, si tam redundanter nostris utilitatibus in-
 dulset misericordissimus Redemptor, multo certe uberius Deo Patri, sibique
 ipsi damna honoris refecit, ipsiq; redundantem satisfactionem obtulit: *Quem-*
admodum ergo, si quis eum, qui obolos decem sibi debeat, in carcerem conjiciat.
nec eum tamen solum, sed ejus causa tum uxorem, tum liberos, tum famulos;
atque hic superveniens unus aliquis, decem quos dixi obolos non numeret modo,
sed cum infinita item auritalenta largiatur, tum vero in Aulas Regias
vinculum illum introducat, in Principatus altissimi thronum imponat, cum
eo summum honorem communicet; non possint utique postea oboli illi decem il-
lius memoriæ obversari, qui illos numeraverit, ac mutuo dederit: sic & in no-
bis evenit. Multo enim pluribus, quæ debebamus, rependit Christus, atq; adeo
tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum majus esse
possit. Noli ergo ambicere, homo, cum tantam bonorum opulentiam videas. ne-
que interroges, qui id fieri potuerit, ut illa mortis, atque peccati scintilla tan-
to donorum veluti mari restincta, & soluta sit.

IV. Huic beneficio quartum illud connexum, atque implicatum est, quod Christus morte sua velut sacrificio, quo nullum Deo gratius, & acceptius offerri potuit, Patris iram & indignationem prorsus mitigavit, eumque nobis placatum, & propitium reddidit. Unde Apostolus II. ad Corinth. v. ait:

Cumulatissima, & superabundans Christi satisfactio.

Psalm. 129.

Rom. 5.

Christus sacrificio mortis sue Patris nobis placatum, & propitium reddidit.

Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum... Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. E ad Ephesios, cap. v. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Divina justitia placari non poterat, nisi victima piaculari aliqua, quæ ad id par esset. Quærendum est, rat sacrificium; sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum fuit (inquit S. Gregorius l. xviii. *Moralium*, c. xviii.) ut pro rationali homine brutorum animalium victimæ cederentur. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, idest pro homine, digna victimæ non fuerunt, requirendus erat homo, qui pro hominibus offerre debuisset, ut pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quid quod homo sine peccato inveniri non poterat; & oblata pro nobis hostia quando nos a peccato mundare potuit, si ipsa hostia peccati contagione non careret? Inquinata quippe iniquitates mundare non potuisset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus; ut vero a peccatis mundaret hominem, homo sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo; sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis Sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & justitia mundare potuisset. Certissimum est, quod Apostolus scribit Epist. ad Hebr. Cap. x. *Impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit; Hostiam, & oblationem noluisse: Corpus autem aptasti mihi: Holocaustumata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio: Significans solo sacrificio, in quo idem Sacerdos & victima Deus esset, justitiam divinam placari, Deum hominibus propitium reddi, hominum peccata expiari potuisse. Opus Deo acceptissimum, ex charitate maxima proveniens, in honorem Dei factum, ad eumque placandum ordinatum, & susceptum, verum sacrificium esse nemo negaverit. Cum igitur talis sit Christi Passio, quæ se ipsum pro nobis victimam piacularem ex charitate maxima obtulit Christus summus Sacerdos, ipsam veram fuisse sacrificium plane constat. Hujus veri sacrificii (inquit S. August. Lib. x. *De Civit. Dei*, Cap. xx.) multiplicia, variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc unum per multa signaretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur: ut cum quatuor considerentur in omni sacrificio, scilicet, Cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus, verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat. Verba sunt ejusdem S. Augustini, Lib. iv. *De Trinitate*, Cap. xiv. Quid enim (ut ibid. ait) tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum promundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, & ex utero virginali? Et quid tam grate offerri, & suscipi posset quam caro sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri? Mors Christi quatenus ab ejus intersectoribus illata, impium facinus est; quatenus ab ipso Christo Jesu tolerata, & oblata holocaustum est. In uno eodemque facto displicuit impietas malignantium, placuit pietas patientis. Non mors, sed voluntas placuit sponte morientis, & illa morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam..... Quanto illorum major iniquitas, tanto hujus voluntas sanctior, & potentior ad salvandum: Nec peccato, sive peccantibus adscribitur hæc victoria, sed bene utenti peccato.*

Fuit

Fuit vero sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, ut effunderetur, deleteret (inquit S. Bernardus Epist. cxc. seu Tractatu De erroribus Abailardi. Cap. VIII.) Est autem sacrificium istud, & signum alicujus rei a nobis observandæ, ad quam S. Petrus Christianos hortatur Epist. I. C. IV. scribens: Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini; quia, qui passus est in carne, desit a peccatis: ut jam non desideris hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne vivat temporis.

V. Quintum beneficium ex Passione Christi in hominum genus redundans, est cœli referatio. Primi scilicet hominis peccato, & propriis singulorum hominum peccatis, interclusus illiserat regni cœlestis aditus. Ut enim Isaie XXXV. scriptum est, *Via sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus*. Per passionem autem Christi liberati sumus non solum a peccato communi totius humanæ naturæ, & quantum ad culpam, & quantum ad reatum pœnæ, ipso solvente pretium pro nobis; sed a peccatis etiam propriis liberati sunt singuli, quicumque ipsius passionis communicant per fidem, charitatem, & fidei sacramenta: ideoque per Christi passionem aperta nobis est janua regni cœlestis. Atque id significavit Apostolus his verbis: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa*. Et, *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Christi*. Neque vero in veteri Lege hujus Mysterii figura, & imago quædam defuit, in morte scilicet Summi Hebræorum Sacerdotis. Assignatæ erant Dei jussu certæ quædam urbes refugii, in quibus tuti essent, qui non voluntariam, sed fortuitam cædem perpetrassent: quo confugentibus, tandiu tollerandum illicerat exilium, quoad Summus Pontifex obiisset, nec in patriam ante illius mortem redire ipsis licebat. Id autem significabat, nemini, quamvis juste, & pie vixisset, aditum in cœlestem patriam patere, antequam Summus ille Sacerdos Christus Jesus mortem obiret: eosque omnes, qui se propriis peccatis alligassent, tandiu ab illa exulare, quoad mortis Christi Jesu fructum perceperint: quod ubi factum fuerit, ipsis Regnum cœlorum patebit. Id confirmat *Philonis Judæi* testimonium eo locupletius, quo ab hoste Christianæ Religionis petitum est. Is in Libro *De Exulibus*, de hac Lege Moyfis differens, Sacerdotem illum Magnum, *Non hominem intelligendum esse ait, sed Verbum Dei, omnium non spontanearum solum, sed & involuntariarum noxarum expers*: *Patrem quidem habens Deum, qui & omnium Pater est, Matrem vero Sapientiam*.

Quintum beneficium cœli referatio.

Hebr. 9.

Hebr. 10

Num. 35.

§. VII.

Christus in Passione sua omnium Virtutum exempla dedit.

PRæter hæc immenta, quæ mox commemoravimus, beneficia, illud etiam vel maximum consecuti sumus ex Passione Christi Jesu, ut in ea omnium virtutum clarissima exempla habeamus. Nam & patientiam, & humilitatem, & eximiam charitatem, & mansuetudinem, & obedientiam, & summam animi constantiam non solum in perferendis propter justitiam, & hominum salutem doloribus; sed etiam in morte oppetenda ita ostendit, ut vere dicere possimus, Salvatorem nostrum quæcumque vitæ præcepta toto prædicationis suæ tempore verbis nos docuit, ea omnia uno Passionis die in seipso expressisse.

Charitatem eximiam ostendit, quia Dominus gloriæ pro servis, Sanctus Sanctorum pro peccatoribus mortuus est. *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur*. Nam pro bono forsitan quis audeat mori (inquit Apostolus) *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis*

Christi patientis, & mansuetis charitas.

Rom. 5.

ma-

magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Et S. Petrus, Epist. I. Cap. III. eandem charitatem prædicans, Christus, inquit, semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. Hinc Salvianus Libro I. De Gubernatione Dei, Patris, Filiique charitatem indivisam in homines commendans: „ Plus amat nos Deus, inquit, quam filium pater. „ Evidens quippe res est, quod super affectum filiorum nos diligit, qui propter nos Filio non peperit. Et hoc Filio justo, & hoc Filio Unigenito, & hoc Filio Deo; & hoc pro nobis, idest, pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis æstimare hunc erga nos Dei amorem queat; nisi quod justitia Dei tanta est, ut in eum cadere aliquid injustum non possit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, injustam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis servis filium bonum occidisset. Utique hoc magis inæstimabilis pietas, & hoc magis mirabilis Dei virtus est, quod ita intelligi ab homine magnitudo justitiæ suæ non potest, ut quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, pene injustitiæ speciem magnitudo justitiæ habere videatur. Vix enim pro justo quis moritur... Si vix ullus pro summa justitia mortem suscipiat probavit Christus, quantum præstiterit, pro nostra iniquitate moriendo... Commendat autem Deus charitatem suam in nobis. Quomodo commendat? Quia non merentibus præstat. Si enim sanctis, & bene meritis præstitisset, non videbatur, quæ non debuerat, præstitisse, sed quæ debuerat, reddidisse. Maxime autem in eo charitasejusemicuit, quod proditorem Judam ad osculum admisit, ad penitentiam invitavit; quod Petrum oculis benignis respexit, negationisque suæ crimen desolenti veniam indulgit; quod pro crucifixoribus suis rogavit, dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus dignatus est orare. Videbat quosdam suos inter multos alienos, illis jam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat injuriam: non enim attendebat, quod ab ipsis moriebatur, sed quod pro ipsis moriebatur (inquit S. Augustinus Tractatu xxxi. in Joannem.) Qualis ejus infania, qui Medicum occidit? Quanta vero bonitas, & potentia Medici, qui de sanguine suo, infano interfectori medicamentum fecit? Neque enim ille, qui venerat quærere, & salvare, quod perierat, pendens sine causa dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Insani sunt, Medicus sum: sæviant, patienter fero: cum occiderint, tunc sanabo. Hæc S. Augustinus Serm. cclxxiv. alias viii. De Verbis Apostoli, Vide pendentem Dominum tuum. Vide pendentem, & tibi de ligno tamquam de tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vindicari vis? Vide pendentem, audi precantem, Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Sed potuit hoc facere, dicis mihi, ego non possum. Ego enim homo sum, ille Deus: homo ego, homo ille Deus homo. Deus ergo ut quid homo, si non corrigitur homo? (inquit S. Augustinus Sermone xlix. alias De Tempore ccxxxvii.)

Luc. 23. 34.

Pietatis
erga pa-
rentes ex-
emplum
dedit Chri-
stus mo-
riens.

II. Pietatis erga parentes exemplum dedit, cum Matrem dilecto discipulo, Virginem virgini commendavit. Testatur de Cruce Dominus Jesus, & paulisper publicam differt salutem, ne Matrem inhonoram relinquat. Subscribitur Joannes Testamento Christi. Legatur Matri pudoris defensio, testimonium integritatis: Legatur & Discipulo Matris custodia, pietatis gratia. Verba sunt S. Ambrosii Libro De Institutione Virginis, Cap. vii. Alia Christi in cruce verba cum alii commemoraverint Evangelistæ, S. Joannes nos docet quemadmodum in cruce positus appellaverit Matrem, Pluris putavit, victor suppliciorum atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia dividebat, quam Regnum cæleste donabat. Nam si religiosum est, quod La-
roni

troni venia donatur a Domino, multo religiosius, quod Mater honoratur a Filio (inquit idem Ambrosius Libro x. in Lucam.)

III. Humilitatis, & obedientiæ clarissimum exemplar se præbuit in passione sua Christus; sive cum in horto Getsemani ubi prostratus in terra Patrem oravit, sive cum opprobria, & insultus Judæorum pertulit, sive cum ignominiosissimum supplicii genus subire voluit, Barabbæ homini seditioso, & homicidæ postpositus, cum iniquis reputatus, inter duos latrones crucifixus, & inclinato capite emisit spiritum. Humiliavit semetipsum in oratione, cuius nobis formam dedit. *Poterat enim orare silentio: Sed ita se Patri voluit exhibere peccatorem, ut meminisset nostrum se esse Doctorem. Proinde eam, quam fecit, orationem pro nobis notam fecit & nobis; quoniam tanti Magistri non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, Discipulorum est ædificatio* (inquit S. Augustinus Tractatu civ. in Joannem.) Orat Christus super terram prostratus. Orat Misericordia, & non orat miseria: orat Majestas, & non orat infirmitas: prostratus in terra jacet Medicus, & non humiliatur ægrotus. Proh pudor! Qui autem humiliavit se in oratione, multo magis humiliavit se in Passione. *Ego autem, inquit, sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Ipsum velut despectum, & novissimum virorum vincula constrinxerunt, ludibria, impropria, opprobria inhonorarunt, sputa sedarunt, alapæ contuderunt, flagella cruentarunt. Humiliavit semetipsum Rex gloriæ, Dominus virtutum, Sanctus Sanctorum, non solum usque ad vincula, usque ad opprobria, usque ad flagella, & vulnera, sed factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Denique Tota victoria Salvatoris, quæ & diabolum superavit, & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta* (inquit S. Leo.)

IV. Mansuetudinem incomparabilem in Passione sua Christus exhibuit. Jussit Petro, ut gladium reconderet, quo ad ejus defensionem armatus erat; servum principis Sacerdotum, cujus ille aurem absciderat, contactu suo sanavit; ministro Pontificis, alapam sibi infligenti, admirabili in moderatione, & lenitate respondit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si autem bene, quid me cedis? Accusatus, Non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit: Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste.*

V. De patientia vero Christi Jesu quis pro dignitate loqui possit? Omnes Passionis ejus circumstantiæ divinæ istius virtutis documenta præbent. Proditorem suum secum habuit, nec constanter denotavit. Cum vero traditur, cum adducitur, ut pecus ad victimam; sic enim non magis aperit os, quam agnus sub tondentis potestate. Ille cui legiones Angelorum, si voluisset, uno dicto de cælis adfuissent, ne unius quidem discentis gladium ultorem probavit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladii opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non vexaverat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem. Taceo, quod figitur, in hoc enim venerat. Numquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fædis vestitur, fædioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime, Pharisei, Dominum agnoscere debuistis. Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Verba sunt Tertulliani Libro De Patientia, Cap. III. Ad divinæ istius patientiæ imitationem Apostolus nos hortatur, ut scilicet Passionum Christi focii, & participes simus, ut complantemur similitudini mortis ejus; ut Christo configamur cruci; ut compatiamur, si

Christi patientis, & morientis humilitas, ac obedientia.

Psalms. 68.

Isai 53.

Philipp. 2.

S. Leo
Serm. 7. in
Nativ.
Dom.

Christi patientis, & morientis mansuetudo.

Joan. 18.

Isai. 53.

2. Petr. 3.

Christi patientia.

Christus ad hoc carne indutus ut sine flagello non esset. Hebr. 12. 6. „ *S. Augustinus*) ad Passionem Christi, attende ad illum sine ullo peccato, quæ non rapuit, exsolventem, attende ad Scripturam dicentem, *Flagellat autem omnem Filium, quem recipit*. Et para te flagellari, aut certe non quæras recipi. Tu forte exceptus eris? *Si exceptus a passione flagellorum, exceptus a numero filiorum. Itane, inquires, flagellat omnem filium? Prorsus ita flagellat omnem filium, ut & Unicum. Unicus ille de Patris substantia natus, æqualis Patri in forma Dei, Verbum per quem facta sunt omnia, non habebat, unde flagellaretur: ad hoc carne indutus est, ut sine flagello non esset. Qui ergo flagellat Unicum sine peccato, numquid relinquit adoptivum cum peccato?* In adoptionem vocati sumus, ut essemus Unici cohæredes. Exemplum nobis dedit in Passionibus suis. Ipsi usque patientiam imitemur. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus... Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem, ut Christianus, non erubescat... In hoc enim vocati estis* (inquit Apostolorum Princeps) A laboribus, a tentationibus, a persecutionibus, ab adversitatibus immunem esse Christianum nemo sibi persuadeat, qui, *Quia Christianus est, aliquid plus passurus est in hoc seculo* (ut *S. August.* ait) Sed etsi desint flagella a Deo illata, vel ab hominibus improbis ipso permittente, & per eorum passionem fideles suos exercente, carnem suam voluntariis macerationibus crucifigat Christianus, voluptates contemnat, & fastidiat. Cogitet quale sertum pro utroque sexu subiit Christus Jesus, ex spinis scilicet, ac tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis, omnem aculeum mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. *Certe præter figuram, contumelia in promptu est, & turpitudine, & dedecoratio, & his implexa sevitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt. Nec igitur cum luxuriosis, voluptariis, ac delicatis hominibus dixeris: Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit quod non pertransseat luxuria nostra. Pudeat sub capite spinis confixo membrum fieri delicatum. Christi coronam æmuleris, Quia & favos post fella gustavit: nec ante Rex gloriæ a cœlestibus salutatus est, quam Rex Judæorum proscriptus cruci... Si ob hæc caput ei tuum debes, tale si potes ei repende, quale suum pro tuo obtulit: Aut nec floribus coroneris, si spinis non potes.* Verba sunt *Tertulliani*, Lib. de Corona, Cap. ultimo.

Denique Christus & in vita, & in passione, morteque sua nos ad dura quæque constanter perferenda, & omnia voluptatum lenocinia fugienda exemplo suo instruxit, ut demonstrat *S. Aug.* Lib. De vera Religione, Cap. xvi. cuius verba superiori Articulo protulimus, *Christi* nomen explicantes.

S. VIII.

Christi Jesu Charitas, & Gloria in Passione, & Cruce promicans, & per Passionem, Crucemque parta.

I. **P**Assio, Cruxque Christi Salvatoris, immensa est ipsi gloriæ seges. Nam in Passione, & Cruce vere Deus apparuit, cum unico verbo, *Ego sum*, armatam militum cohortem quasi quodam fulmineo ictu stravit, atque percussit, ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles, retroacti corruerent.

Quid

Christus ad hoc carne indutus ut sine flagello non esset. Hebr. 12. 6.

S. August. Sermon. 46. alias de Tempore 165. c. 5.

1. Petr. 2. & 4.

Jerem. 46.

Spinea Christi Corona.

Sap. 2. 8.

Jesus in Passione, & Cruce vere Deus apparuit.

Quid jam poterit Majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda? (inquit S. Leo.) Aurem deinde servi a Petro fervore sanctæ charitatis accenso abscissam restituit, ac lanavit manus Christi. Reformavit, quod ipse formaverat: nec tarde caro secuta est ejus imperium, cujus erat ipsa signum. Habent ergo divinam hæc opera virtutem. Sed quod Dominus Majestati suæ potentiam comprimit, & vim in se persecutoris admittit, ex illa est voluntate, qua dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Jam vero conversio repentina Latronis, qui Christi subito fit Confessor, & inter illos acerrimos corporis, animique cruciatus, quos simul, & instantia, & difficultas mortis augebat, *Memento, inquit, mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum*, nonne divinitatis Christi locupletissimum testimonium est? Quæ istam fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis Prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt supplicii sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum. Ait enim ei Jesus, *Hodie mecumeris in Paradiso. Excedit humanam conditionem ista promissio; nec tam de ligno crucis, quam de throno editur potestatis. Ab illa altitudine premium fidei datur, in qua chirographum humanæ transgressionis aboletur: Quia se a forma servi, Dei forma non dirimit, dum etiam inter ipsa supplicia proprietatem, unitatemque suam servavit & deitas inviolabilis, & natura passibilis.* In cruce tandem se Deum esse demonstravit, cum magna voce clamans emisit spiritum, carnificis officium præveniens, tempusque mortis accelerans: unde Centurio videns, quia sic clamans expirasset, ait: *Vere hic homo Filius Dei erat: & cum naturam totam immutavit. Solis quippe defectio præter naturæ ordinem, & leges curriculum astrorum præfixas, ingensque terræ motus, saxorum diruptio, monumentorum apertio, multorum Sanctorum a morte suscitatio, fidem Resurrectionis Dominicæ præmunens; scissio veli, quod Templi adyto, sive Sanctis Sanctorum erat oppansum, Deum naturæ, Templique, ac Legis Dominum pati, ac mori testabantur. Exaltatum Jesum ad se traxisse omnia, non solum nostræ substantiæ passione, sed etiam totius Mundi commutatione monstratum est. Pendente enim in patibulo Creatore, universa creatura congemuit, & crucis clavos omnia elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui & terram traxit, & celum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna referavit, & densarum horrore tenebrarum radios Solis abscondit. Debat hoc testimonium suo Mundi Autori, ut in occasu Conditoris sui vellent universa finire.* Verba sunt S. Leonis Sermone vi. De Passione Domini. Ecclipsis porro, quæ præter naturam contigit Christo moriente, non solum Evangelistæ, sed Scriptores etiam Ethnici meminerunt; nempe Thallus, Libro III. Historiarum, ut Africanus refert, nec non Phlegon Hadriani Imperatoris libertus Libro Olympicorum Chronic. xlii. Et Tertullianus Christianorum causam apud Ethnicos agens Apologetici Cap. xxi. miraculi istius testes citat Archivia ipsorum, & publica instrumenta. Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, visis terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: *Vere Filius Dei erat iste.* Denique divinitatis suæ manifestationem Christus Passione sua, & Morte promeruit, Apostolo teste: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen ut scilicet ab omnibus agnoscat, & colatur ut Deus.*

II. Per Passionem, & Crucem Christus Jesus victor diaboli, & mortis extitit, quod maximum divinitatis ejus argumentum est. Unde Apostolus ad Hebræos II. scribit: *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter Passionem mortis gloria, & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim, eum propter quem omnia, &*

S. Leo
Serm. 1. in
Pass. Do-
min.Idem Serm.
2.

Luc. 23. 42

Luc. 23.

Matth. 27.

Solis defe-
ctio Christo
moriente.

Matth. 27

Philipp. 2

Jesum per
passionem
& Crucem
victor diabo-
li, & mor-
tis extitit.

per

per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum per Passionem consummare... Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Et ad Colossens. II. Delens (inquit) quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit, de medio affigens illud cruci, & expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Diabolus igitur peccati, mortisque Princeps eidem cruci, quod mirum dictu, cum Christo confixus fuit, tam dispari exitu, quam dissimili causa. Christus enim sanctitatis, & innocentiae dux triumphum agebat; diabolus impietatis, & superbiae princeps in triumphum agebatur, & traducebatur. Quamobrem Patres crucem *Lignum triumphale* appellant: & vel ipsum crucis signum dæmonibus formidolosum est. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione III. narrat, *Julianum* Imperatorem Apostatam, inimicum licet crucis Christi, inter sacra magica consternatum, cum se signo crucis consignasset, dæmones abegisse. Valuit signaculum, victi sunt dæmones, metus depulsi. Narrat *S. Epiphanius* Hæresi xxx. ut *Josephus* Comes ex Judæo jam Christianus, cum a Templi extruptione per magicas artes a Judæis prohiberetur, per signum crucis digito impressum aquæ, eaque aspersa, præstigias omnes, & maleficia discussit. Quo miraculo commota turba magnis vocibus exclamavit, *Magnus est Deus, qui Christianos adjuvat*. Hinc mos frontis ad omnem progressum, atque aditum, & exitum, ad vestitum, ad mensas, ad cubilia, ad omnes pene actiones, crucis signaculo muniendæ ab Apostolis originem duxit. Hujus disciplinæ *Traditio præ-tenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix*, teste *Tertulliano*, Libro *De Corona Militis*. Qui & in *Apologetico* ait: *Qui crucis nos religiosos putat consecratus erit noster*. Sed & *S. Basilus* Libro *De Spiritu-Sancto*, Cap. xxvii. inter ea, quæ Apostolica Traditione ad nos pervenerunt, primo loco signum crucis commemorat. *S. Joannes Chrysostomus* Homilia xxi. ad Populum Antiochenum, disertè explicat, quid impressa fronti cruce profiteatur Christianus. *Sicut, inquit, sine calceamentis, vel vestimentis nemo vestrum in forum descendere elegerit, ita sine verbo hoc numquam in forum prodeas: Abrenuncio tibi satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo, & conjungor tibi, Christe. Ne unquam absque hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: sic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus te quidquam ledere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc te ipsum jam hinc doce, ut cum signum ceperis, sis miles paratus, & contra Diabolum trophæum erigens, justitiæ coronam capias*. Constantino Magno Crux olim in Cælo visa, ex luce conflata, Solique superposita, cum hujusmodi inscriptione, *HAC VINCE*, ut refert *Eusebius* Lib. I. De ejus Vita, Cap. xxviii. Idem singulis Christianis fides suggerat.

Signi Crucis usus, & utilitas.

Signi crucis usus ex Apostolica traditione.

Fidei nostræ compendium quoddam in signo Crucis.

Matth. 25.
34.

Videtur autem totius fidei nostræ compendium in hac una frontem cruce signandi ratione contineri. Signum crucis tribus primis digitis exprimentum esse docet *Innocentius III.* Libro II. *De Misteriis Missæ*, Cap. XLIV. ad significandum Trinitatis Mysterium. Ducitur autem primum a vertice capitis, sive frontis, usque ad umbilicum: ut indicetur, a summo cælo egressum in viscera Virginis Matris descendisse Dei Filium, atque ex purissimo illius sanguine carnem nostram suscepisse. Deinde a sinistro brachio ad dextrum, ut causa simul incarnationis exprimat. Nam propterea de cælis in terram descendit, passionemque, & mortem in cruce subiit, ut nos, qui eramus a sinistris inter hædos collocandi, transferret ad dexteram inter

inter oves suas, ubi vocem illam desideratam audire liceret: *Venite benedi-
 & i Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi.* Fronti
 crucis signum imprimitur, quæ verecundiæ sedes est, ne Christi crucem e-
 rubescamus, sed in ipsa nos gloriari profiteamur. Pectori imprimimus, ut
 Christum crucifixum in corde nos portare significemus: humeris, & brachiis,
 ut nos adstrictos esse indicemus ad crucem Christi ferendam, & legem, quam e
 cruce promulgavit, fideliter observandam: sicque *Dilectio*, quæ fortis est ut
 mors, Christum ipsum crucifixum ponat *Ut signaculum super cor nostrum, super* Cant. 8. 6.
brachium nostrum: super cor, ut nihil præ Christo crucifixum diligamus; super
brachium, ut quicquid agimus, propter Christum crucifixum, & in nomine il-
lius agamus. Præclare S. Augustinus Enarratione in Ps. L. „ Multos hodie fra-
„ tres nostros cogitamus, & plangimus ire in vanitates, & insanias men-
„ daces, negligere quo vocati sunt. Qui si forte in ipso circo aliqua ex
„ causa expavescant, continuo se signant, & stant illic portantes in fronte,
„ unde abcederent, si hoc in corde portarent. Et Homilia XXI. inter L. Omnis,
„ qui ad aliquod malum currit, si forte pedem impegerit, signat os suum, &
„ nescit, quod includit potius dæmonem, quam excludit. Tunc enim bene se
„ signaret, & diabolum de corde suo repelleret, si se ab illo opere nefario cohi-
„ beret. „ Signum igitur crucis est omnis improbitatis ejeratio, & sacramentum,
quo astringit se Christianus legi Christi, ac legem peccati execratur, si modo cor
linguæ, manique consentiat. „ Christi signum in fronte gestamus, de quo non e-
„ rubescimus, si & in corde gestamus. Signum ejus est humilitas ejus. Per stellam
„ eum Magi cognoverunt: noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed
„ crucem suam. Unde humiliatus, inde glorificatus (inquit S. Aug. Tract. 3. in Joan.)
 III. *Cruz Christi, Altare est Sacrificii, in quo Christus summus Sacerdos,*
 idemque victima, seipsum Agnum immaculatum Deo immolavit pro nostra re-
 demptione, & salute, hacque *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctifi-*
catos. In hoc Altari Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. De
 hoc Altari, & Sacrificio cum alii Patres præclare disserunt, tum præsertim S.
 Leo Serm. IV. De Passione Domini. „ *Cruz Christi, inquit, Sacramentum ve-*
 „ *ri, & prænunciati habet Altaris, ubi per hostiam salutarem naturæ humanæ*
 „ *celebraretur oblatio. Ibi sanguis immaculati Agni antiquæ prævaricationis*
 „ *pacsa debebat: ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur adversitas, & de*
 „ *elatione superbiæ victrix humilitas triumphabat: cum tam velox esset fidei*
 „ *effectus, ut de crucifixis cum Christo latronibus, qui in Christum Filium*
 „ *Dei credidit, Paradisum justificatus intraverit. Et Sermone VIII. Pascha no-*
 „ *strum, inquit, immolatus est Christus: qui se novum, & verum reconcilia-*
 „ *tionis Sacrificium offerens Patri, non in Templo, cujus jam finita erat reve-*
 „ *rentia: nec intra septa Civitatis ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris,*
 „ *& extra castra crucifixus est, ut veterum victimarum cessante mysterio, nova*
 „ *Hostia novo imponeretur Altari, & Cruz Christi non Templi esset Ara, sed*
 „ *Mundi. „ In Cruce universa Fidelium Ecclesia cum suo capite Christo Deo*
 immolabatur, cum Christo non pecudem, sed virtutem; non cruorem, sed
 pietatem; non adipem, sed charitatem, non nidorem, sed humilitatem, &
 patientiam invictam, justitiamque omnimodam offerret. Ex cruce scilicet, ac
 morte Christi pretium omne, ac meritum sacrificio bonorum nostrorum operum
 accedit. Unde S. Leo ibidem: *Cruxtua, inquit, omnium fons benedictionum, o-*
mnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, glo-
ria de opprobrio, vita de morte. Christi quidem capitis nostri sacrificium in cruce
 peractum, & *Consummatum est, ut ipse exclamavit animam efflaturus; sed totius*
 corporis, singulorumque membrorum passio, cruz, sacrificium peragitur quo-
 tidie, & ad finem sæculi adimplebitur. Cum enim Christus una persona sit, ca-
 put,

Cruz Christi
est altare
Sacrificii.

Heb. 9. & 10.

In Cruce
Ecclesia
cum suo
Capite
Christo
Deo im-
molatur.

put, & corpus, una est Christi oblatio jugis, & perennis, qua Justus quisque; Lib. 4. c. 4. & in unoquoque Justo Christus crucifigitur, & gloriæ Patris immolatur. Hinc S. Gregorius, seu alius Author antiquus Commentarii in Librum 1. Regum sub ejus nomine editi, *Per crucem quidem suam, inquit, Christus omnes redemit; sed remansit, ut qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat, Si compatimur, & conregnabimus. Quasi dicat: Quod explevit Christus: non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet. Hinc Beatus Petrus Apostolus dicit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Hinc Paulus ait: Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

2. Tim. 2.

1. Petr. 2.
Coloss. 1.Cruz
Christi
tribunal ju-
dicantis.
S. August.
Serm. 285.

IV. Cruz Christi, Tribunal judicantis. In Passione Domini tres cruces erant: Una pœna, sed dispar causa. Ad dexteram unus latro, ad sinistram alter latro, in medio Judex inter ambos, pendens in cruce quasi pronuncians de tribunali (inquit S. August. Sermone cccxxvi.) De cruce quippe insultantem damnavit, credentem liberavit. Quod in cruce factum est, typus fuit ejus, quod faciendum est, cum Christus judicaturus advenerit. „ Bonus latro ad dextram, malus ad sinistram: „ in judicio electi a dextris, reprobi a sinistris. In ipsa igitur patibuli specie mon- „ stratum est, quæ judicio ipsius omnium hominum facienda est discretio: cum „ & salvandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum „ formam blasphemantis impietas prænotaret (inquit S. Leo Sermone iv. De Passione Domini.) Timete insultantes, gaudete credentes: hoc faciet in claritate, quod fecit in humilitate.

Cruz
Christi
Cathedra
docentis.

V. Lignum, in quo fixa fuerunt membra morientis, cathedra fuit Magistri docentis (inquit S. August.) Docuit autem exemplo magis quam verbo charitatem, humilitatem, paupertatem, mansuetudinem, patientiam; docuit, quæ sit Christiane vivendi, quæ item Christiane moriendi ratio; docuit justitiam omnem; docuit quicquid scire debet Christianus; quicquid Apostolis, & Apostolicis Viris prædicandum incumbit. Nam & Nihil scire se arbitratur Apostolus, Nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Et suo, aliorumque nomine ait: Nos autem prædicamus Christum crucifixum ... Verbum crucis pereuntibus stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Docet, ut crucem feramus, ut in cruce cum ipso pendeamus, ut reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi faciamus. In hac quidem cruce per totam istam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Christianus. Non enim est in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Psalmo dicitur, Confige clavis a timore tuo carnes meas. Carnes sunt carnales concupiscentiæ; clavi sunt præcepta justitiæ: his illas timor Domini configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit ... Sic semper hic vive, Christiane: si terreno limo gressus non vis immergere, noli de ista cruce descendere. Verba sunt S. Augustini, Sermone ccv. alias De Diversis LXVIII.

1. Cor. 1. &
2.
1. Cor. 2. 2.
1. Cor. 1.
23 & 18Psal. 118.
120.Cruz Christi,
thalamus
Sponsi
S. August.
Enarrat.
in Psalm.
126.Joan. 19.
S. August.
Tract. 120.
in Joan.

VI. Cruz Christi, Thalamus Sponsi, in quo Ecclesiam Sponsam suam formavit, sanguine suo mundavit, sibi in fide, in justitia, & in sempiternum copulavit. Primus Adam, typus secundi. „ Cum dormiret Adam costa illi de- „ tracta est, & Eva facta est: sic & Domino, cum dormiret in cruce, la- „ tusejus lancea percussus est, & sacramenta profluxerunt, unde facta est Ec- „ clesia. Ecclesia enim Conjux Domini facta est de latere, quomodo Eva facta „ est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere dormientis, sic i- „ sta non est facta nisi de latere morientis. Unus militum lancea latus ejus „ aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. Vigilanti verbo Evangelista „ usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid „ aliud; sed aperuit: Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sa- „ cramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non

intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum: hec & lavacrum præstat, & potum. Hoc prænuñciabat, quod Noe in latere Arce ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius? Hanc ob causam signum crucis Christi in omnium Sacramentorum celebratione ab Ecclesia usurpatur. Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium; sive ipsi aque, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Christumate unguuntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. Quomodo ergo per id, quod mali faciunt, nihil boni significatur; quando per Crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum ejus bonum nobis omne signatur? Verba sunt S. Augustini Tractatibus cxviii. & cxx. in Joannem.

Genes. 6.

Genes. 2.

Signum crucis in omnium Sacramentorum celebratione adhibetur.

Cruz Christi, Tronus Regnantis.

Psalm. 95.

VII Cruz Christi Thronus est regnantis. Dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit. Plane Dominus regnavit a ligno, ut canit Ecclesia, quæ verba & in hoc Psalmi xcv. Versu præci Codices nonnulli exhibent, & ea legunt S. Justinus Martyr, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, &c. Quin etiam a Judæis oblitterata quæritur Justinus in Dialogo contra Tryphonem Judæum. Quamquam vero ea verba Hebræi Codices revera non habeant, nec vulgata nostra repræsentet: regnum tamen Christi a Ligno agnoscit, & prædicat Ecclesia, legitima, & fidelis Scripturarum divinarum interpret. Regia Christi Jesu dignitas in Passione maxime promicuit, primo cum ipinea corona redimitum milites, ut Regem Judæorum salutaverunt: Detestabili quidem mentis affectu, honoratum tamen Judæi exitum produnt: nam etsi compungentes coronant, illudentes adorant: & si corde non credunt, quem perimunt, constituentur: illis defuerunt boni operis affectus, Deo tamen suus non defuit honor: qui salutatur ut Rex, coronatur ut Victor, quasi Deus, & Dominus adoratur (inquit S. Ambrosius Libro x. in Lucam) Rex constitutus est a Patre, super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus: sed occultat ad tempus tremendam potentiam, ut commendet prius imitandam patientiam. „ Sic Regnum, quod de hoc mundo non erat, superbium mundum non atrocitate pugnandi, sed patienti humilitate vincebat: sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.

S. August. Tract. 116. in Joann.

Isai. 9.

Tract. 117. in Joann.

Secundo, Regia ejus dignitas effulsit, cum Crucem suam portavit. Tunc enim Isaia Vaticinium impletum est: Et factus est principatus super humerum ejus. Ibat ergo ad locum, ubi erat crucifigendus, portans Crucem suam Jesus. „ Grande spectaculum (inquit S. Augustinus) sed si spectet impietas, „ grande ludibrium; si pietas, grande Mysterium: si spectet impietas, grande ignominia documentum; si pietas, grande fidei munimentum: si spectet impietas, videt Regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; „ si pietas, videt Regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod „ fixurus fuerat etiam in frontibus Regum: in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum.

Tertio, Regia Christi dignitas Crucis Titulo tribus linguis scripto Pilati jussu comprobata est, Jesus Nazarenus Rex Judæorum, quam inscriptionem, Judæorum Sacerdotibus frustra clamantibus, mutare noluit. „ Merito supra Crucem titulus, quia non humani corporis, sed divinæ potestatis est Regnum, „ quod habet Christus. Merito supra Crucem titulus; quia licet in Cruce „ erat Dominus Jesus, super Crucem tamen Regis Majestate radiabat: quam „ vis autem Rex Judæorum proclametur, & Gentium tamen Rex est, in ipso

S. Ambr. Lib. 10 in Luc.

Psalm. 2.
S. August.
Tract. 117.
in Joann.

que impletur, quod dictum est a Propheta: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Rex ergo Judæorum Christus, sed Judæorum circumcissione cordis, spiritu, non littera; quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est; pertinentium ad Jerusalem liberam matrem nostram æternam in celis, Saram spiritalem, ancillam, & filios ejus de domo libertatis ejicientem.

Denique Regia Christi dignitas ex eo splendet, quod Crux exempta penis suppliciorum, translata est ad frontes, & coronas Imperatorum. Hinc S. Augustinus Enarratione in Psalmum xxxvi. Sermone II. *Quantasumque, inquit, patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremo Crucem non pervenies, quia jam & de pœna generis humani sublata est. Cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est, & finita. Finita est in pœna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis? Lege & Tractatum xxxvi. in Joannem.*

§. IX.

Christus pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est; non pro solis prædestinatis.
Christum Jesum Dominum nostrum pro omnibus, & singulis hominibus mortuum esse, dogma fidei est, contra Calvinianam, & Jansenianam Hæresim, Scripturæ Sacræ testimoniis evidentibus, omnium Patrum consensu, & veneranda Traditione, Conciliorumque, & Summorum Pontificum Decretis firmatum. Præcipua Scripturæ Sacræ testimonia, quibus Catholica hæc Veritas nititur, ista sunt.

Christum pro omnibus, & singulis hominibus mortuum esse, Fidei veritas est ex Scripturis Sacris inconcussè probata.

Isaiæ LIII. *Ipsè vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Joannis I. *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum Mundi.* Non ait S. Præcurzor Christum tollere peccatum aliquorum de mundo, sed *Mundi* indefinite, ut omnium hominum universitatem designet ab ipso redemptam. Ad Romanos V. *Non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Comparat Apostolus peccatum Adami cum dono Christi, ut ostendatur in omnes abundasse donum Christi, in quos Adami peccatum traductum est: porro in omnes Adami posteros ejus peccatum traductum est: igitur pro omnibus, ac singulis mortuus est Christus. Idem confirmat Epist. II. ad Corinthios Cap. v. *Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus: ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Ex quo consequens est, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, qui in Adamo mortui sunt. Hinc S. August. Lib. VI. *Contra Julianum*, Cap. IV. & alibi, ex eo testimonio invicte contra Pelagianos probat, parvulos omnes originali peccato adstrictos esse; quia pro ipsis omnibus, & singulis mortuus est Christus. Item I. ad Corinthios VIII. ubi loquitur Apostolus de manducatione ciborum idolis immolatorum, quæ offensionem erat infirmis, ait: *Nonne conscientia ejus, cum sit infirma, edificabitur ad manducandum idolis? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Qui locus geminus est alteri, ad Romanos XIV. ubi ait: Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Absurda autem videretur illa Apostoli admonitio, nisi certum esset perire aliquos ex his, pro quibus Christus mortuus est. Et I. ad Timotheum, Cap. II. ubi præmisit Apostolus orationes pro omnibus hominibus fundendas esse, quia *Hoc bonum est,*

est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: statim addit: Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Eo modo Christus pro omnibus dedit se redemptionem, quo modo debemus orare pro omnibus: atqui debemus orare non solum pro omni genere hominum, sed pro omnibus, & singulis hominibus, ita ut nullus ab orationibus nostris excludatur: igitur Christus non solum pro omni hominum genere, aut pro solis ex omni hominum ordine prædestinatis, sed pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est. Idem confirmat Apostolus Cap. iv. *Speramus*, inquit, *in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium*. Non igitur pro solis fidelibus, sed etiam pro infidelibus, & pro omnibus, ac singulis hominibus mortuus est. Et ad *Hebræos* Cap. ii. *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. Idem colligitur ex Epistola ii. S. Petri, Cap. ii. *Fuerunt vero* (inquit) *& Pseudoprophetae in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emittit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem*. Pro illis igitur, qui Dominum negant, & in damnationem æternam incurrunt, mortuus est Christus. Aliis Apostolis concinit S. Joannes Epist. i. Cap. ii. *Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*.

Istud Fidei dogma profitetur Ecclesia in Symbolo Constantinopolitano, his verbis: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.... Crucifixus passus, &c.* Non ait, propter nos fideles, vel propter electos, sed *Propter nos homines*, ut significet, Christum ad singulos homines redimendos passum esse. Idem dogma confirmat unanimis SS. Patrum consensus. Ex innumeris ipsorum testimoniis illustriora quedam, & luculentiora describo.

S. Joannes Chrysostomus Homilia xxvi. in Epistolam ad Romanos: *Christus*, inquit, *licet non esset lucrifactorum omnes, nihilominus tamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat, adimplens*. Et in Cap. ii. Epistolæ ad Galatas verba ista exponens, *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, ait: *Quid facis, o Paulus, dum communia proprie tibi vindicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiariora? ... Declarat par esse, ut quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum advenisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob unum tantam exhibere dispensationem; adeo quemlibet hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum. Itaque victima quidem pro tota oblata est natura, ac sufficiebat omnibus servandis. Ceterum soli illi, qui crediderunt, sunt, quibus usui fuit beneficium. Attamen non absterruit eum a tali œconomia, quod non omnes accederent: sed quemadmodum in Evangelio convivium omnibus quidem paratum erat, verum quoniam, qui vocati fuerant, venire noluerunt, non pariter sustulit, quæ fuerant parata, sed alios vocavit: itidem & hic fecit. Nam & ovis, quæ fuerat a nonaginta novem distraeta, unica erat, nec hanc tamen contempsit*.

S. Cyrillus Alexandrinus Libro xi. in Joannem, de Juda Proditore sic loquitur: *Ostendat aliquis non licuisse Proditori perinde ac aliis Discipulis divina frui gratia, & nos victos fatebimur. Sin autem perinde ac alii divina septus gratia, nutu suo in perditionis barathrum decidit: quomodo non eum servavit Christus, qui bonitatis suæ opem ei impertit, & quantum spectat ad rationem auxilii, eum servasset, nisi voluntate sua ipse malum sibi ultro arcessisset?*

S. Hilarius in Psalmum cxviii. Vers. 22. ait, Christum exprobrare humano generi non pœnitenti, neque in viam Evangelicam pergenti, quod in Psalmo continetur: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Exprobrat enim* (inquit) *superbis, & maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui, atque mortis utilitatis suæ esse existimarunt, cum ille nostri causa &*

Non mireres gratias Christo quisque debet homo, quam si pro eo solo mortuus esset.

Psal. 29.

Nemo nisi sua culpa excidit a salute.

natus, & passus, & mortuus sit. Et in Pl. LI. ubi explanat illa verba: *Propterea Deus destruet te in finem, evellat te, & emigrabit te de tabernaculo tuo;* salutem, ac vitam æternam a Christo omnibus hominibus oblatam fuisse ait, sicut totius humani generis naturam assumpsit: neminem itaque, nisi sua culpa, excidere a salute. „ Qui enim non „ manebit in Christo, *inquit*, regni Christi incola non erit. Non erit autem, non quod „ sibi non patuerit incolatus (universis enim patet ut consortes sint corporis Dei, „ atque Regni; quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, naturam scilicet „ in se totius humani generis assumens) sed unusquisque pro merito & evellen- „ dum se de tabernaculo, & eradicandum de terra viventium præbet, non prohibi- „ tus unquam inesse, qui per naturæ assumptionem incola sit receptus. Sed era- „ dicatur ob infidelitatis crimen, naturæ consortio indignus existens.

S. Ambrosius Libro de Joseph Patriarcha, Cap. VII. „ Non quærit Christus ar- „ gentum, sed fidem... Neque enim pretium quæsit a nobis, qui pro nobis Sanguinis sui pretium solvit: quia non auro, & argento, sed pretioso nos redemit „ sanguine. Ergo id pretium debes, quo emptus es; & si ille non semper exigit, „ tu tamen debes. Eme igitur tibi Christum, non eo quod pauci habent, sed eo „ quod omnes habent. Omnes habent per naturam, pauci afferunt per timorem. „ Suum est, quod a te Christus reposcit. Ipse vitam omnibus dedit, ipse pro omni- „ bus mortem suam obtulit: solve pro Auctore, quod soluturus es lege.

Et Sermone XIV. in Psalmum CXVIII. „ Mala Evæ successio totum hominem „ devorabat: præclara Christi hæreditas totum hominem liberavit. Non ad unum „ quidem, non ad paucos; sed ad omnes Testamentum suum scripsit Jesus. Omnes „ scripti hæredes sumus, non pro portione, sed pro universitate. Testamentum com- „ mune est, & jus omnium, hæreditas universorum, & soliditas singulorum.

Et Libro II. in Lucam ait: „ Plus, Domine, injuriis tuis debeo, quod redem- „ ptus sum, quam operibus tuis, quod creatus sum.

S. Augustinus in Psalmum LXVIII. Sermone II. „ Judas traditor punitus est, „ & Christus crucifixus est: sed nos redemit sanguine suo, & punivit illum de pre- „ tio suo. Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec „ agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat.

Et Enarratione in Psalmum xcv. illum versum explicans, Judicabit orbem terra- „ rum in æquitate, *ait:* „ Non partem, quia non partem emit. Totum judicare ha- „ bet, quia pro toto pretium dedit.

Enarratione in Psalmum CII. „ Omnis homo, si non ægrotas, alia cogita: si te „ ægrotantem languor ipse convincit, prius de salute tua cogita. Salus tua Chri- „ stus est: Christum ergo cogita... Redempta est vita tua de corruptione, jam se- „ curus esto: initus est bonæ fidei contractus, nemo fallit Redemptorem tuum, „ nemo circumvenit, nemo præmit. Egit hic commercium, jam pretium solvit; „ sanguinem fudit; sanguinem, inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis: o „ anima, erige te: tanti vales.

Enarratione in Psalmum CXLVII. „ Non est facturus Angelum ex homine, qui „ fecit hominem ex nihilo? Aut vero pro minimo habet Deus hominem, propter „ quem mori voluit Unicum suum? Attendamus ad indicium dilectionis. Pro- „ missionis Dei tales arras accepimus; tenemus mortem Christi, tenemus San- „ guinem Christi. Quis mortuus est? Unicus? Pro quibus mortuus est? Utinam „ pro bonis, utinam pro iustis. Sed quid? *Etenim Christus,* ait Apostolus „ *pro impiis mortuus est.* Qui donavit impiis mortem suam quid servat ju- „ stis nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, „ non se avertat, non dicat, Non ero. Qui promissit, Deus est: & venit, ut promit- „ teret; apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere „ vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ, accipere hic quod „ hic abundat, opprobria flagella, colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam „ coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem. Hæc abundant in regione

Rom. 5.

nostra: ad talia commercia venit. Quid hic dedit, quid accepit? Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum: accepit contumelias, mortem, crucem. Attulit nobis de illa regione bona, & in regione nostra pertulit mala.... Quid tibi promisit Deus, o homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est jam, quod fecit, quam, quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Ut vivas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. Jam, quod incredibile est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est, qui vivit in æternum?

Tractatu xii. in Joannem explicans illa verba, „ Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, ait: Ergo quantum in Medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui Medici præcepta observare non vult. Venit Salvator ad mundum. Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso? Ex te judicaberis.... Novit Dominus, qui sunt ejus: novit, qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Ex quibus evidens est, Christum voluisse, ut illi etiam quos ad flammam permanere noverat, quantum quidem in ipso erat, sua morte salvarentur.

Sermone cccxlii. alias xxxi. ex editis a Sirmondo quem citat Florus in ii. ad Corinthios, Cap. v., Adjutorium (inquit) tuum vide. Redemit te a Barbaris agentum tuum: redemit te a prima morte pecunia tua: redemit te a secunda morte Sanguis Domini tui. Habuit ille sanguinem unde nos redimeret; & ad hoc accepit sanguinem, ut esset, quem pro nobis redimendis effunderet. Sanguis Domini Dei tui, si vis, datus est pro te: si nolueris esse, non est datus pro te. Forte enim dicis, Habuit sanguinem Deus meus, quo me redimeret: sed jam cum passus est, totum dedit: quid illi remansit, quod det & pro me? Hoc est magnum, quia semel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium. “ Clariusne aliquid, ac luculentius desiderari potest ad confirmandum fidei dogma de Christi Domini morte pro omnibus, & singulis hominibus, etiam reprobis? Cum his igitur Patribus, & cum Ecclesia Catholica profitemur, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, & sanguinem fuisse, non quidem efficaciter, quia sua culpa non salvantur impii, & reprobi, Christi que mortem, & sanguinem inutilem sibi reddunt ad vitam æternam obtinendam; sed sufficienter; non ea solum ratione quod mors, & Sanguis Christi pretium sit pro omnium hominum salute per se sufficiens; sed quod Christus Passionem, & Sanguinem suum sincera charitate, & propensissima in eorum salutem voluntate, pro redemptione omnium, ac singulorum Patri suo obtulerit.

Sic ubi igitur S. Augustinus ait: Non perire unum ex illis pro quibus Christus mortuus est.... Omnem qui Christi sanguine redemptus est, hominem esse, non tamen omnem, qui homo est, etiam Christi sanguine redemptum esse..... Deum eos, quos Mediatoris Sanguine redemit, facere ex malis deinceps in æternum bonos.... Christum ad se omnia trahere, utique omnia prædestinata ad salutem, ex quibus omnibus ait nihil esse periturum; cum supra de suis ovibus loqueretur. Aut certe omnia hominum genera..... Qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, non pro illo mortuum esse Christum..... Christum non rogare pro mundo hostili, sed pro mundo fideli: non rogare pro mundo, de quo scriptum est, Ne cum hoc mundo damnemur: sed pro mundo, de quo scriptum est, Non enim venit Filius hominis, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum., Cum hæc (inquam) S. Augustinus profert, Christi que mortem ad solos prædestinatos, aut ad solos fideles restringit, de fructu ultimo, plenoque, ac perfecto mortis ac redemptionis Christi est intelligendus, sive de illius efficacia consum-

Celestis Medicus, quantum in ipso est sanare venit ægrotum.

Sanguis Christi datus est pro nobis si volumus.

Objectionibus obviamur.

Epist. 169. alias 102. ad Evodium. Lib. 1. De adulter. conjug. cap. 15. Lib. de Corrupt. & Grat. c. 11. Tract. 52. in Joann. Tract. 66. Tract. 10. 1. Cor. 11.

111. P. Q.
21. Art. 4. mata, quæ vitæ æternæ consecutio est. Hæc enim ad solos prædestinatos pertinet, pro quibus etiam solis Dominus oravit, *Ut per ipsum vitam consequerentur æternam*: quia oratio ex deliberatione rationis ad Deum fusa, absolutæ voluntatis est interpret (ut loquitur S. Thomas.) Sed his ipsis in locis non negat S. Augustinus, quod alibi toties asserit, & tam constanter propugnat, Christum esse mortuum, & sanguinem fudisse pro omnibus, & singulis hominibus, quantum ad sufficientiam, non solum ratione pretii, quod omnibus, & singulis redimendis par est, immo redundans; sed ex intentione, & charitate Christi, pretium illud, scilicet sanguinem suum, ac mortem suam, pro omnibus, & singulis hominibus offerentis.

Sanguis Christi habet in se, ut omnibus proficit, sed si non bibitur, non medetur.

Id confirmat S. Prosper in Responsione ad *Objectiones Vincentianas*, ubi inter *ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia*, quæ Semipelagiani S. Augustino, & ejus Discipulis affingebant, propositionem illam primo loco recenset, ac refellit: *Quia Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus*. Tum clarissimis verbis docet, Christum pro omnibus mortuum esse, qui eadem natura censentur, & qui in Adamo perierant, hoc est, etiam pro reprobis, ejusque passionem, ac mortem, quantum in ipsa est, & ex voluntate Crucifixi, universis profuisse. Quod autem ejus fructus non ad omnes re ipsa pertinet, eam causam esse, quod ad omnes non applicatur; quia impii, ac reprobi salutis poculum bibere, & universalem medicinam omnibus a cœlesti Medico præparatam fumere nolunt. *Contra vulnus (inquit) originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta, & mortificata natura est, & unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit verum & potens ac singulare remedium est mors Filii Dei Domini nostri Jesu Christi: Qui liber a mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortis est mortuus*. Quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani, *Sanguis Christi redemptio est totius mundi*. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranscunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, & tamen non omnes a captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos est de quibus princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cujus mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus etiam qui regenerandi non erant, pertinerent, sed ita, ut quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est, de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus proficit; sed si non bibitur, non medetur. His addenda Responsio ejusdem Patris ad Objectionem nonam Gallorum. Cum (inquit) *rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipse profuit*. Dicit enim Evangelista: „ Quia Jesus moriturus erat „ pro gente, & non tantum pro gente, sed etiam, ut filios Dei dispersos „ congregaret in unum. In sua enim venit, & sui eum non receperunt. „ Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri ... “ *Diversa ergo ab istis sors eorum est; qui inter illos censentur, de quibus dicitur, Mundus eum non cognovit. Ut possit secundum hoc dici Redemptor mundi: dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit; quia lucem tenebræ non receperunt; & tenebræ receperunt, quibus dicit Apostolus, Fuitis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*.

Joann. 11.

Joann. 1.

Ephes. 5.

Hanc Traditionis doctrinam paucis expressit Sacra Synodus Tridentina Sessio.

effusione vi. De justificatione, Cap. II. & III. Christum Jesum (inquit) proposuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed idumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.

Non omnes Mortis Christi beneficium recipiunt.

Merito igitur a Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. & ab Ecclesia Catholica univèrsa eorum Constitutiones, ut par erat, recipiente, quinta hæc Jansenii Yprensis Episcopi Propositio, ut falsa, temeraria, scandalosa, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ derogans bonitati, & Hæretica, damnata est: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Hæretica Jansenii Yprensis propositio.

§. X.

Ex Morte Christi Gratiæ sufficientes ad salutem omnium derivantur.

Explicatur, quid de Gratia sufficienti sentiendum sit.

I. **G**ratia sufficiens dicitur, quæ dat posse (ut Scholastici loquuntur) idest, qua fit, ut bonum agere possimus. Gratia efficax, quæ non solum dat posse, sed etiam agere; idest, quæ non solum præstat, ut bonum velle, & operari possimus, verum etiam ut re ipsa bonum operemur. Cum autem de Gratia sufficiente multæ Quæstiones a Scholasticis Theologis moveantur, his sepositis, ea dumtaxat exponimus dogmata, quæ ad Virorum Ecclesiasticorum mentes contra Novatorum perniciosam doctrinam muniendas necessaria sunt.

§. XI.

Interior Gratia vere sufficiens in statu naturæ lapsæ agnoscenda est.

I. **C**erto tenendum est, Gratiam aliquam esse sufficientem in statu naturæ lapsæ, ab efficaci distinctam; idest, quæ ultimum effectum non obtinet, ad quem a Deo destinatur, v. gr. victoriam tentationum, observantiam mandatorum, conversionem peccatoris, perseverantiam usque in finem in gratia, & charitate. Sed tamen præstat peccatori, ut converti possit, & resurgere a peccato; justo ut mandata implere, & in justitia perseverare; cuilibet, ut tentationes vincere possit. Hanc Gratiam admittendam probant Scripturæ Sacræ oracula quotquot gratiam in vacuum recipi, homines gratiæ Dei deesse, Spiritui-Sancto resistere, Spiritum-Sanctum extinguere, testantur. Soli enim gratiæ sufficienti resistitur, sola suo frustratur effectu, cum gratia efficax a nullo duro corde respuitur, ut loquitur S. Augustinus, quia ideo datur, ut cordis duritia primitus auferatur. Gratiam sufficientem S. Augustinus, non solum in statu innocentiae, sed etiam in statu naturæ lapsæ admittit, Libro De Correctione, & Gratia, Cap. XI. & XII. ubi distinguit duplex adjutorii, sive gratiæ genus. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Adjutorium sine quo, Theologi gratiam sufficientem appellant: Adjutorium quo, gratiam efficacem. Utrumque porro, illud scilicet, sine quo perseverare justii non possunt, & illud, quo fit, ut perseverent, quibusdam conferri in hoc naturæ corruptæ statu, quibusdam vero in pœnam peccati præcedentis subtrahi a Deo docet. Si autem, inquit, hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.

2. Cor. 8. Hebr. 12.

19. Act. 7. 51. 1. Thef. 5. 19.

Lib. De Predestinatione Sanctorum, c. 8.

Adjutorium sine quo, & adjutorium quo.

Quibus deest, pœna peccati est.

Nunc autem, quibus deest tale adiutorium, jam pena peccati est. Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus, &c. Et Libro De Prædestinatione Sanctorum, Cap. xvi. duplicem distinguit vocationem. Unam, qua vocati sunt & qui noluerunt venire ad nuptias, qua vocatione vocati sunt & Judei, quibus Christus crucifixus scandalum est, & Gentes, quibus crucifixus stultitia est: alteram, qua vocantur prædestinati, qua vocatione fit credens. Prior ad gratiam sufficientem, posterior ad efficacem pertinet.

Et Tractatu LIII. in Joannem: Ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum; sed audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem, & jubentem, quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere possimus.... Agende sunt gratiae, quia data est potestas: orandum, ne succumbat infirmitas. Gratia porro, quæ dat posse, & cum qua nihilominus quandoque succumbit infirmitas, est gratia sufficiens.

Utriusque
Gratiæ e-
xemplum
in S. Augu-
stini con-
versione.

Gratiam utramque S. Augustinus in Conversione sua expertus est. Antequam enim ad Deum re ipsa converteretur, bonos quosdam, sed imperfectos conatus animæ ad Deum redire volentis, in semetipso sentiebat, parvam, invalidam, & languentem voluntatem; pia quidem, sed inefficacia desideria: quæ quidem omnia cum sint gratiæ alicujus interioris effectus, nec tamen efficacis, quæ conversionem re ipsa operatur, reliquum est, ut Gratia sufficientis, mentem interius illuminantis, & excitantis voluntatem, effectus fuerint. Motus illos describit S. Augustinus, Libro præsertim VIII. Confessionum, Cap. v.

„ Voluntas nova, inquit, quæ mihi esse ceperat, ut te gratis colerem, fruique
 „ te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superan-
 „ dam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia
 „ nova; illa carnalis, ista spiritalis, confligebant inter se, atque discordando dis-
 „ sipabant animam meam Ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recu-
 „ sabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum im-
 „ pediri timendum est. Ita sarcina sæculi, velut somno asfolet, dulciter preme-
 „ bar; & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expurgandi
 „ volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut ne-
 „ mo est, qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare præstat:
 „ differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor in mem-
 „ bris est, eumque jam displicentem carpit libentius, quamvis surgendi tempus
 „ advenerit. Ita certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere, quam meæ
 „ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat.
 „ Non enim erat, quod tibi responderem dicenti mihi: Surge, qui dormis, &
 „ exurge a mortuis, & illuminabit te Christus: & undique ostendenti vera te di-
 „ cere, non erat omnino, quod responderem veritate convictus, nisi tantum
 „ verba lenta, & somnolenta: Modo: ecce modo: sine paululum. Sed, Mo-
 „ do, & modo non habebant modum: & Sine paululum, in longum ibat.

Ephes. 5.

S. XII.

Gratia sufficiens veram, proprieque dictam potentiam ad opus supernaturale tribuit.

Gratia suffi-
ciens con-
fert volun-
tatem bo-
nam; sed
parvam, &
invalidam.

II. Firmissime tenendum est, gratiam sufficientem tribuere veram, proprieque dictam potentiam ad opus supernaturale, propter quod datur, v: gr: ad credendum, ad vincendum tentationes, ad conversionem peccatoris, ad observantiam præcepti, ad perseverantiam. Quæ quidem potentia non est possibilitas sola naturæ, aut liberi arbitrii, qualem sufficere propugnabat Pelagius, sed supernaturalis virtus est, qua voluntas excitata, & ad-
juta

jura bonum opus exercere potest. Non confert quidem Gratia sufficiens, qua-
 tenus ab efficaci distincta est, *Voluntatem* credendi, bonum agendi, rede-
 undi ad Deum, perseverandi, resistendi tentationi, *magnam, & robustam*;
 sed tamen confert illis, quibus datur, *Voluntatem bonam, quamvis parvam,*
& invalidam, ut loquitur S. *Augustinus*. Hujusmodi porro bona voluntas,
 vere, proprieque dicta potentia est ad opus bonum supernaturalis ordinis.
 Non confert Gratia sufficiens *Possibilitatem* illam, *quæ simul cum effectu in*
Sanctis provenit, cum sanata, & adjuta hominis voluntate, Caritas Dei,
quantum plenissime natura nostra sana, atque purgata capere potest, diffun-
ditur in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis (ut ejus-
 dem S. *Augustini* verbis utar.) Sed tamen veram, proprieque dictam po-
 tentiam tribuit, sine qua illis, qui gratia efficaci destituti sunt, impossibile esset
 credere, sperare, diligere, a peccato resurgere, mandata observare, tenta-
 tiones vincere, in justitia perseverare; cum naturæ, liberique arbitrii vires
 ad hæc non sufficiant.

S. August.
 Libr. De
 Gratia &
 Liber. Ar-
 bitr. c. 17.

Lib. De
 Natura, &
 Gratia, cap.
 42.

Qua vero ratione vera sit, proprieque dicta potestas boni operis ex gratia
 sufficiente derivata, quamvis gratia potentior, scilicet gratia efficax, necessaria
 sit, ut potestas illa cum effectu jungatur, sive applicetur ad opus, exem-
 plis appositis, & clarissimis ostenditur. Deus veram, proprieque dictam poten-
 tiam habet creandi plures mundos, cum sit omnipotens: & tamen necessarium
 est voluntatis ejus propositum, seu Decretum, quo ad eorum creationem se ap-
 plicet, alioqui nusquam illos creabit. Creandum est in nobis cor novum, cor
 mundum, creandi sumus in Christo Jesu in operibus bonis: gratia sufficiens
 præstat, ut id vere, proprieque habere, & in bonis operibus ambulare possi-
 mus: siquidem mentem illuminat, voluntatem excitat ad bonum; sed tamen
 spiritalis illa creatio non perficietur in nobis, nisi potestas illa gratiæ potentio-
 ris, scilicet efficaci, auxilio applicetur. Puerum, qui nutricem habet optimo
 lacte abundantem, vere posse lactari, ac nutriri nemo negaverit, quamvis ip-
 sum applicari oporteat ad nutricis ubera, ut re ipsa lactetur, atque nutriatur.
 Christus ipse lac nobis factus est: gratia sufficiens lactis hujus desiderium quod-
 dam, licet imperfectum, nobis inspirat, nos ad divinæ miserationis ubera fugen-
 da vere, proprieque disponit, ac præparat: quamvis necessaria sit gratia efficax,
 qua ad divina illa ubera admoveamur, & applicemur. Avem alis instructam,
 habere veram, & proprie dictam volandi potentiam quis inficiabitur? Et tamen
 necesse est, ut alas explicet ad volatum. Mens, & voluntas alæ veluti duæ
 sunt animæ nostræ, per se quidem insufficientes, ut ad Deum ferantur, & ad
 supernaturalia opera nos erigant, nisi Dei gratia excitentur ad volatum: ex-
 citat gratia sufficiens; & illa præveniente, ac adjuvante ad Deum assurgere,
 ad opera supernaturalia nos erigere, vere proprieque possumus: sed necesse
 tamen est ad volatum, ut spirituales alas explicemus; quod ut faciamus, gra-
 tiæ debemus efficaci, quæ potentiam applicat operi, & opus explicat volun-
 tati. Semen terræ mandatam vere, proprieque sufficiens est, & veram, at-
 que intrinsicam virtutem habet ad segetis, plantæ, vel arboris productionem:
 & tamen necessarii sunt Solis radii, siderum influxus, agricolæ, vel hortu-
 lani labores & curæ, ut seges, planta, vel arbor progerminet, erumpat, ad-
 olescat. Gratia sufficiens boni operis semen est, ea in animum hominis im-
 missa veram, atque intrinsicam virtutem confert ad bonam operationem:
 sed tamen necesse est, ut Sol justitiæ novo influxu virtuti isti velut obste-
 tricetur, ut ad effectum perveniat; necesse est, ut Deus per novæ gratiæ,
 quam efficacem vocamus occultam subministrationem, virtutem cælestis il-
 lius feminis foveat, riget, det incrementum. Passio Christi vere, proprieque
 sufficiens est ad omnium, & singulorum hominum salutem, quamvis omnes rei-
 pla

Quamvis
 gratia suffi-
 ciens ve-
 ram pote-
 statem con-
 ferat, gratia
 tamen po-
 tentior, &
 per se effi-
 cax absolu-
 te necessa-
 ria est.

psa non salventur; quia vere potest Christi Passio secundum se spectata omnes, & singulos salvare; ita ut non ejus defectu, sed humanæ voluntatis contingat, ut non omnes salutem consequantur. Gratia quælibet, seu parva, seu magna, sive sufficiens, sive efficax, fructus est Passionis Christi; adeoque secundum se quamlibet vincere tentationem, & cujuslibet peccatoris conversionem operari potest; ita ut per ipsam non stet, sed per humanæ voluntatis defectionem, ac duritiem, si non illico vincitur tentatio, nec convertitur peccator. Minima igitur gratia vere sufficiens est ad bonum opus, ad conversionem peccatoris, ad tentationis victoriam, ad perseverantiam; quamvis alia præterea gratia, scilicet efficax, ad hæc re ipsa exequenda, & consumanda requiratur. Sufficiens (inquam) est per se ipsam, quamvis spectatis omnibus hominis, cui tribuitur, conditionibus, & dispositionibus, ultimum, ad quem destinatur, effectum non sit productura. Sic Medicinam a perito Medico paratam sufficientem recte dicimus, vereque, ac proprie posse sanare ægrotum, si virtus illius intrinseca spectetur; quamvis præter ipsam, potentioribus medicamentis sit opus, si prava hominis ægrotantis dispositio spectetur.

Quamvis gratia sufficiens veram potentiam tribuat ad bonum opus non tamen inanis est oratio fidelium.

Quia vero potentius illud gratiæ efficacis auxilium Dei donum est, illud a Deo suppliciter postulandum est. Unde quamvis gratia sufficiens veram, proprieque dictam, & supernaturalis ordinis potentiam tribuat ad bonum opus, non inanis est oratio Fidelium, nec id petunt, quod in sua habent potestate. Quamquam autem gratiam tantum sufficientem Ecclesia pro Fidelibus suis a Deo non postulet, nihilominus vera Christi gratia est, virtute, ac meritis Passionis ejus, Mortisque parta: sed potentiorē aliam, scilicet efficacem, postulat, quia necessaria illa est ad bonum opus, & ad perfectam peccatoris conversionem, vel ad perseverandum in justitia. Cum enim ab Omnipotente petat, magni aliquid petit. Denique preces fundit, ut Deus promissa sua adimpleat: *Magna autem ille, & pretiosa nobis promissa donavit* (inquit Apostolorum Princeps.) Quamobrem non minimas gratias, sed efficaces a Deo postulamus.

§. XIII.

Gratia sufficiens est Gratia Christi medicinalis.

III. **F**irmiter tenendum est, Gratiam sufficientem, hominibus in statu naturæ lapsæ a Deo concessam, esse gratiam Christi medicinalem; non quod ipsa sola sanet vulnera nostra, sed quod ipsorum curationem incipiat, & ad perfectam sanitatem disponat, eaque intentione ab omnipotenti Medico tribuatur, aut præparetur, ut pium sanitatis desiderium inspiret. Pars autem sanitatis est velle sanari. Non sistit igitur in mente, nec ipsam dumtaxat illustrat, suadetque ipsi, quod agendum est, sed ad voluntatem pertingit, ipsamque excitat, ut bonum velit. Cum enim natura magis depravata sit in appetitu boni, quam in cognitione veri, utramque facultatem medicinali Christi gratia sanari necesse est: quam sanitatem gratia sufficiens inchoat, efficax perficit. Non sufficit excitatio intellectus per illustrationem, nisi adsit excitatio voluntatis per piam motionem. Quemadmodum homo claudus, vel infirmus, qui imminente gravi periculo, in quo positus dormiebat, excitatur ab alio, ut imminens periculum prospiciat, sufficientes vires non accipit ad currendum, & fugiendum, quia excitatio illa ipsum non sanat, neque ad illius curationem disponit. Non absimili ratione, peccator in ceno vitiorum dormiens excitatur lumine supernaturali, ut cognoscat, quantum malum sit dereliquisse fontem aquæ vivæ, & imminentem animæ suæ damnationem respiciat; sed quia hæc excitatio ultra mentem non progre-

Ex citatio mentis, & voluntatis per gratiam sufficientem.

di-

ditur, id satis non est, ut revera converti possit; excitanda voluntas est, piaque motione inchoanda saltem ejus curatio, ut possit fugere Malignum, & currere ad Deum. Utrumque complectitur gratia omni ex parte sufficiens. Quamobrem non est merum lumen; nec magis significari videtur hoc loco Evangelii, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quam gratia efficax. Utraque lumen est. Gratia enim efficax illuminat omnes, qui illuminantur, nec tamen est merum lumen, sed habet ardorem adjunctum, quo voluntas Dei amore inardescere incipit: nec suasio tantum est, sed persuasio. Idem de gratia sufficiente dicendum. Mentem illuminat, voluntatem excitat: utramque facultatem sanare incipit; actus imperfectos, pia desideria, quamvis invalida, & languentia, inspirat; ad actus perfectos disponit, scilicet ad conversionem perfectam, ad absolutam tentationum victoriam, ad bonum quodlibet opus, ad ipsam perseverantiam.

Joann. 1.

Duplex illa excitatio somno duplici respondet, mentis, & voluntatis. Prior describitur Proverbiorum xxiii. his verbis: *Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo; & dices: Verberaverunt me, sed non dolui: Traxerunt me, & ego non sensi*. Cum enim mens obtenebrata est, amissus est clavus, quo spiritalis navis, scilicet anima, in mediis tempestatibus regatur, & ad portum perducatur. Tunc peccati vulnus non sentit homo; quia nec animadvertit esse peccatum. Posterior somnus significatur his verbis Psalmi cxviii. *Dormitavit anima mea præ tædio*. Nam voluntas in via salutis defessa, in somnum quemdam infelicem sæpe immergitur assiduitate peccandi, tædioque rerum, quæ salutem spectant. Itaque duplex somnus excitatione duplici pellitur, mentis, & voluntatis. Prima est a gratia illuminante, altera a gratia movente. Utrumque præstat gratia efficax, quæ perfecte excitat hominem: utrumque præstat & gratia sufficiens, quæ eundem excitat imperfecte, & ad quærendam gratiam potentiolem movet, qua non solum sanari desideret, sed re ipsa sanetur. De qua S. Augustinus Enarratione in Psalmum cvii. *Fac (inquit) hominem primo nihil querentem, secundum vitam veterem seductoria securitate viventem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam, negligentem quemdam, & socordem obrutum cor habentem illecebris mundi, & mortiferis delectationibus consopitum: ut excitetur iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, & tamquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum?*

Duplex illa excitatio somno duplici respondet.

§ XIV.

Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ aliquando restititur.

IV. Dogma Fidei est, Gratiæ interiori, nempe sufficienti, aliquando restituti. Id Scriptura Sacra expresse docet, Isaïæ v. *Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me, & vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas & fecit labruscas?* Judæi, quos redarguit Deus per Prophetam gratiam efficacem non habuerunt, alias fecissent fructum bonum: habuerunt autem gratiam sufficientem, per quam ad Deum converti, & dignos pœnitentiæ fructus facere potuerunt: illique gratiæ restiterunt; alioqui non reprehendisset eos Dominus, quod uvas non protulerint, sed labruscas, Matth. xxiii. *Jerusalem (inquit Christus) Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Act. vii. S. Stephanus ad Judæos orationem habens: *Vos, inquit, semper Spiritui Sancto resistitis*. Id confirmat Apostolus i. ad Corinthios vi. *Exhortamur (inquit)*

ne

ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ad Thessalonicenses v. Spiritum nolite extinguere. Extinguitur autem Spiritus Sanctus, dum interiori gratiæ resistitur. Et ad Hebræos xii. Contemplantes, ne quis desit Gratiæ Dei. Gratiæ autem Dei deesse, est illi ad bonum monenti resistere. Hinc Senonense Concilium anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo octavo celebratum, Decreto xv. Fidei ait: *Neque enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam; quod illi falso toties imponere non verentur: sed juxta Scripturam Sacram eo extendimus, ut voluntas humanâ misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam se præparet, quæ tandem accepta sit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale sit hujusmodi trabentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt; frustra certe Stephanus Judæos duræ cervicis, & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Hæc S. Augustini doctrinæ pluribus in locis consona sunt, præsertim Enarratione in Psal. cxxiv. ubi de peccatoribus sæculi felicitate falsa seductis ait: Cor eorum congelascit adversus Deum, & fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat. Et Libro I. De Peccatorum Meritis, loquens de concupiscentia in baptizato superstite ait: Habet, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit. Merito igitur a Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. & ab Ecclesia universa ipsorum Constitutiones, ut par erat, recipiente, secunda illa Propositio Jansenii Yprensis Episcopi, ut Hæretica, damnata est: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Cor adversus Deum congelascit.

Hæretica Jansenii Yprensis propositio.

§. XV.

Justorum nemini, urgente divinorum præceptorum observantia, deest gratia, qua possibile fiant.

V. **F**idei Catholicæ Dogma est, urgente divinorum Mandatorum observantia, nemini Justorum gratiam deesse, qua possibile fiant. Fide namque certum est, Dei mandata, homini præsertim justificato, & sub gratia constituto non esse impossibilia. „ Nemo (inquit Concilium Tridentinum Sessione vi. Cap. xi.) temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita „ voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, „ quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis. *Quæ sententia ex S. Augustino Libro De Natura, & Gratia, Cap. XLIII. de prompta „ est, qui & Cap. LXIX. ejusdem Libri ait: Eo ipso, quo firmissime creditur, „ Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid petamus.* Idem Concilium Canone xviii. ejusdem Sessionis Catholicum illud Dogma declarat, & firmat, vibrato in eos, qui contrarium dixerint, Anathemate: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; Anathema sit.* At si justis gratia sufficiens urgente præceptorum observantia deesset, illa impossibilia ipsis essent, cum solis naturæ, ac liberi arbitrii viribus possibile non sint,

Præ-

Præterea, Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur (inquit Sacra Synodus Tridentina Capite superius indicato.) Nulla enim causa est, cur homini justo gratiam sufficientem subtrahat, qua possibilia mandata fiunt; sicut nulla causa est, cur gratiam sanctificantem ab eo tollat, quandiu justus manet, Deique amicus. Unde S. Augustinus, Lib. 11. De Peccatorum Meritis, Cap. xvii. ait: *Ut innotescat, quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Et Tractatu 11. in Joannem: *Opus est, ut non recedas ab eo, qui nusquam recedit; opus est, ut tu non deseras, & non desereris: noli cadere, & non tibi occidet: si tu feceris casum, ille tibi facit occasum; si autem tu stas, præsens est tibi.* Hinc discrimen statuit idem Sanctus Doctor inter gratiam quam Deus justis concedit, & quam peccatoribus largitur, quod prima justitiæ quodammodo sit, non quod illam homini debeat Deus, sed quod sibi ipsi debitor sit, suisque promissis, ac fidelitati non possit deesse: altera vero sit unius misericordiæ. Quia enim amicitiam cum justis contraxit, promissique se dignostantum deserere deserturum; quodam fidelitatis, & justitiæ vinculo tenetur ad necessaria gratiæ auxilia tandiu illis concedenda, quamdiu peccatum, quod dignos efficit, qui deserantur, non admiserint. Sic exponit illud Davidis oraculum Psalmo vii. *Justum adjutorium meum a Domino*, Enarratione in hunc Psalmum. *Duo, inquit, sunt officia Medicinæ, unum, quo sanatur infirmitas, alterum, quo sanitas custoditur. Juxta illud primum dictum est in superiore Psalmo, Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Juxta hoc*
*alterum, in hoc Psalmo dicitur. Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Ibi enim infirmus, ut liberetur, hic jam sanus, ne corrumpatur, orat. Juxta illud ibi dicitur, Salvum me fac propter misericordiam tuam; juxta, istud dicitur, Judica me, Domine, secundum justitiam meam. Ibi enim, ut a morbo evadat, remedium; hic autem ne in morbum incidat, tuitionem petit. Juxta illud dicitur, Salvum me fac Domine secundum misericordiam tuam. Juxta hoc dicitur, Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde. Et illa enim, & ista salvos facit: sed illa ex ægritudine ad salutem transfert, hæc in ipsa salute conservat. Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum, qui justificat impium. Hic autem justum auxilium est, quia jam justus tribuitur. Dicat ergo ibi peccator, qui dixit, Infirmus sum, Salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam: & dicat hic justus, Justum auxilium meum a Domino. Si enim medicinam exhibet, qua sanemur infirmi, quanto magis eam, qua custodiamur sani? Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, quanto magis nunc justificati, salvi erimus ab ira per ipsum? Et in Psal. xcvi. *Impius eras, & mortuus est pro te; justificatus es, & deseret te? Qui justificavit impium, deseret pium? Nemo timeat: Custodit Dominus animas Sanctorum suorum.* Et Tractatu xxxii. in Joannem: *Non nos deserit fons, si non deseramus fontem.**

Deus non deserit, nisi deseratur.

Quo sensu justum auxilium, quod justus Deus impertit.

Psal. 6.

Rom. 5.

Frustra vero contra dogma Catholicum objiciuntur S. Augustini verba, Tractatu xxxiv. in Joannem: *Forte conaris, & non potes, &c.* Mala enim fide ad justos hæc verba detorquentur, quæ de peccatoribus dicta sunt, quibus tamen Dei mandata absolute impossibilia non dicuntur, sed ex hypothesi dominantis cupiditatis; non quod ipsos omnino deficiat vera, proprieque dicta potestas adimplendi, & observandi mandata divina, sed quod potestate conjuncta cum actu, seu *Quæ Sanctis cum effectu provenit* (ut loquitur S. Augustinus) & quæ per gratiam efficacem confertur, destituti sint; idque

Occupatur objectio

Potestas conjuncta cum actu per gratiam efficacem confertur.

que vitio suo, non gratiæ defectu, quæ semper ipsis quotiescumque præceptum urget, vel datur, vel offertur, ac præparatur. Id colligitur ex ipsis *S. Augustini* verbis: *Non tibi dicitur, labora querendo viam, ut pervenias ad veritatem, & vitam, non hoc tibi dicitur. Piger surge, Via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitavit, si tamen excitavit: Surge, & ambula. Forte conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes? Unde dolent pedes? An jubente avaritia per aspera cucurrerunt? Sed Dei Verbum sanavit & claudos. Ecce (inquis) sanos habeo pedes, sed ipsam viam non video. Illuminavit & cæcos.* Quibus verbis *S. Augustinus* significat, nullam exhiberi excusationem posse ab his, qui Christum non sequuntur, quia remedium attulit Salvator, quo & sanari possit infirmitas, & cæcitas illuminari, sicque nulla est impotentia, quam causantur, cum auxilium ipsis a Deo nunquam desit.

Hac destituti sunt peccatores suo vitio. Ideo inexcusabiles.

Ad peccatores pariter, non ad Justos pertinet, eodemque modo exponendus est *S. Augustini* locus alter, Enarratione scilicet in Psal. cv. *Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam propter compedes ambulare: inclusum se sentit difficultate vitiorum; & tamquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, qua evadat, ut recte vivat, non invenit ... Conatur, non potest; ligatum se sentit, exclamat ad Dominum. Ut autem gratiam impleret, gratia orationis ipsi præsto est, quæ sufficiens est ad conversionem, sive ad implenda præcepta.*

Catholicum Dogma de gratiæ sufficientis auxilio Justis saltem semper presente ad divina mandata implenda confirmat *S. August.* Enarratione in Ps. lvi. „ *Neque (inquit) imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si consideras infirmitatem tuam, deficis sub præcepto, confortare in exemplo. Sed etiam ad te exemplum multum est, adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat auxilium. Et Tractatu l. iii. in Joannem, Audiamus, inquit, Dominum, & præcipientem, & opitulantem, & jubentem, quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere possimus. Et Tractatu vii. Legem, & misericordiam in lingua portat: Noli timere, ne implere legem non possis, fuge ad misericordiam.*

Jansenii Yprensis heretica propositio.

Merito igitur Summorum Pontificum *Innocentii X.* & *Alexandri VII.* Constitutionibus, & Ecclesiæ totius execratione, confixa est, ut temeraria, impia, blasphema, Anathemate damnata, & Hæretica, prima illa *Jansenii Yprensis* Episcopi Propositio: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum presentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.*

§. XVI.

Gratia non defuit S. Petro, qua Christum sequi, & confiteri posset.

Janseniano errori S. Chrysoft. non favet.

VI. **S** Petro non defuisse Gratiam, qua possibile ipsi fieret mandatum sequendi Christum, & ipsum urgente tentatione confitendi, Dogma fidei est præcedenti connexum. Errori contrario *S. Joannes Chrysostomus* non favet, Homilia lxxxiii. in Matthæum, lxxii. in Joannem, & in Epistolam ad Hebræos xxxi. Homilia, cum ait Petri casum *Non frigiditate, non socordia, & negligentia, sed superni auxilii subtractione* contigisse. De auxilio namque efficaci *S. Chrysostomus* loquitur, quod Petro ob præcedens peccatum subtractum est, non de auxilio sufficienti, quo Christum sequi, & confiteri, tentationesque superare absolute poterat. Et illud quidem gratiæ efficaciæ auxilium non illi subtractum est ob negligentiam, & socordiam, qua id negligeret agere, quod agendum erat; Christum enim sequi, & confiteri ardore incredibili peroptabat: sed partim ob præsumptionem de suis viribus, partim ob negligentiam orationis, & vigilantie, quam

quam ipsi, & aliis Apostolis Christus commendaverat, ne intrarent in tentationem. Id constat ex *S. Chrysostomo* Homilia LXXXIII. in Matthæum., Petrus
 „ (ait) *nimum sibi arrogans, inquit: Etsi omnes in te scandalizati fuerint, ta-*
 „ *men ego non scandalizabor. Ita hæc res sensim eum ad tetrum insolentia*
 „ *crimendevehebat, quod reprimere Christus volens, quoniam nec Propheta,*
 „ *nec sibi obtemperavit, negationem fieri permisit. Et paulo post: Duplex enim*
 „ *crimen erat, tum quia repugnavit, ac restitit, tum quia ceteris se ipsum*
 „ *præposuit: immo vero etiam tertium non parvum crimen eum commisisse*
 „ *dixerim, quia sibi totum tribuit. His igitur mederi omnibus volens, cadere il-*
 „ *lum permisit. Et infra: Divina protectione valde fuit denudatus, quod fa-*
 „ *ctum est propter arrogantiam, & contradicendi pertinacem duritiam... Ni-*
 „ *mium sibi ipsi confusus, hæc dicebat, & in alios insurgerebat dicens: Etsi o-*
 „ *mnes in te scandalizati fuerint, ego tamen non scandalizabor. Puto autem*
 „ *ambitione quoque aliqua, & jactantia in ea verba Petrum lapsum fuisse.*
 „ *Nam & in ipsa Cena, quisnam inter eos major esset, disceptabant... Christus*
 „ *autem ab his passionibus eum liberare volens, non impellebat ad negatio-*
 „ *nem, sed favorem suum ab eo subtraxit, & humanam redarguit naturam.*

Matth. 26.
33.

Gratiæ effi-
catis auxi-
lium Petro
Apostolo
ob præsum-
ptionem, &
ob negligenti-
am oratio-
nis, atque
vigilantiæ
defuit.

Et Homilia LXXII. in Joannem: *Quid dicis, Petre, dicenti, Nos potes: te posse dicis? Experientia cognosces nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina. Unde constat, hunc casum Jesum pro ipsius utilitate permisisse. Nam cum assertioni suæ fervore quodam non staret Petrus, non quidem impulit ad negandum, sed desertum reliquit, ut suam ipse intelligeret imbecillitatem... Cum in arrogantiam prolaberetur, & Christo contradiceret, suæ admonetur fragilitatis.*

Denique Homilia xxxi. in Epistolam ad Hebræos. *Ut scias, inquit, quod negatio non tamen erat socordia, ac negligentia, quam ex eo quod Deus eum deseruerat, erudiens ut humanam sciret mensuram, & non repugnaret iis, quæ dicebantur a Magistro, neque ejus quam aliorum essent elatiores spiritus, sed sciret, quod absque Deo nihil potest fieri, & quod Nisi Dominus edificaverit domum, frustra laborant, qui ædificant eam. Quæ igitur S. Petro defuit efficax gratia, ejus culpa defuit, in pœnam præsumptionis, & superbiæ. Sed gratia sufficiens illi non defuit, qua vigilare poterat, & orare.*

Nec magis errori Janseniano favet *S. Hilarius*, Canone xxxii. in *Matthæum*, ubi ait: *Amarissime flevit Petrus, recolens trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare.* Hac enim locutione non exprimit impossibilitatem præcepti, sed vitium, & ignaviam Petri non adimplentis præceptum. Sic amicus de amico, vel dominus de servo conqueritur, quod non potuerit aliquid præstare in sui gratiam, quod ab ejus amicitia, fide, & obsequio expectare merito debuerat. Sic dux de milite ignavo, quod in pugna stare non potuerit, sed fugam pavidus arripuerit. Sic Discipulis Christus soporem exprobrans, *Non potuistis, inquit, una hora vigilare mecum.* Hoc scilicet loquendi modo vulgato non significatur illis impossibile fuisse, quod facere debebant, nec fecerunt, sed ita ignavos fuisse, imbecilles, vel ingratos, ut non præstiterint, quod ex officio præstare tenebantur. Sane Petrum ignaviam suam deflevisse, non impotentiam vitandi culpam negationis, *S. Hilarius* satis aperte significat.

Janseniano
errori de
gratia suffi-
ciente ad
Christi
confessio-
nem S. Pe-
tro defici-
ente non
favet S. Hi-
larius.

Nec etiam Janseniano errori favet *S. Augustinus* Sermone ccxcvi. alias cvi. *De Diversis*, ubi ait: *Promisit se moriturum pro illo, & non potuit nec eum illo. Plus enim ausus erat, quam ejus capacitas sustinebat, plus promiserat, quam poterat. Esto enim tunc nondum pro Christo mori potuerit Petrus, quod præceptum non urgebat; non sequitur, quod negationis crimen vitare non potuerit, & Christum confiteri, quod tunc præceptum e-*

Nec S. Au-
gustinus.

rat,

rat, in iisque rerum circumstantiis adimplendum: non sequitur, quod gratia illi defuerit ad Christi confessionem necessaria. Et aliunde *S. Augustinus* ibidem ait, Petrum timuisse, & negasse Dominum, quia *Præpostere amavit, & inordinate amans* defecit sub pondere passionis, ut hinc intelligere quisque possit inordinato illius affectui tribuendum, quod non satis ad virium suarum imbecillitatem attenderit, nimiaque de suo animo, ac dilectione fiducia, divinum auxilium non imploraverit, quo adversus tentationem indigebat.

Quod si alias non potuisse Petrum ab ancilla interrogatum verum testimonium Christo perhibere, *S. Aug.* asserit, id unum significat, non potuisse per se ipsam, & per proprias vires, in quibus nimium confidebat; quamvis posset per gratiam Dei, quæ ipsi sufficienter aderat, ut vigilaret, ac oraret; nec auxilio uberiore, ac fortiore fuisset destitutus, nisi arrogantia sua obicem illi apposuisset. Sic intelligendus est *S. Aug.* locus ex Tractatu *xcii.* in Joannem depromptus. *Dabit vobis fiduciam (inquit) testimonium perhibendi Charitas Dei diffusa in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancille interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere; sed contra suam pollicitationem timore magno compulsus est ter negare.* Ceterum ejus præsumptionem, & arrogantiam causam fuisse, cur illum desereret Deus, & in negationis crimen labi permetteret, pluribus in locis *S. Aug.* docet; nimirum Tractatu *lxvii.* in Joannem. *Quid festinas Petre? Nondum te suo Spiritu solidavit petra. Noli extolli presumendo, Non potes modo. Noli dejici desperando, Sequeris potest, itea. Sed adhuc ille quid dicit? Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam. Quid in animo ejus esset cupiditatis videbat, quid virium, non videbat. Voluntatem suam jactabat infirmus, sed inspiciebat valetudinem Medicus: iste promittebat, ille prænoscebat: qui nesciebat, audebat; qui præsciebat, docebat. Quantum sibi assumpserat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset ... Respondit ergo Jesus: Animam tuam pro me pones? Præire potes, qui sequi non potes? Quid tantum præsumis, quid de te sentis quid te esse credis? Audi, quid sis. Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum nescis.*

Et Tractatu *lxvi.* „ Neque nos primum Apostolorum accusare delectat: „ sed huc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus fidat ... In anima itaque Petri contigit, quod offerebat in corpore. Non tamen pro Domino, ut temere præsumebat, præcessit, sed aliter quam putabat: namque ante mortem, & resurrectionem Domini, & mortuus est negando, & revixit plorando; sed mortuus est, quia superbe ipse præsumpsit; revixit autem, quia benigne ille respexit.

Epistola *cxl.* alias *cxx.* „ Petrus ex egregio præsumptore tam creber negator effectus. *Lib. xiv.* De Civitate Dei, *cap. xlii.* Illa prorsus ruina, quæ fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in manifesto ... Et audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui sibi jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit.

Libro De Correctione, & Gratia, *cap. ix.* *Dixerat & ipse in abundantia sua, Animam meam pro te ponam: Sibi festinando tribuens, quod ei fuerat a Domino postea largiendum. Avertit autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus, ita ut eum, mori pro illo metuens, ter negaret.*

Enarratione in Psalmum *xxxvi.* Sermone *i.* *Petrus quas vires haberet fides ejus utique nesciebat, quando dixit Domino, Tecum sum usque ad mortem. Dominus autem, qui noverat eum, prædixit, ubi deficeret, prænuncians*

Præsumptio
Petri causa
fuit cur ip-
sum in cri-
men nega-
tionis labi
Deus per-
mitteret.

illi infirmitatem ejus, tamquam tacta vena cordis ejus. Proinde Petrus, qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.

§. XVII.

Gratia sufficiens ad perseverandum Justis omnibus datur.

VII. **C**erto tenendum est, Gratiam sufficientem ad perseverandum justis omnibus adesse. *Deus enim non deserit, si non deseratur, ut pie semper, justeque vivatur* (inquit S. Augustinus Libro De Natura, & Gratia, cap. xxvi.) Et, *Gratia Dei, quæ hominum adjuvat voluntates, ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo* (ut ipse ait Libro II. De Peccatorum Meritis, cap. xvii.) Quamobrem recte dici potest Justo non perseveranti: *Homo, in eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles* (ut idem S. Augustinus docet Libro De Correctione: & Gratia, cap. vii.)

§. XVIII.

Christianis omnibus, urgente præcepto, Gratia sufficiens datur, vel offertur.

VIII. **C**erto tenendum est, Christianis omnibus urgente præcepto, gratiam sufficientem dari, vel offerri a Deo. Alioqui sine causa præciperet Deus, si gratiam saltem ad orandum non tribueret, qua gratia ad præceptum implendum necessaria possit impetrari. Quamobrem *Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur* (inquit S. Augustinus Libro De Gratia, & Libero Arbitrio, cap. iv.) Et *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis* (ait idem S. Doctor Libro De Natura, & Gratia, cap. xliii.) Quibus verbis manifeste indicat, alterutrum esse in tua potestate. Nam si neutrum posses, quemadmodum non monet, ut facias quod non potes facere, ita etiam non moneat, ut petas, quod non potes petere. Quis enim Paralyticum in terra jacentem; & non solum pedibus, ac manibus, sed lingua, atque oculis captum, serio moneat, & facere quod possit, & petere, quod non possit; cum ad opem petendam non minus sit impotens, quam ad surgendum, & ambulandum? Hinc S. Leo Sermone xvi. de Passione: *Iuste nobis* (inquit) *instat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Præsto est igitur semper nobis auxilium sufficiens ad vitanda peccata, & diaboli tentationes vincendas. Diabolus enim non extorquet a nobis consensum, sed petit. Diabolum non adjuvamus, & vincimus. *Dat quidem ille consilium: sed Deo auxiliante, nostrum est vel eligere, vel respuere, quod suggerit. Si solus diabolus daret consilium, & Deus taceret, haberes, quo excusari posses.* Sed Deus non tacet, Scripturæ suæ, conscientia nostræ, inspirationum suarum vocibus monet, ut peccatum fugiamus. *Cum igitur per Dei adjutorium in potestate tua sit; utrum consentias diabolo; quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare deliberas?* Verba sunt S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, Sermone lvi. in Augustiniana Appendice ccliii. alias Homilia xii. ex quinquaginta. Et S. ipse Augustinus Enarratione in Psalmum xci. simillima habet. Et in Psalmum xl. *Ne dicas, Non possum tenere, & frænare carnem meam: adjuvaris, ut possis.*

Deus instat præcepto, præcurrit auxilio.

Deus adjuvat, ut carnem frænare possimus.

§. XIX.

Peccatores nondum indurati Gratia sufficiente persæpe donantur.

IX. Certum est, peccatores nondum induratos Gratia sufficienti a Deo persæpe donari, qua penitentiam agere possint. Longanimis enim Deus, & multum misericors, peccatores expectat, ut convertantur, & vivant; stat ad ostium cordis, & pulsât; vocat renuentes; manum extendit, ut lapsos erigat. Hinc S. Augustinus Sermone ii. in Psal. lviii. Si nolis curari vul-

Multa Dei erga peccatores misericordia. „ nus tuum (*inquit*) admonet, ut cureris: & aversum revocat, & refugiens tem, quodammodo ad se redire compellit, & attrahit. In omnibus implet, quod dictum est: Misericordia ejus præveniet me. *Et Enarratione in Psal. cii.* „ Quid tam longanimum (*inquit*) quid tam multum in misericordia? Peccatur, & vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, „ & facit Solem suum oriri super bonos, & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad penitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat imper- „ tiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per „ intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericor- „ diam consolationis. Longanimis, & multæ misericordiæ; sed observa, ne „ longitudine misericordiæ Dei male utendo, tu tibi thesaurizes, quod ait „ Apostolus, iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.

Rom. 2.

§. XX.

Gratia sufficiens Infidelibus datur: non eodem tamen modo, neque ejusdem rationis omnibus.

Joan. 1. 9. „ X. ipsis infidelibus datur gratia sufficiens, qua peccata vitare, & ad fidem; „ atque adeo ad salutem certis gradibus pervenire possint. *Deus enim illumi-* „ *nat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hinc S. *Ambrosius* Ser- „ *mone VIII. in Psal. cxviii.* „ Mysticus Sol ille justitiæ omnibus ortus est, „ omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: ideo autem pas- „ sus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, „ generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios Solis „ excludat, non ideo Sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse „ fraudavit: sed quod Solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis „ est, communis a se gratiam lucis excludit. Super omnes pluvia est, & „ hoc divinæ misericordiæ deputatur; quia pluit super justos, & injustos. „ Hinc S. *Augustinus* Tractatu II. in Joannem, „ Forte, *inquit*, stulta corda „ adhuc capere istam lucem non possunt quia peccatis suis aggravantur, ut „ eam videre non possint. Non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, „ quia eam videre non possunt: ipsi enim propter peccata tenebræ sunt. *Et* „ *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ergo fratres, „ quomodo homo positus in Sole cæcus, præsens est illi Sol, sed ipse Soli „ absens est. Sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus est cor- „ de. Præsens est Sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens „ est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. *Et* „ *Tractatu III.* O homines, nolite esse tenebræ, nolite esse infideles, injusti, „ iniqui, rapaces, avari, amatores sæculi; hæ sunt enim tenebræ. Lux non „ est absens, sed vos absentes estis a luce. Cæcus in Sole præsentem habet „ Solem, sed absens est ipse Soli. Nolite ergo esse tenebræ. Hæc est enim „ forte gratia, de qua dicturus sum, ut jam non simus tenebræ, & dicat „ nobis Apostolus: Fuiſtis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. „ Quod autem de Judæis dictum est, *Propterea non poterant credere, quia* „ *dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant* „ *oculis, & intelligant corde:* quod, inquam, dictum est, *Non poterant,* in- „ telligendum est, quod nolebant: quemadmodum dictum est de Domino Deo „ nostro, *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest.* De „ Omnipotente dictum est, *Non potest.* *Sicut ergo; quod Dominus negare se* „ *ipsum non potest, laus est voluntatis divinæ: ita, quod illi non poterant cre-* „ *dere, culpa est voluntatis humanæ.*

Non absens est homini fidei, & impio, sed ille Soli justitiæ absens est.

Joan. 1. 5.

Ephes. 5.

Joan. 12. Isai. 6.

Judei non poterant credere, quia nolebant.

2 Timi. 2.

Eandem gratiæ sufficientis, quæ ipsis infidelibus omnem excusationis occasionem adimat, generalem largitionem confirmat Auctor Librorum De

Voca-

Vocatione Gentium, qui sub nomine *S. Prosperi* circumferuntur, Libro 11. cap. xiv. & xv., Neque, *inquit*, ob hoc excusabiles sunt Nationes, quæ alienatæ a conversatione Israel, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo, sub ignorantia tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est universis quædam supernæ mensura doctrine, quæ etsi parciore, occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus iudicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium. *Et cap. xxiii.* Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed iis, qui renati sunt præ parentibus adfuit.

Generali gratiæ abundantia universum mundum rigat.

Cap. xxv., Sive igitur novissima contemplerur sæcula, seu prima, seu media, rationabiliter, & pie creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis, quæ Providentia Dei universis generationibus communiter, atque indifferenter impendit. Fuerunt enim, ac sunt hujusmodi dona ita generalia, ut ipsorum testimonio ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari.

Cap. xxvi., Gratia quidem Dei illa in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidii, ut divino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod de superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Quæ opitulatione per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur: & quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia: quod autem a multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ.

Homo de sua habet mutabilitate si deficit de gratiæ opitulatione si proficit.

Cap. xxix., Universitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consulit semper, & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari: cum & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & istos Dei gratia perducatur ad gloriam.

Nemini excusatio suppetit de abnegato sibi lumine veritatis.

Cap. denique xxxi. colligit, Non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis Gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura; quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est (ut Apostolus ait) Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Dicendo, *Qui est Salvator omnium hominum*, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem: adjiciendo autem, *Maxime fidelium*, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam, atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.

1. Tim. 4.

Quamvis porro gratia illa generalis omnibus Nationibus impensa etiam iis, quæ nihil unquam de Evangelio audierunt, non sit gratia Christi eo sensu, quod Christi Mediatoris cognitionem, & fidem involvat: gratia tamen Christi est eo sensu, quod Christi meritis parta sit, atque ex illius Passione, & Morte pro omnibus derivetur. Non est quidem ita proxime, ac immediate sufficiens, ac illa, quæ datur Gentibus, ad quas Evangelici Prædicatores mittuntur; sed tamen vere sufficiens est, ut ad fidem per varios gradus pervenire possint. Atque ita cum Auctore mox laudato concilian-

Gratia proxime, & immediate sufficiens non datur infidelibus quibus non est prædicatum Evangelium

liantur Africani Episcopi in Sardinia Exules, qui de gratia Christi a Petro Diacono interrogati, in hanc sententiam responderunt: *De gratia non digne sentit, quisque eam putat omnibus dari, cum non solum non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quos fidei prædicatio non pervenit.* Rom. 10. 14 *Beatus autem Apostolus dicit: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Non itaque gratia omnibus datur, quoniam quidem ipse gratiæ participes esse non possunt, qui fideles non sunt; nec possunt credere, ad quos invenitur ipse fidei auditus minime pervenisse.* Gratia scilicet proxime, ac immediate sufficiens ad credendum illis infidelibus non datur; ad quos fidei auditus non pervenit: sed tamen datur illis gratia generalis, quæ per varios gradus ipsos ad fidem promovere potest, quam Theologi Scholastici remote, ac mediate sufficientem apposite vocant: quia si generali hujusmodi auxilio infideles recte uterentur, aut certe suis peccatis illud inutile non redderent, seriemque gratiarum illi ex Dei misericordia subjungendarum non abrumperent, speciali vocatione, & gratia potentiori Deus illis tandem succurreret, quemadmodum docet S. Thomas, Quæstione XIV. De Veritate Articulo XI. in Responsione ad primam Objectionem. *Si aliquis, inquit, nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria; vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Facienti, quod in se est ex gratiæ auxilio Deus misericorditer succurreret.

Abfit tamen, ut nonnullis SS. Augustini, & Thomæ Discipulis nota erroris impingatur, qui gratiam omnem interiorum, proprie dictam, infidelibus iis, qui nihil unquam de Evangelio audiverunt, deesse propugnant. Hæc enim quæstio fidei summam non spectat, & de solo forte nomine quæstio est. Hæc autem sunt illorum Theologorum fundamenta.

I. Infideles illi excusantur a peccato infidelitatis, id est, excusantur, quod in Christum non credant, quamvis alia peccata ipsis imputentur. Porro non excusarentur ab ea infidelitate, quibus non est prædicatum Evangelium, si gratias proprie sufficientes ad credendum in Christum habuissent. Ab infidelitate, qua in eum non credunt, illos excusat Christus: Si non venissem, inquit, & locutus non fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Quem locum S. Augustinus exponens Tractatu 89. in Joannem ait: Numquid sine peccato erant Judæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, remittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, ut credatur in eum. Joan. 15. 22

II. Si infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audiverunt, gratiæ proprie sufficientis ad credendum auxilium præsto esset, ita ut ductum naturalis rationis sequendo, & a peccatis abstinendo, gratiam fidei certissime obtinerent, facile explicari posset, cur ex infidelibus quidam ad fidem perveniant, non alii. Dicit enim posset, illos non pervenire, qui se præstiterunt indignos peccandis; illos autem pervenire, qui ductum naturalis rationis secuti sunt in appetitu boni, & fuga mali. Id autem Theologiæ Augustinianæ principiis contrarium est. Ad hanc enim quæstionem solvendam, cur hi potius quam illi ad fidem perveniant, S. Augustinus ad inscrutabilia Dei judicia recurrit. Insignis ea de re locus est Libro De Spiritu, & Littera, cap. 34. Jam, inquit, Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita, duo

duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placet: O altitudo divitiarum! & Numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, querat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptores.

III. S. Thomas agnoscit auxilium, quod potestatem proximam confert ad credendum, deesse plurimis infidelibus in pœnam peccati. Illud autem auxilium est proprie sufficiens. Ita enim scribit Secunda secundæ, Quæstion. 2. Art. 5. in Responsione ad primam objectionem: „ Si in potestate hominis esse „ dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo; ad „ quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & „ proximum, & similiter ad credendum Articulos fidei: sed tamen hoc „ potest cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium, quibuscumque divi- „ nitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia „ non datur in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, ut S. Au- „ gustinus dicit Libro De Correptione, & Gratia.

§. XXI.

*Gratiæ sufficientes obduratis penitus non desunt: quamquam vero aliquibus deesse-
sent, illis tamen imputarentur peccata.*

XI. Obduratos, & excæcatos omni prorsus gratia sufficienti semper destitutos non esse sentiendum est: quamvis tenuissimæ sint, atque infrequentes admodum gratiæ, quæ desperatis hujusmodi hominibus, a Deo conceduntur. Summa enim illa cæcitas, quæ nullis omnino divinæ gratiæ radiis collustratur, hac in vita locum non habet, ut docet S. Augustinus Enarratione in Psalmum vi. *Dedit eos in reprobum sensum. Nam ea est, inquit, cæcitas mentis. In eum quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur: sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem Judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim esse extra Deum, quid est nisi esse in summa cæcitate?*

Ab interiori
Dei luce nemo
in hac
vita penitus
secluditur.

Rom. 1. 28

Cum autem ait S. Augustinus Libro De Perfectione Justitiæ cap. xix. de-
bere Deo agere gratias, qui præcepta voluit, quia *desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset*, non significat aliquos homines hac in vita deserti omni lumine veritatis; sed hominem, qui præcepta Dei implevit, id debere totum divinæ gratiæ.

Lib. 1. ad
Simplicianum
Q. 2.

Ait quidem alicubi S. Augustinus, Deum hujusmodi hominum, qui obdurati sunt, *non misereri*, quia singularem illis misericordiam non impendit, qua cordis durities frangatur: sed lumen aliquod, vel tenuissimum gratiæ sufficientis illis præsto esse non negat, cum Enarratione i. in Psalm. xviii. disertis verbis pronunciet: *Deus non permittit, ullum mortalium excusare se de umbra mortis: & ipsam enim penetravit Verbi calor.*

In. Psal. 57.

Cæcitate illa interiori oculum mentis extinctum esse cum S. Augustinus ait, aliqua ex parte extinctum esse significat, & respectu singularis alicujus veritatis; unde subdit: *Sic cæcus oculis carnis ad mensam suam quamlibet opimam discumberet, miserum eum diceret: cæcus interior panem Christum non videt, & beatus est? Hoc non dicit nisi pariter cæcus.* Sed oculum mentis penitus extingui spiritali cæcitate negat, quandiu quisque *in hac vita est*. Unde Propheta timens judicii diem, labrat, & plangit, ne ad illud perducatur, cujus initium tam perniciosum nunc experitur, *Et ideo non dixit, Extinctus est; sed, Turbatus est ab ira oculus meus.* Sicut ergo Sol, etsi locum opacum luce clariori non perfundat, aliquod tamen tenuissimum lumen ibi spargit, quo umbra a densissimis tenebris distinguitur: ita Sol justitiæ in excæcatorum cordibus umbram facit, dum ipsos uberiori luce non illuminat; aliquod tamen

Oculus
mentis spi-
ritali cæcitate non peni-
tus extin-
ctus.

In. Psal. 5.

tenuissimum lumen illis infundit, quo a gente tenebrarum, seu a dæmonibus, & damnatis hominibus distinguantur.

Quo sensu
neceſſe eſt
ut cadat, qui
ſpiritualiter
cæcus eſt.

Neceſſe eſt ut cadat, & offendat, qui ſpiritualiter cæcus eſt, *S. Auguſtini* ait: ſed loquitur de morali quadam neceſſitate, qualis illa eſt, quæ ex prava conſuetudine deſcendit, non de neceſſitate phyſica, & abſoluta: loquitur de neceſſitate, quæ ex libera voluntate pendet, non de neceſſitate naturali. Sicut ergo cum videmus aliquem per viam foſſis abruptam clauſis oculis ambulantem, recte dicimus, *Neceſſe eſt ut cadat*, quia non vult oculos aperire: ita recte dicitur, de homine ſpiritualiter cæco, *Neceſſe eſt ut cadat, & offendat*, qui neceſſitatis hujus ipſe ſibi author eſt, quia Salvatoris gratiam non implorat, ut poteſt, qua illius cæcitas curaretur. Hic *S. Auguſtini* ſenſus, cum ait *Libro De Natura, & Gratia, cap. xxii. Nec cogitat, prævaricatorem legis quam digne lux deſerat veritatis: qua deſertus utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non ſurgat, & ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris*. Fruſtra autem excæcati, & obdurati admonerentur implorare gratiam Salvatoris, ſi ab omni gratiæ ſufficientis auxilio ita eſſent deſtituti, ut ipſam nullatenus implorare poſſent.

Excæcatorum, & obduratorum tenuiſſima eſt, ac debiliſſima poteſtas ad bonum.

Poteſtas quidem bene agendi, volendi, videndi, non ita proxima eſt in excæcatis, & obduratis, ſicut in aliis peccatoribus. Quemadmodum enim varii ſunt gradus gratiæ ſufficientis, ita varii ſunt gradus collatæ per eam poteſtatis: unde tenuiſſimam illi, ac debiliſſimam poteſtatem habent, ſicut tenuiſſimam, ac debiliſſimam gratiam: ſed tamen omni prorsus ordinis ſupernaturalis poteſtate ad bene agendum ſpoliati non ſunt, ſicut damnati, qui *Ligatis manibus, & pedibus*, id eſt, omnimoda poteſtate ablata, *in tenebras exteriores projicientur*. Hoc ſenſu locutus eſt *S. Auguſtinus*, cum ait *Libro III. De Libero arbitrio, cap. xviii. Illa eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque, quo bene vii noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut ſi quis ſciens recte non facit, amittat ſcire, quod rectum ſit: & qui recte facere, cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit*. Et *Libro De Natura, & Gratia, cap. li. Cæcus puto quod velit videre, ſed non poteſt: ſi autem vult, & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas*. Non tamen poſſibilitas omnis, ſiquidem poteſt Medicum quærere, qui oculos ſanct, ac videndi poſſibilitatem reſtituat, quæ fuerat amiſſa per cæcitatem, ut ibidem ait. *Inclamare poteſt: Domine, ut videam*.

Matth. 22.
13.
Cæcus vult
videre, &
non poteſt:
quo ſenſu
amiſſa poſ-
ſe?

Verum (inquies) de Pharaone obdurato ait *S. Auguſtinus* in Expoſitione quarumdam Propositionum ex Epistoſa ad Romanos, Num. *Lxii. Non hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperavit, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat: ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*. Idem igitur de obduratis quibuſque judicium ferendum eſt.

Luc. 18. 41.

Facilis erit hujus loci explicatio, ſi cæcitatem, & obdurationem, atque peccata ab excæcatis, & obduratis commiſſa, dupliciter ſpectari poſſe animadvertamus; vel ut peccata ſunt, vel ut pœnæ præcedentis peccati. Ut peccata ſunt, ſoli homini obdurato imputantur; ut pœnæ ſunt, non ſoli homini, ſed Deo imputantur, id eſt tribuuntur, priorem improbitatem illorum permiſſione caſtiganti. Priora autem peccata, quibus dignum ſe præbuit peccator, ut a Deo deſereretur, & cor illi obduraretur, ipſi ſoli imputantur, non Deo, quia ſic peccata ſunt, non ſunt pœnæ peccati. Ex *S. Auguſtini* principiis hæc explicatio eruitur. Scribit enim *Libro v. Contra Julianum, cap. 111. Cæcitas cordis, quam ſolus removet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna*

Cæcitas cordis peccatū eſt, pœna peccati, & cauſa peccati.

ani-

animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Igitur Pharaoni non imputari *S. Augustinus* ait, quod tunc obtemperare non poterat, si spectetur ejus obduratio ut pœna peccati, quia *De supplicio veniebat*: ipsi enim acciderat obduratio *Judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam*: sed tamen ipsi imputabatur obduratio, & peccata quæcumque ipsam consecuta, quatenus peccata erant: siquidem erant vere peccata, & quidem gravissima, pœnisque gravissimis punienda. *Nemo autem peccat in eo, quod vitare non potest.* Quod itaque de Judæis excæcatis, & obduratis alibi *S. Augustinus* observat, ideo dictum *Non poterant credere*, quia volebant; de Pharaone pariter dicendum est secundum ejus principia, obdurato corde obtemperare illum non potuisse, quia volebat. Et quemadmodum de Judæis ait, *Facile est, ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt*; ita de Pharaone dici potest, *Facile est, ut accusemus Pharaonis contumaciam de libera voluntate venientem, qui tot miraculis a Moyse Dei apud ipsum Legato factis credere noluit.*

Obduratis omnibus imputantur peccata.

Tract. 53
in Joann.
Lib. De
Prædestin.
Sanct. c. 9.

Id confirmat *S. Fulgentius* Augustinianæ Theologiæ principiis apprime imbutus, Libro *De Prædestinatione, & Gratia*, cap. xv. ubi de Nabuchodonosor, & Pharaone sic loquitur: „Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo Reges: quantum ad causam, ambo populum Dei captivum possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam voluntatem pugnavit arbitrio? “ *Etsi vero initio capitis significet illos Nulla intrinsecus vocatione pulsatos*, loquitur de speciali vocatione, qua re ipsa converterentur, non de generali misericordia, gratiaque remotiore, vere tamen sufficienti, qua converti possent, omnisque ipsis præcluderetur excusationis occasio, ut constat cap. xiv. „Nec hi, inquit, qui indurati, atque damnati sunt, excusationem culpæ ex hoc habere posse se credant, quod nullam, qua converterentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo Pharaonem misericordiam non accepit, & ideo ei ad pereundum liberum suffecit arbitrium. An forte, si pie de Deo, sicut expedit, sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens justum, meritumque supplicium, miraculorum verba crebra denfabat. Numquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoscere?”

§. XXII.

Infantibus sine Baptismo morientibus parata est Baptismi Gratia: non tamen illis præsto est gratia proprie sufficiens.

XII. Sentiendum est denique, infantibus sine Baptismo morientibus, quibus cupientibus, & quandoque festinantibus parentibus, Ministris quoque volentibus, & paratis, Baptismus *Deo nolente non datur* (ut loquitur *S. Augustinus*): Paratum tamen a Deo esse Baptismum qui pro omnibus institutus a Christo est: paratum (inquam) generali voluntate, qua vult omnes homines salvos fieri; non specialis voluntatis beneplacito, & proposito, quo aliquos ex communi perditionis massa ab æterno discernit, eligit, prædestinat gratuita misericordia, aliis in illa justo judicio relictis. Unde Auctor Librorum *De Vocatione Gentium*, qui sub *S. Prosperi* nomine circumferuntur, Libro II. cap. xxiii. infidelium etiam pueros *Ad illam pertinere gratiæ partem* asserit, quæ semper *universis est impensa nationibus,*

Baptismus plurimis infantibus Deo nolente non datur: omnibus tamen generalis voluntate paratus est.

qua utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem iuvarentur. Sed causarum naturalium cursum invertere, & miracula identidem operari Deus non tenetur, ne præmatura morte abripiantur infantes plerique, etiam fidelium, & piorum, antequam Baptismum suscipiant.

Cave tamen, ne erroris accuses Theologos, qui rotunde docent, gratiam sufficientem pueris sine Baptismo decedentibus deesse. Absurdum enim esset, asserere gratiam sufficientem proprie dictam, quæ est illustratio mentis, & pia motio voluntatis dari pueris qui rationis usum non habent. Sed nec Baptismum illis applicari vult Deus absoluta, & consequenti voluntate immo vult absolute non applicari iis, quibus non confertur. Hæc S. Augustini doctrina est.

Epistola 217. alias 107. ad Vitalem. „ Quomodo dicitur omnes homines eam
 „ (*Gratiam Dei*) fuisse accepturos, si non illi quibus non donatur, eam sua
 „ voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri: cum
 „ multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non ha-
 „ bent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque
 „ parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente non detur,
 „ cum repente, antequam detur, exspirat, pro quo, ut acciperet, curre-
 „ batur? Unde manifestum est, eos, qui huic resistunt tam perspicuæ veri-
 „ tati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quod omnes homi-
 „ nes vult Deus salvos fieri; cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi,
 „ sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.

Libro vi. contra Julianum Pelagianum, cap. 14. „ Quod multo est mirabilius,
 „ Deus aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ fe-
 „ minæ; & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero suæ filie.
 „ Ille quippe ad Baptismum nescio, qua provisione pervenit; iste repentina
 „ morte non pervenit. Atque ita Deus in cuius potestate sunt omnia, facit esse
 „ in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio; & non vult esse in re-
 „ gno suo, quem formavit in templo suo. Aut si vult, cur non facit, quod
 „ vult? Non enim, quod soletis de maioribus dicere, Deus vult, & parvulus
 „ non vult. Certe hic ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas,
 „ nulla personæ dignitas: quid restat nisi misericordiæ, veritatisque profunditas?
 „ Libro de Natura, & Gratia, cap. 8. „ Ego autem dico, parvulum natum
 „ in eo loco, ubi ei non potuit per Christi Baptismum subveniri, morte
 „ præventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exisse,
 „ quia esse aliud non potuit... Recte ergo ea damnatione, quæ per uni-
 „ versam massam currit, non admittitur in Regnum cælorum, quamvis Chri-
 „ stianus, non solum non fuerit, sed nec esse potuerit.

Libro de Dono Perseverantiæ, cap. 12. „ Neque enim fato cogitur Deus illis
 „ infantibus subvenire, illis autem non subvenire; cum sit utriusque causa
 „ communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia regi, sed
 „ fortuitis agi casibus opinabimur. Aut parentum negligentiam sic tribuen-
 „ dum est, quod parvuli sine baptismo moriuntur, ut nihil ibi agant su-
 „ perna judicia; tamquam ipsi, qui hoc modo male moriuntur, parentes sibi
 „ negligentes voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint: quid di-
 „ cam, quod parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis
 „ succurri possit, exspirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, & pa-
 „ ratis Ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non da-
 „ tur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur. Quid etiam,
 „ quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem,
 „ & filiis fidelium non potuit baptismo subveniri? Ubi certe ostenditur,
 „ quod personarum apud Deum non sit acceptio: alioquin cultorum suorum
 „ potius, quam inimicorum filios liberaret.

Sancto

Sancto Augustino concinit Sanctus Prosper in carmine de Ingratis.

*Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, & rursus genitos baptisinate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis illud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cum videas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum.*

Hæc de Gratia sufficiente paulo uberius tractare operæ pretium erat, ut Clericis contra errorum venena antidotum pararemus, & innoxias, atque Catholicas indicaremus sententias.

Hanc absolvo tractationem præclaro S. Hilarii testimonio, quo gratiam sufficientem adultis omnibus ad salutem adesse, Deumque eam omnibus offerre conficitur, „ Stat, inquit, ad ostium Verbum Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, & dicit, Ecce stans ad ostium pulso: si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire, sed a nobis, ne introeat, excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. Qui si ceperit emundatis omnibus patere, illico introibit, modo Solis, qui clausis fenestræ valvis introire prohibetur, patentibus vero totus immititur. Ipsi quidem semper, ut illuminet, promptum est: sed lumen sibi domus ipsa obferatis aditibus excludit. Est enim Verbum Dei Sol justitiæ, adstans unicuique ut introeat: nec moratur lucem suam apertis aditibus infundere.

In Psal. 118.
Vers. 89.

Gratiam
sufficientem
Christus
omnibus
saltem of-
fert.

§. XXIII.

Conseclarium ad Morum informationem.

XIII. Quæ cum ita sint, cavendum nobis est, *Ne quis nostrum desit gratiæ Dei: ne Spiritui Sancto resistamus: ne ipsum, idest, ejus gratiam in nobis extinguamus: Ne obduretur quis ex nobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus; dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: Si gratia Dei vacua in nobis fuerit, non tamen ad ipsum vacua revertetur. Quomodo (inquit Dominus) descendit imber, & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen ferenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum. Si Dei gratiæ, quæ nobis non deest, defuerimus, gratias posteriores, & efficaces justo judicio nobis Deus subtrahet, immo & sufficientes infrequentius dabit. Aufertur, inquit, a vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus. Id nobis ne contingat, cum timore, & humilitate cooperemur gratiæ Dei; quia in penam superbiæ sæpe subtrahitur, vel negatur illa, quæ efficax est; sive impedit hominis superbia, ne illam, quæ per se sufficiens est, misericordia Dei ad ultimum effectum perducatur, propter quem data erat, vel parata. Hinc S. Bernardus Serm. LIV. in Cantica, ait: In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inveniaris coram Deo non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergo, cum arriserit gratia, time, cum abievit, time, cum denuo revertitur. Cum adest, time, ne non digne opereris ex ea. Nam hoc monet Apostolus, Videte, inquit, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Et ad Discipulum: Noli negligere gratiam, quæ in te est. Et de seipso dicebat: Gratia Dei in me vacua non fuit. Sciebat homo consilium Dei*

Hebr. 5.

Hebr. 3.
Si defuerimus gratiæ, quæ nobis non deest, Deus gratias posteriores nobis subtrahit.
Isa. 55.

Matth. 21.

Timor salutaris ad gratiam obtinendam conservandam, & recuperandam disponit.

2. Cor. 6. 1.
1. Tim. 4. 14.
1. Cor. 15. 10.

ha-

habens, redundare in contemptum donantis, donum negligere, nec expendere ad quod donatum est. Sic ergo timendum manente gratia? Quid si recesserit? Num multo magis tunc timendum? Plane multo magis, quia ubi deficit tibi gratia, deficiis tu: audi enim, quid Doctor gratiæ dicat: Sine me nihil potestis facere. Time ergo subtrahæ gratia, tamquam mox casurus: time, & contremisce, Deo tibi, ut sentis; irato: time, quia reliquit te custodia tua: nec dubites in causa esse superbiam, etsi non appareat. Numquid, qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiæ, privatio est gratiæ. Jam si gratia repropitiata redierit, multo amplius tum timendum, ne forte contingat recidivum peccati, juxta illud in Evangelio, Ecce sanus factus es, vade, & amplius jam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat. Proinde invalescente periculo, invalescat & metus. Beatus es, si cor tuum isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata.

Joann. 15. 5.

Joann. 5. 14.

A R T I C U L U S VI.

*Quo quintus Symboli Articulus exponitur.*DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE RESURREXIT
A MORTUIS.

EJus Articuli priori parte confitemur, Christo jam mortuo, illius Animam ad inferos descendisse, ibique tandiu mansisse, quamdiu ejusdem corpus in sepulchro fuit: eandemque incarnati Verbi Personam eo tempore & apud inferos fuisse, & in sepulchro, quia nec ab anima, nec a corpore separata est, cum animam a corpore mors divulsit. Posteriori parte confitemur Animam Christi, qui sexta feria, hora diei nona in Cruce spiritum emiserat, tertio a morte die, qui Dominicus exinde in Ecclesia appellatus est, illius Corpori iterum fuisse conjunctam: atque ita Christum Jesum ex sepulchro, in quo tribus diebus jacuerat (parte sumpta pro toto) redivivum surrexisse.

§. I.

De Christi descensu ad inferos.

Tria Anima-
rum recep-
tacula, in-
ferorum no-
mine signi-
ficata.

Infernus
damnato-
rum.

Purgato-
rium.

Limbus.

INferorum nomen abdita illa receptacula significat, in quibus detinentur animæ, quæ celestem beatitudinem nondum sunt consecutæ. Hæc autem ante Christi Domini Resurrectionem tria fuisse docet Concilii Tridentini Catechismus; scilicet Infernum damnatorum, Purgatorium, & Limbum.

Infernus damnatorum, est infima regio terræ, sive carcer teterrimus, & obscurissimus, ubi reproborum animæ Dei visione in æternum privatæ, perpetuo, & inextinguibili igne, cum diabolo, & angelis ejus torquentur. Quæ etiam *Gebenna*, *abyssus*, & propria significatione *Infernus* in Scripturis vocatur.

Purgatorium locus est, in quo piorum animæ, quibusdam peccatorum venialium maculis infuscata, vel penis peccatorum obnoxia, ad definitum tempus cruciate expiantur, ut eis in æternam patriam pateat aditus, in quam nihil coinquinatum introire potest. Atque hæc duo receptacula utriusque temporis, tam quod Christi Passionem præcessit, quam quod eam consecutum est, communia fuere.

Limbus est subterranea regio duabus illis superior, in qua animæ Sanctorum, quibus nulla labes purganda, nulla pena pro peccatis solvenda supererat, ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentatæ, quieta habitatione fruebantur.

tur. Differebatur enim eorum beatitudo usque ad Christi adventum, quia communis reatus naturæ, ex peccato originali tunc superstes, donec redemptoris passione, & morte tolleretur, moram ipsarum felicitati afferebat. Cælum, cujus clavis Christi sanguis est, nondum erat referatum, *Nondum pro-palata erat Sanctorum via*, ut loquitur Apostolus. Nec mirum, quod Iusti moram hujusmodi paterentur: siquidem & nunc, & usque ad finem mundi miseris, & morti obnoxii sunt viri sancti, quandiu hic vitam agunt: nec ab illis perfecte liberabuntur electi, nisi in secundo Christi adventu, & resurrectione generali, cum *Novissima destruetur inimica mors*. Locus ille, quem Theologi Limbum Patrum vocant, Christus in Evangelio *Sinum Abrahamæ* vocat, & in eum Lazari mendici animam ab Angelis deportatam fuisse testatur. Quietis autem, & consolationis locum fuisse, non solum finis vocabulum significat, sed etiam indicant Abrahamæ verba Divitem epulonem compellantis: *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*.

II. Huc Animam Christi, non virtute tantum, & operatione, sed re, & præsentia descendisse, Dogma fidei est. Scripturæ Sacræ testimoniis, & unanimi Patrum consensu firmatum. Præcipuus Scripturæ locus, quo descensus Christi ad inferos asseritur, oraculum est Davidis Psalmo xv. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quem locum de Christo Jesu S. Petrus explicat *Adhuc* II. dicens: *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. Tum illud Apostoli ad Ephesios IV. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia*. Græci vero, Latiniq; Patres in ejusdem Catholici Dogmatis assertionem conspirant: quorum testimonia proferre, vel indicare inutilis operæ foret. Legendi inter alios S. Hilarius in Psalmum 138. S. Hieronymus in cap. IV. Epistolæ ad Ephesios, S. Augustinus Epistola CLXIV. alias XCIX ad Evodium, cap. V. & alibi, S. Leo Epistola ad Turribium Asturicentem Episcopam, cap. XVII. S. Gregorius Magnus Lib. XII. *Moralium* cap. VII. & Lib. XIII. cap. XV.

III. Nihil autem de summa Christi dignitate, & potestate detractum est, cum ad inferos descendit, cum illuc descenderit *Inter mortuos liber*, & victor, ut dæmones virtute sua, summaque potestate profligaret, ut eorum spolia eriperet, Sanctosque Patres, ac Justos omnes, qui ante ejus mortem obierant, e Limbo liberatos secum adduceret in cælum, ac Dei beata visione donaret. Tunc impletum est, quod Latroni penitenti & ipsum in cruce confesso promiserat: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Vaticiniis Prophetarum hæc prænunciata fuerit. Psalmo LXVII. *Cantate Deo, Psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum. Dominus nomen illi ... Qui educit vinclos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris ... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*. Quam Prophetiam in Christo Jesu finem habuisse, testatur S. Paulus Epist. ad Ephesios cap. IV. Vers. 8. Osee VI. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum: quæ si diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*. Et cap. XIII. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o Mors, morsus tuus ero, Inferne*. Zachariæ IX. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinclos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vinculi spei, hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi*. Id ipsum de-

Hebr. 9.

1. Cor. 15.
Luc. 16.Christus nō
virtute sola,
sed re ipsa,
& præsentia
ad inferos
descendit.Quod sum-
me illius di-
gnitati, &
potestati nō
detogat.
Psalma. 18.6.

Luc. 23.43.

denique expressit Apostolus ad *Colossenses* cap. II. his verbis: *Expoliatus Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Alia etiam cautâ est, cur ad inferos Christus Dominus descenderit; nempe, ut in hac etiam tenebrarum regione, quemadmodum in cælo, & in terra, vim suam, potestatemque declararet: *Ut in nomine Jesu omne genuflecteretur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

IV. Ceterum Christus ad Inferos descendens inferni cruciatus non pertulit, neque privationem gloriæ, ac beatitudinis passus est, qua ejus Anima donata est statim, atque Verbo unita fuit. Nam S. Petrus *Actuum* II. testatur Christum a Deo fuscitatum, *Solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Quod intelligendum est eo sensu, quem S. Augustinus explicat *Epistol. CLXIV. alias XCIX ad Evodium*, inferni scilicet dolores ab illo solutos *Non tamquam si catenas solvisset, quibus fuerat alligatus: sed sic eos solutos esse, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne teneant; non quia tenuerunt. Vel sic, Ut eos dolores eum solvisse credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed quibus alii tenebantur, quos ille noverat liberandos.* Et paulo post subit: *Quod scriptum est in morte Christi factum, solutis doloribus Inferni: vel ad ipsum potest intelligi pertinere, quod eos hæcenus solverit, hoc est irritos fecerit, ne ab eis ipse teneretur, præsertim quia sequitur, In quibus impossibile erat teneri eum: „ vel, si causa quæritur, cur voluerit venire „ in infernum, ubi dolores illi essent, quibus teneri omnino non poterat, „ quia erat (ut scriptum est) in mortuis liber: in quo princeps, & præpositus mortis non invenit aliquid, quod supplicio deberetur: hoc scilicet, „ quod scriptum erat, solutis doloribus inferni, non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos sua liberatione judicabat: ut neque „ frustra illuc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus, qui ibi tenebantur inclusi; nec tamen sit consequens, ut quod divina quibusdam „ misericordia, justitiaque concessit, omnibus concessum sit.*

Idem confirmat S. Fulgentius Libro III. ad *Trasimundum*, cap. xxx. *Restat, inquit, ad plenum nostræ redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato a Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus a Deo peccati merito cecidisset, id est, ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulchrum, ubi consueverat peccatoris caro corrumpi: sic tamen, ut nec Christi caro in sepulcro corrumpereetur; nec inferni doloribus anima torqueretur; quoniam anima immunis a peccato, non erat subdenda supplicio, & carnem sine peccato non debuit vitare corruptio.* Quæ sufficiunt ad refellendam *Calvini* blasphemiam, qui asserere nondubitavit, inferni cruciatus Animam Christi pertulisse.

V. Non autem omnes ab inferis liberati sunt veniente Christo, sed Patriarchæ dumtaxat, Prophetæ, Justique ceteri, qui dum viverent, dignos se tanto beneficio præbuerunt, ut decent S. Irenæus Lib. IV. cap. xxxix. *Tertullianus* Libro *De Anima*, cap. LV. S. *Ambrosius* in Psalmum cxviii. S. *Petrus Chrysologus* Sermone cxxiii. S. *Gregorius Magnus* Libro xiiii. *Moralium*, cap. xv. Non sic autem eduxit Sanctos ab eo carcere, ut alii postea in eorum locum succederent, sed ut piorum nemo ad illum deinceps adiret, nec ibi detineri posset. Unde Psalmo cvi. dicitur: *Contrivit portas æreas, & vobes ferreos confregit.* „ *Quod in Samfone adumbratum est, cum apprehendit ambas portæ Urbis Gazeæ fores cum postibus suis, & fera, impositasque humeris suis portavit ad verticem Montis.* Hinc S. Augustinus Libro xx. *De Civitate Dei* cap. xv. ait: Si non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos

Inferni cruciatus Christus non pertulit.

Psal. 87.

Justos tantum ex inferis Christus liberavit.

Judicium

16

5, eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus crueret, profecto dein-
 5, cepti boni fideles effuso illo pretio jam redempti, prorsus Inferos nescierunt
 5, donec etiam receptis corporibus, bona recipiant, quæ merentur.

VI. Christum igitur damnatorum neminem ex inferno inferiori liberasse
 certum est, cum ad illas solum Animas fructus Passionis Christi pervene-
 rit, quæ ipsi per fidem, & charitatem erant conjunctæ, quando corporibus
 suis solutæ sunt. Unde *Osee XIII.* ex illius persona dicitur: *Ero mors tua,*
o Mors; morsus tuus ero, Inferne: ut significetur, eum mortem in electis suis
 funditus destruxisse; ex locis autem subterraneis, quæ inferorum generali
 nomine designantur, partem abstulisse, partem reliquisse: liberasse Justos,
 quos nullus reatus personalis, ac proprius ab æternæ beatitudinis consecu-
 tione prohibebat; reliquisse impios, ac reprobos, qui a mundi exordio us-
 que ad Passionem Domini in sua impietate mortui, æternæ damnationi ad-
 dicti erant. Quod explicat præclare *S. Gregorius Magnus*, *Homilia XXI.* in
 Evangelia, his verbis: „ Quod ante Passionem dixit, in Resurrectione sua
 „ Dominus implevit: *Si exaltatus*, inquit, *fuero a terra, omnia traham ad*
 „ *me*. Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud Inferos nullum reli-
 „ quit. Omnia abstulit, utique electa. Neque etenim infideles quosque, &
 „ pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus repa-
 „ ravit; sed illos ex inferni claustris eripuit, quos suos in fide, & actibus
 „ recognovit. Unde recte etiam per *Osee* dicit, *Ero mors tua, o mors; mor-*
 „ *sus ero tuus, inferne*. Id namque quod occidimus, agimus, ut penitus
 „ non sit. Ex eo, quod mordemus, partem abstrahimus, partem relinqui-
 „ mus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors morti ex-
 „ titit. Quia vero ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non oc-
 „ cidit funditus, sed momordit infernum.

VII. Ex pœnis vero Purgatorii illorum animas Christus ad inferos de-
 scendens liberavit, quos illo beneficio dignos judicavit, qui scilicet jam sa-
 tis erant expiati; vel qui, dum in hoc mundo mortalem vitam agerent, fide,
 ac devotione erga mortem Christi promeriti erant, ut ejus ad inferos descen-
 su piacularibus pœnis solverentur. Nullus tamen dubito, quin omnes in-
 credibili solatio, & gaudio affecerit, omniumque pœnas moderatus sit. Id
 enim colligi potest ex divino illo oraculo, *Ecclesiastici XXIV.* *Penetrabo omnes*
inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes
sperantes in Domino.

Christus
damnato-
rum nemi-
nem ex in-
ferno libe-
ravit.

Joan. 12.

Osee 13.

S. Thomás
3. P. Q. 52.
Art. 8.

An Christus
ad inferos
descendens
omnes Ani-
mas purga-
torii libera-
verit?

5. II.

De Resurrectione Christi.

Christus virtute sua resurrexit tertia die primus omnium.

I. **N**emo homo virtute sua seipsum a morte ad vitam revocare potest.
 Id summæ Dei potestati proprium. Cum igitur Dei virtus, seu
 persona ipsa Verbi divini, quæ *Vita* est, neque a Christi corpore in sepul-
 chro, neque ab anima inferos adeunte, sejuncta unquam fuerit, divina vis
 tum in corpore inerat, qua animæ iterum conjungi, tum in anima, qua cor-
 pus resumere posset: ideo Christo virtute sua resurgere a mortuis licuit. Id
 vero David Spiritu Dei plenus prædixit his verbis, *Salvavit sibi dextera ejus,*
& brachium sanctum ejus. Et, *Ego Dormivi, & soporatus sum, & exurrexi,*
quia Dominus suscepit me. Id confirmavit ipse Christus, cum Judæis dixit:
Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod dicebat de tem-
 plo corporis sui, ut Evangelista declarat. Et rursus: *Ego pono animam me-*

Christus Je-
sus propria
virtute a
mortuis re-
surrexit.

Psal. 97.

Psal. 3.

Joan. 2.

- Joan. 10. *am, ut iterum sumam eam: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Hinc Apostolus 11. ad Corinthios cap. ultimo de Christo scribit: *Et si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei.* Quamvis autem in Scripturis interdum legimus, Christum Dominum a Patre suscitatum esse (Scilicet *Act. II. III. X. XIII. & Rom. IV.* hoc ad eum, ut hominem, referendum est: quemadmodum illa rursus ad eundem ut Deum spectant, quibus significatur eum sua virtute suscessisse, ut explicat Tridentini Concilii Catechismus. Præterea, cum Dei Filius sit a Patre genitus, Deus de Deo, ejus vita, & gloria a Patre originem habet. Unde ipse Christus omnia sua Patri accepta refert, Joannis XVII. *Omnia mea, inquit, tua sunt.* Ideo etiam ait: *Mea doctrina non est mea; sed ejus, qui misit me.* Et, *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me.* Verum quia vitam eandem, æque perfectam, divinam, essentialem, supremam, independentem, modis omnibus infinitam cum Filio Pater Æternus communicat: unde ipse ait: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso:* ideo dedit etiam illi Pater virtutem eandem communicandi vitam cum omnibus, quibuscumque erat communicanda, adeoque, & sacra humanitate, quæ ipsam in Resurrectione prima omnium recepit, ut ceteris largiretur. *Sicut enim Pater suscitavit mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat.* Cum igitur Pater suscitaverit Jesum a mortuis, necesse est, ut Christus se ipsum etiam suscitaverit. Qua de re præclare S. Augustinus Sermone LXVII. alias VI II. De Verbis Domini, ait: „ Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille se potuit suscitare, qui mortua carne mortuus non est. Etenim hoc suscitavit, quod mortuum fuerat. Ille se suscitavit, qui vivebat in se, in carne autem sua suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est ab Apostolo, *Propter quod & Deus exaltavit eum: sed etiam iam Dominus se ipsum, id est, corpus suum; unde dicit, Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.*
- II. Non solum propria virtute, sed primum omnium resurrexisset Christum, certum est. Nam in Scriptura Sacra *Primogenitus mortuorum, & Primogenitus ex mortuis vocatur.* Et Apostolus 1. ad Corinthios xv. ait: „ Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium: Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Quæ quidem verba de perfecta resurrectione intelligenda sunt, qua ad vitam immortalem, omni prorsus moriendi necessitate, immo & possibilitate sublata excitamur. In eo porro genere Christus primum locum obtinet, non dignitate solum, sed tempore. Nam si de resurrectione sermo sit, cui iterum moriendi necessitas adjuncta est, ante Christum multi alii a mortuis excitati sunt: qui omnes tamen ea conditione revixerunt, ut eis iterum moriendum esset. Quin & illi ipsi, quos surrexisse cum Christo, & venisse in Sanctam Civitatem, & apparuisse multis, Evangelium refert, resurrexerunt iterum morituri. Unde S. Petrus *Act. II.* Judæis probat, non de Davide, sed de Christo fuisse prædictum, carnem ejus non vidisse corruptionem, quia sepulchrum David apud eos videbatur: convincens autem argumentum non fuisset, nisi in eo sepulchro jacuisset etiamnum corpus David: siquidem & Christi sepulchrum ostendebatur, sed post triduum mortis ejus vacuum inventum fuerat. Ab ea autem Justorum resurrectione, si eis vita æterna tunc donata fuisset, exclusum iri Davidem haud verisimile est, cujus sex femine Christus secundum carnem commendatur. Periclitabitur etiam illud, quod in Epistola ad
- Christus Jesus primus omnium resurrexit.
- Coloss. 1. Apoc. 1.
- Matth. 27.

ad Hebræos de antiquis Justis dictum est, *Ne sine nobis consummarentur*, si jam in illa resurrectionis incorruptione constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur, ut differit *S. Augustinus* Epistola *CLXIV.* alias *XCIX.* ad *Evodium*, cap. *III.* At Christus Dominus ita resurrexit devicta morte, ut mori amplius non posset. Unde Apostolus ad Romanos *VI.* scribit: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.*

III. Tertia autem die illum resurrexisse profiteamur secundum Scripturas, prout ipse Christus prædixerat, *Matth. XII. Generatio mala, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophete. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terre tribus diebus, & tribus noctibus.* Et *Matth. XVI. Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Unde Apostolus *I. ad Corinthios XV. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Conveniens certe erat, Christi Jesu Resurrectionem ad finem usque sæculi non differri, sed quam citissime perfici, ad fidem de veritate divinitatis ejus confirmandam: nec tamen statim post mortem, nulla interposita mora, resurgere, ad confirmandam fidem de veritate humanitatis, & mortis ipsius. Tridui autem spatium ad veram mortem comprobendam satis erat. Præclare *S. Leo* Sermone *I. De Resurrectione Domini*, ait: *Ne turbatos Discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denunciata tridui moram mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum diem pars primi novissima, & pars tertii prima concurrir, & aliquantum temporis spatium decideret, & nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulchro, & tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quam mortis: quoniam Deitas, quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit.* Præterea, cum Christus mortuus sit propter peccata nostra, ut peccatum destrueret, nobisque vitam æternam tribueret, mortem ejus triduum tantum durare, & Resurrectionem tertia die fieri conveniens erat, ut significaretur nos mori peccato, & ad spiritualis vitæ novitatem resurgere Fide Sanctissimæ Trinitatis, quæ duplilis illius mysterii, gratiæque per utrumque nobis partæ principium est. Resurrexit autem Christus circa diluculum, illucescente jam die, ad significandum, quod Resurrectione sua nos ad lucem gloriæ perducebat, sicut ad vesperascente jam die, & ad occasum vergente mortuus est, ut ostenderet, culpæ, pœnæque æternæ tenebras morte sua dispelli. Et tamen dicitur tertia die resurrexisse, tertium diem a parte prima, sicut primum ab extrema numerando. Nox enim usque ad diluculum, quo Domini Resurrectio declarata est, ad tertium diem pertinet: quia Deus, qui dixit de tenebris lucem clarescere, ut per gratiam novi Testamenti, & participationem Resurrectionis Christi audiremus: Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: insinuat nobis, quod a nocte dies quodam modo sumit initium. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem; ita isti propter hominis reparationem a tenebris ad lucem computantur (inquit *S. Augustinus* Libro *IV. De Trinitate*, cap. *VI.*)

Christus Jesus tertia die resurrexit.

Cur Christus circa diluculum resurrexit.

2. Cor. 4.

Ephes. 1.

Resurrectionis Christi necessitas.

Christum
resurgere
oportuit ad
divinæ justi-
tiæ commē-
dationem.

CHristum a mortuis resurgere necesse fuit, primo ad divinæ commenda-
tionem justitiæ. Decebat enim, ut eum ad apicem gloriæ Deus extol-
leret, qui se, ut illi obtemperaret, ad ignominiosissimum genus mortis de-
presserat. Hanc Apostolus causam attulit, ad Philipenses scribens, cap. II.
*Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem cru-
cis: propter quod & Deus exaltavit illum.* Ideo in ejus persona dicitur Psal.
cxxxviii. *Tu cognovisti Sessionem meam, & Resurrectionem meam.* Id est, tu
voluisti, tu approbasti Passionem meam, & Resurrectionem meam. Ex vo-
luntate tua utrumque Mysterium peractum est. *Quid hic sessio? Quid resur-
rectio?* (inquit S. Augustinus in istius Enarratione Psalmi.) *Qui sedet, hu-
miliat se. Sedit ergo Dominus in Passione, surrexit in Resurrectione.*

Ad fidei no-
stre confir-
mationem.

Secundo, Christum resurgere necesse erat ad fidem nostram confirmandam.
Illud enim maximo argumento esse debet, Christum esse Filium Dei, quod
sua virtute a mortuis resurrexit. Unde Apostolus II. ad Corinth. xiii. ait:
Et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Hinc idem Apo-
stolus ad Romanos scribens, cap. I. prædestinationem Christi in Dei Filium
non Incarnationi, sed Resurrectioni assignare videtur: *Qui prædestinatus est
Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortu-
orum Jesu Christi Domini nostri.* Incarnatio enim exinanitionis, Resurrectio
glorificationis Mysterium fuit. Incarnatio Filium Dei ad nostram humilita-
tem, & ærumnas abjecit: Resurrectio illum ad paternam gloriam, immor-
talitatem, & Filii Unigeniti Majestatis plenitudinem evexit. Hinc præde-
stinatio ad Christi Resurrectionem potius, quam ad Incarnationem ab Apo-
stolo refertur. Unde S. Augustinus in Expositione Epistolæ ad Romanos in-
choata ait: „ Filius Dei prædestinatus est, quodam principatu resurrectio-
„ nis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse prædestinatus est, id
„ est ut præ ceteris, & ante ceteros resurgeret designatus. Ut quod hic
„ positum est, *Filius Dei*, cum dixisset, *prædestinatus est*, ad documentum va-
„ leat tantæ sublimitatis. Non enim sic prædestinari oportuit nisi Filium
„ Dei, secundum quod est etiam caput Ecclesiæ: unde illum alio loco Pri-
„ mogenitum ex mortuis appellat. Eum enim decebat venire ad iudicium re-
„ surgentium, qui præcesserat ad exemplum; neque ad exemplum omnium
„ resurgentium, sed ad exemplum eorum, qui sic resurrecturifunt, ut cum
„ illo vivant, & regnent in sempiternum; quorum etiam caput est tam-
„ quam corporis sui. Ex ipsorum enim resurrectione etiam prædestinatus est,
„ ut ipsis Princeps fieret: ceterorum autem in sua conditione resurgentium
„ non Princeps, sed Judex est. Non itaque ex illorum mortuorum resurre-
„ ctione prædestinatus est, quos est damnaturus. Prædestinatum enim esse
„ ex resurrectione mortuorum, ut præcederet resurrectionem mortuorum,
„ vult intelligi Apostolus; hos autem præcessit, qui ipsum ad cœleste Re-
„ gnum, quo eos præcessit, secuturi sunt. Propter quod non ait: Qui præ-
„ destinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum *Jesu Christi Domini
„ nostri*, sed, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri; *Tam-
„ quam si dicret, Qui prædestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum suorum
„ hoc est, ad se pertinentium in vitam æternam.* Ita necessaria fuit ad fidem no-
stram confirmandam Christi Resurrectio, ut ex ejus persona dicatur Psalmo
xxix. *Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? Numquid
„ confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Id est, si sic fuerit
corrupta caro mea quomodo ceterorum hominum, ut in fine resurgat, ut

Coloss. i.

quid fudi sanguinem? Si enim non modo refurgam, nemini annuntiabo, neminem lucrabor. Ut autem annuntiem mirabilia tua, laudestuas, vitam æternam, exurgat caro mea, non eat in corruptionem. Nam si ierit quomodo ceterorum hominum, quæ utilitas in sanguine meo? Sic explicat S. Augustinus. Merito itaque Apostolus ait: *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Summa quippe Christianæ Fidei in confessione Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri posita videtur. Unde idem Apostolus ait: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Hinc Apostolicum officium in prædicatione Resurrectionis Christi totum constituere videtur Apostolorum Princeps, cum electionem Apostoli in locum Judæ proditoris Christi Discipulis proponit: *Oportet testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Et S. Lucas Apostolorum functiones, & labores describens. *Virtute magna, inquit, reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis.*

1. Cor. 15.

Rom. 10.

Act. 1.

Act. 4.

Tertio, necessaria erat Christi resurrectio ad sustentationem spei nostræ. Cum enim Christum resurrexisse credimus, certa spe nitimur fore, ut nos etiam refurgamus, qui membra ejus sumus: siquidem membra capitis sui conditionem consequantur necesse est. Unde Job. xix. dicitur: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum . . . & in carne mea videbo Deum meum . . . Reposita est hæc spes mea in sinu meo;* vel, ut habet Versio Septuaginta Interpretum, *Omnia consummata sunt in sinu meo:* ut ita certum se esse significet de resurrectione sua futura ex Resurrectione sui Redemptoris, ac si jam re ipsa possideret, quod sperat. Ut enim observat S. Gregorius, Libro xiv. *Moralium*, cap. xxx. *Nil nos habere certius credimus, quam hoc, quod in sinu tenemus. In sinu ergo suo spem repositam tenuit, quia vera certitudine de spe resurrectionis præsumpsit.* Hinc Apostolus 1. ad Corinthios xv. cap. scribit: *Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quod resurrectio mortuorum non est? . . . Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium. Quasi diceret, Bona spe vehimur, quia Servatoris nostri Resurrectionem nostræ Resurrectionis obsidem habemus, ut interpretatur Theodoretus. Hinc rursus Apostolus 1. ad Theffalonicenses iv. *Si enim credimus, inquit, quod Jesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Et Princeps Apostolorum Epistolæ 1. cap. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis.* Hinc S. Augustinus Sermone cxxiii. alias *De Tempore cxi.* De Christo loquens ait: *In Passione docuit, quid toleremus: in Resurrectione ostendit, quid speremus. Hic opus, ibi merces: opus in Passione merces in Resurrectione.* Hinc S. Leo Sermone lxi. Ex hoc, inquit, *initium nobis factum est Resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit.**

Christi Resurrectio necessaria ad sustentationem spei nostræ.

Et S. Gregorius Homilia xxi. in Evangelia: *Due vite erant, quarum unam novimus, alteram nesciebamus. Una mortalis, altera immortalis. Sed venit Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, suscepit unam, & ostendit alteram. Unam pertulit moriendo, ostendit alteram resurgendo. Si igitur nobis mortalem vitam scientibus resurrectionem promitteret carnis; & tamen*

hanc visibiliter non exhiberet, quis ejus promissionibus crederet? Factus itaque homo apparuit in carne, mori dignatus est ex voluntate, resurrexit ex potestate, & ostendit exemplo, quod nobis promisit in premio.

Christi Resurrectio necessaria ad institutionem nostram.

Quarto, Christum resurgere oportuit ad fidelium vitam informandam, ut colligitur ex Apostolo ad Romanos vi. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destrueretur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo scientes, quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediat concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo. Adnitendum igitur nobis est, ut Resurrectionis Christi inveniamur confortes, & de morte ad vitam, dum in isto sumus corpore, transeamus. Unicuique enim homini, qui ex alio in aliud alia conversione mutatur, finis est, non esse, quod fuit, & ortum esse, quod non fuit. Sed interest, cui quis moriatur, aut vivat: quia *Est mors, quæ causa est vivendi, & est vita, quæ causa est moriendi. Nec alibi, quam in hoc transitorio seculo utrumque conquiritur: ut ex qualitate temporalium actionum differentiæ retributionum pendeat æternarum. Moriendum ergo est diabolo, & vivendum Deo: deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. Occumbant vetera, ut orientur nova. Et quoniam, sicut ait Veritas, Nemo potest duobus Dominis servire, Dominus sit non ille, qui stantes impulit in ruinam, sed ille qui dejectos erexit in gloriam* (inquit S. Leo Sermone i. De Resurrectione Domini.)*

Matth. 6. 24.

Christi Resurrectio necessaria ad salutis nostræ consummationem.

Quinto, Christum resurgere oportebat, ut salutis, & redemptionis nostræ Mysterium compleretur. Christus enim morte sua nos a peccatis liberavit: Resurrectione vero sua nobis præcipua bona restituit, quæ peccando amiseramus. Unde Apostolus ad Romanos iv. De Christo ait: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Hinc ipsa Resurrectionis suæ die Discipulos, & in eis totam Ecclesiam sacrosancti flatu vivificavit, Spiritum Sanctum, ut vitæ novæ principium illis tribuens: Insufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, ut quemadmodum hominis creatio absoluta non erat; postquam e limo terræ formatus est, donec Deus Insufflavit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est in animam viventem: ita hominis reparatio completa non censeretur, postquam Christi morte corpus Ecclesiæ formatum est, donec afflatus suo infunderet illi Spiritum vivificantem, de quo dictum est, Non erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Et insufflavit in faciem eorum, quo flatu primum hominem vivificavit, & de limo erexit, quo flatu animam membris dedit, Significans eum se esse, qui insufflavit in faciem eorum, ut a luto exurgerent, & luteis operibus renuntiarent* (inquit S. Augustinus Tractatu xxxii. in Joannem.)

Joan. 20. 22.

Genes. 2. 7.

Joan. 7. 39.

§. IV.

Resurrectionis Christi Gloria.

Beatæ Christi Anima tertia die post separationem a corpore suam, operante Verbi Dei persona, quæ utrique conjuncta manserat, illud resumpsit, idem, integrum, gloriosum. Ejusdem corporis veritatem probant figuræ vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Thomæ palpanda, ceteris Discipulis videnda obtulit, & quæ servare voluit, abolere noluit, tum ut suæ Resurrectionis fidem adstrueret; tum ut victoriæ suæ trophæa tam insignia perpetuo circumferret; tum ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Redivivi corporis veritatem, & identitatem multis aliis argumentis probavit, scilicet Angelorum testimonio, Scripturarum oraculis, frequentibus apparitionibus, familiaribus colloquiis, manducatione cum Discipulis, etsi post Resurrectionem non egestate, sed potestate manducaverit, ut loquuntur Patres. Idem itaque surrexit de sepulchro, qui pependerit in ligno. Jesus Nazareus, quem Judæi morti crucis addixerant, & crucifixerant, cujus sepulchrum muniverant, & custodibus appositis observaverant, surrexit tertia die, & hunc Deus manifestum fieri dedit, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, scilicet Apostolis, qui Resurrectionem ejus prædicantes, vere dicere potuerunt: *Quod vidimus, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, annunciamus vobis.*

Non solum idem corpus Christi verum ad vitam rediit, sed integrum, carne, ossibus, sanguine pariter constans. *Spiritus, inquit, carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Absque labe tamen corruptionis caro, & sanguis sunt in Christo redivivo: *Valeret enim divina potentia de ista visibili, atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates, ut absit labe, adsit effigies; adsit morio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas, inquit S. Aug. Epist. cccv. alias cxlvi. ad Consentium.*) Scriptum quidem est, *Caro, & Sanguis Regnum Dei non possidebunt:* sed in Scripturis Sacris quandoque caro sumitur secundum naturam, quandoque secundum culpam, vel corruptionem. Caro secundum naturam, Gen. ii. *Caro de carne mea* & Joan. i. *Verbum caro factum est.* Caro secundum culpam, Gal. iv. *Vos non estis in carne, sed in spiritu.* Neque enim in carne non erant illi, ad quos scribebat Apostolus, sed quia desideria carnalia vicerant per virtutem Spiritus, jam eos in carne non esse ait. Caro itaque secundum culpam, & secundum corruptionem regnum Dei non possidebit; sed caro secundum substantiam Regnum Dei possidebit; jamque in Christo possidet. Sic explicat S. Gregorius Lib. xiv. *Moralium* cap. xxix. Totus itaque sanguis, qui de Christi corpore in Passione ejus fluxit, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in Corpore Christi resurrexit, idemque credendum est de partibus omnibus ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Unde si in aliquibus Ecclesiis conservari dicatur sanguis Christi, non veri illius, ac pretiosi sanguinis portio est, qui ex Christi corpore in ejus Circumcisione, aut Passione, vel ex ejusdem Salvatoris nostri latere manavit, sed sanguis aliunde formatus, qui ex aliqua forte Christi imagine ab impiis percussa, Dei supra naturæ vires, ac leges operanti admirabili operatione manavit, quemadmodum contigisse narrat Author Orationis *De Passione Imaginis Christi*, inter opera S. Athanasii editæ, & in septima quoque Synodo Generali Actione iv. citatæ.

Non solum integrum, sed gloriosum e sepulchro surrexit Christi corpus. Qui enim *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, claritatem illam, quam ante Passionem a Patre postulaverat, corpori suo in Resurrectione sua tribuit. Gloriam corporis indicavit ingressus ad

Resurrexit
idem Christi
corpus
verum.

S. Leo
Serm. i. De
Ascensione.
S. Gregor.
Homil. 16
in Evang.
Venerab.
Beda in Lu-
cam.

1. Joan. 1.

Christi
Corpus in-
tegrum re-
surrexit.

Luc. ultimo.

1. Cor. 15.

S. Tho. 111
P. Q. 54. A. 2.
ad 3.

Christi Cor-
pus resurre-
xit gloriosū
Phil. 3. 21.

Discipulos januis clausis. *Palpandam carnem Dominus præbuit, quam clausis januis introduxit, ut esse post Resurrectionem ostenderet corpus suum & ejusdem naturæ, & alterius gloriæ* (inquit S. Gregorius Homilia xxvi.) Atque hoc sensu intelligendum est, quod ait Apost. 11. ad Cor. v. *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Resurrectio enim Domini (inquit S. Leo Serm. 1. *De Resurrectione Christi*) non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est. *Qualitas transit, non natura defecit: & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi; factum est immortale, quod potuit occidi; factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerat nota, nesciri: quia nihil in ea passibile, nihil remansit infirmum, ut & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam.* Hinc per Prophetam Dominus ait:

Psal. 27.

Et resoruit caro mea, & ex voluntate mea confitebar illi., Floruit caro Do-

Isai. 11.

mini, cum primum de Mariæ Virginis illibata vulva processit, sicut ait Isaias: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Resoruit autem, cum succisc per Judæos corporis flore, rediviva de sepulchro resurrectionis gloriâ germinavit, & in floris modum odorem pariter, & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflavit: odorem, bonorum operum suavitatem, circumferens: nitorem, incorruptelam perpetuè divinitatis ostendens. Verba sunt S. Maximi Homilia v. *De Resurrectione.*

Christus
Post Resur-
rectionem
vix agnosci
ex carne po-
test.

Quamvis igitur caro in Christo post ejus Resurrectionem sit incolumis, quamvis utraque natura maneat incorrupta, ita tamen in Deum absorpta est humanitas ut jam vix ex carne agnosci possit. Unde Cassianus Libro *De Incarnatione*, cap. 111. hæc Apostoli verba, *Esi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*, expendens, Apostolum ita locutum esse observat: „ Quia prius eum & hominem scimus, & Deum, nunc tantum Deum. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus nisi virtutem divinitatis quia totum in eo virtus est Majestatis divinæ, ubi esse desit infirmitas imbecillitatis humanæ Natura enim carnis in spiritualem est translata substantiam, & illud, quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei. Et ideo non novimus Christum secundum carnem, quia absorpta per Majestatem divinam infirmitate corporea, nihil sacro refedit corpori ex quo imbecillitas in eo carnis possit agnosci. Ac per hoc quicquid fuerat prius substantiæ duplicis, factum est virtutis unius.

Quo sensu
Christus
post Resur-
rectionem
totus Deus?

Hinc Apostolus Christum resuscitatum, hominem vocare pene cunctatur Epist. ad Galatas, cap. 1. scribens: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem qui suscitavit eum a mortuis.* Christum hominem passim alibi prædicat, hic ubi suscitatum a mortuis memorat, hominem appellare non audet, quia jam non noverat illum secundum carnem, quia caro, sospes licet, atque incolumis, tota in Deitatem demersa erat. *Nomen enim in eo jam hominis non cadit, in quo totum sibi Divinitas vindicavit* (inquit Cassianus cap. iv. ejusdem Libri.) Sed & ante Cassianum S. Augustinus Christum Resurrectione sua ad tantum gloriæ cumulum attigisse asserit, ut mortalitate in immortalitatem absorpta, carne in Deitatem veluti demersa, jam totus Deus merito prædicetur. Sic enim habet in Expositione Epist. ad Galat., „ Priores Apostoli veraces, „ qui non ab hominibus, sed a Deo per hominem missi sunt, per Jesum „ Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam novissimus Apostolus, qui „ per Jesum Christum totum jam Deum post Resurrectionem ejus missus „ est. Priores sunt ceteri Apostoli per Christum adhuc ex parte hominem „ idest mortalem: novissimus est Paulus Apostolus per Christum jam To- „ tum Deum, idest omni ex parte immortalem. Et-

Et Lib. I. *Retractionum*, cap. xxiv. hunc locum recensens: *Propter immortalitatem*, inquit, *dictum est*, Totum jam Deum, quam post Resurrectionem habere cepit, non propter divinitatem semper immortalem, a qua nunquam recessit, in qua totus Deus erat & cum moriturus adhuc erat: Proinde propter immortalitatem jam nunc non homo Christus Deus; propter substantiam vero naturæ humanæ, in qua ascendit in cælum, etiam nunc Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus. Tunc divina filiatio, non adoptiva, sed naturalis in Christo maxime promicuit, cum illo resurgente, humanæ proprietates, quæ tempore vitæ ejus mortalis Divinitatem ipsius occupaverant quodam modo, Deitatis, & gloriæ se totam effundentis splendore circumfuserunt: cum immortalitas mortalitatem, incorruptio corruptibilitatem, virtus infirmitatem, spiritualitas animæ in corpus refusa ejus (ut ita loquar) animalitatem obliteravit. Tunc novæ nativitatis genere in mundum prodiit Christus, non secundæ, ac temporali nativitati suæ, sed æternæ generationi maxime affini. In prima, & æterna generatione nascitur e sinu Patris in splendoribus Sanctorum; in secunda, nascitur ex utero Virginis; in tertia ex utero sepulchri. In prima nascitur Patri coæternus, *Splendor gloriæ*, & *figura substantiæ ejus*; in secunda nascitur homo consubstantialis nobis, passibilis, infirmus, mortalis; in tertia nascitur gloriosus, impassibilis, immortalis. Sepulchrum instar est uteri virginalis, novum, inviolatum, nullo cadavere contaminatum. *Uteri nova forma concipit mortuum, parit vivum*: Nec vivum dumtaxat, sed immortalem, gloriosum; *Totum Deum*, (ut cum Patribus loquar.) Parit autem in splendoribus Sanctorum, hoc est, in gloria, & splendore, non solum pro se, sed pro omnibus Sanctis; in splendore, & gloria *Sancti Sanctorum*. In prima generatione, nascitur ex Patre sine matre; in secunda, ex Matre Virgine sine homine patre; in tertia, ex terra communi omnium matre (ex qua in regeneratione, sive resurrectione sumus & nos prodituri, & ex Deo Patre, ut Filius ejus naturalis, proprius, consubstantialis, unigenitus, coæternus. Unde istud Psalmi secundi oraculum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Apost. ad Christi Resurrectionem refert, *Actuum*, cap. xiii., Et nos, inquit, vobis annunciamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quem locum eleganter, ac solide S. Hilarius explicat Enarratione in Psal. 2. hæc verba eo pertinere ostendens: Ut Filius hominis ad perfectum Dei Filium, id est ad resumendam, indulgendamque corpori eternitatis suæ gloriam per Resurrectionis potentiam gigneretur. *Hic orationis illius ante Passionem sensus est* (Joan. xvii.) Et nunc clarifica me tu, Pater, apud te ipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te. *Quibus verbis*, Non nova querit, non aliena desiderat; esse talis, qualis fuerat, postulat; sed precatur id se, quod antea erat, esse, gignis scilicet ad id, quod suum fuit: non erat autem id ipsum tunc totus, quod ut fieret, precabatur; fieri autem totus non aliud, quam quod fuerat, postulabat. Sed cum fit, quod fuit, & quod non erat est futurus, ad id, quod fuerat, id, quod totum non erat, quodam novo ortu nascebatur. Exordio hic Resurrectionis suæ ad assumendam gloriam dies est; per quem ad id nascitur, quod ante tempora fuit: Atque ideo Filius hominis a modo assidens dextris virtutis Dei est videndus, quia natura carnis post Resurrectionem glorificata, ad profectum ejus, quam antea habuerat, claritatis provehebatur: cum hominis Filius confessurus Patri, & in immortalitatem corruptione carnis absorpta, & in viventem tunc, & non moriturum amplius Dei Filium nasceretur ... Sed id, quod nunc in Psalmo est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ad Primogenitum

Resurrectio,
nova Christi
Jesu nativitas æternæ
generationi maxime
affinis.
Psal. 109,
Hebr. 1. 3.

Psal. 2-7.

Act. 13. „ ex mortuis pertinere, Apostolica autoritas est. Est enim Primogenitus
 „ ex mortuis, qui erat Primogenitus creaturæ; idcirco Primogenitus ex mor-
 „ tuis, ut maneret Primogenitus creaturæ.

§. V

Resurrectionis Christi fructus, & utilitates eximie.

I. **C**Hristi Jesu Salvatoris, ac Domini nostri Resurrectione non solum illum esse mortis, & diaboli victorem, immortalem, plenum gloria, Filium Dei unigenitum cognoscimus; sed alias etiam maximas utilitates ex isto Mysterio consequimur, scilicet Resurrectionem corporum, & Resurrectionem animarum. Christi, inquam, Resurrectio nobis corporis resurrectionem peperit; tum quia instrumentum quoddam fuit ad resurrectionem nostram efficiendam (quæcumque enim Deus in Redemptionis nostræ Mysterio egit, ad omnia sancta Christi humanitate, tamquam efficienti instrumento usus est) tum quia exemplar fuit nostræ resurrectionis, utpote perfectissima: & quemadmodum Christi corpus resurgens ad immortalem gloriam immutatum est; sic etiam nostra corpora, quæ prius imbecilla, & mortalia fuerant, gloriam, & immortalitatem induta, restituentur. Hinc ipse Christus, Joannis v. ait: *Sicut Pater suscitavit mortuos, & vivificavit, sic & Filius quos vult vivificavit.* Vita enim est in seipso, & Fons vitæ, & caro in unitatem personæ ab ipso assumpta, *vivificata est.* Hinc etiam Apostolus i. ad Cor. xv. ait: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitivæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Non tamen statim nobis provenit primus iste Resurrectionis Christi fructus, quia sic Dei voluntate disposita res est, ut prius Christo patienti, & morienti in hac vita passibili, & mortali conformemur, deinde ad similitudinem Resurrectionis ipsius perveniamus. Hinc Apost. ad Rom. vi. ait: Si enim com-
 „ plantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & Resurrectionis eri-
 „ mus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut de-
 „ struatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Qui enim mor-
 „ tuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo,
 „ credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo.

Primus Re-
surrectio-
nis Christi
fructus Re-
surrectio
corporum.

Resurre-
ctionis
Christi fru-
ctus alter,
animarum
nostrarum
Resurre-
ctio.

Duo exem-
pla a Chri-
sti Resur-
rectione
petenda,

II. Secundus fructus Resurrectionis Christi est resurrectio animarum nostrarum. Operatur enim, ut instrumentaria virtus Divinitatis, quæ non solum vitam tribuit corpori per animam, sed & vitam animæ per gratiam. Exemplar etiam est Resurrectionis animarum nostrarum, quia Christi resurgentis similitudinem in animabus nostris exprimere debemus. Unde Apostolus ibidem ait: „ Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, „ ita & nos in novitate vitæ ambulemus. *Et paulo post: Scientes, quod „ Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non do- „ minabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod au- „ tem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse „ peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* „ Quemadmodum ergo Passio, & mors Christi causa est remissionis culpæ, per quam morimur peccato, ita Resurrectio Christi est causa novitatis vitæ, quam per gratiam sanctificantem consequimur, ut docet Apost. ad Rom. iv. his verbis: *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Duo itaque a Christi Resurrectione exempla petere debemus (inquit Conc. Trid. Catechismus) Alterum est, ut postquam peccati maculas eluimus, novum vitæ genus instituamus, in quo morum integritas, innocentia, sanctitas, modestia, justitia, beneficentia, humilitas, fervor in oratione, & Dei obsequio eluceant. Alterum est, ut in eo vitæ

instituto ita perseveremus, ut adjuvante Domino, qui propter nos mortuus est, & resurrexit, a justitiæ via, & observantia mandatorum Dei non deflectamus, non excidamus. Quod quidem, ut fiat, nobis per Resurrectionem quoque suam tribuit auxilium, qui resurgendi præbuit exemplum.

Duplicem hanc utilitatem ex Christi Resurrectione in homines derivatam S. Augustinus commendat, & edisserit Lib. IV. De Trinitate cap. III. & IV. „ Nos certe (*inquit*) quod nemo Christianus ambigit, & anima & corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter pœnam peccati, ac per hoc & corpore propter peccatum. Utrique autem rei nostræ, idest, & animæ, & corpori, medicina, & resurrectione opus erat ut in melius renovaretur, quod erat in deterius commutatum. Mors autem animæ impietas est, & mors corporis corruptibilitas, per quam fit & animæ a corpore abscessus. Sicut enim anima Deo deserente, sic corpus anima deserente moritur: unde illa fit insipiens, hoc exanime. Resuscitatur enim anima per penitentiam, & in corpore adhuc mortali renovatio vitæ inchoatur a fide qua creditur in eum, qui justificat impium, bonisque moribus augetur, & roboratur de die in diem, cum magis, magisque renovatur interior homo. Corpus vero tamquam homo exterior, quanto est hæc vita diuturnior, tanto magis magisque corrumpitur vel aetate, vel morbo, vel variis afflictionibus, donec veniat ad ultimam, quæ ab omnibus mors vocatur. Ejus autem resurrectio differtur in finem, cum & ipsa justificatio nostra perficietur ineffabiliter. Tunc enim similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est... Huic ergo duplæ morti nostræ Salvator impendit simplam suam: & ad faciendam utramque resuscitationem nostram, in sacramento, & exemplo præposuit, & proposuit unam suam. Neque enim fuit peccator aut impius, ut ei tamquam spiritu mortuo in interiore homine renovari opus esset, & tamquam respiscendo ad vitam justitiæ renovari: sed indutus carne mortali, & sola moriens, sola resurgens, ea sola nobis ad utrumque concinuit, cum in ea fieret interioris hominis sacramentum, exterioris exemplum. *Et post multa*: Una ergo mors nostri Salvatoris duabus mortibus nostris salutis fuit, & una ejus Resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit; cum corpus ejus in utraque re, idest, & in morte, & in resurrectione, & sacramento interioris hominis nostri, & exemplo exterioris, medicinali quadam convenientia ministratum est.

Et Tract. XXIII. in Joannem: „ Factus est homo, *inquit*, qui erat Deus accipiendo, quod non erat, non amittendo, quod erat: ita factus est homo Deus. Ibi habes aliquid propter infirmitatem tuam, ibi habes aliud propter perfectionem tuam. Erigat te Christus per id, quod homo est, ducat te per id quod Deus homo est, perducatur te ad id, quod Deus est. Et tota prædicatio dispensatioque per Christum hæc est, Fratres, & alia non est, ut resurgant animæ, resurgant & corpora. Utrumque quippe mortuum erat, corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate. Quia utrumque mortuum erat, resurgat utrumque. Per quid ergo anima, nisi per Deum Christum? Per quid corpus, nisi per hominem Christum? Resurgat anima tua ab iniquitate per id, quod Deus est, resurgat corpus tuum a corruptione per id, quod homo est.:. Animæ resurgant per ipsam substantiam Dei; corpora per dispensationem humanam Domini nostri Jesu Christi.

His maxime spes nostra sustentari debet, ac foveri: siquidem in Salvatore omnes resurreximus, omnes reviximus; & ante ad cœlestia transmigravimus, quam in terris nasceremur. Est enim in Christo uniuscujusque nostrum carnis, & sanguinis portio. „ Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi dominatur sanguis meus, me sentio dominari: ubi glo-

1. Joan 3.

Christi Resurrectione spes nostra sustentatur.

„ rificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. Quamvis enim peccator,
 „ de hac tamen communionem gratiæ non diffidat, quia etsi peccata nos pro-
 „ hibent, substantia nos requirit: & si delicta propria nos excludunt, na-
 „ turæ communio non repellit. Nam præter bonitatem Divinitatis, peculia-
 „ rem nobis Salvator debet affectum; quia sicut Deus noster in ipso est,
 „ ita & sanguis noster in illo est. Misericordiam igitur mihi debet præstare
 „ Divinitas; necessitudinem exhibere debet affinitas. Neque enim tanim-
 „ mitis est Dominus, ut obliviscatur hominis, & non meminerit illius, quem
 „ ipse gestat, ut quem causa mei susceperit, non ejus causa, quem susceperit,
 „ me requirat. Non, inquam, tam immitis est Dominus, ut non diligat
 „ carnem suam, membra sua, viscera sua. Nihil ergo de venia desperemus.
 „ Habemus prærogativam sanguinis nostri. In Christo enim caro nostra nos
 „ diligit. Sumus enim membra ejus, & caro. Verba sunt Sancti Maximi
 Taurinensis Episcopi, Homilia 2. De Resurrectione Domini.

S. VI.

Spiritualis Resurrectionis Signa.

Signum pri-
mum.
Marci 16.
Signum al-
terum.

PRIMUM Resurrectionis a peccato signum est, ut in tumultu peccati, in
 proximis ejusdem occasionibus, in ejusdem affectionibus non amplius in-
 veniamur, vereque de nobis dici possit: *Surrexit, non est hic.*

Secundum, ut revolutus sit lapis, ut lapis offensionis, & petra scandali
 removeatur; ut qui proximis odor mortis in mortem fuerunt, iisdem sint
 odor vitæ in vitam. *Et respicientes viderunt revolutum lapidem.*

Signum ter-
tium.

Tertium, constantia in vitæ novitate. Resurrectio enim transitus est,
 & transmigratio. Christus non recidit, sed resurrexit; non rediit, sed trans-
 iit; transmigravit, non remeavit. Denique *Pascha* significat transitum,
 non reditum: & *Galilæa*, ubi videndus promittitur, qui resurrexit, non
 remeationem sonat, sed transmigrationem. Si post consummationem Cru-
 cis, in nostram hanc mortalitatem, & vitæ præsentis ærumnas Christus Do-
 minus revixisset; ego eum non transisse dicerem, sed rediisse; non trans-
 migrasse in sublimius aliquid, sed ad statum remeasse priorem. Nunc au-
 tem quia transit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad transitum, vo-
 cat in Galilæam. Injuriam igitur faciunt Domini Resurrectioni, quibus Pas-
 cha reditus est, magis quam transitus. Si mortui sumus peccato, quomodo
 vivemus adhuc in illo? Si culpas planximus, quid causæ est, ut in ead-
 dem recidamus? *Lavi pedes meos, quomodo iterum inquinabo eos? Exui me tu-
 nicam meam, quomodo induam eam?* Denique, qui retro respicit, indignus est
 Regno Dei. Sed proh dolor! Peccandi tempus terminus recidendi facta est
 Resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe comesationes, & ebrietates redeunt,
 cubilia, & impudiciæ repetuntur, & laxantur concupiscentiæ fræna: quasi
 ad hoc surrexerit Christus, & non propter justificationem nostram.

Signum
quartum.
Coloss. 3.

Quartum Resurrectionis a peccato signum est celestia quærere. *Si con-
 surrexistis cum Christo*, inquit Apostolus, *quæ sursum sunt quærite, ubi
 Christus est in dextera Dei sedens.* Quibus verbis ostendit, eos, qui vitam,
 honores, otium, divitias ibi maxime, ubi Christus est, habere cupiunt,
 vere cum Christo surrexisse. Volunt omnes beate vivere, sed unde homo
 beate vivit, hoc nolunt quærere. *Filii, usquequo gravi corde? Ut quid di-
 ligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Volentes beati esse, eas res quæ-
 ritis, unde miseri sitis. Fallit vos, quod quæritis. *Scitote, quia Dominus
 Sanctum suum mirificavit.* Venit Christus ad miserias nostras, esurivit, siti-
 vit, fatigatus est, dormivit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est,
 spinis coronatus est, sputis illitus est, a lapis cæsus, ligno confixus, lancea
 vul-

Pf. 4. 3. & 4.

vulneratus, in sepulchro positus; sed tertia die resurrexit, finito labore, mortua morte. Ecce ibi oculum habete in ejus Resurrectione; quia ita magnificavit Dominus Sanctum suum, ut eum resuscitaret a mortuis, & in dextera sua in cœlis collocaret. Ostendit tibi, quid debeas sapere si vis beatus esse: hic enim esse non potes. Bonam rem quæris, sed terra ista non est regio ejus rei, quam quæris. Si habuit hic illud Christus, habebis & tu. In regione mortis tuæ quid ille invenit, attende. Veniens de alia regione, quid hic invenit, nisi quod hic abundat? *Manducavit tecum, quod abundat in cella miseriæ tuæ, acetum hic bibit, fel hic habuit. Ecce quid in cella tua invenit. Sed ad magnam mensam suam te invitavit, mensam cœli, mensam Angelorum, ubi ipse panis est...* Modo ergo, cum in ista carne corruptibili vivimus, morum mutatione cum Christo moriamur, amore justitiæ cum Christo vivamus; beatam vitam non accepturi, nisi cum ad illum venerimus, qui venit ad nos, & cum illo esse cœperimus, qui mortuus est pro nobis. Verba sunt S. Augustini Sermone ccxxxi. alias De Tempore cxli.

Quintum Resurrectionis a peccato signum est cœlestia sapere. *Quæ sursum sunt sapite* (inquit Apostolus) *non quæ super terram.* Ut enim corporis affectionem, & valetudinem gustus indicare solet, ita si *De cetero, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus discipline,* hæc aliquis cogitet, hæc illi sapiant, utque cœlestium rerum jucunditatem intimæ mentis sensu percipiat; hoc maximo argumento esse potest, eum qui ita sit affectus, in novam, & spiritualem vitam una cum Christo resurrexisse, *Novam esse in Christo creaturam, & Filium Resurrectionis.*

Sextum Resurrectionis a peccato signum est recessus a sæculari conversatione, a mundi moribus; illius (inquam) mundi, pro quo Dominus non rogavit, cujus amicitia inimica est Deo, qui totus in maligno positus est, qui transit cum concupiscentia sua, qui totus est vanitas. Mundo mortuus sit necesse est, qui cum Christo resurrexit: mundo hoc uti debet, non frui; & ita uti, tamquam non utatur. In mundo versari non debet, nisi quantum postulat necessitas; hominum, qui secundum spiritum, & mores sæculi vivunt, consortium raro admodum frequentare, cum ipsis de rebus divinis, & de salutis æternæ negotio colloqui, sæculi contagionem vitare, sanctimoniam, & pietatem ubique spirare, Christum a mortuis redivivum imitari, qui non continuo cum Discipulis conversatus est post Resurrectionem suam, *Ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat,* ut loquitur S. Thomas; sed per quadraginta dies ipsis aliquoties, & per intervalla apparuit, loquens de Regno Dei.

Signum quintum.

Colofs. 3.

Philip 4.
Conc. Trid.
Catech.
2. Cor. 5.
Luc. 20. 35

Signum sextum Resurrectionis spiritualis.

3. P. Q. 55.
Art. 3.
Act. 1. 3.

ARTICULUS VII.

*Quo sextus Articulus Symboli exponitur.*ASCENDIT AD COELOS, SEDET AD DEXTERAM DEI
PATRIS OMNIPOTENTIS.

§. I.

Mysterii Fides explicatur.

Consummato per Passionem, & Resurrectionem suam Redemptionis nostræ Mysterio, Christus, ut homo est, in cœlum corpore, & anima ascendit, quadagesima a Resurrectione sua die. A cœlo tamen nunquam absuit

abfuit secundum deitatem, qua æqualis est Patri, & ubique præfens. Ascendit autem sua virtute, non aliena vi sublatus, quemadmodum *Elias*, qui igneo curru in cœlum evehctus est, vel *Abacuch* Propheta, vel *Philippus* Diaconus, qui divina virtute per aerem delati, longinqua terrarum spatia permearunt. Ascendit stipantibus, & plaudentibus, non subvehentibus Angelis. Ascendit præpotenti virtute Divinitatis, necnon virtute animæ beatæ, quæ corpus, ut libuit, movere potuit; & cujus moventis imperio corpus gloriosum facile paruit. *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia* (inquit Apostolus.) Descendit sine corporis indumento, ascendit cum corporis indumento: nemo tamen nisi qui descendit ascendit. Quis enim vel in montem, vel in murum, vel in aliquem superiorem locum dicit non eum solum, qui descenderit, ascendisse, si cum descendisset exutus, ascendit indutus; aut cum descendisset inermis, ascendat armatus? Quemadmodum ergo de hoc dicitur, Nemo ascendit, nisi qui descendit; quamvis cum ea re, cum qua non descendit, ascenderit: sic nemo in cœlum nisi Christus ascendit; quia de cœlo, nisi Christus nemo descendit; quamvis sine corpore descenderit, cum corpore ascenderit; ascensuris & nobis non virtute nostra, sed nostra, & illius unitate. Ascendit in cœlum Christus Jesus, locum scilicet glorioso corpori convenientem. Sed ubi, & quomodo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum, & supervacaneum est querere; tantummodo in cœlo esse credendum est. *Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Domini corporis dignitate sublimia, & honesta sentire*; inquit S. August. Lib. De Fide, & Symbolo, cap. vi. Non ascendit statim post Resurrectionem suam, ut eam multis argumentis probaret, ne ludificatio putaretur. Post quadraginta dies ascendit, quo numero totum hujus mortalis vitæ tempus significatur. Christus ergo post Resurrectionem quadraginta dies cum Discipulis egit, ut demonstraret tamdiu necessariam fidem Incarnationis suæ, quamdiu mortalem vitam hic agimus. Qui enim in hoc sæculo recte crediderint Incarnationi Christi, in futuro sæculo fruuntur majestate, & divinitate Christi (inquit S. August. Serm. cclxiv.)

Credimus etiam, Christum *Sedere ad dexteram Patris*, quo nomine gloriæ, & potestatis æqualitas significatur. *Data est enim illi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Quod S. Lucas his verbis expressit: *Ex hoc erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei*. Et S. Paulus: *Sedet ad dexteram Majestatis in excelsis*. Et ad Philip. II. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Quia igitur in humanis rebus ei majorem honorem tribui existimamus, qui ad dexteram collocatus est; eandem rem ad cœlestia etiam transferentes, ad explicandam Christi gloriam, quam ut homo præ ceteris omnibus adeptus est, eum in Patris dextera esse confitemur. Dextera summam, & ineffabilem beatitudinem, & æternam felicitatem significat. Unde electi a dextris, reprobis a sinistris Christi in supremo Judicio collocabuntur. Sedere autem Christum cum dicimus, hoc verbo non significatur situs, & figura corporis, cum Sanctus Protomartyr Stephanus viderit *Filium hominis stantem a dextris Dei*; sed mansio, & habitatio, quo modo dicitur aliquis in aliqua regione, aut urbe per tot annos sedisse, idest, habitasse; & Lucæ xxiv. *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Sedere ad dexteram Patris, significat regiæ, summæque potestatis, ac gloriæ firmam, & stabilem possessionem, quam a Patre accepit; quæ Christi Domini ita propria, & singularis est, ut cuivis alteri creatæ nature convenire non possit. Unde Apostolus ad *Ephes. i.* ait: *Suscitans illum a mortuis,*

4. Reg. 11.
Dan. 14.
Act. 8.

Ephes. 4.

Matth. 28.

Luc. 22.
Hebr. 1.

Quid sit
Christum
federe ad
dexteram
Patris?

Act. 7.

& constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Et ad Hebræos, cap. 1. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Non ideo igitur quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dexterum, aut sinistrum latus occurrat animo; aut idipsum, quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est,

„ Ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos, qui Rom. 1.
 „ commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis
 „ hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in Templo col-
 „ locare; multo magis in corde nefarium est, ubi vere est templum Dei,
 „ si a terrena cupiditate, atque errore mundetur. Ad dexteram ergo intel-
 „ ligendum est sic dictum esse, In summa Beatitudine, ubi justitia, & pax,
 „ & gaudium est: sicut ad sinistram hædi constituuntur, idest, in miseria,
 „ propter iniquitates, labores, atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur
 „ Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem,
 „ qua illa Majestas nunquam caret, semper digna dignistribuendo; quam-
 „ vis in extremo Judicio multo manifestius inter homines unigeniti Filii
 „ Dei Judicis vivorum, atque mortuorum claritas indubitata futura sit.
 „ Sic postremam hujus Articuli partem explicat S. Augustinus Lib. De Fide
 „ & Symbolo, cap. VII. Denique, ut multa paucis complectar, Ad dexteram
 „ Dei dicitur, honoris, & felicitatis inenarrabilis celsitudo. Sicut de Sa- Cant. 2.
 „ pientia dictum legitur, *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius am-*
 „ *plexabitur me.* Si enim subterjacuerit terrena commoditas, tum desuper
 „ amplectitur æterna felicitas (*inquit S. Augustinus Sermone CCXIV.*)

§. II.

Ascensionis Christi causæ.

Christum in cœlos ascendisse jam innuimus, propterea quod ejus corpo- Cœlum
 ri immortalitatis gloria donato non terrenæ hujus, & obscuræ habi- conveniens
 tationis locus, sed altissimum, & splendidissimum cœli domicilium con- Christo do-
 veniret. *Exaltare super cœlos Deus* (*inquit Propheta*) & *super omnem terram* micilium.
gloria tua: „ id est, Exaltare, ut humilitatis tuæ præmium accipias. Exal- Pfalm. 56.
 „ tare tu, qui fuisti in ventre Matris inclusus; tu, qui in illa factus es
 „ quam fecisti; tu, qui in præsepio jacuisti; tu, qui ubera tamquam par- S. Aug. serm.
 „ vulus in vena carnis suxisti, tu, qui portans mundum, portabarisa Ma- 262. alias de
 „ tre; tu, qui esuristi propter nos, sitisti propter nos, fatigatus es in via Diverfis,
 „ propter nos; tu, qui dormisti, & tamen non dormitas, custodiens Israel; 13.
 „ tu, quem vendidit Judas, quem Judæi emerunt, & non possederunt: tu
 „ apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense, lancea
 „ percusse, tu mortue, tu sepulte. *Exaltare super cœlos Deus.* Exaltare
 „ (*inquit*) super cœlos, quia Deus es. Sed in cœlo, qui pependisti in
 „ ligno, Judex expectaris venturus, qui expectatus es judicatus. *Et super*
 „ *omnem terram gloria tua,* idest, Ecclesia tua, sponsa tua. *Vir* (*inquit Apostolus*) 1. Cor. 7.
non debet velare caput suum: quoniam imago, & gloria Dei est: mulier autem
gloria viri est. Si mulier gloria viri, Ecclesia gloria Christi.

Secundo Christus Jesus Dominus noster in cœlos ascendit, ut Regnum Regnum
 suum non esse ex hoc mundo demonstraret. Nam mundi regna terrena, & suum de
 fluxa sunt, magnisque opibus, & carnis potentia nituntur: Christi vero hoc mundo
 Regnum, non terrenum, quale Judæi expectabant, sed spirituale, & Christus o,
 æter- stendit

- Joan. 18. æternum. *Regnum meum* (inquit) *non est de hoc mundo*. De quo & *Lucæ* 1. dicitur: *Et Regni ejus non erit finis*. Item *Daniel* Propheta Filium hominis per visum aspexit, cui *Antiquus dierum*, id est, Deus Pater, *dedit potestatem, & honorem, & Regnum*. *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpetur*. Spirituales etiam opes, & divitias Regni sui esse ostendit, cum sedem suam in cœlis collocavit: in quo quidem regno illi ditiores, & bonorum omnium copia affluentiores existimandi sunt, qui ea, *quæ Dei sunt, Regnum* scilicet ejus, & *justitiam* studiis ferventioribus quæsierunt, qui terrena cœlestibus, temporalia æternis posthabuerunt. Unde *S. Jacobus* scribit: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*
- Matth. 16. 33. Christus in cœlum ascendit, ut Deo Patri naturæ nostræ primitias offerret. Tertio, Christus in cœlos ascendit, ut nos illuc reveheret, ac Deo Patri naturæ nostræ primitias offerret. Quia de re *S. Joannes Cyrillus*, *Homilia de Ascensione*, „ *Quod, inquit, de campis accidit spicarum plenis, ubi quis ex paucis spicis collectis parvum manipulum conficiens, eumque Deo offerens, paucitate illa toti arvo benedicit: ita Christus fecit, qui per unam illam carnem, atque primitias totum genus nostrum benedicendum curavit. Sed cur non totam naturam obtulit? Eo quod non sit hoc offerre primitias, si totum quis offerat: at si parvum aliquid quis offerat, per parvum totum benedicendum curat. Atqui si primitiæ, dicit quispiam, essent, primum ipsum hominem, procreatum offerri oportuit: primitiæ enim sunt, quæ primum tolluntur, & primum germinant. Non sunt primitiæ censendæ, Charissime, si primum fructum obtulerimus exilem, & evanescentem, sed si probum, atque perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideo non est oblatus, etiamsi primus esset. At hic a peccato liber erat, ideoque oblatus est, licet posterius extiterit. Hæ enim sunt primitiæ. Obtulit ergo primitias naturæ nostræ; atque ita donum admiratus est Pater, itaque propter dignitatem offerentis, puritatemque muneris oblatis, quasi propriis manibus illud accepit, sibi que primum constituit, dicens: *Sede a dextris meis*. “ Quamquam & ipsius *Adami, & Patriarcharum, Prophetarum, ac Justorum ceterorum animas, e limbo eductas, in cœlum introduxerit; in sublimiorem, feliciorem, ac latiorrem illo Paradisum, ex quo Adam fuerat ejectus; cujus aditum non jam Cherubim flammeo gladio armatus intercludit. Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem; id est, homines per Victoriam suam acquisitos. Hinc Psal. XXI. dicitur: Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Portas cœli non modo aperiri, sed attolli postulat, quasi major rediret Christus, quam exierat a Patre, ut veniret in mundum. Nequaquam tamen major secundum Deitatem, in qua Patri semper æqualis; sed quia redibat, cum carne victrice, gloriosa, immortalis, & in carne sua totam Ecclesiam gestabat, quia Victor intrabat Dominus fortis, & potens in prælio, quia centesimam illam ovem in deserto hujus mundi quæsitam Pastor optimus humeris reportabat, cœli portas attolli, ac dilatari Christo in cœlum remeanti postulat Rex Propheta, ut totus in Christo Mundus intret. Id elegantius exprimam *S. Ambrosii* verbis *Lib. IV. De Fide, cap. I. Veniebat* (inquit) *novis Victor redimitus exuviis, Dominus in templo sancto suo: præibant Angeli, & Archangeli, mirantes spoliū ex morte quæsitum: & quamvis scirent nihil Deo accedere ex carne potuisse, quia infra Deum omnia sunt; tamen trophæa crucis, cujus principium super humeros ejus, & Triumphatoris æterni manubias intuentes, quasi eum, quem emiserant, cœli portæ capere non possent, licet nunquam ejus capiant Majestatem, majorem viam quærebant aliquam revertenti: adeo nihil***
- Psal. 67. Cur cœli portas attolli David postulat?
- exina-

exinanitus amiserat! Debit tamen novo Victori novum iter parari; semper enim victor tamquam major, & præcellior est; sed quia æternæ sunt justitiæ portæ, eedemque novi, & veteris Testamenti, quibus cælum aperitur, non mutantur utique, sed elevantur; quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore Mundus intrabat.

Quarto, Christus in cælos ascendit, ut omnia, quæ de ipso in lege, & Prophetis scripta erant, adimpleret. Cetera enim omnia Christi Mysteria ad ejus Ascensionem tamquam ad finem referuntur, in eaque omnium perfectio, & absolutio continetur. Unde Apostolus *Ephes. III.* scribit: *Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Hinc *S. Bernardus Serm. II.* De Ascensione, *Solemnitas hæc, inquit, consummatio: & adimpletio est reliquarum Solemnitatum, & felix clausula totius itinerarii Filii Dei.* Et anteillum *S. Epiphanius (a)* Ascensionem vocat *Dominicarum Festivitatum omnium complementum.*

Quinto, ascendit in cælum, ut iter nobis pararet, ut ipse ait *Joan. XIV.* *In domo Patris mei mansiones multe sunt. Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Et *Mich. II.* de ipso prænunciatum est: *Ascendet pandens iter ante eos: dividet, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit Rex eorum corameis, & Dominus in capite eorum.*

Sexto, Christus Dominus noster ad cælos ascendit, ut ea, quæ ad salutem nostram pertinent, curaret, ut quemadmodum Pontifex in veteri Testamento intrabat in Sancta Sanctorum, ut Deum pro populo interpelleret, ita *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, non in manufacta Sancta introiret, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, & Patrem pro nobis interpellet.* Unde *Theodoretus* in cap. *VIII.* *Epist. ad Romanos, E mortuis, inquit, suscitatus, Patri assidet, & ne sic quidem nostri curam gerere desit. Sed quas a nobis accepit primitias ostendens, & eas ab omni labe puras Patri demonstrans, per illas nobis salutem petit.* Hunc interpellandi modum *S. Gregorius Magnus* similiter explicat *Lib. XXII. Moralium, cap. XIII. Unigenito Filio (inquit) pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse, est eandem naturam in Divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione.*

Sacerdotio suo etiamnum ad Patris dexteram Christus fungitur, semetipsum Patri perenniter pro nobis immolans, in cæleste scilicet Sanctuarium, non in sanguine alieno, sicut veteris Legis Pontifex semel quotannis in secretiora Templi adyta ingrediebatur; Sed per proprium sanguinem semel introivit in Sancta, æterna redemptione inventa. Et Unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. *Sacerdos enim factus est, non secundum Legem mandati carnalis, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim, quoniam Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech...* Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non

Christus in cælos ascendit, ut omnia de se scripta impleret.

(a) Orat. De Christi assumptione.

Christus ascendit, ut nobis iter pararet.

Christus ascendit, ut Patrem pro nobis interpelleret.

Hebr. 9.

Rom. 8.

Sacerdotio suo ad Patris dexteram fungitur.

Hebr. 9.

Hebr. 7.

Hebr. 8.

„ ha-

„habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis
 „delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum
 „offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes:
 „sermo autem jurisjurandi, qui post Legem est, Filium in æternum perfe-
 „ctum . . . Tandem habemus Pontificem, qui confedit in dextera sedis ma-
 „gnitudinis in cælis, Sanctorum minister, & Tabernaculi veri, quod fixit
 „Dominus, & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera,
 „& hostias constituitur: unde necesse est, & hunc habere aliquid, quod
 „offerat. Quid autem offert? Non novam victimam, neque novum sacrifi-
 „cium, sed quam semel obtulit hostiam ad destitutionem peccati, pro nobis
 „offerre pergit. *Ipse Sacrificium, Sacerdos, & hostia. Ascendit enim cum sacrificio,
 „quod potest placare Patrem* (inquit S. Jo: Chrysostomus.) Suffragatur & S. Cy-
 „rillus Alexandrinus Libro De Adoratione in Spiritu, & Veritate, dicens: *Si
 „verum est, omnem Sacerdotem, ut Sacrificium offerat, stare, nec confessor un-
 „quam, aut ejusdem collega gloriæ possit intelligi cum Deo, cui sacrificat, quo-
 „modo non inusitatus plane Sacerdos Christus est, qui & in divinitatis throno
 „confidet, & tamen ut homo sacra facit?* Hic manipulus est novarum frugum
 „a Sacerdote coram Domino elevatus, sanctificatus, & consecratus, ut acce-
 „ptabilis esset pro populo. Hic Agnus immaculatus in holocaustum oblatus
 „Domino. *Delibatio veluti quædam nostræ massæ, oblatus est Deo, ac Patri
 „primogenitus ex mortuis factus, & primitiæ resurrectionis omnium, in ipsum
 „cælum ascendens. Oblatus est autem tamquam ex omnibus, & pro omnibus,
 „ut omnes vivificaret, & tamquam ex area primus manipulus offerretur Deo,
 „ac Patri* (inquit S. Cyrillus Lib. iv. in Joannem) Agnus est immaculatus,
 „qui etsi in cruce mactatus sit, adeo tamen mactatus est, ut in cælestis Ta-
 „bernaculi Altare non manufactum inferretur, ibique se ipsum perenniter
 „offerret, non igne materiali, sed igne divinitatis consumptum, absorpta
 „morte in victoria. Unde S. Augustinus Enarratione in Psal. cxl. *Illud est
 „(inquit) sacrificium vespertinum, Passio Domini, crux Domini, oblatio victi-
 „mæ salutaris, holocaustum acceptum Deo. Illud sacrificium vespertinum, fecit
 „in resurrectione munus matutinum.* Hinc S. Joan. Apocalypsis v. *Vidi, in-
 „quit, in medio throni Agnum stantem tamquam occisum.*

Hom. 17. &
 19. Epist.
 ad Hebræos.

Lev. 23.

Lev. 14.

Pulchre S. Cyrillus Alexandrinus Epistola ad Acacium, quæ De capro
 „*emissario* inscripta est, Christo adaptat sacrificium gemini passeris, quo-
 „rum alter occidebatur, alter prioris sanguine cruentatus in solitudinem
 „dimittebatur. Cælo passere Christus mortalis, & in cruce mactatus; su-
 „perstite vero passere, & cruentato immortalis, & in cælum assumptus ad-
 „umbratur: utrobique tamen hostia. Quamobrem novum hoc in cælis spe-
 „ctaculum admirati sunt Angeli, hunc in modum percontati: „Quis est iste,
 „qui venit de Edom, tinctis vestibibus de Bosra? Quare rubrum est indu-
 „mentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? *Verba
 „S. Cyrilli legere, jucundum erit.* Tingebatur (inquit) passer vivus in sanguine
 „occisi: & sanguine quidem illius cruentatus, passionisque propemodum
 „particeps, in solitudinem dimittebatur. Ad cælum enim Unigenitum:
 „Dei Verbum una cum carne sibi unita rediit: eratque novum hoc in cælis
 „spectaculum. Obstupuit enim sanctorum Angelorum multitudo, cum Re-
 „gem gloriæ, exercituumque Dominum in forma humana cernerent. Aie-
 „bant enim: Quis est iste, qui venit ex Edom, idest, ex terra? Et rubor
 „vestimentorum ejus ex Bosra? Bosra autem significat carnem, vel an-
 „gustiam, & tribulationem. Deinde illud etiam percontabantur. Quæ
 „sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Unde & vestimentum sau-
 „guine rubricatum, & plagas in manibus ostendit.

Isai. 63.

Septimo, illud etiam Dominus noster in cælum ascendens efficere voluit, ut nos eum ascendentem mente, & desiderio prosequeremur. Nam quem admodum morte, & resurrectione sua exemplum nobis reliquerat moriendi peccato, & resurgendi, ac vivendi justitiæ, & Deo: ita Ascensione sua nos docet, ut in terris positi, in cælum nos cogitatione, & affectu totos conferamus, agnoscentes nos peregrinos, & hospites super terram, ac patriam inquirentes, cives sanctorum, & domesticos Dei . . . : Nostra enim conversatio in cælis est (inquit Apostolus) liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna præelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos, fallaces illecebræ non retardent; & ita a Fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiam si quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed trans eunda sunt fortiter . . . : Totis fidei viribus nitamur, ut sicut Dominus nostro cum corpore ad superna conscendit, ita nos quoque membra ejus effecti, Caput nostrum officiosis desideriis, ac bonorum operum studiis jam sequamur. Ascendamus post eum compunctione, benevolentia, concordia, charitate: ascendamus & per ipsarum adminicula passionum. Quomodo autem post eum per passiones nostras possimus ascendere si quis roget; hoc utique modo: si unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, & eminentia dominantis animi super eas stare consuecat, ex ipsis sibi gradum construat, quo ad superiora conscendat. *Sublimabunt nos, si fuerint infra nos. De nostris etiam vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* Ceterum cum Christo, idest, humilitatis Magistro, non ascendit superbia, nec cum bonitatis auctore malitia, nec cum pacis amico discordia, nec cum Filio Virginis libido, atque luxuria. Non ascendunt vitia post virtutum parentem, nec peccata post Justum, nec infirmitates possunt ire post Medicum. Christum ascendentem sequamur mysticis virtutum omnium gradibus. *Beatus vir, inquit Propheta, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Humilitate præsertim ascendamus, hæc est via. Qui aliter vadit, cadit potius, quam ascendit, quia sola est humilitas, quæ exaltat, sola, quæ ducit ad vitam. *Christus enim cum per naturam divinitatis non haberet; quo cresceret, vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret, invenit, inveniens incarnari, pati, mori, ne moremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei.* Vade, & tu fac similiter. Neque enim ascendere potes, nisi descenderis; quia, ut æterna lege fixum est, *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur.* O perversitas! O abusio filiorum Adam! Quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficilius descendunt, parati ad honores, & celsitudines Graduum Ecclesiasticorum, *Ipsis etiam Angelicis humeris formidandas:* Ad sequendum autem te, Domine Jesu, vix inveniuntur, qui vel trahuntur; qui velint duci per viam mandatorum tuorum. Beatus, qui ubique te ducem habet, non illum refugam spiritum, qui statim ascendere voluit, & tota divinitatis dextera percussus est. *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ, sequamur te, per te, ad te:* quia tu es, *Via, Veritas, & Vita: Via in exemplo, Veritas in promisso, Vita in premio;* inquit S. Bernardus. Sursum cor habere debemus, sed ad Dominum: *Sursum enim cor non ad Dominum, superbia vocatur: sursum autem cor ad Dominum, refugium vocatur. Illi enim dicimus, qui ascendit, Domine, refugium factus*

Christus in
cælum ascen-
dit, ut ascen-
dentem
mente, &
desiderio
prosequere-
mur.
Hebr. 11.
Ephes. 2.
Phil. 3.
S. Leo ser. 2.
De Ascens.
Domini.

S. Hil. Arel.
in eodem
Festo.

Psal. 83.

S. Bern. Ser.
2 de Ascens.
Dom.

Luc. 14.

Joan. 14.

Psal. 83
factus

factus es nobis ... *Descendit , ut sanaret te : ascendit , ut leuaret te. Cadis , si leuaveris te : manes , si leuaverit te. Sursum ergo cor , sed ad Dominum , refugium est : sursum cor , sed non ad Dominum , superbia est. Dicamus ergo illi resurgenti , Quoniam tu es , Domine spes mea : ascendenti autem , Altissimum poluisti refugium tuum. Quomodo enim ad eum cor sursum habentes superbi erimus , qui propter nos humilis factus est , ne superbi remaneremus ? Verba iunt S. Augustini Sermone cclxi. alias De Diversis XII.*

§. III.

Ascensionis Christi fructus , & utilitates.

QUAMVIS corporis sui , & sacræ humanitatis sensibilem præsentiam Christus Jesus Ascensione sua Fidelibus subtraxerit , præsentia tamen divinitatis suæ nusquam ipsis deest. *Ecce (inquit) ego vobiscum sum omnibus diebus , usque ad consummationem sæculi.* Qui Emmanuel idest , Nobiscum Deus , vocatur , implet proprietatem nominis sui : & qui ascendit in cælos , non deserit adoptatos : qui sedet ad dexteram Patris , ipse totius habitator est corporis : & ipse deorsum confortat ad patientiam , qui sursum invitat ad gloriam (inquit S. Leo Ser. II. De Resurrect. Domini , cap. III.) Ipse vero Christi in cælos Ascensus , quo sensibilem sui corporis præsentiam nobis subtraxit , longe majores utilitates nobis peperit , quam ejus sensibilis præsentia peperisset.

I. Christi nimirum Ascensione gloriosa , fidei nostræ merito maximus cumulus accessit. Nam fides earum rerum est , quæ non videntur , atque ab hominum ratione , & intelligentia remotæ sunt. Itaque si Dominus Jesus a nobis non discessisset , fidei nostræ meritum minueretur : siquidem ab illo *Beati prædicantur , qui non viderunt , & crediderunt.* Hinc etiam ipse Discipulis ait , de Sp. Sancto , *Arguet mundum de justitia* , comparando scilicet credentium justitiam cum iniquitate infidelium. Hæc enim comparatio , est infidelium vituperatio . *De justitia (inquit) quia ad Patrem vado , & jam non videbitis me .* „ Quapropter Mundus de peccato quidem suo , de justitia „ vero arguitur aliena ; sicut arguuntur de lumine tenebræ . Quantum enim „ malum sit eorum , qui non credunt , non solum per seipsum , verum et „ iam ex bono potest eorum apparere , qui credunt . Et quoniam ista vox „ infidelium esse consuevit , Quomodo credimus , quod non videmus ? Ideo „ credentium justitiam sic oportuit definiri , *Quia ad Patrem vado , & jam „ non videbitis me .* Nam , & qui viderunt Christum non in eo laudata est „ fides eorum , quia credebant quod videbant , idest , Filium hominis ; sed „ quia credebant quod non videbant , idest , Filium Dei . *Cum vero & ipsa „ forma servi subtracta eorum esset aspectibus , tum vero ex omni parte imple- „ tum est , Iustus ex fide vivit . Ipsa est justitia fidei , de qua dicit Aposto- „ lus Et si noveramus Christum secundum carnem , sed nunc jam non no- „ vimus . Erit itaque , inquit , vestra justitia qua Mundus arguetur , Quia va- do ad Patrem & jam non videbitis me : quoniam in eum , quem non videbitis , credetis in me : & quando me videbitis quod tunc ero , non videbitis in me , quod sum vobiscum modo ; non videbitis humilem , sed excelsum ; non videbitis mortalem , sed sempiternum ; non videbitis judicandum , sed judicaturum ; & de hac fide vestra , idest , justitia vestra , arguet Sp. Sanctus incredulum Mundum . Ita hunc locum explicat S. Augustinus Tract. xcv. in Joannem .*

Magnum Fidei robur , & incrementum ex gloriosa Christi Domini nostri in cælos Ascensione accessisse , confirmat S. Leo Ser. II. De Ascensione , cap. II. III. & IV. „ Quod (inquit) Redemptoris nostri conspicuum fuit , in

„ sacra-

„ sacramenta transivit: & ut fides excellentior esset, ac firmior, visioni do-
 „ trina successit, cujus auctoritatem supernis illuminata radiis credentium
 „ corda sequerentur :: Ipsi Apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot ter-
 „ monibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ Passionis expaverant, &
 „ veritatem Resurrectionis ejus non sine hæsitatione susceperant, tantum
 „ de Ascensione Domini profecerunt, ut quicquid illis prius intulerat me-
 „ tum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi in Di-
 „ vinitatem ad Patris dexteram confedentis erexerant, nec jam corporeæ vi-
 „ sionis tardabantur objecta, quo minus in id aciem mentis intenderent,
 „ quod nec a Patre descendendo abfuerat, nec a Discipulis ascendendo di-
 „ scesserat. Tunc Filius hominis, Dei Filius excellentius, sacratiusque in-
 „ notuit, cum in Paternæ Majestatis gloriam se recepit: & ineffabili mo-
 „ do cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longin-
 „ quior. Tunc ad æqualem Patri Filium eruditior fides gressu mentis cœ-
 „ pit accedere, & contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, quæ Pa-
 „ tre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura,
 „ eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spiritali intel-
 „ lectu, par Genitori Unigenitus tangeretur. Hinc illud est, quod post
 „ Resurrectionem suam Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ ge-
 „ renti, cum ad contactum ipsius properaret accedere, dicit: *Noli me tan-
 „ gere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*: hoc est: Nolo, ut ad me cor-
 „ poraliter venias, nec ut me sensu carnis cognoscas. Ad sublimiora te
 „ differo, majora tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfe-
 „ ctius, veriusque palpabis, apprehensura, quod non tangis, & creditura,
 „ quod non cernis.

Eundem locum tractans *S. Bernardus* Serm. xxviii. in Cantica, „ Mit-
 „ titur, *inquit*, ad certiore fidei cognitionem, quæ apprehendit, quod sen-
 „ sus nescit, experimentum non invenit: *Noli me tangere*. Hoc est, Dis-
 „ suesce huic seducibili sensui, innitere Verbo, fidei assuesce . . . Disce id
 „ habere certius, id tutius sequi, quod illa suaserit, *Noli me tangere, non-
 „ dum enim ascendi ad Patrem meum*. Quasi vero cum ascenderit, tunc
 „ tangi ab ea velit, aut possit. Et utique poterit, sed affectu, non manu;
 „ voto, non oculo; fide, non sensibus. Quid tu me (ait) modo tangere
 „ quæris, quæ sensu corporis gloriam estimas Resurrectionis? Verbum æ-
 „ ternum Patris, Angelorum cibus, panisque perfectus, Incarnatione lac nobis
 „ infantibus, & solido cibo capiendo imparibus præstitit, „ Ut quasi a mamil-
 „ la carnis ejus enutriti, & per talem lactationem assueti manducare, &
 „ bibere Verbum Dei, & eum, qui est immortalitatis Panis, qui est Spi-
 „ ritus Patris, in nobis ipsis eum continere possemus (*inquit S. Irenæus* Lib.
 „ iv. cap. xxiv.) Quid est Panis Angelorum? *In principio erat Verbum, &
 „ Verbum erat apud Deum*. Quomodo Panem Angelorum manducavit homo?
 „ Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Igitur* Mater Sapien-
 „ tia, cum sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo
 „ lactescere parvulis. Sed ipse homo Christus, qui vera carne, vera cruce,
 „ vera morte, vera Resurrectione sincerum lac dicitur parvulorum, cum
 „ bene a spiritualibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. Proinde nec
 „ sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum:
 „ nec sic ab lactandi, ut deserant hominem Christum. Quod alio modo ita
 „ dici potest: Nec sic lactandi sunt, ut Creatorem nunquam intelligant
 „ Christum; nec sic ab lactandi, ut Mediatorem unquam deserant Christum;
 „ (*inquit S. Aug. Tract. xcvi. in Joannem.*) Hoc ineffabili modo ab lactati
 „ sunt Fideles, cum Christus in celos ascendens carnis suæ conspectum ipsis

subduxit, ut cibum solidum, idest, Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, jam per carnem ejus fortiores effecti, fide contemplaremur, eoque cum Angelis reficeremur, jam spe ad illorum æqualitatem provecti.

II. Christi enim vero in cælos Ascensio, ad confirmandam spem in cordibus nostris magnum momentum habet: siquidem cum Christum hominem in cælum ascendisse, & humanam naturam in dextera Dei Patris collocasse credimus, magna in spe sumus, fore, ut nos etiam ejus membra, illuc ascendamus, atque ibi cum Capite nostro jungamur. Quod ipse Dominus his verbis testatus est: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum.* Et Discipulis ait: *Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis.* Spes igitur ad cælum perveniendi hoc Mysterio in nobis excitatur, quia *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Christi Ascensio, nostra provectio est, (inquit S. Leo) & „ Quo præcessit gloria Capitis, eo spes vocatur & cor-
 „ poris. *Hoc enim Mysterio* Non solum Paradisi possessores firmati sumus,
 „ sed etiam Cælorum in Christo superna penetravimus: ampliora adepti per
 „ ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam
 „ quos virulentus Inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi con-
 „ corporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit. *Habemus Dominum,*
 „ *& Salvatorem nostrum Jesum Christum prius pendentem in ligno, nunc se-*
 „ *dentem in cælo.* Pretium nostrum dedit, cum penderet in ligno: colligit,
 „ quod emit, cum sedet in cælo :: Christus ascendit in cælum, ascendat
 „ cum illo & cor nostrum. Sicut enim ille ascendit, nec recessit a nobis :
 „ sic & nos cum illo ibi jam sumus, quamvis nondum in corpore nostro
 „ factum sit, quod promittitur nobis. Neque enim propterea nobis despe-
 „ randa est perfecta, & angelica celestis habitatio, quia dixit: *Nemo ascen-*
 „ *dit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.*
 „ Sed hoc dictum est propter unitatem, qua caput nostrum est, & nos cor-
 „ pus ejus. Cum ascendit in cælum, nos ab illo non separamur. Qui de cæ-
 „ lo descendit, non nobis invidet cælum, sed quodammodo clamat: Mem-
 „ bra mea estote, si ascendere vultis in cælum. In hoc ergo ipsi interim
 „ roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris,
 „ quod computamur in cælis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc ex-
 „ uamus animi vetustatem. Facile corpus levabitur in alta cælorum, si
 „ non premat spiritum sarcina peccatorum (inquit S. Aug. Serm. cclxiii.
 „ alias *De Tempore* clxxiv. & *De Diversis* xc.) *Id porro ut consequamur,*
 „ *ad eum confugiamus, quem Advocatum habemus apud Patrem, Jesum*
 „ *Christum justum :: Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cæ-*
 „ *los, Jesum Filium Dei :: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ,*
 „ *ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio oppor-*
 „ *tuno. Non accessimus, ut Judæi, ad tractabilem Montem, & accensibi-*
 „ *lem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum,*
 „ *& vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret*
 „ *verbum; sed ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Jerusalem cæ-*
 „ *lestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam pri-*
 „ *mitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & Judicem omnium Deum, &*
 „ *Spiritum Justorum perfectorum, & Testamenti Novi Mediatorem Jesum, &*
 „ *Sanguinis asperionem melius loquentem quam Abel. Videte, ne recusetis*
 „ *loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super ter-*
 „ *ram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis averti-*
 „ *mus. Quid autem loquitur? Verba Charitatis.*

III. Christus namque in cælum ascendens amorem nostrum ad cælum rapuit,

Secundus
Ascensionis
Christi fru-
ctus, spei
nostre con-
firmatio.
Joan. 16.
Joan. 14 3.
Matth. 25.

Serm. 1. De
Ascen. Dom.

Joan. 3. 13.

1. Joan. 2.
Hebr. 4.

rapuit, cordaque nostra divino Spiritu inflammavit, ut enim dicit Matth. vi. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Et certe si Christus Dominus in terris verisaretur, omnis nostra cogitatio in ipso hominis aspectu, & consuetudine defixa esset, qui nos tantis beneficiis afficeret, eumque terrena quadam benevolentia prosequeremur. Verum in cælos ascendens, amorem nostrum spiritualem reddidit, effecitque, ut quem nunc absentem cogitamus, eum, ut Deum veneremus, & diligamus. Quamobrem Discipulis ait: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quoniam Pater major me est.* „ Vox ista quodam modo exprobrantis fuit, & consolantis. Fixi erant in homine, & Deum cogitare non poterant. *Tunc enim cogitarent Deum, si ab illis, & ab eorum oculis homo auferretur, ut amputata familiaritate, quæ cum carne erat facta, discerent vel absente carne Divinitatem cogitare.* Ergo hoc eis ait: *Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad Patrem.* „ Quare? Ut cum eo ad Patrem, possitis me cogitare æqualem Patri. Propterea enim *Major me est*: adhuc cum videtis me in carne, major me est Pater. Si sic me diligeretis, quomodo per me facta sunt omnia, gauderetis, quoniam vado ad Patrem. Carnem Discipulis post Resurrectionem suam ostendit, confirmavit illos, & sustulit illam in cælum. Subducta autem carnali præsentia, jam illi hominem non viderunt. Si quid erat in cordibus eorum tractum de desiderio carnali, quasi contristatum est in ipsis. Congregati sunt tamen in unum, & cæperunt orationem. Ille autem missurus erat Sp. Sanctum, ut impleret eos, amore spirituali, auferens desideria carnalia. Faciebat eos jam sic intelligere Christum, quomodo erat Verbum Dei, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia. „ *Non autem possent impleri tali intellectu, nisi carnalis charitas ab eorum oculis discessisset.* Et ideo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Quasi diceret Apostolis suis: *Non vultis me dimittere, sed melius est, ut istam carnem non videatis, & divinitatem cogitetis. Tollo me a vobis exterius, & me ipso impleo vos interiorius. Numquid enim secundum carnem, & cum carne intrat in cor Christus? Secundum divinitatem possidet cor: secundum carnem per oculos loquitur ad cor, & admonet frater, habitans intus, ut interiorius nos convertamur, & vivificemur ex ipso, & formemur ex ipso.* Sic disserit S. Augustinus Serm. CLXIV De Ascensione Domini IV.

Ob eandem rationem Dominus Discipulis ait: *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Tamquam diceret: *Expedit vobis, ut hæc forma servi auferatur a vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis: sed nolome carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis.* Expedit vobis, ut ego vadam, &c. *Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esuriatis; si carni carnaliter hæseritis, capaces Spiritus non eritis.* Nam quid est, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos?* Numquid hic positus eum non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse, atque mansisse: immo vero a quo scimus eum nunquam separabilem fuisse? *Quid est ergo, Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, nisi, non potestis capere Spiritum, quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum? Unde ille, qui jam acceperat Spiritum.* „ Et si noveramus, *inquit, secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* „ *Etiam ipsam quippe carnem Christi, non secundum carnem novit, qui Verbum carnem factum spiritualiter novit.* Verba sunt S. August. Tract. cxiv. in Joannem.

Idem passim confirmat S. Bernardus, Sermone præsertim xx. In Cantica, & Serm.

Fructus tertius Ascensionis Christi, nostræ charitatis inflammatio.

Conc. Trid. Catech.

Joan. 14.

Joan. 16. 7

2 Cor. 5.

- & Serm. v. *De Ascensione*, ubi hanc præcipuam invisibili Deo fuisse causam asserit carnem assumendi, & hominibus convivendi, ut carnalium, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primum affectiones, a ceteris sensibilibus omnibus rebus abductas, ad sacratissimæ suæ carnis amorem totas recolligeret, atq; ita gradatim ad amorem spirituales perduceret. Carnali (ut ita loquar) amore adhærebant Christo incipientes Apostoli, solo præsentia corporalis amore reliquerant omnia, adeo ut futuræ salutaris Passionis, & Mortis ne audire quidem verbum æquanimiter sustinerent, sed nec gloriam ascendenti postmodum, nisi cum gravi merore suscipere. *Quia* (inquit) *hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* „ Itaque in „ sola interim gratia præsentis suæ carnis eos ab amore omnis carnis suspenderat. Monstrabat autem eis postea altiore amoris gradum, cum diceret: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Puto huc ascendit jam, qui dicebat, *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Fortassis & nihilominus Propheta in hoc ipso stabat, cum diceret, *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* Nam quod subjungit, *Sub umbra ejus vivemus inter Gentes,* videtur ex persona incipientium addidisse, ut quiescant saltem in umbra, qui ad Solis ardorem ferendum minus se validos sentiunt, & carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent ea percipere, quæ sunt Spiritus Dei. Quapropter expe- diebat Apostolis, ut caro Christi in celos reciperetur, ut in eos Sanctus Spiritus elabi posset. Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos (inquit Christus) idest, Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non agnoscit, non recipit animus, non capit affectus. *Christus ait: Ego sum via, veritas, & vita. Hoc est, Per me venit, ad me pervenitur, in me permanetur. Ex quo intelligitur* (inquit S. Augustinus *Lib. i. De Doctrina Christiana, cap. xxxiv.*) Quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit; sed transire, ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra susceptis, & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam a temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi, atque pervenire mereamur.
- IV. Hæc *Dona* sunt, quæ *Christus ascendens in altum, dedit hominibus*, Fides, Spes, Charitas per Sp. Sanctum in eorum cordibus diffusa. Sed & dona ab hominibus accepit, ut ait Propheta: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Apostolus a Propheta non dissidet. Christus ascendens in celos dona hominibus dedit, idemque dona in hominibus recepit. Dedit ut unus cum Patre Deus; accepit in Ecclesia sua, in membris suis, in Sanctis, & Fidelibus suis. *Christus enim, & Ecclesia, caput, & corpus, unus homo est, unus Christus,* ut S. Aug. sæpius inculcat. Nunc in persona sua propria, nunc in persona membrorum suorum loquitur apud Prophetas. Ad personam membrorum ejus referendum, quod ait Propheta, *Accepisti dona in hominibus:* ad Personam ejus propriam, quod Apostolus ait: *Dedit dona hominibus,* ut S. Aug. explicat Enarratione in Psal. LXVII. *Ipse ergo Christus & dedit de celo, & accepit in terra* (inquit idem S. Doctor *Lib. xv. De Trinitate, cap. xix.*)
- Joan. 16. (inquit) *hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* „ Itaque in „ sola interim gratia præsentis suæ carnis eos ab amore omnis carnis suspen- „ derat. Monstrabat autem eis postea altiore amoris gradum, cum dice- „ ret: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Puto huc ascen- „ derat jam, qui dicebat, *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed „ nunc jam non novimus.* Fortassis & nihilominus Propheta in hoc ipso sta- „ bat, cum diceret, *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* Nam quod „ subjungit, *Sub umbra ejus vivemus inter Gentes,* videtur ex persona inci- „ pientium addidisse, ut quiescant saltem in umbra, qui ad Solis ardorem „ ferendum minus se validos sentiunt, & carnis dulcedine nutriantur, dum „ necdum valent ea percipere, quæ sunt Spiritus Dei. Quapropter expe- „ diebat Apostolis, ut caro Christi in celos reciperetur, ut in eos Sanctus „ Spiritus elabi posset. Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos (inquit „ *Christus) idest, Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiri- „ tualis gratiæ plenitudinem occupata mens non agnoscit, non recipit ani- „ mus, non capit affectus. Christus ait: Ego sum via, veritas, & vita. „ Hoc est, Per me venit, ad me pervenitur, in me permanetur. Ex quo „ intelligitur* (inquit S. Augustinus *Lib. i. De Doctrina Christiana, cap. „ xxxiv.*) Quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Do- „ minus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit; „ sed transire, ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra su- „ sceptis, & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus ala- „ criter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam a temporalibus liberavit, „ & collocavit ad dexteram Patris, provehi, atque pervenire mereamur.
- Joan. 16. „ Spiritus elabi posset. Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos (inquit „ 17. „ *Christus) idest, Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiri- „ S. Ber. ser. 5. „ tualis gratiæ plenitudinem occupata mens non agnoscit, non recipit ani- „ De Ascens. „ mus, non capit affectus. Christus ait: Ego sum via, veritas, & vita. „ Domini. „ Hoc est, Per me venit, ad me pervenitur, in me permanetur. Ex quo „ Joan. 14. 6. „ intelligitur* (inquit S. Augustinus *Lib. i. De Doctrina Christiana, cap. „ xxxiv.*) Quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Do- „ minus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit; „ sed transire, ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra su- „ sceptis, & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus ala- „ criter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam a temporalibus liberavit, „ & collocavit ad dexteram Patris, provehi, atque pervenire mereamur.
- Ephes. 4. Christus in celos ascen- dens dona dedit hominibus, & in eis accepit. Psalm. 67.

ARTICULUS VIII.

*Quo septimus Symboli Articulus explicatur.*INDE VENTURUS EST JUDICARE
VIVOS, ET MORTUOS.

§. I.

Multiplex Dei Judicium. Novissimi tempus ignotum. Signa illud præcedentia.

DEI Judicium multiplex in Sac. Litteris declaratur: unum *Discretionis*, de quo Propheta Psal. XLII. *Judica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Aliud *Damnationis*, de quo scriptum est Joannis III. *Qui non credit, jam judicatus est: & Jo: v. Et procedent qui mala egerunt in resurrectionem judicii.* Rursus judicium aliud *occultum*, aliud *manifestum*. „Occultum judicium est pœna, qua nunc unusquisque hominum aut

S. Aug. tr.
43. & 52. in
Joa.

„ exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem; aut si com-
„ tempserit vocationem, & disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem.
„ Judicium manifestum est, quo venturus Dominus judicabit vivos & mor-
„ tuos, omnibus fatentibus eum esse, a quo & bonis præmia, & malis sup-
„ plicia tribuentur; sed tunc illa confessio, non ad remedium malorum,
„ sed ad cumulum damnationis valebit. “ De his duobus judiciis, uno oc-
culto, alio manifesto, videtur Dominus dixisse Jo: v. *Qui verbum meum au-*

dit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non ve-
nit, sed transit a morte in vitam. Id est, non veniet in judicium manife-
stum. Nam hoc, quod transit de morte ad vitam per nonnullam afflictio-
nem, qua flagellat omnem Filium, quem recipit, Judicium occultum est.

Qui autem non credit (inquit) *jam judicatus est:* id est, isto occulto judicio
jam præparatus est ad illud manifestum. Ita S. *Augustinus* Enarratione in Psal. 9.

Joan. 3.
Vide S.
Aug. Lib. 20.
De Civ.
Dei c. 7.

Judicium occultum in hac vita peragitur: manifestum post mortem fiet
cum unicuique necesse erit in conspectum Domini venire, & singularum
cogitationum, verborum, operumque omnium rationem reddere, demumque
Judicis præsentem subire sententiam. Id porro duobus diversis temporibus
fiet; primo statim post uniuscujusque hominis mortem; secundo in fine mun-
di. Primum judicium particulare est, ac privatam: cum enim unusquisque
nostrum e vita migraverit, statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de om-
nibus justissima quæstio habetur, quæcumque aut egerit, aut dixerit, aut
cogitaverit, cum hic mortalem vitam ageret. De isto scribit Apostolus ad
Hebræos Cap. IX. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judi-*
cium. Alterum generale erit, cum uno die, atque uno in loco, omnes si-
mul homines ad tribunal summi Judicis stabunt, ac omnibus omnium sæ-
culorum hominibus spectantibus, & audientibus, singuli sententiam in se
latam excipient, statimque reprobis a sinistris Judicis in terra stantes, in
ignem æternum cum diabolo, & angelis ejus detrudentur: electi vero, Chri-
sto obviam rapti in æra, cum ipso in Regnum æternum, ipsis ante mundi con-
stitutionem paratum, convolabunt, sicque in cælis semper erunt *cum Domino.*

Matth. 25.

2 Thess. 4.

De ultimo isto, generalique Judicio Symboli Apostolici septimus Articulus
est, quo Christum *venturum judicare vivos, & mortuos* profiteamur: *in-*
de, inquam, *venturum*, quo ascendit, scilicet e cælis; non relicta Patris
dextera, in qua sedet, hæc enim summa potestas est, & majestas: Christus
autem veniet *Cum potestate magna, & majestate. Quemadmodum assumptus est*
in cælum, sic veniet. Duobus autem modis accipi potest, quod *Vivos, &*
mortuos judicabit: „ Sive ut vivos intelligamus, quos hic nondum mortuos,

Luc. 21.

Matth. 25.
Act. 1.

Joan. 5. „ sed adhuc in ista carne viventes inventurus est ejus Adventus; mortuos
 „ autem, qui de corpore, prius quam veniat, exierunt, vel exituri sunt :
 „ sive vivos justos, mortuos autem injustos, quoniam justi quoque judica-
 „ buntur. Aliquando enim judicium Dei ponitur in malo, unde illud est, *Qui*
 „ *autem male egerunt, in resurrectionem Judicii*; aliquando, & in bono, se-
 Pfalm. 55. „ cundum quod dictum est, *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in vir-*
 „ *tute tua judica me*. Per Judicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorum-
 „ que discretio, ut liberandi a malo, non perdendi cum malis, boni ad dex-
 „ teram segregentur. “ Sic explicat S. Augustinus in *Enchiridio*, c. LV. Ceterum & illi ipsi, de quibus dicit Apost. I. ad Theff. IV. *Et nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, prius morientur, quam beata immortalitate cum reliquis Sanctis donentur: quod aperte colligi videtur ex his Apostoli verbis I. ad Corinth. cap. xv. *Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? Qualive corpore venient? Insuper, quod tu seminās, non vivificatur, nisi prius moriatur, &c.* Et, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Quomodo autem fieri poterit, ut omnes resurgant, nisi omnes moriantur? Resurrectio quippe, nisi mors præcesserit, nulla est. Morientur ergo & illi, qui adveniente Christo vitam mortalem in hoc mundo agent, & illorum corpora igne, quo mundus conflagrabit, interibunt, statim velut in ictu oculi, canente tuba, idest imperante Domino, ad vitam reditura. Videas S. Augustinum Ep. cxcvii. *Mercatori* inscripta, cap. IV. & Lib. xx. *De Civitate Dei*, Cap. xx.

Novissimum illud Judicium in S. Litteris *Dies Domini* appellatur, de quo Apost. I. ad Theff. v. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet*. Et Salvator ipse, Matth. xxiv. *De die autem illa, & hora nemo scit*: Sicut autem in diebus Noe, ita erit & Adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis... *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*. De eodem Apostolus II. ad Corinthios v. scribit: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Et Apocalypsis xx. dicitur: *Vidi mortuos magnos, & pusillos in conspectu Throni, & Libri aperti sunt, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in Libris, & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*.

S. August.
 Enarrat in
 Pfalm. 36.
 Sermon. 1.

Ad Tit. 2.
 Judicii ul-
 timi tem-
 pus ex si-
 gnis præce-
 dentibus
 certo cog-
 nosci non
 potest.
 Luc. 21.
 Matth. 24.
 Marc. 13.

„ Quamvis autem ultimi judicii diem venturum esse utiliter sciamus, &
 „ utiliter ignoremus, quando venturus sit, ut paratum cor habeamus bene
 „ vivendo; & non solum non timeamus venturum illum diem, sed & a-
 „ memus “ *Expectantes beatam spem, & Adventum glorie magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi* (ut loquitur Apostolus) signa tamen quædam Adventum Christi ad judicium præcedent, ut homines ad Judicis reverentiam adducantur, & ad judicium præparentur, signis insolitis, & formidandis præmoniti. Ex his nihilominus signis certo cognosci non potest judicii tempus, cum partim ad excidium Hierosolymorum, partim ad Christi adventum in corpore suo, quod est Ecclesia, partim ad adventum ejus novissimum per se ipsum pertineant, ut S. Augustinus explicat Epistola cxcix. alias Lxxx. ad *Hesichium*, *De fine Seculi* inscripta. Quamobrem, quod Christus Dominus ait, *Vigilate, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes*, ad omnes pertinere declaravit. *Tunc enim unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adven-*

adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit sua vitæ hujus ultimus dies (inquit S. Augustinus.)

Diem Domini venturum non esse, certum est, nisi Antichristus prior ad-
venerit. Homo quidam erit singularis, iniquissimus, divinos honores usur-
pans, Christum, & Regnum ejus, id est Ecclesiam, persequens ea persecu-
tione, *qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet: falsis miracu-
lis maximam hominum partem seducens, & ad defectionem a Christi fide,
& cultu pertrahens. De quo Apostolus II. ad Thessalonicenses II. scribit :
Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne,
quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei sedeat, ostendens
se tamquam sit Deus.... Et tunc revelabitur ille Iniquus; quem Dominus Jesus
interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est
adventus secundum operationem Satane, in omni virtute, & signis, & prodi-
giis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt: eo quod
charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Cetera pene omnia, quæ
de Antichristo dicuntur, vel obscura sunt, vel incerta. Cum autem impro-
borum hominum caput futurum sit, jam ab initio Ecclesiæ, immo ab ini-
tuo mundi formari cæpit corpus ejus, præparari populus ejus, in quo pri-
mas tenent Hæretici. Unde S. Paulus ibidem ait: *Mysterium jam operatur
iniquitatis. Et S. Joannes Epistola I. C. II. Filioli, novissima hora est: &
sicut audistis, quia Antichristus veniet, & nunc Antichristi multi facti sunt....
Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, per-
mansissent utique nobiscum.... Hic est Antichristus, qui negat Patrem, &
Filium. Et C. IV. Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne ve-
nisse, ex Deo est: & omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic
est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.*
Legatur S. Hieronymus in Epistola ad Algasiam, Quæstione XI. & S. Au-
gustinus Lib. XX. De Civitate Dei Cap. XIX.*

Antichri-
stus.

Matth. 24.

Psal. 96. 2.
Ignis iudi-
cium præ-
cedens.

*Ignis porro ante Christum Judicem præcedet & inflammabit in circuitu
ejus, Mundumque purgabit. Absumet elementorum corruptibilium qualita-
tes, ut Mundus in melius innovatus, & a corruptionis servitute libera-
tus, corporibus beatorum per gloriosam resurrectionem pariter innovatis
conveniat. Quemadmodum igitur mundus olim diluvio interiit, perditis im-
piis universis, solo justo Noe cum familia sua erepto, ita in fine Sæculi,
hic Mundus post diluvium Dei verbo restauratus, & consistens, „ Cæli
„ (inquam) qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni re-
„ servati in die Judicii, & perditionis impiorum hominum (inquit S. Pe-
„ trus Epist. II. C. III.) Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæ-
„ li magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem,
„ & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolven-
„ da sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus
„ expectantes, & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli
„ ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent? Novos vero cæ-
„ los, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus ju-
„ stitia habitat. Propter quod, charissimi, hæc expectantes, satagite im-
„ maculati, & inviolati ei inveniri in pace. Denique Ecclesia Christum ju-
„ dicaturum vivos, & mortuos, & sæculum per ignem profitetur: quod ab
„ Isaia Propheta prædictum est: Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi
„ turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpa-
„ tionem suam in flamma ignis; quia igne Dominus dijudicabit.*

Isa. 66.

§. II.

*Generalis Judicii Causæ.*111. P. Q.
59. A. 8.Prima ratio
judicii gene-
ralis.Ratio alte-
ra.1. Col. 4.
Apoc. 20.

Joan. 9.

Sap. 4. & 5.

Cum præter privatum de singulis, alterum etiam de universis hominibus, exerceri judicium necesse sit, præter Dei verbum, communemque Christianorum omnium fidem, congruæ quoque rationes afferri possunt, quas exponunt S. Thomas, & Concilii Tridentini Catechismus.

Prima est, quia post hominum mortem interdum superstites sunt filii, vel discipuli, exemplorum, sanæ doctrinæ, vel errorum, sanctioris vitæ, vel pravorum operum amatores, sectatores, propugnatores, propagatores. Quibus rebus ipsorum mortuorum præmia, & penas augeri necesse est. Cum igitur hæc utilitas, vel calamitas ad plurimos pertinens, non prius finem habitura sit, quam novissimus mundi dies advenerit, æquum erat, de universis hac recte, aut prave factorum, dictorumque ratione perfectam questionem haberi, quod fieri non poterat nisi facto communi omnium Judicio.

„ Quapropter expecta me, dicit Dominus (Sophoniæ III.) in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram, & furoris mei; in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.

Secunda est, quod piorum fama sæpe lædatur, impii vero innocentie laude commendentur. Quam ob rem divinæ justitiæ ratio postulat, ut pii ereptam injuria apud homines existimationem, in publico universorum hominum conventu, & judicio recuperent; cum Christus Judex *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & laus erit unicuique a Deo, cum Libris apertis*; id est, singulorum conscientias patentibus, boni summo honore afficientur, & filii Dei ab omnibus agnoscentur, eorumque præclare gesta cunctis innotescant, & ab æquissimo Judice coronabuntur: mali vero, ac reprobi *induentur confusions* peccatis suis, quamvis occultissimis, pravis desideriis, cogitationibus, operibus in publicam lucem productis. Quod præclare describit Sapiens. „Videbunt (inquit) finem Sapientis, & non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. Videbunt, & contemnent eum: illos autem Dominus iridebit. Et erunt post hæc decedentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam dirumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos a fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traduent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Tunc stabunt Justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, *pœnitentiam agentes*, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improprietatis. Nos insensati vitam illorum æstimabamus in vanitatem, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est. Ergo erravimus a veritate, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non ortus est nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra..... Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.“ Sum-

mus.

mus autem erit honos, quo Sancti afficientur, siquidem Christo supremo Judici affidebunt, cum ipso mundum judicaturi. Unde ipse ait: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim Tribus Israel. Et Apostolus: Sancti, inquit, de hoc mundo judicabunt... In vobis judicabitur mundus... Nescitis quoniam Angelos judicabimus?*

Matth. 19.
1. Co. 7.

Tertia judicii generalis ratio hæc est: quod Sancti, & reprobi homines, quæcumque in vita egerunt, non sine corporibus egerint: unde bona, & mala opera ad corpora etiam pertinent, velut ad instrumenta. Maxime igitur conveniens erat, corporibus una cum eorum animis debita æternæ gloriæ præmia, aut supplicia impertiri: Quod neque sine omnium hominum resurrectione, neque sine generali judicio fieri poterat. „ Dicimus plenum „ primo, perfectumque credendum judicium Dei, ut ultimum jam, atque „ exinde perpetuum: ut sit quoque justum, dum non in aliquo minus: ut „ sit quoque Deo dignum, dum pro tanta ejus patientia, plenum, atque „ perfectum. Itaque plenitudinem, perfectionemque Judicii, nonnisi de totius „ hominis representatione constare. Totum porro hominem ex utriusque „ substantiæ concretione parere: idcirco in utraque exhibendum, quem „ totum oporteat judicari: qui nisi totus, utique non vixerit. Qualis ergo „ vixerit, talem judicari, qui de eo, quod dixerit, habeat judicari. Vita „ est enim causa judicii, per tot substantias dispungenda, per quot & fun- „ da est “ (inquit *Tertullianus* Libro *De Resurrectione Carnis*.)

Tertia ratio.

Quarta ratio ex divina Providentia, Sapientia, & Justitia petitur, quas vindicari palam in omnium hominum conventu, ac laudari decet. Cum enim adversa, & prospera promiscue nonnunquam bonis, & malis eveniant, ob arcanas quidem, licet adorandas rationes; hinc fit, ut plerique divinæ providentiæ, ac justitiæ obloquantur; & viri etiam justii commoveantur interdum, cum improbos potentes opibus, & honoribus florentes animadvertunt. „ Mei autem pene moti sunt pedes (inquit Propheta) pene effusi sunt „ gressus mei: quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns... Ecce „ ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias; & dixi: „ Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus „ meas: & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. “ Necessesse igitur erat, generale Judicium exerceri, in eoque bonis præmia, improbis supplicia palam decerni, ut Deo Justitiæ, Sapientiæ, & Providentiæ laus ab omnibus tribueretur. Igitur *Noli emulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tamquam scenum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.* „ Quod tibi longum videtur, cito est Deo: subjunge te Deo, & tibi cito erit (inquit *S. Augustinus*.) Olera herbarum vilia quædam sunt, & superficiem terræ tenentia, altam radicem non habent. Proinde per hyemem virent: at ubi Sol æstatis fervere cœperit, arescent. Modo ergo tempus est hyemis, gloria tua nondum apparet: sed si alta radix est charitatis tuæ, sicut multarum arborum per hyemem, transit frigus, veniet æstas, id est, *Judicii dies*: tunc arescet viror sceni, tunc apparebit arborum gloria. *Mortui enim estis*, ait Apostolus; quomodo videntur arbores per hyemem, quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui sumus? *Intus est radix.* Ubi radix nostra, ibi & vita nostra, ibi enim charitas nostra. *Et vita vestra*, inquit, *abscondita est cum Christo in Deo.* Quando arescit, qui sic habet radicem? Quando autem erit ver nostrum? Quando æstas nostra? Quando nos circum vestit dignitas foliorum, & ubertas fructuum, locupletat? Audi, quod sequitur: *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Hinc *S. Augustinus* Libro xx.

Ratio quarta.

Psal. 72.

Psal. 36.

S. August. Enarrar. in hunc Psal.

Coloss. 3.

De Civitate Dei, Cap. II. ait: Cum ad illud Dei iudicium venerimus, cujus tempus jam proprie dies iudicii, & aliquando dies Domini nuncupatur; non solum quæcumque tunc iudicabuntur, verum etiam quæcumque ab initio iudicata, & quæcumque usque ad illud tempus adhuc iudicanda sunt, apparebunt esse iustissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam iusto iudicio Deus fiat, ut nunc tam multa, ac pene omnia iusta iudicia Dei sensus mentesque mortalium lateant; cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, iustum esse, quod latet. Hinc Propheta Psalmo xxxvi. ait: Observabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis, Dominus autem iridebit eum, quoniam prospicit, quod veniat dies eius.

„ Qui dies? Quo reddet unicuique secundum opera. Thesaurizat enim sibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei. Sed Dominus prospicit, tu non prospicis, indicavit tibi, qui prospicit. Non parva pars scientiæ est, scienti conjungi. Ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Quod videt Deus, crede tu. Veniet dies iniusti, quem prospicit Deus. Qui dies? Cuiusque vindictæ. Necessè est enim, ut vindicetur in impium, sive convertat se, sive non se convertat. Si enim se converterit, hoc ipsum in illo vindicatur, quod perit iniquitas (ut explicat S. August. Enarratione in Psal. xxxvi. Sermone II.) Nunc Deum ex dimidia tantum parte cognoscimus (ut cum S. Basilio loquar, Præfatione in Regulas fusius disputatas.) Misericordem cogitamus, non iustum: at in supremo iudicio plene cognoscetur, quia *Iustitia plenitudo divinitatis*, ut loquitur Tertullianus. Iudicium itaque generale esse oportet, ut omnibus palam fiat, *Misericordiam* quidem Dei ab eterno, & usque in æternum exerceri, sed *super timentes eum*: verum in peccatores respicere iram illius.

Eccli. 5. 7.

Ratio quinta generalis iudicii.

Apoc. 14.

Eccli. 7.

Psal. 118.

120.

Timore casto timentium iudicium.

1. Joann. 3.

Quinta denique ratio, cur generale iudicium sit futurum, est, ut illius metu peccatores ad meliorem frugem revocentur, pii vero ejus expectatione recreentur, nec in adversis rebus deficient. *Timete Dominum, & datus illi honorem, quia venit hora iudicii eius.* Hinc illud Sapientis divinum oraculum: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Sed timore casto timendus est iudicii dies. Unde Propheta dicit, *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui.* Hoc est, ut explicat S. Augustinus Enarratione in Psalm. cxviii. Sermone xxv. *A timore tuo casto, qui permanet in seculum seculi, carnalia mea desideria comprimantur; A iudiciis enim tuis timui, cum mihi lex minaretur penam, quæ mihi non poterat dare iustitiam. Sed hunc timorem, quo pena metuitur, consummata charitas foras mittit, quæ non timore pænæ, sed delectatione iustitiæ liberos reddit. Timor namque iste, quo non amatur iustitia, sed timetur pænæ servilis est, quia carnalis est; & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum vero pænâ creditur secutura, latenter vivit; vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur. Timore autem casto ipsa, quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas: quia nec impunitatem iudicat secuturam, quando amore iustitiæ peccatum ipsum deputat penam. Tali timore carnes crucifiguntur, quoniam carnales delectationes, quæ legis littera vetantur potius, quam vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem usque ad perfectionem crescente victoria perimuntur.*

Pii iudicii diem desiderant.

2. Tim. 4.

Timor ille castus cum summo desiderio, & amore diei iudicii optime cohæret, quo pii cujusque pectus accenditur. Unde Apostolus scribit: *Reposita est mihi corona iustitiæ; non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Et Propheta idem desiderium his verbis exprimit: *Sitivit a-*

nima mea ad Deum vivum. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Psal. 41.
 Hinc S. Joannes Epistolæ I. C. IV. In hoc, inquit, perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii. Ille autem diligit adventum Domini, Qui eum sinceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis expectat, qui pie vivendo ad diem vitæ suæ novissimum vigilanter se præparat: Quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in illo die judicabitur (inquit S. Augustinus Epistola cxcix. alias lxxx.) Dies judicii, spes Christianorum est, qui Deum diligunt, & Christo sincere serviunt. Unde ipse Dominus ait: Luc. 21.
His fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquas redemptio vestra. Si amamus Christum, adventum ejus desiderare debemus. „ Perversum enim est, & nescio utrum verum, quem diligis time-
 „ re ne veniat; orare, *Adveniat Regnum tuum*, & timere ne exaudiaris.
 „ Unde autem timor? Quia Judex venturus est? Numquid injustus? Num-
 „ quid malevolus? Numquid invidus? Numquid postremo ab altero expectas
 „ nosse causam tuam, ne forte ille, quem instruxisti, vel prævaricatione te
 „ decipiat, vel minori facundia, & facultate deficiens innocentia tuæ bonum
 „ verbis demonstrare non possit? Nihil horum. Quis ergo venturus est? Qua-
 „ re non gaudes? Quis venturus est judicare te, nisi, qui venit judicari
 „ propter te? Non timeas Accusatorem, de quo ipse dixit, *Princeps hujus* Joan. 12. 31.
 „ *mundi ejicietur foras.* Non timeas malum Advocatum: ille enim tibi mo-
 „ do Advocatus est, qui tunc Judex futurus est. Ille erit, & tu, & causa
 „ tua: sermo causæ tuæ, testimonium conscientia tuæ. Quisquis ergo fu-
 „ turum Judicem times, præsentem conscientiam tuam modo corrige. Hæc
 S. August. In narratione in Psalm. cXLVII. Merito itaque Tertullianus supre-
 mi judicii diem vocat *Diem Christianæ exultationis*. Bonam causam habea-
 mus, ut futurum judicium non timeamus. *Perditio nostra, peccatum nostrum?*
Sanguis Christi, pretium nostrum: Resurrectio Christi, spes nostra: adventus
Christi, res nostra. Dicat anima nostra fratri illi, Quando veniet? Et, Sitivit Psal. 41. 3.
anima mea ad Deum vivum. Optas ut veniat? Utinam paratum te inveniat.
 Verba sunt S. Aug. Serm. cclxv. alias vi. inter editos a Parisiensibus. De-
 dit Deus metuentibus se significationem, ut fugiant a facie arcus, ut libe-
 rentur ejus dilecti. Igitur *Exhorresce, quod minatur Omnipotens: ama, quod*
promittit Omnipotens, & vilescit omnis Mundus sive promittens, sive terrens
 (inquit S. August. Tractatu III. in Epistolam S. Joannis.) Psal. 59. 6.

S. III.

Christus Dominus ut homo judicabit. Judicis dotes. Ultima Sententia.

Quamvis judicandi potestas omnibus Sanctissimæ Trinitatis Personis communis sit, præcipue tamen Dei Filio eam tribuimus, cui etiam sapientiam convenire dicimus, quamvis tribus personis pariter communem. Judicabit autem Christus, non solum ut Deus, sed ut homo. *Sicut Pater* Joan. 5.
 (inquit) *habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in semeti-* S. August.
pso, & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Veniet Enarrat.
 „ cum potestate magna judicaturus, quia cum magna humilitate judicatus. in Pl. 85.
 „ Ipse videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis. Demonstrabit po-
 „ tentiam, qui demonstravit patientiam. In cruce patientia erat; in judi-
 „ cio potentia erit. Apparebit enim homo judicans, sed in claritate. Sic
 „ *veniet*, dixerunt Angeli, *quemadmodum vidistis eum euntem in celum.* For- A. G. I. 11.
 „ ma ipsa veniet ad judicium; ideo videbunt illum & impii: nam formam
 „ Dei non videbunt. Et ubi est, *Videbunt in quem transfixerunt?* Nisi quia
 „ apparet formam hominis eos visuros ut judicentur, formam Dei non vi-
 fu-

- „ furos, nisi qui ad dexteram separabuntur. Tacuit judicandus, non ta-
 „ cebit judicaturus. Occultus hic fuit, ut non agnosceretur: *Si enim co-*
 S. Auguft. „ *gnovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Cum ergo hic jam fue-
 Serm. 299. „ rit occultus in potestate sua, tacitus sub aliena: contrarium erit occulta-
 „ tioni, quod venturum expectamus. *Deus enim manifeste veniet.* Qui prius
 1. Cor. 2. „ venit occultus, veniet manifestus. *Deus noster, & non filebit.* Siluit oc-
 Pfal. 49. „ cultus, quia *Sicut ovis ad occisionem ductus est.* Siluit occultus, quia *Sicut*
 Ifai. 53. „ *agnus coram tondente se sine voce*; sic non aperuit os suum. Siluit oc-
 „ cultus, quia *In humilitate judicium ejus sublatum est.* Siluit occultus,
 „ quia homo tantum putatus est; sed *Deus manifeste veniet, Deus noster, &*
 „ *non filebit.* Manifeste veniet Judex omnipotens, cui resisti non possit: Ju-
 Judicis do. „ dex supremus, cujus judicium nemo peccator subterfugere possit, aut ab
 tes. „ ipso appellare: Judex sapientissimus, quem nihil latere possit, cujus oculi lu-
 1. Cor. 4. „ cidiores Sole, qui *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia*
 Apoc. 3. „ *cordium,* Judex, idemque *Testis fidelis* dictorum omnium, factorum, cogita-
 1. Petr. 2. „ torum. Judex sanctissimus, *Qui peccatum non fecit, neque dolus inventus est*
 „ *in ore ejus.* Judex integerrimus, & æquissimus, qui *Non accipiet personam*
 Ifai. 42. „ *cujusque.* Judex severissimus, qui tunc *Non flectetur, & Judicium sine mise-*
 Jac. 2. 13. „ *ricordia* in eos exercebit, qui misericordiam non fecerunt. *Ipse est* (inquit
 Act. 10. „ Apostolorum Princeps) *qui constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum.*
 „ Manifeste veniet, & occultissima facinora, verba, consilia manifestabit. Peccato-
 „ rum suorum omnium numerum, gravitatem, sceditatem absque ullo fuce, absque
 „ ullo excusationum velo, in sua quisque conscientia intuebitur, ad peniten-
 „ tiam infructuosam, quia seram; ad confusionem æternam. Ante faciem il-
 „ lius statuentur peccata, quæ olim post tergum posuit. *Arguam te* (inquit
 „ Dominus) *& statuam contra te faciem tuam.* Deus noster tunc non filebit.
 „ *Arguam te* (inquit) *Modo te non vides, facio ut videas te. Quia si videres*
 „ *te, & displiceret tibi, placeret mihi; quia vero non te videns placuisti tibi,*
 „ *displicebis & mihi, & tibi; mihi, cum judicaberis; tibi, cum ardebis.* Sta-
 Pfal. 49. „ tuam contra te faciem tuam. *Quid enim vis latere te ipsum? In dorso tuo*
 „ *tibi es, non te vides. Facio, ut te videas; quod post dorsum posuisti, an-*
 „ *te faciem ponam, videbis sceditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erube-*
 „ *scas.* Modo ergo tu fac, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a ter-
 „ go tuo, ubi te videre non vis dissimulans a factis tuis, & constitue te an-
 „ te te. *Ascende tribunal mentis tue, esto tibi judex, torqueat te timor, e-*
 „ *rumpat a te confessio, & dic Deo tuo:* Quoniam iniquitatem meam ego
 Pfal. 50. 5. „ cognosco, & peccatum meum contra me est semper. *Quod erat post te,*
 „ *fiat ante te: ne ipse postea a Judice fias ante te, & non sit quo fugias a te.*
 „ Ita hunc locum explicat S. Augustinus Enarratione in Psalmum XLIX. Tunc,
 Omnia Dei „ omnia Dei attributa peccatores accusabunt, convincent, damnabunt. Om-
 attributa „ nipotentia, quod non obedierint *Tantæ potestatis imperio, & tanto terrentis*
 convincent, „ *supplicio,* ut loquitur S. Augustinus. Bonitas, & misericordia, quod tot e-
 & damna- „ jus beneficiis ingrati fuerint, quod Filii ejus Christi Jesu sanguinem irritum
 bunt repro- „ duxerint; quod nullum ex Sacramentis fructum ad salutem percipere volue-
 bos. „ rint; quod prædicatione verbi Dei, admonitionibus, bonis exemplis, prof-
 „ peris, adversis, creaturis omnibus indignissime sint abusi. His totidem ve-
 „ lut testimoniis reprobi convincentur, ut merito illa verba Job usurpare
 Job. 10. „ possit: *Instauras testes tuos contra me.* Tunc *Pugnabit orbis terrarum con-*
 Sap. 5. „ *tra insensatos:* agnoscent quippe nihil in orbe terrarum fuisse, quo ad Deum
 „ promerendum uti non potuissent. Judex severus scrutabitur *Jerusalem in*
 „ *lucernis,* ipsas *Justitias* judicabit. Frustra inclamabunt montibus, & petris:
 „ *Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira*
 „ *Agni.*

Agni. Christum, a quo averterunt oculos, quem conculcaverunt, quem contempserunt, quem iterum in semetipsis crucifixerunt, videbunt, non jam misericordem Salvatorem, sed terribilem Judicem. *Videbunt in quem transfixerunt.* Tunc Deus noster non filebit. Nunc loquitur pro nobis ut Advocatus noster; tunc contra nos ut Judex noster. Nunc sanguis ejus pro peccatoribus clamat: tunc adversus reprobos perorabit: Tot ora, quot vulnera. „ Inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos dicat: „ Ecce hominem, quem crucifixistis: ecce Deum, & hominem, in quem credere nolulistis. Videtis vulnera, quæ infixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis; quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. *Rea* stabit *Anima* ante aulas Dei die Judicii, nihil habens dicere. Deum prædicabas, & non requirebas: Dæmonia abominabar, & illa adorabas: Judicium Dei appellabas, nec esse credebas: Inferna supplicia præsumebas, & non præcavebas: Christianum nomen sapiebas, & Christianum persequebaris. Verba sunt *Tertulliani*, Libro *De Testimonio Animæ*, Cap. ultimo. Deus noster non filebit. Qui vocem Sponsi ad nuptias vocantis, & ad cor loquentis contempserunt, vocem Judicis, vocem Domini in virtute, in magnificentia, confringentis cedros; vocem formidinis, & tonitruum audient: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Qui vocanti obtemperare, & ad me venire nolulistis, recedite operarii iniquitatis, inutiles servi, genimina viperarum, qui ex Patre diabolo estis, non populus meus, *Ite, maledicti.* Frustra rugient clamore magno, ut miser Elia, dicentes, *Benedic etiam & mihi. Num unquam tantum benedictionem habes? Obsecro, ut & mihi benedicas.* Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis. Et induent maledictionem sicut vestimentum, & intrabit sicut aqua in interiora eorum, & sicut oleum in ossa eorum. Frustra reponent: *Quo ibimus a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiemus? .. Ite in ignem æternum.* Sanctis vero, & electis blande insonabit vox Sponsi ad nuptias invitantis, vox Amici ad æternum convivium, vox Patris ad hæreditatem, vox Domini ad præmia, & coronas vocantis: „ Venite, benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. *Igitur* Dei cultores apud Deum semper, superinduti substantia propria æternitatis; profani vero, & qui non integre ad Deum, in pœnam æque jugis ignis, habentes ex ipsa natura ejus, divina scilicet, subministrationem incorruptibilitatis. Noverunt & Philosophi diversitatem arcani, & publici ignis. Ita longe alius est, qui usui humano, alius, qui judicio Dei apparet, sive de cælo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit, quod exurit; sed dum erogat, reparat. Adeo manent montes semper ardentis, & qui de cælo tangitur, salvus est, ut nullo jam igni decinere sciat. Et hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum jugis Judicii pœnam nutrientis. Montes uruntur, & durant. Quid nocentes, & Dei hostes? (inquit *Tertullianus*, Apologetici C. XLVIII.)

Duo porro tantum erunt judicandorum ordines: alii a dextris erunt, scilicet electi; alii a sinistris, scilicet reprobi, etiam infantes, qui sine Baptismo decesserunt: adeoque illi in vitam æternam, isti in ignem æternum. Non erit medius locus, ut S. *Augustinus* ex Evangelio probat contra Pelagianos. *Mitissima tamen omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: & in ceteris, qui addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem.* Verba sunt S. *Augustini*, in *Enchiridio*, Cap. 94.

Apost. 6.

Joan. 19.

Auctor Libri, sive Sermonis 2. de Symbolo ad Catech. apud S. August.

Matth. 25.

Ultima sententia. Genes. 27. Psal. 108.

Psal. 138.

Matth. 25.

Duo tantum judicandorum ordines.

Apoc. 1.
Psaln. 49.
Quomodo
timendum
Dei judi-
cium?

Mutemur, &
non time-
bimus.

Psal. 49. 3.

Timete Dominum, & date illi honorem: appropinquat enim hora judicii ejus. Deus manifeste veniet. Qui venit occultus, veniet manifestus. Venit occultus, judicandus, veniet manifestus judicaturus. Venit occultus, ut ante judicem staret, veniet manifestus, ut etiam de Judicibus judicet. *Veniet manifeste, & non silebit.* Quid enim? Modo silet? Et unde sunt, quæ dicimus? Unde ista præcepta, unde ista monita, unde ista tuba terroris? Non silet, & silet: *Non silet a monendo, silet a vindicando: non silet a præcepto, silet a judicio.* Patitur enim peccatores quotidie mala facientes, Deum non curantes, non in conscientia sua, non in cælo, non in terra: non eum latent hæc omnia, & universaliter omnes admonet, & quando aliquos flagellat in terra, *Admonitio est, nondum damnatio.* Silet ergo a judicio, occultus in cælo est, adhuc interpellans pro nobis: patiens est super peccatores, *Non exercens iram, sed expectans pœnitentiam.* Dicit alio loco (scilicet Isaia 42.) *Tacui, numquid semper tacebo?* Quando ergo non tacebit? *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit.* Ignis ante ipsum præcedet. *Timemus? Mutemur, & non timebimus. Ignem palea timeat: auro quid facit?* Est autem nunc in potestate quid facias, ne illud, quod & te nolente venturum est, non correctus experiaris. Si enim possemus facere, Fratres, ut dies judicii non veniret; puto quia nec sic erat male vivendum. Si non veniret ignis die Judicii, & sola peccatoribus immineret separatio a facie Dei, in qua libet essent affluentia deliciarum, non videntes a quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet æternitate, & impunitate peccati, plangere se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? Hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientię, & veritatis utcumque sentire cœperunt, noverunt quod dico, quanta pœna sit tantummodo a facie Dei separari: qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem; supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur; contremisce, quod minatur. Veniet dulcedo præsentię, non excitaris, non suspiras, & non desideras: amplexaris peccata tua, & delicias carnis tuæ, stipulam ad te congeris, veniet ignis. *Ignis in conspectu ejus exardescet.* Non erit iste ignis sicut focus tuus; quo tamen si manum mittere cogaris, facies quicquid voluerit, qui hoc minatur. Si tibi dicat, *Scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum, nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum; facies ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum.* Minatur ergo inimicum tam leve malum, & facis malum? Minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? Ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent: a bono faciendo nec minæ te deterrere deberent. *Minis autem Dei, minis æterni ignis prohiberis a malo, invitaris ad bonum.* Unde piget, nisi quia non credis? Excitiat ergo unusquisque cor suum, & videat, quid ibi fides teneat. Si timemus futurum Judicium, Fratres, bene vivamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus Judicii tunc erit. Pœnitebit & tunc, sed frustra pœnitebit: modo pœniteat, cum fructus est pœnitendi; modo adhibeatur ad radices arboris cophinus stercoris, cordis luctus, & lacrymarum, ne veniat, & eradicet. Cum enim eradicaverit, jam ignis expectatur. Modo etsi fracti sunt rami, possunt rursus inferi: tunc omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hæc S. Aug. Enarratione in Psal. xli. Igitur, *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* *Vigilate itaque, omni*

„ tem-

„ tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt,
 „ & stare ante Filium hominis. Verba sunt Christi Domini *Luce XXI.*

ARTICULUS IX.

Quo Symboli octavus Articulus explicatur.

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

CUM explicita fides in Spiritum Sanctum Christianis omnibus sit ad salutem necessaria, siquidem *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* baptizamur, & Fide in tres illas divinæ Trinitatis adorandas Personas remissionem peccatorum accipimus: adeo ut Apostolus Ephesius quibusdam respondentibus, *Neque si Spiritus Sanctus sit, audivimus*; statim reposuerit: *Act. 19. 2. 3.* *In quo ergo baptizati estis?* Ordine convenienti post ea, quæ in Symbolo de homine Christo dicta sunt, *Ad veritatem Personæ Unigeniti* pertinentia, ut loquitur S. *Augustinus*, adjungimus *Credere nos in Spiritum Sanctum, ut illa Trinitas compleatur, quæ Deus est.* *Enchiridii Cap. 56.*

§. I.

Quid proprie significet nomen Spiritus Sancti?

CUM nomen Spiritus Sancti æque de Patre, & Filio rectissime dicatur (uterque enim Spiritus est, & Sanctus) siquidem, ut Christus ait: *Spiritus est Deus: & Spiritus oris nostri Christus*, ut loquitur Propheta; cum etiam Angeli, & piorum Animæ hac voce significari possint; in hoc tamen Symboli Articulo, Spiritus Sancti nomine tertia Trinitatis Persona intelligitur, quo modo in sacris Litteris, tum Veteris nonnunquam, tum Novi Testamenti frequenter accipitur, ut *Psal. L. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* *Sapientiæ IX. Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?* *Ecclesiastici I. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.* *Matth. I. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* *Luc. III. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Rursus *Matt. XXVIII. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* *Idem II. ad Corinthios XIII. Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

Nemini autem mirum esse debet, quod tertiæ Personæ, quemadmodum primæ, & secundæ proprium nomen tributum non sit. Nam secunda Persona ideo proprium nomen habet, & *Filius* dicitur, quia ejus æternus a Patre ortus, proprie generatio vocatur. Ideoque & prima Trinitatis adorandæ Persona, a qua emanat, proprie *Pater* appellatur. Cum vero tertiæ Personæ productioni proprium nomen impositum non sit, sed *Spiratio*, & *Processio* appelletur: sequitur, ut etiam quæ producitur, proprio nomine careat. Nullum autem proprium nomen ejus emanatio habet, propterea quod nomina, quæ Deo tribuantur, a rebus creatis mutuari cogimur: in quibus quoniam nullam aliam naturæ, & essentiæ communicandæ rationem, quam generandi virtute agnoscimus; ob eam causam fit, ut rationem qua seipsum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non possimus. Ideo communi nomine tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona *Spiritus Sanctus* appellata est, ut explicant S. *Thomas*, & Concilii Tridentini Catechismus. Unde S. *Aug. Lib. xv. De Trinitate, C. XIX.* tertiæ Sanctissimæ Trinitatis Personam merito & Spiritum Sanctum, & Charitatem proprie nominari dicit: quia *Cum sit communis ambobus*, id est, ab utroque procedat; *id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter.* Et Libro XI. *De*

Matth. 28. 29.

Act. 19. 2. 3.

Enchiridii Cap. 56.

Joan. 4. Tren. 4.

Cur proprium nomen tertiæ personæ tributum non sit?

S. Thom. I. P. Q. 36. A. I.

Civitate Dei, Cap. xxiv. *Cum sit*, inquit, & *Pater Spiritus*, & *Filius Spiritus*, & *Pater Sanctus*, & *Filius Sanctus*, proprie tamen ipse vocatur *Spiritus Sanctus*, tamquam *Sanctitas substantialis*, & *consubstantialis amborum*. Cum enim vero nomen spiritus corporalibus in rebus, ex quibus ad divina translatum est, impulsione quamdam, & motionem significet: unde vento, & halitui, ac respirationi viventium nomen spiritus tribuitur: cum vero aliunde proprium sit amoris ut moveat, & impellat voluntatem amantis in amatum: tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona, quæ a Patre, & Filio procedit ut *Amor*, ut *Charitas*, ut *Communio ineffabilis* utriusque (ut Patres loquuntur) recte *Spiritus* appellatur. Quia vero sanctitas illis tribuitur rebus, quæ in Deum ordinantur: ideo Persona divina, quæ procedit ut amor, quo Deus amatur, convenienti nomine *Spiritus Sanctus* appellatur. Cujus etiam convenientia nominis ex eo intelligitur, quod spirituales vitam in nos infundat, ac sine Sanctissimi ejus Numinis afflatu nihil æterna vita dignum operari possimus.

§. II.

Spiritus Sanctus verus Deus est, Patri, & Filio æqualis.

HÆc verba Symboli, *Credo in Spiritum Sanctum*, manifeste declarant Spiritum Sanctum esse verum Deum, Patri, & Filio coæqualem. Nemo enim in creaturam ullam credit, aut summam in illa fiduciam collocat. Id sacrarum Litterarum testimonia clarissima confirmant. Nam cum S. *Petrus Actuum* v. dixisset: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* mox subdit, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quem prius Spiritum Sanctum appellaverat, eundem statim Deum vocat.

Præterea Apostolus *I. ad Corinthios* xii. divina Spiritus Sancti opera, beneficiaque percensens, ea promiscue Deo, ac Spiritui Sancto velut auctori tribuit. *Divisiones* (inquit) *gratiarum sunt, idem autem Spiritus ... Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quibus singillatim enumeratis, subjungit: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ubi & Deum aperte vocat Spiritum Sanctum, & parem ei, atque Patri, Filioque dignitatem, auctoritatem, indivisamque operationem tribuit.

Tertio, quod uni Deo Prophetarum adscribunt oracula, id a Spiritu Sancto pronunciatum dicit Apostolus *Actuum* xxviii. Dixerat *Isaias*: *Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggravata: & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat.* Quæ verba cum Apostolus proferret; Bene, inquit, *Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, &c.* Idem est igitur Dominus Deus, ac Spiritus Sanctus.

Quarto, idem probat Baptismi formula, in qua Deo Patri, & Filio tertius adjungitur Spiritus Sanctus in unum honoris, dignitatis, & efficientiæ consortium: ita ut sine ejus mentione inanis sit hæc actio. Nullum autem fructum ex Baptismo consequeretur, qui in nomine cujusvis creaturæ baptizaretur. Unde Apostolus ad *Corinthios* scribit: *Numquid in nomine Pauli baptizati estis? Ut ostenderet, hoc eis nihil ad salutem profuturum esse. Cum igitur in nomine Spiritus Sancti baptizemur, eum esse Deum credendum est. Baptizamur autem In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; non in nominibus. Ubi unum nomen audis, unus est Deus. Sicut de femine*

Abra-

Abrahæ dictum est, & exponit Paulus Apostolus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes: non dixit in seminibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno; & semine tuo, quod est Christus.* Sicut ergo, quia ibi non dicit *In seminibus*, docere voluit Apostolus, *Quia unus est Christus*; ita & hic cum dictum est, *In nomine*, non *in nominibus*, probatur unus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Animadversio hæc est S. Augustini, Tractatu sexto in Joannem.

Eundem porro trium personarum ordinem, quo Spiritus Sancti divinitas comprobatur, observare licet in Epistola I. S. Joannis Cap. v. *Tres sunt (inquit) qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt:* tum in illa Glorificationis antiquissima formula, qua divinæ laudes, & Psalmi concluduntur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Quæ quidem formula ad antiquam Traditionem merito refertur. Et quamvis nonnulla in præpositione diversitas fuerit, quibusdam dicentibus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; aliis, *Gloria Patri, per Filium, cum Spiritu Sancto*; aliis denique, *Gloria Patri, per Filium, in Spiritu Sancto*; eandem tamen in omnibus istis Glorificationis modis vim esse ad Spiritus Sancti divinitatem comprobendam, probat S. Basilius.

Theodor.
Lib. 2.
Hist. Eccles.
cap. 24.
Sozom.
Lib. 3. c. 19.
S. Basil. Lib
de Spiritu
Sancto.

Postremo, quæcumque Dei propria esse credimus, ea Spiritui Sancto convenire sacræ Litteræ testantur. Illi namque templorum honorem tribuunt, ut cum Apostolus ait: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus-Sancti?* Item sanctificationem, & vivificationem (II. Thessalon. II.) *In sanctificationem Spiritus.* Et *Scrutari omnia, etiam profunda Dei* (I. Cor. Cap. II.) Et per Prophetas loqui (II. Petri I.) *Non enim voluntate hominis allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu-Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et ubique esse (Sapientiæ I.) *Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Hæc autem omnia divino tantum Numini tribuenda sunt.

I. Cor. 6.

Ex his Scripturarum Sacrarum oraculis invicta contra Macedonium, & Macedonianos Hæreticos, qui Spiritum-Sanctum creaturam esse asserbant, argumenta instruxerunt Ecclesiæ Patres, SS. Athanasius, Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Basilius, Ambrosius, Didymus, Cyrillus Alexandrinus, alique Catholicæ Fidei de Spiritu-Sancti Divinitate vindices, ut constat ex Libris eode argumento editis. Unicum subtexo S. Augustini locum, *Enchiridii C. LVI. Spiritus-Sanctus si creatura, non Creator esset, profecto creatura rationalis esset, ipsa est enim summa creatura. Et ideo in Regula Fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa ejus parte, que in cælis est. Nec haberet templum, sed etiam ipse templum esset. Templum autem habet, de quo dicit Apostolus, „ Nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus-Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo? „ De quibus alio loco dicit, Nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? Quomodo ergo Deus non est, qui templum habet? Aut minor Christo est, cujus membra templum habet? Neque enim aliud templum ejus, aliud templum Dei est, cum idem dicat Apostolus, Nescitis, quia Dei templum estis. Quod ut probaret, adjecit: & Spiritus Dei habitat in vobis. Deus ergo habitat in templo suo, non solum Spiritus-Sanctus, sed etiam Pater, & Filius.*

I. Cor. 6.

Quamobrem & Concilium Romanum sub S. Damaso Pontifice Maximo, & Constantinopolitanum primum, inter Generalia secundum impiam Macedonii doctrinam, asserentis Spiritum-Sanctum esse creaturam, velut hæreticam damnarunt, istiusque Hæresis Auctorem, & Sectatores Anathemate confixerunt: ejusdemque Concilii Oecumenici Patres ad illam Hæresim refellendam hæc in Symbolo nusquam interituris apicibus confi-

gnata esse voluerunt: *Credimus in Spiritum-Sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum: qui locutus est per Prophetas.* Quod Spiritum-Sanctum Dominum confitentur, in eo declarant, quantum Angelis antecellat, qui tamen nobilissimi Spiritus a Deo conditi sunt. Illos enim omnes *Administratores Spiritus, in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* Apostolus esse testatur. *Vivificantem* vero appellant, quia anima cum Deo conjuncta longe melius, & excellentius vivit, quam corpus animæ conjunctione vegetetur, ac sustentetur. Hanc autem animæ cum Deo conjunctionem sacræ Litteræ Spiritui-Sancto tribuunt; ideoque Spiritus vivificans recte appellatur,

Hebr. 11.

Macedonianorum objectionibus respondetur.

Frustra contra Spiritus-Sancti divinitatem Macedoniani Hæretici objiciebant illa Christi verba, Joannis sexto: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a seipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* Non enim istius sententiæ sensus est, quod Spiritus-Sanctus ea tantum loqui possit, quæ audit, instar Legati, qui ab alio mittitur, & docetur; sed quod scientiam non habeat a seipso, sicut nec essentiam, quam accipit a Patre, & Filio, a quibus procedit. *Audire, illi scire est; scire vero esse* (inquit S. Augustinus Tractatu xcix. in Joannem.) *Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud, quam scientia.* Nec movere quemquam debet, quod verbum futuri temporis positum sit, *Quæcumque audiet, loquetur.* „ Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem, quod sempiternum est, sine initio, & sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis, & ineffabilis non recipiat, fuit, & erit, sed tantum, est: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est, Semper itaque audit Spiritus-Sanctus, quia semper scit: ergo & scivit, & scit, & sciet: ac per hoc & audivit, & audit, & audiet: quia hoc est illi audire, quod scire, & scire illi hoc est, quod esse. Ab illo igitur audivit, audit, & audiet, a quo est, ab illo est, a quo procedit.

1. Cor. 2. 10.

Quod autem Spiritus-Sanctus dicitur *Scrutari profunda Dei*, non significat hic loquendi modus inquisitionem eorum, quæ occulta sunt, & ignota, sed ibi usurpatur hoc verbum, *Scrutari*, prout significat perfecte nosse, non obscure, & quasi perfunctorie, Sic Deus, cui cordium nostrorum omnino explorata sunt arcana, *Renes, & corda scrutari* dicitur. *Nemo autem inferior superioris scrutatur interna: Divinæ enim solius est potestatis occulta novisse. Similiter scrutator est Spiritus Sanctus ut Pater, similiter scrutator ut Filius: cujus proprietate sermonis id exprimitur, ut videatur nihil esse, quod nesciat, quem nihil præterit* (inquit S. Ambrosius Libro II. De Spiritu-Sancto, Cap. xi.)

Jerem. 17.

Denique cum ait Apostolus ad Romanos VIII. *Ipsæ Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, non significat, quod gemitus, & oratio Spiritui-Sancto convenient, sed quod gratia sua, & efficaci in nobis operatione charitatis, quam in cordibus nostris diffundit, nos orantes faciat, nosque doceat orare, & gemere; ut explicat Origenes in Commentatio hujus loci, & S. Augustinus Epistola cxxx. ad Probam, alias cxxi.

Spiritus-Sanctus a Patre, & Filio procedit.

Spiritum-Sanctum a Patre, Filioque procedere, Dogma fidei est in Conciliis Generalibus Lugdunensi II. sub *Gregorio X.* & Florentino sub *Eugenio IV.* Pontificibus Maximis declaratum, finitum, ac firmatum, contra Græcorum errorem, qui in his Conciliis ejurato Schismate, professi sunt cum Ecclesia Latina Processionem Spiritus-Sancti a Patre, & Filio, quam antea pertinaciter negabant: quamvis ut leve, ac instabile est Nationis hujus ingenium, ab Ecclesiæ unitate rursus defecerint, ac in pristinos errores sint prolapsi. In Concilio porro Florentino convicti sunt a Latinis Præsulibus, ac Doctoribus, luculentis, & perspicuis testimoniis Græcorum pariter, atque Latinorum Patrum, qui summo consensu asserunt Spiritum-Sanctum a Patre, & Filio, aut, quod idem est, a Patre per Filium procedere; ex substantia Patris, & Filii esse; Filium fontem esse Spiritus-Sancti; Spiritum-Sanctum proprium esse Filii, consubstantialem Filio, Imaginem esse Filii, & alia id genus, quæ illius originem a Filio manifeste probant.

Divinarum autem Litterarum auctoritate Catholicum Dogma de Processione Spiritus-Sancti a Patre, & Filio maxime nititur. Nam Christus Dominus, cum de Spiritu-Sancto loqueretur, *Joannis xv.* dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propter eam dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Omnia, quæ Patris sunt, Filii sunt, idcirco quidquid a Patre accipit Spiritus-Sanctus, a Filio accipit, potestatem, scientiam, essentiam, quæ omnia in Deo unum sunt.

Præterea in Scripturis Sacris Spiritus-Sanctus nonnunquam Spiritus Christi, interdum Spiritus Patris appellatur: modo a Patre, modo a Filio mitti dicitur, ut æque a Patre, & Filio procedere, tamquam ab uno principio, non obscure significetur. *Rom. viii.* Cap. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et ad *Galatas* Cap. *iv.* *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* *Matth. X.* *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Cur ergo non credamus, quod etiam

de Filio procedat Spiritus-Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post Resurrectionem se representans Discipulis suis insufflasset, dicens, *Accipite Spiritum-Sanctum.* Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus-Sanctus & de ipso? Si ergo & de Patre, & de Filio procedit Spiritus-Sanctus; cur Filius dixit, De Patre procedit? Cur putas, Nisi quemadmodum ad eum solet referre, & quod ipsius est, de quo & ipse est? Unde illud est, quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui me misit.* Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est, & de ipso procedere Spiritus-Sanctus, ubi sic ait, *De Patre procedit*, ut non diceret, De me non procedit? A quo autem habet Filius, ut sit Deus? (Est enim de Deo Deus.) Ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus-Sanctus: ac per hoc Spiritus-Sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Sic disserit *S. Augustinus* Tractatu *xcix.* in *Joannem.*

Hinc etiam intelligitur, cur non dicatur natus esse, sed procedere Spiritus-Sanctus. Quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est, Filius quippe nullus est duorum, nisi Patris, & Matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium tale

Joann. 20.

Joan. 7.

Cur Spiritus-Sanctus non dicatur natus, sed procedens

„ aliquid suspicemur. Quia nec filius hominum simul & ex patre, & ex matre pro-
 „ cedit; sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre, &
 „ cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spi-
 „ ritus autem Sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio proce-
 „ dit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: quamvis
 „ hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque pro-
 „ cedat. Neque enim possumus dicere, quod non sit vita Spiritus-Sanctus;
 „ cum vita Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut Pater, cum habeat vitam
 „ in semetipso, dedit & Filio habere vitam in semetipso: sic ei dedit vitam
 „ procedere de illo, sicut procedit & de ipso. *Hæc S. Augustinus ibidem.*
 „ *Rationem alteram affert S. Augustinus Libro v. De Trinitate, C. xiv. cur*
 „ *Spiritus-Sanctus non sit Filius, quia scilicet procedit, Non quomodo natus,*
 „ *sed quomodo datus: neque enim natus est, sicut Unigenitus, neque factus,*
 „ *ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicut nos. Sicut autem Pa-*
 „ *ter, & Filius unus Deus, & ad creaturam relative unus Creator, & unus*
 „ *Dominus; sic relative ad Spiritum-Sanctum unum Principium.*

Quamobrem Ecclesia in Symbolo Constantinopolitano profitetur, & canit de Spiritu-Sancto: *Qui a Patre Filioque procedit*. Et in Symbolo, quod *S. Athanasii* nomen præfert: *Spiritus-Sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Hæc autem particula, *Filioque*, non ab ipsis Concilii Constantinopolitani Patribus inserta Symbolo est, sed ab Ecclesia sequentibus sæculis convenienter addita, ad majorem explicationem Fidei. Nam *Spiritum-Sanctum ex Filio procedere*, virtute continetur in illa sententia, *Qui ex Patre procedit*, quam Symbolum Constantinopolitanum, sensu a Nicæno nullatenus diversum, explicationis gratia habet.

J. IV.

Spiritus-Sancti Nomina, Attributa, & Effectus.

L. **D**iversa nomina Spiritui-Sancto in sacris Litteris tribuuntur. Ab operationibus suis vocatur Spiritus sapientiæ, intellectus, consilii, scientiæ, fortitudinis, pietatis, & timoris Domini, quia hæc dona in hominibus operatur. *Digitus Dei* dicitur, in quo Christus ejiciebat dæmonia; *Spiritus Paracletus*, id est, Consolator, quia consolatur nos in omni tribulatione nostra; sive *Advocatus*, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, ad postulandum nos movet. Unde & *Spiritus precum* a Propheta nuncupatur. *Spiritus reclusus*, qui deducit nos in viam rectam, a terrenis affectibus nos purgans, & ad cœlestia subvehens; a circuitu, in quo ambulant impii, nos revocans, & in viam rectam mandatorum Domini reducens. *Spiritus principalis*, qui confirmat nos, ut nullis erroribus, terroribus, aut amoribus hujus mundi a Christo separari valeamus. *Spiritus bonus*, quem dat Deus petentibus eum. *Spiritus adoptionis filiorum*, in quo clamamus, *Abba, Pater*. Tribuitur autem inprimis Spiritui-Sancto bonitas, & charitas; immo ipse *Amor* est & *Charitas substantialis, & consubstantialis* Patris, & Filii, qua uterque conjungitur, qua genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat; ut loquitur *Sanctus Augustinus* Lib. vi. *De Trinitate*, Cap. v. & Libro xv. Cap. xix. necnon *Tractatu* cv. in *Joannem*. Quod & Concilium Toletanum xi. confirmat. Hic Pax summa, & incomprehensa divinarum personarum est. *Tanta* (inquit *S. Augustinus*) *ibi est charitas Spiritus-Sancti, tanta pax unitatis, ut de singulis cum interrogatur, Deus tibi respondeatur; de Trinitate cum interrogatur, Deus tibi respondeatur. . . . Si charitas de tot animis fecit animam unam, & de tot cordibus fecit cor unum: quanta est charitas inter*

Patrem, & Filium? Major utique potest esse quam inter illos homines, quibus erat cor unum. Si ergo multorum fratrum cor unum propter charitatem, & multorum fratrum anima una propter charitatem: Deus Pater, & Deus Filius dicturus es, quia duo sunt? Si duo Dii sunt, non est ibi summa charitas. Si enim hic tanta charitas est, ut animam tuam, & animam amici tui unam animam faciat, quomodo non est ibi unus Deus Pater, & Filius? Hinc S. Bernardus Sermone VIII. in Cantica, Spiritum-Sanctum Osculum Patris, & Filii appellat, qui utriusque Imperturbabilis Pax sit, gluten firmum, individuus Amor, individua unitas. Et Sermone I. in Octavis Paschæ: Spiritus, inquit, est indissolubile vinculum Trinitatis, per quem sicut Pater, & Filius unum sunt, sic & nos unum sumus in ipsis.

II. Donum etiam appellatur Spiritus-Sanctus. Donatio enim proprie appellatur, cum quis dat aliquid ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, idque sponte omnino, & nulla necessitate, nec propter ullam aliam causam, quam ut liberalitatem, & magnificentiam exerceat. Ratio autem gratuitæ donationis est amor. Ideo enim aliquid gratis alicui damus, quia illi bonum volumus. Amor igitur primum donum est, per quod cetera donantur. Unde cum Spiritus-Sanctus a Patre, & Filio procedat, ut Amor, primum donorum omnium est, quæ in creaturas a Deo impendantur, ac per ipsum deinceps reliqua donantur. Porro Spiritum-Sanctum personale Dei Donum esse multis Scripturæ Sacræ testimoniis demonstratur. Inprimis ex illis Christi ad mulierem Samaritanam verbis: *Si scires Donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Aquam autem vivam de Spiritu-Sancto alibi S. Joannes interpretatur. Igitur Spiritus-Sanctus est Dei donum. Idem colligitur ex his S. Pauli verbis: *Unicuique nostrum datur gratia secundum mensuram donationis Christi.* Hæc enim Christi donatio, sive Donum, Spiritus-Sanctus est: siquidem *Ascendens Christus in altum dedit dona hominibus*, id est, Spiritum-Sanctum. Et ex S. Petro in Actis Apostolorum: *Baptizetur unusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus-Sancti.* Donum autem Spiritus-Sancti nihil est aliud hoc in loco, quam Spiritus-Sanctus. Porro ob hoc *dona* dixerunt & Propheta, & Apostolus, *Quia per donum, quod est Spiritus-Sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, alii alia: quamvis ipsum Donum, a quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id est, Spiritum-Sanctum* (inquit S. Augustinus Libro xv. De Trinitate, C. xix.) *In tantum porro Donum Dei est, in quantum datur eis, quibus datur. Apud se autem Deus est, etsi nemini datur, quia Deus erat Patri & Filio coeternus antequam cuiquam daretur. Nec quia illi dant, ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim datur sicut Donum Dei, ut etiam se ipsum det sicut Deus. Non enim dici potest non esse suæ potestatis, de quo dictum est, Spiritus, ubi vult spirat; & apud Apostolum, Omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult. Non est illic conditio dati, & dominatio dantium, sed concordia dati, & dantium. Quapropter si sancta Scriptura proclamatur, Deus charitas est; illaque ex Deo est, & in nobis id agit, ut in Deo maneamus, & ipse in nobis, & hoc inde cognoscimus, quia de Spiritu suo dedit nobis, ipse Spiritus est Deus charitas. Deinde si in donis Dei nihil majus est charitate, & nullum est majus donum Dei, quam Spiritus-Sanctus, quid consequentius, quam ut ipse sit Charitas, qui dicitur & Deus, & ex Deo?*

Cum Donum sit Spiritus-Sanctus, & donum referatur & ad eum, qui dat, & ad eos, quibus datur, Spiritus est & Dei, qui dedit, & noster, qui accipimus.

SpiritusSanctus
Donum
Patris, &
Filii.

Joann. 4. &
7.

Ephes. 1:

Joan. 23.
1. Cor. 12.

1. Joann. 4.
8.

mus. Et quamvis in tempore sit donatus, ab æternitate tamen Donum est: quia *Sic procedebat, ut esset donabile. Aliter enim intelligitur, cum dicitur Donum, aliter, cum dicitur donatum. Nam donum potest esse, & ante quam detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest* (inquit S. Augustinus Libro v. De Trinitate, C. xv.) Ideo vero Scriptura Sacra, & Patres Spiritum-Sanctum Donum Dei esse prædicant, *Ut Deum credamus non se ipso inferius Donum dare* (inquit idem Sanctus Doctor Libro De Fide, & Symbolo, C. ix.)

- III. Datur autem nobis Spiritus-Sanctus, ut nos vita gratiæ vivificet, atque sanctificet. Hinc Deus per Prophetam, *Dabo, inquit, vobis Spiritum, & vivetis*. Hinc S. Basilius Libro De Spiritu-Sancto, C. ix. Spiritum-Sanctum vocat *Sanctificationis originem*. Item, *Substantiam vivam, Sanctificationis arbitram*. Ideo & alii Græci Patres duo quædam Adamo, cum primum creatus est, a Deo indita fuisse docent; imaginem scilicet Dei, quæ in ratione, ac sui juris arbitrio consistit, & similitudinem, quæ virtute, ac sanctitate constabat. Hunc posteriorem statum per Spiritum-Sanctum illius animæ tributum fuisse, quo Deus eam afflavit. Hoc enim esse *Spiraculum vitæ*, quod Deus inspirasse homini de terra formato legitur. Spiritum (inquam) Sanctum illi existimant appellari istum Dei afflatum, qui divinam in nobis similitudinem efficeret. Quæ cum primi hominis culpa funditus extincta esset, eam a secundo Adamo Christo Domino reparatam fuisse, eodem restituto Spiritu: quem etiam ad illud significandum, Apostolis suis halitu suo inspiravit, *Joannis XX*. Sic inter alios S. Cyrillus Alexandrinus Libro XIII. Thesauri. *Participes facti Spiritus*, (inquit) *ad Conditoris imaginem formamur. Manifestum igitur est, similitudinem hanc cum Deo obtineri non posse, nisi particeps quispiam sit Sancti Spiritus. Rursus vero Redemptor noster, ut in homine statum illum, qui ad imaginem erat, instauraret, insufflavit Discipulis suis dicens, Accipite Spiritum Sanctum. Quod igitur habet renovatio, hoc ipsum omnino antiquiorem illum statum habuisse par est intelligere. Quamobrem perfectam divinæ substantiæ imaginis expressionem, Spiritus-Sancti participatio largitur homini. Itaque Spiritus-Sanctus est Spiritus, qui vivificat. Ille est ex quo in Baptismo renascimur, eodem scilicet Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem, ut loquitur S. Leo. Ille, qui vim sanctificandi aquis tribuit; in cuius rei typum initio mundi Ferebatur super aquas (Genes. i.) *Ne mirum sit in Baptismo si aquæ animare noverunt Supervenit Spiritus de cælis, & aquis super est, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt* (inquit Tertullianus Libro De Baptismo, C. III. & IV.) Ea autem regeneratione cœlesti spiritales homines efficiuntur per Spiritum-Sanctum. Quod enim *Natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est*. Vitam illam spiritalem reparat, si quando ab ea per peccatum excidimus; siquidem a peccato resurgere sine ipsius Numine non possumus. Unde cum Apostolus I. ad Corinthios VI. gravissima peccatorum genera percensuisset, subdit: *Et hæc quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*. Anima nostra charitate vivit: vita enim animæ Deus est: *Deus autem charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. At *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis*. Hic est, qui nos justos facit. In Christum enim credentes *Signati sumus Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ*. Gratia sanctificante, quam nobis impertit, naturæ divinæ participes*
- Ezech. 37. Spiritus-Sanctus nostræ sanctificationis origo, & arbiter,
- Joann. 3.
1. Joann. 4.
- Rom. 5.
- Ephes. 1.

icipes efficiamur, filii Dei nominamur, & vere sumus. Est siquidem Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater) ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Rom. 8.

Non solum autem hominem sanctificat Spiritus-Sanctus, sed & Angelos sanctificavit: non solum homines sanctos, qui post Christi adventum vixerunt, sed & illos, qui ante illius adventum Deo placuerunt, qui sub Lege non erant, sed sub gratia, & ad Novum Testamentum pertinebant, implentes Legem Dei fide, quæ per dilectionem operatur, in spe bonorum non temporalium, sed æternorum; præcipue credentes in Mediatorem Christum venturum, per quem sibi non dubitabant Spiritum gratiæ subministrari, ut bene mandata legis impleant, & sibi ignosci posse cum peccarent, ut loquitur Sanctus Augustinus.

IV. Non sola porro gratiæ, & charitatis, virtutumque, ac donorum ceterorum infusione, sed intima, substantiva, & personali sui Numinis inhabitatione sanctificat nos Spiritus-Sanctus, ut SS. Patres docent. Si quis diligit me (inquit Christus) sermones meos servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. In hoc cognoscimus (inquit S. Joannes) quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam ipse de Spiritu suo dedit nobis. Non ita vero Pater, & Filius ad nos veniunt, ut iis advenientibus Spiritus-Sanctus abscedat, qui templum illis cordis nostri paravit, & adornavit, sed ut simul cum illis in templo quoque suo inhabitet, ac maneat. Alium Paracletum dabit vobis (inquit Christus) ut maneat vobiscum in æternum Apud vos manebit, & in vobis erit. Quomodo enim fingi posset, divinas Personas, quæ sibi mutuo inexistunt, non solum propter unitatem summam, & incomprehensam voluntatis, concordiæ, charitatis, sed etiam essentia, ac Deitatis ab invicem posse divelli in humani animi inhabitatione? Quomodo Filio adveniente recederet Spiritus-Sanctus, qui Christo semper adest, ut ejus, Patrisque Spiritus. Nascitur Christus (inquit S. Gregorius Nazianzenus) præcurrit Spiritus. Baptizatur ille: Hic testimonium fert. Tentatur ille: hic adducit. Miracula edit ille: hic comes est. Ascendit ille: Hic succedit. Nec tamen sic succedit, ut Christus abscedat, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: & Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: & per Apostolum: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Neque hoc sensu Vicariam vim Spiritus-Sancti Tertullianus appellat, quod ab Ecclesia sua, vel a iustorum animabus Christus absit, nec eas Deitate sua, & substantiva præsentia inhabitet; aut quasi sit inferior Spiritus-Sanctus Filio, cujus ratione quadam Vicarius dicitur: sed quia corporalis Christi præsentia vices supplet; ipsiusque humano affectu, quo sacræ humanitati hærebant, mutato, & in spiritali affectum, quod munus est Spiritus Sancti, converso. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos! (inquit Christus Dominus.) Hoc est, mitto vobis donum, quo efficiamini spirituales: Donum scilicet Spiritus-Sancti. Spirituales autem fieri non poteritis, nisi carnales esse destiteritis. Carnales vero esse destiteritis, si forma carnis a vestris oculis auferatur, ut forma Dei vestris cordibus inseratur. Sic explicat S. Augustinus Sermone cclxx. alias xxii. ex editis a Sirmondo. Atque ex hac inhabitatione Spiritus-Sancti in nobis ejus divinitatem Patres confirmant; inter alios S. Cyrillus Alexandrinus Libro 1. in Joannem. Eam ob rem (inquit) dii nuncupamur, non gratia solum ad supernaturalem gloriam evecti, sed quod Deum jam in nobis habitantem

Substantiva & personali sui Numinis inhabitatione Spiritus-Sanctus nos sanctificat. Joann. 14. 23. 1. Joan. 4. 16. Joann. 14. 16.

Oratione 37. Matth. 28. 20. Joann. 14. 23. 1. Joann. 4. 16.

Joann. 16.

Levit. 26. 12. *bitantem, atque diversantem habeamus, juxta illud Prophetæ: Quia habitabo in ipsis, & inambulabo inter eos. Alioqui respondeant nobis quomodo templum Dei simus, juxta Paulum, inhabitantem in nobis Spiritum habentes, nisi Spiritus sit natura Deus.*

1 Cor. 6. 16. *Et S. Augustinus Libro I. De Moribus Ecclesiæ Catholice, Cap. XIII. Fit ergo per charitatem (inquit) ut conformemur Deo, & ex eo conformati, atque configurati, & circumcisi ab hoc mundo, non confundamur cum iis, quæ nobis debent esse subjecta. Fit autem hoc per Spiritum-Sanctum. Spes enim (inquit) non confundit; quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis. Nullo modo autem redintegrari possemus per Spiritum-Sanctum, nisi & ipse semper integer, & incommutabilis permaneret. Quod profecto non posset, nisi Dei nature esset, ac ipsius substantiæ, cui soli incommutabilitas, atque, ut ita dicam, invertibilitas semper est. Creatura enim vanitati subjecta est. Neque nos potest a vanitate separare, veritatique connectere, quod subjectum est vanitati. Et hoc nobis Spiritus-Sanctus præstat. Creatura igitur non est. Quia omne quod est, aut Deus, aut creatura est.*

Rom. 5. *V. Quod Spiritus-Sanctus vita sit animarum, nemo negaverit, qui infusam animæ vitam immortalem Spiritus-Sancti aliquando in corpora noverit refundendam, ut ad vitam gloriosam, & æternam suscitentur, ut docet Apostolus ad Romanos VIII. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ille est, per quem Christianus vivit, quo nisi intus vegetetur, vere dicere non potest: Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus. Non sufficit habere Baptismum Christi, nisi habeas & Spiritum Christi. Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ad Christi corpus pertinere videtur, & membrum illius esse secundum formam externam, sed revera membrum mortuum, & aridum est: Habet formam, sed non habet vitam. Queris ab illo Sacramentum, invenis: Queris Baptismum, invenis: Queris Symbolum, invenis. Forma est. Nisi intus Spiritu vegeteris, frustra foris de forma gloriaris. Verba sunt S. Augustini Sermone cclxxviii. alias xx. ex editis a Sirmondo. Spiritus-Sanctus facultates animæ, habitusque omnes impellit ad vitæ opera. Illa est Unctio, quæ docet nos de omnibus ad salutem necessariis. Ille (inquit Christus) docebit vos omnem veritatem.... Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixerò vobis. Non sufficit legis scientia monens exterius, nisi adsit Magister intus docens, & ad cor loquens Spiritus-Sanctus. Ille est, qui in Sanctis loquitur: Non enim vos estis, qui loquimini (ait Christus) sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ille est, qui refellebat, & vincebat per S. Stephanum eos, Qui non poterant resistere Sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Ille est, sine quo non possumus dicere Dominum Jesum. Ille est, cujus tam multiplex vitæ fructus in Sanctis efflorescit, Apostolo teste: Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hi vitæ multiplicis fructus, de Spiritu-Sancto, per animam, quam vegetat, pullulantes.*

1. Joann. 2. 27. *Spiritus-Sanctus animarum vita.*

Joann. 14. 26. *VI. Sed eo præsertim nos vivificat, quod charitatem in cordibus nostris diffundit; immo ipse charitas subsistens est. Unde S. Augustinus Libro VIII. De Trinitate, Cap. VIII. Amplexere, inquit, dilectionem Deum, & dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio, quæ omnes bonos Angelos, & omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis, nosque, & illos conjungit invicem nobis, & subjungit sibi. Non nisi Deo diligi potest Deus. Deus est quem*

Joann. 16. 13. *Spiritus-Sanctus.*

Matth. 10. 20. *Charitas subsistens.*

Act. 6. 10. *Charitas subsistens.*

1. Cor. 12. 3 Gal. 5. 22. *Charitas subsistens.*

quem diligimus: Deus, quo diligimus. Infunditur Deus ipse, seque ipsum dat nobis, ut diligatur se ipso. *Dedit se ipsum, quem dileximus, dedit, unde diligeremus.* Quid enim dedit, unde diligeremus, apertius audite per Apostolum Paulum. *Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris. Unde? Num forte a nobis? Non. Ergo unde? Per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis. Ideo est consequens, ut quia Spiritus-Sanctus Deus est, nec diligere possumus Deum nisi per Spiritum-Sanctum, amemus Deum de Deo.*

VII. Spiritum-Sanctum bis Apostolis suis dedit Christus, post Resurrectionem scilicet suam, & post Ascensionem. *Unum dedit, & unus dedit, unitati dedit; & tamen bis dedit.* Primo, postea quam resurrexit, dixit Discipulis suis, *Accipite Spiritum-Sanctum; & insufflavit in faciem eorum.* Deinde promittit adhuc se missurum Spiritum-Sanctum: *Et ego, inquit, mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini Virtute ex alto.* Decem post Ascensionem suam diebus promissum implevit, Spiritum-Sanctum misit. Bis autem dedit Spiritum-Sanctum, ut duo præcepta charitatis commendaret. *Una charitas, & duo præcepta: unus Spiritus, & duo data.* Non enim alius datus est prius, & alius datus est postea: quia non alia charitas diligit proximum, quam illa, quæ diligit Deum: sed quia aliud est Deus, aliud proximus; una charitate diliguntur, non sunt tamen unum, qui diliguntur: quia ergo magna est primitus commendanda dilectio Dei, secunda dilectio proximi; a secunda autem incipitur, ut ad primam perveniatur: Si enim fratrem quem vides, non diligis, Deum quem non vides, quomodo diligere poteris? *Ideo forte informans nos ad dilectionem proximi, dedit in terra conspicuus, & proximis proximus Spiritum-Sanctum, insufflando in faciem eorum; & ab hac maxime charitate, quæ in cælis est, de cælo misit Spiritum-Sanctum. Spiritum-Sanctum accipe in terra, & diligis fratrem: Accipe de cælo, & diligis Deum. Quia & in terra, quod accepisti, de cælo est. In terra Christus dedit, sed de cælo est, quod dedit, Ille enim dedit, qui de cælo descendit. Hic invenit, cui daret, sed inde attulit, quod daret.*

VIII. Quia vero denario numero Lex decem præceptis constans significatur, Spiritum-Sanctum decimo post Ascensionem suam die Christus in Ecclesiam suam misit, ut Legem per gratiam Sancti-Spiritus impleri demonstraret. *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Ergo missus est Spiritus-Sanctus, ut Lex impleretur, & fieret, quod ipse Dominus dixerat, *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Hoc donat Fidelibus, hoc donat eis, quibus dat Spiritum-Sanctum. *Quanto fit eo quisque capacior, tanto ad operandam legem fit facilior.* Nam *Charitas implet legem.* Ita S. Augustinus Sermone CCLXX. alias XXII. ex editis a Sirmondo.

Et Libro De Spiritu, & Littera, Cap. XIX. *Lex (inquit) sine adjuvante Spiritu proculdubio est littera occidens: cum vero adest vivificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligere, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Et Cap. XXI. *Quid sunt ergo leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus-Sancti, qui est digitus Dei, quo præsentem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & præcepti finis?*

IX. Spiritum-Sanctum jam habebant in se manentem Discipuli Christi; in se inhabitantem habuerant, quotquot per Christi venturi fidem fuerant ante illius Passionem, & Adventum sanctificati: sed tamen visibili modo in homines missus non fuerat, neque cum ea spiritualium donorum copia effusus, ac datus. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Jesus erat glorificatus.* Unde S. Leo Sermone II. De Pentecoste, ait: *Cum in die Pentecostes Discipulos Domini Spiritus-Sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis: quoniam & Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, &*

Deum amare non possumus nisi de Deo. Rom. 5.

Cur Christus Spiritum-Sanctum bis dedit Apostolis? Joann. 20. Luc. 24

1. Joann. 4.

Spiritus-Sanctus, cur in Ecclesiam missus decimo post Ascensionem Christi die? 2. Cor. 3. Matth. 3.

Joan. 7. 39.

omnes

omnes Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus-Sancti sanctificatione vegetati. Accepit Christus primitias naturæ nostræ, ac Spiritus-Sancti gratiam nobis retribuit. Et quemadmodum post diuturnum bellum fieri solet, cum dirempta pugna fuerit, & confecta pax, qui sibi invicem infensi erant, pignora mutuo sibi dant, & obsides, sic inter Deum, & naturam humanam evenit. *Pro pignoribus, & obsidibus, ipsa primitias misit, quas in cælum tulit Christus. Nobis ille Spiritum-Sanctum pignoris, & obsidis loco remisit* (inquit S. Joannes Chrysostomus Sermone De Sancta Pentecoste.) Hinc Apostolus II. ad Corinthios I. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quod in fide firmi, ac immobiles stamus, non nostræ facultatis est, sed divini muneris, sed Spiritus-Sancti, qui & Apostolos die sacro Pentecostes confirmavit, ut Christi nomen, & Evangelium intrepide prædicarent. Eodem Spiritu interiori uncti sumus, & signati: divinaque illa unctione Prophetæ, Sacerdotes, & Reges effecti. Nam & futurum est, ut Regno cælesti potiamur; & jam reges sumus, si nostris cupiditatibus dominemur. Sacerdotes vero, cum corpora, & membra nostram hostiam viventem, sanctam, Deo placentem offerimus. Prophetæ tandem: ea enim nobis patefacta sunt, *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.* Quæ, ut aliquando nos consecuturos confidamus, arrham, & Pignus dedit Christus Spiritum-Sanctum: *Ut hujus pignore totum te accepturum confidas* (inquit S. Joannes Chrysostomus Homilia III. in Epistolam secundam ad Corinthios.)

1. Cor. 3.

Cur Spiritus-Sanctus in igneis linguis apparuit?

Exod. 19.

X. Spiritus-Sancti descensus in Apostolos, & Discipulos Christi, sive in totam Ecclesiam in Cænaculo congregatam, *Joelis II.* prædictus, & die Pentecostes impletus *Actuum* Cap. II. describitur. In specie linguarum ignearum apparuit, & supra singulos sedit, qui in columbæ specie supra Christum descenderat, & manserat, cum in Jordane baptizatus est a Joanne. Verus fuit ignis in forma linguarum dispersitus, vera columba: non enim decebat, ut homines falleret Spiritus veritatis: sed neque columba, neque linguæ igneæ a Spiritu-Sancto in unitatem Personæ assumptæ sunt, sed tantum, ut signa ejus Numini servierunt. *Apparuerunt Apostolis dispersitæ linguæ tamquam ignis*, ut significaretur, eundem Deum, qui Legem Mosi in Monte Syna, in medio ignis dederat, nunc Legem novam, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, digito suo, id est, Spiritu-Sancto scriptam, in igne mentes illuminante, animos accendente, peccatorum spinas confumens, sancire, promulgare. „ Sicut Hebræo quondam populo „ ab Ægyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem Agni Lex data „ est in Monte Syna (inquit S. Leo), ita post Passionem Domini, qua verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo a Resurrectione ipsius die, in „ Apostolos plebemque credentium Spiritus-Sanctus illapsus est, ut facile „ diligens Christianus agnoscat initia veteris Testamenti Evangelicis ministrasse principiis, & ab eodem Spiritu conditum Fedus secundum, a „ quo primum fuerat institutum.

Secundo, Spiritus-Sanctus in igneis linguis apparuit, ut illius operatio propria designaretur. Quamvis enim in tribus divinis Personis, nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis sit ulla diversitas, Ita tamen *divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus Sanctus igniret* (inquit S. Leo Sermone III. de Pentecoste.) Lumen est scilicet, ac ignis divinus, ignis: charitas; qui & *Verbum Domini lucidum, & eloquium ignitum* Apostolis subministravit, cui *ad creandum intellectum, consumendumque peccatum, & efficaciam illuminandi, & vis inesset urendi.* Hic *Inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectio-*

lectionis, signaculum castitatis, & totius est causa virtutis. Illaque significatio, quæ in specie ignis apparuit, & opere perseverat, & munere. Ipse enim Spiritus veritatis facit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, & in templo suo nec tenebrosus aliquid vult esse, nec tepidum. Verba sunt S. Leonis Sermone I. De Pentecoste.

XI. In specie linguarum Spiritus-Sanctus advenit. 1. Ut singulis Apostolis orbis terrarum regiones docendas veluti distribueret, eisque demandatam a Christo prædicandi Evangelii provinciam confirmaret, dotisque ad Ministerium exequendum necessarias se impertire significaret. *Et repleti sunt omnes Spiritu-Sancto, & cœperunt loqui linguis, prout Spiritus-Sanctus dabat eloqui illis (inquit S. Lucas Actuum II.) O quam velox est sermo sapientiæ, & ubi Deus magister est, quam cito discitur, quod docetur! Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium; sed spirante, ubi voluit Spiritu veritatis, propriæ singularum gentium voces factæ sunt ex Ecclesiæ ore communes (inquit S. Leo Sermone I. De Pentecoste.)*

Secundo, in specie linguarum apparuit, ut terrarum orbem in unitatem fidei congregaret. Cum enim olim homines superbia elati turrim extruere voluerint, quæ ad cælum usque pertingeret, & invec̄ta divisione linguarum pravam illorum coitionem, & concordiam dissipaverit Deus: idcirco in specie linguarum ignearum die sacro Pentecostes in humiles Christi Discipulos Spiritus-Sanctus illabatur, ut illorum Ministerio terrarum orbem divisum jungat, & in unius Fidei, ac Religionis concordiam reducat.

Tertio, ut donum ipsum linguarum Apostolis a Spiritu-Sancto datum hoc signo demonstraretur. Quo quidem admirabili dono Ecclesiæ unitas commendata est, quæ toto orbe diffusa, Gentium omnium linguis loquitur.

Has rationes S. Chrysostomus affert Sermone De Sancta Pentecoste, & S. Augustinus Sermone CCLXXI. alias De Tempore, CLXXXVII. *Flatus ille, inquit, a carnali palea corda mundabat; ignis ille fenum veteris concupiscentiæ consumebat; lingue ille, quibus loquebantur a Spiritu-Sancto impleti, per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam præfigurabant. Sicut enim post diluvium superba impietas hominum turrim contra Dominum edificavit excelsam, quando per linguas diversas dividi meruit genus humanum, ut unaqueque gens lingua propria loqueretur, ne ab aliis intelligeretur: sic humilis Fidelium pietas earum linguarum diversitatem Ecclesiæ contulit unitati; ut quod discordia dissipaverat, colligeret charitas, & humani generis tamquam unius corporis membra dispersa ad unum caput Christum compaginata redigerentur, & in sancti corporis unitatem dilectionis igne conflarentur.*

„ In igne Spiritus Sanctus apparuit, quia incorporeus, ineffabilis atque invisibilis ignis est

„ Deus: *Deus noster ignis consumens est* (inquit Apostolus ad Hebræos XII.)

„ Deus quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur.

„ De hoc igne Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo,*

„ *nisi ut ardeat?* Terra vocata sunt corda terrena: sed ignem Dominus in

„ terram mittit, cum afflatu Sancti Spiritus corda carnalium incendit. Et

„ terra ardet, cum cor carnale in suis pravis voluptatibus frigidum re-

„ linquit concupiscentias præsentis sæculi, & incenditur ad amorem Dei.

„ In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus cœternus est

„ Filio; & habet cognationem maximam lingua cum verbo. Verbum quippe

„ Patris est Filius. Et quia una est Spiritus, & Verbi substantia, idem

„ Spiritus monstrari debuit in lingua. Vel certe, quia per linguam pro-

„ dit verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia quisquis Sancto-Spiritu

„ tangitur, Dei Verbum, idest unigenitum Dei Filium, confitetur. Vel

„ certe *In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ar-*

den-

Luc. 12. 49.

dentes pariter, & loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent: quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otiosus est sermo docentis, si præbere non valet incendium amoris (inquit S. Gregorius Magnus Homilia xxx. in Evangelia.)

S. V.

Dispositiones ad suscipiendum Spiritum-Sanctum.

Dispositiones ad Spiritum-Sanctum recipiendum tribuit ipse divinus Spiritus, vel jam inhabitans, vel movens. Discipulorum Christi animos jam inhabitabat, cum in illos sacro die Pentecostes illapsus est; ideoque illos adornavit, ac præparavit congruis dispositionibus, *Ut sacrata sibi pectora & ferventius accenderet, & copiosius inundaret, cumulans sua dona, non inchoans; nec ideo novus opere, quia ditior largitate (inquit S. Leo.)* Nondum inhabitabat, sed tamen movebat *Cornelium*, & alios Gentiles, in quos ante quam Baptismum suscepissent, venit, stupentibus ex Circumcisione Fidelibus, *Petri*, comitibus, quod & in Nationes effusa esset Spiritus-Sancti gratia.

Serm. 3.
De Pent.Dispositio
prima, est
Pœnitentia.

I. Prima dispositio Christianis hominibus ad recipiendum Spiritum-Sanctum necessaria, est expiatio conscientiæ per pœnitentiam ferventem. Quod ignis symbolo significatum est, cujus in specie in Apostolos descendit. Audiendus ea de re *S. Gregorius Magnus Homilia xxx. in Evangelia*, ubi rationem affert, cur Spiritus-Sanctus super Christum in columba super Discipulos in igne apparuerit. „ Unigenitus (inquit) Dei Filius Judex est generis hu-
„ mani. Sed quis ejus justitiam ferret, si prius quam nos per mansuetudi-
„ nem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset?
„ Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit: noluit pec-
„ catores ferire, sed colligere; prius voluit mansuete corripere, ut habe-
„ ret, quos postmodum in judicio salvaret. *In columba ergo super eum de-
buit apparere Spiritus, qui non veniebat, ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contra super Discipulos in igne debuit Spiritus-Sanctus demonstrari, ut hi, qui erant simpliciter homines, at-
que ideo peccatores, eos contra semetipsos spiritualis fervor accenderet, & pec-
cata, quæ Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent.... Igitur per columbam Spiritus in Redemptore monstratus est, per ignem vero in hominibus: quia quanto nobis nostri Judicis facta est severitas temperata; tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensa.*

Pœnitentiæ
fervorem
Spiritus
Sanctus in
nobis opera-
tur.

Pœnitentiæ porro fervorem in nobis ipse Spiritus-Sanctus misericorditer operatur. Ut enim declinemus a malo, & faciamus bonum, quæ duo sunt animi pœnitentis officia, ipse adjuvat infirmitatem nostram. Ad declinandum a malo, tria operatur in nobis, *Compunctionem, supplicationem, remissionem.* Si quis ergo prius in iniquitate frigidus erat, & postmodum fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium Spiritum, qui suum arguit de peccato, non dubitet advenisse. Sed quid prodest pœnitere de culpa, & non supplicare pro venia? Necessè est, ut hoc etiam Spiritus-Sanctus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fidenter postulet, nullatenus hæsitans. Ipse nimirum *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sicut autem in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat nobis cum Patre. Unde Remissio peccatorum Spiritui-Sancto tribuitur, quia divina bonitate, & misericordia remittuntur. *Accipite Spiritum-Sanctum (inquit Christus) Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Ad bonum deinde operandum *monet, movet, docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem.* Hæc *S. Bernardus Sermone i. in Festo Pentecostes.*

Rôm. 8. 26.

Joan. 20. 23.

II. Dispositio altera ad recipiendum Spiritum-Sanctum, est humilitas. *Dispositio altera, humilitas. Isai. 57.*
Quia hæc dicit Excelsus, & sublimis habitans æternitatem: Et sanctum nomen ejus in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum. Qui humiles spiritu salvabit, qui humilia respicit, & alta a longe cognoscit, Spiritum-Sanctum suum superbis non impertit, sed humilibus. Capitur per humilitatem, repellitur per superbiam. Aqua est enim, cor humile tamquam locum concavum querens, ubi consistat. Elatione autem superbiæ, tamquam tumore collis, repulsa labitur: unde dictum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quid est, dat gratiam? Dat Spiritum-Sanctum. Implet humiles, quia capaces invenit. Verba sunt S. Augustini Sermone cclxx. alias xxii. ex editis a Sirmondo.

III. Dispositio tertia ad recipiendum Spiritum-Sanctum, est castitas mentis, & corporis: non habitat enim in anima coinquinata, & in corpore subdito peccatis. *Dispositio tertia, castitas. Genes. 6.*
Cum omnes templum simus, illato in nos, & consecrato Spiritu-Sancto, ejus templi editua & antistita pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Verba sunt Tertulliani, initio Libri secundi De Cultu Feminarum. Constans est Domini sententia: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Ne vero quis existimet se ad recipiendum Spiritum-Sanctum paratum esse, si fornicando in corpus suum non peccaverit, si vas suum possideat in sanctificatione, & honore, & tamen spectacula frequentet, in quibus ipse mulierum, & virorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se, De commercio scintillas libidinum conflagrant: in quibus denique ineundis?
Nemo prius cogitat, nisi videri, & videre... Deus præcepit Spiritum-Sanctum, utpote pro naturæ suæ bono tenerum, & delicatum, tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare.... Huic quomodo cum spectaculis poterit convenire? Omne spectaculum sine concussione spiritus non est... Nam etsi quis modeste, & probe spectaculis fruitur, prodignitatis, & ætatis, vel etiam naturæ suæ conditione; non tamen immobilis animi est sine tacita spiritus passione. Nemo ad voluptatem venit sine affectu, nemo affectum sine casibus suis patitur. Ipsi casus incitamenta sunt affectus. Ceterum si cessat affectus, nulla est voluptas, & est reus jam ille vanitatis, eo conveniens, ubi nihil consequitur. Puto autem etiam vanitas extranea est nobis. Verba sunt Tertulliani Lib. De Spectaculis, Cap. xv. & xxv.

IV. Dispositio quarta ad recipiendum Spiritum-Sanctum, est oratio. *Dispositio quarta, oratio. Act. 1.*
Apostoli post Ascensionem Christi Domini Erant perseverantes unanimiter in oratione, ut ad Spiritum-Sancti adventum se præpararent: ipsiusque Numen ferventissimis desideriis invocabant. Et quoties Spiritum-Sanctum aliis impetrare voluerunt, toties orationem cum manuum impositione adhibuerunt. Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum-Sanctum. Unde S. Augustinus Libro xv. De Trinitate, Cap. xxvi. De Christo sic loquitur: Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum-Sanctum? Immo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum-Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.

V. Dispositio quinta ad recipiendum Spiritum-Sanctum, est charitas, quam ipse in cordibus nostris diffundit. *Dispositio quinta, Charitas. Joaa. 4.*
Si quis diligit me (inquit Christus) mansionem meam servabit: Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansorem apud eum faciemus. Qui enim amicus est hujus mundi, qui totus in maligno positus est, aut diligere se Deum mentitur, cum ejus man-

- Sap. 1. data non fervet, Spiritum-Sanctum a se ablegat, quia *Spiritus-Sanctus disciplina effugiet fœdum*. Dilectionem porro Dei, *Lingua, mens & vita*, testentur necesse est. *Nunquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est* (inquit S. Gregorius Homilia xxx. in Evangelia.) *Spiritum veritatis Mundus non potest accipere* (inquit Christus.) *Mundus, idest, dilectores mundi, quæ dilectio non est a Patre. Et ideo dilectioni hujus mundi, ut minuat, & consumatur in nobis, contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis. Mundus autem Spiritum-Sanctum accipere non potest, Quia non novit eum, nec scit eum. Non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio, non illuminatos oculos cordis, per quos videri Spiritum-Sanctus nisi invisibiliter non potest. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Videri ergo, & sciri quemadmodum videndus, & sciendus est, non potest a nobis, si non sit in nobis. Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus-Sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo; ut sit in nobis eorum non extranea visio, sed interna; & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna* (inquit S. Augustinus Tract. LXXVI. in Joannem.)
- Hinc sequitur, pacem & concordiam esse prorsus necessariam, ut Spiritum-Sancti domicilium efficiamur. Non enim in commotione Dominus: & Spiritus pacis non nisi super filios pacis requiescit: *Pacem relinquo vobis* (inquit Christus) *pacem meam do vobis*. Pax Christi, ejus Spiritus est, *Pax, quæ exuperat omnem sensum*, ut loquitur Apostolus. *Pax illa, quæ Principatus, & Potestates, & Thronos, sive Dominationes, omnemque excedit mentem, Christi Spiritus est, per quem Filius omnia Deo, ac Patri reconciliavit*. Verba sunt S. Cyrilli Alexandrini. Atque etiam Prophetæ Spiritum-Sanctum pacem appellarunt. *Domine Deus noster* (inquit Isaias) *Pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis*. Quasi enim Lex ad perfectum nihil adduxerit, neque adeo sufficiat ejus justitia, ut ad plenissimam pietatem hominem provehat, divinum dari Spiritum flagitat, per quem Deo, ac Patri reconciliati, ad amicitiam revocati sumus, qui regnante in nobis peccato, fugitivi prius eramus. Igitur ait Propheta, *Da pacem nobis, Domine: omnia enim reddidisti nobis. Quasi diceret, Da nobis pacem: tunc enim cuncta nos habere fatebimur; nihil jam boni ei, qui Christi plenitudinem adeptus sit, deesse videbitur. Omnis quippe boni in eo posita plenitudo, ut Deus in nobis per Spiritum habitet. Quoniam igitur Spiritus omnem animi turbationem sedare, omnemque in nobis formidinem compescere potest, ceu viaticum, ac præsidium ad animi robur, ac tranquillitatem aptissimum se daturum pollicetur, dicens: Pacem meam do vobis. Sic explicat S. Cyrillus Alexandrinus. Addit Redemptor noster: Non quomodo Mundus dat, ego do vobis. Idest, Non quomodo homines dant, qui diligunt Mundum. Qui propterea dant sibi pacem, ut sine molestia litium, atque bellorum, non Deo, sed Mundo fruantur: & quando Justis dant pacem, ut non eos persequantur, pax non potest esse vera, ubi non est vera concordia, quia disjuncta sunt corda. Nos ergo quibus Christus pacem relinquit, & pacem suam nobis dat, non sicut Mundus, sed sicut ille, per quem factus est Mundus, ut concordes simus, jungamus invicem corda, & cor unum sursum habeamus ne corrumpatur in terra. Sic dignum Spiritu-Sancto domicilium efficiemur* (inquit S. Augustinus Tractatu LXXVII. in Joannem.)
- Spiritus Sanctus non VII. Ex hoc denique principio consequens est, Spiritum-Sanctum extra Ec-

Ecclesiæ unitatem non recipi. Ut se habet anima nostra ad corpus nostrum, ita se habet Spiritus-Sanctus ad Ecclesiam (si tamen formæ, & informationis nomine, ac labe depulsa, intimum hospitem, ut par est, cogitemus.)

„ Anima omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares
 „ olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat;
 „ omnibus simul adest membris, ut vivant: vitam dat omnibus, officia
 „ singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec lo-
 „ quitur auris & oculus, sed tamen vivit. Officia diversa sunt, vita com-
 „ munis. Sic est Ecclesia Dei. In aliis Sanctis facit miracula, in aliis loqui-
 „ tur veritatem, in aliis custodit virginitatem, in aliis pudicitiam conju-
 „ galem, in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria operantur, sed pariter
 „ vivunt. Verum ut in corpore humano, si membrum aliquod præcidatur,
 „ præcisum amittit vitam, quod vivebat cum in corpore esset: sic & ho-
 „ mo Christianus Catholicus, si a Christi corpore, quod est Ecclesia, præ-
 „ cidatur, amputatum non sequitur Spiritus. In hujus rei typum Apostoli
 Spiritum acceperunt in una domo congregati, simulque manentes, & una-
 nimiter orantes. *Si ergo vultis vivere de Spiritu-Sancto, tenete charitatem, &
 amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem.*

recipitur ex-
tra Ecclesiæ
unitatem.

S. August.
Serm. 267.
alias De
Temp. 156.

A R T I C U L U S X.

Quo Symboli nonus Articulus explicatur.

Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

Postquam nos in Spiritum-Sanctum credere professi sumus, Sanctam commemoramus Ecclesiam. *Rectus* namque *confessionis ordo* poscebat, ut *Trinitati subjungeretur Ecclesia, tamquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & Conditori civitas sua* (inquit S. Augustinus in *Enchiridio*, Cap. lvi.) Credimus autem *Sanctam Ecclesiam*, non *in Sanctam Ecclesiam Catholicam*: tres enim Sanctissimæ Trinitatis Personas, Patrem, & Filium, & Spiritum-Sanctum ita credimus, ut in eis fidem nostram collocemus; nunc autem diversa loquendi ratione utimur, quia Ecclesia Deus non est, sed *Templum Dei, hoc est, totius summæ Trinitatis Sancta est Ecclesia, scilicet universa in cælo, & in terra*: ac proinde non est *primarium fidei*, speique nostræ *objectum*. Quia vero Sanctorum Communio explicatio quædam est Articuli de Ecclesia, ad illum revocatur, & uno tenore traditur, ac proponitur.

S. I.

Quid est Ecclesia?

Ecclésiæ nomen origine Græcum, *evocationem* prima sui institutione significat: verum a Scriptoribus postea pro concilio, & concione usurpatum est, seu pro quolibet populi conventu. Quo sensu Actuum xix. dicitur: *Si quid alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi*. Legitimam Ecclesiam hic vocat Alexander Judæus conventum Ephesini populi Dianæ cultui addicti. Hinc malorum etiam, & impiorum hominum concilia, & conventicula interdum Ecclesia nominantur, adjuncto tamen epitheto, quo hujus vocabuli significatio determinetur. *Odivi Ecclesiam malignantium* (inquit Propheta) *& cum impiis non sedebo*. Verum communi Scriptorum Sacrarum usu, hæc vox ad Rempublicam Christianam, Fideliumque tantum congregationes significandas adhibetur: qui scilicet in admirabile Dei lumen, ac notitiam per fidem vocati sunt, ut rejectis ignorantæ, & errorum tenebris, Deum

Psal. 28.

Ecclesiæ de-
finitio mul-
tiplex.

verum, & vivum pie, sancteque colant, illique tota animi devotione serviant.
II. Definitur Ecclesia, Congregatio, sive cætus Fidelium Legitimis Pasto-
ribus adunatus; sive ut loquitur *S. Cyrianus* Epistola *LXIX.* ad *Florentium*
Pupianum data, *Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhe-*
rens. Secundum *S. Augustinum* in *Psal. xxxiv.* Concione *II.* in *Psalm. xc.*
& in *Psalm. cxlix.* & *Libro De Catechizandis Rudibus*, *Cap. III.* *Ecclesia*
est populus Dei toto orbe terrarum diffusus. Quam definitionem Tridentini
Concilii Catechismus approbat. Secundum *S. Isidorum Pelusiotam* *Lib. II.*
Epistola *ccxvi.* *Ecclesia est Sanctorum cætus ex certa fide, atque optima viven-*
di ratione collectus. Secundum *Nicolaum I.* *Dist. I. De Consecratione, C. VIII.*
Ecclesia est Catholicorum congregatio. Secundum *S. Thomam* variis in locis,
Ecclesia est congregatio Fidelium. Quamquam spernenda non sit illa defini-
tio, Ecclesiæ quidem statum, quem in novo Testamento a Christo accepit,
potius quam naturam, vel essentiam explicans, a recentioribus tradita: *Ec-*
clesia est Cætus hominum, ejusdem Christianæ Fidei professione, & eorundem
Sacramentorum Communionem colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, &
præcipue unius Christi in terris Vicarii, Romani Pontificis.

Cardinal.
Bellar. &
alii.

Ecclesia
militans, &
triumphans

III. Duæ sunt potissimum Ecclesiæ partes, quarum altera Triumphans,
altera Militans vocatur. Militans est illa, quæ peregrinatur in terris, a
Solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, & post captivitatem
vetustatis cantans Canticum novum: *Triumphans est* Illa, quæ in cælis
semper, ex quo condita est, cohæsit Deo, nec ullum malum sui casus
experta est. Hæc in Sanctis Angelis beata persistit, & suæ parti pere-
grinanti, sicut oportet, opitulatur: quia utraque una erit confortio æter-
nitatis, & nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad co-
lendum unum Deum, *Verba sunt S. Augustini, in Enchiridio, C. LVI.* Una
est in fide, *scilicet Militans*, altera in specie, *scilicet Triumphans*; una in
tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis; una in labore,
altera in requie; una in via, altera in patria; una declinat a malo, &
facit bonum; altera nullum habet, a quo declinet malum, & magnum
habet quo fruatur bonum; una cum hoste pugnat, altera sine hoste re-
gnat; una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi; una carnales
libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat: una est vincendi
cura sollicita, altera victoriæ pace secura; una in tentationibus adjuvatur,
altera sine ulla tentatione in ipso Adjutore lætatur; una subvenit indi-
genti, altera ibi est, ubi nullum invenit indigentem; una flagellatur malis,
ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo,
ut sine ulla tentatione superbiæ cohereat summo bono, una bona, & mala dif-
cernit, altera, quæ sola bona sunt cernit: ergo una bona est, sed adhuc
misera; altera melior, sed beata (inquit *S. Augustinus* *Tractatu cxxiv.*
in Joannem.) Ad Militantem igitur Ecclesiam pertinent Fideles, qui in
terris vivunt; ad Triumphantem Angeli, & Sancti homines, quidem mundo,
carne, & dæmone triumpharunt, & ab hujus vitæ molestiis liberi, & tuti
æterna beatitudine fruuntur. De quibus rursus *S. Augustinus* *Libro xx. De*
Civitate Dei, Cap. ix. „ Neque enim, inquit, piorum animæ mortuorum
separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est Regnum Christi. Alioquin nec
ad Altare Dei fieret eorum memoria in communicatione Corporis Chri-
sti; nec aliquid prodesset ad ejus in periculis Baptismum currere, ne sine
illo finiatur hæc vita; nec ad Reconciliationem, si forte per pœnitentiam,
malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur
enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra ejus sunt? Quam-
vis ergo cum suis corporibus nondum, jam tamen eorum Animæ regnant cum illo,

IV. Ad Militantis Ecclesiæ statum pertinet illa, quæ postremo loco posita est definitio, a *Bellarmino* Cardinali doctissimo tradita. *Cætus hominum* est, non Angelorum, qualis erat illa, quæ Deo semper cohæsit, eoque in celis fruebatur Ecclesia, antequam cælum hominibus a Christo Domino referatum esset. Cætus est, sive sacra Respublica ab aliis Rebuspublicis maxime diversa: illæ enim humana ratione, & prudentia nituntur; hæc autem Dei sapientia, & consilio constituta est. Vocavit enim nos, & congregavit intimo quidem Spiritus-Sancti afflatu, extrinsecus autem Pastorum, & Prædicatorum opera, ac ministerio. Cætus est, Regnumque, non homines auctores habens, sed Deum immortalem, qui eam supra firmissimam petram ædificavit, teste Prophetâ: *Ipse fundavit eam altissimus*. Quam ob causam *Hæreditas Dei, & Dei populus* appellatur.

Ecclesiæ
definitio
explicatur.

Psal. 36.
Psal. 2.

Cætus est hominum, *eiusdem Fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communionem colligatus*. Quibus verbis excluduntur ab Ecclesia Infideles tam qui numquam in ea fuerunt, neque nomina sua Christo per Baptismum dederunt, de quibus Apostolus ait: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* ut Judæi, Turcæ, Ethnici: quam illi, qui ejus membra fuerunt, sed ab ea defecerunt, ut Hæretici, & Apostatæ. Item Catechumeni, in ejus quidem utero quodammodo concepti, sed nondum in viros Christianos formati, & nati, nondum ad Sacramentorum communionem admissi per Baptismum. Quo nomine & excommunicatos, a communionem, & participationem Sacramentorum segregatos, hæc definitionis verba ab Ecclesia excludunt. De Hæreticis tamen, & Excommunicatis iudicare potest Ecclesia, ut Rex de subditis perduellibus, aut militiæ desertoribus.

Qui ab Ec-
clesia sunt
exclusi?

1. Cor. 5.
12.

Additur, *sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis*. Quibus verbis excluduntur Schismatici, qui Fidem Catholicam profitentur, eademque Sacramenta cum Catholicis percipiunt, sed legitimo Pastori non subduntur.

Verum hæc definitio, ut jam observatum est, Ecclesiæ statum spectat, quem in Novo Testamento a Christo accepit; cum tamen secundum naturam, & essentiam suam spectata, quatenus est Fidelium Congregatio, ab initio mundi fuerit, in Adamo primum, & Eva, post lapsum, ex fide Christi Mediatoris Dei, & hominem venturi justificantis, ex fide (inquam) benedicti illius seminis, de quo prædictum est, fore ut illius virtute mulier caput serpentis antiqui, scilicet diaboli, contereret: *Ipsa conteret caput tuum*. Exinde Fideles omnes unius Ecclesiæ membra fuerunt, ejusdem cujus nos membra sumus, *Habentes eundem spiritum fidei*. Veniente quippe Christo, non Dei, non Religionis, non fidei, sed Sacrificiorum, & Sacramentorum facta mutatio est. *Quemadmodum enim unus, idemque homo, si Deo mane aliud offerat, aliud vespere; pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem; sicut nec salutem, qui alio modo mane, alio modo vespere salutatur; ita universo tractu sæculorum, cum aliud oblatum est ab antiquis Sanctis, aliud ab eis, qui nunc sunt, offertur, non humana præsumptione, sed auctoritate divina, temporibus congrua sacra Mystera celebrantur; non Deus, aut Religio commutatur* (inquit S. Augustinus Epist. c. 1. alias xlix. Quæst. 111.) Quam ob rem Ecclesiæ etiam Christi membra erant Sancti, qui vixerunt antequam secundum carnem Christus Dominus nasceretur.

Ecclesia ab
initio mun-
di.

Genes. 3.

2. Cor. 4.
12.

„ Dei Filius, Verbum Patris, æquale, & coæternum Patri, per quod facta
„ sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ, tamquam
„ totius corporis, caput esset. Sed velut totus homo dum nascitur, etiam si
„ manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori sub capite conjun-
„ cta, atque compacta est, quemadmodum etiam nonnulli in ipsis Patriar-

„ chis ad hujus ipsius rei signum manu præmissa nati sunt: ita omnes Sancti,
 „ qui ante Domini nostri Jesu Christi Nativitatem in terris fuerunt, quamvis
 „ ante nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est, sub capite co-
 „ hæserunt. “ Verba sunt S. Augustini Libro *De Catechizandis Rudibus*, C. XIX.

Varia Ec-
 clesiæ no-
 mina.
 Ecclesia
 domus
 Dei.

V. Multis nominibus Ecclesiam designat Scriptura Sacra. Nam & *Domus*,
 & *ædificium Dei* ab Apostolo appellatur. I. ad Timoth. III. *Ut scias*, in-
 quit, *quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi*
columna, & firmamentum veritatis. Domus est, cujus idem fundamentum,
 artifex, & habitator, Christus Jesus *Lapis angularis, Fundamentum*, præ-
 ter quod *nemo potest aliud ponere*. Fundamentum istud in cælo est. *Ædibus*
ad ima tendentibus, & quæ constant lapidibus, & lignis, quæ pondere suo
deorsum feruntur, in imo ponitur fundamentum. Ecclesia vero Dei in imo
posita tendit in cælum. Fundamentum ergo nostrum ibi positum est, Dominus no-
ster Jesus Christus sedens ad dexteram Patris (inquit S. Augustinus Enarrat.
 II. in Psal. XXIX.) Domus autem idcirco vocatur (inquit Concilii Triden-
 tini Catechismus) quod sit veluti una familia, quam unus paterfamilias mo-
 deratur, & in qua est bonorum omnium spiritualium communio.

Ecclesia
 grex Chri-
 sti.

Dicitur etiam *Grex ovium Christi*, Joannis X. *Qui non intrat per ostium in*
ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Qui autem intrat per
ostium, Pastor est ovium.... Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium
ovium. Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me mee....
Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adduce-
re, & vocem meam audiant, & fiet unum ovile, & unus Pastor. Act. XX.
Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episco-
pos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

Ecclesia
 Christi
 sponsa.

Vocatur *Sponsa Christi* II. ad Corinth. XI. *Despondi vos uni viro virginem*
castam exhibere Christo. Et ad Ephesios V. *Viri diligite uxores vestras, sicut*
& Christus dilexit Ecclesiam. Et de Matrimonio loquens Apostolus: *Sacra-*
mentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Hanc sibi
 desponsavit *in sempiternum, in justitia, & judicio, in misericordia, & mi-*
 serationibus, & in fide. Exivit a Patre, & venit in mundum, ut illam sibi
 copularet, ab æterno electam, in tempore collectam ex omni tribu, & lin-
 gua, & natione, deformem, sædam, pauperem, ægram, captivam, ante-
 quam illi conjungeretur; sed a Sponso sanatam, redemptam, dotatam, in-
 comparabili pulchritudine, ac decore donatam, ac ornatam. Hanc mere-
 tricem invenit, & Virginem fecit. Hanc *Lavit a peccatis in sanguine suo, &*
mundavit lavacro aquæ in verbo vitæ. Ornavit vestitu deaurato, ut Reginam,
 sed vario. Aurum, sapientia, fides, charitas, unitas. Varietas linguarum,
 charismatum, Ordinum diversitas. Ornatam *vestimentis salutis, & indumen-*
to justitiæ circumdedit. A dextris stabit, cui dicet Sponsus: *Venite, benedicti*
Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Spon-
 sa Christi Ecclesia, virgo est, & filios ipsi parit. Mariam imitatur, quæ Do-
 minum peperit, & Virgo permansit.

Osee 2.

S. August.
 in Psal. 44.

Isai. 61.

Matth. 25.

Ecclesia
 Christi
 corpus.

Denique dicitur Ecclesia *Corpus Christi* ad Ephesios I. *Et ipsum dedit ca-*
put supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Et ad Colossens. I. *Adim-*
pleo ea, quæ sunt Passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est
Ecclesia. Mysticum autem corpus dicitur, quod arcana vi gratiæ formatum
 sit, non naturali, essentiali, ac necessaria membrorum conjunctione com-
 pactum: sed non eo sensu corpus mysticum dicitur, quo mysticum oppo-
 nitur reali, proprieque dicto corpori. Ecclesia enim non metaphorice dum-
 taxat Christi corpus est, quo modo terrena civitas, respublica, aut exer-
 citus, corpus unum dicuntur, propter unitatem regiminis, consiliorumque

in eundem finem conspirantium communionem : vere namque realiter , & proprie Christi corpus est , ut colligitur ex Apostolo 1. ad Corinth. xii. *Sicut enim , inquit , corpus unum est , & membra habet multa ; omnia autem membra corporis cum sint multa , unum tamen corpus sunt : ita & Christus .* Quæ verba S. Augustinus exponens Lib. 1. De Peccatorum Meritis , C. xxxi. ait : *Non dixit , Ita & Christi , idest , Corpus Christi ; vel membra Christi , sed , Ita & Christus ; unum Christum appellans caput , & corpus .* Quod quidem incredibile videri non debet : *Si enim divina substantia longe distantiôr , atque incomparabili diversitate sublimior , potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam , ut una persona fieret , quanto credibilius alii homines sancti , & fideles ejus sunt cum homine Christo unus Christus ?* Quod principium centies repetit , præsertim in Enarrationibus in Psalmos : *Totus Christus caput , & corpus est . Caput , & membra unus Christus .* Caput in cælo erat , & dicebat , *Saule , quid me persequeris ?* Nos cum illo in cælo per spem , ipse nobiscum in terra per charitatem .

Act. 9. 4.

§. II.

Ecclesia visibilis est , & manifesta .

I. **E**cclesiam ita conspicuam fore Prophetæ prædixerunt ; ut ad eam Gentes omnes concurrerent ad Dei Verbum audiendum , & legem recipiendam : exercendum in ea iudicium inter Populos , portas ejus die , ac nocte patentes fore , ut ad eam Gentes ingrediantur : in monte sublimi , qui Christus est , esse positam , ac fundatam ; qui illi non servierint , perituros ; Gentes ambulaturas in lumine ejus ; gloriam Domini in ea visum iri : hæc autem qua ratione constare possunt , nisi visibilis sit , & manifesta ? Micheæ iv. , *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium , & sublimis super colles , & fluent ad eum Populi . Et properabunt Gentes multæ , & dicent : Venite ascendamus ad montem Domini , & ad domum Dei Jacob : & docebit nos de viis suis , & ibimus in semitis ejus : quia de Sion egredietur lex , & verbum Domini de Jerusalem . Et iudicabit inter populos multos , & corripiet gentes fortes usque in longinquum .* Isaie lx. *Surge , illuminare Jerusalem : quia venit lumen tuum , & gloria Domini super te orta est . . . Et ambulabunt Gentes in lumine tuo , & Reges in splendore ortus tui , &c . Et aperientur portæ tuæ jugiter : die , ac nocte non claudentur , ut afferatur ad te fortitudo Gentium , & Reges earum adducantur . Gens enim , & regnum , quod non servierit tibi , peribit , & Gentes solitudine vastabuntur .* Ecclesia Civitas est supra montem posita . *Christus Dominus* In Sole posuit tabernaculum suum : *idest , ut S. Augustinus explicat ,* In manifestatione Ecclesiam suam , non in occulto , non quæ lateat , non velut opertam : ne forte fiat sicut operta super greges Hæreticorum .

Prophetie de veræ Ecclesie evidentiâ .

Matth. 5.

Psalm. 18.

S. August.

Enarrat. in hunc Psalm.

& Tract. 11.

in Epistol.

S. Joannis.

II. Si Ecclesia invisibilis esset , quomodo ipsam agnoscere possent , qui ab ea sunt separati ; ut in ejus gremium redirent ? Quomodo fratrem ex correptione fraterna minime emendatum , ad Ecclesiam deferri Christus juberet , ab ea iudicandum ? Matth. 18. *Dic Ecclesie : si Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut ethnicus , & publicanus .*

III. *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata , & Pastori suo grex adherens ,* ut loquitur S. Cyprianus : Igitur visibilis est . Ecclesia est societas hominum per ejusdem fidei professionem , & in eorundem Sacramentorum communionem Deum colentium ; quod fieri non potest , nisi sit visibilis . *In nullum quippe nomen Religionis seu verum , seu falsum , conulari homines possunt , nisi aliquo signaculorum , vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur* (inquit S. Augustinus Libro xix. Contra Faustum , Cap. xi.)

Præclare igitur idem S. *Augustinus* Lib. III. *Contra Epistolam Parmeniani*, Cap. v. *Nulla est (inquit) securitas unitatis nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata; quæ super montem constituta, abscondi non potest: & ideo necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit.*

Quomodo
credimus
Ecclesiam,
si sit visibi-
lis?

IV. Verum, inquires, quomodo credimus Sanctam Ecclesiam Catholicam, si sit visibilis, cum fides argumentum sit non apparentium?

Respondetur, aliud videri, aliud credi. Videmus Ecclesiam, credimus Ecclesiæ veritatem. Cætum Fidelium legitimo Pastori adunatum, & eorundem Sacramentorum Communionem in ejusdem Religionis professione conjunctum videmus; at cætum illum, sive societatem esse veram Ecclesiam, oculis non cernimus, sed fide apprehendimus: sicut Apostoli hominem, qui est Christus Filius Dei vivi, videbant; sed hunc hominem esse Dei Filium non videbant, sed credebant. Videmus Ecclesiæ corpus, non Spiritum Sanctum quo regitur; non finem spiritalem, ac supernaturalem, ad quem ordinatur, scilicet Deum, Deique fruitionem æternam; non Mysteria, quæ in ea continentur, non virtutem Sacramentorum, quæ in ea conficiuntur, & administrantur, non ejus ortum, munera, dignitatem, claves Regni cælorum illi traditas, potestatem remittendi peccata, excommunicandi, verum Christi corpus consecrandi, ipsi concessam, aliaque hujusmodi; non denique gratiam, virtutes, & dona, quibus Christiani fiunt domus Dei, & templa ipsius consecrantur: hæc (inquam) omnia non videntur, sed creduntur. Ecclesiæ ortus, sanctitas, veracitas, stabilitas oculis corporis, aut humanis rationibus percipi non possunt, sed sola fide. Ideo profiteamur, nos credere Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Matth. 16.
Act. 20.

V. Quamvis autem humanæ rationi sine Sancti Spiritus illustratione, nota non sit Ecclesiæ veritas: recepta tamen Christi capitis fide, receptis Scripturis Sacris, quibus Ecclesiæ characteres, & notæ describuntur, quibus constat hanc esse veram Ecclesiam, quæ super Petrum voce Domini fundata est, quæ ab Episcopis regitur Apostolorum successoribus, missioneque, & ordinatione legitima constitutis; manifestum est, hanc esse veram Christi Ecclesiam, quæ illis characteribus insignita est, quæ toto orbe diffusa, quæ visibili, ac perpetua Episcoporum successione originem suam ab Apostolis probat, quæ Romano Pontifici S. Petri Successori tamquam visibili capiti adhæret, ab eoque regitur: sicut admissis Prophetarum Vaticiniis, quibus Christi ortus, vita, miracula, passio, resurrectio, ceteraque Mysteria describuntur, manifestum est Jesum Nazarenum Crucifixum esse Christum, sive Messiam, Redemptorem, ac Mediatorem a Deo promissum. Sicut ergo nullam infidelitatis suæ excusationem habent Judæi, qui Dominum Jesum Christum esse non credunt, quia excæcavit illos malitia sua, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Dei: ita nullam habent excusationis rationem Hæretici, & Schismatici, qui Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, & Romanam non agnoscunt, illique non credunt, nec ipsi adhærent, & obsequuntur; quia infidelitatis suæ tenebris impediuntur, ne lumen ejus videant: „ Ob-

Clariora
Propheta-
rum vatici-
nia de Ec-
clesia
quam de
Christo.

„ scurius dixerunt Prophetæ de Christo, quam de Ecclesia; quia videbant in
„ Spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas, & de Christo non
„ tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo
„ illud unde majores lites futuræ erant, planius prædictum, & apertius pro-
„ phetatum est, ut ad judicium illis valeat, qui viderunt, & foras fugerunt...
„ Pene ubique Christus aliquo involucro sacramenti prædicatus est a Prophe-
„ tis, Ecclesia aperte: ut viderent illam & qui futuri erant contra illam,
„ & impleretur in eis ista nequitia quam prædixit Psalmus: *Qui videbant*
„ me, foras fugerunt a me. “ Verba sunt S. *Augustini* Enarrat. III.
in Psalm.

in Psal. xxx. Hinc idem S. Doctor Lib. II. *Contra Litteras Petiliani*, C. 32. ait: *Ecclesia vera neminem latet.*

VI. Ita porro visibilis, ac manifesta Ecclesia est, ut hæc illi dos perpetuo conveniat, nec extingui possit aliquando, vel obscurari. Quid enim ipsius splendorem extinguere, vel obscurare possiet? An persecutio? Sed persecutio- nibus crevit. An hæreses? Sed illæ oriuntur, *Ut qui probati sunt, manifesti- fant.* An malorum Christianorum peccata, & scandala? Sed illis non maculatur, nec tenebescit, cujus lumen Christus est, cum ipsa manens, eam- que illuminans *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* De illa va- ticinatus est David: *Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Lu- na perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis...* Et ponam in sæculum sæ- culi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli. De illa Dominus apud Isa- iam, Cap. LXI. *Et fœdus perpetuum, inquit, feriam cum eis: & sciatur in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio Populorum. Omnes, qui viderint istos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Denique S. Paulus Epistolæ ad Ephesios Cap. iv. scribit: *Et ipse dedit quosdam quidem Prophetas, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ministeria igitur Pastorum, & Doctorum, & perennis ædificatio corporis Christi erunt in Ecclesia ad supremum usque Judicii diem: ac proinde tamdiu in ter- ris stabit Ecclesia visibilis.

Ecclesia
extinguitur,
vel obscu-
rari non
potest.

1. Cor. II.

Matt. ul-
tim.

Psal. 88.

§. III.

Ecclesia bonos, & malos complectitur.

I. **H**oc fidei dogma multis figuris, & similitudinibus e Scriptura Sacra petitis demonstrarunt Patres, quibus adversus Donatistas contro- versia fuit; scilicet Arce Noe, in qua non solum munda, sed etiam immun- da animantia concludebantur: *Genes. VII.* Agri, in quo zizania superfemi- nata sunt. Arce, in qua frumentum paleæ permixtum est. Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis. *Matth. XIII.* Ovilis, in quo oves cum hædis continentur. *Matth. xxv.* Nuptialis convivii, ad quod boni pariter, & mali sunt ingressi. *Matth. xx.* Decem Virginum, quarum aliæ prudentes, aliæ fatuæ. *Matth. xxv.* Peccatores in criminibus ita per- tinaces, ut fraterna correptione non emendentur, esse in Ecclesia Christus docet; in qua tamen tolerantur, donec per sententiam Prælatorum præcisi sint, & ejecti, *Matth. xviii.* *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & cor- ripe eum inter te, & ipsum solum.... Quod si non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Chri- stus Dominus Traditorem suum Judam non solum cognitum in Discipulo- rum numero toleravit, verum etiam præcognitum in eorum numerum assump- sit. Incestuosus Corinthius erat in Ecclesia, e cujus gremio ipsum per Ex- communicationem eiecit S. Paulus *1. Corinth. v.* Idem Apostolus gemebat inter falsos fratres, quorum aliqui per invidiam Christum annunciabant. Ecclesia igitur malos continet, atque tolerat, nec illorum tamen criminibus violatur, a quibus abhorret, & propter quæ gemit.

II. Veruntamen aliter in ea sunt boni, aliter mali. Boni ita sunt in do- mo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei. Mali sic in ea sunt, *Ut non per- tinent ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ, pacificæque justi- tiæ, sed sicut palea dicitur esse in frumentis.* Boni in ea sunt ut *Vasa au- rea, & argentea, in honorem.* Mali ut *Vasa lutea, & fictilia, in contumeliam.*

Aliter in
Ecclesia
sunt boni,
aliter mali.

Isai. 52. 1.
S. August.
in Brevic.
Collat.
cum Dona-
ristis in
Collat. diei
3. c. 9. &
lib. 2. Re-
tract. c. 18.

Hebr. 12.

Multi, qui
de Ecclesia
non sunt se-
cundum
præsentem
justitiam,
de illa sunt
secundum
Dei præ-
scientiam,
& præde-
stinationem.

Sic loquitur S. *Augustinus* Libro VII. *De Baptismo contra Donatistas*, C. II. Boni, & electi sunt de Ecclesia, non solum secundum statum, quem nunc habet, sed secundum illum, quem in perpetuum habitura est, cum *Non pertransibit per illam ultra incircumcisus, & immundus*, cum apparebit *gloriosa, non habens maculam, neque rugam*. Mali, & reprobi pertinent ad Ecclesiam secundum præsentem dumtaxat statum, non secundum illum, quem in futuro sæculo habitura est. Unde non simpliciter, & absolute sunt Ecclesiæ membra, sed aliqua ratione, sicut membra mortua sunt in corpore: quamvis enim fidei professione, & communione cum bonis jungantur, non tamen Spiritu gratiæ, & charitatis cum illis, & Christo Ecclesiæ capite conjuncti sunt. Quamobrem ad Ecclesiam quidem pertinent secundum corpus, non secundum Spiritum spectatam. Ceterum, qui vere justi sunt, sed *temporales*, ut S. *Augustinus* loquitur, id est, in gratia, & justitia non perseveraturi, nec in ea morituri, vere quidem sunt Ecclesiæ membra secundum præsentem justitiam, vere per gratiam, & charitatem Christo capiti coherent, vitæque spiritualis, quam membris suis subministrat, sunt participes; sed non sunt de Ecclesia secundum Dei præscientiam, & prædestinationem æternam; non pertinent ad *Jerusalem cœlestem*, ad *Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis*. Atque hoc sensu S. *Augustinus* Libro III. *De Doctrina Christiana*, Cap. xxxii. ait: *Non enim re vera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum*. Contra vero multi non sunt de Ecclesia secundum præsentem justitiam, quia vel nondum fidem, ac baptismum susceperunt, aliquando suscepturi, & pie victuri; vel ab ea recesserunt, aut præcisi sunt, aliquando ad unitatem, & bonam frugem redituri, & in Christiana pietate perseveraturi; vel malis moribus Christianum nomen dedecorant, sed pœnitentiam acturi sunt, & in Domino morituri: qui tamen sunt de Ecclesia simpliciter, absolute, proprie, & ad Christum, ut membra viventia pertinent, secundum Dei præscientiam, & prædestinationem æternam. Unde S. *Augustinus* Tract. XLV. in *Joannem*, ait: *Secundum præscientiam Dei, & prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus; & quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris! Quid est, quod dixi, quam multæ oves foris? Quam multi modo luxuriantur, casti futuri; quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum; quam multi se inebriant, futuri sobrii; quam multi rapiunt res alienas, donaturi suas! Verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrii sunt, se vino postea sepulturi; stant, casuri; non sunt oves! (De Prædestinatis enim loquimur: de his loquimur, quos novit Dominus, qui sunt ejus.) Et tamen ipsi quandiu recte sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt isti, non audiunt illi: & tamen secundum prædestinationem non oves isti, oves illi. Improbi denique sunt Ecclesiæ membra, quo modo Judas erat ex Apostolorum collegio; Numero, non merito: specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate: secundum communionem Sacramentorum sunt ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis (inquit S. *Augustinus* Tract. LXI. in *Joannem*.)*

S. IV.

Ecclesia Sancta est.

1. Petr. 2.
Ecclesia
Sancta,
quia Deo
consecrata.

Sanctam esse Ecclesiam profiteamur, ab Apostolorum Principe edocti. *Vos autem, inquit, genus electum, gens sancta*. Appellatur autem *Sancta*, primo, quod Deo consecrata, & dedicata sit. Sic enim cetera hujusmodi

modi cultui divino dicata, quamvis corporea sint, Sancta vocari consueverunt: cujus generis sunt, in Lege veteri vestes, vasa, altaria; in qua Primogeniti quoque, qui Deo altissimo devovebantur, Sancti sunt appellati. *Omne masculinum*, inquit, *adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur*. Sic Nationem ipsam Judaicam, quod veri Dei cultui addicta esset, Apostolus Sanctam appellat, Rom. xi. *Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami*: quamvis populus hic labiis Deum honoraret, cor autem eorum longe esset ab eo. Multo meliori jure Ecclesia Sancta dicitur, quæ vero Deo servit, illumque adorat *In spiritu, & veritate*. Nec mirum cuiquam videri debet, Ecclesiam dici Sanctam, tametsi multos peccatores contineat. Præcipua enim ejus membra sancta sunt, scilicet Angeli, & Animæ beatæ, quæ in cælis Deo fruuntur, aut in Purgatorio expiantur: & justi homines quos sinu suo fovet in terris, quamvis ab omni peccato non sint immunes, a gravioribus tamen peccatis liberi sunt, ac puri, mortalium criminum sunt expertes, quæ sola gratiæ, charitati, sanctimonix, sine qua nemo videbit Deum, capitaliter adversantur. Malorum autem criminibus non maculatur, cum eis non consentiat, illa reprehendat, damnet, corrigat sanctis adhortationibus, exemplis, disciplina. Præterea, Fideles, qui populus Dei effecti sunt per fidem, & baptisma, quamvis in multis offendant, Sancti nihilominus dicuntur, ob professionem sanctitatis: quemadmodum, qui artem aliquam profitentur; etsi artis præcepta non servant, nomen tamen artificum retinent. Unde S. Paulus Corinthios *Sanctificatos, & Sanctos* appellat: in quibus nonnullos fuisse perspicuum est, quos ut carnales, zeloque, & contentioni deditos acriter objurgat.

Exod. 13
Luc. 2.1. Cor. 3.
1. Cor. 1.

Secundo, Sancta dicitur Ecclesia ratione Capitis, Christi Domini, *Sancti Sanctorum*, qui cum ea intime conjungitur, qui per fidem habitat in cordibus nostris, *Qui seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata*. Tum etiam ratione Spiritus Sancti, qui in ipsa est cordis instar, & *Manebit in eternum*. Quamobrem dicere quilibet Christianus potest Deo supplicans cum Propheta: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*. Quæ verba S. Augustinus Enarratione in Psalm. lxxxv. sic interpretatur: *Audeat & corpus Christi, audeat & unus ille homo clamans a finibus terræ cum Capite suo, Quoniam sanctus sum. Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi, & remissionis peccatorum. Et hæc quidem fuistis, ait Apostolus, enumerans multa peccata, & levia, & gravia, & usitata, & horribilia: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis. Si ergo sanctificatos dicit, dicat & unusquisque Fidelium, Sanctus sum. Non est superbia elati, sed confessio non ingrati. Si dixeris te ex te esse sanctum, superbus es: rursus fidelis in Christo, & membrum Christi, si te dixeris non esse sanctum, ingratus es..... Dic Deo tuo, Sanctus sum, quia sanctificasti me; quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui. Etenim ex alio latere incipis injuriam facere ipsi Domino nostro Jesu Christo. Si enim Christiani omnes & fideles, & baptizati in illo ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: Si membra sunt facti corporis ejus, & dicunt se sancta non esse, Capiti ipsius faciunt injuriam, cujus membra sancta non sunt. Jam vide ubi sis, & de Capite tuo dignitatem cape. Etenim eras in tenebris, nunc autem lux in Domino. Verum quia sanctitas membrorum Christi, quandiu mortalem hanc vitam agunt tentationibus obnoxiam, non est plena, & consummata, ideo totum corpus Christi*

Ecclesia
sancta ratio-
ne capitis
Ephes. 5

Psal. 85.

1. Cor. 6.11.

Gal. 3.

Pfal. 85. 2.

clamat: *Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die.* Caput nostrum ad dexteram Patris interpellet pro nobis. Alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat.

Ecclesia
Sancta ra-
tione Sacri-
ficii, & Sa-
cramento-
rum.

Pfal. 86.

Tertio, Sancta dicitur Ecclesia, quod ipsa sola habeat legitimum Sacrificii cultum, & salutarem Sacramentorum usum, per quæ tamquam efficacia divinæ gratiæ instrumenta Deus veram sanctitatem efficit; ita ut extra Ecclesiam nemo Sanctus esse possit. *Vera justitia non est nisi in ea Republica, cujus conditor, rectorque Christus est. In ea dumtaxat Civitate est vera justitia, de qua Scriptura Sancta dicit, Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei* (inquit S. Aug. Lib. II. De Civitate Dei, c. xxI.) Extra Ecclesiam aliqua Dei dona esse possunt, vera de Christo sententia, ipsius Christi Sacramenta, bona aliqua opera, sed non justitia, & vite sanctimonia, non remissio peccatorum, non pignus hæreditatis æternæ. A-

Rom. 8.

lia sunt dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra. (*Hæc sunt enim quodammodo hæreditaria, in quibus sumus Heredes Dei, coheredes autem Christi.*) Alia vero, quæ possunt accipere etiam filii concu-

Galat. 4.

Gen. 21.

binarum, quibus Judæi carnales, & Schismatici, vel Hæretici comparantur. Quamvis enim scriptum sit: *Ejice ancillam, & filium ejus, neque enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac: & Abraham dixerit Deus, In Isaac vocabitur tibi semen: quod sic est Apostolus interpretatus, ut diceret: Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine; ut intelligeremus, Semen, Abraham secundum Isaac propter Christum ad Dei filios pertinere, qui sunt corpus Christi, & membra, id est, Ecclesia Dei u-*

Genes. 25.

na, vera, germana, catholica, tenens piam fidem; non eam, quæ per elationem, vel timorem, sed eam, quæ per dilectionem operatur: tamen etiam filios concubinarum, quando a filio suo Isaac dimisit Abraham, nonnulla eis largitus est munera, ne relinquerentur omni modo inanes, non ut tenerentur hæredes. Si ergo filii sumus liberæ Jerusalem, alia dona exheredatorum, alia intelligamus

Rom. 8 15.

hæredum. Hi enim hæredes sunt, quibus dicitur: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Spiritus ille adoptionis absque charitate non habetur: extra Ecclesiam vero charitas non est. *Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem, ac per hoc recte intelligitur dici, non accipi, nisi in Catholica Spiritus Sanctus.* Sic loquitur S. Augustinus Libro De Patientia, C. xxviii. & Libro III. De Baptismo contra Donatistas, Cap. xvi.

Pfal. 18. 8.

Ecclesia san-
cta ratione
doctrinæ

Quarto, Sancta est Ecclesia ratione doctrinæ. In ejus enim Dogmatibus nihil falsum, nihil non sanctum. *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Populi confluent ad Ecclesias, ubi audiant, quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beate semperque vivere mereantur: ubi Sancta Scriptura, justitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt, audiant ad præmium; & qui non faciunt, audiant ad judicium. Quo etsi veniunt quidam talium præceptorum irrisores, omnis eorum petulantia aut repentina immutatione deponitur, aut timore, vel pudore comprimitur. Nihil enim eis turpe, ac flagitiosum imitandum proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur; aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur. Verba sunt S. Augustini Lib. II. De Civitate Dei, C. xxviii.

1. Cor. 3. 17.

Denique si materiale Templum, in quod Populus Christianus, & Catholicus sacrorum causa convenit, jure Sanctum appellatur, multo magis Ecclesia ipsa, quæ vivum Dei vivi templum est, domus spiritualis, Sancta dici debet, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (inquit Apostolus.)

Ecclesia Christi Catholica est.

1. **V**eræ Ecclesiæ ita proprium est nomen istud, eique affixa notio, ut alio nomine nec ab ipsis hostibus suis designetur, ut observat S. August. Lib. de Vera Religione, Cap. VII. *Tenenda est nobis, inquit Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim, ipsi quoque Hæretici, & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.*

Hinc S. Pacianus Epistola ad Sympronianum de Catholico nomine, *Certe, inquit, non est ab homine mutuatum, quod per secula tanta non cecidit. Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec Hæreticos sumit auctores. Et infra: Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit ... Ab hæretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur.*

Ecclesia porro Christi Catholica dicitur, quæ vox origine Græca est, id est, *Universalis*: primo, quia toto terrarum orbe est diffusa; & prædicatio Evangelii Gentibus omnibus destinata est: *Euntes docete omnes Gentes* (inquit Christus mittens Apostolos.) *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et si forte aliqua Natio adhuc esset in orbe terrarum, apud quam prædicatum non esset Evangelium; ante Mundi finem illius prædicationem auditura est. Non igitur, ut in humanis Rebus publicis, aut Hæreticorum conventiculis, unius Regni terminis, aut uno hominum genere Ecclesia definita est; verum omnes homines, sive illi barbari sint, sive Scythæ; sive servi, sive liberi; sive masculi, sive feminae, charitatis sinu complectitur. Unde scriptum est: *Redemisti nos, Deus, in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.*

Ecclesiam Christi ratione locorum Catholicam esse, quod toto orbe diffusa sit, Prophetarum oracula clarissime prænunciarunt. Psal. II. *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. XXI. *Remiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est Regnum, & ipse dominabitur Gentium.* Psal. XLIX. *Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram; a Solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus.* Psal. LVI. *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Et unde gloria ejus super omnem terram, nisi quia

„ Ecclesia ejus per omnem terram? (inquit S. Aug. Lib. De Unitate Ecclesiæ.)

„ In his duabus sententiis brevissimis, vos, Hæretici, totum quod inter nos

„ agitur, interrogo: „ Cur Dominum Christum exaltatum super cælos præ-

„ dicatis, & ejus gloriæ super omnem terram non communicatis? *Psal. LXX I.* Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes

„ Gentes servient ei. Et benedicentur in ipso omnes Tribus terræ: omnes

„ Gentes magnificabunt eum. Et benedictum nomen Majestatis ejus in æ-

„ ternum: & replebitur Majestate ejus omnis terra: fiat, fiat. *Isaïæ XLIX.*

„ Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum

„ terræ. *Et Cap. II v.* Lauda sterilis, quæ non parit ... Quoniam multi

„ filii desertæ, magis, quam ejus, quæ habet virum, dicit Dominus. Di-

Matth. ult.
Psal. 18.

Apoc. 5.

Ecclesia Ca-
tholica ra-
tione loco-
rum.

„lata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne
 „parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida. Ad dexte-
 „ram enim, & ad lævam penetrabis: & semen tuum Gentes hæreditabit,
 „& civitates desertas inhabitabit. *Et Malachie* 1. Ab ortu Solis usque ad
 „occasum, magnum est Nomen meum in Gentibus: & in omni loco sa-
 „crificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda.

Idem confirmant postrema Christi Domini mox Cælos ascensuri verba,
 Lucæ xxiv. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vo-
 biscum: Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Mosis, &
 Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scri-
 pturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pa-
 ti, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœniten-
 tiam, & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Jerosoly-
 ma. Quod Actuum* 1. idem S. Lucas sic expressit: *Et eritis mihi testes
 in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum ter-
 ræ. Ex his omnibus Scripturarum divinarum oraculis Patres contra Dona-
 tistas demonstrarunt Ecclesiam Christi toto orbe diffusam esse, non intra
 sectam eorum conclusam, præsertim S. Optatus Milevitanus Lib. 11. Con-
 tra Parmenianum, & S. Augustinus Lib. De Unitate Ecclesiæ, & alibi pas-
 sim, maxime in Enarrationibus in Psalmos occasione data, omnesque A-
 fricanæ Ecclesiæ Episcopi in Collatione Carthaginensi contra Donatistas.*

Ecclesia
 Catholica
 ratione
 temporum.

Secundo, Catholica dicitur Ecclesia, sive universalis, ratione temporum,
 quia Fideles omnes, qui ab Adam in hunc usque diem fuerunt, & in cæ-
 lum præmissi sunt, omnes, qui nunc in terris vivunt, & qui victuri sunt,
 quamdiu Mundus extabit, in veræ Fidei Professione, & Christiana unita-
 te, ad eandem Ecclesiam pertinent, quæ super fundamento Apostolorum,
 & Prophetarum superædificata est, ipso summo angulari lapide Christo
 Jesu.

Ecclesia
 Catholica
 ratione do-
 ctrinæ.

Tertio, Catholica dicitur ratione doctrinæ Fidei, in quam Fideles omnes
 ubique, & semper, absque ulla profus variatione consenserunt. Unde *Vin-
 centius Lirinensis* in Commonitorio 1. *Adversus hæreses*, Cap. 111. *In ipsa,*
*inquit, Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubi-
 que, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim vere proprie-
 que Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia fere u-
 niversaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem,
 antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc
 unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum consistetur
 Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos
 Sanctos Majores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quo-
 que, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter;
 & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.*

Quarto, Ecclesia Catholica dicitur, *Quia universaliter perfecta est, & in
 nullo claudicat* (inquit S. August. Lib. *De Genesi ad Litteram imperfecto*,
 Cap. 1.)

Ecclesia
 Catholica
 quia om-
 nes, qui
 salvi esse
 volunt illi
 debent ad-
 hære.

Postremo, Catholica dicitur, quod omnes, qui salutem æternam conse-
 qui volunt, eam amplecti debeant, eique adhærere. Unde per Arcam Noe
 adumbrata est. Sicut enim illi soli diluvium evaserunt, qui arcam Dei ius-
 su constructam sunt ingressi: sic illi dumtaxat ab omni mortis æternæ pe-
 riculo tuti esse possunt, qui in Ecclesiam, supra Petram voce Domini fun-
 datam, per Baptismum ingressi sunt, in eaque permanent. Hujus etiam fi-
 gura est magna illa Jerusalem *Civitas Sancti*, extra quam Sacrificia Dei
 offerre non licebat: sic enim in sola Dei Ecclesia, nusquam extra illam

ver-

verus est Cultus, verumque Sacrificium, quod Deo placere ullo modo possit. Hinc S. Hieronymus Epistola LVII. *Cathedra Petri* (inquit) *Communione consocior, super illam Petram edificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum Agnum comederit, profanus est: si quis in Arca cum Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et ante illum S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesie ait: *Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra Arcam Noe fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.* Hinc S. Gregorius Magnus Lib. xxxv. *Moralium in Job*, Cap. VII. *Sola, inquit, Ecclesia est, per quam Sacrificium Dominus libenter accipiat, sola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Unde etiam de Agni hostia Dominus præcepit dicens. In una domo comedetur, Exod. 12. nec efferetis de carnibus ejus foras. In una namque domo Agnus comeditur, quia in una Catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. De cujus carnibus divina Lex afferri foras prohibet, quia dari Sanctum canibus vetat. Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur: unde & mercedem denarii non nisi qui intra vineam laboraverant, acceperunt. Sola est, quæ intra se positos valida charitatis compage custodit; unde & aqua diluvii Arcam quidem ad sublimiora sustulit; omnes autem, quos extra Arcam invenit, extinxit.*

S. VI.

Ecclesia Christi Una est. Et Ecclesie Catholice nomine una Societas intelligenda est, a cujus Communionem Heretici, & Schismatici excluduntur.

UNam esse Ecclesiam profiteamur, a cœlesti Sponso edocti: *Una est, Cant. 6. inquit, columba mea, perfecta mea.* Hanc *Unum ovile* Christus vocat. Joann. 20. Hanc *Unum corpus* Apostolus appellat, ob unitatem Capitis, Spiritus, Fidei, Spei, Baptismatis. Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et C. IV. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Quod autem ita sit una Societas, unaque Communio, ut Hæreticos, & Schismaticos a sinu suo excludat, veterum Patrum conspirantibus testimoniis liquido probatur. Ita S. Cyprianus Libro de Unitate Ecclesie. Ecclesia „ una est, inquit, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis ex- „ tenditur: quo modo Solis radii multi, sed lumen unum; & rami arboris mul- „ ti, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi „ plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiarum lar- „ gitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis a corpore, „ divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus ger- „ minare non poterit: a fonte præcide rivum, præcisus arefcet. Sic & Ec- „ clesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum „ tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. „ Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes lar- „ giter rivos latius expandit: unum tamen caput est, & origo una, & u- Ad Christi „ na mater, fecunditatis succubibus copiosa. Illius fetu nascimur, illius premia non „ lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur. Adulterari non potest Sponsa Perveniet, „ Christi, incorrupta est, & pudica unam domum novit, unius cubiculi san- qui Eccle- „ citatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios regno, siam Chri- „ quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jun- sti relin- „ gitur, a promissis Ecclesie separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, quit.

Et

Et infra: „ Quam sibi pacem promittunt inimici fratrum? Quæ Sacrificia celebrare se credunt æmuli Sacerdotum? An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexplicabilis, & gravis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad Regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit.

S. Clemens Alexandrinus Lib. VII. *Stromatum*, asserit *Unam vere esse Ecclesiam, eam, quæ vere est antiqua, in cujus catalogum referuntur ii, qui sunt Iusti secundum propositum ... Quam conantur Hæreses in multas discindere.*

Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet.

Lactantius Lib. IV. *Divinarum Institutionum*, Cap. XXX. „ Cum Phryges, inquit, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Antropiani, seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desinunt, qui Christi nomine amisso, humana, & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hic est domicilium fidei, hoc templum Dei: quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a ipse vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita, & salute, cui nisi caute, ac diligenter consulatur, amissa, & extincta est.

Hereticorum conventicula.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XVIII. Illuminatorum: *Proprie, inquit, & vere aliquis esse dixerit Ecclesiam malignantium, conventicula Hereticorum, Marcionitarum, dico, & Manicheorum, & reliquorum. Propterea nunc confirmans Fideles tradidit, ut dicas: Et in unam Sanctam Catholicam Ecclesiam: Ut illorum quidem sæda conventicula fugias, perseveres autem in Catholica Ecclesia, in qua & renatus es. Quod si forte veneris in civitates non queras simpliciter, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia: hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus, & Matris omnium nostrum, quæ est Sponsa Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei.*

Qui ab Ecclesia recesserunt, parietem fecerunt, non domum.

S. Optatus Milevitanus Lib. III. „ Domus Dei, inquit, una est. Qui foras exeuntes, partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum, quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet, ideo parietem dicuntur fecisse falsi Vates, in quo si janua fuerit collocata, quicumque intraverit, foris est. Nec lapidem habere angularem unus paries potest, qui lapis est Christus, duos in se suscipiens populos: unum de Gentibus, alterum de Judæis; qui nodo pacis jungit utrumque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries. Domus inclusa custodit, tempestatem retundit, pluviam diffundit, latronem, aut furem, aut bestiam non admittit: sic & Ecclesia Catholica omnes filios pacis gremio, & sinu suo complectitur. Contra, paries, qui est ædificatus ruinosus, nec lapidem angularem sustinet, & januam sine causa habet, nec inclusa custodit, pluvia udatur, tempestatibus cæditur, nec potest arcere latronem, nec venientem prohibet furem. Paries enim res de domo est, sed domus non est. Et pars vestra quasi Ecclesia est, sed Catholica non est. Donatistas alloquitur.

Totus Christus caput, & corpus. Illi non sunt in Ecclesia Catholica; quorum communio non est cum toto.

S. August. Libro *De Unitate Ecclesiæ*, cap. IV. „ Totus Christus caput, & corpus est. Caput unigenitus Dei Filius, & corpus ejus Ecclesia, Sponsus, & Sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso Capite a Scripturis Sanctis dissentiant, etiam si in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicumque de ipso Capite Scripturis Sanctis consentiunt, & unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatio-

„ ne

ne dissentiant. *Et paulo post*: Quicumque ab Ecclesia ita dissentiant, ut eorum Communio non sit cum toto, quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia. Item Libro *De Fide, & Symbolo*, cap. x., Credimus & Sanctam Ecclesiam, utique Catholicam: nam & Hæretici, & Schismatici congregationes suas Ecclesiasticas vocant. Sed Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec Hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec Schismatici, quoniam diligit proximum, & ideo peccatis proximi facile ignoscit.

Et Epist. cccviii. alias ccix. ad *Feliciam* Virginem ait: *Et Bonos Pastores non sua quærentes, sed quæ Jesu Christi, & bonas oves, quamvis imitentur facta Pastorum bonorum, tamen in eis non ponere spem suam, quorum ministerio sunt congregatæ, sed in Domino potius, cujus sanguine sunt redemptæ. Ut quando forte incurrerint in Pastores malos, doctrinam illius prædicantes, & sua mala opera facientes, quæ dicunt, faciant; quæ autem faciunt, non faciant; nec propter filios iniquitatis pascua deserant unitatis. In Catholica enim Ecclesia, quæ non in sola Africa, sicut pars Donati, sed per omnes Gentes, sicut promissa est, dilatatur, atque diffunditur, In universo mundo, sicut dicit Apostolus, fructificans, & crescens, & boni sunt, & mali. Ab ea vero separati, quamdiu contra illam sentiunt, boni esse non possunt; quia etsi aliquos eorum bonos videtur ostendere quasi laudabilis conversatio, malos eos facit ipsa divisio, dicente Domino, Qui non est mecum adversus me est; & qui mecum non colligit, spargit.*

Coloss. 1.

Luc. 11. 23.

Et Epist. clxxxv. alias l. *Ecclesia Catholica sola corpus est Christi, cujus ille caput est Salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus, quia sicut dicit Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps divinæ charitatis, qui hostis est unitatis. Qui ergo vult habere Spiritum Sanctum, caveat foris ab Ecclesia remanere, caveat in eam simulatus intrare: aut si jam talis intravit, caveat in eadem simulatione persistere, ut veraciter coalescat arbori vitæ.*

Rom. 7. 7

S. Fulgentius Libro 1. *De Remissione Peccatorum*, cap. xxii. *Sicut in Hiericho quisquis extra domum Rahab fuit, nullam potuit adipisci vitæ subsidium: sic extra Ecclesiam Catholicam nullus accipiet indulgentiam peccatorum. Et sicut intra Ecclesiam Catholicam corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: sic extra eandem Ecclesiam mala credulitas non reputatur ad justitiam, sed ad pœnam; & prava confessio non acquirit salutem consistenti, sed ingerit mortem. Extra hanc Ecclesiam, nec Christianum nomen aliquem juvat, nec Baptismus salvat, nec mundum Deo sacrificium offertur, nec peccatorum remissio accipitur, nec æternæ vitæ felicitas invenitur. Una est enim Christi Ecclesia, una dilecta, una columba, una Sponsa.*

Non est particeps divinæ charitatis, qui hostis est unitatis.

Et Libro *De Fide* ad Petrum inter Capitula ad Regulam veræ Fidei pertinentia, xxxix. ponit de Hæreticis, & Schismaticis ab Ecclesia Catholica, adeoque ab æterna salute exclusis. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, sive Schismaticum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholice non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholice non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica, vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.*

Hæretici, & Schismatici ab æterna salute exclusi.

De-

Denique *S. Gregorius Magnus* idem fidei dogma confirmat Lib. xviii. *Moralium*, cap. xiv. explicans hæc verba Job xxviii. „ Auro locus est, „ in quo conflatur. *Quisquis, inquit*, extra unitatem Ecclesiæ patitur, pœnas pati potest, Martyr fieri non potest; quia auro locus est, in quo conflatur. Quid itaque ad hæc Hæretici dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per Martyrium vultis, sed locum, in quo debeat conflari nescitis. Hunc ergo conflationis locum quærite, hanc fornacem, qua aurum apte purgari valeat, invenite. Una est Ecclesia, in qua, qui conflari voluerit, ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Si quid pro Deo amaritudinis, si quid tribulationis extra hanc positi sustinetis, incendi potestis tantummodo, non purgari.

§. VII.

Ad unitatem Ecclesiæ Caput visibile requiritur, scilicet Romanus Pontifex S. Petri Successor.

Visibile caput ad Ecclesiæ unitatem necessarium.

Romanus Pontifex caput Ecclesiæ visibile.

Ecclesiæ Romanæ potentior Principatus.

Omniem Ecclesiam ad ipsam convenire necesse est.

UNitas corporis postulat unitatem capitis. Cum igitur Ecclesia sit unum corpus, unum Caput habeat necesse est, unumque Rectorem, præcipuum quidem, supremum, & invisibilem Christum Dominum, in cœlis ad dexteram Patris sedentem; visibilem vero, sub Christo Domino, & illius vice in terris Romanum Pontificem *S. Petri* Successorem. Visibile istud Caput ad unitatem Ecclesiæ constituendam, & conservandam necessarium fuisse, Traditio omnium Patrum consentientibus testimoniis roborata docet. Duorum, aut trium testimonia hic ascribere satis erit, cum de Romani Pontificis Primatu quid credendum sit, explicaverimus in Tractatu *De Sacramento Ordinis*, in delineatione Hierarchiæ Ecclesiasticæ: & hanc quæstionem alias prolixè tractaverimus Dissertatione iv. in Historiam Ecclesiasticam primi Sæculi.

Id in primis colligitur ex *S. Ireneo* Lib. iir. adversus *Hereses*, cap. iir. „ Quoniam, *inquit*, valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare „ successiones, Maximæ, & Antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ, „ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis Traditionem, & annunciatam „ hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad „ nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præter quam oportet colligunt: ad hanc enim Ecclesiam propter potentio- „ tentiorem Principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc „ est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, „ conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio. Non de Urbe, sed de Ecclesia Romana loquitur *S. Irenæus*; non de politicis, & civilibus negotiis, sed de re, quæ in Ecclesia maximi, & præcipui momenti est, scilicet de unitate servanda, præsertim in fide, & communione. Ad id necessarium esse Traditionem ab Apostolis acceptam, docet; hanc per successiones Episcoporum ad nos usque traductam, & semper in Ecclesia Romana conservatam, cujus inter ceteras Ecclesias potentior est Principatus, utique facer, cum ab Apostolis Petro, & Paulo fundata sit. Proinde non tantum conveniens esse, sed necessarium, ut ad hanc Ecclesiam ceteræ totius orbis conveniant, non corpore quidem, sed communione, veneratione, obedientia; quo modo ad Principem, & ad Regiam Urbem, in qua sedet, reliquas omnes Reipublicæ partes convenire necesse est. Ita hunc *S. Irenæi* locum Gal-

licana intelligit Ecclesia, ut constat ex Constitutionibus Generalis Conventus Melodunensis, anni 1579. Tit. 1. *Omnes, & singuli*, inquit, *aperta professione eam fidem pronuncient, quam Sancta Romana Ecclesia Magistra, columna, & firmamentum veritatis profitetur, & colit. Ad hanc enim propter suam Principalitatem necessum est omnem convenire Ecclesiam.* Ecclesiæ visibile Caput S. Irenæi temporibus præsidebat S. Victor Episcopus Romanus, qui Asiaticos ab Ecclesia reliqua circa legitimum Paschatis celebrandi tempus dissidentes, pro jure sacri sui Principatus, sive Primatus a Christo S. Petro traditi, & in Petri Successores transfusi, a Communione protinus abscindere paratus erat, nisi S. Irenæus pacis sequester intercessisset. Refert Eusebius Lib. v. *Historiæ Ecclesiasticæ*, c. xxiv.

Idem colligitur ex S. Cypriano, Epist. lv. ad Cornelium, ubi de Schismaticis Fortunato, & Felicissimo, aliisque sic loquitur: *Post ista adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis, & profanis, litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo predicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.*

Et Libro De Unitate Ecclesiæ, S. Petri Cathedram unitatis Ecclesiasticæ centrum, & Primatum Petro datum a Christo esse docet ad conservandam Ecclesiæ unitatem; proindeque alienos esse a Catholica Ecclesia, qui ab Ecclesia Romana alieni sunt, & Romanis Episcopis S. Petri successoribus non communicant. *Loquitur, inquit, Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincunt eam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pascce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstratur... Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? &c. Frustra vero Critici quidam hæc verba, Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia monstratur, ex S. Cypriani textu expungi volunt, quod in quibusdam MSS. desint: nam in pluribus, & melioris notæ Codicibus MSS. leguntur, & a Pelagio II. Pontifice Maximo in Epistola ad Episcopos Istriæ refertur iisdem verbis hic S. Cypriani locus. Nec pugnat cum his verbis illa Propositio, Hoc erant ceteri Apostoli, quod & Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis; Pares enim fuisse significant Apostolatus dignitate, pares missione, pares Evangelium prædicandi, & Ecclesias fundandi potestate, pares extraordinaria in Ecclesia universa auctoritate, pares Episcopali caractere, & honore: non ordinaria in regimine totius Ecclesiæ auctoritate, non denique Primatu pares. Unde idem S. Cyprianus Epistola ad Jubajanum: Petro primum Dominus, super quem ædificata*

Ecclesia Romana, magistra columna, & firmamentum veritatis.

S. Petri Cathedra, Ecclesia principalis & sacerdotalis unitatis origo.

Matth 16. 18.

Joan. 21. 17

Joan. 20. 21

Primatus S. Petro datus.

Ecclesia super S. Petrum edificata.

vit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem illam dedit.

S. Petrus omnium Apostolorum caput. Tertio idem colligitur ex *Opusculo Milevitano*, Libro II. ubi sic *Parmenianum* alloquitur: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem collatam; in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus: unde & Cephas appellatus est; in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.*

Quarto idem colligitur ex *S. Hieronymo*, Libro I. adversus *Jovinianum*. *At dicis, inquit, super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Apostoli quidem omnes æquojure fuerunt Ecclesiæ fundamenta ratione Apostolatus, doctrinæ, & prædicationis; solus tamen Petrus constitutus est Caput, unusque præ ceteris electus, qui procurando Ecclesiasticæ unitatis negotio ex officio invigilaret.

Unde *SS. Petrum, & Paulum esse duos Ecclesiæ Summos Pastores, ac Præsides, qui unum Caput constituent, asserere, hæreticum est, si eo sensu Propositionis ista intelligatur, ut statuatur æqualitas omnimoda inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema & in regimine universalis Ecclesiæ; ut declaravit Innocentius X. Pontifex Maximus. Solus itaque Romanus Pontifex S. Petri Successor est universalis Ecclesiæ Caput, Pastor, & Rector.*

Idem confirmat *S. August.* cum in *Scripturis Sanctis* se didicisse ait, *Præmatum Apostolorum in Petro excellenti gratia præminere. Illum a posteriore Apostolo Paulo esse correctum. Illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopo parvi præferendum. Romanam Ecclesiam esse Sedem Petri. Ipsam esse Petram, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Petro totius Ecclesiæ figuram, & personam gerenti dictum esse a Domino: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguisse Principatum.* Pelagium, & Cœlestium novæ Hæresis auctores *faciliter cessuros auctoritati Innocentii I. de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ: Ad quem referunt duo Africæ Concilia hujus Hæresis Capita, ut ipsa damnet: Et post Sedis Apostolicæ Judicium, causam finitam esse ait. Jam, inquit, de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando finitur error.* Denique *Bonifacium Romanæ Ecclesiæ Episcopum Altius præsidere, in specula pastorali celsiore fastigio præminere* scribit. Ad ipsum dirigit Scripta sua contra duas Pelagianorum Epistolas, *Examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda, Ceteros Patres non appello, ut consulam brevitati.*

Christus supremum Ecclesiæ caput. Si vero quis objiciat, Ecclesiæ unum Caput, & Sponsum Jesum Christum sufficere, nullumque præterea ad illius unitatem requiri.

Respondetur, Christum esse supremum Caput, sed invisibile, ex quo in cœlum ascendit; esse Caput per occultam gratiæ subministrationem in omnia membra influens; Ecclesiam suam regere arcanis modis, & esse cum ea usque ad consummationem sæculi per Spir. Sanctum suum illi datum, & in ea manentem; illam jugiter gubernare, & propterea Ecclesiæ judicium esse indeficiens; veracem illam esse, non posse unquam errare in

in fidei, morumque controversiis finiendis: *Portas inferi adversus eam prævalere non posse: Columnam esse, & firmamentum veritatis*; illi parendum necessario: *Qui illam non audierit*, habendum hunc esse, *ut Ethnicum, & Publicanum*: sed tamen visibili societati necessarium esse visibile Caput, Christi supremi Capitis Vicarium Caput ministeriale, cujus *Prima sit, & Maxima Potestas* in opere ministerii, in ædificatione Corporis Christi: & qui *pro veritate* in Fidei controversiis finiendis, atque in conservanda mystici corporis unitate, *Plus ceteris Consacerdotibus possit*: ut loquitur *Facundus Hermianensis*. Ut enim Christum Dominum singulorum Sacramentorum non solum auctorem, sed etiam intimum collatorem habemus: nam (*Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*, hic est, qui absolvit; & tamen homines Sacramentorum externos Ministros instituit: sic Ecclesiæ, quam ipse intimo Spiritu regit, hominem suæ potestatis Vicarium, & ministrum præfecit: *Petrum* agnorum, & ovium, omnium scilicet Fidelium cujuscumque generis, & ordinis Caput, Pastorem, & rectorem, Patrem, & Doctorem constituit; ut qui ei successisset, eandem plane totius Ecclesiæ regendæ, & gubernandæ potestatem, eodemque jure, divino scilicet, habere voluerit.

Ex Fidelium omnium, & vere Catholicorum necessaria cum Romano Pontifice visibili Ecclesiæ Capite communiōne, factum est, ut Catholici *Romani* dicerentur antiquis etiam temporibus, ut constat ex *S. Gregorio Turonensi* Lib. 1. *De Gloria Martyrum*, cap. xxv. ubi de violatis per Hæreticos Lusitanæ sacris Fontibus, & de cœlesti vindicta in violatores agens, hæc habet: *Theodegillus, hujus Rex regionis, cum vidisset hoc Miraculum, quod in his sacratis Deo Fontibus gerebatur, cogitavit intra se dicens, quia ingenium est Romanorum (Romanos enim vocitant homines nostræ Religionis) ut ita accidat, & non est Dei virtus. Catholicam Fidem ætate S. Hieronymi Romanam vulgo appellari solitam ipse S. Hieronymus testis est. Apologia 1. adversus Rufinum. Fidem suam, inquit, quam vocat? Eamne qua Romana pollet Ecclesia? An illam, que in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit; ergo Catholici sumus.*

Matth. 16.
1. Timot. 3

Matth. 18.

Joan. 1.

Catholici
Romani ab
antiquis
temporibus
appellati.

§. VIII.

Cur Ecclesia Apostolica dicatur?

Apostolica dicitur Ecclesia in Symbolo Constantinopolitano, quod a Christo per Apostolos fundata sit, & propagata; & quod ejus doctrina non sit recens, neque nunc primum orta, sed ab Apostolis jam olim tradita, & in omnem orbem terrarum disseminata, & Episcoporum continua successione ad nos tradita. Unde semper illi vere Catholici habiti sunt, qui Ecclesiis Apostolicis, & Romanæ præsertim communicarent; Hæretici vero, & Schismatici, qui ab illarum doctrina dissiderent, & ab illarum communiōne divulsi essent. Quamobrem *S. Ireneus* Lib. III. *Adversus Hæreses* cap. iv. scribit: „ Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam „ facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositarium di- „ ves, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis: ut omnis „ quicumque velit,umat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: „ omnes autem reliqui fures sunt, & latrones, propter quod oportet de- „ vitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia „ diligere, & apprehendere veritatis Traditionem. Quid enim? Etsi quibus „ de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas „ recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsentibus

Ecclesia
Apostolica
quia ab A-
postolis fū-
data, & ejus
doctrina ab
Apostolis
tradita.

„ quæstione fumere, quod certum, & reliquidum est? Quid autem si neque
 „ Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem
 „ sequi Traditionis quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?
 „ Id egregie confirmat *Tertullianus* Libro *De Præscriptionibus*, cap. xx. A-
 „ postoli, *inquit*, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, &
 „ Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem
 „ fidei Nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquam-
 „ que civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ
 „ ceteræ exinde Ecclesiæ mutuata sunt, & quotidie mutantur, ut Eccle-
 „ siæ fiant. Ac per hoc, & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apo-
 „ stolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse
 „ est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex
 „ qua omnes. Sic omnes primæ, & Apostolicæ, dum una omnes probant
 „ unitatem: dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis,
 „ & contesseratio hospitalitatis. Quæ jura non alia ratio regit, quam ejus-
 „ dem Sacramenti una Traditio. Quid autem Apostoli prædicaverint, quid
 „ illis Christus revelaverit, non aliter probari debere, ait, nisi per easdem Ec-
 „ clesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva voce,
 „ quam per Epistolas. *Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ*
 „ *cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, ve-*
 „ *ritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a*
 „ *Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudi-*
 „ *candam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi,*
 „ *& Dei.... Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis.*

Episcopo-
rum succes-
sio ab Apo-
stolicis tem-
poribus Ec-
clesiæ Apo-
stolicæ cha-
racter.

Et cap. xxxii. sic Hæreticos compellat: *Edant origines Ecclesiarum sua-
 rum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab ini-
 tio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Aposto-
 licis Viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, &
 antecessorem: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum a Joanne conlocatum
 refert: sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde uti-
 que & ceteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici
 seminis traduces habeant,*

Quæ Eccle-
siæ Aposto-
licæ?

Et cap. xxxvi. „ Age jam qui voles curiositatem melius exercere in ne-
 „ gotio salutis tuæ, percurrere Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc
 „ Cathedræ Apostolorum tuis locis præsent, apud quas ipsæ authenticæ eo-
 „ rum litteræ recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem unius-
 „ cujusque. Proxima est tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longe es a
 „ Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam
 „ tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam. Ista
 „ quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostolicam sanguine suo pro-
 „ fuderunt; ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis
 „ exitu coronatur: ubi Apostolus Joannes postquam in oleum ignitum de-
 „ mersus, nihil passus est, in Insulam relegatur. Videamus quid didicerit,
 „ quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. Ibi igitur A-
 „ postolica est Ecclesia ubi est Apostolorum doctrina. Ibi doctrina Apostolo-
 „ rum est, ubi est legitima Episcoporum successio ab Apostolorum temporibus
 „ ad nos usque: quæ successio ubi non est, ibi non est Ecclesia Christi,
 „ sed Satanæ Synagoga. Unde SS. Patres *Irenæus, Optatus, Augustinus* hoc ar-
 „ gumento, eaque certissima nota, solam Ecclesiam Catholicam esse veram Ec-
 „ clesiam Christi contra Hæreticos demonstrarunt.

Ecclesia maxime diligenda, & observanda est.

SI enim parentes carnales colere, & amare tenemur, quanto magis Ecclesiam Matrem nostram, omniumque Christianorum, Christi Sponsam, quæ nos per Baptismum peperit, non in vitam mortalem, sed in vitam gratiæ, in spem vitæ immortalis? Quæ nos sinu suo fovet, Sp. Sancto ungit, Corpore, & Sanguine Sponsi sui Domini nostri alit, & potat, verbo Dei instruit, lapsos erigit, devios in viam salutis revocat, vulneratos salutaribus remediis curat. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ* (inquit Sapiens.) Ecclesiæ præceptis parere debemus, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, quia sic jussit Pater noster, qui in cælis est. Illam colere debemus, & Pastores, qui illam regunt, nobisque præfunt, venerari, & in omnibus, quæ fidem, ac disciplinam Christianam spectant, illos audire, illis parere, quamvis sine crimine non sint. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei; quæcumque dixerint vobis, facite, secundum opera vero eorum nolite facere* (inquit Christus.) Cathedræ Moysi successit Cathedra Christi. Si bona loquor, & bona facio, imitare me: si autem non facio, quod dico fac; quæ autem facio, noli facere; *tamen a Cathedra Catholica noli recedere* (inquit S. Augustinus, Enarratione in Psalmum xxxviii.) Non ex personis fidem, sed ex fide judicamus personas. Propheta in nomine Prophetæ suscipiendus. Ad nomina, dignitatem, ordinem, missionem, non ad personas attendendum est. *Qui vos recipit, me recipit; & qui me recipit, recipit eum, qui me misit* (inquit Christus.) Attendere non debet plebs Christiana, qualis persona sit, quo vitæ merito, cujus Ministerio Deus utitur, sive in Ecclesia sua gubernanda, sive in doctrina propaganda, sive in Sacramentis administrandis. Id solum attendat, quod Sacerdos, quod Pastor est, quod pro Christo legatione fungitur, quod Angelus est Domini exercituum, de cujus ore legem suam requiri Dominus jubet. Facienda sunt ergo bona, quæ dicit, fugienda mala, quæ facit. Cum audiunt Fideles, Pastores suos aliquorum criminum insimulari, & infamiæ nota aspersos per hominum ora traduci rumoribus a maledicis hominibus plerumque disseminatis, credere facile non debent; sed Sem, & Japhet laudatos Noe filios imitari, qui nudum patrem tegere, & cooperire conati sunt, non ut impius ille Cham, cui pater merito maledixit, verenda patris detegere, illique illudere. Qua de re S. Greg. Lib. xxv. *Moralium* cap. xv. *Quid est* (inquit) *quod filii verecunda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic Præpositorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia judicantes factum, & venerantes Magisterium, nolunt videre, quod tegunt.* Peccatis suis imputare debet populus, si forte malos Pastores habeat. Deus enim quandoque *Hypocritam regnare facit propter peccata populi*, ut sit, *sicut populus, sic Sacerdos*. De Pastore non judicet ovis a quo judicanda est: pravis ejus exemplis sua peccata non excuset, ad Deum pro ejus conversione, & pro Ecclesiæ necessitatibus ingemiscat, criminibus ejus non communicet. Sinceri hoc amoris in Ecclesiam argumentum est.

Observantiam præterea suam, & amorem in Ecclesiam testari debet Fidelis quisque, in ejus acquiescendo Judiciis, cum de Fide, & Doctrina sana, aut Christiana Disciplina morum agitur, quia illam audire Christus jubet, *Qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis* (ut loquitur S. Augustinus, Epistola cv. alias clxvi.)

Prov. i.

Matth. 23. 2.

Reverentia, & obedientia Ecclesiæ Pastoribus debita.

Matth. 10. 40.

Joan. 34.
Isai. 24.

In Ecclesiæ judicio acquiescendum.

Ecclesiæ ma-
lis, & cala-
mitatibus
compatien-
dum.

Tertio, nostrum in Ecclesiam amorem probabimus, si illius malis, & calamitatibus compatiamur, si illius incrementis, & prosperitate lætemur: si pro ipsa, & cum ipsa coram Deo ingemiscamus, & preces ferventissimas fundamus, ut illam Deus pacificare, custodire, & adunare dignetur toto orbe terrarum: si operam nostram & talenta a Deo concessa in Ecclesiæ utilitatem impendamus: si ad ejus propagationem promovendam, si ad conservandam unitatem, & pacem, quicquid possumus conferamus: si malis moribus, & vitæ improbitate eam dedecorare, atque affligere caveamus. Ne palea simus in area dominica, sed frumentum; ne vasa simus in contumeliam in domo Dei, sed in honorem; ne in corpore Christi simus ut mali humores, ut phlegmata fœtida pectus ejus prementia, aut certe, ut membra mortua, sed ut membra viventia, & capiti connexa per fidem vivam quæ per dilectionem operatur, ut crescamus in augmentum Dei; ne male vivendo Dei domum faciamus speluncam latronum; ne scandalis nostris concutiendo latera matris, quæ nos quotidie parturit, donec formetur in nobis Christus, mereamur, ut cum dolore nos excutiat foras, magis malo nostro, quam suo. Ecclesiam se diligere si dixerit, qui ab ejus fide dissentit, vel ab ejus unitate dissidet, mendax est. „ Redimet in pace animam „ meam ab his, qui appropinquant, mihi, quoniam in multis erant mecum „ (inquit Propheta.) Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum: „ Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum: Festa Martyrum „ celebrabamus, erant ibi mecum. Paschæ Solemnitatem frequentabamus, e- „ rant ibi mecum. Sed non omnino mecum. In Schismate non mecum, in „ hæresi non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis „ profunt multa, in quibus mecum ... In omnibus Sacramentis mecum in „ una charitate non mecum. *Vel*, Inter multos erant mecum. *Etenim per „ totum orbem terrarum pauca sunt grana, multæ sunt paleæ. Quid ergo? ait.* „ In palea mecum erant, in tritico non mecum erant. Et propinquat pa- „ lea tritico, de uno semine exit, in uno agro radicatur, una pluvia nu- „ tritur, eundem messorum patitur, eandem triturationem sustinet, eam- „ dem ventilationem expectat; non in unum horreum intrat. Verba sunt S. *Augustini* Enarratione in Psal. LIV.

Psal. 54.

Ad mortem
pro Ecclesia
subeundam
parati esse
debemus.

Quarto, Ecclesiam ita diligere debemus, ut pro ejus fidei unitate, generali disciplina ab Apostolicis temporibus instituta, libertate, honore sanguinem profunderi parati simus. Sic enim *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea*. Pro ea nos impendere, & superimpendere debemus, ut Apostolus loquitur. Christum vere non amamus, nisi sanctam ejus Ecclesiam diligamus, eamque dilectionem operibus comprobemus. A- „ memus *igitur* Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus; illum si- „ cut Patrem, istam sicut Matrem; illum sicut Dominum, hanc sicut an- „ cillam ejus: quia filii ancillæ ipsius sumus. Sed matrimonium hoc ma- „ gna charitate compaginatur. Nemo offendit unum, & promeretur al- „ terum. Nemo dicat, Ad Idola quidem vado, arreptitios, & fortilegos „ consulo; sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo, Catholicus sum. Te- „ nens Matrem, offendisti Patrem. Alius autem dicit, Absit a me; non „ consulo fortilegum, non quæro arreptitium, non quæro divinationes sacri- „ legas, non eo ad adoranda dæmonia, non servio lapidibus; sed tamen in „ parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vin- „ dicas Matrem? Quid prodest si Dominum confiteris, Deum honoras, ip- „ sum prædicas, Filium ejus agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confiteris, „ & blasphemias Ecclesiæ ejus? Non te corrigunt exempla humani conjugii? „ Si haberes aliquem patronum, cui quotidie obsequeris, cujus limina servien-

Ephes. 5.25.

Ecclesiam
offendit, qui
Christum
offendit, & e
contrario.

„ do

do contereris, quem quotidie non dico salutare, sed & adorare, cui impenderes fidelia obsequia; si unum crimen de ejus conjugate diceres, numquid domum ejus intrares? Tenete ergo, Charissimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem, & Ecclesiam Matrem. Verba sunt S. August. Enarratione in Psalm. LXXXVIII.

Quinto, eos, qui ab Ecclesiæ unitate divisi sunt, hortari debemus, & urgere, ut ad unitatem redeant; eos, qui nobiscum intus sunt, ad Dei, & Ecclesiæ amorem accendere. Dicamus cum Propheta, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum*. Quisquis est in corpore Christi, ad hoc dare debet operam, ut magnificetur cum illo Dominus. Amat enim Dominum quisquis est iste: absque invidia veritatem amat, quæ Deus est. Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis junguntur, & omnes, qui sunt in domo vestra: Si amatur a vobis corpus Christi, idest, unitas Ecclesiæ, capite eos ad fruendum, & dicite, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum*; hoc est, in unum. Ergo rapite, quos potestis, hortando, portando, rogando, dissipando, rationem reddendo, cum mansuetudine, cum lenitate; rapite ad amorem, ut si magnificant Dominum, in unum magnificent. *Et Hæretici, & Schismatici videntur sibi magnificare Dominum*: quid eos offendit orbis terrarum? *Dicamus illis*: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in unum. *Quare in præcisione vultis magnificare Dominum?* Ille unus est, quare duos populos vultis facere Deo? Quare vultis dissipare corpus Christi? Venit persecutor, & non fregit crura Christi: venit Donatus (Lutherus, Calvinus) & dirupit Ecclesiam Christi. Integrum corpus Christi in cruce inter manus persecutorum est, & inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ. *Clamemus ergo cum gemitu, quantum possumus, dicentes*: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus Nomen ejus in unum. Hæc S. August. Enarratione 2. in Psalm. XXXIII.

Et Tract. x. in Joannem: Unusquisque Christianus in domo Christi, zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quæ forte ibi videt perversa, fatagit corrigi, cupit emendari, non quiescit: si emendare non potest, tolerat, gemit. Non excutitur de area granum, sustinet paleam, ut intret in horreum, cum palea fuerit separata. Ergo zelus domus Dei comedat te. Non enim magis est domus tua, quam domus, ubi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem: domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tua, ne quid perversum fiat, fatagis: in domo Dei ubi salus proposita est, & requies sine fine, debes pati quantum in te est; si quid forte perversum videris. Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum? Prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere, & inebriari velle? Prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli tamen quiescere. Amicus est, admoneatur leniter. Uxor est, severissime refrænctur. Ancilla est, etiam verberibus compescatur. Fac quicquid potes pro persona, quam portas: & perficis *Zelus domus tuæ comedit me*. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi sufficiens, & dicens in corde tuo, Quid mihi est curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea; ipsam integram servem Deo. Eja, non tibi venit in mentem servus ille, qui abscondit talentum, & noluit erogare? Numquid enim accusatus est, quia perdidit; & non quia sine lucro servavit? Nostis, quid agatis unusquisque in domo sua cum amico, cum inquilino, cum cliente suo, cum majore, cum minore: quomodo dat Deus aditum, quomodo aperit januam ver-

Psalm. 33. 4.

Eos, qui ab Ecclesia separati sunt, urgere debemus, ut ad ejus unitatem redeant eos, qui nobiscum intus sunt, ad Dei, & Ecclesiæ amorem accendere.

Zelus domus Dei.

Psalm. 68. 10.

Joan. 2. 17.

Matth. 25.

„ bo suo. Nolite quiescere lucrari Christo; quia lucrati estis a Christo.

Ecclesiæ Mini-
stri ejus
utilitatibus
servire de-
bent pro-
pter ipsam
dumtaxat,
& propter
Christum
ejus spon-
sum.

Sexto, Ecclesiæ Ministri ipsius utilitatibus studere, ac servire debent propter ipsam dumtaxat, & propter Christum ejus Sponsam, propter unam Dei gloriam, non propter temporalia commoda, non ad dignitates Ecclesiasticas obtinendas, non ad captanda beneficia, non ad popularem auram, aut Aulæ favorem aucupandum. Cum enim *Præpositi ad hoc sint, ut his, qui subjecti sunt, consulant, non in eo, quod præsumunt omnino suam utilitatem attendant, sed eorum, quibus ministrant. Quisquis ita præpositus est, ut in eo, quod præpositus est gaudeat, & commoda sua sola respiciat, se pascit non oves.* Verba sunt S. Augustini Sermone XLVI. alias *De Tempore* CLXV.

2. Cor. 11.2.

Fidelem illum Abrahami Servum imitentur Ecclesiastici Viri, qui uno Domini sui amore Sponsam ejus filio quærit, & adornat, ob idque longum, & difficile iter fulcipit. Imitentur Jacob Patriarcham, qui uno pulcræ Rachelis amore quatuordecim annos servit in domo Patris ejus; non quæ sua sunt quærant, sed quæ Jesu Christi. Unum illis sit studium Fideles omnes *Uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quærant primum Regnum Dei, & justitiam ejus. Meminerint, se duobus Dominis servire non posse, simplicem oculum habere se debere. „ Duobus autem Dominis servire conatur, „ qui & Regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc temporalia, Non „ poterit autem simplicem habere oculum, & uni Domino Deo servire, nisi „ quæcumque sunt cetera, si sunt necessaria, propter hoc unum assumat; „ idest, propter Regnum Dei. Sicut autem omnes militantes accipiunt an- „ nonam, & stipendium, sic omnes Evangelizantes accipiunt victum, & te- „ gumentum. Sed non omnes propter salutem Reipublicæ militant, sed pro- „ pter illa, quæ accipiunt. Sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ mi- „ nistrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tamquam annonam, & „ stipendia consequantur; aut & propter hoc, & propter illud. Sed, *Non „ potestis duobus Dominis servire.* Ergo simplici corde tantummodo, propter „ Regnum Dei debemus operari bonum ad omnes: non autem in hac ope- „ ratione vel solam, vel cum Regno Dei mercedem temporalium cogitare (inquit S. Augustinus Libro 11. *De Sermone Domini in Monte* cap. XVII.)

Matth. 6.

S. X.

In quo Sanctorum Communio fita sit?

Sanctorum
Communio
definitur.

I. **S**anctorum Communio, quam nos credere profiteamur, est Societas illa omnium Ecclesiæ membrorum, sive in terris adhuc militantium, sive in Purgatorio patientium, sive in cælo regnantium, tum inter se, tum cum Christo Capite Ecclesiæ: de qua S. Joannes Epist. 1. cap. 1. ait: *Ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & Filio ejus Jesu-Christo: Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

Communio
Sacramen-
torum.

II. Secundo significat Communionem Sacramentorum, quibus veluti sacris vinculis Christo connectuntur, & copulantur Fideles omnes, in quibus Christus Sanctus-Sanctorum merita sua omnia, præcipue vero passionis, & mortis suæ meritum cum membris suis communicat, & quorum fructus ad omnes illa digne suscipientes pertinet. Hac autem Sanctorum Communionem, Sacramentorum Communionem intelligi debere, Patres significarunt his verbis, *Confiteor unum Baptisma*: hoc enim Sacramento velut janua in Ecclesiam ingredimur, jusque ad Sacramenta cetera obtinemus, in primis autem ad Eucharistiam, qua corpori, & sanguini Domini communicantes, Christique

Con-

Concorporales facti (ut verbis Patrum utar) cum ipso, & mystico etiam ejus corpore, omnibusque membris ejus arctius jungimur. Unus enim panis, & unum corpus multi sumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus. 1. Cor. 10. 17.

III. Tertio significat Communionem omnium donorum, non tantum eorum, quæ homines Deo charos, ac justos redunt, sed gratiarum etiam gratis datarum, in quibus numerantur scientia, prophetia, donum linguarum, ac miraculorum, & cetera hujus generis; quæ malis etiam hominibus, non privatæ, sed publicæ utilitatis causa, ad Ecclesiam ædificandam interdum conceduntur. Unitas enim Spiritus, a quo regitur Ecclesia, efficit, ut quicquid in eam collatum est, commune sit. Hæc vero bonorum spiritualium communicatio, membrorum humani corporis aptissima similitudine ex Apostolo petita explicatur. Sicut enim in corpore multa sunt membra, omnia autem non eundem actum, sive eandem, & æque utilem, aut decoram functionem habent, non omnia sunt ejusdem dignitatis: & tamen omnia in communem corporis utilitatem functiones suas obeunt, & exequuntur; & omnia tam apte inter se connexa sunt, ut si patitur unum membrum, cetera compatiuntur, & doleant; si bene affectum sit unum membrum, congaudeant cetera, communique jucunditatis sensu afficiantur: ita Sumus corpus Christi, & membra de membro... Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus: & omnes in uno Spiritu potati sumus. Non potest unum membrum alteri dicere, Opera tua non indigeo. Pro invicem solliciti sunt. Unicuique in Ecclesia suum munus assignatum est. Alii in ea Apostoli, alii Prophetæ, & Doctores: aliorum est præesse, ac docere; aliorum parere, ac subjectos esse: alii oculorum, alii manuum, alii pedum rationem habent, & functiones obeunt: omnes tamen uno Spiritu vivunt, & sub uno Capite inter se connectuntur, Ut non sit schisma in corpore; omnia mystici hujus corporis membra in communem conferunt utilitatem functiones suas, & quicquid aliud membrum habet, id sibi cum omnibus aliis commune existimat. Unde s. Augustinus Tract. xxxii. in Joan. ait: Accipimus & nos Sp. Sanctum, si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si catholico nomine, & fide gaudemus. Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Sp. Sanctum. Datus est enim Spiritus, sicut Apostolus dicit, ad manifestationem. Quam manifestationem? Quia alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum in eodem Spiritu. „ Multa dantur ad manifestationem, sed tu forsitan eorum, „ quæ dixi, nihil habes. Si amas, non nihil habes: si enim amas unitatem, „ etiam tibi habet, quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, & tuum „ est, quod habeo: tollam invidiam, & meum est, quod habes. Livor se- „ parat, charitas jungit. Oculus solus videt in corpore: sed numquid sibi soli „ oculus videt? Et manui videt, & pedi videt, & ceteris membris videt: „ non enim si aliquis ictus in pedem veniat, avertit se oculus inde, ut non „ præcaveat. Rursus sola manus operatur in corpore; sed numquid sibi „ soli operatur? Nam si ictus aliquis veniens non eat in manum, sed tan- „ tum in faciem, numquid dicit manus, Non me moveo, quia non tendit „ ad me? Sic pes ambulando omnibus membris militat: membra cetera ta- „ cent, & lingua omnibus loquitur. Habemus ergo Spir. Sanctum, si ama- „ mus Ecclesiam: amamus autem, si in ejus compage, & charitate consisti- „ mus. Nam ipse Apostolus cum dixisset diversa dona dari diversis hominibus, „ tamquam officia quorumque membrorum; Adhuc, inquit, super eminentiorem viam „ vobis demonstro: & cœpit loqui de charitate. Ipsam habeto, & cuncta „ habebis: quia sine illa nihil proderit quicquid habere potueris. Hujus

Communionem omnium donorum.

Bonorum spiritualium communicatio explicatur aptissima similitudine.

1. Cor. 14.

1. Cor. 12.

Communionis Sanctorum consideratio, quid in Christianorum moribus operari debeat.

1. Petri 4.

Act. 10.

Communio fidei, & pietatis.

Hebr. 13.

Sacrum suffragiorum commercium.

Psal. 121. 3

S. Aug. Lib. 9. Confess. cap. 12

Bonorum operum, & meritorum communio inter Ecclesiæ membra.

communione consideratione fit, ut Christiani alter alterius onera portent; & qui majora dona acceperunt, adversus alios intoleranter non extollantur, sed *Unusquisque sicut accepit gratiam*, in alterum studeant *illam* administrare, *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*: persuasi se nihilominus aliorum orationibus, & opera in negotio salutis egere; quia membra, quæ videntur ignobiliora, sunt magis necessaria. Qui vero minora dona acceperunt, immo rudes sunt, & imperiti, non despondent animum, scientes aliorum dona sua esse, si charitatem habeant, eaque suis utilitatibus spiritualibus servire; & in omni statu, atque conditione unicuique suppetere salutis, & æternæ beatitudinis assequendæ facultatem: quoniam apud Deum non est Judæus, neque Græcus servus, aut liber, pauper, & dives, doctus, & indoctus; sed in omni hominum genere, conditione, ordine, ac statu, *Qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi*: atque *Omnia, & in omnibus Christus*.

IV. Quarto Sanctorum communio significat ejusdem fidei, religionis, ac pietatis constantem Professionem, in qua defuncti sunt Sancti, qui nos præcesserunt. Ad quam Apostolus Fideles adhortatur his verbis: *Mementote Præpositorum vestrorum; qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem*. Hoc sensu in Canone Missæ Sacerdotes ajunt suo, Populique Christiani nomine, *Communicantes*, id est, in communione fidei, & pietatis manentes cum Sanctis Apostolis, & Martyribus, quæsumus, Domine, ut hoc Sacrificium placatus accipias, &c.

V. Quinto Communio Sanctorum significat sacrum commercium suffragiorum, bonorum operum, meritorum inter omnia Ecclesiæ membra, per unum Spiritum vinculo charitatis colligata. Charitate enim, quæ non quærit, quæ sua sunt, efficitur, ut quæcumque pie, sancteque ab uno geruntur, ea ad omnes pertineant, illisque profint, quantolibet locorum intervallo sint ab illo remoti. Non enim est Ecclesia, ut terrenum regnum, vel civitas, ubi etsi omnes iisdem legibus vivant, eidemque pareant Principi, plurimi tamen nullam inter se bonorum, aut negotiorum communionem, nullum commercium habentes, nihil emolumenti a se mutuo percipiunt; suis, & suorum commodis non aliorum utilitatibus quisque consulit. Non sic *Jerusalem Mater nostra, Quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum*. In ea enim *Cives omnes Sanctorum, & domestici Dei*, sive qui in cælis Deo fruuntur, sive qui in Purgatorio expiantur, sive qui in terris adhuc militant, sancta societate ita conjuncti sunt, & confœderati, ut bonorum spiritualium sit inter eos perfecta communio, Sanctique cum Christo in cælis regnantes Fidelibus in hoc mundo peregrinantibus opitulentur, eosque suis apud Deum orationibus juvent: pii vero in terris adhuc mortalem vitam agentes, & sibi mutuo, & in Purgatorio piaculares pœnas luentibus succurrant orationibus, jejuniis, elemosynis, aliisque bonis operibus, ac præsertim, *Sacrificio pretii nostri*, cum pro ipsis ad Altare Domini offertur; ut Conc. Florentini, ac Tridentini definitionibus, Scripturæ Sacræ, ac Traditioni consonis, declaratum est. Hæc autem profunt Justis illis Animabus nondum plene expiatis, sive ut pœna ipsarum mitior sit; aut brevior, sive ut plena ipsis remissio pœnæ a Deo tribuatur. Tantum autem cuique illarum profunt, quantum ut sibi prodesse meruerunt, cum adhuc essent in corpore; ut docet *S. August. Lib. De Cura gerenda pro mortuis; & in Enchiridio*.

Qualis itaque membrorum inter se societas est, ut operatio cujusque membri cedet in commodum totius corporis, talis est inter Ecclesiæ membra bonorum operum, & meritorum Communio quædam, non solum eorum, quæ Christus Caput hujus corporis comparavit, ex quo manat in reliquum cor-

pus omne, & in singula ejus membra quicquid boni, quicquid meriti est; verum & Justorum omnium, qui sunt, vel fuerunt ab exordio Mundi, ut eorum benefacta nobis subveniant, eorumque *Abundantia nostræ inopiæ sit supplementum*. Sic bonorum omnium spiritualium, quæ fiunt, & facta sunt olim in Ecclesia, participes sumus, quamdiu Ecclesiæ membra fuerimus. Unde Propheta ait: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Sicut enim membrum particeps esse dicimus totius corporis: sic „ conjunctus omnibus timentibus Deum, qui non dicat alteri, Non es de „ corpore meo, hoc est, non dicat pauperi dives, non ignobili nobilis, non „ ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat: Non estis mihi „ hi necessarii; particeps corporis Christi est, quæ est Ecclesia (inquit *S. Ambr.* in Expositione Ps. cxviii. Serm. viii.)

Ideo Christus nos orare docens, jubet ut non sibi unusquisque peculiari- ter a Deo, quæ necessaria sunt ad salutem postulet, sed ut velut unius corporis membra, eodem animata spiritu, quod in communi cunctis expediat, a Patre luminum postulemus, a quo est omne bonum, & donum perfectum. Ab illo edocti dicimus, *Da nobis, dimitte nobis, libera nos*. Ita *Sp. Sanctus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*, cum pios homines pro omnibus Ecclesiæ membris gemere facit, & orare ubique & omni tempore. Nullus „ enim dies, nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, quo non „ a Sanctis orationes Deo ubicumque fundantur, ab aliis hic, ab aliis ali- „ bi. Cumque ab orationibus Sanctorum nullum tempus sit immune; quan- „ doquidem diebus, & noctibus, cum alii cibo, ac potu reficiuntur, alii „ quodlibet aliud agunt, alii dormiunt, non utique desunt, quos desiderium „ sanctum orare compellat: ita fit, ut *Sp. Sanctus*, qui ubique omnibus adest, „ gemitibus inenarrabilibus pro nobis interpellare intelligatur, quia gemi- „ tibus sanctorum desideriorum interpellare nos facit, quibus affectum pium „ gratiæ spiritualis infundit, ut explicat *S. Aug. Lib. i. Contra Maximimum Arianum c. ix. Hinc S. Ambrosius Lib. i. De Officiis, c. xxix. ait:* „ Ecclesia in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur, „ *Et Lib. i. De Pœnitentia, c. xv. Pœnitentes velut Operibus* quibusdam to- „ tius populi purgari, & Plebis lacrymis ablui, orationibus, & fletibus *Chri-* „ *stianæ* plebis redimi a peccato, & in homine mundari interiore, *ait.* Do- „ navit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, quæ Do- „ mini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur. *Et infra,* „ Tota, *inquit*, Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, „ & oratione, & dolore est: & quasi fermento ejus se totam conspergit; ut „ per universos ea, quæ superflua sunt in aliquo penitentiam agente, virilis „ misericordiæ, aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur. Hinc denique *S. Aug. Lib. iii. De Baptismo contra Donatistas c. xvii. ait,* *Per orationes sanctorum spiritualium, qui sunt in Ecclesia, tamquam per columbæ creberrimum gemitum, peccata solvi.* Huc etiam pertinet, quod *Gen. xviii.* legimus, quod si Sodomis decem Justi inventi fuissent, propter eos a delenda civitate Deus abstinuisset. Et *Jer. v.* promittit Dominus se propitium fore Jerusalem, dummodo unus aliquis vir justus in ea reperiatur: *Circuite,* inquit, *vias Jerusalem, & aspiciate, & considerate, & querite in plateis ejus an inveniat virum facientem iudicium, & querentem fidem; & propitius ero ei.*

Quod vero non Justorum tantum, qui in hoc mundo vivunt, sed eorum etiam maxime, qui ad vitam migrarunt feliciorum, nobis orationes patrocinentur, & merita suffragentur, significat Dominus, *Isaiæ cap. xxxvii.* dicens: *Protegam civitatem istam propter me, & propter David servum meum.* Quibus verbis Rex *Ezechias* admonetur, quod *In tantum justitiam diligit Deus,*

2. Cor. 8.

Psalm. 118.

Uno spiritu postulandum in oratione quod in communi cunctis expediat.

Rom. 8.

Pœnitentes totius Ecclesiæ lacrymis & operibus mundantur.

Sanctorum hominum, qui ad vitam feliciorum migrarunt, orationes, & merita nobis suffragantur

Deus, ut etiam posteros sanctorum hominum, non suo merito, sed Majorum virtute tueatur (inquit S. Hieronymus in hunc locum.) Unde S. Augustinus quæcxlx. in *Exodum* explicans hæc verba Domini ad Mosem: *Sine me, & iratus conteram eos*; ait sic locutum esse Deum, „ Ut eo modo admoneremur,

Exod. 32.

„ cum merita nostra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud
 „ eum illorum meritis posse, quos diligit. Nam cum ab Omnipotente dicitur ho-
 „ mini, *Sine me, & conteram eos*, quid aliud dicitur quam, Contererem
 „ eos, nisi diligerentur abs te? *Et Lib. xx. Contra Faustum, cap. xxi. ait:*
 „ Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat,
 „ & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque
 „ orationibus adjuvetur.

Omnes Fi-
 deles sunt
 participes
 Commu-
 nionis San-
 ctorum.

Matth. 13.
& 25.

VI. Omnes porro Fideles communionis Sanctorum participes sunt, non tamen æqualiter, sed pro fidei suæ, charitatisque mensura. Fructum certe ampliorem ex sacra illa societate percipiunt, qui plus in eam conferunt, & bonis spiritualibus magis abundant: quoniam *Omni habenti dabitur, & abundabit*. Christus autem, qui sanctæ istius Societatis Caput est, & Judex, illius bona cuique secundum merita sua distribuit: quæ tamen merita nihil aliud sunt quam Dei miserentis dona: & Christi Domini Justitia, Passione, ac meritis innituntur, ab iisque vim omnem, ac pretium habent. *Sicut enim palme a semetipso fructum ferre non potest, nisi manserit in vite: sic nec vos*, inquit, *nisi in me manseritis*.

Joan. 15.
 A Commu-
 nione San-
 ctorum ex-
 cluduntur,
 quicumque
 ab Ecclesia
 sunt segre-
 gati.

VII. Ex his facile intelligitur, a Communionem Sanctorum illos omnes excludi, qui ab Ecclesia excluduntur, scilicet Paganos, Judæos, Hæreticos, Schismaticos, & juste Excommunicatos. „ Neque enim in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schismaticorum, neque in cecitate Judæorum, quærenda est Religio, sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, idest, integritatis custodes, & recta sectantes. Ecclesia tamen Catholica per totum orbem valide, lateque diffusa, omnibus errantibus utitur ad proventus suos, & ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparisonem pulchritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: Dei participandi dat potestatem; sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi. Carnales autem suos, idest, viventes, aut sentientes carnaliter, tamquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuatur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum, aut error cujuslibet, donec, aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Exclusi autem aut pœnitendo redeunt; aut in nequitiam male liberi defluunt, ad admonitionem nostræ diligentiae; aut schisma faciunt ad exercitationem nostræ patientiæ; aut hæresim aliquam gignunt ad examen, sive occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus Christianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi, aut sustineri. Sæpe etiam finit divina Providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de Congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel injuriam suam, cum patientissime pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quam vero affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talius ergo virorum popositum est, aut sedatis remeare turbinibus; aut si id non sinatur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu-
 talis,

talibus, aut seivior oriatur tempestas, tenent voluntatem consulendi, etiam
 „ eis ipsis, quorum motibus, perturbationibusque cesserunt, sine ulla conven-
 „ ticularum segregatione, usque ad mortem defendentes, & testimonio juvan-
 „ tes eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Hos coronat in
 „ occulto Pater, in occulto videns. “ Hæc S. Augustinus, Libro De vera Re-
 „ ligatione, cap. v. & vi. Ex quibus patet, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Schis-
 „ maticos, & iuste Excommunicatos, ab Ecclesia Catholica, adeoque a Sancto-
 „ rum Communionem excludi: qui autem iniuste excommunicati sunt, & ab Ec-
 „ clesia pulsi, quamvis ab externa Sacramentorum Communionem excludantur,
 „ illos tamen, si boni, ac pii sunt, ceterorum bonorum omnium spiritualium,
 „ quæ ad Ecclesiam pertinent, participes esse, adeoque Sanctorum Commu-
 „ nione frui: siquidem illos coronat Pater, in occulto videns. Rarum tamen
 „ videtur hoc hominum genus,

ARTICULUS XI.

Quo Symboli decimus Articulus explicatur.

REMISSIONEM PECCATORUM.

I. **P**ost Sanctæ Ecclesiæ commemorationem in Symbolo, *Remissionem pec-*
catorum confitemur. „ Per hanc enim stat Ecclesia, quæ in terris est: Nullius ju-
 „ per hanc non perit, quod perierat, & inventum est. Excepto quippe ba- sti vita sine
 „ ptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod remissione
 „ generatione adtractum est, regeneratione detrahatur; & tamen activa quo peccatorum
 „ que peccata, quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit: hac agitur.
 „ ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua
 „ solvitur omnis reatus & ingeneratus, & additus, ipsa etiam vita cetera
 „ jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fecunditate justitiæ, sine
 „ peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei quoad mortaliter vi-
 „ vunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, *Quot*
 „ *quot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*: sic tamen Spiritu Dei excitantur, Rom. 8. 14.
 „ & tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime ag-
 „ gravante corruptibili corpore, tamquam filii hominum quibusdam humanis
 „ motibus deficiant ad seipsos, & ideo peccent. “ Verba sunt S. Augustini in
 „ *Enchiridio*, cap. LXIV. Peccatum originale baptismo remittitur: activa, seu
 „ actualia peccata per Penitentiam: de quotidianis autem, levioribusque peccatis,
 „ sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Fidelium oratio satisfacit.

II. Remissio peccatorum, Dei propria est. *Ego sum*, inquit, *ego sum ipse*, Isai. 43.
qui deleo iniquitates tuas. Quemadmodum enim a nemine, nisi a credito-
 „ re, pecunia, quæ debetur, remitti potest: ita cum uni Deo peccatis ob-
 „ stricti simus, perspicuum est, a nemine, præter illum, peccata nobis con-
 „ donari posse. Unde quotidie ipsum oramus, *Dimitte nobis debita nostra*. Remissio
 „ Præterea non minor potestas necessaria est ad hominem ex impio justum peccato-
 „ redendum, & Animam a morte peccati suscitandam, quam ad mundi rum, Dei
 „ creationem, & corpora a morte excitanda: ad hæc autem infinitam, propria.
 „ & immensam Dei vim requiri certum est. Potestas dimittendi pec-
 „ cata, antequam Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ a Deo concessa est.
 „ Primus omnium Christus Salvator noster, ut homo, cum idem verus Deus
 „ esset, hoc munus a Patre accepit: *Ut sciatis*, inquit, *quia Filius hominis* Matth. 9.
 „ *habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico: Surge, tolle gra-*
 „ *batum tuum, & vade in domum tuam*. Hanc potestatem Ecclesiæ suæ con-
 „ cessit, ab Episcopis, & Presbyteris, ad hoc ordinatis Ministris, exercendam
 „ illius vice, & auctoritate, non suis meritis, cum & ipsi Medico cœlesti in-
 „ digeant.

digeant. Unde Joannis xx. Apostolis ait: *Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Hoc est, *Spiritus Sanctus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid estis vos? Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Deus habitat in templo sancto suo, hoc est, in Sanctis suis Fidelibus, in Ecclesia sua, per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui dimittit peccata per hominem, potest dimittere & præter hominem.*

2. Cor. 6.

III. Remissionis autem peccatorum Confessio fit in Symbolo, tacitis aliis ad justificationem pertinentibus: quia *Ipsa nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni fidem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius remissione peccatorum constet, quam perfectione virtutum, inquit S. August. Lib. xix. De Civitate Dei, cap. xxvii.*

Quid peccatorum remissio complectatur?

IV. Ceterum peccatorum remissio non culparum dumtaxat abolitionem, sed pœnarum etiam remissionem, & effectus omnes gratiæ Christi, fructus omnes sanguinis ipsius complectitur, plenam denique & integram totius hominis redemptionem, quæ æterna salute, & corporum etiam resurrectione complebitur, Hoc sensu remissio peccatorum in Scripturis Sacris frequenter usurpatur. Act. v. *Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* Act. X. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Matth. xxvi. *Hic est sanguis meus Novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ad Ephes. i. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.* Et ad Coloss. i. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Quamobrem S. Augustinus Libro ii. *De peccatorum meritis, & remissione, cap. xxxvi.* Redemptionem, & remissionem peccatorum pro eodem usurpari in sacris Paginis asserit, de Pelagianis scribens: *Non enim parum Paginarum divinarum auctoritati, veritatique ceserunt, qui etsi noluerunt litteris suis aperte exprimere, parvulis remissionem necessariam peccatorum, redemptione tamen eis opus esse confessi sunt; alio quippe verbo, etiam ipso de Christiana eruditione deprompto, nihil aliud omnino dixerunt.* Et Libro *De Spiritu, & Littera, cap. xxix.* Justificationem, quæ fit merito fidei, Resurrectionem esse docet, quæ a spiritu incipit, & in carne tandem complebitur in die Judicii novissimi. Quæ resurrectio etiam regeneratio, justificatio, & remissio peccatorum appellatur; quia peccatorum remissio per Baptismum facta, toto Christianæ vitæ decursu continuatur, & in ultimo tantum Judicii die perficietur, & consummabitur, cum extincta penitus in corpore immortalis concupiscentia, Justii felicitate illa donabuntur, quæ est, *Non posse peccare.* Sic autem loquitur S. Augustinus loco mox indicato: „ Per hanc fidem credimus, quod etiam nos Deus a mortuis excitet: interim spiritu, ut in novitate ejus gratiæ temperanter, & juste, & piè vivamus in hoc sæculo; post etiam carne nostra ad immortalitatem resurrectionis, quod est meritum spiritus, qui eam in resurrectione sibi congrua, hoc est, in justificatione præcedit.

Remissio peccatorum in die judicii perficienda, & consummandi.

Matth. 19.

Eodem sensu S. Ambrosius in Expositione Isaie Prophetæ, cap. i. ait: *Videamus, ne qua sit post hujus vitæ curriculum nostra regeneratio, de qua dictum est: In regeneratione cum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ. Sicut enim regeneratio Lavacri dicitur, per quam deterisa peccatorum colluvione renovamur: ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corpore concretione purificati labe, mundo animæ sensu, in vitam regeneramur æternam.* Hunc S. Ambrosii locum S. Augustinus profert Libro ii. *Contra*

tra

tra Julianum Pelagianum, cap. VIII. subditque: Nempe distinxit vir sanctus, & verax, justificationem vite hujus, quæ fit per lavacrum regenerationis, & illius perfectionem; cum & nostra corpora fuerint immortalitate renovata.

Ob eandem causam idem S. Augustinus cap. LXVI. Enchiridii ait: Magis propter futurum judicium fit remissio peccatorum. In hac autem vita usque adeo valet, quod scriptum est, Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium: ut etiam parvulos videamus post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari: ut intelligamus, totum quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem presentium pertinere. Eccl. 40.

Eodem sensu S. Petrus Chrysologus Sermone nonagesimo quinto ait, Christum in die Judicii dicturum Ecclesiæ: Dimittuntur tibi peccata multa, quia dilexisti multum: quia tunc erit remissio peccatorum, quando tolletur materia tota peccandi; quando corruptio induct incorruptionem; quando mortalitas immortalitatem consequetur; quando peccati caro, caro totius efficietur sanctitatis; quando terrena servitus cælesti dominatione mutabitur; quando militia humana divinum promovebitur ad Regnum.

V. Verum quamvis plena illa remissio in die tantum judicii perficienda, & consummanda sit, in iis tamen solis perficienda est, quibus in hac vita pœnitentiam agentibus in Ecclesia Catholica peccata remissa fuerint. Neque enim ad remissionem peccatorum poterit pervenire, si quis aut veram non teneat fidem, aut negligat bonæ operationis officium, aut rectæ credulitatis, & bonæ operationis concessum divinitus tempus mortifera præoccupatus vanitate contemnat. Hæc namque tria, idest, fides, opus, & tempus, ita sunt simul hominibus in hac vita necessaria; ut si cui unum ex his tribus in presenti sæculo defuerit, æternæ vite particeps esse non possit; ac per hoc, nec remissionem peccatorum consequetur, per quam ad æternæ vite præmium pervenitur. Credendum ergo est, 1. Quod peccatorum remissionem sola de Deo possit elicere cordis vera conversio. 2. Quod non alibi, quam in solo gremio Catholice Matris dimitti possint peccata conversis. 3. In presenti tantum sæculo remissionem omnium peccatorum conversis posse concedi (inquit S. Fulgentius Lib. 1. De Remissione Peccatorum, cap. v. & vi.) De peccatorum remissione, quid credendum?

VI. Peccata vere conversis dumtaxat, & sincere pœnitentibus dimitti, ex eo constat, quod Deus sit misericors, & justus. Quia ubi est misericordia, justitiaque perfecta, nec favorem potest Justus peccatis impendere, nec indulgentiam conversis Misericors abnegare. Hinc Psalmista canit: Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum; & in eo paravit vasa mortis. Hinc per alium Prophetam Dominus ait: Si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris. Hæc est inter Deum, hominemque conditio, idest, inter præcipientem Dominum, servumque poscentem. Si quod dico custodieris, dabo quod poscis. Ego tibi præcipio conversionem, tu poscis a me salutem: si parueris præcepto, poteris beneficio. Sed necesse est, ut sincere peccator ingemiscat: non ut quidam qui pro iniquitatibus quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi, & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde perverso contumaciter cumulant. Indulgentiam, quam lachrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi pravis operibus adimunt. Medelam postulant a Medico, & in perniciem suam subrogant adjutorium morbo. Ac sic inaniter verbis quærunt placam.

Peccata vero conversis dumtaxat remittuntur. S. Fulgentius cap. XI.

Psalm. 7.

Isai. 30.

re Judicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales numquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum. De his Scriptura divina sic loquitur: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Sic homo, qui jejunit pro peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem ejus quis exaudiet?* Recte igitur Deus ait homini: *Si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris.* Necessè est enim, ut Deus peccatori misertus ignoscat, si tamen peccator iniquitatem suam conversus agnoscat. Id exemplo Davidis comprobatur, qui cum ad Deum ingemiscens dixisset: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam &c.* subjunxit *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper.* Agnoscebat iniquitatem suam, non ut peccando magis augetet, sed ut penitendo dilueret; atque ita dominationem peccati, quam delectatio culpabilis invexit, conversio vera summovit. Hæc S. Fulgentius.

VII. In sola autem Ecclesia Catholica datur, & accipitur remissio peccatorum, quam super petram Christus fundavit, cui claves regni cœlorum, cui potestatem ligandi, solvendique concessit. *Ipsa proprie Sp. Sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur, consequantur vitam æternam* (inquit S. Augustinus in *Enchiridio* cap. LXV.) *Et in typo unitatis Petro Dominus dedit potestatem, ut id solveretur in terris, quod ille solvisset;* ut idem sanctus Doctor ait Lib. III. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. XVII. Ecclesiæ personam gerebant Apostoli, cum eis a Christo dictum est: *Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Igitur *Pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata. Petra tenet, petra dimittit: columba tenet columba dimittit: unitas tenet, unitas dimittit.* Extra hanc Ecclesiam Baptismus potest esse, non prodesse. Quare ab Ecclesia, qui foris sunt in diversis erroribus constituti, tunc accipient indulgentiam peccatorum, si ad eandem Ecclesiam recta fide, & contriti cordis humilitate fuerint conversi. Currant, dum tempus est, ad legitimam matrem. Non negligant fraternam societatem repetere, si volunt paternæ hæreditatis munere non carere. *De criminibus autem quantumlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda non est agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati.* Qui vero in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit. Verba sunt S. Augustini in *Enchiridio*, cap. LXIV. & LXXXIII.

VIII. In hoc denique sæculo pœnitentibus peccata remittuntur a Deo. Sterilis enim pœnitentia remissionis fructu privabitur, si divinitus indulti temporis opportunitas omittatur. Propterea S. Petrus ait: *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hic scilicet prodest pœnitentia peccatori, ubi Deus peccantem damnare non festinat, ut remissionem peccatorum ad pœnitentiam converso concedat. Qui vero in hac vita conversi ad Deum non fuerint, pœnitentiam quidem in die Judicii sunt habituri, non tamen indulgentiam divinitus accepturi. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via* (inquit Christus) *ne forte tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Adversarium sibi facit homo verbum Dei, quandiu illa facit, quæ Dei verbo, ac lege prohibentur. Bonus iste adversarius, qui salubri adversitate jugiter instat, ut a nobis adversitatem mortiferæ iniquitatis expellat.

30 Via nostra, præsens vita est: in qua si quis positus verbo Dei non con-
 31 senserit, non accipiet remissionem peccatorum, sed in fletu, & stridore Ecccl. 5. 8.
 32 dentium luet sine fine supplicium. Nec immerito numquam merebitur ca-
 33 rere tormento, qui quandiu hic vixit, noluit renunciare peccato. Ideo Sapiens
 hortatur peccatorem, ut cito hic pœnitentiam agat: *Non tardes (inquit)*
converti ad Dominum, & ne differas de die in diem . Subito enim veniet
ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te . Nunc tempus misericor-
diæ, tunc justitiæ: nunc tempus indulgentiæ, tunc vindictæ: nunc tem-
pus remissionis, tunc retributionis . Ecce nunc tempus acceptabile, ecce Isai. 49.
nunc dies salutis . Tunc autem Omnes manifestari oportet ante tribunal Chri- 2. Cor. 6.
sti, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive ma-
lum . Tempus nunc seminandi, tunc metendi . In finem usque præsentis vi-
tæ bonorum operum semina mittenda sunt, ut vitam æternam metamus :
hic seminandum cum lachrymis, ut tunc veniamus cum exultatione mani-
pulos uberrimos portantes . Nolite errare (inquit Apostolus) Deus non irri-
detur . Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet . Quoniam, qui seminat in Galat. 6.
carne sua, de carne metet corruptionem . Qui autem seminat in spiritu, de
spiritu metet vitam æternam . Bonum autem facientes, non deficiamus : tem-
pore enim suo metemus, non deficientes . Ergo dum tempus habemus opere-
mur bonum ad omnes Videte, Fratres, ne forte sit in aliquo Hebr. 3.
vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo: sed adhortamini vos-
metipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis
ex vobis fallacia peccati . Participes enim Christi effecti sumus, si tamen i-
nitium substantiæ usque in finem firmum retineamus . Improborum, qui
de malo ad bonum converti istius vitæ tempore negligunt, Propheta
contumaciam accusat, & pœnam a Deo infligendam prænuntiat : Psalm. 54.
Non enim est illis commutatio (inquit) & non timuerunt Deum : extendit
manum suam in retribuendo . Hujus opportunitatem temporis ob oculos po-
nit Propheta, cum peccatores ad conversionem his verbis hortatur : Isai. 55.
Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate illum, dum prope est . Derelin-
quat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad S. Fulgent.
Dominum, & miserebitur ejus; & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad Lib. 2. de
ignoscendum . Nunc ergo Dominus quærendus est, cum potest a quærentibus Remiss.
inveniri: nunc invocandus, cum est proximus invocanti . Ceterum bona Dei Peccat.
non videbit in terra viventium, qui in hac terra morientium non accepe-
rit remissionem peccatorum . Hoc enim ipse præordinavit hominum Sal-
vator, & Judex, ut quibus peccata dimittit, in hoc mundo dimittat . Propter
quod Judæis incredulis ait : Ut autem sciatis, quia potestatem habet Filius Matth. 9.
hominis in terra dimittendi peccata . Quod non ideo dixit, quia transeuntibus
hominibus de hac terra, hujus temporis peccata, si quibus vellet, relaxare
non possit: sed ut homines agnoscerent tempus remissionis, & retributio-
nis divina incommutabiliter constitutione discretum; nec audire humana
inaniter speraret vanitas, quod divina non promitteret veritas . Hinc est
etiam, quod Beato Petro, hoc est, Ecclesiæ suæ, In terra ligandi, & solven-
di tribuit potestatem, ut agnosceremus tempore mortalis hujus vitæ gratui-
tam tribui in peccatorum remissione misericordiam: in futuro autem justam
cunctis mercedem pro factorum qualitate reddendam . Quamobrem &
David a Spiritu Sancto eruditus remissionem peccatorum supplex a Deo po-
stulat, prius quam ex hoc sæculo abeat . Remitte mihi (inquit) ut refri- Psalm. 38.
gerer, prius quam abeam & amplius non ero .

Hæc S. Gregorius Magnus Libro XVIII. *Moralium*, cap. XIV. confirmat.
Sciendum (inquit) peccatorum remissio vel ubi, vel quando, vel qualibus detur.

Matth. 18. *Ubi quippe, nisi in Ecclesiæ Matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? Qualibus, nisi conversis, qui ad parvulorum imitationem magistra humilitate formantur? Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.*

A R T I C U L U S XII.

Quo Symboli Articulus undecimus exponitur.

C A R N I S R E S U R R E C T I O N E M.

§. I.

Resurrectionis futuræ veritas.

Fides resur- I. **P**ropria fides est Christianorum, Resurrectio mortuorum. Hanc Resurrectio-
rectionis. nem in seipso Caput nostrum Christus ostendit, & exemplum fidei no-
bis præstitit; ut hoc sperent membra in se, quod præcessit in capite (inquit S. *Augustinus* Sermone ccxli. alias *De Tempore* cxliii.) Mysterium istud Fidei nostræ Gentilibus Philosophis ignotum, etiam iis, qui Animæ immortalitatem rationis lumine cognoverunt, in sacris Litteris a Deo revelatum est. Job xix., Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die
Joan. 11. „ de terra surrecturus sum: & rursus circumdabor pelle mea: & in car-
„ ne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei
„ conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.
„ In Novo vero Testamento Marta Christo dicenti, Resurget frater tuus;
„ respondit: Scio, quia resurget in Resurrectione, in novissimo die. Idem
„ docet Apostolus 1. ad Corinthios xv. Si Christus prædicatur quod resurre-
„ xit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quod Resurrectio mor-
„ tuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christu-
„ s resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicati-
„ o nostra, inanis est & fides vestra.... Ergo & qui dormierunt in Christo
„ perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabilio-
„ res sumus omnibus hominibus. Et infra: Omnes quidem resurgemus, se-
„ d non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba
„ Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.
„ Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc in-
„ duere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem,
„ tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi
„ est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? “ Tria sunt, quæ
Tria mundi „ mundo videntur incredibilia, quæ tamen facta sunt, & jure merito credun-
incredibilia, quæ tamen „ tur. Incredibile videbatur, Christum resurrexisse in carne, & in cœlum ascen-
facta sunt, „ disse cum carne. Incredibile videtur, Mundum rem tam incredibilem cre-
& jure me- „ didisse. Incredibile, homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos,
rito credun- „ rem tam incredibilem. tam efficaciter Mundo, & in illo etiam doctis per-
tur. „ suadere potuisse. Incredibile videtur, corpora nostra aliquando resurrectura in
æternam. Horum incredibilium tria jam facta partim credimus, partim vi-
demus: cur igitur quartum, scilicet corporum nostrorum resurrectionem fu-
turam non credamus, & speremus, si quidem & illud ab eodem Deo, qui
hæc omnia futura esse prædixit, antequam vel unum illorum fieret, pa-
riter prænunciatum, & promissum est? Ita ratiocinatur S. *Augustinus* Libro
xxii. *De Civitate Dei*, cap. v.

II. Eo magis autem credibilis est Resurrectio mortuorum, quod plures a mortuis excitatos, Vetus, Novumque Testamentum, & certissima Historiæ Ecclesiasticæ Monumenta testentur. Ab Elia, inquam, & Elisæo, a Chri-

a Christo Domino, ab Apostolis, aliisque permultis Sanctis Viris, ad vitam plures revocati sunt: quidni ergo & universos homines resurrecturos credamus, Christo ita asserente, prædicantibus Prophetis, prædicantibus Apostolis?

III. Hæc veritas similitudinibus, & exemplis illustratur, quo minus incredibilis appareat. Prima similitudo ad id illustrandum aptissima, est similitudo seminis, sive grani, quod terræ mandatur, & mortuum reviviscit, & multum fructum affert. Nemo seminat herbam, vel stipulam, & multiplicia in palea tegumenta granorum, sed nudum granum: & illud tamen cum herba, seu stipula, & multiplicibus illis integumentis multiplicatum reviviscit, & refurgit: si ergo potest Deus addere, quod non erat in nudo femine, multo magis potest reparare, quod erat in hominis corpore. „ In-
 „ sipientis tu (inquit Apostolus) quod feminas, non vivificatur, nisi prius
 „ moriatur. Et quod feminas, non corpus, quod futurum est, feminas; sed
 „ nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum. Deus autem dat
 „ illi corpus sicut vult, & unicuique feminum proprium corpus Sic
 „ & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorru-
 „ ptione: feminatur in ignobilitate, surget in gloria: feminatur in infirmi-
 „ tate, surget in virtute: feminatur corpus animale, surget corpus spirita-
 „ le. Ad eam similitudinem multæ aliæ possunt adjungi, vicissitudinum scilicet, & quasi resurrectionum, quæ in natura, Deo operante contingunt. Dies in noctem moritur, & rursus cum Sole, cum dote integra, & tota universo orbi reviviscit. Anni tempestates, arbores, flores quotannis intereunt, & veluti resurgunt. Terra suscepta semina, uberiora, cultioraque restituit. „ Nihil deperit nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis
 „ rerum, testatio est Resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit
 „ Deus, ante quam litteris: viribus prædicavit, antequam vocibus: præmi-
 „ sit tibi naturam magistræ, summissurus & prophetiam, quo facilius cre-
 „ das prophetiæ, discipulus naturæ; nec dubites Deum carnis etiam resusci-
 „ tatorem, quem omnium noris restitutorem. Et utique si omnia homini
 „ resurgunt, cui procurata sunt, porro non homini, nisi & carni: quale est,
 „ ut ipsa deperat in totum, propter quam & cui nihil deperit? „ Verba sunt Tertulliani, Libro De Resurrectione carnis, cap. XII. cui succinit S. Gregorius Libro XIV. *Moralium*, cap. XXVIII.

Similitudinibus, & exemplis resurrectio mortuorum explicatur.

1. Cor. 15.

IV. Congruis præterea rationibus carnis Resurrectio probatur. Prima petitur ex Animarum immortalitate, & earum ad humana corpora, quibuscum hominem ut partes componunt, naturali propensione. Hinc enim colligitur, præter naturam esse, ut a corporibus sejunctæ perpetuo maneant: quia vero, quod naturæ adversatur, ac violentum est, diuturnum esse non potest, consentaneum fore videtur, ut corporibus iterum jungantur: quod fieri non potest, nisi corpora resurgant. Quo quidem argumenti genere Christus ipse Salvator noster usus est *Matth. XXII.* cum adversus Sadducæos corporum resurrectionem ex animarum immortalitate probavit. *De resurrectione autem mortuorum* (inquit) *non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.*

Rationes congruæ resurrectionis mortuorum Ratio 1. ex animarum immortalitate.

Exod. 3.

Ratio altera petitur ex justitia Dei, bonis præmia, penas malis retribuente. Cum enim corpora sint animarum instrumenta, & organa ad bona, vel mala opera; conveniens est, ut una cum animabus præmio, aut pena afficiantur. Quam rationem & Tertullianus Libro De Resurrectione Carnis, & S. Joannes Chrysostomus Homilia De Resurrectione Mortuorum, prosequuntur. Eadem rationem & hæc Apostoli verba complectuntur: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus*

Ratio 2. ex justitia Dei

1. Cor. 15.

hominibus. Quam quidem sententiam de animæ miseria non esse intelligendam perspicuum est. Cum enim immortalis sit, in futura vita beatitudine frui posset, quamvis corpora non resurgerent. Verum ad totum hominem hæc verba referenda sunt. Nisi enim corpori debita pro laboribus præmia reddantur, necesse est, ut qui tot ærumnas, & calamitates in vita perpeffi sunt, omnium sint miserrimi. Id confirmat rursus idem Apostolus II. ad Thessalonicenses 1. *Supercrefcit, inquit, fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem, ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus quas sustinetis in exemplum justii judicii Dei, ut digni habeamini in Regno Dei, pro quo & patimini. Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi: qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus: cum venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt. Adde, quod Sacrificia Deo grata, jejunia, virginitas, vigiliæ, martyrium, de bonis carnis adolentur, ut loquitur Tertullianus: & Apostolus ad Romanos scribens cap. XII. hortatur, ut exhibeamus Corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Sed quomodo vivam, si peritura sunt? Quomodo placabilem, si damnata sunt? (inquit idem Tertullianus.)*

Ratio 3. ex salute, & felicitate homini per Christum parata.

Ratio tertia petitur ex salute, & felicitate homini per Christum parata; quæ quidem plena, & perfecta esse non potest, quamdiu anima sejuncta est a corpore. Ut enim quælibet pars a toto separata, imperfecta est, ita etiam anima, quæ corpori non est copulata: ex quo sequitur corporis resurrectionem esse necessariam, ut illi ad perfectam felicitatem nihil desit. „ Resurget igitur caro (inquit Tertullianus) & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In deposito est ubicumque apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei, & hominum Christum Jesum, qui & homini Deum & hominem Deo reddet: carni spiritum, & spiritui carnem. Utrumque jam in semetipso fœderavit, sponsam sponso, & sponsum sponsæ comparavit. Nam etsi animam quis contenderit sponfam, vel dotis nomine animam sequitur caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur a sponso: habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum, carnem; ut collactanea comitabitur. Sed caro est sponsa, quæ & in Christo Jesu per sanguinem pacta est. Hujus interitum quem putas, secessum scias esse. “ Totum dubio procul hominem salvabit Christus, qui totus peccando periit; ut ubi abundavit delictum, superabundet gratia. Quomodo vero totus homo salvus censeretur, qui & perditus dici posset, carne scilicet perditus, anima salvus? *Quam indignum Deo (inquit Tertullianus) dimidium hominem redigere in salutem? Cum etiam secularium Principum indulgentia semper vindicetur. Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur, totum eum elidens: Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum relevans?*

Denique carnem, quæ Dei templum est, cujus membra sunt membra Christi; quæ corpore Christi pascitur, quod semen est immortalitatis; quæ Spiritum Sanctum inhabitantem habet, modo sancta sit, resurgere decet ad vitam immortalem, Christique corpori similem fieri, ut probat S. *Ireneus* Libro v. adversus Hæreses.

Cur carnis potius, quam hominum Resurrectionem in Symbolo confiteamur?

Quamvis sæpe in Sacris Scripturis caro integrum hominem significet, ut Isaïæ 1. *Omnia caro fanum*, & Joannis 1. *Verbum caro factum est*: hoc tamen loco significat corpus, ut duarum partium, scilicet animæ & corporis, quibus homo constat, alteram tantum, scilicet corpus, corrumpi, & in pulverem terræ, ex qua compactum est, redire; animam vero incorruptam manere intelligamus. Animam enim esse immortalem; secundum illam hominem *inexterminabilem*, & ad *Imaginem similitudinis Dei* conditum; Justorum animas *In manu Dei* esse, & non tangere illas *Tormentum mortis*. Illos esse *In pace*, & spem illorum esse *Immortalitate* plenam, *Pulverem*, id est corpus, *in terram suam reverti, unde erat, & spiritum redire ad Deum, qui dedit illum*, fides docet. Cum igitur Animam immortalem esse necessario credendum sit, & nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, Anima proprie non dicitur resurgere. Ideo carnis tantum suscitandæ mentio in hoc Symboli Articulo facta est.

Sap. 2. & 3.

Eccl. 4. 2.

Aliam addit hujus rei rationem Concilii Tridentini Catechismus, solius nempe carnis mentionem factam, ut *Himenei*, & *Phileti* refelleretur hæresis, qui asserabant, cum de resurrectione in Scripturis Sacris agitur, non de corporea, sed de spiritali, qua a morte peccati ad vitam spiritualem resurgitur, Scripturæ verba intelligi debere, adeoque *Resurrectionem jam esse factam*, ut refert Apostolus 11. ad *Timotheum* cap. 2.

§. III.

Omnes homines resurgent cum eodem corpore, & quidem integro.

Omnes, & singulos homines resurrecturos, omnimodorum, bonorumque discrimine remoto, Fides Catholica docet. *Sicut in Adam omnes moriuntur* (inquit Apostolus) *ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Proprium autem uniuscujusque corpus, quamvis corruptum, & in pulverem redactum, ad vitam suscitandum esse credendum est. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*, (ait idem Apostolus.) Pronomen, *Hoc*, proprium corpus aperte demonstrat. Qua de re & Sanctus Job clarissime vaticinatus est: *Et in carne mea* (inquit) *videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius*. Et certe cum resurrectio futura sit, *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*; hominem in ipso corpore, cujus opera vel Deo, vel dæmoni servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore præmia, aut supplicia æterna præferat. Incredibilis porro videri non debet humani corporis, quocumque modo perierit, a Deo instauratio. Non enim *Perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem, cineremve solvatur, in quoslibet halitus, aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum, cibum cedat, carnemque mutetur; illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit*.

2. Cor. 15.

1. Cor. 15.

Job. 19.

S. August.

in Enchir.

c. 88. & seq.

Incredibili

lis non est

humani

corporis,

quocumque

modo per-

ierit, a

Deo in-

stauratio.

„ Ipsa itaque terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea, quæ dilabuntur, & in alias atque alias rerum species, formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant, unde dilapsa sunt, ad eandem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire necesse sit.

Alioquin si capillis redit, quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus,

quod toties dempsit exsectio; immoderata, & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus, occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cujuslibet solubilis metalli, aut igne liqueceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad ejus integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constituerat, eam mirabili, & ineffabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant, & ungues ad ungues; an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis revocetur, curante Artificis Providentia, ne quid indecens fiat.

II. Nec illud est consequens, ut ideo diversa sit statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio Creatoris, ut in effigie sua cujusque proprietates, & discernibilis similitudo fervetur, in ceteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur, ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit, ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum, quibus cantus impletur; hoc fiet cuique de materie corporis sui, quod & hominem reddat Angelicis cætitibus, & nihil inconueniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit; sed quicquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit. Ita fidei doctrinam explicat S. Augustinus in Enchiridio.

Vulnerum
cicatrices
in gloriosis
Martyrum
corporibus.

Luc. 21.

Ad Martyrum forte gloriam pertinebit, quod in eorum corporibus vulnerum cicatrices maneant, quæ pro Christi nomine pertulerunt. *Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata, & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est, Capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo novo Sæculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortalis carne cernantur; ubi membra ut præciderentur, percussa, vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamvis itaque omnia, quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt; non sunt tamen deputanda, vel appellanda vitia virtutis indicia. Verba sunt S. Augustini Libro xxii. De Civitate Dei, cap. xix.

Ephes. 4.

III. Occurremus igitur omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut loquitur Apostolus: sive quia in ea ætate, & robore resurgemus, ad quam Christus pervenit, sive quia omnia Christi membra, quæ quotidie ejus corpori accedunt, dum ædificatur Ecclesia, tunc complebuntur; Christusque vir perfectus, caput, & corpus, tunc omnibus suis membris constabit. Quamobrem ex illa Apostoli sententia perperam aliquis colligeret, feminas in sexu virili, non in sexu proprio resurrecturas. Corporibus enim vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium sexus femineus, sed natura: quæ tunc quidem & a concubitu, & a partu immunis erit: erant tamen membra feminea, non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit & liberavit a corruptione, quod fecit. Denique Christus interrogatus a Sadducæis, qui resurrectionem negabant, cujus septem fratrum futura esset uxor, quam singuli successive habuerunt: non respondit, Vir erit

Unusquisque
in proprio
sexu resur-
get.

erit etiam ipsa, non mulier: sed dixit: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Erunt ergo, quæ vel nubere hic solent, vel qui ducere uxores, sed ibi hoc non facient. Æquales erunt Angelis immortalitate, ac felicitate, non carne: sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt Angeli Dei; quoniam nec mori potuerunt. Denique *Nuptias in resurrectione Dominus futuras negavit, non fœminas.* Ea de re ita differit S. Augustinus Libro xxii. De Civitate Dei, cap. xvii.

§. IV.

Varia erit Resurgentium conditio.

I. **Q**uamquam omnes tam boni, quam mali a mortuis resurgent, non tamen omnium resurgentium par erit conditio. Ex his enim *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper* (ut a Daniele prædictum est.) Et quemadmodum Christus docet, *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Id explicat Apostolus I. ad Corinthios xv. *Ecce (inquit) Mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.*

II. Reurgent omnium corpora immortalia, tam bonorum, quam malorum. *Mors ultra non erit.* Quamquam reprobi in sempiternis cruciatibus, *Quærent mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Unde S. Augustinus Libro 22. De Civitate Dei, cap. 3. *Prima mors, inquit, animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore.* Sed præter communem immortalitatem, habebunt Sanctorum rediviva corpora insignia quædam, & præclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura sint, quam unquam antea fuerint. Præcipua vero sunt quatuor illa, quæ *Dotes* a Theologis appellantur, ex Apostoli doctrina observatæ.

III. Prima est *Impassibilitas*, munus scilicet, & dos, quæ efficiet, ne molesti aliquid pati, ullove dolore, aut incommodo affici possint: *Seminatur in corruptione (inquit Apostolus) surget in incorruptione.* Quod S. Joannes in Apocalypsi confirmat his verbis: *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Longe autem alia fors erit reproborum: nam *Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure: quod est mors secunda.* Quicumque igitur ab illa perdit. onis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per unum Mediatorem Dei, & hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo, & eius Angelis puniantur. Utrum vero ipsi cum vitiosis, & deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcumque in eis vitiosa, & deformia membra gestarunt, in requirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulcritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio. Nec moveat, quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit; aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. *Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur, & ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur.* Hæc in Sanctis Scripturis secunda mors dicitur. Verba sunt S. Augustini in *Enchiridio*, cap. xcii.

Matth. 13.

Claritas.
Matth. 17.
Philipp. 3.
1. Cor. 15.Exod. 34.
1. Cor. 3.

IV. Dos altera est *Claritas*, qua Sanctorum corpora tamquam Sol fulgebunt. *Tunc Iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum* (inquit Christus Dominus.) Ac ne quis de eo dubitaret, suæ Transfigurationis exemplo declaravit, cum *Resplenduit facies ejus sicut Sol*. Hanc interdum Apostolus *gloriam*, modo *claritatem* appellat. *Reformabit* (inquit) *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Et rursus *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Hujus gloriæ imaginem quamdam exhibuit Deus populo Israel in deserto, cum facies Moysis ex colloquio, & præsentia Dei ita colluceret, *Ut non possent filii Israel intendere in faciem illius propter gloriam vultus ejus*. Quod si tanta fuit claritas ex brevi colloquio cum Deo Moyse communicata, & mox evacuanda; multo excellentior erit gloria permanens, ex æterna Dei visione, ex ipsaque beatitudine Dei in animam, & ex anima beata in corpus derivata. Quæ claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis Discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus, atque infirmus aspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci (inquit S. Augustinus Lib. XXI. *De Civitate Dei* cap. XIX.)

1. Cor. 15.

Unus tamen non erit corporum omnium gloriosorum splendor, sicut nec unus beatitudinis Animarum sanctarum gradus. *Alia claritas Solis* (inquit Apostolus) *alia claritas Lune, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum*.

Apoc. 21.

Ad hanc gloriam, & claritatem pertinet, quod Sancti, cum uniuscujusque e beatis sociis gloriosa corpora, & luce incomparabili fulgentia intuebuntur, simul arcana cordis ipsorum intimasque cogitationes, & affectus oculis mentis clarissime perspicient, ut explicat S. Gregorius Magnus Libro XVIII. *Moralium*, cap. XXVII. tractans hæc Apocalypsis verba: *Ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo*. Quæ sic explicat: „Auri metallum (inquit) novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri vero natura est, ut extrinsecus visu pura, intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quicquid intrinsecus continetur, absconditur: in vitro vero quilibet liquor, qualis continetur interius, talis exterius demonstratur; atque, ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam supernorum civium sanctitatem, quorum corda sibi invicem & claritate fulgent, & puritate translucent: quam Joannes in Apocalypsi conspexerat, cum dicebat: *Ipsa vero civitas aurum mundum, similis vitro mundo*. Quia enim Sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, & cum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur; hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi nempe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus: patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicibilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicibilis sibi. Nunc autem corda nostra, quamdiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur: cui scilicet luto per passionem mentis inhærere Propheta formidabat, cum diceret: *Eripe me de luto, ut non inhæream*: quod nimirum habitaculum corporum Paulus domum terrestrem nominat, dicens: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis*. In hac itaque terrestri domo quousque vivimus, ipsum, ut ita dicam, corruptionis nostræ parietem mentis oculis nullatenus penetra-

Psalm. 68.

2. Cor. 5.

„ mus, & vicissim in aliis videre occulta non possumus. Unde Sancta Ec-
 „ clesia Sponsi sui speciem videre in divinitate desiderans, nec tamen va-
 „ lens, quia æternitatis illius formam, quam intueri concupiverat, ab ejus
 „ oculis assumpta humanitas abscondebatur, in Canticis Canticorum mœrens
 „ dicit: *En ipse stat post parietem nostrum*; ac si aperte dicat: Ego hunc in
 „ divinitatis suæ jam specie videre desidero, sed adhuc a visione illius per
 „ assumptæ carnis parietem excludor. Quousque itaque in hac corruptibili
 „ carne vivimus, cogitationes nostras in alterutrum non videmus. Unde
 „ rursus per eundem Paulum dicitur: *Quis scit hominum, quæ sunt homi-*
 „ *nis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Illa itaq; Civitas, quæ sua vicif-
 „ sim singulis corda manifestat, ex auro dicitur similis vitro mundo; ut de-
 „ signetur auro clara, vitro manifesta.

Cant. 2.

1. Cor. 2.

V. Dos tertia est *Agilitas*, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, li-
 berabitur, facillimeque in quamcumque partem anima voluerit, ita move-
 ri poterit, ut ea motione nihil celerius esse queat. Quam dotem Apostolus
 his verbis expressit, *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*. Atque de hac
 dote S. Hieronymus locum illum Isaïæ explicat: *Qui sperant in Domino, mu-*
tabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt,
ambulabunt, & non deficient. Neque vero incredibile est, operationem Dei
 omnipotentissimam præstare posse „ Animis perfectissime beatis, ut quamvis
 „ terrena, tamen incorruptibilia jam corpora, ubi volunt, ponant, & quo
 „ volunt, agant, situ, motuque facillimo. An vero si hoc Angeli faciant,
 „ & quælibet animalia terrestria rapiant unde libet, constituentque ubi li-
 „ bet, aut eos sine labore non posse, aut onera sentire credendum est? Cur
 „ ergo Sanctorum perfectos, & beatos divino munere Spiritus sine ulla dif-
 „ ficultate posse ferre quo voluerint, & sistere ubi voluerint sua corpora
 „ non credamus? Nam cum terrenorum corporum, sicut onera in gestando
 „ sentire consuevimus, quanto major est quantitas, tanto major fit & gra-
 „ vitas, ita ut plura pondo, quam pauciora plus premant: membratamen
 „ suæ carnis leviora portat anima, cum in sanitate robusta sunt, quam in
 „ languore, cum macra sunt. Et cum aliis gestantibus onerosior sit sanus
 „ & validus, quam exilis, & morbidus; ipse tamen ad suum corpus mo-
 „ vendum, atque portandum agilius est, cum in bona valetudine plus ha-
 „ bet molis, quam cum in peste, vel fame minimum roboris. Tantum va-
 „ let in habendis etiam terrenis corporibus, quamvis adhuc corruptibilibus,
 „ atque mortalibus, non quantitatis pondus, sed temperationis modus. Et
 „ quis verbis explicet, quantum distet inter præsentem, quam dicimus sa-
 „ nitatem, & immortalitatem futuram? “ Ita differit S. Augustinus Libro
 XIII. De Civitate Dei, cap. XVIII.

Agilitas.

1. Cor. 15.
Isai. 40.

Et cap. XX. *Sicut*, inquit, *spiritus carni serviens non incongrue carnalis,*
ita caro spiritui serviens recte appellatur spiritalis, non quia in spiritum con-
vertetur, sicut nonnulli putant ex eo quod scriptum est, Seminatur corpus
animale, resurget spiritale: sed quia spiritui summa, & mirabili obtemperan-
di facilitate subdetur, usque ad immortalitatis indissolubilis securissimam volun-
tatem, omni molestie sensu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta. Non
solum enim non erit tale, quale nunc est in quavis optima valetudine; sed nec
tale quidem quale fuit in primis hominibus ante peccatum.

1. Cor. 15.

VI. Dos quarta *Subtilitas* est, cujus virtute corpus animæ imperio omni-
 no subjicietur, eique serviet, & ad nutum præsto erit: quod ex illis Apo-
 stoli verbis colligitur: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Hinc
 S. Augustinus in Enchiridio, cap. XCI. *Resurgent igitur* (inquit) *Sanctorum*
corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere,

Subtilitas.

1. Cor. 15.

difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod & spiritalia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus Et paulo post: Sed ideo ait Apostolus, Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: quoniam tanta erit tunc concordia carnis, & spiritus vivificante spiritu sine sustentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.

S. V.

Fructus ex hoc Articulo Fidei colligendi.

Ob hujus
Mysterii
revelatio-
nem gratiæ
Deo agen-
dæ.

Act. 17.

Fides Re-
surrectio-
nis, Chri-
stianorum
consolatio.

2. Theß. 4.

Mortui a
Christianis
non lugen-
di:

I. **EX** carnis Resurrectione, quam fide credimus, & certa spe expectamus, spirituales fructus colligendi sunt, quos Tridentini Concilii Catechismus indicat. Primo scilicet Deo maximas gratias agere debemus, qui Mysterium istud mundi Sapientibus abscondit, & revelavit parvulis. Quot enim viri, vel humanæ prudentiæ laude præstantes, vel doctrinæ, & eloquentiæ laude conspicui, in hac tam certa veritate cæci plane fuerunt, & in errores absurdissimos sunt prolapsi? Quidam enim Metempsychosim, seu revolutionem animarum de corpore in corpus asseruerunt: alii corpora in perpetuum peritura censentes, mortuorum propositam resurrectionem irriserunt. Quod igitur nobis affulserit illuminatio Evangelii, divinaque illa veritas sit nobis a Deo revelata, gratias infinitæ Dei misericordiæ maximas agere debemus.

II. Secundo, fides Resurrectionis consolari nos debet in morte propinquorum, & amicorum nostrorum, quorum corpora nunc vita destituta, & in pulverem redigenda, aliquando ad vitam reditura credimus, & quidem sine ullo vitio, sine ullis incommodis; immortalia, pulchra, gloriosa, Solis instar fulgentia, si Christiane pieque vixerint, & in Domino obierint: nosque simul cum illis raptos iri obviam Christo in æra, & sic semper cum Domino futuros, si Christiane pariter, & pie vixerimus, & in charitate obierimus. Hoc genere consolationis Apostolus usus est ad Thessalonicenses scribens. *Nolo vos (inquit) ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo, &c. Itaque consolamini invicem in verbis istis.* Neque nos ipsi mortem timere debemus, sed læti ex hoc mundo exire, cum nos Deus accersiverit. Qua de re S. Cyprianus Libro *De Mortalitate* scribit: „Nobis quoque ipsis minimis, & extremis quoties revelatum est, quam frequenter, atque manifeste de Dei dignatione præceptum est, ut contestarer assidue, & publice prædicarem, fratres nostros non esse lugendos, accersitione dominica de sæculo liberatos; cum sciamus eos non amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent; desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumperint; occasionem dandam non esse Gentilibus, ut nos merito, ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos, ac perditos lugeamus; & fidem, quam sermone, & voce depromimus, cordis, ac pectoris testimonio non probemus. Spei nostræ, ac fidei prævaricatores sumus, simulata, ficta, fucata videntur esse, quæ dicimus. Nihil prodest verbis præferre virtutem, factis destruere veritatem. Improbat denique Apostolus Paulus, & objurgat, & culpat, si qui contristentur in excessu suorum. *Et infra: Mentem integram, fide firmam, virtute robustam, parati ad omnem voluntatem Dei simus: pavore mortis excluso, immortalitatem, quæ sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse,*

esse, quod credimus, ut neque charorum lugeamus excessum: & cum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter, & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.

III. In omnibus etiam hujus vitæ ærumnis, & calamitatibus, præcipue vero in morbis, quibus mortale corpus nostrum premitur, & corrumpitur, summum nobis doloris levamen affert Resurrectionis fides, quemadmodum Sancti Job exemplo didicimus, qui una hac spe afflictum, & mœrentem in gravissimis adversitatibus animum sustentabat, fore ut aliquando in Resurrectione Dominum Deum suum conspiceret. Nam, ut ait Tertulianus, *Fiducia Christianorum, Resurrectio mortuorum*.

IV. Variam resurgentium conditionem, & sortem considerantes, satagere debemus, ut vitæ innocentia, bonisque operibus digni simus *Resurrectione vitæ*; timere debemus, ne in peccata gravia prolapsi, nec penitentiam agentes, in illis moriamur, processuri aliquando in *Resurrectionem judicii*.

Vivamus ergo in hac vita, ut *Filii Resurrectionis*, *Curam carnis* ne fecerimus *in desideriis ejus*. Non exhibeamus membra nostra *arma iniquitatis peccato*; sed exhibeamus nos Deo *tamquam ex mortuis viventes*, & membra nostra *arma justitiæ Deo*. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Corpus ad gloriam æternam non resurget, sed in opprobrium, & ad pœnas sempiternas, nisi anima a peccato resurgat ante mortem corporis, & in vita gratiæ perseveret. Corpus non resurget impassibile, si anima nunc pravis cupiditatibus cedat, eisque se abripi ignave patiatur. Corpus animæ non parebit, non serviet, non ad nutum præsto erit, nisi anima nunc Deo subdita sit. Tunc non erit corpus agile, ut

moveatur in quancumque partem voluerit anima, nisi alacres, agiles, & prompti ad mandata Dei exequenda, ad opera pietatis, & charitatis, in hac mortali vita fuerimus. *Moriatur igitur in nobis hoc sæculum, moriatur nobis carnis istius sapientia, quæ inimica est Deo*. Subjiciamus animam nostram soli Christo, ut dicat unusquisque: Nonne Deo sub-

jecta est anima mea? *Non sæculo subdita, non mundo (inquit) subdita*.

Non potest hoc pecuniosus, non potest avarus dicere: sed dicit justus, & continens. *Avarus autem dicit: Anima, habes multa bona in annos mul-*

tos posita, requiesce, manduca, bibe, epulare. *Quia avari anima subdita est luxuriæ corporali: Justi autem anima utitur corpore, ut instrumento, aut organo, quæ velut præclara artifex, quo vult, obsequium corporis ducit, & effingit de eo speciem, quam elegerit, & eas, quas voluerit, facit in eo*

resonare virtutes, pangens nunc modulus castitatis, nunc modulus temperantiæ, sobrietatis carmen, integritatis dulcedinem, virginitatis suavitatem, gravitatem viduitatis ... Dum in corpore sumus, usum mortis imitantes ablevemus animam nostram ex istius carnis cubili, & tamquam de isto exurgamus sepulchro.

Abducamus nos a corporis nexu, relinquamus omnia quæcumque terrena sunt; ut cum venerit adversarius, nihil in nobis inveniat suum. Contendamus ad illud æternum, ad illud divinum evolemus pennis dilectionis, & remigio charitatis. Verba sunt S. Ambrosii, Libro De Bono Mortis, cap. v. & vi.

Danda opera, ut digni simus resurrectione vitæ.

Rom. 6.

Psalm. 61.

Luc. 12.

ARTICULUS XIII.

Quo Symboli postremus Articulus explicatur.

VITAM ÆTERNAM.

§. I.

Quid sit Vita Æterna?

Vita æterna est beatitudo in vitæ perpetuitate.
Luc. 18.

Psal. 101.
Psal. 16.

Veræ felicitatis characteres, non mori, non falli, non offendi.

Beata vita si non amatur, non habetur.

Joan. 5.

Vitæ nomine beatitudo in sacris Litteris significatur.

Psal. 35.

Vitæ æternæ nomine non magis perpetuitas vitæ, cui etiam reprobis ad dicti sunt, quam in perpetuitate beatitudo, quæ Sanctorum desiderium expleat, significatur. Atque ita intelligebat Legisperitus ille, qui a Christo quæsit, quid sibi faciendum esset, ut *Vitam æternam* possideret; perinde, ac si diceret: Quænam mihi præstanda sunt, ut ad eum locum perveniam, ubi perfecta felicitate frui liceat? In hunc vero sensum sacræ Litteræ hæc verba usurpare solent. Hoc autem potissimum nomine summa illa Beatitudo appellata est, ne in rebus corporeis, & caducis posita existimetur, & in hac vita quærenda, cujus bona quæcumque hominis desiderium explere non possunt; cum de solo Deo vere dici possit: *Qui replet in bonis desiderium tuum: & Satiabor cum apparuerit gloria tua*: tum quia semel adepta felicitas amitti non potest. Illa enim est vera felicitas, cujus est semper retinenda, & nulla infelicitate abrumpenda certa securitas. Nemo beatus, nisi qui vivit, ut vult, & iustus est. *Sed etiam ipse iustus non vivit, ut vult, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit; eique sit certum, ita semper futurum.* Hoc enim natura expetit: nec plene, atque perfecte beata erit, nisi adepto, quod expetit. Nunc vero quis hominum potest ut vult vivere, quando ipsum vivere non est in potestate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodo ergo vivit ut vult, qui non vivit quamdiu vult? Quod si mori voluerit, quomodo potest ut vult vivere, qui non vult vivere? Et si ideo mori velit, non quo nolit vivere, sed ut post mortem melius vivat: nondum ergo ut vult vivit, sed cum ad id, quod vult moriendo pervenerit. Verum ecce vivat ut vult, quoniam sibi extorsit, sibi que imperavit non velle, quod non potest, atque hoc velle, quod potest: num ideo beatus est, quia patienter miser est? Beata quippe vita si non amatur, non habetur. Porro si amatur, & habetur, ceteris omnibus rebus excellentius necesse est ametur: quoniam propter hanc amandum est quicquid aliud amatur. Porro si tantum amatur, quantum amari digna est (non enim beatus est, a quo ipsa beata vita non amatur, ut digna est) fieri non potest, ut eam, qui sic amat, non æternam velit. Tunc igitur beata erit, quando æterna erit. Ita differit S. August. Libro XIV. De Civitate Dei, cap. xxv.

Vitæ nomine significatur Beatitudo in Sacris Litteris, quia vita damnatorum in cruciatibus æternis non est proprie vita: *Et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ*, (inquit Christus;) *qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Vitam damnatorum in ignibus sempiternis Scriptura non est dignata appellare vitam, ut ipsum nomen vitæ laudis sit, non mæroris; ut ubicumque audis vitam, tormenta non cogites. Nam in tormentis esse semper, æterna mors est, non aliqua vita. Ipsam vocant Scripturæ mortem secundam, post hanc primam, quam omnes humanæ conditioni debemus. Et *Mors secunda*, & mors vocatur, & nemo ibi moritur. Melius dixerim, nemo ibi vivit. In doloribus enim vivere, non est vivere. Unde Scriptura ait: *Et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.* Non dixit, beatæ vitæ, sed in resurrectionem vitæ. Solum vitæ nomen trahit beatitudinem. Unde etiam Propheta ait: *Quo-*

„ *niam apud te est fons vitæ.* Tantummodo dixit vitæ, ut intelligas beatæ: quia si miseræ, jam nec vitæ. Ideo & Christus Legisperito roganti, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Non dixit, si vis venire ad vitam beatam, sed solam vitam nominavit, quia „ *Illa vita sola est, quæ nec beata esse potest, nisi fuerit æterna.* Cum pervenerimus ad vitam, certum nobis erit in ea nos semper futuros. Nam si erimus ibi, & utrum ibi semper futuri simus, incerti erimus; etiam ibi erit timor. Et si erit timor, cruciatus erit, non carnis, sed, quod pejus est, cordis. Ubi autem cruciatus, quæ Beatitudo? Erit ergo nobis certum, quia in illa vita semper erimus, & illam finire non poterimus: quia in illius Regno erimus, de quo dictum est, *Et Regni ejus non erit finis.* Ibi esse nostrum non habebit mortem; ibi nosse nostrum non habebit errorem; ibi amare nostrum non habebit offensionem (inquit *S. August.* Libro XI. *De Civitate Dei* cap. XVIII.)

Matth. 19.
17.

Luc. 1.

S. II.

Æterna Beatitudo congruis verbis explicari non potest sed mentis humane captum superat.

Omnium tamen malorum liberatione, Bonorumque omnium possessione definitur potest.

I. **O**culus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum (inquit Apostolus.) Variis nominibus in sacris Litteris Beatitudo significatur. Appellatur enim *Vita æterna*, & simpliciter *Vita* (ut jam observavimus.) *Regnum cælorum*, *Regnum Dei*, *Paradisus*, *Sancta Civitas*, *Nova Jerusalem*, *Nuptiæ Agni*, *Nuptiale Convivium*, *Domus Dei*, *Torrentis voluptatis*, *Gaudium Domini*: sed tamen hæc nomina perfectam beatitudinis ideam in mentibus nostris formare nequeunt; ejus rationem perfecte non exprimunt. *Æterna* illa felicitas omnium malorum liberatione, & bonorum omnium adeptione definienda est. Immunitas est ab omnibus mortalis hujus vitæ miseriis, erroribus, terroribus, tentationibus, laqueis, perturbationibus, peccatis. Tunc Deus „ Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est (inquit *Isaias*.) Non esurient, neque sitient; & non percutiet eos æstus, & Sol: quia Miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas, & conditio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes Justi. Prophetis Veteris Testamenti Oraculis consonat Novi Testamenti Prophetia, scilicet Apocalypsis cap. VII. vers. 16. & cap. XXI. vers. 4. & 23.

1. Cor. 2.
Beatitudo
variis no-
minibus si-
gnificata.Vita æterna
malorum
omnium
perfectam
immunita-
tem com-
plectitur.Isa. 25.
Isai. 49. &
60.

II. Perfectam illam a malis omnibus istius mortalis vitæ immunitatem, quam in Vita æterna obtinebimus, egregie, ac luculente *S. August.* describit, Enarratione in Psalmum XLIX. hunc Versum, „ *Tribulationem, & dolorem inveni, explicans.* Hoc ipsum (inquit) quod cum Deo nondum sumus, hoc ipsum, quod inter tentationes, molestiasque versamur, quod sine timore esse non possumus, tribulatio est: non enim est illa securitas, quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ, qui

„ non

„ non invenerit, ad patrem redire non cogitat. Tribulatio illa est, Fra-
 „ tres. Certe modo facimus bona opera, quando porrigimus panem esurien-
 „ ti, domum peregrino &c. tribulatio est & hæc. Invenimus enim mise-
 „ ros, super quos misericordiam facimus; & miserorum miseria facit nos
 „ compatientes. Quanto melius ibi jam esses, ubi non invenis esurientem,
 „ quem pascas, ubi non invenis peregrinum, quem suscipias, non nudum,
 „ quem vestias non ægrum, quem visites, non litigantem, quem concor-
 „ des? Omnia enim ibi summa sunt, sancta sunt, æterna sunt. Panis no-
 „ ster ibi justitia est, potus noster ibi sapientia est, vestis nostra ibi im-
 „ mortalitas est, domus nostra æterna in cœlis, firmitas nostra immortali-
 „ tas. Numquid ægritudo subrepat? Numquid lassitudo ad somnum trahit?
 „ Nulla mors, nulla lis: ibi pax, quies, gaudium, justitia. Nullus in-
 „ trat inimicus, nullus labitur amicus.

Beatitudo
perfecta
pax.

Et in Psal. LXXXIV. hæc verba explicans, „ Quoniam loquetur pacem in
 „ plebem suam, ait: Pax quid est? Ubi nullum bellum est, ubi nulla con-
 „ tradictio, ubi nihil resistit, ubi nihil adversum est. Videte si jam ibi su-
 „ mus, videte si jam non est conflictus cum diabolo, videte si non omnes san-
 „ cti, & fideles cum Principe demoniorum luctantur. Et quomodo cum il-
 „ lo luctantur, quem non vident? Luctantur cum concupiscentiis suis, qui-
 „ bus ille suggerit peccata, & non contentiando, quod suggerit, etsi non
 „ vincuntur, tamen pugnant. Nondum est ergo pax, ubi pugna est. Aut
 „ date mihi hominem, qui nihil tentationis patitur in carne sua, ut pos-
 „ sit mihi dicere, quia jam pax est. Nihil quidem tentationis forte patitur
 „ in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas patitur: vel suggeritur
 „ illi, quod respuit, vel delectat, unde contineat. Sed ecce jam nihil dele-
 „ ctat, illicitum: Vel contra famem, & sitim pugnat quotidie. Quis enim
 „ justus hinc alienus? Pugnat ergo fames, & sitis, pugnat contra nos las-
 „ situdo carnis, pugnat delectatio somni, pugnat oppressio. Vigilare volu-
 „ mus, dormitamus: jejunare volumus, esurimus, & sitimus: stare volu-
 „ mus, defatigamur. Quærimus sedere, si & hoc diu facimus, deficimus.
 „ Quicquid nobis providerimus ad refectorem, illic rurius invenimus defe-
 „ ctorem. Et uris? dicet tibi aliquis. Respondes, Esurio. Ponit ante te cibum,
 „ ad refectorem posuerat: Persevera in eo, quod posuit; certe reficere te
 „ volebas, hoc age semper; hoc agendo, in eo, quod adhibueras ad refe-
 „ ctorem, ibi invenis lassitudinem. Multum sedendo fatigatus eras; surgis,
 „ deambulando reficeris: persevera in eo, quo reficeris: multum deambu-
 „ lando lassaris; sedere iterum quæris. Inveni mihi aliquid unde te refi-
 „ cias, ubi non, si perseveraveris, iterum deficias. Qualis ergo est ista pax,
 „ quam hic habent homines tantis resistentibus molestiis, cupiditatibus, in-
 „ digentiis, lassitudinibus? Non est ista vera, non est perfecta pax. Quæ
 „ erit perfecta pax? *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mor-
 „ tale hoc induere immortalitatem, &c.* Ubi enim adhuc mortalitas, quo-
 „ modo est plena pax? Et post pauca: *Erimus* (inquit) *in quadam Civi-
 „ tate. Fratres, quando de illa loquor, finire nolo, & maxime quando scan-
 „ dala crebrescunt. Quis non desideret illam Civitatem, unde amicus non exit,
 „ quo inimicus non intrat, ubi nullus tentator est, nullus seditiosus, nullus di-
 „ videns populum Dei, nullus fatigans Ecclesiam? ... Erit ergo pax purgata in
 „ filiis Dei, omnibus amantibus se, videntibus se plenos Deo, cum erit Deus om-
 „ nia in omnibus. Commune spectaculum habebimus Deum, communem posses-
 „ sionem habebimus Deum, communem pacem habebimus Deum ... Quicquid e-
 „ nim est, quod nobis modo dat, ipse nobis erit pro omnibus, quæ dat. Ipsa e-
 „ rit perfecta, & plena pax.*

1. Cor. I.

Et

Et Tractatu xxx. in Joannem, *Quid est, inquit, homo novus? A vetustate innovatus. Ad quam rem innovatus? Ad desideranda cœlestia, ad concupiscenda sempiterna, ad Patriam, quæ sursum est, & hostem non timet, desiderandam; ubi non perdimus amicum, non timemus inimicum; ubi vivimus cum bono affectu, sine ullo defectu; ubi nemo nascitur, quia nemo moritur; ubi nemo jam proficit, & nemo deficit; ubi non esuritur, & non sititur, sed societas est immortalitas, & cibus veritas.*

III. Non solum omnium malorum immunitatem, sed omnium possessionem bonorum beatitudo cœlestis complectitur. Unde perfecta felicitas definiri solet, *Status omnium bonorum aggregatione perfectus* ., Beatitudo est fruitio Dei: Deus autem est omnis boni bonum, est bonum simplex, ipsum bonum, quo „ cuncta sunt bona. Si nos delectant bona ista, quæ appellantur bona, si „ nos delectant bona, quæ non sunt per se bona (omnia enim mutabilia „ non sunt per se bona) *qualis erit contemplatio incommutabilis boni, „ eterni, semper eodem modo manentis? Quandoquidem ista, quæ dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona; nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent, qui simpliciter bonus est* (ut differit S. August. Enarratione in Psalm. xxvi.) Bona omnia in Deo haberi, ostendit idem Sanctus Doctor Tractatu xiiii. in Joannem, explicans hæc verba: *Quoniam apud te „ est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* In terra (inquit) aliud „ est fons, aliud lumen. Sitiens quæris fontem; ut pervenias ad fontem, „ quæris lucem. Fons ille ipsa est lux: sitiens fons est, cæco lux est: a- „ periantur oculi, ut videant lucem; aperiantur fauces cordis, ut bibant „ fontem: quod bibis, hoc vides, hoc audis. *Totum tibi fit Deus: quia eo- „ rum, quæ diligis, totum tibi est.* Si visibilia attendis, nec panis est Deus, „ nec aqua est Deus, nec lux ista est Deus, nec vestis est Deus. Omnia „ enim hæc visibilia sunt, & singula sunt: quod est panis, non hoc est a- „ qua; & quod est vestis, non hoc est domus; & quod sunt ista, non hoc est „ Deus: visibilia enim sunt. Deus tibi totum est: si esuris, panis tibi est: „ si sitis, aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est: si nudus es, „ immortalitatis tibi vestis est, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem... Omnia possunt dici de „ Deo, & nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quæris „ congruum nomen, non invenis: quæris quoquo modo dicere, o- „ mnia invenis. *Sic illud recte intelligitur, quod ait Apostolus, Ut sit „ Deus omnia in omnibus. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, „ qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione lau- „ dabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, si- „ cut ipsa vita æterna communis...* Quanta erit illa felicitas, ubi nul- „ lum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui e- „ rit omnia in omnibus? Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec erro- „ re quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabi- „ tur digno, nulli deferetur indigno: sed nec ad illum ambiet ullus indi- „ gnus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil ad- „ versi, nec a seipso, nec ab alio quisquam patietur. Premium virtutis „ erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo melius, & majus ni- „ hil possit esse, promisit Beata illa Civitas magnum in se bonum vi- „ debit, quod nulli superiori ullus inferior invidet: tamque nolet esse „ unusquisque, quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordie vin- „ culo ei, qui accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculus esse, „ qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis paca- „ ta compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quo-

Vita æter-
na bono-
rum om-
nium pos-
sessionem
complecti-
tur.

Psalm. 35.
10.

Deus nobis
totum est.

S. Aug. Lib.
22. De Ci-
vit. Dei
cap. 30.

„ que

- que donum habeat, ne velit amplius. Accedet ad beatitudinis cumulum felix impotentia peccandi. Primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo; novissimum, quo peccare non posset: utque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit ista natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit, non posse mori: ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis, & æquitatis, quomodo est felicitatis Erit ergo illius Civitatis, & una in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum; nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut Liberatori suo non sit grata Ibi perficietur, *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus* Ibi vacabimus, & videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus, & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad Regnum, cujus nullus est finis? Hæc S. August. Libro XXI. *De Civitate Dei*, cap. ultimo.
- Nullum unquam in beatificis illis, ac sempiternis actibus, visione scilicet, amore, ac laudibus Dei, tædium erit, quia nullus in earum objecto defectus, nullus finis erit. *Beati*, inquit Propheta, *qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Omnes, qui beati dicuntur in terra, habent aliquid, & agunt aliquid. Beatus est homo ille, tot prædiis, tanta familia, tanto auro, & argento: habendo beatus dicitur. Beatus est, ad illos honores pervenit, ad Proconsulatam, ad Præfecturam: agendo beatus dicitur. Ergo aut habendo, aut agendo. Unde autem ibi beati, quid habituri, quid acturi? *Beati, qui habitant in domo tua. Domum tuam si habueris, pauper es: domum Dei si habueris, dives es. In domo tua timebis latrones, domui Dei murus ipse Deus est. Possident Jerusalem cœlestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate, & divisione limitum: omnes habent eam, & singuli habent totam. Magnæ illæ divitiæ. Non angustat frater fratrem, nulla ibi indigentia est. Quid ergo ibi acturi? In sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu Alleluja. Non vobis, Fratres, videatur quasi fastidium ibi futurum: quia si modo hoc diu dicatis, non duratis, ab illo gaudio necessitas vos avertit. Et quia non tantum delectat, quod non videtur, si tanta alacritate in ipsa pressura, & fragilitate carnis laudamus, quod credimus, quomodo laudabimus, quod videbimus? Cum absorpta fuerit mors in victoriam, cum mortale hoc induerit immortalitatem, nemo dicet, Diu steti, diu jejunavi, diu vigilavi. Stabilitas enim magna ibi, & ipsa immortalitas jam corporis nostri suspendetur in contemplatione Dei. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Jam similes illi, quando deficiemus: quo avertemur? Securi ergo simus, non nos fatiabit laus Dei, amor Dei. Si deficiet ab amore, deficiet a laude. Si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit, noli timere, ne*

„ non possis semper laudare, quem semper poteris amare. Verba sunt S. Augustini, Enarratione in Psalm. LXXXIII. *Hoc erit otiosorum negotium, hoc opus vacantium, hæc actio quietorum, hæc cura securorum* (inquit idem Doctor Enarratione in Psalm. cx.) Nulla ibi erunt opera necessitatis, nulla enim ibi necessitas: nulla opera iniquitatis, nulla enim ibi iniquitas: nulla opera misericordiæ, quia nulla ibi miseria. Totum, æternumque opus Deum videre, amare, laudare. *Misericordias Domini in æternum cantabo Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.* Modo in morte potius, quam in vita sumus, cum a Domino peregrinamur: ideo perfecte Deum non laudamus; laudamus tenuiter, exiliter, infirmiter. Mortalis enim hujus vitæ necessitatibus, & curis rerum terrenarum, a Dei laudibus avocamur. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sed in vita æterna Deum laudabimus, quo modo laudandus est, quando *Totum negotium nostrum ipsa laus erit.* Et quomodo laudabimus Dominum? *Psallam Deo meo, quamdiu sum.* Quale erit illud esse? *Ubi sempiterna laudatio erit, sempiternum esse erit.* „, Ecce modo es, numquid „ psallis Deo tuo quamdiu es? Ecce psallebas, avertisti te ad aliquid, quod negotium. Fortasse etiam cupiditate inclinatus ad aliquid, non „ solum non psallis, sed & offendis auditum ejus. Quæ erit illa laudatio, ubi quamdiu es, laudes? Sed quid ait, *Quamdiu sum?* Aliquando forte non erit? *Immo æternum erit ipsum diu, & ideo vere diu erit.* Nam quicquid finem habet in tempore, quantumlibet longum „ sit, diu non est. Hæc S. Augustinus in Psalmum CXLV. *Non fluctuabit negotium nostrum* (inquit alibi) *otiosum negotium, plenum solius dulcedinis, nulla interpellatum molestia, nulla fatigatione sauciatum, nulla nube perturbatum.* *Negotium nostrum quod erit? Laudare Deum, amare, & laudare, laudare in amore, in laudibus.* Beati qui habitant in „ domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Quare, *nisi quia in sæcula sæculorum amabunt te? Quare, nisi quia in sæcula sæculorum videbunt te?*

IV. Summa certe felicitas Dei fruitio, & amor. Ut enim S. Augustinus ait Libro I. De Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. III. „, Beatus neque „ que ille dici potest, qui non habet, quod amat, qualecumque sit; neque „ que, qui habet, quod amat, si noxium sit; neque qui non amat, „ quod habet, etiamsi optimum sit. Nam & qui appetit, quod adipisci non potest; cruciatur, & qui adeptus est, quod appetendum non „ est, fallitur; & qui non appetit, quod adipiscendum esset, ægrotat. „ *Beata igitur vita tunc solum est*, cum id, quod est hominis optimum, „ & amatur, & habetur, Quid enim est aliud, quod dicimus frui, nisi „ præsto habere, quod diligis? Duæ porro conditiones sunt summi boni: „ prima, ut nihil eo melius sit; altera, ut tale sit, quod non amittat invitus. Deo autem nihil melius est: Deum nemo amittit invitus: igitur consecutio Dei beatitas est. Illius igitur visio, amor, fruitio sempiterna, „ vita æterna est. Ex dulcissimis illis actionibus nascitur gaudium incomparabile. *Beata vita*, (inquit S. Augustinus Libro x. Confessionum, cap. „ XXIII.) *est gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea, salus faciei meæ Deus meus. Ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te.* Unde Christus ait: *Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Terrena gaudia intrans in cor, quia creatura, de quibus gaudemus, corde nostro inferiores sunt, &

Psalm. 82. 1.
Psalm. 145. 2.

Sap. 9.

Totum beatorum negotium laus Dei.

Enarrat. in Psalm. 147.

Psalm. 83. 5.

Summa Felicitas, Dei fruitio, & amor.

Duæ summi, ac beatorum boni conditiones.

Beata vita gaudium de veritate. Matth. 25. 21.

- E. Joan. 3. minores: sed cor nostrum intrat in gaudium Domini, quia *Deus est major corde nostro*. Gaudii hujus cœlestis immensitatem ebrietatis nomine Prophetâ significat, quæ extra se rapitur homo, & quasi sui, rerumque omnium creaturarum obliviscitur in Deum immerfus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Quæ verba S. Augustinus explicans Enarratione in Psalm. xxxv. ait: *Cum accepta fuerit illa ineffabilis letitia, perit quodammodo humana mens, & fit divina*.
- Dei visionem, & amorem summam pax consequitur.
- V. Ex Dei visione, amore, fruitione, summa pax consequitur. Unde beatitudinem ipsam *Pacis* nomine Patres significant, ipsaque Ecclesia, cum Fidelibus defunctis adprecatur, ut *Requiescant in pace*. Unde S. August. in *Enchiridio*, cap. xviii. status, vel ætates hominis quatuor distinguit, ante Legem, sub Lege, sub Gratia, & in Pace. „ Cum (*inquit*) in altissimis „ ignorantia tenebris nulla resistente ratione secundum carnem vivitur, hæc „ sunt prima hominis. Deinde cum per Legem cognitio fuerit facta pecca- „ ti, si nondum divinitus adjuvat Spiritus, secundum Legem volens vi- „ vere, vincitur, & sciens peccat, peccatoque subditus servit: id agente „ scientia mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscen- „ tiam, cumulo prævaricationis adjecto, atque ita, quod scriptum est im- „ pleatur, *Lex subintravit, ut abundaret delictum*. Hæc sunt secunda ho- „ minis. Si autem respexerit Deus, ut ad implenda, quæ mandat ipse ad- „ juvare credatur, & agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur ad- „ versus carnem fortiori robore charitatis: ut quamvis adhuc sic, quod „ homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide „ tamen justus vivat, justeque vivat, in quantum non cedit malæ concu- „ piscentiæ, vincente delectatione justitiæ. Hæc sunt tertia bonæ spei ho- „ minis; in quibus si pia perseverantia quisque proficiat, postrema Pax re- „ stat, quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in Resurrectione „ etiam carnis implebitur. Harum quatuor differentiarum prima est ante „ Legem, secunda sub Lege, tertia sub Gratia, quarta in Pace plena, at- „ que perfecta.
- De Pace illa desideratissima, illud Prophetæ oraculum intelligendum est: *Mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*. Quod S. August. sic explicat, Enarratione in Psalm. xxxvi. Sermone I. „ Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua „ pax, Deus tuus pax. Quicquid desideras, pax tibi erit. Quia hic au- „ rum, quod est, non potest tibi esse argentum; quod vinum est, non „ potest tibi esse panis; quod tibi lux est, non potest esse potus. Deus „ tuus totum tibi erit. Manducabis eum, re esurias; bibes eum, ne si- „ tias; illuminaberis ab eo, ne sis cœcus; fulcieris ab eo, ne deficias; „ possidebit te totum integrum totus integer. Angustias non ibi patie- „ ris cum eo, cum quo totum possides. Totum habebis, totum & ille „ habebit; quia tu & ille unum eritis, quod & unum totum ille habe- „ bit, qui vos possidet. Fines Cœlestis Jerusalem, pax. *Posuit fines tuos pacem* (inquit Prophetâ.) Modo desideramus pacem, quam hic habemus in spe. Nam in nobis ipsis qualis modo pax, quando *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*? Quando erit plena pax „ in uno homine, tunc erit plena in omnibus civibus Jerusalem, cum sci- „ licet *Corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*. Tunc plena pax, tunc firma pax: nihil litigabit adver- „ sus animam in homine, non ipsa adversum se, ex quadam parte sau- „ cia;
- Quatuor hominis status, 1. Ante Legem 2. Sub Lege 3. Sub Gratia 4. In Pace.
- Rom. 5.
- Psal. 36.
- Psal. 147.
- Galat. 5.
1. Cor. 15. 53.

cia; non carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non ulla inopia, non provocatio rixæ, non certe ipsa sollicita cautela, & vitandi inimici, & diligendi. Hæc omnia litigant adversum nos, nondum est plena, & perfecta pax. Quod clamastis jamdudum nominata pace, ex desiderio clamastis, clamor vester de siti fuit; non de saturitate: *Quia ibi erit perfecta justitia, ubi perfecta pax.* Modo esurimus, & sitimus justitiam. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Quomodo ipsi saturabuntur? Cum ad pacem venerimus.* Jerusalem *visio pacis* est. Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi eam plenius laudabimus, ubi eam plenius habebimus. Inchoatam in nobis si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus?

Suavissimam illam pacem nulla turbabit invidia: quamvis multæ sint in eadem gloria mansiones diversæ claritatis, pro disparitate meritorum, & alia sit claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum, in unius objecti, quod summum omnium, & singulorum bonum est, scilicet Dei, plena, ac perfecta possessione. Id egregie S. Augustinus explicat Tractatu LXVII. in Joannem., Denarius, quidem ille (inquit) æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis, qui operati sunt in vinea, jubet dari omnibus, non in eo discernens, qui minus, & qui amplius laborarent: quo utique denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones, diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates.... Tamquam stellæ Sancti diversas mansiones, diversæ claritatis, tamquam in cælo, sortiuntur in Regno; sed propter unum denarium nullus separatur a Regno; atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. "Ardentissima charitate mutuo se amant supernæ Jerusalem beatissimi cives, seque ab aliis sanctis concivibus amari certo sciunt, perspectum uniuscujusque animum habent, eique erga se charitatem intuentur, atque mutuum illum amorem æternum fore, ipsis exploratum est

Beatorum pacem nulla turbabit invidia.

§. III.

Essentialis Beatitudo in visione, & possessione Dei sita est.

Duo bonorum genera divinarum rerum gravissimi Tractatores esse statuunt: quorum alterum ad beatitudinis naturam pertinet; alterum ipsam beatitudinem consequitur. Illa essentialia, hæc accessoria bona appellarunt. Accessoria sunt gaudium, gloria, honor, pax, immortalitas, claritas, aliæque dotes corporis. Essentiale vero bonum, sive essentialis beatitudo, ut loquuntur Theologi, in Dei visione, & possessione sita est. *Hæc est vita æterna* (inquit Christus) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Quam sententiam S. Joannes interpretari videtur, cum ait: *Charissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus: scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Significat enim beatitudinem ex iis duobus constare; tum quod Deum intuebimur, qualis in natura sua, ac substantia est, tum quod divinæ essentiaæ absque ullo medio conjuncti, *Deiformes*, ut loquitur S. Thomas, id est veluti Dii efficiemur. Quemadmodum enim

1. Joann. 17

1. Joan. 3.

ferrum igni admotum ita ignem concipit, ut totum ignis videatur, servata licet propria substantia : sic mens angelica , & humana, Deum ut in se est videntes , ita deitate permeantur , ac possidentur , ita amore divino inflammantur , ut quamvis earum natura fervetur incolumis , nihil aliud quam Deus esse videantur . Unde S. Gregorius Nazianzenus Oratione xv. de electis loquens ait : *Illos quidem lux omni sermone præstantior excipiet, & Sanctæ, regięque Trinitatis, purius jam, & clarius illuminantis, totamque se cum tota mente miscens, contemplatio; in qua ego vel sola Regnum cælorum maxima ex parte positum esse censeo.*

Summum bonum, præmiumque quod iustis in sacris Litteris promittitur, Visio Dei est. *Satiabor (inquit Propheta) cum apparuerit gloria tua Adimplebis me letitia cum vultu tuo In lumine tuo videbimus lumen Videbitur Deus Deorum in Sion..... Beati mundo corde (inquit Christus) quoniam ipsi Deum videbunt Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum . Et Apostolus 1. ad Corinthios XIII. Videmus nunc per speculum in enigmate : tunc autem facie ad faciem . Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum . Ex quo loco Tridentini Concilii Catechismus colligit, Deum in similitudine, sive imagine creata non videri a beatis, quod & S. Augustini, & Dionysii testimoniis confirmat. Et certe nulla inferiorum similitudine superiora percipi possunt, neque ex alicujus rei corporeæ similitudine rei spiritualis essentia, & substantia cognosci potest : cum præsertim necesse sit rerum similitudines minus concretionis habere, magisque spirituales esse quam res ipsas, quas menti repræsentant, & exhibent cognoscendas. Quoniam vero fieri non potest, ut alicujus creatæ rei similitudo, æque para, & spiritualis, ac Deus ipse est, reperiatur; ita fit, ut nulla similitudine divinam essentiam, perfecte, ut in se est, intelligere, & intueri possimus. Accedit, quod res omnes creatæ certis perfectionis terminis circumscribuntur : at Deus infinitus est, neque ullius creatæ rei similitudo ejus immensitatem capere, ejus summam immaterialitatem, & intelligibilitatem (ut ita loquar) æquare potest. Omnis similitudo creata exhibere potest, quid Deus non sit, non vero quid sit; obscurare nobis illum potest, non illuminare; obnubere, non denudare. Deus igitur non per vicariam sui imaginem, & umbratilem similitudinem a Beatis tenetur, & videtur, sed se ipsum velut sponsum sponsæ copulat solum soli, absque medio, absque conciliatricula specie; incredibili quodam modo intelligentiam nostram altius extollens, ut idonei ad ejus essentiam contemplandam reddamur. ,, Unigenitus Dei Filius . qui est in sinu ,, Patris, divinitatis naturam, atque substantiam insonabiliter narrat; & ,, ideo dignis, idoneisque tanto conspectu oculis invisibiliter demonstrat ,, (inquit S. Augustinus *Epistola CLVII. alias CXII.*) Hæc nobis contem- ,, platio promittitur actionum omnium finis atque æterna perfectio gaudio- ,, rum Contemplatio quippe merces est fidei, cui mercedi per fidem ,, corda mundantur In visione merces tota promittitur dilectionis, ,, & desiderii nostri In illa contemplatione Dei est finis omnium bo- ,, narum actionum, & requies sempiterna, & gaudium, quod nunquam ,, auferetur a nobis (inquit S. Augustinus Libro 1. De Trinit., cap. VIII. IX. & X.) In illa contemplatione Deus erit omnia in omnibus, quia nihil ab illo aliud requiretur, sed solo ipso illustrari, perfruique sufficiet. Quam ob rem ait Propheta: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini.**

Psal. 6. 15.
35. 83.

Matth. 15.
& 13.
Joan. 14.

S. August.
Lib. 15. De
Civit. Dei
cap. 9.
S. Dionys.
de Divin.
Nom. cap. 1.

Deus a Bea-
tis videtur
sine medio.

Visio Dei
tota merces.

Psal. 26.

§. IV.

Deus videri non potest, ut in se est, ab homine mortalem vitam agente.

Hoc fiet, cum venerit Dominus & illuminaverit occulta tenebrarum, cum tenebræ mortalitatis hujus, corruptionisque transferint. Tunc erit mane nostrum; de quo in Psalmo dicitur, *Mane astabo tibi, & videbo*, Nunc perfecta illa Dei contemplatio esse non potest, quædiu gaudium nostrum in spe est. *Quædiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Ideo Dominus ait, Exodi xxxiii. *Non videbit me homo, & vivet.* Et Joannis i. dicitur, *Deum nemo vidit unquam.* Et Christus ait, *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Apostolus item i. ad Timotheum i. Regi (inquit) *seculorum immortalis, & invisibilis soli Deo honor & gloria.* Et ii. ad Timotheum vi. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quæ Scripturæ loca significant, vel Deum in hac mortali vita videri non posse, ut in se est; vel oculis corporis conspici nusquam posse; vel solis naturæ viribus neminem hominem, vel Angelum divinam essentiam posse contemplari; vel denique Deum a nulla creata intelligentia comprehendi posse.

§. V.

Deus videri non potest oculis corporis.

Deum corporis oculo videri non posse, firmis rationibus S. Augustinus probat Epistolis xcii. alias vi. ad *Italicam* Viduam, cclvii. alias cxii. ad *Paulinam*, & cxlviii. alias cxl. ad *Fortunatianum* Episcopum Siccensem. Præcipuè rationes istæ sunt.

1. *Omne, quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & majore majorem.* Deus autem non est in loco extensus, sed ubique totus; nec habet partes majores, & minores, sed simplicissimus est, & purus summusque Spiritus. Epist. 92.
2. *Istius corporis oculi omnino non possunt cernere, nisi corpora, quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt: nam si nullum intervallum sit, nec ipsa corpora per eos videmus.* Deus autem, cum ubique sit, nusquam distat. Epist. 148.
3. *Deus charitas est, sive tamquam ejus fons ineffabiliter existendo, sive illam nobis per Spiritum suum largiendo.* Charitas autem corporeis oculis videri non potest. Ibidem.
4. *Cum sit aliquid nostrum visibile, sicut hoc corpus; aliquid vero invisibile, sicut homo interior: & cum optimum nostri, hoc est, mens, atque intelligentia invisibilis sit oculis corporis; quomodo id, quod est melius optimo nostri, visibile erit inferiori nostro?* Id est, quomodo Deus, qui melior est, & incomparabiliter excellentior mente nostra, visibilis erit oculis corporis? Epist. 147.
5. *Cur solis oculis, non etiam aliis sensibus Beatorum pariter indulgeretur, ut Deum attingere possent? Sonus ergo erit Deus, ut etiam possit auribus percipi? Et halitus erit ut sentiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut possit & bibi? Et moles erit, ut possit & tangi? Non, inquiunt: quid ergo? An illud potest Deus, & hoc non potest?* Epist. 92.

6. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Inde ergo videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, adeoque & visio mentis est, non corporeorum oculorum.

Item, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*
 1. Cor. 13. Inde ergo visuri sumus facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo, & ænigmate, sive in illa patria, cum per speciem contemplabitur. Pro qua visione positum est, *facie ad faciem.*

7. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant Deum, in Spiritu, & veritate oportet adorare.* Si adorare, quanto magis videre? *Quis enim audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri, cum eam noluerit corporaliter adorari?*
 Joân. 4.

Id confirmat S. *Augustinus* Epist. cXLVIII. ad *Fortunatianum* Siccensem Episcopum testimoniis sanctorum *Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, & Hieronymi.*
 S. August. Epist. 92.

8. Denique *Ad hoc fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei promittitur. Quæ si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam sanctorum animus exercetur: immo vero tam perverse sentiens animus non in se exercetur, sed totus in carne est. Ubi enim tenacius habitabit, & fixius, nisi unde se Deum visurum esse præsumit?*
 Idem Epist. 92.

Quod igitur ait S. *Job, In carne mea videbo Deum*, non significat, quod oculis corporis Deum visurus esset, sed quod ipse anima, & corpore redivivo, & innovato constans post Resurrectionem, Deum esset oculis mentis visurus.
 Quod sensu Scriptura Sacra Deum a quibusdam hominibus sanctis in hac mortali vita visum dicat?
 Job. 19. 26.

Prophetæ vero, & Patriarchæ, quos Deum vidisse Scriptura Sacra testatur, ut Abraham, Jacob, Moyses, Isaias; vel Deum, vel Angelum Dei personam gerentem, in specie aliqua corporea ad tempus assumpta, non in suæ naturæ proprietate, & sicut in se est, viderunt. Unde tam multiformiter apparuisse narratur: nam si ipsa Natura divina visa esset, uniformiter semper se Deus ipsis adspectabilem præbuisset.
 Sanctus quidem *Augustinus* Lib. xxii. *De Civitate Dei*, cap. xxix. ratiocinationem quorundam Philosophorum merito explodit, qui asserbant ita mentis aspectu intelligibilia videri, & sensu corporis sensibilia, id est, corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsam mens valeat intueri. *Istam ratiocinationem*, inquit, *& vera ratio, & Prophetica irridet auctoritas.* Dubitasse etiam videtur S. *Augustinus*, utrum per omnipotentiam Creatoris fieri posset, aut foret aliquando, ut corpus in spiritum, & oculi corporei in intellectuales converterentur: quod si fieret, non jam corporis oculis, sed mentis videretur Deus. Atque illa facta hypothese, ait:
 „ Longe itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea
 „ illa Natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est... Visitaque
 „ præpollentior erit oculorum illorum, non ut acrius videant, quam qui-
 „ dam perhibentur videre serpentes vel aquilæ (quantalibet enim acrimonia
 „ cernendi eadem quoque animalia nihil aliud possunt videre quam
 „ corpora) sed ut videant & incorporalia. *Illam tamen hypothese non
 „ probat.* Aut ergo, inquit, per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid
 „ habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur,
 „ quod ullis exemplis, sive Scripturarum testimoniis divinarum, vel
 „ difficile, vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum facilius,
 „ ita Deus erit nobis notus, atque conspicuus, ut videatur spiritu
 „ a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur
 „ in seipso, videatur in cælo novo, & in terra nova, atque in omni,
 „ quæ tunc fuerit, creatura. Denique tunc Deum corporeis oculis visum iri ait,
 „ quo modo nunc vitam in corporibus viventibus videmus. Certum est autem vitam ipsam oculis corporis non videri, sed sensibiles
 „ effe-

effectus, & motus, ex quibus mens cognoscit, ista corpora vivere, statim atque corporis oculus illa intuetur: ita & multo excellentius oculi Beatorum admirabiles Dei effectus in corporibus innovatis, & gloriosis videbunt, ex quibus mens Deum in seipso videns, ipsum etiam videat in aliis, videat in cælo novo, & in terra nova, videat in omni, quæ tunc fuerit, creatura. Quamobrem (inquit) fieri potest, valdeque credibile est sic nos esse visuros mundana tunc corpora cæli novi, & terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora, quæ gestabimus, & quæ conspiciemus quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus: non sicut nunc invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur per speculum in enigmate, & ex parte; sed sicut homines, inter quos viventes, motusque vitales exerentes vivimus, mox ut aspiciamus, non credimus vivere, sed videmus; cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conspiciamus: ita quacumque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebitur.

§. VI.

Mens creata divinæ Essentiæ visionem naturæ viribus consequi non potest.

Visionem Dei, ut in se est, naturæ viribus consequi nulla mens creata potest, sed necessarium est speciale Dei auxilium, quo mens ad beatificæ illius visionis fastigium evehatur, ac in ordine supernaturali constituta roboretur. Unde S. Augustinus ait: *Quomodo anima, quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, id est corpus, facit vivere; sic eandem animam non facit beate vivere, nisi quod ipsa anima est superius.* Atque etiam hoc sensu Psalmo xxxv. scriptum est: *In lumine tuo videbimus lumen;* hoc est, in illustratione Spiritus Sancti gloriam Patris, & Filii videbimus, ut S. Basilii Libro De Spiritu Sancto cap. xviii. & S. Gregorius Nyssenus, Oratione in Sanctum Stephanum, interpretantur. Sed quemadmodum Spiritus Sanctus Justorum animas inhabitans, eas donis suis ornat, gratiamque, charitatem, ac ceteras virtutes illis infundit, ut supernaturales actus eliciant: ita beatas mentes evehit, ornat, præmunit supernaturali dono, quod *Lumen gloriæ* appellatur, cujus necessitatem ad Deum, ut in se est, contuendum, Concilium Viennense sanxit contra Hæreticos, ut habetur in Clementina, *Ad nostrum, Tit. De Hæreticis*, ubi inter complures Beguardorum, & Beguinarum errores hic proscribitur: *Quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata. Et, Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.* Lumen illud donum esse a divina essentia diversum, quo beati collustrantur, ut illam videant, confirmari potest S. Augustini verbis Libro i. De Peccatorum meritis, cap. xix. *Verumtamen (inquit) si percepto baptisinate de hac vita migraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia Creatoris illuminat.*

Traçt. 27.
in Joann.

§. VII.

Deus a nulla creata mente comprehendi potest.

Quamvis Deum, ut in se est, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum beati perspicue videant; non tamen comprehendunt, aut comprehendere possunt eum, qui *Magnus est consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Id

S. August.
Epist. 147.
alias 112.

Serm. 117.
alias 38.
De Verb.
Dom. Lib.
12. De Ci-
vit. Dei,
cap. 18.

Joan. 1.
2. Tim. 6.
1. Cor. 2.

enim comprehenditur videndo, *Quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt*; sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ: circumspicere autem potes fines annuli tui. Corpus oculis corporis conspicias, sed non comprehendis, quia non totum simul aspicias. Cum faciem vides, dorsum non vides: & si totam superficiem videas, interiora non vides, *Quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur* (inquit S. Augustinus.) Rem aliquam comprehendere, est eam ex toto cognoscere, & cognitione clara, atque distincta magnitudinem illius adæquare. Deum igitur comprehendere, est illius agendi vim infinitam, & omnipotentiam plene, ac perfecte cognoscere, idest, non solum creatas res omnes, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, sed quæ ab ipso produci possunt, intelligentia capere. Effectis enim omnipotentia comprehendis, ipsa comprehenditur omnipotentia, virtusque & magnitudo Dei: ex quo sequitur, Deum comprehendere, quicum unum est sua virtus, ac magnitudo. Porro cum Dei vis, & omnipotentia, quæ Deus ipse est, qua rerum omnium futurarum, & possibilium causa est, infinita sit; intelligentia creatæ mentis, quæ finita est, non potest adæquari. Deum comprehendere solus Deus potest. *Deum nemo vidit unquam, sicut se Deus esse novit. Sic Deum Nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Solus Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. . . . Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

Id præclare S. Epiphanius explicat, Hæresi LXX. ubi *Infinitem Deum* ait videri, non ut se habet in sese infinitum, sed quomodo capere natura potest. Quod subinde duplici similitudine eodem pertinente sic explicat: *Veluti si quis per angustum foramen cælum aspiciat, ac dicat: Video cælum: non utique mentietur; videt enim revera cælum. Quod si quis prudenter ei dicat: Non vidisti cælum, neque iste mentietur. Tam enim, qui ait vidisse, non mentitur, quam qui ei dicit, non ipsum vidisse, vera loquitur. Quippe non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem.* Subjicit aliud exemplum ad rei explicationem aptissimum. *Sæpe (inquit) accidit, ut ex alto Montis vertice Mare prospiciamus. Quod si nos illud vidisse dicamus, non mentiemur: neque si contradixerit aliquis, ac vidisse nos negaverit, non ille verum dicet propterea; quod cum homo sit, quo illius latitudo, quo altitudo pertingat, quamque alti sint voraginis illius recessus, sed nec illius effecta pervidere potest.* Multo minus Angelica, vel humana mens Deum perfectionum Oceanum intelligentia sua metiri, adæquare, & comprehendere potest. *Forfitan (inquit S. Job) vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura ejus, & latior mari.* Hinc S. Augustinus Sermone CXVIII. alias XXXVIII. De Verbis Domini cap. III. *De Deo loquimur (inquit) quid mirum si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantia magis, quam temeraria professio scientia. Attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est; comprehendere autem, omnino impossibile. Ecce de corporibus dicimus subjacentibus oculis nostris, Non illa possunt comprehendere aspectu: quis ergo oculis cordis comprehendit Deum? Sufficit, ut attingat, si purus est oculus. Si autem attingit, tactu quodam attingit incorporco, & spiritali, non tamen comprehendit, & hoc si purus est. Et homo fit beatus contingendo corde illud, quod semper beatum manet: & est illud ipsa beatitudo perpetua, & unde fit homo vivus vita perpetua.*

Job xi.

Hoc dumtaxat sensu Deum a beatis, sive Angelis, sive hominibus non videri, S. Joannes Chrysostrmus, Theodoretus, aliique nonnulli Patres

Græci ajunt, idest plena, & ex toto perfecta cognitione, cujusmodi est illa, qua se Deus ipse cognoscit, qualem sibi arrogabant Anomæi Hæretici, quos vel ex instituto, vel occasione data refellunt. Negant Angelis Dei *Comprehensionem, ac tantam quantam Filii notitiam habet Pater...* Quoniam Deus a nulla re creata comprehendendi potest; ut loquitur S. Chrysostomus Homilia xv. in Joannem, & Oratione III. contra Anomæos. Afferunt, Angelos divinam substantiam non videre, *Quæ neque circumscribi potest, neque comprehendendi, neque cogitatione sepiari, & universa complectitur;* ut loquitur Theodoretus Dialogo I. Sed divinam essentiam ad captum creaturæ attemperatam, & Angelorum, Sanctorumque hominum intelligentiæ sese accommodantem, clara, ac perspicua cognitione ab Angelis videri non negant, de quibus scriptum est: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Matth. 18. Quamquam visio illa cum ea comparata, qua se ipsum videt Deus, & totus comprehenditur, hoc est, omnia, quæ in eo sunt, & ab eo fieri possunt, perfecte capiuntur, accurata, claraque visio, & contemplatio non sit appellata ab illis Patribus; tamen absolute spectata est clara, & perspicua visio Dei *Sicuti est.* Sic res creatas, etsi vere extent, non esse tamen, si cum Deo componantur, *Qui est,* Prophetia asserit: *Omnes gentes quasi non sint (inquit) sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Isai. 40.

Quod si comprehensionis nomen sumatur, prout significat affecutionem ejus boni, quod persecuti, & ad adipiscendum conati ante sumus; sic beati Deum comprehendunt, sive apprehendunt, attingunt, perspicue contuentur, eoque fruuntur. Quo sensu verbum *Comprehendere*, in Epistola ad Philippenses usurpatur, cap. III. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.* Quo in loco similitudo inest a cursoribus petita, quorum exemplo se ad beatæ immortalitatis præmium contendere dicit Apostolus, & eam apprehendere conari.

§. VIII.

Justorum Animæ, quibus nihil eluendum superest, Deum vident, statim atque corporibus solutæ sunt.

I. Dogma Fidei est: „ Illorum Animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Ita docet, ac declarat Concilium Florentinum in Definitione Fidei.

Hæc veritas dogma fidei est.

Quod quidem Catholicæ Fidei Dogma verbo Dei nititur, expressis nempe S. Pauli testimoniis II. ad Corinthios V. *Scimus, inquit, quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis, &c.* Terrestris domus nostra corpus est, quo per mortem dissoluto, Anima, domum non manufactam æternam in cælis, idest, cœlestem beatitudinem, si digna sit, statim consequitur. Subdit paulo post Apostolus: „ Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; „ ut absorbeat, quod mortale est, a vita. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam

„ nam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe „ ad Dominum. Ideſt, duo ſunt in nobis deſideria, unum naturæ, quo ſemper in corpore, & in hoc mundo permanere vellemus, nunquam mori; alterum gratiæ, quo Deum videre, eoſque frui vellemus. Verum quia dum ſumus in corpore peregrinamur a Domino, & in umbris fidei ambulantes Dei conſpectu frui pro ſtatu mortalis huiusce vitæ non poſſumus; Juſti, quorum nomine loquitur Apoſtolus, magis optant peregrinari a corpore, ideſt, e vita migrare, ut ſtatim Dei viſione fruantur. Certe cum in hac vita peregrinemur a Domino, ſed non a corpore; & futurum ſit, ut poſt Reſurrectionem nec a Domino, nec a corpore peregrinemur: neceſſe eſt eſſe aliquem Animæ ſtatum ante Reſurrectionem, in quo peregrinetur a corpore, ſed non a Domino, ſecundum Apoſtoli ſententiam. Porro non eſſet huiusmodi ſtatus, niſi piorum Animæ corpore exutæ, ac omnino purgatæ ſtatim Deum viderent, eoſque fruerentur. Quam beatitudinem bono Latroni, ſtatim atque obiſſet, Chriſtus promiſit, dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Hinc Apoſtolus rurfus ait: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Quid vero properabat diſſolvi, ſi poſt Reſurrectionem tantum, & non ſtatim poſt mortem corporis, Deo fruiturus erat?

Luc. 23.
Philipp. 1.

Perfectam
& conſum-
matam bea-
titudinem
Juſti ante
Reſurre-
ctionem
non confe-
quentur.
Apoc. 6.

Hebr. 11.

II. Perfectam tamen, & conſummatam Beatitudinem, Juſti non confequuntur ante Reſurrectionem, ſive quod naturali corporis recipiendi deſiderio Animæ Beatæ quodammodo retardentur, ne tanto impetu ferantur in Deum, ut S. *Augustinus* cenſet Libro XII. *De Geſenſi ad Litteram*, cap. xxxv. ſive quod ſine corpore laborum omnium, & meritorum commiſſione, abſoluta, & perfecta illarum felicitas eſſe non valeat. Ideo Martyrum Animas S. *Joannes* vidit ſub Altari, clamantes, *Uſquequo, Domine, ſanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albe, & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi earum*. Vidit ſub altari, ſed in cælo; ſub altari, ideſt, ſub Chriſto, ſed tamen cum Chriſto regnantes, Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ, *Stola prima, eſt felicitas, & requies animarum; ſecunda vero, immortalitas, & gloria corporum*. Primam jam acceperunt Sancti; alteram non recipient quouſque receperint corpora. Unde & S. *Paulus* de Patriarchis, & Prophetis ait: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Quod ad perfectam, atque conſummatam beatitudinem referri verba ipſa indicant. *Nec enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer, cui detur, nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam* (inquit S. *Bernardus*, Sermone III. in Feſto omnium Sanctorum.)

Et Sermone II. *Animæ ſanctæ* (inquit) *quas propria Deus inſignivit imagine, te, caro, deſiderant! Quas redemit proprio ſanguine, te expectant! Et ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, conſummarum beatitudo non poteſt! Adeo ſiquidem viget in eis deſiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, ſed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur deſiderio tui Sine macula* (inquit) *ſunt ante thronum Dei: ſine macula, ſed necdum ſine ruga; donec veniat dies cum ſibi glorioſam Chriſtus exhibebit Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam*.

Quid ſit ſi-
nus Abra-
hæ, in quem
Fidelium
deſuncto-
rum Ani-
mas depor-
tari preca-
tur Eccle-
ſia.

III. Ne quis vero exiſtimet, Eccleſiam, cum Animas fidelium deſuncto-
rum *In ſinum Abrahamæ Patriarchæ* deportari, atque in eo collocari precatur, locum a Regno cælorum diſtinctum, aut ſtatum diverſum ab æterna bea-
titudine, Deique perſpicua viſione, & fruitione intelligere. Unus enim

idem-

idemque locus, & status, una, eademque felicitas beatarum Animarum diversis nominibus appellata est, & appellatur ab Ecclesia, *Cælum, paradisus, regio vivorum, lux sancta, requies æterna, locus refrigerii lucis, & pacis, Vita æterna, Sinus Abrahæ, &c.* Unde S. Augustinus Libro 11. *Quæstionum Evangelicarum*, cap. xxxviii. *Sinus Abrahæ* (inquit) *requies beatorum pauperum, quorum est Regnum cælorum, in quo post hanc vitam recipiuntur.* Et infra: *Sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris, quo post Passionem resurgens assumptus est Dominus Ubi etiam ante Resurrectionem Justorum Animæ vivunt cum Deo.* Denique quamvis aliquando fluctuasse visus sit S. Augustinus circa locum Abrahæ sinu significatum, minime tamen dubitavit, quin eo significaretur locus quietis, & felicitatis æternæ, in quo Justorum Animæ visione Dei ante ultimum Judicii diem fruuntur. Sic enim Lib. ix. *Confessionum*, cap. iiii. de *Nebridio* amico suo loquitur: „ Et nunc „ ille vivit in sinu Abraham. Quicquid illud est, quod illo significatur „ sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem, Do- „ mine, adoptivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam quis alius tali Animæ „ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. „ Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, „ & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. *Et* „ Lib. iv. De Anima, & ejus Origine, cap. xvi. Sinum Abrahæ (inquit) „ intellige remotam sedem quietis, atque secretam, ubi est Abraham, & „ ideo Abrahæ dictum, non quod ipsius tantum sit, sed quod ipse Pater „ multarum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principa- „ tum propositus: sicut Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, „ se Deus vocari voluit, cum sit innumerabilium Deus.

§. IX.

Spiritales fructus ex postremo Symboli Articulo colligendi.

I. CUM Deus vitam æternam diligentibus se præparaverit, omnibus studiis, ac viribus eniti, & contendere debemus, ut ipsam consequamur. Media debemus eligere, quæ nobis Christus præscripsit, viam sequi, quam monstravit, mandata Dei servare: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: nihil non agere, nihil non pati propter Deum. Omnis, qui in agone contendit* (inquit Apostolus) *ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quam pudendum, quod homines pro temporalibus, periturisque bonis tot discrimina, tot labores lubenter subeant, & pro bonorum æternorum adeptione vitæque immortalis ne minimum quidem laborem subire velint! Differentem ea de re S. Augustinum Epistola ad *Armentarium*, & *Paulinam* cxxvii. alias xlv. audiamus. „ Labores (inquit) & pericula, & exitia hujus transitorie vitæ, „ si pro eadem vita quandoque finienda subeuntur, ut mors ejus non omnino auferatur, sed paululum differatur: quanto magis pro æterna subeunda sunt, ubi mortem nec natura sollicitate cavet, nec ignavia turpiter „ timet, nec sapientia fortiter sustinet? Habeat igitur te vita æterna in „ dilectoribus suis. Nonne cernis, hæc vita miserabilis & egena, quam vehementes habeat, quantumque sibi obliget amatores suos? Qui tamen periculo ejus sæpe turbati, citius eam finiunt, eo ipso, quo finire formidant, & mortem dum declinant accelerant, veluti si quisquam fluvio rapiendus irruat, latronem, bestiamve fugiendo: Jactant in Mare tempestate sæviente aliquando & alimenta, & ut vivant, projiciunt unde vivunt, ne cito finiatur, quod vel in labore vivitur. Quantis laboribus „ agitur, ut longiore tempore laboretur, & mors cum impendere ceperit, ideo

Ut ad vitam æternam perveniamus, eligenda sunt media a Christo præscripta. I. Cor. 9.

„ cavetur, ut diutius timeatur? Nam inter tot casus fragilitatis humanæ,
 „ quam multæ mortestimentur, quarum certe una cum venerit, restat ce-
 „ teras non timeri: & tamen fugitur una, ut omnes timeantur. Quibus cru-
 „ ciantur doloribus, qui curantur a Medicis, & secantur? Numquid ut non
 „ moriantur? Sed ut aliquanto serius moriantur. Multi cruciatus suscipiun-
 „ tur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti: & nonnunquam ipsis dolori-
 „ bus victi continuo moriuntur, quos mortis timore suscipiunt: & cum om-
 „ nino non eligant vitam finire ne doleant, sed dolere ne finiant, accidit
 „ eis, ut doleant, & finiant: non solum quia & sanati utique vitam finiunt
 „ post dolores, quæ tantis pœnis comparata nec sempiterna esse potest,
 „ quia mortalis est, nec diuturna, quia tota brevis est, nec de ipso brevi
 „ spatio sui secunda, quia semper incerta est; verum etiam, quod aliquando eam
 „ dolore finierunt, quam ne finirent, dolere voluerunt. Habet etiam hoc
 „ magnum malum, ac vehementer execrandum, & horrendum nimis amor
 „ vitæ istius, quod multi dum volunt paulo diutius vivere, graviter offen-
 „ dunt Deum, apud quem est fons vitæ. Atque ita dum ab eis frustra, qui
 „ necessario futurus est vitæ finis metuitur, illinc prohibentur, ubi sine fine
 „ vivitur. Huc accedit, quia vita misera, etiam si posset esse perpetua, nullo
 „ modo beatæ vitæ etiam brevissimæ comparanda est: & tamen isti aman-
 „ do miserrimam, atque brevissimam, perdunt beatissimam, ac sempiternam;
 „ cum in hac ipsa, quam male diligunt, hoc velint, quod in altera per-
 „ dunt, quia utique in ista nec miseriam diligunt, nam beati esse volunt;
 „ nec brevitatem, nam eam finire nolunt: tantum quia vita est sic amatur,
 „ ut sæpe propter eam (licet miseram, & brevem) beata, & sempiterna
 „ amittatur. His consideratis, quid magnum vitæ æterna jubet amatoribus
 „ suis, cum se jubet sic amari, quemadmodum hæc amatur a suis? An vero
 „ dignum est, vel ferendum, cum contemnuntur omnia, quæ amantur in
 „ Mundo, ut vita post paululum finienda, saltem ipsum paululum tenea-
 „ tur in Mundo; & non contemnitur Mundus, ut obtineatur vita, quæ
 „ sine fine apud illum est, per quem factus est Mundus?

Matth. 11.

S. August.
ibidem.

Luc. 2:

Dominum audiamus, qui nobis vitam summo ardore desiderandam fide-
 „ lissime pollicetur, velut in totius Mundi concione clamantem: *Venite ad*
 „ *me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. Tollite jugum*
 „ *meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & in-*
 „ *venietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus*
 „ *meum leve.* Hæc disciplina piæ humilitatis, ventosam, & turbidam cupidita-
 „ tem, aviditatem rerum extra nostram potestatem constitutarum, pellit ex animo.
 „ Ibi enim labor, ubi multa queruntur, & diliguntur quibus adipiscendis,
 „ atque retinendis voluntas non satis est, quia consequentem non habet fa-
 „ cultatem. Justa vero vita, cum voluntas adest, quia eam ipsam plene
 „ velle, justitia est; nec plus aliquid perficienda justitia, quam perfectam
 „ voluntatem requirit. Vide si labor est, ubi velle satis est: unde divini-
 „ tus dictum est, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Ubi pax, ibi re-
 „ quies, ibi finis appetendi, & nulla causa laborandi. Sed hæc voluntas, ut
 „ plena sit, oportet, ut sana sit. Erit autem sana, si Medicum non refugiat,
 „ cujus solius gratia sanari potest a morbo desideriorum noxiorum. Ipse
 „ est ergo Medicus, qui clamat, *Venite ad me omnes, qui laboratis*
 „ Divitiæ si diliguntur, ibi ferventur, ubi perire non possunt. Honor, si
 „ diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur,
 „ ibi adipiscenda desideretur, ubi adepta nihil timetur. Vita si diligitur, ibi
 „ acquiratur ubi nulla morte finitur. Proh pudor! In via Dei facilia, & utilia
 „ ignava formidine fugiuntur; in via sæculi duriora, & sterilia ærumoso
 „ labore

labore tolerantur. Utinam de beatitudine cœlesti consequenda æque solliciti essemus, ac sæculi amatores solliciti sunt de bonis, & honoribus temporalibus assequendis! Sed heu! ardentius illi perniciose desiderant, quam nos utilia: citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. Qui in Aulis Principum militant, quo tandem pervenire ambiunt tot laboribus suis, tot vigiliis, patientia tanta? Major ne potest spes illorum esse, quam ut amici Principis fiant? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? *Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quando istud erit? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio* (inquit Vir illustris S. Augustini amicus, ut ipse refert Lib. VIII. *Confessionum*, Cap. VI.)

II. Si quid vero pro dilectione æternæ Patriæ Christiani gesserint, considerent, quam leve illud sit, & modicum, si vel cum præclaris illis facinoribus conferatur, quæ veteres Romani pro terrena patria, & civitate gesserunt. „ Quid magnum est (inquit S. Augustinus Libro v. *De civitate Dei*, „ cap. XVIII.) pro illa æterna, cœlestique Patria, cuncta sæculi hujus quam- „ libet jucunda blandimenta contemnere, si pro hac temporali, atque ter- „ rena filios Brutus potuit & occidere, quod illa facere neminem cogit? „ Sed certe difficilius est filios interimere, quam quod pro ista faciendum „ est, ea, quæ filiis congreganda videbantur, atque servanda, vel do- „ nare pauperibus, vel si existat tentatio, quæ id pro fide, atque justitia „ fieri compellat, amittere. Felices enim vel nos, vel filios nostros non divi- „ tiæ terrenæ faciunt, aut nobis viventibus amittendæ, aut nobis mor- „ tuis a quibus nescimus, vel forte a quibus nolumus possidendæ: sed „ Deus felices facit, qui est mentium vera opulentia. Si pro libertate mo- „ riturorum, & cupiditate laudum, quæ a mortalibus expetuntur, occidi „ filii a patre potuerunt: quid magnum est, si pro vera libertate, quæ „ nos ab iniquitatis, & mortis, & diaboli dominatu liberos facit, nec cu- „ piditate humanarum laudum, sed charitate liberandorum hominum, non „ a Tarquinio Rege, sed a dæmonibus, & dæmonum principe, non filii „ occiduntur, sed Christi pauperes inter filios computantur? . . . Si Fu- „ rius Camillus etiam ingrati Patriam, a cujus cervicibus acerrimorum „ hostium jugum depulerat, damnatusque ab æmulis fuerat, a Gallis iterum „ liberavit, quia non habebat potiore ubi posset vivere gloriosus; cur ex- „ tollatur velut grande aliquid fecerit, qui forte in Ecclesia ab inimicis car- „ nalibus gravissimam exhonorationis passus injuriam, non se ad ejus hostes „ Hæreticos transtulit, aut aliquam contra illam ipse hæresim condidit, sed „ eam potius quantum valuit ab hæreticorum perniciosissima pravitate de- „ fendit; cum alia non sit, non ubi vivatur in hominum gloria, sed ubi „ vita acquiritur æterna? Si Mutius, ut cum Porsenna Rege pax fieret, „ qui gravissimo bello Romanos præmebat, quia Porsennam ipsum occidere „ non potuit, & pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante „ oculos ejus dexteram extendit . . . quis Regno cœlorum imputaturus est „ merita sua, si pro illo non unam manum, neque hoc sibi ultro faciens, „ sed persequente aliquo patiens, totum flammis corpus impenderit? . . . „ Si se occidendos certis verbis quodam modo consecrantes Decii devove- „ runt, ut illis cadentibus, & iram Deorum sanguine tuo placantibus „ Romanus liberaretur exercitus; nullo modo superbient Sancti Martyres „ tamquam dignum aliquid pro illius Patriæ participatione fecerint, ubi æ- „ terna est, & vera felicitas, si usque ad sui sanguinis effusionem, non so- „ lum suos fratres, pro quibus fundebatur, verum & ipsos inimicos, a „ quibus fundebatur, sicut eis præceptum est, diligentes, charitatis fide, „ & fidei charitate certarunt? . . . Quomodo autem se audebit extolle-

Confide-
randum
quanta Ro-
mani pro
terrena pa-
tria, & civi-
tate fece-
runt.

- „ re de voluntaria paupertate Christianus, ut in hujus vitæ peregrinatione
 „ expeditior ambulet viam, quæ perducit ad Patriam, ubi veræ divitiæ
 „ ipse Deus est; cum audiat, vel legat L. Valerium, qui in suo defun-
 „ ctus est Consulatu, usque adeo fuisse pauperem, ut nummis a Populo
 „ collatis ejus sepultura curaretur? Aut quid se magnum fecisse
 „ prædicabit, quod nullo præmio Mundi hujus fuerit ab æternæ illius Pa-
 „ triæ societate seductus, cum Fabricium didicerit tantismuneribus Pyrrhi
 „ Regis Epirotarum, promissa etiam quarta parte Regni, a Romana Civita-
 „ te non potuisse divelli, ibique in sua paupertate privatum manere maluisse?
 Qui jus ha-
 bent ad vi-
 tam æter-
 nam.
 Matth. 5.
 Per angustam viam incedendum esse meminimus, quæ ducit ad vitam;
 Regnum cælorum vim pati, & violentos, idest, qui pravis cupiditatibus
 suis vim inferunt, illud rapere, jus ad illud dumtaxat habere *Pauperes spi-
 ritu*, humiles, Deum timentes, a pravorum, opumque terrenarum affectu
 expeditos, quibus non dominatur avaritia, qui habent tamquam non haben-
 tes, & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur. Jus ad illud ha-
 bere cogitemus, qui Christi mansuetudinem imitantur, qui rixas fugiunt,
 qui non resistunt malis, & improbis, a quibus vexantur, sed vincunt in
 bono malum, qui pro terrenis, & temporalibus rebus non altercantur.
- Psalm. 141. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, de qua Propheta: *Tu es, in-
 quit, spes mea, portio mea in terra viventium*. Jus ad Regnum cælorum
 habent, qui vitam in luctu, lacrymis, & tribulationibus propter Deum
 transigunt, qui etsi nonnulla mæstitia afficiantur propter amissionem eorum,
 quæ ipsis chara erant in hoc mundo, a Dei tamen amore, & obsequio pro-
 pterea non divelluntur, immo Deo firmiter, & ardentius adhærent; qui lu-
 gent amissum a se, vel ab aliis Deum, & tristēs sunt ea tristitia, quæ *Pœ-
 nitentiam in salutem operatur*. Tristitia illorum vertetur in gaudium, & ab
 eorum oculis omnem lacrymam Deus absterget; temporalemque lætitiā,
 & prosperitatem amittentes, æterna perfruentur. *Beati qui lugent, quoniam
 ipsi consolabuntur*. Jus ad vitam æternam habent amatores veri, & incon-
 cussi boni, legis æternæ, ac veritatis, quæ Deus est; qui a mandatorum Dei
 fideli observantia, & a charitate Christi, nullis mundi blandientis promissis,
 & illecebris, nullis terrentis minis, & persecutionibus abduci possunt, ac
 divelli: quorum *Cibus est*, ut faciant *voluntatem Patris sui, qui in cælis est*,
 quæ est vera justitia: qui *aquam* illam sitiunt, de qua qui biberit, *fiet in
 eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: qui gaudium de veris bonis de-
 siderant, & amorem a terrenis & temporalibus avertunt. *Beati, qui esuriunt,
 & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Jus ad æternam beatitudinem
 habent qui sunt misericordes, sicut Pater cælestis misericors est; qui dimittunt
 aliis, sicut ipsi sibi dimitti volunt; qui adjuvant alios, in quibus possunt,
 sicut se in quo non possunt, cupiunt adjuvari; qui *beneficentiæ, & commu-
 nionis* non obliviscuntur, eleemosynis velut *hostiis* Deum promereri satagen-
 tes. Illis ita rependitur, ut de miseria liberentur *Beati misericordes, quoniam
 ipsi misericordiam consequentur*. Jus ad cælestem beatitudinem habent mundi
 corde, qui in simplicitate cordis Deum querunt, qui frequenti Sacramento-
 rum usu, assidua oratione, & bonis operibus animam purgant, ut videndo
 Deo præparetur; quorum conversatio in cælis est; quorum non solum opera,
 sed intentio recta est; qui Deo non servant nisi propter Deum, vereque
 dicere possunt: *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super ter-
 ram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. De his dixit Christus:
Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Jus ad vitam æternam habent
 homines *Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Si filii, & heredes hereditatis
 in-
1. Cor. 7. 10.
 Joan. 4. 14.
 Psalm. 72. 26.

incorruptibilis, & incontaminatæ, in cœlis repositæ, hæredes Regni ab æterno ipsis parati. Pacifici autem in se ipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi, idest, menti & spiritui, carnalique concupiscentias habentes edomitas fiunt Regnum Dei: in quod ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc ceteris imperet, quæ sunt nobis, bestiisque communia; atque id ipsum quod excellit in homine, idest, mens, & ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa Veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipsa subjiciat. Jus denique ad vitam æternam habent, *Qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, idest, qui omnes extrinsecus illatas molestias pro veritate, & justitia æquanimiter sustinent. Animadvertat igitur quisquis delicias hujus sæculi, & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano, intrinsecus esse beatitudinem nostram. Unde Propheta ait: *Omnis gloria ejus filie Regis ab intus*. Nam extrinsecus maledicta, & persecutiones, & detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in cœlis reposita iis, qui gloriantur in tribulationibus: *Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Unde nec Hæretici, nec Schismatici, qui multa interdum patiuntur, æternam Beatitudinem consequi possunt, quia non patiuntur ista propter justitiam. Nam *Ubi sana fides non est, non potest esse justitia, quia Justus ex fide vivit. Ubi charitas non est, non potest esse justitia: dilectio enim proximi malum non operatur*. Nos vero, qui per Dei gratiam Christiani Catholici sumus, si quid propter Deum patimur, beatos nos existimemus: *Id enim, quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt*. Eamus igitur de virtute in virtutem, ut videamus Deum Deorum in Sion, qui bonis æternis *Non privabit eos, qui ambulant in innocentia. Misericordiam, & veritatem diligit Deus; gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Misericordiam diligit, qua mihi primo subvenit: veritatem diligit, ut credenti det, quod promisit. *Donator est indulgentiæ, debitor coronæ*. Unde debitor? Cui debet aliquid Deus? Videmus quia tenet eum debitorem Paulus, consecutus misericordiam, exigens veritatem: *Bonum certamen certavi, (inquit) cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? Unde tibi debet? Quid ei dedisti? *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. *Non ei dicitur, Redde, quod accepisti: sed, Redde, quod promissisti*. Ille, qui prærogavit misericordiam, negare poterit debitum? *Misericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Quam gratiam, nisi de qua Apostolus dixit, *Gratia Dei sum id quod sum?* Quam gloriam, nisi de qua ipse ait, *Reposita est mihi corona justitiæ?*

III. Si vitam æternam vere credimus, hic super flumina Babylonis gemere debemus, dum recordamur Sion, ut peregrini gemere, ad cœlestem patriam suspirare. Et si corpus nostrum adhuc in Babylonia tenetur, cor nostrum ad Jerusalem præmittatur. „ Qui non gemit ut peregrinus, non „ gaudebit ut civis; quia desiderium non est in illo (*inquit S. Augustinus „ Enarratione in Psalm. cXLVIII.*) Cui peregrinatio dulcis est, non amat

„ pa-

Psal. 44.

Rom. 5.

S. August.
Lib. 1. De
Ser. Dom.
in Monte.

2. Cor. 4. 17.

Psal. 33. 13.
Psal. 63. 2.

2. Tim. 4. 7.

Rom. 11.
35.

1. Cor. 15.
10.

Ad Cœlestē
Patriam
suspirandū.

„ patriam : si dulcis est patria , amara est peregrinatio : Si amara peregrinatio , tota die tribulatio . Quando non est tribulatio ? Quando in patria delectatio ... Sed abundant omnia ? Abundant omnia ; vide , si securus es , quia non pereunt omnia ... Postremo sint copix , redundet affluentia hujus sæculi , detur securitas , quod non pereant . Dicat Deus desuper , Æternus in his eris , æterna tecum erunt ista , sed in faciem meam non videbis . Nemo carnem consulat , spiritum consulite : respondeat vobis cor vestrum , respondeat fides , spes , charitas , quæ in vobis esse cepit . Ergone si acciperemus securitatem nos in affluentia bonorum sæcularium semper futuros , & diceret nobis Deus , Faciem meam non videbitis , gauderemus in illis bonis ? Eligeret forte aliquis gaudere , & dicere , Abundant mihi ista , bene mihi est , nihil amplius quæro . Nondum cepit esse amator Dei , nondum cepit suspirare tamquam peregrinus . Effundamus igitur super nos animam nostram , confiteamur in lachrymis , gemamus in confessionibus , in miseriis suspiremus . Quicquid nobis adest præter Deum nostrum , non est dulce , *Nolumus omnia , quæ dedit , si non dat se ipsum , qui omnia dedit* . Verba sunt S. Augustini Enarratione in Psalm. LXXXV. Ad illum suspiremus , *Qui salvos facit rectos corde* . Recti corde dicuntur (inquit S. Augustinus in Psalm. VII.) *Cum jam , ubi cogitatio , ibi & delectatio est , quod fieri non potest , nisi cum divina , atque æterna cogitantur ... Ita fit , ut scrutans corda , & renes Deus , & perspicies in corde rectas cogitationes , in rebus nullas delectationes , justum auxilium præbeat rectis corde , ubi mundis cogitationibus supernæ delectationes sociantur* .

Psalm. 7. 11.

Ad vitam æternam omnia studia , opera que nostra referenda .

IV. Cum Vita æterna , Deique fructio summum sit hominis bonum , ad illam omnia opera nostra , curas omnes , & studia , cogitationes omnes referre debemus ; nihilque unice necessario salutis nostræ negotio anteponere . *Summum enim bonum dicitur , quo cuncta referuntur* . *Eo enim fruendo quisque beatus est , propter quod cetera vult habere , cum illud jam non propter aliud , sed propter se ipsum diligatur . Et ideo finis ibi dicitur , quia jam , quo excurrat , & quo referatur , non invenitur* (inquit S. Augustinus Epist. CXVIII. alias LVI.)

Temporalibus non inherendum .

S. August. Lib. 22. De Civit. Dei c. 24.

V. Temporalibus rebus ne inhæreat Christianus , qui æterna sperat : hanc vitam non amet , qui vitam æternam a Deo promissam expectat . Cogitet omnia bona temporalia , quibus Dei providentia , & bonitas hunc Mundum implevit , esse *Miserorum , damnatorumque solatia , non præmia beatorum* . *Quæ igitur illa sunt , si tot ac talia & tanta sunt ista ? Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam , qui hæc dedit etiam eis , quos prædestinavit ad mortem ? Quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere , pro quibus in hac misera unigenitum Filium suum voluit usque ad mortem mala tanta perferre ? Non ad hoc sumus Christiani , ut terrenam felicitatem quæramus , qua plerumque mali fruuntur . Bona illa magni pendere non debemus , quæ Dominus dat & malis . Ad aliam felicitatem , ad alia bona vocati sumus : illa desideremus , ad illa tendamus . Dicamus ex animo cum Propheta : *Sitivit in te anima mea . Quam multipliciter tibi caro mea . Adhæsit anima mea post te* .*

Psalm. 63.

Enarrat. in Psalm. 34. Serm. 1.

In via nos constitutos intelligamus , qua ad patriam pergimus . Temporalia bona si Deus dederit , ut solatia itineris cum gratiarum actione recipiamus ; si negaverit , aut subtraxerit , remota peregrinationis nostræ impedimenta gaudeamus . *Tota ista vita* (inquit S. Augustinus) *& omnia quibus uteris in hac vita , sic tibi debent esse tamquam stabulum viatori , non tamquam domus habitatori . Memento peregisse te aliquid , restare aliquid : divertisse te ad refectorem , non ad defectionem* . Propterea & hanc vitam multa amaritudine Deus Optimus resperfit , ut doceret *Amare meliora per amaritudinem in se*

Et Enarr. in Pf. 40.

feriorum, ne viator tendens ad Patriam, stabulum amet pro domo sua.

VI. Nemo potest idoneus fieri futurae vitæ, qui non se ad illam modo exercuerit. Nunc igitur præoccupandæ sunt actiones Beatorum in cælesti æternaque vita. In Dei visione, amore, ac laude exercere nos debemus quantum possumus. *Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege suo.* Quid est Israel? *Videns Deum.* Est quædam visio hujus temporis, erit altera visio futuri temporis: visio, quæ modo est, per fidem est; visio, quæ futura est, per speciem erit. *Si credimus videmus: si amamus, videmus.* Quid videmus? Deum. Ubi est ipse Deus? Interroga Joannem: *Deus charitas est.* Benedicamus nomen ejus sanctum, & gaudeamus in Deo, si gaudemus in charitate. Quisquis habet charitatem, ut quid illum mittimus longe, ut videat Deum? *Conscientiam suam attendat, & ibi videt Deum.* *Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus; si autem charitas ibi habitat, Deus ibi habitat.* Vult illum forte videre sedentem in cælo? *Habeat charitatem, & in eo habitat sicut in cælo.* Ergo simus Israel, & lætemur in Deo, qui fecit nos, in Christo Rege nostro, qui regit nos. *Nemo homo sibi arroget partes ipsius: ab ipso est letitia, quæ nos facit esse felices.* Cœlestis Jerusalem, sive Sion filii iumus. Ipsa nos genuit, ipsa est Ecclesia Sanctorum, ipsa nos nutrit, ex parte peregrina, ex magna parte immanens in cælo. Ex parte, qua immanet in cælo, beatitudo Angelorum est: ex parte, qua peregrinatur in hoc sæculo, spes est Iustorum. Qui ergo in hac vita gemunt, & desiderant illam patriam, *currant dilectione*, non pedibus corporis; non quærant naves, sed pennas, *duas alas charitatis apprehendant.* *Quæ sunt duæ alæ charitatis? Dilectio Dei, & proximi.* Peregrinamur enim, suspiramus, gemimus, venerunt ad nos litteræ de Patria nostra, ipsas vobis recitamus. Quæ sunt illæ litteræ? Divinæ promissiones in Scripturis Sacris exaratæ. De Deo itaque semper quantum in nobis est, cogitantes, in eum credentes, illum diligentes in illo lætemur. Sed & laudemus nomen ejus in choro. Chorus est consensus laudantium. Si in choro cantamus, concorditer cantemus. In choro cantantium quisquis vocediscruperit, offendit auditum, & perturbat chorum. Si vox inconvenienter cantantis disturbat concentum cantantium, quanto magis mala vita, pravique mores disturbant concentum laudantium? *In tympano & psalterio psallamus: Ut non sola vox laudet, sed & opera.* Quando assumitur psalterium, & tympanum, manus concinunt voci. *Sic & tu, si quando Alleluja cantas, porrigas & panem esurienti, vestias nudum, suscipias peregrinum; non sola vox sonat, sed & manus consonat, quia verbis facta concordant.*


In hac vita mortali si nos ita geramus, quod nobis promissum est, consequemur, *Vitam æternam*: in qua Deum sine fine videbimus, videndo amabimus, amando laudabimus. AMEN. *Verum est: id enim Deo revelante credimus; id Deo promittente speramus. Fiat, fiat.*

S. August.
Enarr. in.
Psalm. 148.
& 149.

Præoccupandæ sunt
in hac vita
actiones
beatorum:
1. Joann. 4.

FINIS LIBRI PRIMI.

THEO-



THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, ET MORALIS SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI

Concilii Tridentini

LIBER SECONDUS.

DE SACRAMENTIS.

ST Sacramentorum doctrina, & disciplina Viris Ecclesiasticis sum-
mopere necessaria, sic illis accuratissime tradenda est: tum quia
in eorum administratione præcipua pars Ministerii Ecclesiastici
posita est; cum Sacerdotes sint *Ministri Novi Testamenti*, & *Dis-*
 1. Cor. 4. 1. *pensatores Mysteriorum Dei*: tum quia *Plebem perfectam Domino parare de-*
 2. Cor. 3. 6. *bent Sancti Præcuratoris instar*, congruisque dispositionibus illam adornare ad
 Luc. 1. 17. *divina Sacramenta digne suscipienda*, ne forte noxium sit hominibus, at-
 Matth. 7. 6. *que in damnationem cedat*, quod pro ipsorum salute a Christo institutum
 est: aut ab ipsis Sacerdotibus divinum illud mandatum violetur: *Nolite*
 Isai 12. 3. *dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte*
 Gen. 24. *conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos*. Animabus ad *Fon-*
 Apoc. 7. 17. *tes Salvatoris* haurientibus aquam in vitam æternam salientem, in aures, &
 armillas, velut fidelis ille Abrahami servus alteri Rebeccæ, proferre debent,
 idest, Christianarum ornamenta virtutum, ut eas Christo Salvatori in Isaac
 adumbrato conjungant. Id autem assequi non possunt, nisi Christianos om-
 nes invitent *Ad vitæ fontes aquarum*, & ad Pœnitentiæ præsertim, ac Eu-
 charistiæ frequentem usum adhortentur; divinam Sacramentorum origi-
 nem, ac institutionem; admirabilem efficaciam, certamque virtutem; neces-
 sitatem, ac utilitatem eximiam; sacros Ritus, quibus conficiuntur, vel ad-
 ministrantur; Dogmata universa, quæ Ecclesia Catholica, Apostolica, Ro-
 mana de illis credenda proponit, diligenter, & dilucide explicantes.

TRACTATUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS

IN GENERE.

DE Sacramentis in genere spectatis octo expendenda sunt. Primo, essentia; secundo, necessitas; tertio, partes; quarto, numerus, & ordo; quinto, efficacia; sexto, institutio; septimo, Minister; octavo, Ritus, siue Ceremoniæ.

CAPUT PRIMUM:

DE SACRAMENTORUM ESSENTIA.

ARTICULUS I.

De Sacramenti Nomine.

I. CUM Sacramenti nomen a sacro derivetur, multiplex est Sacramenti significatio ex varia relatione ad rem sacram, quam violari nefas. Sic apud Veteres pignus in loco sacro depositum a litigantibus, ea conditione, ut illud perderet in penam improbus litigator, suum vero reciperet, qui causam obtinuisset, *Sacramentum* dicebatur, teste *Varrone* Lib. IV. *De Lingua Latina*. Atque ea etiam significatione Sacramentis nostris convenit, quatenus per ea nos Deo oppignoramus, & devovemus. Hac etiam ratione juramentum, per rei sacræ contestationem editum, Deo scilicet in testem promissionis, seu veritatis alicujus vocato, Sacramentum appellatum est. Qua significatione usurpatur Sacramenti nomen non solum apud profanos Auctores, sed in Jure etiam Canonico *Causa xxii. Qu. iv. cap. Qui Sacramento*, quod ex *Canone vii. Concilii Ilerdensis* sumptum est: item *Causa ii. Qu. v. cap. Sacramentum*, & *cap. Nos*, primo, & secundo. Hac etiam notione Sacramentis nostris nomen illud convenit, cum in illis Deo ad obsequium nos obstringamus, seque vicissim Deus nobis ad gratiam, amicitiam, & patrocinium quodammodo obstringat. Sic Principum consilia, & arcana, sacramenta in Scriptura Sacra vocantur, *Tobiæ xii. 7. Sacramentum Regis abscondere, bonum est*: quod sacra habeantur, sicut & Majestas, personæque Principis, nec ea usquam violare liceat. Quæ ratione *Epistola Imperatoris in Antiquis Conciliis Sacra Imperatoris* dicitur, propter personæ, a qua mittebatur, reverentiam, & inviolabilem dignitatem.

II. Scripturarum autem Sacrarum usu *Sacramentum* rem sacram abditam, atque occultam significat, sicut & Mysterii nomen *Sapientiæ ii. 22. Nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ. Ephes. i. 9. Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ. i. ad Timotheum iii. 16. Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Ephes. v. 32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Quin & rei arcana, et si nefariæ, signum aliquando significat. Apocalypsis xvii. 7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestie, quæ*

Multiplex acceptio hujus vocis, Sacramentum.

Cicero Libro II. Offic. Vegetius lib. II. De Re Milit.

portat eam. Pro signo rei sacræ abditæ, atque occultæ Sacramenti nomen S. Augustinus usurpat, Libro x. De Civitate Dei, cap. v. ita Sacrificium definiens, *Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii Sacramentum, idest, sacrum signum est.* Atque etiam hac notione id nomen Sacramentis nostris convenit; sed communes sunt illæ nominis acceptiones.

III. Significatione magis propria sumitur a Theologis Sacramenti nomen pro signo rei sacræ, non cuiuscumque, sed hominem Deo consecrantis, & initiantis. Sic a S. Augustino usurpatur Libro xv. De Civitate Dei, cap. xxvi. ubi de latere Christi lancea perfoſſo ait: *Inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Sic a S. Ambrosio Librum, in quo de Sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ tractat, inscribente, *De iis, qui Myſteriis initiantur.* (idem quippe Græcis significat *μυστήριον*, quod Latinis Sacramentum.) Sic a S. Thoma Prima Secundæ Quæst. cxii. Articulo v. *Sacramenta (inquit) proprie dicuntur illa, quæ adhibebantur a Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet quodammodo deputabantur ad cultum Dei.*

Sacramenti
nomen
semper in
Ecclesia
receptum,
& approba-
tum.

IV. Sacramenti nomen semper in Ecclesia receptum, & approbatum fuit, quicquid contra obstrepant Lutherus, Melancton, Carlostadius, Zuinglius, Calvinus. In Scripturis enim habetur, non solum communi, & generica significatione, prout rei sacræ absconditæ, & arcanæ signum notat, quosensu *Sacramentum septem stellarum*, Apocal. i. dicitur, & explicatur: *Septem stelle, Angeli sunt septem Ecclesiarum*: sed etiam specifica, & maxime propria significatione, quo modo ab Ecclesia usurpatur. Ephes. enim v. de Matrimonio dicitur, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* De conjunctione scilicet externa, & sensibili viri, & fœminæ, de qua præmissum est: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adheret uxori suæ: & erunt duo in carne una*: asserit Apostolus, *Sacramentum hoc magnum esse*, quippe quod signum sit rei sacræ spiritualis, & latentis, scilicet conjunctionis Christi, & Ecclesiæ. Unde & ex ratione illa Sacramenti Matrimonio conveniente probat viros diligere debere uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Quamobrem ex hoc loco Sacra Synodus Tridentina colligit, *Matrimonium esse vere, & proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum.* Antiqui etiam Patres Baptismum, Eucharistiam, & alia id genus sacra symbola Sacramenti nomine designant, scilicet Tertullianus Libro De Prescriptionibus Hereticorum, cap. xl. & Libro i. Contra Marcionem cap. xiv. S. Cyprianus Epist. lxxii. S. Hilarius in Psalm. cxxi. S. Augustinus Epist. liv. alias cxviii. ad Januarium, & Libro ii. De Doctrina Christiana, cap. iii.

Seſſ. 24. De
Sacram. Matr.

Non immu-
randa voca-
bula Eccle-
siæ usu con-
secrata.

Catholici
Theologi
ad certam
regulam lo-
qui debent.

V. Quamobrem etsi in sacris Litteris Sacramenti nomen ea significatione non haberetur; quo illud usurpat Ecclesia, religiose nihilominus retinendum esset, utpote Traditionis auctoritate, Ecclesiæque usu antiquissimo consecratum, sicut alia nomina ad fidem explicandam, atque declarandam ab Ecclesia adhibita sunt, & consecrata, quamvis in Scripturis non habeantur, ut Trinitas, Consubstantiale, Ingenitus, Incarnatio, Deipara, &c. Nova enim vocabula in Religionis Myſteriis explicandis fingere, & adhibere, iis abdicatis, quæ Ecclesiæ usu recepta sunt, omnino periculosum est. *Liberis enim verbis loquuntur Philosophi, nec in verbis ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem* (inquit S. Augustinus Libro x. De Civitate Dei cap. xxiii.)

ARTICULUS II.

De Sacramenti definitione.

I. *S*anctus Thom. III. P. Q. LX. Art. II. hanc Sacramenti definitionem tradit: *Sacramentum est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.*

Sacramenti definitio multiplex.

II. Concilii Tridentini Catechismus duplicem tradit Sacramenti definitionem, breviorē unam, prolixiorē alteram, & magis explicatam. Prima his concepta verbis est: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum.* Altera sic formata est: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Idem est sensus definitionis, quam tradit S. Isidorus Hispalensis, Libro VI. *Originum*, cap. *De Officiis*, quæ refertur etiam in Decreto Gratiani, cap. *Multi*, velut S. Gregorii: *Sacramentum est, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius operatur salutem.*

III. Ex his Sacramenti definitionibus colligitur, Sacramentum ad signi genus pertinere. Quod ut intelligatur, observandum est, rerum omnium, quæ sensibus percipiuntur, duo esse genera. Aliæ enim ob id inventæ sunt, ut aliquid significant: aliæ non alterius rei significandæ, sed sui tantum causa effectæ sunt. Posterioris generis sunt omnes pene res, quæ natura constant: prioris, vocabula rerum, scriptura, vexilla, imagines, tubæ, & alia hujusmodi. Nam si vocabulis vim significandi detraxeris, sublata videtur esse causa, quamobrem vocabula instituerentur.

Sacramentum ad signi genus pertinet.

Signum, ex S. Augustino, Libro II. *De Doctrina Christiana*, cap. I. est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire: sicut viso vestigio, transisse animal, cujus vestigium est, cogitamus; & fumo viso, ignem subesse cognoscimus; & voce amantis audita, affectionem animi ejus advertimus; & tuba sonante, Milites vel progredi se, vel regredi, & si quid aliud pugna postulat, oportere noverunt.

Notio signi.

Signorum alia sunt *naturalia*; alia *data*. Naturalia sunt, *Quæ sine voluntate, atque ullo appetitu significandi, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt*, sicuti est fumus significans ignem. Non enim volens significare id facit, sed rerum expertarum animadversione, & notatione cognoscitur ignem subesse, etiam si fumus solus appareat. Sed & vestigium transeuntis animantis ad hoc genus pertinet; & vultus irati, seu tristis affectionem animi significat, etiam nulla ejus voluntate, qui irascitur, aut tristis est; aut si quis alius motus animi vultu indice proditur, etiam nobis non id agentibus, ut prodatur.

Signa data, quæ alias ex institutione, seu ad placitum, in Scholis appellantur, sunt, *quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus animi sui, vel sensa, aut intellecta quælibet.* Signorum quibus inter se homines sua sensa communicant, quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad ceteros sensus. Nam cum inuimus, non damus signum nisi oculis ejus, quem volumus per hoc signum voluntatis nostræ participem facere: & vexilla militaria per oculos insinuant voluntatem Ducum. Ad aures autem pertinent tuba, tibia, & cithara, quæ dant plerumque non solum suavem, sed etiam significantem sonum: & verba, quæ inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit.

Signi species multiplex.

Signa alia sunt ab hominibus, alia a Deo instituta. Horum quædam speculativa sunt, alia practica. Speculativa, quæ tantum significandi gratia ob hominum oculos proponuntur, ut Iris, de qua Genes. IX. ait Deus: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fæderis inter me, & inter terram.* Practica sunt, quæ ex Dei institutione aliquid significant pariter, & efficiunt.

Notio, & essentia signi sensibilis omnibus sacramentis convenit.

IV. Notio, & essentia signi sensibilis Sacramentis omnibus communis est. Ut enim S. Augustinus Epist. cxxxvii. alias v. ad Marcellinum ait, *Signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Id vero ex Scriptura Sacra manifeste etiam colligitur. Apostolus enim de Circumcisione, veteris Legis Sacramento, quæ Abraham patri omnium credentium data erat, ita scribit ad Rom. iv. Cap. *Signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei: & cap. v. cum ait: An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Baptismum hujus rei significationem habere docet, nimirum: Nos conssepultos esse cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hinc rursus S. Augustinus Libro De Catechizandis Rudibus, cap. xxvi. Novæ Legis Sacramenta vocat *Visibilia signacula, in quibus res divinæ invisibiles honorantur.* Et in Expositione inchoata Epist. ad Roman. de Cornelio sic loquitur: *Non ideo Sacramenta contempsit, quod gratiam Dei jam accepisset: sed multo certior baptizatus est, ut etiam ipsa sacrosancta signacula, quorum res (idest gratia) in ipso præcesserat, percipere non moraretur.*

Ratio cur Sacramenta signa sensibilia esse debeant.

V. Rationem cur Sacramenta signa sensibilia esse necessario debeant, S. Thomas tradit III. P. Q. LX. Art. iv. inde petitam, quod *Sapientia divina unicuique rei providet secundum suum modum: & propter hoc dicitur Sapient. viii. Suaviter disponit omnia.* Et Matth. xxv. *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Est autem homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium: signum autem est, per quod aliquis pervenit in cognitionem alterius. Unde cum res sacræ, quæ per Sacramenta significantur, sint quedam spiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio Sacramenti impleatur: sicut etiam per similitudines sensibilibus rerum in Divina Scriptura res spirituales nobis describuntur.

Hanc rationem præclare S. Joannis Chrysostomi testimonio suffultam studiosus quisque gratus accipiet, Homilia lxxxiii. in S. Mattheum, dicentis: *Quoniam ille dixit, Hoc est Corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis a Christo, sed rebus quidem sensibilibus, omnia vero, quæ tradidit, insensibilia sunt. Sic & in Baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet, ac renovatio, intelligibile quiddam est. Nam si tu incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, insensibilibus intelligenda tibi traduntur.*

Eodem spectat egregius ille S. Augustini locus Enarrat. ii. in Psal. xxxiii. *Christus in Corpore, & Sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit Corpus, & Sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius. „ In „ Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. „ Ecce cibus sempiternus: sed manducant Angeli, manducant superna Virtutes, manducant cœlestes Spiritus, & manducantes saginantur; & integrum manet, quod eos satiat, & letificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut Mensa illi lactesceret, & ad parvulos perveniret.*

Joann. i.

Sacramenta signa sunt rebus significatis secundum

VI. Nec solum sensibilis signi ratio Sacramento Novæ Legis convenit; sed præterea rei significatæ per quamdam similitudinem, ac proportionem accommodatum esse debet; ut specie quadam, & similitudine nobis declaret, quod Deus in animis nostris sua virtute, quæ sensu percipi non potest efficit.

efficit. Sic Baptismus, cum adhibitis certis, & solemnibus verbis aqua extrinsecus abluimur, significat Spiritus Sancti virtute omnem peccati maculam, & turpitudinem interius elui, & animas nostras gratiæ sanctificantis dono augeri, atque ornari. Hæc veritas *Tertulliani* testimonio confirmatur Libro *De Resurrectione carnis*, cap. VIII. Caro, inquit, abluatur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro Corpore, & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.

similitudinem, & proportionem quamdam accomodata.

Idem colligitur ex *S. Augustino* Epistola xcviii. alias xxiii. ad *Bonifacium* Episcopum scribente: *Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.*

VII. Ex Dei institutione Sacramenta significanti vim habent, cum solus Deus sit Sacramentorum auctor, uti & Fidei, & Religionis. Unde Aqua Benedicta, signum crucis, unctio pectoris, Benedictio Episcopalis, in Sacramentorum numero non censentur, tum ob alias rationes, tum quod ritus non sint a Deo immediate instituti, sed ab Ecclesia.

Sacramenta ex Dei institutione signa sunt practica, & efficacia

VIII. Signa denique mere speculativa non sunt, sed practica, & efficacia, gratiam scilicet, quæ res sacra est per ipsa significata, in suscipientibus, modo nullum obicem apponant, operantia. Qua ratione a definitione Sacramenti excluduntur creaturæ sensibiles, quæ licet aliquid sacrum significant, scilicet sapientiam, & bonitatem divinam, quatenus sunt in se ipsis sacræ, non tamen quatenus nos per eas sanctificamur. Unde Sacramenta dici non possunt, quia Sacramentum est signum rei sacræ, in quantum sanctificat homines, ut ratiocinatur *S. Thomas* III. P. Q. LX. Artic. III. Hac etiam ratione differunt Sacramenta Novæ Legis a Sacramentis Veteris Legis, quæ ob eam tantum rem a Deo hominibus commendata sunt, ut aliquid significarent, in memoriam revocarent, aut promitterent. Cujusmodi fuerunt Circumcisio, Legis purificationes, Panis azymus, Sacrificia, & ceteræ Mosaici cultus cæremoniæ. Unde *S. Augustinus* Enarrat. in Psalm. LXXIII. ait: *Si discernimus duo Testamenta, & Vetus, & Novum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem promissa; eadem tamen pleraque præcepta.... Præcepta eadem, Sacramenta non eadem, promissa non eadem. Videamus, quare præcepta eadem: quia secundum hæc Deo servire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem... Mutata sunt Sacramenta, facta sunt facilliora, pauciora, salubriora, feliciora.* A ratione demum Sacramenti excluduntur signa speculativa, quorum usus in Ecclesia obtinuit, qualia sunt Imagines, Cruces, Rosaria, vestes Sacerdotales, Monasticus habitus, & alia id genus.

Veteris, & Novi Testamenti pleraque præcepta eadem Sacramenta, & promissa non eadem.

IX. Ad hujus absolutionem Articuli, scire necesse est, quarum rerum signa sint Sacramenta. Est enim miserabilis animæ servitus signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse... Sub signo autem servit, qui operatur, & veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui vero aut operatur, aut veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim, significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis, & liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa revelari, quorum iugo edomandi sunt. Tales autem spirituales erant Patriarchæ, ac Prophetæ, omnesque in populo Israël, per quos nobis Spiritus Sanctus ipsa Scripturarum

Quarum rerum signa sunt Sacramenta?

Et auxilia, Et solatia subministrat. Hoc vero tempore, postea quam Resurrectione Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus; sed quedam pauca pro multis, eademque factu facillima, Et intellectu augustissima, Et observatione castissima, ipse Dominus, Et Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, Et celebratio Corporis, Et Sanguinis Domini: quæ unusquisque cum percipit, quo referantur, imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potius libertate veneretur. . . . Qui autem non intelligit, quid significet signum, Et tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute. Verba sunt S. Augustini Libro III. De Doctrina Christiana, cap. v. & ix.

Sacramentorum nove Legis triplex significatio.

Triplex autem est in Sacramentis Novæ Legis significatio. Significant enim rem aliquam præteritam, Christi scilicet Redemptoris Passionem, quæ sanctitatis causa est: Rem præsentem indicant, scilicet gratiam, quam operantur: Rem futuram prænunciant, scilicet æternam beatitudinem, ad quam sanctitas nostra velut ad finem referri debet. Sive, ut loquitur S. Thomas III. Part. Q. LX. Artic. III. Sacramentum est signum rememorativum ejus, quod præcessit, scilicet Passionis Christi; Et demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi Passionem, scilicet gratiæ; Et prognosticon, idest, prænunciativum futuræ gloriæ. Res exemplo illustratur in Baptismo. Nam cum Apostolus ait ad Romanos cap. vi. 3. Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; plane ostendit, idcirco Baptismum signum dicendum esse, quod Dominicæ Passionis, & Mortis nos admoneat. Deinde cum addit: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita Et nos in novitate vitæ ambulemus. Declarat, Baptismum signum esse, quo cœlestis gratia in nos infusa indicatur, cujus munere nobis datum est, ut novam vitam instituentes, omnia veræ pietatis officia facile, & libenti animo impleamus. Postremo, cum ait: Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul Et Resurrectionis erimus: Docet Baptismum futuræ nostræ Resurrectionis, & æternæ vitæ signum esse.

Nec unam tantum rem præsentem, sed plures quandoque Sacramenta significant. Sic Eucharistiæ Sacramentum veri Corporis, & Sanguinis Domini præsentiam, necnon gratiam significat, quæ confertur iis, qui non indigne Corpus, & Sanguinem Domini manducant, & bibunt.

Ne tamen inde colligas, Sacramenta signa esse ambigua, fallendi occasionem præbentia: quia multa significant, secundum quod ordine quodam sunt unum. Sacramentum enim proprie dicitur, quod ordinatur ad significandum nostram sanctificationem: in qua tria spectari possunt; scilicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi: & forma nostræ sanctificationis, quæ est gratia cum virtutibus: & ultimus finis ejusdem sanctificationis, nempe vita æterna. Quæ omnia Sacramentis significantur.

C A P U T II.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

Observandum est, necessitatem aliam esse inevitabilem, qua aliquid ita necessarium est ad consecutionem finis, ut agens aliis mediis finem consequi non possit: aliam necessitatem convenientiæ, qua necessarium aliquid dicitur, ut juxta modum nostræ imbecillitatis congruentem, & attemperatum nostra procuretur salus. Primo necessitatis genere Sacramenta non esse necessaria, certum est, ac exploratum: siquidem aliis mediis

mediis salutem nostram Deus procurare potuisset. Quamobrem de sola necessitate convenientiæ quæstio est. Hæc porro duplex, una præcepti, alia medii. Prima est obligatio a mandato Superioris profecta: altera est aboluta obligatio ex institutione medii derivata. Omissio ejus, quod primotantum modo necessarium est, legitima causa potest excusari: nec salutis æternæ dispendium patitur, qui legis positivæ præceptum quatenus præcise tale est, non implet, cum graves, & legitimæ causæ prohibent, sive illius executionem impossibilem reddunt. Omissio, vel defectus ejus, quod secundo modo necessarium est, nusquam, & nulla ratione potest excusari. Unde in æternum perit, quisquis non adhibet, vel cui non adhibetur medium ad salutem æternam necessarium.

Observandum secundo, de Sacramentorum necessitate respective ad duos hominum status disceptari posse, scilicet ad statum innocentiam, & statum naturæ lapsæ: & rursus secundum tria tempora lapsi hominis sequuta; scilicet Legis naturæ, ab Adamo usque ad Moysen; Legis Scriptæ, a Moyse usque ad Christum; & Legis Evangelicæ, a Christo usque ad finem mundi.

I. Ac de statu quidem innocentiam, quod brevissimum fuit, utrum in eo Sacramenta necessaria homini fuerint, cum Scriptura Sacra, & Traditio non loquantur, Quæstionem Scholasticis disceptandam relinquimus. In florentissimo illo statu necessaria non fuisse, probabilis videtur, cum sint medicinæ quædam spirituales, quæ contra vulnera peccati adhibentur. Non enim *Matth 9.*
est opus valentibus Medicus, sed male habentibus.

II. Post peccatum vero necessaria fuerunt: siquidem *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur; quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* Cum itaque necessarium sit ad humani generis salutem, homines in unum veræ Religionis nomen adunari, Sacramenta necessaria sunt ad salutem.

Præterea, Sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, quatenus sunt quædam sensibilia signa rerum invisibilium, quibus homo sanctificatur: nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum: Ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi* (ut scribit Apostolus ad Romanos, cap. III. 25.) Et ideo necesse fuit ante Christi adventum signa quædam esse visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu; & hujusmodi signa sunt Sacramenta, de quibus *S. Augustinus Libro XIX. Contra Faustum cap. XIII. Prima Sacramenta, quæ observabantur, & celebrabantur ex Lege, prænunciativa erant Christi venturi.*

III. Signa tamen, quibus præci illi homines sub lege naturæ suam in Christum venturum fidem protestabantur, non erant determinata. Et sicut *nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum: ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur* (inquit *S. Thomas III. par. qu. LX. art. v. ad primum.*) Postmodum vero necesse fuit etiam exterius Legem dari; tum propter obscuritatem legis naturæ ex peccatis hominum; tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis. Prævit *S. Thomæ* in hujus assertione veritatis *S. August. Libro v. Contra Julianum, cap. xi. Nec ideo tamen credendum est* (inquit) *& ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris*

fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit: nam & Sacrificia eorum legimus, quibus utique Sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata Mundi.

Sacramen-
ta Veteris
legis,
Circumci-
sio.

Ejus a Ba-
ptismo di-
scrimen.

IV. Tempore Legis scriptę Circumcisionem, aliaq; Sacramenta, Populo Judaico Deus instituit, ac determinavit. De Circumcisione lex extat, *Genesis* c. xvii. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, deletur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* De illa *S. Augustinus* Libro II. De Nuptiis, & Concupiscentia, cap. xi. *Ex quo, inquit, instituta est circumcisio in populo Dei, quę erat signaculum justitię fidei, ad significationem purgationis valebat, & in parvulis originalis veterisque peccati; sicut & Baptismus ex illo cępit tempore valere ad innovationem hominis, ex quo est institutus.* Et Lib. 14. De Baptismo contra Donatistas, cap. xxiv. de eadem scribit: *Ipsam per se Sacramentum multum valebat: ad significationem scilicet purgationis originalis peccati, non ad justitiam, non ad interioris hominis innovationem, non in salutis prærogativam, ut loquuntur etiam S. Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo, S. Irenęus Lib. iv. contra Hæreses, cap. xxx. Tertullianus Libro contra Judæos, cap. II. & III. S. Cyprianus Libro I. contra Judæos, cap. viii. S. Gregorius Nyssenus Tractatu de Trinitate adversus Judæos, S. Jo: Chrysostomus, Homil. xxvii. in Genesim, S. Ambr. Epist. lxxii. S. Hieronymus in cap. III. Epistolę ad Galatas, S. Cyrillus Alexandrinus Lib. x. contra Julianum, quibus concinens S. Thomas III. par. qu. lxxi. art. iv. id discriminis esse docet inter Baptismum, & Circumcisionem, quod in Baptismo gratia confertur ex virtute ipsius Baptismi, quatenus instrumentum est Passionis Christi jam perfectę, vim ejus deferens, & applicans: at in Circumcisione gratia conferebatur ex Fide significata, non ex Circumcisione significante.*

Masculis porro ante diem octavum morientibus, & fœminis, eodem succurrebatur Sacramento, quod legis naturę tempore adhibebatur, & usurpabatur a fidelibus veri Dei cultoribus apud Gentes ex Abramo non progenitas.

Agni Pa-
schalis
esus.

V. Veteris etiam Legis Sacramentum fuit esus Agni Paschalis, de quo Deus præcipit *Exodi* xii. 24. *Custodi verbum istud legitimum tibi, & filiis tuis usque in æternum. Cumque introieris Terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cęremonias istas. Et cum dixerint vobis filii vestri, Quę est ista Religio? Dicitis eis: Victimam transitus Domini est. Ut enim Agnus Paschalis signum fuit Christi, Agni veri, pro peccatis nostris in Cruce immolandi: sic Agni Paschalis esus signum erat Carnis Christi in Sacramento Eucharistię a nobis manducandę, secundum promissum ejus, ac præceptum (Joannis vi.) *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.**

VI. His prælibatis, de Sacramentorum necessitate in Nova Lege dissendendum est, Ecclesięque fides, & doctrina hac in re explicanda.

P R O P O S I T I O I.

Sacramenta in Nova Lege a Christo institui, conveniens omnino fuit.

PRobatur ex *S. Augustino* Lib. xix. *Contra Faustum*, cap. xiii. *Prima Sacramenta, quę observabantur, & celebrabantur ex Lege, prænunciativa erant Christi venturi: quę cum suo adventu Christus implevisset, ablata*

ablata sunt, & ideo ablata, quia, impleta. Non enim venit solvere Legem, sed adimplere; & alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, adu faciliora, numero pauciora, tamquam iustitia fidei revelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo servitutis ablato, quod duro, & carni dedito Populo congruebat.

Probatur secundo ratione S. Thomæ III. par. qu. LX. art. IV. Sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi jam nati, & passi. Sunt autem Sacramenta, quædam signa protestantia fidem, qua homo justificatur. Cum igitur aliis signis futura, præterita, & præsentia significari oporteat; quædam alia Sacramenta in Nova Lege institui conveniens erat, a Sacramentis Veteris Legis distincta. Hanc rationem hauserat S. Thomas ex S. August. Epistola CLVII. alias LXXXIX. ad Hilarium, quæst. III. Vide, inquit, quemadmodum commendat unum, & unum, idest, Adam, & Christum: illum ad condemnationem, hunc ad justificationem, cum tanto post Adam venerit Christus in Carne: ut sciamus etiam antiquos Justos, quicumque esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur, & nos, fidem scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænunciabatur, sicut nobis facta annunciat... Hæc ergo fides etiam antiquorum Justorum fuit. Unde & Apostolus dicit: Habentes autem eundem spiritum fidei, dei, propter quod scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur: non diceret, eundem spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos Justos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est, Incarnationis Christi. Sed quia illis futura prænunciabatur, quæ jam facta nobis annunciat, & tempore Veteris Testamenti velabatur, quæ tempore Novi Testamenti revelatur; ideo ejus Sacramenta variata sunt, ut alia essent in Veteri Testamento, alia in novo; cum fides ipsa varia non sit, sed una sit.

Sacramenta mutata, non fides.

II. Cor 4.

Si autem nulla fidei variatio contigit mutatis Sacramentis, multo minus hinc aliqua in Deum mutatio refundenda est, quod alia Sacramenta instituerit post adventum Christi, & alia tempore Legis; quia illa fuerunt congrua gratiæ prænunciandæ; hæc autem sunt congrua gratiæ impræsentiarum demonstrandæ. Sicut enim ratio non mutatur agriculturæ, cum agricola æstate aliud jubet, quam iusserat hyeme: & cum mane surgit, qui nocte quiescebat, vitæ consilium non mutavit: & cum alia Magister adolescenti præcepta tradit, quam puero imposuerat, non ideo doctrina mutatur: & cum Medicus alia pro ætatum varietate remedia præscribit, non ideo medicina mutatur: ita Deus alia in Nova Lege instituens Sacramenta ab iis, quæ in Veteri Lege præscripserat, minime mutatus est. Qua de re legenda est S. August. Epistola CXXXVII. alias V. ad Marcellinum.

P R O P O S I T I O II.

Sacramenta Novæ Legis necessaria sunt ad salutem, quædam simpliciter necessitate medii, & præcepti, quædam sola necessitate præcepti; non tamen omnia singulis.

DOgma Catholicum est, Sacrosancti Conc. Tridentini auctoritate firmatum, sess. VII. can. IV. *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; Anathema sit.*

Baptismus quidem, & Pœnitentia, quæ duo Sacramenta mortuorum a Theologis vocantur, quod ad primam gratiam conferendam, & vitam animæ per peccatum mortuæ restituendam instituta sint, non solum præcepti,

Quæ Sacramenta mortuorum; & cur ita appellata;

Quæ vivo-
rum?

pit, sed & medii necessitate sunt necessaria: Baptismus omnibus, Pœnitentia autem iis, qui gratiam regenerationis in Baptismo perceptam peccato mortali profligarunt. Quamobrem nemo sine Baptismo, vel in re, vel in voto suscepto, salutem æternam consequi potest, secundum Christi oraculum, Joan. III. 5. *Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Nemo pariter in lethale peccatum post Baptismum prolapsus, absque Pœnitentiæ Sacramento, in re, vel in voto suscepto, ad salutem æternam pervenire potest, secundum alterum Christi oraculum. Lucæ XIII. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Alia vero, quæ vivorum Sacramenta dicuntur, quod vitam spiritualem in suscipientibus exigant, & ad augendam gratiam sint instituta, scilicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium, necessaria sunt necessitate præcepti affirmativi (ut Theologi de Schola loquuntur) idest, in certis rerum circumstantiis, & temporum opportunitatibus obligantis. Non tamen omnia singulis hominibus necessaria sunt. Non enim singulos sacris Ordinibus initiari, vel Matrimonio jungi necesse est: quamvis Ecclesiæ simpliciter necessaria sint Ordinis, & Matrimonii Sacramenta: illud ad Ministrorum consecrationem; istud ad hominum, qui Christiani fiant, & in quibus conservetur hic militans Ecclesia, propagationem.

P R O P O S I T I O III.

Sacramenta Novæ Legis propter solam fidem nutriendam non sunt instituta.

Dogma Catholicum est, sacræ Synodi Tridentini definitione firmatum, sess. VII. can. v. *Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta esse; Anathema sit.* Ad gratiam enim virtute Passionis Christi conferendam instituta sunt, ut inferius demonstrabitur; & parvulis qui actu credere per ætatem non possunt, Baptismus ab Ecclesia semper collatus est, ob peccati originalis expiationem, & ad gratiæ sanctificantis infusionem, quo nomine ipsum pueris conferri Concilium Africanum, canone II. ex iis, qui Milevitanz Synodo vulgo tribuuntur, contra Pelagianos definivit. Quamquam vero adultis suæ mentis compositibus necessaria omnino sit fides ad gratiam per Sacramenta recipiendam: siquidem *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit* (ut docet Apostolus ad Hebr. XI.) Non tamen soli fidei accepta referri debet hominis Sacramenta suscipientis justificatio, quasi Sacramenta nihil aliud præstent, nisi fidei alimentum, aut incrementum. Quamobrem sacra Synodus Tridentina modum, quo se adulti ad justificationis gratiam præparari debent, sess. VI. cap. VI. sic explicat. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitari divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt: atque illud inprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est (Heb. XI. 6.) *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est,**

Sacramenta
novæ Legis
ad quid in-
stituta.

est, & quod inquirentibus se remunerator sit. (Marci XI. & Matth. IX.) Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. (Eccl. I.) Timor Domini expellit peccatum. (Act. II.) Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Sp. Sancti. (Matth. & Marc. cap. ultimo.) Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis. (I. Reg. VII. 2.) Preparate corda vestra Domino.

P R O P O S I T I O IV.

Sacramenta Novæ Legis a Sacramentis Veteris Legis sola Rituum externorum, sive caeremoniarum diversitate non differunt.

Dogma Catholicum est, Conc. Tridentini definitione contra Calvini heresim firmatum, sess. VII. can. II. *Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia caeremonie sunt aliæ, & alii Ritus externi; Anathema sit.* Eo ergo differunt (ut antea explicuerat Eugenius IV. Pontifex Maximus in Decreto ad Armenos) quod illa non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Ex doctrinæ Apostolicæ principiis hoc discrimen arcessitur. Apostolus enim ad Hebr. IX. Munera, & hostias, quæ secundum Legem offeruntur, negat, „Potest, se juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibus, & potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. Et cap. X. Umbram (inquit) habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati... Impossibile est enim, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. „Quæ licet de sacrificiis potissimum intelligantur, idem tamen de Sacramentis judicium ferendum est. Eodem spectat illud cap. VII. *Reprobatio quidem fit præcedentis Mandati, propter infirmitatem hujus, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* Et Epist. ad Gal. IV. omnia, quæ Mosaica Lege præcipiebantur, & observabantur, vocat *Infirma, & egena elementa*, quod hominem a peccato expiare, & ad veram justitiam, ac sanctitatem perducere vi institutionis suæ, atque insita, & congenita virtute non possent. *Nunc autem (inquit, Judæos compellans) cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo; quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo servire vultis?*

Discrimen Sacramentorum Veteris, & Novæ Legis.

Confirmatur ex S. Aug. Epist. LIV. olim CXVIII. ad Januarium., Primum itaque (inquit) tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus; Communicatio Corporis, & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commentatur, exceptis iis, quæ servitatem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & Prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque Libris Moysis leguntur.

Et Enarratione in Psal. LXXIV. *Opportune non ex nostra, sed ex Dei dispensatione factum est, ut modo audiremus ex Evangelio, Quia Lex per Moysen data est, Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* Si enim dis-

Joan. I. 17.

Sacramen-
ta Veteris
Testamenti
promitte-
bant Salva-
torem, No-
vi dant
salutem.

cernimus duo Testamenta, Vetus, & Novum, non sunt eadem Sacramenta :. Quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem, Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. Cum ergo jam teneas promissa, quid queris promittentia, habens jam Salvatorem? Hoc dico, teneas promissa, non quod jam acceperimus vitam æternam; sed quia jam venerit Christus, qui per Prophetas prænunciabatur. Mutata sunt Sacramenta, facta sunt facilia, pauciora, salubriora, feliciora.

Enarratione in Psal. lxxiv. explicans hæc verba: „ Calix in manu Do-
mini, vini meri plenus mixto: ait: Calix vini meri plenus mixto, vide-
tur mihi esse Lex, quæ data est Judæis, & omnis illa Scriptura Veteris,
quod dicitur, Testamenti, ibi sunt pondera omnium sententiarum. Nam
ibi Novum Testamentum absconditum latet tamquam in fece corporalium
Sacramentorum. Circumcisio carnis magni Sacramenti res est, & intelli-
gitur inde Circumcisio cordis. Templum illud Jerusalem magni Sacramen-
ti est res, & intelligitur ex eo Corpus Domini. Terra promissionis intel-
ligitur Regnum cælorum. Sacrificium victimarum, & pecorum magnum
habet Sacramentum; sed in omnibus illis generibus Sacrificiorum intelli-
gitur unum illud Sacrificium, & unica victima in cruce Dominus: pro
quibus omnibus Sacrificiis unum nos habemus; quia & illa figurabant hæc, i-
dest, illis hæc figurabantur. Accepit Populus ille Legem, accepit mandata
justa, & bona. Quid tam justum quam, Non occides, Non mechaberis, Non
furaberis, Non falsum testimonium dices, Honora Patrem, & Matrem, Non
concupisces rem proximi tui, Unum Deum adorabis, & ipsi soli servies? O-
mnia ista ad vinum pertinent. Illa vero carnalia quasi resederunt, ut remane-
rent apud illos, & effunderetur inde omnis spiritalis intellectus. Calix vero
in manu Domini, idest, in potestate Domini: Vini meri, idest, Legis sinceræ:
Plenus est mixto, idest, cum fece corporalium Sacramentorum. Et quia hunc
humiliat, superbum Judæum; & hunc exaltat, confitentem Gentilem: In-
clinavit ex hoc in hunc, idest, a Judaico populo in Gentilem populum. Quid
inclinavit? Legem. Eliquatus est inde spiritalis intellectus. Verumtamen fex e-
jus non est exinanita, quia Omnia Sacramenta carnalia apud Judæos remanse-
runt. Bibent omnes peccatores terræ. Qui bibent? Omnes peccatores terræ. Qui
peccatores terræ? Judæi erant quidem peccatores, sed superbi: Gentiles au-
tem erant peccatores, sed humiles. Omnes peccatores bibent; sed vide, qui
fecem, qui vinum. Etenim illi bibendo fecem evanuerunt: isti bibendo
vinum justificati sunt.

Sacramen-
ta Novæ Le-
gis virtute
majora, u-
tilitate me-
liora, actu
faciliora,
numero
pauciora.

Rom. i. 17.

Dan. i. 8.

ii. Mach 7.

Et Lib. xix. Contra Faustum, cap. xiii. Prima (inquit) Sacramenta, que ob-
servabantur; & celebrabantur ex Lege, prænunciativa erant Christi venturi: que
cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta :.
Et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu facilia, numero pau-
ciora :. Et cap. xiv. Verumtamen si antiqui Justi, qui Sacramentis illis intelligebant
venturam prænunciari revelationem fidei, ex qua licet adhuc operta, & abscondita,
munere tamen pietatis intellecta, etiam tunc ipsi vivebant: quia in hac vita nemo
potest esse Justus, nisi qui ex fide vivit: si ergo antiqui Justi pro illis prænunciati-
vis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura, & horren-
da perpeti parati fuerunt, & plerique perpeffi sunt, si tres Pueros, Daniele-
que prædicamus, quia de mensa Regis contaminari noluerunt, quod erat contra il-
lius temporis Sacramentum; si Machabæos cum ingenti admiratione præferi-
mus, quia escas, quibus nunc Christiani licite utuntur, attingere noluerunt, quia
tunc pro tempore prophetico non licebat: quanto magis nunc pro Baptismo Chri-
sti, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi ad omnia perferenda paratior
de-

debet esse Christianus : cum illæ fuerint promissiones rerum complendarum , hæc sint indicia completarum ?

Objicitur, Remissionem peccatorum veteribus sacrificiis tribui, Lev. i. iv. v. xvi. & num. xv. his, aut similibus verbis: *Orabitque pro eo Sacerdos, & dimittetur ei :: Et propitius erit Dominus :: Sanguis pro animæ piaculo est.* Ex quibus sequi videtur, Sacramenta Veteris Legis peccata remississe, & gratiam contulisse, non minus quam Sacramenta Novæ Legis.

Resp. Vetera Sacrificia expiassent immunditiam legalem, & corpoream, quæ hominem a divino cultu velut profanum arcebat, non immunditiam culpæ: & peccati remissionem legalem præstitisse, faciendo ut peccata non imputarentur ad pœnam Lege præscriptam his, pro quibus offerebantur (idemque de Sacramentis dicendum est.) Sed veram, & internam peccatorum remissionem, justitiam, sanctitatem, & gratiam nec sacrificia, nec Sacramenta vetera per se contulisse: unde S. *Augustinus* Tract. xli. in Joannem, *In illis, inquit, Sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum.* Et qui illis Sacrificiis oblatis, vel Sacramentis susceptis remissionem peccatorum, veramque, & internam justitiam, ac sanctimoniam consequuebantur, eam virtute Sacrificiorum, & Sacramentorum veterum non habebant, sed ex fide Christi venturi, quam his signis a Deo institutis profitebantur. Sicut ergo justitia, & sanctitas interna non erat ex Lege, sed ex fide Christi; & justii Veteris Testamenti sub Lege non erant, sed sub Gratia, & ad Novum Testamentum revera pertinebant: ita remissio peccatorum, & justitia interior per gratiam, & charitatem, non erat effectus Sacramentorum legalium, sed fidei in Christum venturum, quem promittebant, & prænuuntiabant. Vetera ergo Sacramenta *Inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, & Non poterant juxta conscientiam perfectum facere servientem* (ut ait Apostolus.) At Sacramenta Novæ Legis ex Christi latere manantia, *Qui per Sp. Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi* (ut loquitur Apostolus ad Hebræos ix. 14.) Atque ita eam gratiam, quam significant, Christi Sanguinis virtute operantur, ut infra probabimus.

Quo sensu remissio peccatorum veteribus sacrificiis in Scriptura Sacramentis tribuitur.

Remissio peccatorum non erat effectus veterum sacrificiorum, & Sacramento, sed fidei in Christum venturum.

C A P U T I I I.

DE PARTIBUS SACRAMENTORUM.

I. **P** Artes Sacramentorum sunt eæ, ex quibus Sacramentum constat, quæ duo sunt omnino, materia nimirum, ac forma. Materia est res, vel actus sensibilis: forma sunt verba solemnia in Sacramentorum consecratione adhibita. Olim quidem hic loquendi modus Ecclesiasticis Tractatoribus ignotus erat, aliasque docendi formulas usurpabant. Sacramenta signo, & re sacra, seu invisibili constare dicebant. Per signum id intelligebant, quod postea per materiam, & formam significatum est, quicquid scilicet sensibus percipitur: per rem sacram, seu invisibilem, effectum Sacramenti, gratiam scilicet sanctificantem. Dicebant præterea, in omni Sacramento duo reperiri, Sacramentum, & rem. Per Sacramentum, signum tantum intelligunt, quod sensibus externis ingeritur, sub cujus specie Christus Sacramentum instituit: per rem, gratiam, quæ confertur. Ideo diligenter examinant prisca Theologi, quid sit Sacramentum, quid res Sacramenti. Deniq; vulgo dicebant, Sacramenta rebus constare, & verbis; rebus, ut aqua, oleo, &c. verbis, ut invocatione Sanctissimæ Trinitatis. Aliis etiam verbis, quorum idem sensus est, utebantur, asserentes Sacramenta constare elemento, & verbo, juxta celebrem illam S. *Augustini* sententiam, Tract. lxxx. in Joann.

De partibus Sacramentorum.

Verbo

Quid materiæ, & formæ nomine intelligatur in Sacramentis? *Verbo Baptismus consecratur. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* A Philosophia Peripatetica, quæ rerum naturas sub materiæ, & formæ nominibus examinare solet, res artificiales imitata, in quibus materia, & forma distincte oculis conspiciuntur, Theologi Scholastici materiæ, & formæ nomina mutuati, ea in Sacramentorum doctrina usurpare ceperunt: quem loquendi modum, ut commodum, & utilem Ecclesia ipsa cum Græca, tum Latina adoptavit, ut constat ex Responso *Jeremie* Patriarchæ Constantinopolitani ad *Vittembergenfes*, cap. VII. ex *Gabriele* Philadelphicæ Metropolitæ, in Libello de *Sacramentis*, & ex *Eugenio* IV. in Decreto ad Armenos, docente: *Omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Sed de partibus internis dumtaxat Sacramentorum inpræsentiarum agimus, postea de Ministro, ejusque intentione acturi.

Primus scholasticorum, qui hac methodo explicandi Sacramenta per materias, & formas usus est *Guilelmus Autifido*. *rensis*, qui scribebat post ann. Christi 1215.

III. P. Q. XX. A. VI. Resp. ad 2. Argum.

II. Materiæ autem, & formæ Sacramentorum dicuntur metaphorice, & per analogiam quamdam ad materias, & formas physicas, cum quibus conveniunt in eo, quod res sensibilis per verba determinetur, sicut materia per formam, & verba Sacramentum compleant, & perficiant, sicut forma totum physicum perficit, & complet: non quod affectiones omnes materiæ, & formæ physicæ materiis, & formis Sacramentalibus adamussim conveniant. Quamvis autem verba, & aliæ res sensibiles ad diversa genera pertineant secundum naturam: conveniunt tamen in ratione signi, quæ perfectior est in verbis, quam in aliis rebus: ideoque ex verbis, & rebus fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut ex forma, & materia, quatenus per verba perficitur significatio rerum, ut loquitur *S. Thomas*: unum (inquam) moraliter, non physice.

III. Materiæ nomine non res tantum, sed & actus sensibiles in doctrina Sacramentorum intelliguntur, ut ablutio, unctio, & in Pœnitentiæ Sacramento contritio, confessio, satisfactio: & in Matrimonio, contrahentium consensus, verbo, vel nutu expressus: quia in his eadem est ratio significandi ac in rebus sensibilibus.

Cur verba ad Sacramenti perfectionem essentialem necessaria?

IV. Quod vero ad complementum, & perfectionem essentialem Sacramentorum verba necessaria sint, colligitur ex Apostolo ad *Ephes.* cap. v. 26. *Christus (inquit) dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Triplicem convenientiæ rationem affert *S. Thomas* III. p. q. lx. ar. vi. Cum enim Sacramenta ad hominum sanctificationem, ut signa quædam adhibeantur, tripliciter spectari possunt, & quolibet modo congruit, ut verba rebus sensibilibus adjungantur. *Primo ex parte causæ significantis, quæ est Verbum incarnatum, cui Sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in Mysterio Incarnationis carni sensibili Verbum Dei est unitum.*

Joann. 15.

Secundo possunt considerari Sacramenta ex parte hominis, qui sanctificatur, qui componitur ex anima, & corpore; cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Unde S. Augustinus Tract. lxxx. in Joannem, explicans illa verba Christi: Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, ait: Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat; & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?

Tertio possunt considerari Sacramenta ex parte significationis sacramentalis. Unde cum verba significandi principatum inter homines obtinuerint (ut loquitur S. Augustinus Libro II. De Doctrina Christiana, cap. II.) Ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio

rerum sensibilibus per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest & abluitionem, & refrigerium: sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifestatur, quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

His præmissis, statuendæ sunt Propositiones nonnullæ materias, & formas Sacramentorum generatim spectantes.

P R O P O S I T I O I.

Materia, & formæ Sacramentorum sunt a Christo determinatæ.

Prima pars probatur. Aquam enim, ceu materiam Baptismi determinavit Christus, *Joan. III.* dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Materiam Eucharistiæ determinavit, cum panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum consecrata Apostolis tradidit, idemque in sui memoriam fieri præcepit (*Matth. xxvi. Marci xiv. Luc. xxii.*) Materiam Unctionis Extremæ determinata explicatur in Epistola Catholica *S. Jacobi*, cap. v. 14. Materiam Confirmationis ex parte explicat *S. Lucas* in Act. Apostolorum, *Act. viii. 17.* ubi Sp. Sanctum per manus impositionem Apostolorum *Petri, & Joannis* datum testatur iis, quos *Philippus* Diaconus baptizaverat. Determinatam materiam Sacramenti Ordinis, scilicet impositionem manuum indicat *S. Paulus* 1. ad *Timoth. iv. 14. v. 22. 11. ad Tim. i. 6.* Ceteræ ex Traditione non scripta, & Ecclesiæ doctrina, usque colliguntur.

De materia, & forma Sacramentorum.

Convenientem determinationis hujus rationem affert *S. Thomas* 111. p. q. LX. a. v. inde petitam, quod in usu Sacramentorum duo considerari possint, scilicet cultus divinus, & hominis sanctificatio: quorum primum pertinet ad hominem per comparisonem ad Deum: alterum pertinet ad Deum per comparisonem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare id, quod in alterius potestate est, sed solum id, quod est in sua potestate. *Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum: & ideo in Sacramentis Novæ Legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud 1. Corinth. vi. Abluti estis, sanctificati estis, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.*

Pars altera Propositionis probatur. Baptismum enim sub determinata verborum forma Christus conferri jussit, *Matth. ult. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Verba item determinata in consecratione Sacramenti Eucharistiæ adhibuit, scilicet, *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (*Matth. xxvi.*) Aliorum Sacramentorum formas ex non scripta Traditione, & Ecclesiæ doctrina, usque habemus. Quas Patres passim scripto prodere noluerunt, ne secretiora nostræ Religionis Mystera in notitia Infidelium venirent, a quibus contemptui, & Iudibrio haberentur. Hinc arcana mysteria absque scripto ab Apostolis tradita *S. Basilii* Lib. *De Sp. Sancto*, cap. xxvii. testatur, quia probe noverant *Arcanorum venerationem silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, quomodo conveniebat horum doctrinam publice scriptis circumferri?* Mox ubi præmisit, aditum ad Sancta Sanctorum uni Pontifici apud Hebræos semel in anno permissum, ad majorem venerationem illis conciliandam, quia res usu tritæ facile in contemptum veniunt; quæ vero raræ sunt, in admiratione, ac pretio esse solent: *Ad eundem profectum modum (inquit) & qui in primordiis Ecclesiæ certos Ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque Mysteriorum suam servare dignitatem. Neque enim omnino Mysteriorum est, quod ad vulgi aures affertur. Hæc est ratio,*

De materia, & forma Sacramentorum.

cur

cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. Idem confirmat S. Ambrosius Lib. De his, qui Mysteriis initiantur, cap. ult. dicens: Signatum debere manere Mysterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio castitatis; ne divulgetur, quibus non convenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos. Bona debet ergo fidei tuæ esse custodia, ut intemerata vitæ, ac silentii integritas perseveret. Et infra: Quare panem, & vinum dixerim, fideles intelligunt. Hinc illud apud S. August. frequens, cum de Eucharistia in Homiliis loquitur, Norunt Fideles. Hinc Innoc. I. in Epistola ad Decentium, de forma Confirmationis loquens, Verba (inquit) dicere non possum, ne magis prodehere videar, quam ad consultationem respondere. Et de Sacramento Extreme Unctionis ibidem agens: Reliqua vero, quæ scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere.

Formam porro Sacramentorum, seu verba, quibus conficiuntur, determinata esse debere probat S. Thomas, quia principium determinationis est forma: adeoque cum determinata esse debeat Sacramentorum materia, scilicet res sensibiles, multo magis determinatam esse oportet formam verborum solemnium, quibus Sacramenta perficiuntur.

P R O P O S I T I O. II.

Materias, & formas quorundam Sacramentorum a Christo in genere tantum determinatas; earum vero determinationem in specie, Apostolorum, & Ecclesiæ auctoritati, ac prudentiæ commissam, probabilis est plurimorum Theologorum opinio.

De materia,
& forma Sa-
cramento-
rum.

ITa censet Petrus Cantor Parisiensis in Summa de Sacramentis, Alexander Halensis iv. P. Summæ. S. Bonaventura in iv. Sententiarum; & e Recentioribus Cardinalis Bellarminus Libro De Ordine, & Extrema Unctione cap. ix Petrus Arcudius agens de modo conciliandi Ecclesiæ Græcæ Ritus in Sacris Ordinationibus cum Ritu Ecclesiæ Latinæ, Lib. vi. cap. iv. Hallerius Lib. De Sacris Ordinationibus, ubi de materia, & forma Ordinum agit, sect. II. c. II. art. I. §. XXI. Philippus Gamacheus, Tract. De Sacramento Ordinis, cap. iv. Cardinalis De Lugo disp. II. De Sacramentis, sect. v. nu. 85. Joannes Merinus Lib. VIII. De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, cap. xvii. In qua etiam opinione fuit Inno. IV. in Cap. Presbyter, De Sacramentis non iterandis. Hanc plerique Theologi Parisienses doctissimi tuentur, quod alias Ordinationes sacras Græcorum cum Latinorum Ordinationibus conciliare vix possibile ipsis videatur, cum nec Instrumentorum Traditio, nec hujusmodi traditioni respondentes verborum formulæ a Græcis usurpentur, quorum tamen Ordinationes Romana recipit Ecclesia. Immo nec Ritus antiquum Ecclesiæ Latinæ cum hodierno conciliare facile putant, nisi hoc principium statuatur: siquidem in Diaconorum, & Presbyterorum Ordinationibus, hujusmodi instrumentorum, & formarum, seu verborum solemnium, quæ nunc pronunciarî solent, cum Ordinandis traduntur, antiqua Sacramentaria, & Rituales Latinorum Libri nullatenus meminerunt, ut probat Morinus P. III. De Sacris Ordinationibus, Exercitatione VII. cap. I. & Exercitatione IX. cap. I. Censent igitur laudati Theologi, ita institutum esse a Christo Sacramentum Ordinis, ut Ministrorum consecratio fieret aliquibus verbis, & symbolis externis, quibus satis significaretur ministerium ad quod ordinabantur; ut autem potius hæc quam illa symbola adhiberentur, in Ecclesiæ arbitrio reliquisset. Unde Concil. Trid. sess. xx III. cap. III. docet, Sacram Ordinationem verbis, & signis exterioribus perfici: non autem definit, quænam sint

ver-

verba, & signa; quod nimirum in genere dumtaxat a Christo instituta sint, ab Ecclesia autem in specie determinata. In Sacramento Matrimonii idem perspicuum, & exploratum esse asserunt. A Christo quippe institutum esse contractum legitimum pro materia istius Sacramenti; sed quia contractuum legitima ratio pendet a Legibus Principum, & moribus regionum, Ecclesiæ potestati, & arbitrio reliquit determinationem conditionum legitimi contractus, quibus positus ad Sacramenti dignitatem evehatur. Sic Matrimonia clandestina ante Conc. Tridentinum rata, etsi illicita, ejusdem S. Concilii auctoritate, & Decreto irrita deinceps declarata sunt.

P R O P O S I T I O III.

Verba, quibus Sacramenta conficiuntur, consecratoria sunt, non concionatoria

Propositio Catholica contra Calvini errorem probatur ex puerorum Baptismo, qui verba concionis percipere non possunt. Secundo ex Ecclesiæ doctrina, quæ semper Baptismum probavit a quocumque verbis Evangelicis, id est, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* collatum, quamvis nulla concio haberetur. Tertio ex Hæreticorum Baptismo, quem ratum esse definivit Ecclesia adversus Donatistas, quamvis Hæretici illud conferentes veram fidem, & doctrinam, adeoque veram prædicationem non habeant. Quarto, quia aliud esse concionandi, aliud baptizandi ministerium Apostolus declarat 1. Corinth. 1. *Non enim (inquit) misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Quinto, idem Apost. 1. ad Cor. x. 16. Eucharistiam vocat *Calicem Benedictionis*, non Calicem concionis; quia mysticis verbis Christi Sanguis consecratur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Sexto verba solemnia, quibus perficitur Baptismus, esse consecratoria, Patres antiqui diserte docent. Unus sit instar omnium S. *Augustinus*, cujus auctoritate *Calvinus* abutitur. Hic scilicet Lib. III. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. XIV. de Catechumeno loquens, qui in alicujus Hæretici Librum incidens, & a veritate discernere nesciens errorem, aliquid contra Catholicam Fidem crediderit, & in ea falsitate fidei baptizatus fuerit, denuo baptizandum esse negat: Quia illa „ sanctitas Sacramenti verbis Evangelicis consecrata super eum integra per- „ manebat, sicut eam traditam acceperat, quamvis ipse in carnalis mentis „ vanitate constitutus, aliud cum baptizaretur crederet, quam credere de- „ buisset. Quapropter manifestum est fieri posse, ut fide non integra inte- „ grum in quoquam maneat Baptismi Sacramentum. *Et cap. xv.* Quamobrem si Evangelicis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum; quamvis „ ejus fides aliud opinantis, quam Catholica Veritas docet, non esset inte- „ gra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. *Et Lib. vi. cap. xxv.* Plerumque „ precis vitium superat precantis affectus: & certa illa evangelica verba, „ sine quibus non potest Baptismus consecrari tantum valent, ut per illa „ sic evacuentur quæcumque in prece vitiosa contra Regulam fidei dicuntur, „ quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur... Deus adest verbis „ evangelicis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest: & „ ipse sanctificat Sacramentum suum: ut homini sive antequam baptizetur, „ sive cum baptizatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso, „ id ipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, va- „ leret. Ceterum quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba evan- „ gelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur Hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis ba-

Error Calvini refellitur.

Verba Sacramentorum consecratoria.

Verbis Evangelicis consecratur Baptismus.

Verba Sacramentorum consecratoria.

„ ptizent. Ideoque dicimus, non omnem Baptismum (nam in multis Ido-
 „ lorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibentur) sed Baptismum Chri-
 „ sti, idest, verbis Evangelicis consecratum, ubique eundem esse, nec ho-
 „ minum quorumlibet qualibet perversitate violari.

Heretico-
 rum obje-
 ctioni ex S.
 Aug. petitę
 responde-
 tur.

Objicitur S. Augustini testimonium Tractatu lxxx. in Joannem, dicentis:
*Unde ista tanta virtus aquę, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente
 verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* eoque referentis illud Apostoli
 ad Romanos x. 3. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus.*

Verba Sa-
 cramentorū
 consecrato-
 ria.

Respond. Verbum operari in Sacramentis ad mentem S. Augustini, *Non
 quia dicitur*, idest, non secundum exteriorem sonum vocis; *sed quia credi-
 tur*, idest, secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Unde ibidem
 addit: *Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.*
 Licet porro laudet illud Apostoli, *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*,
 non propterea verba, quibus perficitur Baptismus, concionatoria esse vult,
 sed consecratoria. Quia probandum sibi sumit, omnia, quę spiritualiter
 mundantur, mundari verbo, vel extra Sacramentum per fidem prædicatio-
 nis, vel etiam in Sacramentis per verborum sacramentalium, quę loco for-
 mę adhibentur, efficaciam. Quę quidem vis verbis non convenit ratione
 soni transeuntis, sive prolationis sensibilis, sed ratione sensus spiritualis,
 propter quem instituta sunt, & qui fidei objectum est. Mens S. Augusti-
 ni ex totius loci serie liquidius patebit. Explicat illud Christi Oraculum,
 Joan. xv. 3. *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis:*
 quod sic illustrat: Quare non ait, *Mundi estis propter Baptismum, quo loti
 estis, sed ait, Propter verbum, quod locutus sum vobis; nisi quia & in
 aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Acce-
 dit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tamquam visi-
 bile verbum.* Nam & hoc utique dixerat, quando pedes Discipulis lavit,
 Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: *Unde
 illa tanta virtus aquę, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo,
 non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus
 transiens, aliud virtus manens.* Hoc est verbum fidei, quod prædicamus,
 ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus,
 & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus e-
 ris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.
 Unde in Actibus Apostolorum legitur, Fide mundans corda eorum. Et in E-
 pistola sua B. Petrus, Sic & vos, inquit, salvos facit Baptisma, non carnis
 depositio sordium, sed conscientię bonę interrogatio. Hoc est verbum fidei,
 quod prædicamus: quo sine dubio, ut mundare possit, Consecratur & Baptis-
 mus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam,
 & se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide, quid adjungat: Ut
 eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquę in verbo. Mundatio
 igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in
 verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum creden-
 tem, offerentem, benedicientem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem:
 quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem.
 Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis, pro-
 pter verbum, quod locutus sum vobis.

Aqua corpus
 tangit, & cor
 abluat, virtu-
 re verbi con-
 secrantis.

Rom. 10. 9.

Act. 15. 9.

1. Petr. 3. 21.

Ephes. 5. 26.

P R O P O S I T I O IV.

Mutatio substantialis materiæ, aut formæ sacramentalis tollit veritatem Sacramenti, ipsumque irritum reddit.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

R E G U L A I.

I. **M**utatio substantialis materiæ fit, cum alterius speciei res sensibilis ad conficiendum Sacramentum adhibetur, quam a Christo præscripta sit; ut si aqua artificialis, aliufve liquor ad Baptismum; acetum, aut liquor ex uvis non maturis expressus, & panis hordeaceus, aut farinæ massa non cocta ad Eucharistiam conficiendam usurpetur. Mutatio accidentalis materiæ est alteratio, qua species elementi sensibilis a Christo præscripti non solvitur, ut si sal, vel cinis in aquam injiciatur, vel fermentum immisceatur farinæ ex qua conficitur panis. Unde Baptismus in aqua maris, in lixivio, in aquis mineralibus collatus, validus est. Valida etiam panis fermentati consecratio.

Quæ mutatio materiæ sacramentalis censenda sit substantialis, quæ accidentaria?

R E G U L A II.

II. Mutatio substantialis formæ est ea, qua verborum sensus tollitur. Talis erat mutatio, quam invexerat propago quædam Valentinianorum Hæreticorum, baptizans *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium Matre, in eo, qui descendit in Jesum* (ut refert *S. Ireneus* Lib. I. cap. XVIII. & *Eusebius* Lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XI.) Accidentalibus, qua verba mutantur, integro sensu remanente; ut si in forma Sacramenti Eucharistiæ, *Hoc est enim corpus meum*, particula causalis *enim* ommitteretur: vel pronomen *Ego* in forma Baptismi, vel si lingua vernacula, aut extranea, verba sacramentalia proferantur; vel si intra eandem linguam verba synonyma, idest ejusdem significationis, cum iis, quibus utitur Ecclesia, usurpentur; v. gr. si loco hujus verbi, *Baptizo* dicatur, *Abluo*; aut pro verbo, *Absolvo*, dicatur, *Remitto*, aut *Con dono tibi peccata tua*. Si tamen non sit eadem verborum significatio explicite, & distincte, atque ex publico, & communi usu, substantialis mutatio censenda est. v. gr. si quis dixerit, *Ego te baptizo in nomine Sanctissime Trinitatis*. Istud enim nomen, *Trinitas*, trium divinarum Personarum distinctam invocationem non exprimit, quæ ad perficiendum Baptismum ex institutione Christi necessaria est. Similiter si quis dixerit, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque*, substantialis mutatio censetur; quia licet *Patris, & Genitoris, Filii, & Geniti, Spiritus Sancti, & Procedentis* ab utroque nomina synonyma sint ex parte rei significatæ, non tamen ex modo intelligendi, & significandi, neque ex publico, & communi usu, ut colligitur ex *Sancto Thoma* I. par. qu. XL. art. II. & III. & qu. LXVI. art. V. in Resp. I. argum. Cardinali *Cajetano* frustra reclamante.

Quæ sit mutatio substantialis formæ Sacramenti?

R E G U L A III.

III. Transpositio verborum sacramentalium quandoque mutationem substantialem infert in formam sacramentalem, quandoque accidentariam dumtaxat. Substantialis mutatio est, si transpositio tollat sensum locutionis; accidentaria, si transpositio tollat sensum locutionis; accidentaria?

Quæ verborum transpositio formam Sacramenti corrumpat?

cidentalibus, si non tollat; qua de re ex communi hominum sensu iudicium ferendum est. Exempli gratia, si Minister Baptismi dixerit, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ego te baptizo*; aut Sacerdos Eucharistiam consecrans dicat, *Hoc corpus meum est*; integra est forma sacramentalis, quia sensus idem manet. Si vero baptizans dixerit: *Patris te, ego baptizo in nomine Filii, & Spiritus Sancti*; aut *Filii ego baptizo te, in nomine & Patris, & Spiritus Sancti*, violatur substantia formæ, quia sensus propter quem forma verborum sacramentalium instituta, & præscripta est, tollitur, adeoque non perficitur Sacramentum.

R E G U L A IV.

Quæ verborum interruptio formam Sacramenti videtur

IV. Interruptio verborum mutationem interdum substantialem, alias accidentariam dumtaxat in formam Sacramentalem invehit: substantialem quidem, si tanta sit *Ut intercipiatur intentio pronunciantis*, & verborum sensus tollatur; ut si quis post hæc verba, *Hoc est corpus* Psalmum recitet, aut silendo longam moram interponat; ac deinde proferat nomen *Meum*, tollitur sensus, adeoque irritum est Sacramentum. Si vero parva sit interruptio, *Quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert*, mutatio tantum accidentaria est, integritatem Sacramenti non impediens: ut si Sacerdos Eucharistiam consecrans, postquam dixit, *Hoc est*, sternutaret, vel tussiret, moxque subjungeret, *Corpus meum*: vel postquam dixit, *Ego te baptizo*, silentium imponeret fabulantibus, dicens, *Silete*, statimque subjungeret, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

R E G U L A V.

S. Thom. III. P. Q. LXI. a. 1. Quæ verborum omissio irritum reddit Sacramentum?

V. Omissio verborum ad substantiam formæ Sacramentalis pertinentium, quæ tunc fieri censetur, cum tollitur debitus verborum sensus, ut si aliquis e tribus personis SS. Trinitatis nomen in forma Baptismi sileretur, irritum reddit Sacramentum. Unde *Didymus Lib. II. De Spiritu Sancto*, ait: *Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis Nominibus prætermittat (scilicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) sine perfectione baptizabit*. Similiter si personam baptizati non exprimeret Minister Baptismi, pronomen demonstrativum secundæ, aut tertiæ personæ, aut nomen proprium omittebat, dicensque dumtaxat: *Ego baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, formæ Sacramentalis substantia violaretur. Idem iudicium ferendum est de omissione pronominis demonstrativi *hoc*, vel *hic*, aut pronominis *meum* vel *mei*, in forma consecrationis Eucharistiæ.

R E G U L A VI.

Quæ verborum additio tollat veritatem Sacramenti?
S. Thom. ib. De materia & forma Sacramentorum.

VI. Additio verborum, quæ debitum formulæ sacramentalis sensum corrumpunt, tollit veritatem Sacramenti ut si aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris*; sicut Ariani quidam baptizabant. Vel, *Ego te baptizo in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto*. Sic enim collatum baptisma irritum esse, miraculo comprobatum est, referente *Theodoro Lectore*, Lib. II. Historiæ Ecclesiasticæ. *Deuterius* (inquit) *Ariano-rum apud Constantinopolim Episcopus, cum Barbam ita dictum baptizaret, Domini traditionem respuens, ausus est inter baptizandum dicere: Baptizatur Barba, in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto. Quibus dictis, aqua, quæ in piscina erat, statim evanuit; Barba vero confestim inde effugiens*

gens, rem cunctis declaravit. Si vero ejusmodi additio fiat, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur Sacramenti veritas, sive fiat in principio, vel in medio, vel in fine formæ sacramentalis: ut si aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Sancti Paracleti*, erit verum Baptisma. Similiter si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virgo te adjuvet*; erit verum Baptisma. Forte autem si diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis Mariæ*, non esset Baptismus: quia dicitur i. ad Corinth. i. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et quidem si eodem modo intelligeretur in nomine B. Virginis baptizari, sicut in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quo Baptismus consecratur; talis sensus esset contrarius fidei, & institutioni Christi, & tolleretur veritatem Sacramenti: si vero sic intelligeretur, non quasi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptismo, sed ut ejus intercessio prodesset baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tolleretur perfectio Sacramenti (inquit S. Thomas.) Cum itaque hæc verba, & in nomine B. Virginis, æquivocationem patiantur, interrogandus esset Minister de intentione sua: siquidem oratio, quæ patitur plures sensus, ad unum illorum determinatur ex intentione proferentis. Si autem de intentione Ministri, a quo hæc addita sunt, liquido non constet, dubius est Baptismus, ideoque sub conditione baptizandus est, qui sub hac verborum formula tinctus fuit.

Quamvis porro aliquid addatur contra fidei veritatem, si tamen formam non afficiat, nec in eam refundatur, aut ejus sensum variet, non tollit veritatem Sacramenti: ut si Sacerdos consecrans Eucharistiam, post hæc verba, *Hoc est corpus meum*, preces aliquas adderet hæresim continentes, dicendo verbi gratia: *Et illud in cælis ad dexteram Patris positum adoramus, cujus figuram tantum in terris nobis præbes*: vel, *Tribue, Domine, ut quod ore manducari non potest, fide sumamus*: vel si adjungeret formæ hæc verba, *Quod de cælo sumptum est*; aut *Quod ubique est*, non quasi partem formæ sacramentalis esse vellet, sed ut errorem suum indicaret, aut alios in eandem hæresim pertraheret: vera esset, ac rata consecratio, modo intenderet facere, quod facit Ecclesia. Alioquin si legitima intentio ipsi deesset, irritum esset Sacramentum. Atque hæc mens est S. Thomæ qu. LXXI. art. 1. dicentis: *Si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum; quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia.* Quod autem preces hæresim continentes non reddant irritum Sacramentum, cum formæ sacramentali adiunguntur, nec eam tamen afficiunt, & corrumpunt, docet S. Augustinus Lib. VI. De Baptismo contra Donatistas, cap. xxv. *Si non sanctificatur aqua (inquit) cum aliqua erroris verba per imperitiam peccator effundit, multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si doctioribus fuerint recitatae, & multe in eis reperiuntur contra Catholicam Fidem. Numquid si manifestarentur aliqui baptizati, cum illæ preces dictæ super aquam fuissent, juberentur denuo baptizari? Quid ita? Quia plerumque precis vitium superat precantis affectus: & quia certa illa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic eva-*

Quamvis aliquid addatur formæ contra fidem, si tamen ejus sensum non variet, irritum Sacramentum non facit.

De materia & forma Sacramentorum.

quatur contra regulam fidei (multi quippe irruunt in preces non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab Hæreticis compositas, & per ignorantia simplicitatem, non eas valentes discernere, utuntur eis, arbitrantes, quod bonæ sint) nec tamen quod in eis peruersum est evacuat illa, quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius evacuatur: sicut in ipso homine bonæ spei, & probabilis fidei, sed tamen homine, si quid aliter sapit, non inde evacuantur quæ recte sapit, donec ei Deus revelet & quod aliter sapit.

R E G U L A VII.

S. Thom. II
p. q. IX. art.
VII. ad 3.

Cum mini-
ster Sacra-
menti cor-
rupte pro-
fert verba,
non ex in-
dustria, sed
ex ignoran-
tia & rusti-
citate, &
remanet in-
teger locu-
tionis sensus,
perficitur
Sacramen-
tum.

VII. Qui corrupte profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur Sacramentum administrare cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; & ita non videtur perfici Sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore, vel lapsu linguæ, & corruptio tanta sit, ut sensus locutionis destruat, ut si loco istorum verborum, *In nomine Patris*, dicat, *In nomine Matris*; vel pro verbo *Baptizo*, dicat, *Baptizor*, nullum pariter Sacramentum est. Si vero non penitus auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, perficitur nihilominus Sacramentum: ut si aliquis dicat: *Ego te Baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*. Quamvis enim huiusmodi verba corrupte prolata nihil significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen, ut significantia ex accommodatione usus: & ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Id constat ex Epistola *Zachariæ* Romani Pontificis ad *Bonifacium* Episcopum, quæ refertur Cap. *Retulerunt*, De Consecr. dist. IV. *Retulerunt* (inquit) *Nuncii tui quod fuerit in eadem Provincia (scilicet Bajoariorum) Sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret nesciens Latini eloquii infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta; ac per hoc tua Reverenda Fraternitas consideravit eos rebaptizare: sed, Sanctissime Frater, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur. Non dixerat imperitus ille, & rusticus Sacerdos, In nomine Patrie, & Filie, quod ratio Grammaticæ exigebat si de industria formam violare voluisset; sed, In nomine Patria, & Filia, quæ voces cum hac constructione nihil ex se significant, signum est illum voluisse dicere, quod alii dicunt, cum ajunt, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Nec etiam Sacramentalis formæ substantiam mutavit alius Presbyter, qui rustice hunc in modum baptizavit: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus Sancti mergo*, ut respondit *Stephanus II.* cap. XVI. *Infantes vero illi (inquit) quos baptizavit, licet rustice, quia in nomine Sanctæ Trinitatis sunt baptizati, in eo permaneant Baptismo.*

R E G U L A VIII.

Materie, vel
formæ Sa-
cramento-
rum sacrile-
gæ mutatio-
nes.

VIII. Sacramentorum formas, & materias quavis ratione mutare nemini hominum licet. Unde qui ex industria, vel crassa negligentia materiam sic immutarent, ut Sacramentum irritum redderetur, peccarent mortaliter peccato sacrilegii. Huiusmodi enim mutatio in maximam Dei Sacramentorum authoris redundaret injuriam, cujus institutio, lexque contemneretur. Gravis etiam suscipienti inferretur injuria, qui Sacramenti fructu prorsus omni privaretur. Lethaliter etiam peccarent, qui quacumque materiæ, vel formæ mutatione ritus novos, aut errores ab Ecclesia damnatos inducere

tere intenderent. Neque enim Ministros Sacramentorum excusare potest juris ignorantia: quia necessaria ad ministerium, officiumque suum rite obeundum scire debent. Excusari tamen posset a peccati mortalis reatu laicus in necessitate baptizans, & ex ignorantia formam sacramentalem corrumpens; non tamen obstetrix jurata, quæ ad obstetricandi munus admitti non debet, nisi ad Baptismum in necessitatis articulo sub præscripta verborum forma conferendum probe sit instituta, ut Ecclesiæ Decretis sancitum est, scilicet Synodi Lingonensis anno 1404. Conc. Senonensis, anno 1524. Synodi Carnotensis, anno 1526. Parisiensis, 1557. & Concilii Aquensis 1585. ut legere est apud *L. Bochellum*, Lib. II. *Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ*, Tit. III. *De Baptismo*.

R E G U L A IX.

IX. Peccaret etiam lethaliter, qui ex industria corrupte proferret, aut mutaret verba formæ sacramentalis (quamvis sensus idem maneret, adeoque accidentaria tantum fieret mutatio) ratione gravis negligentia, contemptus, vel scandali; quod maxime locum haberet, si corruptio illa, vel mutatio esset notabilis: ut si quis sciens volens baptizaret *In nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancto*: vel in consecratione Calicis omitteret hæc verba, *Novi, & æterni Testamenti, Mysterium fidei*. Si autem mutatio levis sit, neque cum plena consideratione, & deliberatione facta, Minister venialiter tantum peccabit.

R E G U L A X.

X. Lethalis peccati reus est, qui materia, aut forma dubia utitur in Sacramentorum administratione, cum certam, & indubitatam habere potest: quia periculo non conficiendi Sacramentum, adeoque sacrilegii, & irrisionis rerum divinarum se exponit. In eoque casu locum habet illa Christianæ Moralis Regula a *S. Augustino* tradita Lib. I. *De Baptismo*, cap. III. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret*. Nec obstat opinionis probabilitas: quamvis enim speculative probabile sit, quod materiæ quædam, & formæ, de quibus in Scholis disputatur, sufficientes, ac legitimæ sint; non tamen probabile est in praxi, ita ut illis uti liceat, quando certæ, & indubitatae adhiberi possunt. Unde Lovanienses Theologi, & *Innoc. XI.* Pontifex Maximus anno Christi MDCLXXIX. die II. Martii, hanc Propositionem damnarunt: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id veter Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis*.

Materia, vel formam dubiam adhibere quam grave peccatum.

Propositio damnata.

R E G U L A XI.

XI. Lethale denique peccatum committit, qui modum materiæ, & formæ notabilem, & ab Ecclesia universali, vel sua observatum non servat: v. g. Sacerdos qui ex industria non misceret aquam vino in Missa consecrando: & Latinus item Presbyter, qui Eucharistiam in fermentato consecrare præsumeret, aut Græcorum forma in Baptismi administratione uteretur.

C A P U T IV.

DE NUMERO, ET DIGNITATE SACRAMENTORUM.

A R T I C U L U S I.

Quot sunt Novæ Legis Sacramenta?

P R O P O S I T I O U N I C A.

Septem esse Novæ Legis Sacramenta, Catholicæ Fidei veritas est.

Septenarius
Sacramen-
torum nu-
merus ex
Scriptura
Sacra colli-
gitur.

1. **E**X Scriptura Sacra, & Traditione, quæ duo sunt fidei nostræ incon-
cussa principia, & fundamenta, hic Sacramentorum numerus colli-
gitur. Baptismus ex cap. xxviii. *S. Matthæi*, ubi refert, Christum a mor-
tuis redivivum, Apostolis in Galilæa conspicuum se præbuisse illisque di-
xisse: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti.* Sacra-
menti Confirmationis meminit *S. Lucas* Act. viii. „ Cum audissent, in-
quit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum
„ Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem: qui cum venissent, orave-
„ runt pro ipsis ut acciperent Sp. Sanctum. Nondum enim in quemquam
„ illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.
„ Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. Sanctum. *In-*
„ *stitutio Sacramenti Eucharistiæ narratur Matth. xxvi.* Cœnantibus autem
„ eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis,
„ & ait: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens cali-
„ cem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est e-
„ nim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remis-
„ sionem peccatorum. *Idem habetur Marci xiv. & Lucæ xxi.* *Institutio Sa-*
„ *cramenti Pœnitentiæ habetur Joan. xx. ubi Christus Dominus Discipulis ait:*
„ Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit,
„ & dixit eis: Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remit-
„ tuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. *Extremæ Unctionis Sa-*
„ *cramentum promulgavit S. Jacobus Epist. Catholicæ cap. v.* Infirmatur
„ quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungen-
„ tes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum,
„ & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei. *Sacra-*
„ *mentii Ordinis meminit S. Paulus I. ad Tim. iv. 14.* Noli, inquit, negli-
„ gere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum im-
„ positione manuum Presbyterii. *Matrimonii Sacramentum commendat, idem*
„ *Apostolus ad Ephes. v.* Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem
„ suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum
„ hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.

Septenari-
um Sacra-
mentorum
numerum
Apostolica
Traditio
probat.

Quod spectat ad Patres Traditionis testes, universa eorum loca hic re-
censere præ multitudine non possumus. Plura indicabimus, cum de singulis
Sacramentis agemus. Aliqua dumtaxat impræsentiarum indicare sufficiat:
Tertullianus Lib. *De Resurrectione Carnis*, cap. vii. Baptismum, Confirma-
tionem, & Eucharistiam commemorat. *Idem* Libro *De Præscriptionibus*
Hereticorum, cap. xl. & xli. Ordinis præterea meminit *S. Augustinus*:
non Baptismi tantum, & Eucharistiæ, velut Sacramentorum novæ Legis
mentionem facit Epist. lvi. alias cxviii. ad *Januarium*, sed & Confirma-
tionis tamquam Sacramenti a Baptismo distincti, Lib. iii. *Contra Litteras*
Petilianæ Donatistæ, cap. civ. Pœnitentiam non minus inter Sacramenta

numerat, quam Baptismum, Confirmationem & Eucharistiam, Lib. v. *De Baptismo*, cap. xx. *Extremæ Unctionis*, ceu veri Legis Evangelicæ Sacramenti, præter *Innoc. I. Epistola ad Decentium*, meminit *S. Jo: Chrysostomus* Lib. III. *De Sacerdotio*, cap. vi. Sacramentum Ordinis cum Baptismi Sacramento confert *S. Augustinus* Lib. II. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. XIII. Idem *S. Doctor* Matrimonium Sacramentum esse docet. Libro *De Bono Conjugali*, cap. XVIII. & XXIV.

Tertio, septenarium Sacramentorum numerum probat summus Ecclesiæ cum Latinæ, tum Græcæ in eo retinendo consensus, & Protestantium in numero Sacramentorum constituendo discordia, quibusdam unum, aliis duo, aliis tria, nonnullis quatuor, vel quinque admittentibus.

Confirmatur Catholica de Septenario Sacramentorum numero veritas ex *Lucii III. Romani Pontificis* Decretali, ex *Bulla Martini V. in Conc. Constantiensi* edita, ex *Eugenii IV. Decreto ad Armenos Florentiæ* dato, & ex *Synodi Tridentinæ Oraculo* sess. VII. can. I. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum; Anathema sit.*

Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, probabili, & convenienti ratione ostendit *S. Thomas*. Cum enim Sacramentorum duplex sit finis: primus perfectio hominis in his, quæ pertinent ad cultum Dei; secundus, curatio peccati; ex utroque septenarius Sacramentorum numerus explicatur. Ex primo quidem, quia Christiana vita, qua Deus colitur, & qua homo Deo vivit, septem rebus indiget, sicut vita naturalis; scilicet 1. ut homo spiritualis in lucem edatur, 2. ut augeatur, 3. ut alatur, 4. si in morbum spirituale incidat, sanetur, 5. imbecillitas virium reficiatur, 6. Magistratus spirituales nunquam desit, quorum auctoritate regatur Ecclesia, & sacra Ministeria exercentur, 7. filii ad Dei cultum, & humani generis conservationem procreentur, & religiose educantur. Per *Baptismum* Christo renascimur: unde ab Apostolo vocatur *Lavacrum regenerationis*. Per *Confirmationem* Spiritum Sanctum ad augmentum, & robur spirituale accipimus: unde Christus Discipulis jam baptizatis ait, *Lucæ ultimo: Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto*. Per *Eucharistiam*, tamquam cibum vere cœlestem, spiritus noster alitur, & sustentatur, sicut a Salvatore dictum est: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Per *Pœnitentiam*, sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulneribus confossi sumus. Per *Extremam Unctionem*, peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur. Per *Ordinem*, publica Sacramentorum Ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exequendi potestas traditur. Per *Matrimonium* denique vir, & mulier legitime, & sancte junguntur, ut ex ea conjunctione filii ad Dei cultum, & humani generis conservationem procreentur, & religiose educantur. Idem numerus colligitur ex eo, quod Sacramenta in remedium peccati instituta sint. Nam *Baptismus* institutus est contra peccatum originale: *Confirmatio*, contra infirmitatem animi, quæ in regeneratis invenitur: *Eucharistia*, contra proclivitatem animi ad peccandum. *Pœnitentia*, contra actuale peccatum. *Extrema-Unctio*, contra reliquias peccatorum, quæ non sunt sufficienter sublatae per Pœnitentiam, aut ex negligentia, aut ex ignorantia: *Ordo*, contra dissolutionem multitudinis: *Matrimonium*, in remedium contra concupiscentiam, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.

Ad

Septenarium Sacramentorum numerum probant Ecclesiæ consensus, & auctoritas.

Extra. De Hæret. Cap. Ad abolendam

Ratio convenienti numeri septenarii Sacramentorum.

Ad Tit. 1.

Joan. 6.

Ad septem etiam virtutes animos hominum præparare videntur : Baptismus enim est Sacramentum fidei : Confirmatio spei : Eucharistia charitatis : Pœnitentia justitiæ : Extrema-Unctio perseverantiæ , quæ perfectio quædam est fortitudinis : Ordo providentiæ : Matrimonium temperantiæ . Sunt autem adumbrata septem sigillis , quibus Veteris Testamenti Pagina signata , quæ Agnus , qui habet clavem David , qui aperit , & nemo claudit , referavit : septem tubis , quibus Angeli cecinerunt . Septem stellis , quas habebat similis Filio hominis in dextera sua : septem panibus , quibus Dominus turbas pavit : septem oculis super unum lapidem : septem lucernis Tabernaculi super unum candelabrum positis : septem lotionibus Naaman in Jordane .

Hæreticorum objectiones diluuntur .

Frustra vero objiciunt Hæretici septenarium Sacramentorum numerum in Scriptura Sacra non reperiri . Quamvis enim numerus nominum in Scriptura , & apud Patres antiquos non legatur , qui data opportunitate de hoc , aut illo Sacramento , non de omnibus simul agebant , & recenter baptizatos de illis præcipue informabant , quæ statim post Baptismum in Ecclesiæ disciplina conferebantur , Confirmatione scilicet , ac Eucharistia , ut constat ex *S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesibus* , & *S. Ambrosii Libris De his , qui Mysteriis initiantur* , & *De Sacramentis* : numerus tamen rerum ipsarum & in Scriptura , & in Patrum Operibus habetur . Sane licet Scriptura quatuor Evangelia , quatuordecim S. Pauli Epistolas , septem Domini verba in Cruce , duodecim Symboli Apostolici Articulos non numeret , res tamen numeratas vel Scriptura , vel Traditio , vel utraque continet , & docet . Sic Patrem primam Sacrosanctæ Trinitatis Personam , Filium secundam , Sp. Sanctum tertiam esse , Scriptura Sacra expresse non ait ; ordo tamen , & numerus trium divinarum Personarum in Scriptura habetur . Qua de re *S. Basilius* , Lib. *De Spiritu Sancto ad Amphilochem* , cap. xviii. *Cum Patrem* , inquit , *& Filium* , *& Sp. Sanctum traderet Dominus* , non simul cum numero tradidit . Non enim dixit , *In nomine primi* , *secundi* , ac *tertii* , neque *in uno* , *duobus* , aut *tribus* ; sed *per sancta nomina fide ad salutem perducente cognitionem largitus est* . Itaque quod nos salvos facit , fides est ; numerus vero signum declarans quantitatem eorum , de quibus loquimur , ab hominibus excogitatus est . Sed qui undequaque sibi ipsis noxas contrahunt , etiam numerandi facultate adversus fidem abusi sunt : qui quidem , cum nulla omnino res alia ob numeri accessionem immutetur , tamen in divina natura numerum metuunt , ne per eum honoris Paracleti debiti modum excedant . Tandem respondeant Protestantes , ubinam duorum , vel trium Sacramentorum numerum in Scripturis expressum legerint ; & tunc demum urgere nos poterunt , ut septenarium Sacramentorum numerum in iis expressum ostendamus .

Objicies , Baptismum triplicem distingui , fluminis , fluminis , & sanguinis : Pœnitentiam duplicem , publicam , & secretam : Ordinem dividi in quatuor Minores , & tres Majores . Professionem Monasticam a Græcis Sacramenti loco censeri . Aquam benedictam , aliaque Sacerdotali benedictione sanctificata , seu consecrationes ipsas , & benedictiones in Sacramentorum numero haberi . Quidni enim & contra venialia peccata Sacramenta quædam instituta sint ? Denique Lotionem pedum esse Novæ Legis Sacramentum , de qua scilicet Christi præceptum extat , & cui gratiæ promissio annexa est , ut probant illa Christi verba ad Petrum : *Si non laveris te , non habebis partem mecum* : & illa ejusdem Salvatoris ad Apostolos : *Scitis , quid fecerim vobis* : *Vos vocatis me Magister* , & *Domine* : & *bene dicitis* . *sum etenim* . *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus* , & *Magister* ; & *vos debetis alter alterius*

Joan. 13.

alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Præterea S. Ambrosius Lib. III. De Sacramentis cap. I. Lotionem pedum Mysterium vocat, quod idem est, ac Sacramentum: illam cum Baptismo comparat, eique tribuit, ut venena serpentis eluat, majoremque sanctificationem conferat. Vide, *inquit*, omnem justitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem. Nisi laverō, *inquit*, tibi pedes, non habebis partem mecum... Ipse Petrus ait: Domine, non solum pedes, sed etiam manus, & caput. Vide fidem. Quod ante excusavit, humilitatis fuit: quod postea se obtulit, devotionis, & fidei. Respondit illi Dominus, quia dixerat manus, & caput: *Qui lavit, non necesse habet iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet.* Quare hoc? Quia in Baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus a diabolo est, & venenum ei effusum est super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, qua infidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in Mysterio non erubescamus, quod non dedignamur in obsequio.

Idem docet S. Bernardus, Serm. I. in Cœna Domini. Multa quidem, *inquit*, sunt Sacramenta, & scrutandis omnibus hora non sufficit. Fortassis etiam aliqui vestrum imbecilles sunt ad tanta simul capienda. De tribus itaque Sacramentis, quæ satis congrua sunt huic tempori, dicendum erit, quod Dominus ipse donaverit. Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum: alia vero propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, & signum est, ita ut jam dicere possit, qui accepit: Annulus non valet quicquam, sed hæreditas est, quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans Passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium. *Et infra*: Sed tamen quid agimus, quod in hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato? Numquid desperabimus? Absit... Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum Ablutionem. Quæris forte unde sciam, quod Sacramentum sit hujus remissionis, maxime cum ipse Dominus promiserit Petro dicens: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*; nihil autem de Sacramento locutus est, sed tantum, *Exemplum*, *inquit*, *dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Verum multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant... Vis autem nosse, quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende, quod Petro dictum est: *Si non laverō te, non habebis partem mecum.* Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in Regno Christi, & Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, si non agnoverit salutare esse Mysterium, cum respondit: *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.* Et unde scimus, quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plene cavere non possumus ante mortem, Ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus, & caput pariter ad abluendum responsum est: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Lotus enim

est qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est intentio, & manus, id est operatio, & conversatio munda est; sed pedes, qui sunt anime affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati; aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet, cedat animus, vel ad horam: *In multis enim offendimus omnes*. Idem docet *Arnoldus Bonavallis Abbas*, Libro *De Cardinalibus Christi Operibus*; Sermone *De Ablutione pedum*, inter Opera *S. Cypriani*. Sunt igitur plura, quam septem Sacramenta.

Resp. Baptismum aquæ, Contritionem cordis, & Martyrium, per analogiam, sive similitudinem dumtaxat Baptismata vocari, cum unus aquæ Baptismus sit vere, & proprie Sacramentum. Et certe Martyrium a Christo institutum non fuit, ut actio sacra, siquidem ex parte carnificum, qui Martyres cruciant, & occidunt, gravissimum crimen est. Illud tantum pati Christus præcepit: qua ratione heroicæ fortitudinis actus est, non Sacramentum.

Penitentia publica, & secreta, modo tantum, & externa disciplina, non reipsa differunt: unde ad idem Sacramentum pertinent.

Tota Sacramenti Ordinis plenitudo est in sacerdote, in aliis Ordinibus participatio Sacramenti. Num. 11.

Ordinis divisio in Majores, & Minores Ordines, est *Totius potestativi, cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Tota enim plenitudo Sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quedam participatio Ordinis: & hoc significatum est in hoc, quod Dominus dixit Moyse, Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi: & ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum* (inquit *S. Thomas* q. xxxvii. Supplementi, art. i. ad secundum.)

Monastica professio non est sacramentum.

Monastica Professio, quamvis ab Auctore quodam Græco, cui *Jobo* nomen, *Sacramentum* improprie vocetur, ab Ecclesia Græca nusquam inter Sacramenta numerata est; nec potest inter ea merito numerari, cum a Christo non sit instituta, nec per se sanctificet Monachum, aut Monialem, sed ratione pietatis, charitatis, fidelitatis in votis adimplendis: & quia Religiosi mundo moriuntur, ejusque operibus, ac sibi ipsis, voluntatique suæ, & novi quidam homines esse incipiunt, novis studiis, novæ vitæ, aliisque omnino delectationibus, & cogitationibus dediti. Hoc sensu SS. Patres Vitæ Monasticæ Professionem *Secundum Baptisma* vocant, scilicet *S. Hieronymus* Epist. xxv. ad *Paulam* de obitu *Blesille*, & Epistola ad *Demetriadem*, *B. Petrus Damiani* Opusculo xvi. & *S. Bernardus* Tract. *De Præcepto, & Dispensatione*, cap. xvii.

Aqua benedicta, & panis benedictus non sunt sacramenta.

Aqua benedicta, Panis benedictus, aliarumque rerum consecrationes, & benedictiones, a Christo non sunt institutæ, sed ab Ecclesia, neque ad remissionem peccatorum venialium valent per se, & ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, id est, ex ejus fide, pietate, devotione, qui illis utitur. *Sacramentalia* itaque illa sunt, non *Sacramenta*: quia non perducunt ad Sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio; sed sunt dispositiones quedam ad Sacramenta; vel removendo prohibens, sicut *Aqua benedicta* ordinatur contra insidias demonum, & contra peccata venialia; vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad Sacramenti perfectionem, & perceptionem, sicut consecrantur *Altare, & Vasa* propter reverentiam *Eucharistiæ*. Ita *S. Thomas* 111. P. Q. lxxv. A. 1. ad sextum. Addit in Resp. ad septimum: *Ad deletionem venialis peccati non requiri infusionem gratiæ: unde cum in quolibet Sacramento Novæ Legis gratia infundatur, nullum Sacramentum Novæ Legis instituitur directe contra veniale; quod tollitur per quedam Sacramentalia, puta, per Aquam benedictam, & alia hujusmodi.*

Lotio pedum non est Sacramentum.

Lotionem pedum Sacramentum esse, verba Christi non probant. Ista enim, *Non habebis partem mecum*, non significant lotione pedum conferri gratiam,

tiam, aut hunc Ritus ad illam significandam, & efficiendam institutum fuisse; sed Petro pœnam inobedientiæ comminantur, nisi Domino ipse pedes abluere volenti paruerit. Nisi enim se ad voluntatem Christi Salvatoris hunc humilitatis actum exercere volentis accommodasset, non jam humilis fuisset ipse, sed contumax, adeoque æterna hæreditate indignus. Ista etiam Domini sententia, *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, non significat eam lotionem per se valuisse ad remissionem peccatorum venialium; sed indicat, eum, qui a lethalibus peccatis mundus fuerit, a levioribus dumtaxat, quæ terrena conversatione contrahuntur, mundandum esse. Hæc denique verba, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, absolutum præceptum non exprimit hunc Ritus frequentandi, sed præcipiunt actus humilitatis, & charitatis; ita ut animo comparati simus ad lotionem pedum, & vilissima quæque ministeria ob imitationem humilitatis Christi, & in fraternæ charitatis testimonium exercenda.

Nec alia mens est SS. *Ambrosii*, & *Bernardi*, qui lotionem pedum Mysterium, & Sacramentum vocant, late sumpto Mysterii, & Sacramenti nomine pro signo quovis rei sacræ, quia significabat Apostolis, quamvis mundis, & sanctis, maculas aliquas peccatorum leviorum, sine quibus ne Justi quidem in terris vivunt, eluendas superesse, quæ per Christum pariter absteruntur, & remittuntur. Unde *S. Ambrosius* sacram illam cærimoniam ab Ecclesia Romana suis temporibus frequentatam non fuisse testatur, cui tamen exprobrare nemo unquam ausus est, quod Sacramentorum numerum imminuisset. *Non ignoramus*, inquit, *quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, & formam. Hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo, ne forte propter multitudinem declinarit. Sunt tamen, qui dicant, & excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in Baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospiti pedes lavandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi, quia Mysterium est, & sanctificatio. Nisi laveris tibi pedes, non habebis mecum partem. Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem, in omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod tibi rectius servatur, & nos recte custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius in heremus devotioni.* Joan. 13.

S. Bernardus Lotionem pedum Sacramentum vocat remissionis venialium, propter significationem, non propter efficaciam, & virtutem: eoque collineat omnis ejus oratio, ut maximam vigilantiam ad vitanda, & eluenda hujusmodi peccata adhibendam persuadeat. Verumtamen, inquit, hæc nemo contemnat, aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui nisi per Christum Jesum, & a Christo. Nemo, inquam, perniciose securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis: quoniam (ut audivit Ietrus ab ipso) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscet facile, immo & libenter, si modo nos agnoscamus. In hujusmodi namque inevitabilibus & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est, quod in Oratione, quam ipse instituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. Sicut enim de concupiscentia diximus, quod licet damnationem abstulerit, quia juxta Apostolum, *Nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu*; tamen ad humiliandos nos ipsam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus, quid nobis gratia præstet, & semper ad illius

„ illius auxilium recurramus: sic & de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non possumus, certi simus, quod non nostris viribus majora superemus; semperque timorati, & omnino solliciti simus, quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.

A R T I C U L U S II.

De Sacramentorum Dignitate.

Sacramentorum dignitas.

Ordine convenienti Sacramenta recenserit probat S. Thomas III. P. Q. LXV. A. II. Priora scilicet illa sunt, quæ ad unius personæ perfectionem, iis, quæ ad perfectionem multitudinis ordinantur. Quamobrem Ordo, & Matrimonium postremo loco inter Sacramenta numerantur; & Matrimonium quidem post Ordinem, quia minus participat de ratione spiritualis vitæ. Inter ea vero, quæ ad unius personæ sanctificationem instituta sunt, priora sunt illa, quæ per se ad perfectionem vitæ spiritualis ordinantur, illis quæ per accidens, scilicet ad impedimenta removenda destinantur: cujusmodi sunt Pœnitentia, & Extrema Unctio. Atque hæc utpote spiritualis consummatio sanitatis, posterior est ipsa Pœnitentia. Inter alia verò tria, Baptismus, qui spiritualis est regeneratio, Confirmationem præcedit, quæ ad incrementum, & robur spirituale ordinatur: hæc vero Eucharistiam, quæ cibus perfectorum est, & *Quæ ordinatur ad consecutionem finis*. Hic autem est ordo generationis (ut Scholastici loquuntur) non dignitatis. Nam si dignitas in Sacramentis spectetur, Eucharistia sanctitate, & Mysteriorum numero, ac magnitudine longe ceteris antecellit, utpote Christum ipsum fontem sanctitatis substantialiter continens. Præterea, cetera Sacramenta ad Eucharistiam sicut ad finem ordinantur; Sacramentum quidem Ordinis ad illius consecrationem; Baptismus ad illius susceptionem; sicut & Confirmatio hominem roborans, ne se a tanto Sacramento per verecundiam subtrahat. Per Pœnitentiam etiam, & Extremam Unctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi: Matrimonium denique significat conjunctionem Christi, & Ecclesiæ, cujus unitas per Eucharistiæ Sacramentum significatur, secundum illud Apostoli: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus*. Quamobrem Eucharistia Sacramentum Sacramentorum a S. Dionysio Lib. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, cap. III. vocatur. Inter cetera vero Sacramenta, Baptismus potissimum est Sacramentorum, ratione *Necessitatis*: Ordo ratione *Perfectionis* (ut loquitur S. Thomas) Confirmatio medio modo se habet, Pœnitentia, & Extrema Unctio inferiorem gradum tenent, utpote ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus ordinatæ. Inter quæ tamen Extrema Unctio est majoris perfectionis, Pœnitentia vero majoris necessitatis.

1. Cor. 10. 17

Unum autem Sacramentum alio esse dignius, fidei veritas est, a Sacra Synodo Tridentina contra Heterodoxos definita, sess. VII. can. III. *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; Anathema sit.* Et sess. XIII. cap. III. docet, *Commune hoc quidem esse SS. Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem; verum illud in ea excellens, & singulare reperiri, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse, quod præbebat.* Idem Con-

firma-

firmatur ex cap. *Nihil*, VIII. De Consecratione, dist. II. cujus hæc verba sunt: *Nihil in Sacrificiis majus esse potest, quam Corpus, & Sanguis Christi: nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit.*

C A P U T V.

DE SACRAMENTORUM EFFICACIA.

A R T I C U L U S I.

Utrum Sacramenta Novæ Legis Gratiam conferant?

P R O P O S I T I O I.

Sacramenta Novæ Legis continent Gratiam, quam significant, eamque semper & omnibus non ponentibus obicem conferunt.

PROBATUR primo ex Scriptura Sacra. Quæcumque remittunt peccata, dant Sp. Sanctum, ac vitam æternam tribuunt, gratiam continent, eamque semper, & omnibus non ponentibus obicem conferunt: sed Sacramentis Scriptura tribuit remissionem peccatorum, & renovationem per Sp. Sanctum, aut Sp. Sancti donationem, aut vitam æternam: gratiam itaque continent, eamque semper & omnibus non ponentibus obicem conferunt. De Baptismo quidem ita loquitur Scriptura Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Act. II. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ad Ephes. V. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Titum III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Sp. Sancti.* De Confirmatione Act. VIII. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* De Eucharistia, Joan. VI. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* De Penitentia, Joan. XX. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema Unctione, Joan. V. *Oratio fidei salvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* De Ordine I. ad Timoth. IV. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et II. ad Timoth. I. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Sacramentorum efficacia.

PROBATUR secundo Propositio ex S. Augustino id discriminis statuente inter Sacramenta Veteris, ac Novæ Legis, quod *Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Ita loquitur in Psal. LXVII. Hinc illa *Salubriora, & feliciora* vocat. Et vim eorum inenarrabiliter valere plurimum docet Lib. XIX. *Contra Faustum*, cap. XI. *Quorum inquit, Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit: impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Verumtamen quia visibilia Sacramenta pietatis inesse possunt etiam impiis, sicut habuisse sanctum Baptismum etiam Magum Simonem legimus, sunt tales, quales ait Apostolus, Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Quibus verbis significat, Sacramenta, quorum vis ad salutem procurandam plurimum valet, ob peccati tamen lethalis obicem quandoque gratiam non conferre. Et *Enchiridii* cap. LXV. & LXVI. ubi præmisit, extra Ecclesiam non remitti peccata, subdit: *Ipsa namque proprie Sp. Sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut qui-*

Discrimen inter Sacramenta veteris, & novæ Legis.

2. Tim. 3. 4. Sacramenta ob peccati mortalis obicem quandoque gratiam non conferunt.

bus

Ecccl. 40. 1.

bus remittuntur, consequantur vitam æternam. Magis enim propter futurum Judicium fit remissio peccatorum. In hac autem vita usque adeo valet quod scriptum est, Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulture in matrem omnium: Ut etiam parvulos videamus post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari: ut intelligamus totum, quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem venturorum honorum, quam ad retentionem, vel adeptionem presentium pertinere.

Sacramentorum efficacia.

Probatur tertio ex Symbolo, quo Unum Baptisma in remissionem peccatorum confitemur. Ex Eugenio IV. in Decreto ad Armenos post Conc. Florentinum, id discriminis statuente inter Sacramenta Veteris, & Novi Testamenti, quod *Illa non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Ex Concilio denique Tridentino sessione VII. canonibus VI. & VII.

„ Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non continere gratiam, quam „ significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi „ signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel Justitiæ, & no- „ tæ quædam Christianæ Professionis, quibus apud homines discernuntur fi- „ deles ab infidelibus. Anathema sit.

„ Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & „ omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed ali- „ quando, & aliquibus, Anathema sit.

Catholicam hanc veritatem argumento duplici confirmat S. Thomas III. P. Q. LXII. Art. I. Primum est, quod *ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, Sacramenta Novæ Legis non solum significare, sed causare gratiam.* Secundum, quod *per Sacramenta Novæ Legis homo Christo incorporatur; sicut de Baptismo dicit Apostolus ad Gal. III. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: Non autem efficitur homo membrum Christi nisi per gratiam.* Cum autem causa sit duplex, princeps una, quæ propria virtute agit, instrumentaria altera, quæ virtute causæ principis ipsam moventis operatur; solus Deus gratiam producit, ut causa princeps, cum gratia nihil sit aliud, quam participata quædam naturæ divinæ similitudo, secundum illud S. Petri Epist. II. cap. I. *Magna nobis & pretiosa promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes nature.* Sacramenta vero sunt causæ dumtaxat instrumentariæ. *Ahibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam.* Unde S. Augustinus ait, Lib. XIX. *Contra Faustum, cap. XIX. Hæc omnia (scilicet Sacramenta) sunt, & transeunt; virtus tamen (Dei) quæ per ista operatur, jugiter manet.* Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde Apostolus ad Titum scribens, cap. III. ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Quamobrem *Vasa gratiæ* recte dicuntur: sicut enim quod est in vase non est de ipso, nec ex ipso, sed ab ipso hauritur; sic gratia non est a Sacramentis, nec ex Sacramentis, sed illam a Fonte æterno haurit anima de ipsis Sacramentis. Et sicut quis recurrit ad vas, cum requirit liquorem, sic quærenti gratiæ liquorem, & non habenti, recurrendum est ad ipsa Sacramenta, per quæ tamquam instrumenta quædam, & vasa, gratiam curationis a Summo Medico Christo haurire oportet: qui tamen haud ita gratiam suam Sacramentis alligasse, credendum est, ut non per alias quocunque vias, quando vult, eam conferre queat. Similitudine quadam hæc doctrina illustratur. In curatione morbi, quo corpus afficitur, nemo negaverit solum esse Deum, qui virtute, potestateque sua pulso morbo sanitatem restituit: sanare tamen dicitur medicina, quod subtracta ma-

Sacramenta vasa gratiæ.

De Sacramentorum efficacia.

teria,

materia, quæ peccabat, sive pravis humoribus, sanitatem efficit. Sanare dicitur diæta, quod hominem ad sanitatem disponit, vel in ea conservat. Sanare dicitur vas, in quo medicina continetur, quia ex illo hauritur. Postremo sanare dicitur Medicus tamquam Minister, & instrumentum Dei. Sic in curatione morbi spiritualis, quæ nihil aliud est, quam sanctificatio, sanctificat solus Deus auctoritate sua: sanctificat gratia ut forma, expellendo morbum, hoc est peccatum: sanctificat fides, disponendo ad vitam spiritua-lem, ut fundamentum, & initium justitiæ, & sanctitatis Christianæ: sanctifi-
cat executio mandatorum, ut diæta: sanctificant Sacramenta, ut vasa me-
dicinalia in quibus gratia continetur: sanctificat Sacerdos, tamquam Minister.

Non omnia autem Sacramenta primam gratiam per se conferunt, sed Ba-
ptismus dumtaxat, & Pœnitentia. Cetera gratiam jam acceptam augent,
& perficiunt, ut docet Conc. Tridentinum sess. VII. *Visum est inquit, de
sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia, vel inci-
pit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur.* Accidit tamen aliquando, ut
Eucharistia, Christum remissionis peccatorum auctorem re ipsa præsentem con-
tinens, primam gratiam conferat, cum ab eo percipitur, *Qui est in peccato
mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet: forte enim primo non fuit
suffICIENTER contritus; sed devote, & reverenter accedens, consequetur per hoc
Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remissionem pec-
cati* (inquit S. Thomas quæst. LXXXIX. III. P. A. III.)

Quæ Sacra-
menta pri-
mam gra-
tiam con-
ferunt?

P R O P O S I T I O II.

*Sacramenta Novæ Legis non solum gratiam sanctificantem conferunt,
vel augent, sed etiam gratiam peculiarem tribuunt unicuique Sa-
cramento propriam, quæ propterea Sacramentalis dicitur.*

Consentientibus Theologorum Catholicorum suffragiis hæc approbatur
Propositio. *Addit autem gratia Sacramentalis super gratiam communi-
ter dictam, & super virtutes, & dona, quoddam divinum auxilium ad conse-
quendum Sacramenti finem* (inquit S. Thomas qu. LXII. III. P. A. II.) De
qua gratia videtur intelligendus S. Bernardus Sermone *De Cœna Domini*, di-
cens: *Divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis.* Sic Baptismus
auxilia quædam peculiaria subministrat spirituali regenerationi, & acceptæ
innocentiæ respondentia, quibus homo adjutus Christo se conformet, om-
niaque Christianæ pietatis, & religionis officia, ut par est, præstare valeat.
Confirmatio auxilia peculiaria confert, quibus roboratus Christianus, Fidem
Catholicam occasione data intrepide profiteatur, & constanter teneat. *Eu-
charistia* auxilia peculiaria suppeditat, quibus homo pietatis opera exerce-
re, & in illis perseverare possit; sive in Christo manere, & illum manen-
tem in se habere, ut ipse promisit Joan. VI. *Qui manducat meam carnem,
& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Sic *Pœnitentia* pe-
culiaria tribuit auxilia, quibus homo peccata quæcumque vehementius, at-
que constantius detestetur, eorumque occasionem fugiat, & pro præteritis
divinæ justitiæ satisfaciatur. *Extrema-Unctio* gratiam singularem confert, qua
absteris peccatorum reliquiis, ægroti anima allevatur, & confirmatur, ma-
gnam concipiendo de divina misericordia fiduciam; qua sublevatus, & mor-
bi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo
insidiantis facilius resistit; ut docet Conc. Tridentinum sess. XIV. *Ordo* con-
fert auxilia peculiaria, quibus Ecclesiastici Viri sacras functiones rite & re-
ligiose obeant. *Matrimonium* denique auxilia singularia confert conjugatis,

De gratia
peculiari
cujusq; Sa-
cramenti.

De Sacra-
mentorum
efficacia.

quibus effrænatam carnis concupiscentiam temperare, filios in timore, & disciplina Domini educare, sibi mutuam fidem servare, omnia sui status onera, & incommoda æquo animo perferre, sese denique invicem sanctificare possint.

Omnis Sacramento-
rum virtus
ex passione
Christi de-
rivatur.
Joan. 19.
34.

Inanis porro est Protestantium objectio, qui Passionis Christi vim & efficaciam a nobis evacuari clamant hoc ipso quod Sacramenta causas esse gratiæ asseramus: siquidem Sacramentorum virtutem omnem ex Passione Christi derivari credimus, docemus, & propugnamus. Unde S. Augustinus Tractatu cxx. in Joannem, ait: *Vigilanti verbo usus est Evangelista, ut non diceret, Latus ejus percussit, aut vulneravit; sed, Aperuit; ut illic quodammodo vite ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Propter hoc prima Mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque vivorum: magnum quippe significavit bonum ante magnum prævaricationis malum.* Idem, seu alius Auctor Serm. 111. de Symbolo ad Catechumenos, cap. vi. *Ascendat Sponsus noster thalami sui lignum, dormiat moriendo, aperiatür ejus latus, & Ecclesia prodeat Virgo: ut quomodo Eva facta est ex latere Adæ dormientis, ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in Cruce pendentis. Percussum est enim ejus latus, ut Evangelium loquitur, & statim manavit sanguis, & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta: Aqua, in qua est Sponsa purificata; Sanguis, ex quo invenitur esse dotata.*

A R T I C U L U S II.

Utrum Sacramenta Novæ Legis gratiam conferant ex opere operato?

De Sacra-
mentorū
efficacia.

Sensus
Quæstionis.

De Sacra-
mentorū
efficacia.

PRæmittendum est, in justificatione, quæ per Sacramenta procuratur, multa concurrere: nimirum ex parte Dei, voluntatem utendi re illa sensibili: ex parte Christi, Passionem ejus: ex parte Ministri, potestatem voluntatem, fidem, probitatem: Ex parte suscipientis, voluntatem, fidem, pœnitentiam: ex parte denique Sacramenti, actionem ipsam externam in applicatione debita materiæ, & formæ Sacramentalis, & utriusque ad suscipientem Sacramentum positam, quæ vocatur *Opus operatum*, passive, vocabulo in Ecclesia usurpato jam ab *Innoc. III.* temporibus, ut constat ex Libro ejus 111. *De Officio Missæ*, cap. v. & ex *S. Thoma* in 4. *Sententiarum*, dist. 1. q. 1. art. v. ac demum consecratorum Conc. Tridentino. Sensus igitur quæstionis est: Utrum Sacramenta per seipsa ex vi actionis a Christo institutæ efficaciam habeant ad gratiæ productionem; an vero tota vis illorum, & efficacia in fidem, aut probitatem Ministri, vel dispositionem suscipientis refundatur. Sacramenta per se valere suscipientibus, quantumvis recte dispositis, negarunt olim Donatistæ, qui Sacramenta ab infidelibus, schismaticis, malisque Ministris collata, irrita esse sentiebant. Idem negant ex alio principio Protestantes, qui Sacramenta nuda signa esse volunt, quibus fides excitetur, & gratiæ sanctificantis efficientiam, vel augmentum uni fidei, non Sacramentis tribuunt. Contra vero Catholici, quamvis fidem, & probitatem in Ministris necessariam esse fateantur, ut digne Sacramenta ministrent; fidem etiam, pœnitentiam, & devotionem in adultis necessariam esse concedant, ut illis Sacramenta profint: non tamen ex Ministris, vel suscipientis fide, probitate, dispositione, sed ex vi actionis sacramentalis a Christo institutæ, Sacramentorum efficaciam repetendam esse credunt.

P R O P O S I T I O U N I C A .

Sacramenta Novæ Legis gratiam conferunt ex opere operato.

ID probant omnia Scripturæ Sacræ testimonia, quibus gratiam per Sacramen-
ta conferri superiori Articulo ostendimus: illa enim remissionem pecca-
torum, donationem Sp. Sancti, sanctificationem animæ, gratiæ infusionem.
fidei, ac sanctæ dispositioni suscipientium non tribuunt, sed ipsi actioni sa-
cramentali, ipsique Sacramento, quatenus a Christo institutum est.

Idem probant Patrum testimonia, gratiæ productionem ipsi per se Sacramento
tribuentium. *S. Justini Martyris*, in Apolog. ad *Antoninum* Imperatorem scriben-
tis, nos baptizari, *Ut remissionem ante commissorum peccatorum consequamur aqua.*

Origenis, Hom. IV. in cap. 14. *S. Lucæ*, asserentis, *Parvulos baptizari in re-
missionem peccatorum, & per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponi.*

Tertulliani, Lib. *De Baptismo*, cap. 1. dicentis: „ Nos pisciculi secundum
„ *ἰν ᾧ* nostrum Jesum Christum in aqua nascimur: nec aliter quam in aqua
„ permanendo salvifumus. *Et cap. 11.* Nonne mirandum, & lavacro dilui mor-
„ tem? At quin eo magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non credi-
„ tur. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem?
„ Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Ceterum incredulitas mira-
„ tur, non credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi im-
„ possible. Et sic plane, ut putas, satis ad utrumq; divina pronuntiatio
„ præcucurrit. Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus, &
„ prædifficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam si Deus & sapiens,
„ & potens, quod etiam prætereuntes eum non negant, merito in adversa-
„ riis sapientiæ, potentiæque, idest, in stultitia, & impossibilitate, materias
„ operationis suæ instituit: quoniam virtus omnis ex his causam accipit, a
„ quibus provocatur. Hujus memores pronuntiationis, tamquam præscriptio-
„ nis, nihilominus quam stultum, & impossibile sit aqua reformari, tracte-
„ mus. *Et cap. 111.* Ordinato per elementa Mundo cum incolæ darentur,
„ primis aquis præceptum est animas proferre. Primus liquor, quod viveret,
„ edidit, ne mirum sit in Baptismo, si aquæ animare noverunt.

S. Cypriani Epist. 1. ad Donatum, ubi de Baptismo sic loquitur: „ Difficile
„ prorsus, ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi
„ divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset: utque in no-
„ vam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret;
„ & corporea licet manente compage, hominem animo, ac mente mutaret.
„ Qui possibilis, ajebam, est tanta conversio; ut repente, ac perniciousiter exua-
„ tur, quod vel genuinum sinu materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum
„ diu senio vetustatis inolevit? *Et infra:* Sed postquam undæ genitalis auxi-
„ lio superioris ævi labe deterfa, in expiatum pectus, ac purum, desuper lu-
„ men infundit: postquam cœlitus Spiritu hausto in novum me hominem na-
„ tivitas secunda reparavit: mirum in modum protinus confirmare se dubia,
„ patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod prius difficile vi-
„ debatur, geri posse, quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terre-
„ num fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei
„ esse cœpisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret.

S. Basili Lib. *De Spiritu Sancto*, cap. xv. ubi de Baptismo ita scribit:
„ Cum duo scopi propositi sint in Baptismo, videlicet, ut aboleat corpus
„ peccati, ne postea fructificet mortem, tum ut vivat Spiritu, & fructum
„ habeat in sanctificatione: aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut
„ in sepulchro recipiens, Spiritus vero vim vivificam immittit, a morte pec-
„ cati renovans animas nostras in novam vitam. Hoc igitur est desuper
„ nasci ex aqua & Spiritu, quasi mortificatio perficiatur in aqua, vitam

acramen-
torum effi-
cacia ex vi
actionis Sa-
cramentalis
a Christo
instituta,
& passionis
ejus.

In aqua na-
scimur,
aqua refor-
mamur.

Sp. S. Nati-
vitate se-
cunda nos
reparat per
Baptismum.

„ vero nostram operetur Spiritus.: Itaque si qua est gratia in aqua, non
 „ est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia.
 „ *S. Gregorii Nysseni*, Oratione in Baptismum Christi. „, Baptisma, inquit,
 „ peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis, & regeneratio-
 „ nis causa. *Et postquam id non uni aquæ, sed Sp. Sancti operationi per aquam*
 „ *tribuendum docuit*: Quare, inquit, ne contempnas divinum Lavacrum, ne-
 „ que id tamquam commune propter usum aquæ parvi facias: nam id, quod
 „ operatur, magnum est, & ab illo mirabiles existunt effectus. *Atque si-*
 „ *milem in aliis Sacramentis ex Sp. Sancto, & verbis divinis efficaciam ad-*
 „ *struit*. Panis item panis est initio communis: sed ubi eum Mysterium sa-
 „ crificaverit, Corpus Christi fit, & dicitur. Sic mysticum Oleum, sic vi-
 „ num, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem,
 „ quæ a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem
 „ item verbi vis Sacerdotem augustum, & honorandum facit, novitate be-
 „ nedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri, ac tempore
 „ superiori unus e multitudine, ac plebe esset, repente redditur Præceptor,
 „ Præses, Doctor pietatis, Mysteriorum latentium Præsul: eaque contingunt
 „ ei, cum nihil vel corpore, vel forma mutatus, sed quod ad speciem exter-
 „ nam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi, ac gratia invisibilem
 „ animam in melius transformatam gerens. Atque ita ad multas res ani-
 „ mum advertens, contemnenda quidem videbis ea quæ apparent, magna
 „ vero, quæ ab illis efficiuntur. “ In exemplum affert virgam Mosaicam,
 „ rubum, pallium Eliæ, reliquias Elisæi, lignum Crucis; quæ cum materia
 „ sint inanimatæ, atque sensus expertes, postea quam vim Dei accepissent,
 „ magna miracula ediderunt. „, Ac simili, inquit, consequentia rationum,
 „ etiam aqua, cum nihil aliud sit, quam aqua, superna gratia benedicente ei,
 „ in eam, quæ mente percipitur, hominem renovat generationem. Quod
 „ si quis mihi rursus dubitando, & ambigendo negotium exhibeat, inter-
 „ rogans qua ratione aqua ea, quæ per illam peragitur initiatione regeneret,
 „ dicam optimo jure ad eum: Ostende mihi modum nativitatis, quæ fit secun-
 „ dum carnem: & ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, ex-
 „ ponam. Dices fortasse, quasi quamdam rationem reddens: Semen causa ho-
 „ minis effectrix est. Audi igitur contra a nobis, quod aqua, quæ benedi-
 „ citur, purgat, & illuminat hominem. Quod si mihi rursus contra subicias,
 „ Quomodo? Clamabo contra te vehementius: Quomodo humida, atque in-
 „ formis natura homo fit? Atque de omni creatura ita oratio progrediens,
 „ in unaquaque re exercebatur: Qui cælum? Qui terra? Qui mare? Qui
 „ res singulares? .: Ubique divina vis, & efficacia incomprehensibilis est.
 „ *S. Jo. Chrysostomi*, Homilia xxv. in Joannem: „, Quod, inquit, est matrix
 „ embrioni, hoc est, fidei aqua, quidem in aqua fingitur, & formatur.
 „ Nam primo dictum est: *Producant aquæ reptile animæ viventis*. Ex quo autem
 „ *Gen. 1. 20.* „ Jordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum
 „ viventium, sed animas rationales, & spirituales aqua produxit. Et quod
 „ de Sole dictum est: *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo*: hoc longe
 „ magis de fidelibus in præsentia dici potest. Multo namque quam ille cla-
 „ riores diffundunt radios. At quod in matrice formatur, tempore indiget.
 „ *Psal. 13. 6.* „ Quod in aqua, minime, sed momento omnia perficiuntur.
 „ *Optati Milevitani*, Libro v. contra Parmenianum: „, Baptisma Christianorum
 „ Trinitate confectum, confert gratiam: si repetatur, facit vitæ jacturam.
 „ *S. Hieronymi*, qui Epist. lxxxiii. ad *Oceanum*, in Baptismo omnia peccata
 „ mergi, omnes sordes emundari docet, quod ubi multis Scripturæ locis pro-
 „ bavit, subdit: *Dies me deficiet, si cuncta, quæ ad Baptismi potentiam*
 „ *per-*

Mirabilis
 Sacramen-
 torum ef-
 fectus ex
 Sp. Sancto
 & verbis di-
 vinis.

Aqua Ba-
 ptismalis
 purgat &
 illuminat
 hominem.

Gen. 1. 20.

Psal. 13. 6.

pertinent, de Scripturis sanctis voluero digerere, & nativitatise secundæ, imo in Christo primæ ponere Sacramenta.

S. Augustini, Lib. IV. contra Cresconium Donatistam, cap. XVI. afferentis: Non eorum meritis, a quibus ministratur, constare Baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate, propter eum a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.

Sacramentorum efficaciam in fidem, aut devotionem suscipientis non refundi, sed in virtutem ex Passione Christi Sacramentorum auctoris in illa derivatam; liquido probatur ex Baptismo parvulorum, qui actualis fidei, atque devotionis per ætatem sunt incapaces; necnon ex illorum Baptismo qui rationis usu per morbum destituti baptizantur, quo modo amicum suum baptizatum testatur S. Augustinus Lib. IV. Confessionum, cap. IV. Idem Lib. I. De Adulterinis Conjugiis, cap. XXVII. & XXVIII. Catechumenos in ultimo vitæ discrimine constitutos, quamvis Baptismum petere, vel ad interrogata respondere non possint, baptizandos tamen esse docet, eisque prodesse debere, quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Nec solum (inquit) „ Alios Catechumenos, verumetiam ipsos, qui „ viventium conjugii copulati retinent adulterina consortia, cum salvos „ corpore non admittamus ad Baptismum, tamén si desperati jacuerint, nec „ pro se respondere potuerint, baptizandos puto; ut etiam hoc peccatum „ cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum for- „ tassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri? „ Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient, quod „ statuerunt, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod „ fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem Baptismatis, eadem „ Reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum „ præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire „ velle debet Mater Ecclesia. “ Frustra autem in tali statu constitutis Ba- „ ptismus, vel Absolutio sacramentalis conferrentur, si ipsa per se Sacramen- „ ta gratiam non producerent, sed omnem vim suam ex fide, & devotione „ suscipientium derivarent.

S. Cyrilli Alexandrini, Lib. II. in Joannem p. 147. „ Quemadmodum in- „ fusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit: ita „ Spiritus efficacitate sensibilis aqua ad divinam quamdam, & ineffabilem „ vim transformatur, omnesque demum, in quibus fuerit, sanctificat.

S. Leonis Serm. V. De Nativ. Domini: „ Dominus Jesus originem, quam „ sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ quod „ dedit Matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Sp. Sancti, quæ fecit, „ ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem. „ Et Sermone præcedenti: Terra carnis humanæ, quæ in primo fuerat præ- „ varicatore maledicta, in hoc solo B. Virginis partu germen tulit benedi- „ ctum, & a vitio suæ stirpis alienum. Cujus spiritualem originem in re- „ generatione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua Baptis- „ matis instar est uteri virginalis, eodem Spir. Sancto replente fontem, qui „ replevit & Virginem: ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra Conceptio, „ hic mystica tollat Ablutio.

Atque hoc discrimen est Sacramentorum Novæ Legis a Sacramentis Ve-

teris Legis, quod illa gratiam ex opere operato conferant, non ista, quæ propterea *Infirma*, & *egena elementa* vocat Apostolus ad Gal. IV. Et ad Colossenses cap. II. vocat illa *Umbram futurorum*; corpus autem Christi. Et ad Gal. VI. Circumcisionem ad justificationem nihil ex se ipsa valere docet, eamque no-

Sacramen-
torum effi-
cacia in fi-
dem, aut
devotio-
nem susci-
pientium
non refusa-
ditur.

Catechu-
meni in
mortis di-
scrimine
constituti,
rationisq;
& sensuum
usu subito
destituti, eo
modo ba-
ptizandi
quo infan-
tes.

Christus
dedit aquæ
quod dedit
Matri.

Idem Spi-
ritus replet
Fontem,
qui reple-
vit & Vir-
ginem.

Discrimen
Sacramen-
torum ve-
teris, &
novæ Le-
gis.

væ creaturæ opponit: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Et ad Rom. III. Neminem hominem justificari asserit ex operibus Legis, inter quæ primarium certe locum obtinet Circumcisio. *Ex operibus Legis (inquit) non justificabitur omnis caro coram illo.* Hinc S. Augustinus qu. xxv. in Numeros, docet, quod Sacrificia Veteris Legis (eadem autem Sacramentorum est ratio) *Si per se ipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi; si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.*

Denique Propositionem nostram ut Dogma fidei asserit Concilium Tridentinum sess. VII. can. VIII. *Si quis dixerit per ipsa Novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; Anathema sit.*

Hæreticorum ob-
jectio dilui-
tur.

Frustra vero objiciunt Hæretici, Vitam spiritualementem, internæque justitiæ productionem, in fidem, non in Sacramenta ab Apostolo refundi ad Rom. I. & ad Heb. cap. x. *Justus autem ex fide vivit.* Et ad Rom. x. *Corde creditur ad justitiam.* Fidei namque, ceu dispositioni primariæ justificationis tribuitur, sed non soli; nec in ipsam, ceu in causam efficientem, refunditur; & alias vitam spiritualementem, & internæ justitiæ productionem Sacramentis tribuit Scriptura. (Act. II.) *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et ad Titum III. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per Lavacrum regenerationis, & renovationis Sp. Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Et Joan. vi. de Sacramento Eucharistiæ, ait Christus: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Calumnia
Hæreticorum
refellit-
tur.

Hunc loquendi modum, Sacramenta gratiam conferunt ex opere operato, inventum esse a Catholicis Doctoribus objiciunt Hæretici, ut prodesse ea statuerent etiam iis, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requirunt fidem, aut gratiam: sed sufficere, non posuisse obicem, hoc est, actuale propositum denuo peccandi. Ita Lutherus in *Captiv. Babilon.* Cap. de Baptismo, Melancton in Confessione Augustana, art. XIII. Calvinus In Antidoto Concil. Tridentini, & Kemnitius in Examine, P. II. Sed hæc mera calumnia est, ipsis Conc. Trident. verbis dissipata, sess. VI. cap. VI. *Disponuntur autem, inquit, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt: atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam Penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Et sess. XIV. cap. IV. *Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Penitentiae, absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.*

Frustra etiam Heterodoxi vocabuli novitatem incusant, quod *Innoc. III.* non est antiquius. Nam ad fidei Dogmata exprimenda nova vocabula jam olim consecravit Ecclesia, ut *Consubstantialia, Ingenitus, Deipara, Transsubstantiatio:*

tiatio : quæ etsi in divinis Litteris non habeantur, res tamen per illa significatæ in illis inveniuntur. *Quid est autem contentiosus, quam ubi de re constat, certare de nomine?* Respondebat S. Augustinus Palcentio Domus Regiæ Comiti Ariano, Epist. ccxxxviii. alias clxiv.

Si quis autem quærat, quomodo Sacramenta in animam operentur? Quæ virtute? An physice, an moraliter? Quæstiones illas Scholasticis disceptandas relinquimus: mysterium in modo operandi Sacramentorum agnoscimus, quod comprehendere, & humana ratione penitus explicari non possit: cum Tridentini Concilii Catechismo hic loquimur. *Quo autem pacto, inquit, tanta res, & tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, Aqua corpus abluat, & cor tangat: id quidem humana ratione, atque intelligentia comprehendere non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem, suapte natura, ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsæ naturales præstare non possunt.*

Modus operandi Sacramentorum, Mysterium est.

De Sacramentum efficaciam.

A R T I C U L U S III.

De altero Sacramentorum effectu, scilicet, Characterem.

Alter Sacramentorum effectus est character, quem non omnia quidem; sed aliqua dumtaxat Sacramenta animæ imprimunt, velut signum quoddam, quod deleri nunquam potest, eique perpetuo adhæret: de quo tria credenda proponit Ecclesia. Primum, per tria Sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem, & Ordinem, characterem imprimi. Secundum, Characterem esse signum quoddam spirituale, & indelebile. Tertium, Sacramenta, quæ characterem imprimunt, iterari non posse. Quæ tria definit Sacra Synodus Tridentina, sess. vii. can. ix. post Eugen. iv. in Decreto Instructionis Armenorum: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; Anathema sit.*

Characterem non obscure describit Apostolus, cum ait II. ad Cor. i. *Unxit nos Deus; qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Voce enim illa, *signavit*, characterem indicari, cujus proprium est aliquid signare, & notare docet Concilii Catechismus. Ex Traditionis autem perenni, & incorrupto fonte hausta est, quam tradit Sacra Synodus de Characterem doctrina: ut contra Lutheranos, & Calvinianos luculenter probavere, qui controversias Fidei attigerunt. Sit ergo

De Sacramentali characterem.

P R O P O S I T I O I.

Tridentina Synodus Characteris doctrinam ab antiquis Patribus accepit.

Tres ex Veterum choro testes locupletissimos profero; SS. Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, & Augustinus. S. Basilius Homilia xlii. quæ est Exhortatio ad Baptismum, ita de Characterem loquitur: *Tesseram Ducem sub se militantibus dant, ut amici facilius invicem se noscentes exhortentur, & si cum hostibus commisceantur, eo facilius discerni, ac separari possint. Nemo te, quarum, nostrarum, an adversarii partium sis noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te feras, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Nisi Characterem in te agnoscat Angelus, quoniam modo pro te pugnet,*

Character Sacramentalis.

gnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo dices, Dei sum, signa non ostendens? An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto Exterminator præterit, in non signatis vero primogenita peremit? Theſaurus non obſignatus furibus facile patebit. Ovis item abſque nota inſidiis protinus eſt obnoxia.

Ephes. 1.
31.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Præfatione Catecheſeon, vocat Baptiſmum Signaculum ſanctum, & indelebile. Et Catecheſi xvii. ait, Sp. Sanctum in Baptiſmo Obſignare animam, & dare ſignaculum, quod dæmones tremore peruſi perhorreſcunt, cæleſte quoddam, & diuinum, ſicut ſcriptum eſt: In quo etiam credentes ſignati eſtis Spiritu Sancto promiſſionis.

Chara-
cter
Sacramen-
talis.

S. Auguſt. variis in locis characterem in Baptiſmo imprimi docet, idque ſignum eſſe indelebile, & propterea Baptiſmum iterari non poſſe. Epiſt. xcviij. alias xxiii. ad Bonifacium Epiſcopum, Si Chriſtiani inquit, Baptiſmi Sacramentum, quando unum atque, idipſum eſt, etiam apud Hereticos valet, & ſufficit ad conſecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non ſufficiat; quæ conſecratio reum quidem facit Hereticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem, corrigendum tamen admonet ſana doctrina, non iterum conſecrandum: quanto potius in Catholica Eccleſia etiam per ſtipulæ miniſterium frumenta purganda portantur, ut ad maſſæ ſocietatem mediante area perducantur?

Non fit in-
juria Cha-
racteri Im-
peratoris,
cum error
corrigitur
deſertoris.

Idem Epiſt. clxxxv. alias l. ad Bonifacium Comitem, De correctione Donatiſtarum: An non pertinet ad diligentiam paſtorales, etiam illas oves, quæ non violenter ereptæ, ſed blande, leviterq; ſeductæ a grege aberraverint, & ab alienis cæperint poſſideri, inventas ad ovile dominicum, ſi reſiſtere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare: præſertim quoniam ſi apud fugitivos ſervos, & prædones fœcunditate multiplicentur, plus habet juris, quod in eis dominicus character agnoſcitur, qui in eis quos ſuſcipimus, nec tamen rebaptizamus, minime violatur? Neque enim ſi quiſquam regio character a ſignato deſertore ſignetur, & accipiant indulgentiam, atque ille redeat ad Militiam, ille autem eſſe in Militia, in qua nondum erat, incipiat, in aliquo eorum character ille reſcinditur, ac non potius in ambobus agnoſcitur, & honore debito, quoniam regius eſt, approbatur. Et infra, Donatiſtæ objicienti, Quare ergo me non baptizas, ut abluas a peccatis? Reſpondet: Quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrogo deſertoris. Legatur & Lib. vi. De Baptiſmo, cap. 1. & Lib. 1. Contra Creſconium cap. xxx. & Sermone ad Cæſarienſis Eccleſiæ plebem, Emerito Donatiſta Epiſcopo præſente.

Sacramenta
quæ conſe-
cratione
quadam
homini
dantur, ite-
rare non
licet.

Idem Lib. 11. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. xiiii. neque Baptiſmum, neque Ordinationem iterari poſſe docet, quia utrumque Sacramentum conſecratione quadam confertur, id eſt, characterem indelebilem in anima imprimi. Illud, inquit, quod quidam veritate convicti dicere cæperunt, Baptiſmum quidem non amittit, qui recedit ab Eccleſia, ſed jus tamen dandi amittit; multis modis apparet fruſtra, & inaniter dici. Primo, quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille, qui ipſum Baptiſmum amittere non po- teſt, jus dandi poteſt amittere. Utrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud, cum baptizatur, iſtud, cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte venientes etiam Prepoſiti pro bono pacis correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt, & ſi uſum eſt opus eſſe, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non ſunt ruruſum ordinati; ſed ſicut Baptiſmus in eis, ita Ordinatio manſit integra: quia in præciſione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum eſt; non in Sacramentis, quæ ubicumq; ſunt;

sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judicatur Ecclesie, ut Præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manet super eos. Ideoque non eis in Populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria.

Denique de Confirmatione, Lib. II. *Contra Litteras Petiliani*, cap. CIV. *Sacramentum*, inquit, *Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut & Baptismus*. Cur enim vero sacrosanctum sicut Baptismus, nisi quia propter similem characterem iterari non potest?

CHARACTERIS DEFINITIO.

Characterem definit S. Thomas, *Signaculum spirituale quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ sunt divini cultus*. Unde ad genus qualitatis, & speciem potentie spiritualis revocatur. Nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia quædam activa; ad recipiendum autem, potentia passiva. Hæc ad Baptismum pertinet: illa ad Confirmationem, & Ordinem. Id paulo aliter exprimit Catechismus Concilii, cum Characterem duo præstare ait: primo, ut apti ad aliquid sacrum vel suscipiendum, vel peragendum efficiamur: secundo, ut aliqua nota alter ab altero interno-
 scatur. Charactere Baptismi ad alia Sacramenta percipienda reddimur idonei, & eo fidelis populus a Gentibus, quæ fidem non colunt, distinguitur. Charactere Confirmationis veluti Christi milites ad ejus nominis publicam confessionem, & propugnationem, ac contra insitum nobis hostem, & spiritualia nequitie in cælestibus armamur, atque instruimur; simulque ab iis, qui nuper baptizati, tamquam modo geniti infantes sunt, discernimur. Character Ordinis potestatem Sacramenta conficiendi, & ministrandi conjunctam habet: & eorum, qui hujusmodi potestate præditi sunt, a reliquo fidelium cœtu distinctionem ostendit.

Character
Sacramen-
talis.

PROPOSITIO II.

Character Sacramentalis est indelebilis.

Characterem Sacramentalem indelebilem esse probat S. Thomas hac ratione, quod sit participatio quædam Sacerdotii Christi in fidelibus ejus; ut scilicet, sicut Christus habet plenam spiritualis Sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu Sacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad divinum cultum. Sacerdotium autem Christi est æternum: & inde est quod omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium ejus, est perpetua, re consecrata manente: quod patet etiam in rebus inanimatis: nam Ecclesie, vel Altaris manet semper consecratio, nisi destruatur: multo magis perpetua est consecratio animæ, quæ subjectum est Characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides. Quamobrem Character indelebiter manet in anima. Quæ quidem etsi gratiam amittere possit, & vero frequenter amittat, quia ejus conservatio pendet a libero arbitrio, quod in statu vitæ mutabile est: Characterem tamen amittere non potest, qui virtus instrumentalis est Sacerdotii Christi, quod æternum est, & immutabile. Unde S. Aug. Lib. II. *Contra Parmenianum*, cap. XIII. *Si aliqui furtim, & extra ordinem in Monetis publicis aurum, vel argentum, vel æs percutiendo signaverint; cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus cogeretur? Aut si quisquam, sive desertor, sive qui nunquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet, nonne ubi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punitur, & eo gravius quo*

Character
Sacramen-
talis inde-
lebilis.

pro-

probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum proderit, audacissimo signatore? Aut si forte illum militiæ characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, & impetrata jam venia militare jam ceperit, numquid homine liberato, atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota cum videamus nec apostatas carere baptisate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur?

Quamvis autem post hanc vitam non remaneat exterior cultus Christianæ Religionis, ad quem per Characterem consecramur, & deputamur, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character; & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam: sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam; & in his, qui vicerunt, ad gloriam; & in his, qui sunt victi, ad pœnam (inquit *S. Thom. A. v. in Resp. ad III.*) Unde & *S. Aug.* rursus ait: *Perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim eam in perversis, & sceleratis hominibus, sive in eis, qui intus sunt, sive in eis, qui foris sunt, impollutam, atque inviolabilem permanere: & quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cum illa impolluta permanent; sed in bonis permanent ad premium, in malis permanent ad iudicium.*

P R O P O S I T I O III.

Omnia Novæ Legis Sacramenta Characterem non imprimunt, sed tria dumtaxat, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

EX *Eugenii IV.* Decreto post Conc. Florentinum, & ex Conc. Tridentino no sess. VII. can. IX. in limine hujus Articuli prolato, hæc Propositio constat; quam hac ratione confirmat *S. Thomas A. VI.* Sacramenta novæ Legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, & ad cultum divinum: est autem omnibus Sacramentis commune, quod per ea exhibitur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt: non autem omnia Sacramenta ad cultum divinum directe ordinantur. Exemplum esto in Pœnitentia, per quam homo liberatur a peccato, & restituitur in statum pristinum, sed per istud Sacramentum nihil novi exhibitur homini ad cultum divinum pertinens. Pertinet autem aliquid ad divinum cultum tripliciter: primo per modum actionis: secundo, per modum agentis: tertio, per modum recipientis. Per modum quidem actionis ad divinum cultum pertinet Eucharistia, in qua præcipue divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ Sacrificium. Verumtamen Eucharistia Characterem non imprimit; quia per eam non ordinatur homo ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis; cum potius sit *Finis, & consummatio omnium Sacramentorum*, ut ait *S. Dionysius Lib. De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. III continet tamen in seipsa Christum, in quo non est character, sed tota Sacerdotii plenitudo. Sed ad agens in Sacramentis pertinet Sacramentum Ordinis; quia per hoc Sacramentum deputantur homines ad Sacramenta aliis tradenda: ad recipiendum pertinet Sacramentum Baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta: unde Baptismus dicitur *Janua omnium Sacramentorum*. In Confirmatione vero homo fidelis potestatem accipit ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spirituales contra hostes fidei. Igitur tria hæc Sacramenta characterem imprimunt: Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

Sacramentalis Character.

Quæ Sacramenta Characterem imprimunt?

Id aliter explicare licet, Quemadmodum enim in Republica terrena aliud est signum, quo aliqui in numerum civium cooptantur; aliud, quo in Militiam adscribuntur; aliud, denique, quo ad publicas functiones deputati ornantur: ita in Regno Christi, quod est Ecclesia, aliud est Character civitatis, seu familiæ Christi; aliud est Character Militiæ Christianæ; aliud Character Potestatis, seu Ministerii Ecclesiastici. Primus per Baptismum; secundus per Confirmationem; tertius per Sacram Ordinationem imprimitur

P R O P O S I T I O IV.

*Qui Sacramenta Characterem imprimentia sine debitis dispositionibus suscipit, si-
ve (ut loquuntur Theologi) cum fisione, Characterem quidem suscipit, sed
non Gratiam sanctificantem.*

Hanc Propositionem adstruit Ecclesiæ auctoritas, quæ Baptismum, Confirmationem, Sacram Ordinationem in iis, qui hujusmodi Sacramenta sine fide, aut cum peccati mortalis affectu susceperunt, iteranda nufquam censuit, sed Sacramentum, & Characterem per illud impressum a Sacramenti fructu, id est, gratia, & charitate, accurate distinxit. Id constat ex S. Augustino Tractatu vi. in Joannem. *Reus es (inquit) non quia Sacramentum accepisti, sed quia foris accepisti. Quod accepisti approbo: quia foris accepisti, improbo. Tene ergo quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur. Character est Regis mei: non ero sacrilegus. Corrigo desertorem, non muto Characterem.*

Sacramentalis Character.

Et Lib. III. De Baptismo, cap. xvi., Multæ autem sunt operationes Spiritus Sancti, quas idem Apostolus, cum quodam loco, quantum sufficere arbitratus est, commemorasset, ita conclusit: *Omnia autem hæc operantur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* Cum ergo aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, sicut Saul habuit Prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: quodlibet Hæretici, & Schismatici accipiant, charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ unitatis, & pacis; nec ejus in omnibus, quia nec ejus sunt omnes. Præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, sine qua cetera etiam si agnosci, & approbari possunt, prodesse tamen, & liberare non possunt.

1. Cor. 12:

Et Lib. iv. De Baptismo, cap. i., Nec ob aliud, inquit, visum est quibusdam etiam egregiis viris Antistitibus Christi, inter quos præcipue Beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud Hæreticos, vel Schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus, atque usus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur. Sed convertentibus oculos ad interioris paleæ multitudinem, cum & hi, qui in ipsa unitate perversi sunt, & perditæ vivunt, appareant, remissionem peccatorum nec dare posse, nec habere; quia non malignis, sed bonis filiis dictum est, *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cui tenueritis, tenebuntur:* habere tamen, & dare, & accipere Baptismi Sacramentum satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea Plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiam ovem, quæ foris errabat, & dominicum Characterem a fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari a vulnere sanari: Characterem tamen in ea dominicum agnosci, potius quam improbari.

Sacramentalem Characterem, non gratiam recipiunt, qui ad Sacramenta sine fide, aut cum affectu peccati mortalis accedunt.

Joan. 20

Idem

Idem probatur ex Cap. *Quamvis* Dist. III. De Consecratione: *Quamvis unum Baptisma sit, & Hæreticorum (eorum scilicet qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti baptizantur) & Ecclesiæ Catholicæ: tamen quia foris, & extra Ecclesiam baptizantur, non sumunt Baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirum formam Sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes. Et ideo eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt. Ideo cum reversi fuerint, accipiunt virtutem Spiritus Sancti, quem ii, qui extra Ecclesiam baptizantur, nondum habent.*

Idem docet S. Thomas III. P. Q. LXVIII. A. VIII. „ Duo, inquit, efficiuntur in anima per Baptismum, scilicet Character, & Gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad Baptismum: uno modo, sine quo gratia haberi non potest, quæ est ultimus effectus Sacramenti: & hoc modo recta fides, ex necessitate requiritur ad Baptismum; quia, sicut dicitur Rom. III. *Justitia Dei est per fidem Jesu Christi.* Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad Baptismum, sine quo Character Baptismatis imprimi non potest: & sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad Baptismum, sicut nec recta fides baptizantis; dummodo adsint cetera, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Non enim Sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum, sed per virtutem Dei. Sufficit ergo ad impressionem Characteris Sacramentalis, ut suscipiens voluntatem habeat suscipiendi Sacramenti, ut docet *Innocentius III. Extra. De Baptismo, Cap. Majores*, cujus hæc sunt verba. Is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut & is, qui fide ad Baptismum accedit) Characterem suscipit Christianis impressum; & ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam Fidei Christianæ Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti ... Dormientes autem, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare; etsi fuerint sic immerfi, Characterem non suscipiunt Sacramenti: secus autem si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi ... Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obstitentem.

P R O P O S I T I O V.

Recedente fitione, seu accedente Pœnitentia, gratia sacramentalis suscitatur, seu potius de novo producit in eo, qui sine debitis dispositionibus Sacramentum suscepit.

ITa docet S. Augustinus Lib. I. De Baptismo Contra Donatistas, cap. XII. „ Sicut (inquit) in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit; sicut etiam iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt, qui se separaverunt inimici charitatis, & pacis Christi, in aliqua hæresi, aut schismate accepit, quo sacri-lego scelere peccata ejus non dimittebantur, cum se correxerit, & ad Ecclesiæ societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa ei reconciliatione, ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Gratia autem sacramentalis producit per se quidem ab ipso Sacramento, quod fecte, id est sine debitis dis-

dispositionibus susceptum est, virtute Characteris in anima impressi; per accidens autem a Pœnitentia, quæ fictionem removet, per quam Sacramenti prohibebatur effectus. Ita docet S. Thomas III. P. Q. lxxix. A. x. Vivit enim vere Baptismus & in eo, qui fictus baptizatur: & ratione Characteris, quasi formæ impressæ, aut seminis post se relictæ, operatur. Cumenim Sacramentum Baptismi sit *Opus Dei, & non hominis; non est mortuum infido, qui sine charitate baptizatur*. Idemque de Confirmatione, & Ordine, Characterem pariter imprimentibus, ferendum est iudicium.

C A P U T VI.

DE SACRAMENTORUM INSTITUTIONE.

PROPOSITIO UNICA.

Omnia Sacramenta a Christo instituta sunt.

DE Baptismo quidem res explorata est, *Matthæi* ultimo, ubi Jesus ait: „Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *De Eucharistia, Matthæi* xxvi. Cœnantibus autem eis, accipit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Idemque *Marcæ* xiv. *Lucæ* xxii. i. *Corinth.* xi. De Pœnitentia, & Ordine. *Joannis* xx. ubi Jesus Discipulis ait: „Sicut misit me Pater & ego mitto vos ... Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ad Ordinis quoque Institutionem pertinet, quod *Lucæ* xxii. Christus Eucharistiam instituens, conficiendi Sacramenti potestatem Apostolis, & in ipsis Sacerdotibus omnibus tradit: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Alia quidem Sacramenta, scilicet Confirmationem, Unctionem Extremam, & Matrimonium a Christo immediate instituta fuisse, Scriptura Sacra diserte non docet; sed docet Ecclesia Traditione erudita, & a Spiritu Sancto illustrata, in Concilio Tridentino Sessione VII. Canone I. *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta ... Anathema sit*. Et ex Antiquis S. Ambrosius Lib. iv. *De Sacramentis* cap. iv. *Auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus? De Cœlo ista Sacramenta venerunt*. Et S. August. Epistola lrv. alias cxviii. ad Januarium: *Dominus noster Jesus Christus Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio Corporis, & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur*. Porro & Confirmationis, & Extremæ Unctionis, & Matrimonii Sacramenta in Scripturis Canonicis commendantur, quamvis eorum institutionem Scriptura expresse non referat. Illorum itaque Auctor, & institutor pariter credendus est Dominus Jesus. Certe cum testetur S. Lucas Act. I. Christum post Resurrectionem Discipulis per dies quadraginta apparuisse, & cum eis de Regno Dei fuisse collocutum, id est, de Ecclesia ædificanda, & administranda, ad cujus ædificationem, & administrationem & Fides, & Sacramenta pertinent; credere par est, Christum per illud temporis intervallum Sacramenta illa instituisse, & Apostolis tradidisse, quorum

Christus
Sacramen-
torum au-
ctor.

Sacramenta
a Christo
immediate
instituta.

1. Cor. 4:

III. P. Q.
IX. V. A. I.

Potestatem
excellentiæ
ad institu-
enda Sacra-
menta, ne-
mini homi-
ni commu-
nicare
Christus
voluit.

rum institutio in Scriptura non legitur. Quod innuit S. Leo Sermone 1. De Ascensione Domini: *Non ergo, inquit, ii dies, qui inter Resurrectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, otioso transire decursu: sed magna in his confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Myſteria.* Quamvis igitur Veteres quidam Scholastici Confirmationis, & Extremæ Unctionis Sacramenta mediate tantum a Christo, per Apostolos scilicet, instituta docuerint, nec eam opinionem expresse damnaverit Ecclesia; longe tamen probabilior est, & Ecclesiæ doctrinæ magis consona Theologorum reliquorum sententia, qui omnia Sacramenta a Christo immediate instituta propugnant: jamque obsoleta est *Hugonis a Sancto Victore*, & Magistri Sententiarum opinio, qui Extremam Unctionem a Jacobo Apostolo institutam scripserunt; item illa *Alexandri Aletensis*, & *S. Bonaventuræ*, qui Confirmationem post Apostolorum tempora in Concilio Meldensi institutam docuerunt. Eaque Propositio temeritatis notam modo non effugeret, si ab aliquo Theologorum assereretur. Hic scilicet est Tridentinæ Synodi sensus, Sacramenta omnia a Christo immediate instituta fuisse. Quæ enim ab Ecclesia ex inspiratione, & directione Spiritus Sancti sunt instituta, non ea dicere solemus a Christo instituta; sicut nec ea, quæ ab Ecclesia solum præcepta sunt, dicuntur a Deo præcepta, quamvis ea Deus mediate præceperit, quatenus Ecclesiæ parendum decrevit. Unde Concilium Sessione XIV. cap. 1. Extremam Unctionem a Christo institutam, & a Jacobo Apostolo promulgatam definit. Et Sessione XXI. cap. 11. docet, *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Id autem Apostolus non obscure visus est statuisse, cum ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Myſteriorum Dei.* Christus itaque potestatem instituendi Sacramenta Ecclesiæ non tradidit, sed ritus dumtaxat ad Sacramentorum solemnem Administrationem pertinentes. Cum enim (ut diximus) Ecclesia in Fide, & in Sacramentis fundata sit: in cujus rei signum aqua, & sanguis, typum gerentia Sacramentorum, quibus ædificaretur Ecclesia, ex latere Christi in Cruce mortui manarunt: quemadmodum solus Christus immediate Fidem condidit, ita solus Sacramenta instituit, & sicut circa Fidem variare aliquid Apostolis non licuit; ita nec circa Sacramenta. Præterea, cum Veteris Legis Sacramenta singula Deus per se instituerit, credere par est, Christum omnia Novæ Legis Sacramenta per se instituisse: potestate quidem Auctoritatis, quæ causæ principi competit, quatenus Deum; potestate autem Ministerii principalis plena, & absoluta, quæ potestas excellentiæ dicitur, quatenus hominem. Ille enim solus Auctor est Sacramentorum a quo virtus Sacramentorum est. Virtus enim Sacramenti non potest esse ab eo, qui utitur Sacramento, quia non operatur nisi per modum Ministerii (ut loquitur S. Thomas.) Cum igitur virtus Sacramentorum sit a solo Deo, hinc colligitur, solum Deum esse Sacramentorum Auctorem. Ille enim instituit aliquid, qui dat ei robur, & virtutem, ut patet de conditoribus legum.

Potestate autem Ministerii principalis, quæ & potestas Excellentiæ dicitur, Christus homo Sacramenta instituit. Quæ quidem potestas in his quatuor posita est. Primo, quod meritum, & virtus ejus in Sacramentis operatur. Secundo quod in ejus nomine Sacramenta sanctificantur, quia virtus Passionis ejus copulatur nobis per fidem, secundum illud ad Romanos III. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius:* quam fidem per invocationem nominis Christi profitemur, ac testamur. Tertio, quod

ipse

ipse potuerit instituere Sacramenta, quæ ex ejus institutione virtutem obtinent.
 Quarto, quod Sacramentorum effectum solo voluntatis imperio, absque Sa-
 cramento conferre potuerit (ut docet S. Thomas A. 111.) Hanc autem excel-
 lentiam potestatem Christus Ministris communicare potuit, sed tamen com-
 municare noluit, ne in homine spem homines ponerent; & ne essent di-
 versa Sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur; sicut apud illos,
 qui dicebant, *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha*, ut dicitur
 1. ad Corinth. 1. Atque id manifeste colligitur ex S. August. Tractatu v. in
 Joannem, illa Joannis Baptistæ verba explicante, *Et ego nesciebam eum*. Sic
 enim habet: „ Potuit autem Dominus Jesus Christus, si vellet, dare pote-
 „ statem alicui servo suo, ut daret Baptismum suum tamquam vice sua, &
 „ transferre a se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo,
 „ & tantam vim dare Baptismo translato in servum, quantam vim habe-
 „ ret Baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset ba-
 „ ptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum pone-
 „ re spem in servo. Ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines vo-
 „ lentes ponere spem in seipso, *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est,*
 „ *aut in nomine Pauli baptizati estis?* Baptizavit ergo Paulus tamquam Mi-
 „ nister, non tamquam ipsa potestas: baptizavit autem Dominus tamquam
 „ Potestas. Intendite: & potuit hanc potestatem servis dare, & noluit. Si
 „ enim daret hanc potestatem servis, ut ipsorum esset, quod Dominierat,
 „ tot essent Baptismi, quot essent servi: ut quomodo dictum est Baptisma
 „ Joannis, sic diceretur Baptisma Petri, sic Baptisma Pauli, &c. Ergo ne
 „ tot Baptismata dicerentur, quot essent servi, qui baptizarent accepta po-
 „ testate a Domino; sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis mi-
 „ nisterium dedit ... Hoc autem Joannes non noverat in Domino. Quia
 „ Dominus erat, noverat: quia ab ipso debebat baptizari, noverat ... Sed
 „ quid in eo non noverat? Quia sibi retenturus erat Baptismatis sui pote-
 „ statem, & non eam transmissurus, & translaturus in aliquem servum: sed
 „ sive baptizaret in Ministerio servus bonus, sive baptizaret in Ministerio
 „ servus malus, non sciret se ille, qui baptizaretur baptizari, nisi ab illo
 „ qui sibi tenuit baptizandi potestatem. *Hinc nemo Apostolorum dixit, Baptis-*
 „ *mus meus.* Quamvis unum omnium esset Evangelium, tamen invenis di-
 „ xisse, Evangelium meum: non invenis dixisse, Baptisma meum. ... Di-
 „ scit Joannes eum, quem noverat; sed in eo discit, in quo eum non no-
 „ verat ... Et quid noverat? Dominum. Quid non noverat? Potestatem Do-
 „ minici Baptismi in nullum hominem a Domino transfiguram, sed mini-
 „ sterium plane transfigurum: potestatem a Domino in neminem, ministe-
 „ rium & in bonos, & in malos. Non exhorreat columba ministerium ma-
 „ lorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi
 „ bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus præco, si est benevolus
 „ Judex? Joannes didicit per columbam hoc. *Ipse mihi dixit, inquit, Super*
 „ *quem videris Spiritum descendantem, tamquam columbam, & manentem su-*
 „ *per eum; hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Non ergo te decipiant,
 „ o columba, seductores, qui dicunt, Nos baptizamus. Columba, agnosce,
 „ quid docuit Columba. *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Per Colum-
 „ bam discitur, quia Hic est. Et tu ejus potestate putas te baptizari, cu-
 „ jus ministerio baptizaris.

Joan. 2. 31.

2. Cor. 1. 13.

Joan. 1. 33.

C A P U T VII.

DE SACRAMENTORUM MINISTRIS, ET CONDITIONIBUS

Ad eorum administrationem requisiti.

A R T I C U L U S I.

De certorum Ministrorum institutione.

Certos esse Sacramentorum Ministros, Fidei Propositio est, Lutheri errori opposita, qui Christianos omnes esse æqualiter Sacerdotes, five eandem in verbo, & Sacramento quocumque habere potestatem, pertinaciter asseruit. Hunc errorem proscripsit Ecclesia in Concilio Tridentino congregata, Sessione VII. Canone x. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; Anathema sit.* Dicitur in omnibus Sacramentis, quia laici Ministri sunt Baptismi in casu necessitatis: & contrahentes Matrimonium esse illius Sacramenti Ministros plerique Theologi asserunt. Scripturæ Sacræ omnino consonus est Canon Tridentinus. Constat enim ex Apostolo ad Rom. XIII. 1. ad Corinth. XII. & ad Ephesios IV. diversa esse membra in Ecclesia, quæ *Non omnia eundem actum habent.* Non omnes esse Apostolos, aut Prophetas, non omnes Doctores, non omnes Pastores. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Sic & *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nec omnibus a Christo dictum est, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* (Matt. ultimo.) Et, *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. XXII.) Et, *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* (Joann. XX.)

Hebr. 5. 4.

Sacerdotium Christianum Fidelibus omnibus non convenit.

Præterea Sacerdotium Christianum fidelibus omnibus non convenire, sed certis Ministris ad regendam Ecclesiam ex Christi institutione ordinatis, Traditio docet, cujus testes locupletissimi S. Ignatius Martyr in Epistolis ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Philadelphios, ad Smyrnicos, & ad Polycarpum, ex Codice Medicæo editis, Tertullianus Lib. De Præscriptionibus Hæreticorum, cap. xli. S. Cyprianus, qui passim in Epistolis Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Hypodiatonos, Lectores, tum a se mutuo, tum a plebe distinguit, Epistola XXXIV. XXXV. III. & Libro De Lapsis; S. Optatus Milevitanus Libro II. scribens: *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, & turbam Fidelium;* S. Epiphanius, Hæresi XLIX. quæ est Pepuzianorum; S. Joannes Chrysostomus Libro III. De Sacerdotio, S. Hieronymus, Epistola I. ad Heliodorum, & Dialogo contra Luciferianos, S. August. Epistola CXXXVIII. alias CLXXX. ad Honoratum. Denique Concilium Carthaginense IV. quoslibet Fideles indiscriminatim omnium Sacramentorum Ministros a Christo non esse institutos docet, cum solemnem Ritum tradit Ordinationis Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, &c. non ab alio, quam ab Episcopo celebrandum. Possent & aliorum Patrum, & Conciliorum testimonia proferri; sed ista sufficiunt ad Hæreticorum errorem profligandum.

Certi Sacramentorum Ministri.

Certi Sacramentorum Ministri.

His porro non favent verba S. Petri, Epistolæ I. cap. 2. *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. . . . Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Quibus geminum est illud Apocalypsis V. *Fecisti nos Deo nostro Regnum,*

gnum, & Sacerdotes. Hæc enim de Sacerdotio improprie dicto, & generali intelligenda sunt, quo quisque Christianus spiritales hostias Deo offerre, eique ob ejus beneficia laudes persolvere, & gratias agere potest: non autem de Sacerdotio speciali, & proprie dicto, cujus muneris est sacrificium proprie dictum Christianæ Religionis, scilicet Eucharistiam offerre; eam & alia Sacramenta Christianis administrare, verbum Dei prædicare, & Ecclesiam regere. Sane *Exodi* XIX. idem dicitur de Hebræis, quod *S. Petrus* Christianis tribuit: *Et vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens sancta: hæc sunt verba, quæ loqueris ad filios Israel*. Et tamen omnes Israelitæ non erant proprie Sacerdotes, sed solum filii, & posterii Aaron. Neque etiam alius est *S. Joannis* in *Apocalypsi* sensus. Regnum enim cum Sacerdotio uterque *Apostolus* conjungit. Unde sicut Christiani omnes, & singuli non sunt proprie Reges, sed improprie, & mystice, ita nec sunt proprie Sacerdotes, sed spiritali quodam sensu, ut *S. Augustinus* explicat *Lib. xx. De Civitate Dei*, cap. x. adjunxit, atque ait: „ Sed erunt Sacerdotes „ Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis: non utique de solis „ Episcopis, & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia „ Sacerdotes: sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma, „ sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis. De quibus „ *Apostolus Petrus*, *Plebs*, inquit, *Sancta, Regale Sacerdotium*. In eundem „ sensum exponere liceat *Tertullianum Lib. De Exhortatione Castitatis*, cap. „ VII. *Nonne, inquit*, & laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum „ quoque nos, & Sacerdotes Deo, & Patri suo fecit. Differentiam inter „ Ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis „ confessum sanctificatus: adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est confessus, „ & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus. *Quamquam etiam dici pos-* „ *sit*, *Tertullianum*, cum hunc *Librum scripsit*, *Hominem Ecclesiæ non fuisse:* „ *Et jam ad Montanistarum castra defecisse. Ceterum Libro De Præscriptio-* „ *nibus Hæreticorum*, *Cap. xli. Sacerdotalia munera plebi convenire non posse,* „ *aut demandari docet.* Ipsæ mulieres hæreticæ (*inquit*) quam procaces, „ quæ audeant docere, exorcismos agere, forsitan & tingere. Ordinationes „ eorum temerariæ, leves, inconstantes. Nunc Neophytos conlocant, „ nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, „ quia veritate non possunt. Nuiquam facilius proficitur, quam in castris „ rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, „ cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui „ cras laicus. Nam & laicis Sacerdotalia Munera injungunt.

1. Petr. 2. 9.

Sacramenta autem non per Angelos, sed per homines dispensari Deus in Ecclesia voluit: quia tota virtus Sacramentorum a Passione Christi derivatur, quæ est Christi, secundum quod est homo: cui natura conformantur homines, non autem Angeli; sed potius secundum Passionem dicitur *Modico ab Angelis minoratus* (*Hebr. 11.*) & ideo ad homines pertinet dispensare Sacramenta, & in eis ministrare, non autem ad Angelos. Unde *Hebr. 1.* dicitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum*. Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non ita alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis illorum effectum conferre: ita etiam virtutem suam non ita alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem attribuere ministrandi Sacramenta. Et quia boni Angeli sunt Nuntii veritatis, si aliquod Sacramentale Ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate divina: sicut quædam templa dicuntur Angelico Ministerio consecrata. Si vero Dæmones, qui sunt spiritus mendacii,

Cur Sacramenta non per Angelos, sed per homines dispensari Deus voluerit?

cii, aliquod Sacramentale Ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. Ita differit, ac docet *S. Thomas* III. P. Q. LXIV. A. VII.

A R T I C U L U S II.

De Ministrorum Fide, & Probitate.

P R O P O S I T I O I.

Sacramentorum virtus, & efficacia ex Ministrorum fide, & probitate non pendet: adeoque ab Hæreticis, Schismaticis, & impiis hominibus ministrata, nihilominus valida sunt, modo materia, & forma essentialis cum debita intentione adhibeantur.

EX Scriptura Sacra, & Traditione pars utraque Propositionis probatur: *Joannis* enim I. dicitur: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendantem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Quibus verbis significatur, Sacramentorum effectum ex virtute Christi ea instituentis, & in eis operantis, non autem ex fide, vel probitate Ministrorum pendere. Non enim Ministri Ecclesiæ justificationis nostræ sunt auctores, sed Deus, secundum illud ad Romanos VIII. *Deus est, qui justificat.* Præterea idem probatur ex *Apostolo* I. ad Corinthios I. ubi reprehendit eos, qui de Ministris gloriabantur, a quibus Evangelium audiverant, aut Sacramenta acceperant. „ Significatum „ est mihi de vobis (inquit) quia contentiones sunt inter vos. Hoc au- „ tem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego „ autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus? „ Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? „ *Et cap. III.* Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & „ secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pau- „ li; alius autem: Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? „ Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Domi- „ nus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Ita- „ que neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat „ Deus... Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. „ *Et cap. IV.* Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores „ Mysteriorum Dei. “ Ex quibus certum, & exploratum est, quemadmo- dum arboribus nihil obest eorum improbitas, quorum manu factæ sunt: ita nihil vitii aliena culpa contrahi illis posse, qui malorum hominum ministerio Christo insiti sunt.

Idem Dogma Catholicum ex Traditione probatur. Cum enim *Agrippinus* Carthaginensis Episcopus, *S. Cypriani* Decessor, *Primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra Universalis Ecclesiæ Regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem, atque insituta majorum, baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos esse censuisset; atque ejus auctoritate S. Cyprianus, ceterique Africani Episcopi, & Firmilianus, aliique Orientales, novam illam opinionem, seu verius errorem adoptassent, & tota ingenii contentione propugnarent; illi in Conciliis Africanis, isti in Iconiensi, & Synadensi, asseruissent, ac Decretis firmassent, extra Ecclesiam ab Hæreticis baptizatos rebaptizandos esse; immo hanc rebaptizationem non esse centendam, siquidem Baptisma, aliaque Sacramenta ab Hæreticis collata, & ministrata, nulla, & irrita essent: *S. Stephanus Primus Romanus Pontifex errorem damnavit, atque Traditionem opposuit novitati, Nihil novandum scribens, nisi quod traditum erat; ut Vincentius Lirinensis commemorat in Commonitorio I. cap. IX. Cum vero Agrippini sententia**

Sacramentorum virtus, & efficacia ex Ministrorum fide non pendet.

Sacramentorum virtus non pendet ex fide Ministri.

tia non solum quibusdam Catholicis occasionem præbisset erroris, sed etiam *Hæreticis formam sacrilegii* (ut loquitur idem Auctor) cum scilicet Donatistæ Schismatis malum hæresi cumulantes, pertinaciter assererent, Baptisma extra Ecclesiam, quam ad suas partes, factionemque restringebant, collatum, nullum, & irritum esse, eoque nomine Catholicos ad eas deficientes rebaptizarent: Ecclesia hanc Hæresim damnavit in *Plenario totius orbis Concilio*, cujus sæpe meminit *S. August.* in Libris contra Donatistas: quod quidem an Arelatense Primum fuerit, an vero Nicænum, inter Eruditos disputatur. Arelatense i. Canone VIII. ea de re ita statuit: *De Afris, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum: & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Concilium autem Nicænum Canone VIII. Novatianos cum sola manuum impositione recipiendos decernit, & in Clero permanere. *De his, inquit, qui se nominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto, & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Et Canone XIX. solos Paulianistas baptizari jubet, cum ad Ecclesiam redeunt, utpote qui Baptismum verbis Evangelicis non conferrent. *De Paulianistis* (inquit) *ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio probata est, ut baptizentur omnimodi.* Quos Canones *S. Hieronymus* spectans in Dialogo adversus Luciferianos, ait: *Synodus Nicæna omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosatensis discipulis: & quod majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.* Statuit igitur Ecclesia in Conciliis Arelatensi, & Nicæno, Baptismi, & Ordinis Sacramenta, collata ab Hæreticis, & Schismaticis Ministris cum materia, & sub forma debita, rata, & valida esse, nec iterari debere, cum ad Ecclesiam ex hæresi, & schismate redirent; sed per solam manus impositionem recipi, & Ecclesiæ reconciliari oportere.

Dogma illud fidei confirmant *Optatus Milevitanus* Libro V. contra Parmenianum; *S. Hieronymus* Dialogo adversus Luciferianos, cap. IX. *Innocentius I.* Epist. II. ad *Vitricium* Rothomagensis Episcopum, cap. VIII. & *S. Augustinus* passim in Libris contra Donatistas. Docet ille, Baptismum ab Hæreticis, & Schismaticis collatum, „ Non esse Baptismum Schismaticorum, vel Hæreticorum, sed Dei, & Ecclesiæ, ubicumque fuerit inventus, & quocumque translatus. Ecclesia quippe omnes per Baptismum parit, sive apud se, id est ex utero suo, sive extra se de femine viri sui. Sed & Esau de uxore natus, propter fraternam discordiam separatus est a populo Dei. Et Aser per uxoris quidem potestatem, sed ex ancilla natus, propter fraternam concordiam terram promissionis accepit. Unde & Ismaeli, ut separaretur a populo Dei, non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia, & non profuit potestas uxoris, cujus magis filius erat, quia per ipsius jura conjugalia & ex ancilla feminatus erat, & ex ancilla susceptus. Sicut apud istos Ecclesiæ jure, quod est in Baptismo, nascuntur, quicumque nascuntur: sed si concordent cum fratribus, per unitatem pacis veniunt ad terram promissionis, non de materno utero rursus ejiciendi, sed in paterno semine agnoscendi

Sacramenta, si eadem sunt, ubique integra esse docet, etiamsi prave intelliguntur, & discordiose tractantur: sicut Scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur Fornicationem Israelitici populi, seu defectionem a Deo, quam Dominus *Osee* II. 5. arguendo prodebat, non effecisse, ut eorum essent Sa-

Lib. I. De
Baptismo.
c. 14 & 15.

Ecclesia
omnes per
Baptismum
parit, sive
apud se, si-
ve extra se.

Lib. 3. De
Baptif. c. 15

Cap. 19.

cramenta, quæ non erant eorum, sed Dei, qui loquens ad fornicariam dicit, illa omnia sua esse: unde ipse Dominus etiam quos mundavit a lepra, ad eadem Sacramenta misit, ut offerrent pro se Sacrificium Sacerdotibus; quia nondum eis successerat sacrificium, quod ipse post in Ecclesia voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus ipse prænuñciabatur: *Quanto magis nos Sacramenta Novi Testamenti apud quoslibet Hæreticos, vel Schismaticos invenientes, non debemus ipsis tribuere, nec quasi non agnita reprobare; sed quamvis apud fornicariam mulierem dona viri legitimi agnoscere, & verbo veritatis illam fornicationem emendare, quæ propria est impudice mulieris; non illa dona culpæ, quæ propria sunt Domini miserantis?*

Quamvis apud fornicariam mulierem dona legitimi viri agnoscenda.

Lib. IV. c. 1.

Baptismus Ecclesie potest esse extra Ecclesiam: non munus beatæ vitæ.

Cap. 16. Aliud est Baptismus non habere aliud non utiliter habere.

Lib. V. c. 7.

Cap. 8. 1. Tim. 3.

Lib. VI. c. 1.

Cap. 9.

Docet, Ecclesiam paradiso comparatam indicare nobis posse quidem, ejus Baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. „ Nam & flumina de fonte „ paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt: nec tamen in Mesopotamia, vel in Ægypto, quo illa flumina pervenerunt, est „ felicitas vitæ, quæ in paradiso commemoratur. Ita fit, ut cum paradisi „ aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra paradisum. „ Sic ergo Baptismus Ecclesie potest esse extra Ecclesiam; munus autem „ beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur. *Quæcumque ipsius Ecclesie „ habentur, extra Ecclesiam non valere ad salutem.* Sed aliud est (inquit) „ non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptizandus „ ut habeat: qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, corrigendus. Nec adultera est aqua in Baptismo Hæreticorum: quia nec ipsa „ creatura, quam Deus condidit, mala est, nec verba Evangelica in quibuslibet errantibus reprehendenda sunt; sed error illorum, in quo adultera est anima, etsi a legitimo viro Sacramenti habeat ornamentum. *Hæreticos Baptismus legitimum habere, sed non legitime.* Quisquis enim „ eum & in unitate Catholica, & eo digne vivens habet, & legitimum, „ & legitime habet: quisquis autem vel in ipsa Catholica, sicut palea commixta frumento, vel extra, sicut palea vento sublata, habet, hunc baptismum legitimum quidem habet, sed non legitime. Ita enim habet quemmadmodum utitur: non autem legitime utitur, qui eo contra legem utitur: „ quod facit omnis, qui baptizatus perditæ vivit, sive intus, sive foris. Quapropter sicut de Legge dixit Apostolus, Bona est Lex, si quis ea legitime utatur; ita de Baptismo recte dicere possumus, Bonus est Baptismus, si quis „ eo legitime utatur. Et sicut non faciebant tunc, ut Lex bona non esset, aut omnino nulla esset, qui ea non legitime utebantur: sic nullo modo „ facit, ut Baptismus bonus non sit, aut omnino Baptismus non sit, quisquis eo, sive quia in hæresi, sive quia in pessimis moribus vivit, non legitime utitur. Et ideo cum vel ad unitatem Catholicam, vel ad vitam tanto Sacramento dignam convertitur, non aliud baptisma incipit habere legitimum, „ sed illud ipsum incipit habere legitime.

Observat S. Cypriano, aliisque egregiis viris Antistitibus Christi visum esse, Non esse posse apud Hæreticos, vel Schismaticos Baptismus Christi, *Quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus, atque usus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.*

Baptisma & apud Hæreticos verum esse probat hoc modo. *Si non esset baptisma unum, & verum nisi in Ecclesia, non utique esset in eis, qui ab unitate discedunt. Est autem in eis; nam id non recipiunt redeuntes, non ob aliud, nisi quia non amiserant recedentes Aliud est autem ibi non esse, aliud nullum*

nullum habere salutis effectum. Venientibus enim ad Catholicam pacem prodesse incipiunt, quæ foris inerant, sed non proderant. Quo sensu S. Hieronymus in Cap. IV. Epistolæ ad Ephesios ait, *Hæreticos non habere baptismata, sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem*. Baptisma quippe ab Hæreticis, vel Schismaticis collatum non sanctificat adultos propter hæresim, vel schisma, aut communionem cum Hæreticis, vel Schismaticis. Sic etiam intelligitur Innocentius I. Epistola XVIII. negans Hæreticos per Sacramenta dare plenitudinem Spiritus Sancti. Nam eorum *Baptisma ratum esse pronunciat, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti perficitur; nec tamen Spiritum Sanctum eos habere ex illo Baptismate, illisque Mysteriis*. Sic intelligendus S. Leo Epistola CXXV. alias LXXV. ad Leonem Augustum, ubi de Ecclesiæ Alexandrinæ statu post necem Proterii Episcopi ait: *Per crudelissimam, insanissimamque severitiam omne illi cælestium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est Sacrificii oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere Mysteria*. Jure nimirum, ac legitime Sacramenta non administrabantur ab Hæreticis, sacrilegis, parricidis, alienæ sedis pervasoribus, in Ecclesia Sanctissimi Præfulis Sanguine polluta, quamvis ipsa Sacramenta integra, & rata essent. Sive, conferebantur quidem Sacramenta, sed non res Sacramentorum, ut loquitur S. Thomas. Sic S. Fulgentius Lib. De Fide ad Petrum, cap. XXXVI. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, Baptismo cumulari perniciem*. Sic S. Gregorius Libro III. Dialogorum, cap. XXX. Eucharistiam ab Ariano consecratam vocat *Sacrilegam Communionem*, effectum, & usum Sacramenti, non ipsum Sacramentum spectans, scilicet Christi Corpus sub speciebus contentum. Sic Pelagius Papa apud Gratianum, XXIV. Quæst. I. Cap. Schisma, negat esse *Corpus Domini, quod Schismaticus conficit*; quoad fructum scilicet, ac significationem corporis mystici, sive unitatis Fidelium. *Noli (inquit) quasi nulla schismaticorum, atque Ecclesiæ differentia sit, velle indifferenter utrorumque Sacrificiis sociari. Non est Christi Corpus, quod Schismaticus conficit. Nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam, quæ Christi Corpus est, constat esse Ecclesiam: quæ in duo, vel in plura dividi non potest*.

Pars altera Propositionis, virtutem nempe, ac efficaciam Sacramentorum ex Ministrorum probitate non pendere, sed ab improbis, & flagitiosis administrata valida, ac rata esse, pariter docent SS. Patres. Gregorius Nazianzenus Oratione XL. in Sanctum Baptisma. *Ne, inquit, Concionatoris, aut baptizantis auctoritatem inquiras. Alius horum Judex est, ac rerum obscurarum explorator: quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tibi autem quivis ad purgationem satis idoneus est, qui modo inter probatos censeatur, ac non aperte condemnatus sit, atque ab Ecclesia alienus. Qui curatione indiges, in iudices iudicium ne arripe, nec eorum a quibus purgaris dignitates excute, nec inter genitores delectum habe Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant; quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam in cera internosce, quamlibet singulari solertia sis. Dic utrum e duobus signis aureo annulo, utrum ferreo expressum sit, quoque modo unum idemque signum existat. Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alii vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est.*

S. Joannes Chrysostomus Homilia VIII. in Epist. I. ad Corinthios. „ Con-
Nat. Alex. Theol. Tom. I. Bb 3 „ tingit

Objectiones
occupantur.

Virtus, &
efficacia Sa-
cramento-
rum non pen-
det ex Mini-
strorum
probitate.

Sacramen-
torum vir-
tus non
pendet ex
Probitate
Ministri.

„ tingit quidem Principes esse malos, & sceleratos, eos autem, qui illorum
„ parent imperio, bonos, & moderatos: & laicos quidem in pietate vitam
„ agere, Sacerdotes autem in improbitate, ac nequitia: & neque futurum ef-
„ set Baptisma, nec Corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignita-
„ tem, ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per indignos Deus solet
„ operari, neque Baptismatis gratia quidquam læditur a vita Sacerdotis. Nam
„ qui accipit, minus esset habiturus Hæc autem dico, ne quispiam ex iis
„ qui adsunt, de vita Sacerdotis curiose inquirens, offendatur in Mysteriis,
„ quæ peraguntur. Nihil enim affert Sacerdos ad ea, quæ sunt proposita,
„ sed univèrsum est opus Dei virtutis, & ille est, qui nobis exhibet Mysteria.

S. Ambrosius *Lib. De his, qui Mysteriis initiantur, cap. v.*, Non me-
„ rita personarum, sed officia consideranda sunt Sacerdotum.

S. Augustinus *Lib. III. De Baptismo contra Donatistas, cap. x.*, Non est
„ aqua profana, & adultera, super quam nomen Dei invocatur, etiam si a
„ profanis, & adulteris invocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum no-
„ men adulterum est. Baptismus vero Christi verbis Evangelicis consecratus,
„ & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici,
„ & immundi: quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento
„ suo divina virtus adsistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad per-
„ niciem male utentium. An vero Solis, vel etiam lucernæ lux, cum per
„ cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit, & Baptismus Christi
„ potest cujusquam sceleribus inquinari?

Sacramen-
torum vir-
tus non
pendet ex
probitate
Mi-
nistri.

Idem *Lib. II. Contra Litteras Petiliani, cap. XLVII. Memento Sacramen-
tis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint,
vel minus sancta sint; sed ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testi-
monium damnationis, non ad adjutorium sanitatis.*

1. Cor. 3.6.

Sacramen-
torum vir-
tus non
pendet ex
probitate
Ministri.

Idem *Lib. III. Contra Cresconium, cap. VIII. Cresconio dicenti, Dei quidem
esse dare incrementum; sed sicut qui plantat, & rigat, non nisi colonus fi-
delis, & diligens quæritur, sic etiam in Sacramento Baptismatis non nisi
fidelem & justissimum operarium adhiberi; ita respondet: „ Quasi vero
„ quod infidelis colonus plantaverit, propter ejus infidelitatem non germi-
„ net vis feminis, & fecunditas terræ, cœlique temperies hanc efficaciam
„ divinitus non acceperint, ut ad propagandos fructus plantatorem, vel
„ rigatorem operarium tantummodo expectent, qua mente operetur, qua
„ labore intentione non curent, utrum dominum agri fideliter diligit, an
„ sua, non illius lucra conquirit!*

„ Idem *Tractatu v. in Joannem: Quomodo dicitis, quia vos baptizatis,
„ & Joannes dicit, Hic est, qui baptizat? Sed Ministros, inquit, tanti Ju-
„ dicitis justos oportet esse, per quos baptizatur. Et ego dico, & omnes dicimus,
„ quia justos oportet esse tanti Judicis Ministros: sint Ministri justi si volunt; si
„ autem noluerint esse justi, qui super Cathedram Moyse sedent, securum me
„ fecit Magister meus, de quo Spiritus ejus dixit, Hic est, qui baptizat Si
„ fuerit Minister justus, computo illum cum Paulo, computo illum cum
„ Petro Quid enim dicit Paulus? Ego plantavi, Apollo rigavit, sed
„ Deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat,
„ sed qui incrementum dat Deus. Qui vero fuerit superbus Minister, cum
„ Zabulo computatur: sed non contaminatur donum Christi, quod per
„ illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem
„ terram: puta quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non
„ potest: & per lapideum canalem transit aqua, transit aqua ad areolas,
„ in canali lapideo nihil generat, sed tamen hortis plurimum fructum af-
„ fert. Spiritualis enim virtus Sacramenti ita est, ut lux: & ab illuminandis
„ pura excipitur, & si per immundos transeat, non inquinatur. Et infra:*

„ Baptif-

„ Baptismum dedit Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes,
 „ & baptizatum est post Joannem: quia si datus est a Juda Baptismus, Chri-
 „ sti erat: qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joan-
 „ ni, sed Baptismum Christi etiam per manus Judæ datum, Baptismo Joan-
 „ nis etiam per manus Joannis dato recte præponimus. Etenim dictum est
 „ de Domino, antequam pateretur, Quia baptizabat plures quam Joannes:
 „ deinde adjunctum est, *Quamvis ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus*. Joan. 4 1.
 „ Ipse, & non ipse: ipse potestate, illi ministerio: servitute ad baptizan-
 „ dum illi admovebant; potestas baptizandi in Christo permanebat. Ergo
 „ baptizabant Discipuli ejus: quos ergo baptizavit Judas non sunt iterum bap-
 „ tizati; & quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt? Plane iterum,
 „ sed non iterato Baptismo. Quos enim baptizavit Joannes, Joannes ba-
 „ ptizavit; quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit. Sic ergo quos
 „ baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter,
 „ si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non
 „ ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur:
 „ Hic est, qui Baptizat. In eadem sententia respondet *Nicolaus I.* ad
 „ Consulta Bulgarorum, cap. xv. & lxxi. Utramque Propositionis partem
 „ confirmat *S. Thomas III. P. Q. lxxiv. Art. v. & ix.*

Quamobrem Concilium Constantiense, & *Martinus V.* Articulum iv. *Joan-
 „ nis Vvitcklef.* jure merito damnarunt, his verbis conceptum: Si Episcopus,
 „ vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non
 „ confecrat, non baptizat. *Et Concilium Tridentinum, Canone XII. Sessionis
 „ VII. ita definit:* Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existen-
 „ tem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut con-
 „ ferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum;
 „ Anathema sit. *Et Canone IV. de Baptismo:* Si quis dixerit, Baptismum,
 „ qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-
 „ cti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptif-
 „ mum; Anathema sit.

Sacramen-
torum vir-
tus non pen-
det ex pro-
bitate Mini-
stri.

Objicitur adversus primam Propositionis partem *S. Cypriani* auctoritas va-
 „ riis in locis asserentis, nullum, & irritum esse Baptisma, quod extra Ec-
 „ clesiam ab Hæreticis, vel Schismaticis suscipitur: quam etiam opinionem
 „ frequentissimo totius Africæ Concilio confirmavit. Objectioni-
bus respon-
detur.

Respondetur, *S. Cyprianum* vel errorem deposuisse, vel Passionis, ac
 „ Martyrii falce purgasse, ut ait *S. Augustinus*, Lib. II. *De Baptismo* Contra
 „ Donatistas, Cap. IV. & Lib. I. Cap. XVIII. id enim sensit, atque propu-
 „ gnavit *S. Cyprianus*, veritate per Concilii Plenarii definitionem nondum e-
 „ liquata: cujus Concilii, & totius Ecclesiæ auctoritas, *S. Cypriani*, & Con-
 „ ciliarum ejus auctoritati præponenda est, ut ostendit *S. Augustinus* Lib. II.
 „ *De Baptismo*, cap. I. & II. Non est itaque objicienda *S. Cypriani* auctori-
 „ tas ad Baptismi ab Hæreticis collati repetitionem; sed ejus exemplum se-
 „ quendum est ad unitatis conservationem, ut sæpe respondet *S. Augustinus*,
 „ contra Donatistas agens. Sacramen-
torum vir-
tus non pen-
det ex pro-
bitate Mini-
stri.

Objiciuntur Canones Apostolorum xlv. & xlvi. quorum prior his verbis
 „ conceptus est: Episcopum, vel Presbyterum, qui Hæreticorum Baptif-
 „ mum vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio
 „ Christi cum Belial? Vel quæ pars est fidei cum infidei? *Posterior vero his
 „ verbis:* Episcopus, vel Presbyter, eum, qui vere habet Baptismum, fide
 „ integro baptizaverit, vel si eum qui ab impiis pollutus est, non baptiza-
 „ verit, deponatur, ut qui irrideat mortem, & crucem Domini, & non
 „ discernat Sacerdotes a falsis Sacerdotibus.

Sacramen-
torum vir-
tus non
pendet ex
probitate
Ministri:

Art. 9. ad 2.

Respondetur, Canones illos non esse ab Apostolis conditos, nec doctrinam Apostolicam continere: videri autem Eruditis a Concilio Iconiensi editos, in quo suum & Africanorum de rebaptizandis Hæreticis errorem vindicatum fuisse testatur *Firmilianus* in Epistola ad *S. Cyprianum*. Decreta autem illa transcripsit, & collectioni suæ inseruit Canonum illorum Compilator, qui falso Apostolorum nomine inscripti sunt. Vel secundo potest responderi, primi Canonis sensum esse, non licere Sacramenta ab Hæreticis recipere, quamvis ab iis confecta, & administrata rata sint, & valida: sensum vero alterius Canonis esse, baptizandum esse eum, qui ab impiis pollutus est, id est, verbis Evangelicis non baptizatus. Nam Hæreticorum quidam in collatione Sacramentorum formam Ecclesiæ non servant: & tales neque Sacramentum conferunt, neque rem Sacramenti: quidam vero servant Ecclesiæ formam: & tales conferunt quidem Sacramentum, sed non conferunt rem Sacramenti, si manifeste ab Ecclesia præcisi sint; quia hoc ipso, quod aliquis accipit Sacramenta ab eis, peccat; & per hoc impeditur, ne effectum Sacramenti consequatur (inquit *S. Thomas*.) Atque ita intelligendus est *S. Athanasius* Oratione III. *Contra Arianos*, cum ait: *Qui, quæso, non plane vanum, ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cum id nonnisi species sit, ac inane simulacrum, ipsique ea re nihil solidæ opis afferunt ad pietatem? . . . Inutilem possident aquam, adeo ut qui ab illis asperguntur, sordescant potius prava religione, quam redimantur.* Accedit, quod proclive admodum fuerit, ut Ariani de Filio Dei male sentientes, eumque in ordinem creaturarum redigentes, errorem suum in Baptismi formam transfunderent, ejusque integritatem violarent ut ibidem significat *S. Athanasius* *In periculum veniunt* (inquit) *ne amittant integritatem Mysterii: loquor autem de Baptismate.* De Hæreticis, qui formam legitimam Baptismi non servabant, æquum fuerit *S. Cyrilli Hierosolymitani* verba explicare, in Præfatione Catecheseon: *Unus Dominus, & una Fides, & unum Baptisma. Nam soli Hæretici rebaptizantur: siquidem prius illud non erat Baptisma.* Obicurius est *Sancti Basilii* sententia in Epistola Canonica ad *Amphilochium* Canone I. & Epist. II. Canone XLVII. Verisimile Viris plerisque Eruditis videtur, illum, & Cappadocum Ecclesiam, adhuc fuisse in errore *Firmiliani* de rebaptizandis Hæreticis, quem a Plenaria Synodo damnatum non intelligebat, hanc Quæstionem disciplinæ esse putans, quæ in variis Ecclesiis varia esse posset, salva dogmatis veritate. Sed Ecclesiæ universalis Judicium privatæ cujusvis Patris, aut Ecclesiæ particularis opinioni anteponendum est, secundum Regulam a *Vincentio Lirinensi* traditam, qui Patribus monet credendum esse hac lege: „ Ut quicquid „ vel omnes, vel plures uno eodemque consensu, manifeste, frequenter, „ perseveranter, velut quodam sibi consentiente Magistrorum consilio, ac- „ cipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque „ habeatur: quicquid vero quamvis ille sanctus, ac doctus, quamvis Epi- „ scopus, quamvis Confessor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra „ omnes senserit, id inter proprias, & privatas, & occultas opiniunculas „ a communis, & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit. Ce- „ terum de hac Controversia plura dabit Dissertatio nostra XXIII. in Histo- „ riam Ecclesiasticam Sæculi III.

Objicitur illud Ecclesiastici XXIV. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?*

Quid sit a
mortuo ba-
ptizari?

Respondetur, hunc locum perperam detorqueri ad Baptisma ab Hæreticis, aut improbis Ministris collatum: litteralem illius sensum esse, si quis juxta Legem abluitur, & purgatur ab immunditia contracta ex conta-

Et cadaveris, & mox iterum tangit mortuum, nihil ei prodest sua lotio: quo significatur, nihil prodesse expiationem peccati, si quis illud iterum committat: unde sequitur, *Sic homo, qui jejunit in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?*

Secundo, si Baptismo locus ille accomodetur, cum *S. Augustino* respondemus, eum, qui a peccatore baptizatur *Non baptizari a mortuo. Vivit enim Christus, jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, de quo dictum est*, Ipse est, qui baptizat in Spir. Sancto. „ Baptizantur autem a mortuis, qui baptizantur in idolorum templis. Non enim & ipsi a Sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem, quam putant, sed a Diis: qui quoniam homines fuerunt, & ita mortui sunt, ut neque super terras, neque in requie cœli sint, vere ipsi a mortuis baptizantur: & si quo alio modo ista Sanctæ Scripturæ verba veraciter quæri, ac salubriter discuti, & intelligi possint. Nam si hoc loco mortuum intellexero peccatorem baptizatorem, eadem illa consequitur absurditas, ut quisquis etiam a latente impio fuerit baptizatus, tamquam a mortuo baptizatus, inaniter lotus sit. Non enim ait, Qui baptizatur a mortuo manifesto; sed absolute dicit, A mortuo. Ita respondet *S. Augustinus* Lib. II. *Contra Parmenianum* Cap. x. Lib. I. *Contra Litteras Petiliani*, Cap. IX. Lib. II. *Contra Cresconium* Cap. xxiv. xxv. & xxvi. & Lib. VI. *De Baptismo*, Cap. xxxiv.

Sacramentorum virtus non pendet ex Ministri probitate.

Objiciuntur verba *S. Augustini* Lib. III. *De Baptismo*, Cap. xviii. de malis Ministris dicentis, *Remissam peccatorum non dabant*.

Respondetur, malos Ministros non remittere peccata proprio nomine, sed nomine Christi, & Ecclesiæ, cujus personam gerunt, si tamen nullus ex parte suscipientium Sacramenta interponatur obex. „ Sicut misit me Pater (inquit) & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & ait illis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. *Que ibidem S. Augustinus sic explicat:* Ergo si personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tamquam ipsi Ecclesiæ diceretur; pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata: non secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei, & orationes Sanctorum spiritualium ... Petra enim tenet, petra dimittit. Columba tenet, columba dimittit. Unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in solis bonis est, vel jam spiritualibus, vel ad spiritualia concordia obedientia proficientibus. In malis autem non est, sive foris tumultuentur, sive intus cum gemitu tolerantur, & baptizent, & baptizentur ... Nam non nisi Præpositis, & Evangelicis Lege, ac Dominica Ordinatione fundatis, licet baptizare: numquid tales erant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant, & usuris multiplicantibus scœnus augebant? Arbitror enim, quia illi Dominica Ordinatione fundati sunt, quibus cum formam daret Apostolus, ait: *Non avarum, non turpilucrum*. Tales tamen ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur, & cum magna tolerantia mercede perpetitur. Remissam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur quicumque baptizet; si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur. Non enim raptoribus, & feneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi; si cui tenueritis tenebuntur.

Joan. 20.

Mali Ministri remittunt Peccata nomine Christi, & Ecclesiæ, cujus personam gerunt.

Sacramentorum virtus non pendet ex Ministri probitate.

Ad Titum I.

At, inquires, quomodo Excommunicati personam Ecclesiæ gerere possunt, cum sint ab ea separati?

Respondetur, illos Ecclesiæ personam gerere, quatenus Sacramenta secundum ejus intentionem dispensant, quamvis ejus membra non sint. Nam

Qua ratione excommunicati possint gerere personam Ecclesiæ?

„ Po.

„ Potestas ministrandi Sacramenta pertinet ad spiritualem characterem ,
 „ qui indelebilis est : & ideo per hoc , quod aliquis ab Ecclesia suspenditur ,
 „ vel excommunicatur , vel etiam degradatur , non amittit potestatem con-
 „ ferendi Sacramentum , sed licentiam utendi hac potestate : & ideo Sacra-
 „ mentum quidem confert , sed tamen peccat conferendo , & similiter ille ,
 „ qui ab eo accipit Sacramentum ; & sic non percipit rem Sacramenti , nisi
 „ forte per ignorantiam excusetur (inquit *S. Thomas III. P. Q. LXIV. Art. IX. in*
Responsione ad tertiam Objectionem.)

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

R E G U L A I.

*A malis Ministris , quandiu ab Ecclesia tolerantur , id est nisi Sententia juridice
 lata , & promulgata excommunicati sint , vel suspensi , aut notorii Clericorum
 percussores , recipere licet Sacramenta .*

Quando li-
 cet , vel non
 licet a malis
 Ministris
 petere Sa-
 cramenta ?

Constat Propositio Ex *Martini V. Romani Pontificis Constitutione in Con-*
cilio Constantiensi edita , quæ incipit , Ad evitanda , & ex antiquiore
Nicolai I. Responso ad Consulta Bulgarorum LXXI. cujus hæc sunt verba :
 „ Sciscitantibus vobis , si a Sacerdote , qui sive comprehensus est in adulte-
 „ rio , sive de hoc fama sola respersus est , debeatis Communionem suscipe-
 „ re , necne : respondemus : Non potest aliquis quantumcumque pollutus sit ,
 „ Sacramenta divina polluere , quæ purgatoria cunctarum remedia contagio-
 „ num existunt . Nec potest Solis radius per cloacas , & latrinas transiens a-
 „ liquid exinde contaminationis attrahere : proinde qualiscumque Sacerdos sit ,
 „ quæ sancta sunt , coinquinare non potest . Idcirco ab eo , usquequo Epi-
 „ scoporum iudicio reprobetur , Communio percipienda est : quoniam mali
 „ bona ministrando se tantummodo lædunt : & cerea fax accensa sibi qui-
 „ dem detrimentum præstat , aliis vero lumen in tenebris administrat , & unde
 „ aliis commodum exhibet , inde sibi dispendium præbet . Sumite igitur in-
 „ trepide ab omni Sacerdote Christi Misteria , quoniam omnia in fide purgan-
 „ tur . Fides enim est , quæ vincit hunc mundum ; & quia non tantis , sed
 „ accipientis sit , docente *S. Hieronymo* ad credendum in omni anima Ba-
 „ ptismum esse perfectum , & in omni Sacerdote Corpus Christi esse perfe-
 „ ctum . Qui rursus *Sacræ Scripturæ* concordans ait : Prius quam audias ,
 „ ne judicaveris quemquam , atque ante probationem accusationis illatæ ,
 „ neminem a tua communionem suspendas : quia non statim qui accusatur ,
 „ reus est ; sed qui convincitur , criminatus .

Idem confirmatur auctoritate , & ratione *S. Thomæ , III. P. Qu. LXIV. Art.*
VI. ad secundum . „ Qui ad Sacramenta accedit , suscipit Sacramenta a Mi-
 „ nistro Ecclesiæ , non in quantum est talis persona , sed in quantum est
 „ Minister Ecclesiæ : & ideo quandiu ab Ecclesia toleratur in Ministerio ,
 „ ille , qui ab eo suscipit Sacramentum , non communicat peccato ejus ; sed
 „ communicat Ecclesiæ , quæ eum tamquam Ministrum exhibet .

R E G U L A II.

*Parochianis , urgente necessitate , non solum recipere , sed & petere Sacramenta
 licet a Parocho suo , quantumcumque malo , si sit ab Ecclesia toleratus .*

Quando li-
 cet , vel non
 a malis Mi-
 nistris Sa-
 cramenta
 petere ?

Licet enim cuique uti jure suo : qui autem petunt Sacramenta a Paro-
 chis suis , aut ab aliis quibus illorum dispensatio ex officio incumbit ,
 jure suo utuntur . Si tamen noverint illos a peccato non recessuros , & sacri-
 le .

legium in ipsa Sacramentorum administratione commissuros, & ab aliis legitima potestate præditis Sacramenta non minus commode recipere possint; lege charitatis tenentur ab iis petere, Parocho prætermisso, ne jure suo cum alterius spiritualis discrimine utantur, & peccandi occasionem proximo præbeant.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, in *iv. Sententiarum*, Distinctione *xxiv.* Quæst. *i.* Art. *iii.* Quæstiuncula *v.* ad tertium. *Quandiu* (inquit) *Minister Ecclesiæ, qui est in mortali peccato ab Ecclesia sustinetur, ab eo Sacramenta recipere ejus subditus debet, quia ad hoc est ei obligatus: sed tamen præter necessitatis articulum non esset tutum, quod eum induceret ad aliquod sui Ordinis exequendum, durante tali conscientia, quod ille in mortali peccato esset; quam tamen deponere posset, quia in instanti homo a divina gratia emendatur.*

R E G U L A III.

Sacramenta petere non licet ab improbo Ministro, qui nec Parochus est, nec paratus est ea administrare.

NUllum enim jus habes petendi Sacramenta ab ejusmodi Ministro, nèc ille voluntatem habet conferendi. Quamobrem petitione tua illum ad peccatum impellis; atque ita præbes offendiculum fratri, pro quo Christus mortuus est.

R E G U L A IV.

A Ministris improbis, & ministrare volentibus petere, ac recipere licet Sacramenta, si necessitas urgeat.

TUNC enim sufficiens ac legitima ratio est, cur eorum mala voluntate ad bonum spirituale nobis necessarium utamur: quemadmodum pauperi licet pecuniam feneratoriam petere, & accipere a feneratori, qui commodare ad usuram paratus est cum ejus peccato non præbeat occasionem, sed eo dumtaxat ad miseriam suam sublevandam utatur; ut docent Theologi, præeunte *S. Thoma*, *Secunda Secundæ*, Quæst. *lxxviii.* Art. *iv.*

R E G U L A V.

In casu extremæ necessitatis licet petere, & suscipere Baptismi, & Pœnitentiæ Sacramenta a malis Ministris, quamvis ab Ecclesia non toleratis.

DE Baptismo testem habemus *S. Augustinum* Lib. *i.* *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. *ii.* „ Si quem forte (inquit) coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat non invenerit, & in animo pace
„ Catholica custodita per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa Catholica unitate accepturus: si statim etiam
„ de hac vita emigraverit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se Catholicæ congregationi etiam
„ corporali præsentia reddiderit, unde numquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime, verissimeque laudamus: quia præsentem Deum credidit cordi suo, ubi unitatem servabat;
„ & sine sancti Baptismi Sacramento, quod ubicumque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare.

De Pœnitentia, Concilii Tridentini declarationem habemus Sessione *xiv.* cap. *vii.* Omnibus promiscue Sacerdotibus licere, Pœnitentes quoslibet in articulo mortis, a quibuslibet peccatis, & censuris absolvere. *Pic admodum* (inquit) *ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum*

Quando licet, vel non a malis ministris Sacramenta petere.

semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Penitentes a quibusvis casibus, & censuris absolvere possunt.

Si tamen ex susceptione Sacramentorum ab Hæreticis, vel Schismaticis grave scandalum oriretur, & Catholicis præberetur occasio non temere credendi, per hujusmodi susceptionem approbari hæresim, vel schisma: eaque ratione Ministris Hæreticis, vel Schismaticis concilianda prævideretur auctoritas, & plures ex Catholicis ad eorum partes defecturos; non liceret adulto homini ab ipsis petere, aut recipere Sacramenta, Baptismum etiam, vel Pœnitentiam: quia Baptismi voto, & contritione de peccatis posset confulere salutem suam: nec Sacramenta recipere teneretur cum dispendio fraternæ salutis, & Ecclesiæ damno. At si baptizandus esset infans in vitæ discrimine positus, nec alius præter hæreticum hominem Baptismi ritum, formamque nosset, illum offerre hujusmodi Ministro baptizandum oporteret. Nullius enim offensionis, & scandali hac in hypothese præberetur occasio.

R E G U L A VI.

Extra casum necessitatis non licet petere, & suscipere Sacramenta ab Hæreticis, Schismaticis, aut improbis Ministris, ab Ecclesia non toleratis.

ITA docet S. Augustinus, loco superius indicato. *Si quis autem (inquit) cum possit in ipsa Catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in Schismate baptizari, etiam si postea venire ad Catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse Sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autem non potest; proculdubio perversus, & iniquus est, & tanto perniciosus, quanto scientius. Ita enim non dubitat recte illic accipi, sicut non dubitat illic prodesse, etiam quod alibi acceperit.*

R E G U L A VII.

Ecclesiæ Ministri Sacramenta in statu peccati mortalis conficientes, vel administrantes, gravissime peccant.

JURIS enim naturalis est, ut homo sancta sancte tractet: ideoque Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Irreprehensibiles esse debere, & Sine crimine esse, docet Apostolus, Epistolæ ad Titum Cap. 1. Ratio est, quia Ministri conformari debent & Domino cui famulantur, & Ecclesiæ, cujus Ministri sunt, & Sacramentis, quorum dispensatores. *Sancti estote (inquit) quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. (Levit. XIX. 2.) Mundamini, qui fertis vasa Domini. (Isaiæ LII. II.) Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret carnem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat Idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est. (Isaiæ LXVI. 3.)* Porro si legalium Sacramentorum Ministros legali munditia, & sanctitate conspicuos esse oportebat: quanto magis Ministros Sacramentorum Novæ Legis, quorum illa umbræ erant, quæ veram sanctitatem, & justitiam conferunt, quæ Ecclesiæ sanctæ nomine dispensantur, mundos & sanctos esse decet, ac oportet? Hinc S. Dionysius Libro De Ecclesiastica Hierarchia, Cap. 1. ait: *Malis non est fas nec tangere Symbola*, id est, Sacramentalia signa. Hinc Sanctus Augustinus, Lib. II. Contra Epistolam Parmeniani, Cap. x. Omnia (inquit) *Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, profunt tamen per eos digna sumentibus.* Et Tractatu v. in Evangelium secundum Joannem: *Sed Ministros*

Quam grave peccatū administrantium Sacramenta in statu peccati mortalis.

(in-

(inquit) tanti *Judicis justos oportet esse per quos baptizatur. Et ego dico; & omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti Judicis Ministros.* Id ipsum ex *Nicolai I. Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. VII. confirmatur.* Crucem enim Domini, & Sanctorum Reliquia gestare, & osculari nefas esse docet immundis: quanto minus igitur fas ipsis est Sacramenta tractare, & administrare? Quamobrem (inquit *S. Thomas III. P. Quæst. LXIV. Art. VI.*)
 „ Non est dubium, quin mali exhibentes se Ministros Dei, & Ecclesiæ in
 „ dispensatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad
 „ irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex
 „ parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum se ipsa incontami-
 „ nabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

R E G U L A VIII.

Peccant mortaliter Ecclesiæ Ministri, qui Sacramentum aliquod in statu peccati mortalis solemniter Ritu conficiunt, vel administrant, nisi vera Contritione, cum proposito Sacramentalis Confessionis quam primum edende, peccatum illud expient.

ITA docet *S. Thomas*, in *IV. Sententiarum, Dist. XXIV. Quæst. I. Art. III. Quæstiuncula V. Lex (inquit) præcipit, ut homo juste ea, quæ sunt justa exequatur: & ideo quicumque homo, quod sibi competit ex Ordine, facit indigne, quod justum est injuste exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat: unde patet, quod mortaliter peccat.*

Hinc *Rituale Romanum Pauli V. Pontificis Maximi jussu editum* hanc Regulam præscribit: *Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.*

Sacerdos tamen, vel Diaconus in statu peccati mortalis privatim, & „ In articulo necessitatis baptizando, non peccaret, in casu in quo etiam posset laicus baptizare; sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in illis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus (inquit *S. Thomas, III. P. Q. LXIV. Art. VI. ad III.*)

R E G U L A IX.

Lethaliter peccat Sacerdos, qui Eucharistiam, sive a se, sive ab altero consecratam administrat in statu peccati mortalis.

AGit enim ut publicus Ecclesiæ Minister, & gravem Sacramento, ejusque Auctori infert injuriam.

R E G U L A X.

Diaconi etiam, & Subdiaconi suorum functiones Ordinum in statu peccati mortalis solemniter obeuntes, lethaliter peccant.

APostolus enim jubet Diaconis, ' *Ut ministrent, nullum crimen habentes* (*I. ad Timotheum III.*)

Id confirmat *S. Thomas* in *IV. Sententiarum, Dist. XXIV. Quæst. I. A. III. Quæstiuncula I.* in Responsione ad quartum. *Quandocumque (inquit) exhibet se in aliquo actu ut Ecclesiæ Ministrum, mortaliter peccat; & toties mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit: quia (ut dicit*
 „ Dio-

„ Dionysius 1. Cap. Cælestis Hierarchiæ) *Immundis nec Symbola* (id est Sacramentalia signa) *tangere fas est*. Unde quando tangunt res sacras quasi „ suo officio utentes, *in statu peccati mortalis*, mortaliter peccant.

R E G U L A XI.

Verbi Dei Ministri sacras Conciones ex officio habentes in statu peccati mortalis, præsertim si crimen sit manifestum, graviter peccant.

Peccatum
Concionato-
rum in sta-
tu peccati
mortalis
verbum Dei
prædicant-
ium.

Graviter enim peccant, qui verbum veritatis debita cum reverentiâ non tractant: gravius, qui sacrum Ministerium contemptu exponunt. Hujus sententiæ vindex est *S. Thomas*, in *iv. Sententiarum*, *Dist. xix. Quæst. 1. A. 11. Quæstiunc. 11. ad quartum*, & *Lectio 1. in cap. vi. Epist. 11. ad Corinthios*, Apostoli verba explicans, *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur Ministerium nostrum*. In eundem scopum collineat illud Oraculum Psalmi *xlix. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Quo pertinet etiam illud Apostoli ad *Romanos*, *Cap. 11. 21. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inbonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes. S. Thomæ* subscribit *Cajetanus* ad *Articulum indicatum 111. Partis*, quamvis in ea sententia constans non fuerit. At de peccato quidem publico res citra dubitationem omnem posita est: de occulto vero quamvis insignes quidem Theologi dissentiant ea ducti ratione, quod prædicatio verbi Dei non sit proprie actus alicujus Ordinis, cum non sit jure divino, sed positivo tantum Ordini sacro attributa: tutior tamen videtur *S. Thomæ* sententia, præsertim cum ad *Episcopos*, & *Pastores* divini verbi Ministerium, ac dispensatio proprie pertineat. Unde in *Episcopi Consecratione*, *Consecrator* tradit *Librum Evangeliorum Consecrator*, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam*. Et in *Episcopi solemnî Degradatione*, *Episcopus Degradator* *Librum Evangeliorum aufert de manibus Degradandi*, dicens: *Redde Evangelium, quia prædicandi officio, quo sprete Dei gratia te indignum fecisti, te juste privamus*. Major certe morum integritas necessaria est *Concionatori*, ut verbum Dei prædicet, quam *Doctori Theologo*, ut *Scripturam Sacram doceat*: hic porro mortaliter peccat, si doceat peccati lethalis publici reus: „ *Quia (inquit S. Thomas) eorum, qui do-*
„ *cent Sacram Scripturam est idem finis ac eorum, qui Sacram Scripturam*
„ *ediderunt: unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut ad vitam æ-*
„ *ternam perveniat homo, quicumque impedit finem doctrinæ docendo,*
„ *peccat: impedit autem, qui Sacram Scripturam in peccato docet, quia ore*
„ *se profitetur nosse Deum, factis autem negat. Peccat itaque Concionator,*
qui verbum Dei prædicat lethalis peccati, etiam occulti, sibi conscius.

In *iv. Sent.*
Dist. 19. Q.
2. A. 2. ad 4.

Huic certe sententiæ magnum pondus addit *S. Hilarii* auctoritas *Tractatu in Psalmum cxviii. Littera vi. Versum illum exponentis: Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque. SCIT, inquit, quedam esse peccata, quæ ex ore verbum auferant veritatis. PECCATORI enim dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas? Non enim ait, Quare immemor es justitiarum mearum? Sed PECCATOREM monuit eum, qui in peccato mansisset, prædicationis officio abstinere. Vult enim liberum a crimine esse doctrinæ cælestis prædicatorem. VULT ELOQUIA SUA A CASTI CORPORIS CASTO ORE TRACTARI.*

Unde

Unde rursus S. Hilarius Libro III. *De Trinitate*, pag. 247., Non statim, inquit, boni, atque utilis Sacerdotis est, aut tantummodo innocenter gerere, aut tantummodo scienter prædicare: cum & innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit, & doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit. Non enim Apostolicus sermo probitatis, honestatisque præceptis hominem tantum sæculo conformat ad vitam; neque rursus per doctrinæ scientiam scribam Synagogæ instituit ad legem; sed perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit, ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo.

R E G U L A XII.

Sacramentorum Ministri animum ab omni peccati mortalis labe purum diligenter conservare debent.

ITA monet Concilii Tridentini Catechismus. *Sanctitatem igitur sacrarum rerum Ministri imprimis scelerentur, pure ad Sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad pietatem exercent, ut ex eorum frequenti tractatione, & usu uberiores in dies gratiam, adjuvante Deo, consequantur.*

Quæ sanctitas esse debeat Ministrorum Sacramentorum.

Idem docet S. Carolus Borromæus in Instructionibus: Parochus (inquit) omnisque Sacerdos, cujus est Sacramenta administrare, meminisse debet Sancta se tractare, omni que fere temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctæ administrationis munus. Quamobrem is, cum alios per Sacramenta purget, atque illuminet, hoc maxime studebit, ut ipse vitam pure, caste, ac religiose agat, mentemque item, & animum ab omni peccati labe purum, adjutrice Dei gratia, conservet diligenter. Nam etsi Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis inest, nunquam amittunt, tamen impure ea ministrantibus æternam mortem afferunt. Itaque primum sollicitè, & intime recogitare debet, an alicujus peccati mortalis (quod sanctissima cautione Sacerdos vitare debet) sibi conscius sit. Quod si reum se esse novit, prius sacramentali confessione se expiare studebit. Contritionem certe habere quam diligentissime curet.

Ea de re egregium extat Concilii Aquensis anno MDLXXXV. celebrati Decretum. „ Cum (inquit) Sacramenta omnia a Christo Domino salutis nostræ causa instituta sint, atque ex illius sanguine pretiosissimo vim sumperint: ad virtutis culmen omni animi pietate, sanctitate, ac religione contendere is profecto debet, cui illa tractanda sunt, vel ministranda. Parochi igitur, omnesque alii, ad quos cujusvis Sacramenti administratio spectat, quam diligentissime videant, ne lethalis peccati labe infecti, dum aliorum salutem student, sibi æternæ sint damnationis Ministri.

A R T I C U L U S III.

De Intentione Ministri.

Intentio in subjecta materia, est actio, seu propositum voluntatis, qua Minister Sacramentum conferre deliberat, & statuit. Triplex est, habitualis, actualis & virtualis (ut Theologi de Schola loquuntur.) *Habitualis* est prompta quædam facilitas operandi ex habitu, seu infuso, seu acquisito: sive voluntas operis faciendi nullatenus in actionem influens, immodè qua nulla est cogitatio, vel memoria. *Actualis* est præsens animi applicatio, & attentio ad opus, quod agitur. *Virtualis* ea est, quæ ex actuali intentione præcedente, nec per contrariam intentionem, aut notabilem temporis moram interrupta, in opere perseverat.

PRO-

P R O P O S I T I O. I.

Intentio interior, & sincera faciendi, quod facit Ecclesia necessaria est in Ministris Sacramentorum, ut valida sint, & rata.

HÆC Propositio dogma fidei est, a *Martino V.* Pontifice Maximo in Concilio Constantiensi confirmatum. Suspectos scilicet de Hæresibus a Concilio damnatis homines inter alia interrogari jubet, *An credant, quod malus Sacerdos cum debita materia, & forma, & intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere baptizet, & vere conferat alia Sacramenta?*

Idem docet *Eugenius Quartus* in suo Decreto post Concilium Florentinum, ubi septem Sacramentis nominatim recensitis, ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi; quod facit Ecclesia.*

Idem confirmat *Leo X.* hunc inter alios *Lutheri* Articulos duodecimum damnans: *Si Sacerdos non serio, sed joco absolveret; si tamen credat se esse absolutum verissime est absolutus.*

Id ad fidem pertinere declaravit Concilium Tridentinum, Sessione VII. Canone XI. Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; Anathema sit. *Et Sessione XIV. cap. VI.* Non debet Pœnitens adeo sibi de sua fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit, putet tamen se propter solam suam fidem vere, & coram Deo esse absolutum. *Et Canone nono:* Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat ... Anathema sit.

Ista porro doctrina in Sacra Scriptura, & Traditione fundata est, ex quibus constat, Ministros Sacramentorum a Deo constitutos esse, ut sint Mysteriorum Dei dispensatores: *Sic nos (inquit) existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei:* sed Mysteriorum dispensatores dici non possunt, nisi intentionem habeant proprie dictam, & sinceram. Quisquis enim constituitur dispensator, prudenter agere debet, proindeque ex rationis judicio, adeoque cum libera, & proprie dicta intentione.

Nec leve rationum pondus est, quibus hæc doctrina confirmatur.

Primo, Sacramentorum administratio actio humana esse debet: ut enim Christus homines constituit Sacramentorum Ministros, ita voluit Sacramentorum administrationem esse actionem humanam: sed actio humana esse non potest nisi fiat cum intentione proprie dicta, interiori, & sincera: non est enim humana, nisi sit libera: nec libera est, nisi fiat ex rationis judicio, & cum intentione voluntatis. Atque hinc petitur discriminatio inter Sacramentum, & frumentum, aut pharmacum, ad quorum vim nihil conferunt agricola, aut Medicus; & tam prodesse possunt, si fortuito, aut casu se offerant, quam si consulto offerantur. At Deus Sacramentorum administrationem voluit esse actionem humanam, adeoque ex deliberata voluntate, & intentione exerceri.

Secundo, quoties actio aliqua varios ad fines referri potest, ad unum

non

I. Cor. 4.
De Intentione Ministri.

De Intentione Ministri.

non determinatur, nisi qui illam præstat, ita velit, & ita se velle significet: sed actio sacramentalis varios ad fines referri potest: infans enim aqua potest abluí vel ad munditiem corporis, vel ad sanitatem, vel per jocum: quamobrem necesse est, ut determinetur ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: & hæc intentio verbis sacramentalibus exprimitur, cum dicit Minister, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Tertio, id intercedit discriminis inter instrumentum vivens, & liberum, & inanimatum, ac necessarium, quod inanimatum, vel necessarium movetur, neque se movet: unde sola principalis agentis motione ad agendum determinatur; vivens autem, & liberum movetur; & movet: unde non solum eget principalis agentis motione, sed præterea sese ad agendum determinare debet. Atqui Ministri Sacramentorum sunt Christi Salvatoris instrumenta, non inanimata, aut necessaria, sed viventia, & libera. Quamobrem inter administrandum Sacramenta sese debent ad agendum determinare; quod intelligi non potest, nisi cum intentione interiori, proprie dicta, sinceraque agant.

Quarto, ut Sacramentum valide conferatur, qui illud administrat, gerere se debet ut Christi, & Ecclesiæ Ministrum: sed nisi quis velit facere, quod Ecclesiæ Minister, non se gerit ut Christi, & Ecclesiæ Ministrum: est enim Ecclesiæ Minister, qui præscriptis ab ea legibus obtemperat: is autem obtemperat qui facere vult, quod facit Ecclesia. Contra vero, qui non vult facere, quod facit Ecclesia, legibus Ecclesiæ non paret, neque proinde ut illius Ministrum se gerit.

Ex his colligitur cum qui jocosè, ac scurriliter Sacramenti Ritus celebrat, Sacramentum non conficere, nec valide administrare. Unde Lutheri, *Baptisma jocosè celebratum, nullum est.* & *Calvini* error, Sacramenta per jocum, non serio administrata nihilominus rata esse asserentium, a Sacra Synodo Tridentina damnatus est.

Frustra objicitur, Baptismum ab *Athanasio* puero pueris cum eo ludenter administratum, ab *Alexandro* Episcopo Alexandrino fuisse approbatum. Ratum etiam fuisse Baptismum, quem *Genesius* in theatro mimi personam gerens ad Christianæ Religionis derisionem sibi administrari voluit. Objectiones diluuntur.

Quod enim spectat *Athanasii* pueri factum, incertum illud ac dubium videri potest, nec ad illius ætatem satis accommodatum. In Sedem enim Alexandrinam evehctus non est *Alexander* ante annum trecentimum duodecimum, immo ante annum trecentimum vigesimum primum, si Chronico *S. Hieronymi* fidem adhibeamus. Cum ergo *S. Athanasius* tempore Concilii Nicæni, quod celebratum est anno trecentesimo vigesimo quinto, Diaconus fuerit, & inter celeberrimos illius ævi Theologos locum habuerit, ac paulo post Concilium Nicænum creatus fuerit Episcopus, explicari vix potest, quomodo puer luserit, *Alexandro* Ecclesiam Alexandrinam regente, ut *Sozocrates* Lib. I. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. XIV. *Sozomenus* Lib. II. cap. XVII. & *Rufinus* referunt. Sed esto, ita se res habuerit, *Athanasius* puer, sed rationis tamen compos, pueros, qui Catechumeni erant, baptizavit eo ritu, quem ab *Alexandro* Episcopo celebrari viderat; adeoque intentionem habuit faciendi, quod faciebat Ecclesia, actionem sacram ob delectationem quidem, sed animo tamen serio exercens. Quamobrem cum *S. Alexander* pueros accurate interrogasset, quidve edocti fuissent, „ Et omnia juxta Ordinem Ecclesiasticum exactè in illis servata esse deprehendisset, communicato consilio cum Sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel recipere meruissent. Reliqua vero quæ a solis Sacerdotibus Baptismum tradentibus administrari fas est, in illis supplevit. *Athanasium* porro, aliosve pueros, qui in eoludi-

pro Presbyterorum, aut Diaconorum partes egerant, sub divino testimonio parentibus ipsorum tradidit, quo ipsos ad Ecclesiæ Ministerium educarent, informarentque ad ea Officia, quæ fuerant imitati. Hæc *Sozomenus*, qui & factum ex vaga potius relatione, quam ex certis documentis se narrare significat. *Adhuc impuberi* (inquit) *istud ei accidisse fertur*.

De Intentione Ministerii.

Quod vero spectat *S. Genesium*, jocosè baptizatum esse negatur; sed cum sacris Mysteriis in Theatro vellet illudere, a Deo afflatus, & ad Fidem Christianam subito conversus, a Presbytero, quem simulato morbo vocaverat; serio baptizatus est, ut colligitur ex *Adonis* Martyrologio. Ut ut est, Sanguinis Baptismo, sive Martyrio pro Christi fide oppetito sanctitatem, æternamque gloriam consecutum, nemo dubitaverit.

Objicitur celeberrimus *S. Augustini* locus Libro VII. *De Baptismo*, cap. LIII. ubi cum postulasset, quid sentiendum sit de Baptismo mimice, ac joculariter administrato, in eam propendit sententiam, ut valide administratus censeatur.

Sed nobis (inquit) tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cepta, nullo Plenario terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiæ confessione roboratum est. Verumtamen si quis forte me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallet, urgeret, ut dicerem, quid ipse sentirem: si eo modo affectus essem, quo eram, cum ista dictarem; nequaquam dubitare habere eos Baptismum, qui ubicumque, & a quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent: quamquam eis ad salutem non prodesset, si charitate caruissent,

1. Cor. 13.

qua Catholicæ infererentur Ecclesiæ. *Si enim habeam, inquit, fidem, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum*. Sicut jam præteritis Majorum statutis, non dubito etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab iis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, *Ex nobis exierunt*. Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui acciperet, ita crederet, sed totum ludicre, & mimice, & joculariter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum implorandum esse censerem: ita sane, ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum, & cognitum afferrent, humiliter expectarem: quanto magis eorum nunc sine præjudicio diligentioris inquisitionis, vel majoris auctoritatis illud dixisse accipiendus sum?

1. Joan. 2.
19

Respondetur, jam completum esse, quod optaverat *S. Augustinus*, divinæ revelationis oraculo quæstionem, de qua judicium præ modestia singulari suspendit, in Plenario Concilio, Tridentino scilicet, finitam fuisse: diligentiorique inquisitione, & majori auctoritate totius Ecclesiæ, cui præjudicatum noluit, omnino certum esse, & exploratum, Baptisma, in quototum ludicre, mimice, & joculariter ageretur, adeoque in Ministro deesset intentio faciendi quod facit Ecclesia, nullum, & irritum fore. Præterea, ex hoc *S. Augustini* loco haud evidens est, ipsum dubitasse, utrum intentio Ministerii ad perfectionem Baptismi necessaria esset. Forte enim dubitavit potius ancum fallacia, & simulatione stare unquam posset intentio necessaria. Potest enim mimus repentina pietate commoveri, & sic habere non solum necessariam, sed omnino rectam intentionem. Potest etiam, quamvis perversa sit ejus intentio, vel ita se gerere, ut nihil serio agat, solumque ridere, ac jocari velit, vel ita se gerere, ut ridendi ac jocandi causa aliquid serio efficere velit.

De Intentione Ministerii.

In primo quidem casu Ministro deest intentio faciendi, quod facit Ecclesia: in altero casu eam intentionem habet, aut certe eam habere videri potest. Quæ cum ita sint, S. *Augustinus* quidquam affirmare noluit: nec propterea de intentionis necessitate dubitabat, sed rem ambiguam esse censebat, an ejusmodi intentio semper mīdo deesset.

P R O P O S I T I O II.

Ad Sacramenti perfectionem necessaria non est in Ministro intentio producendi effectum Sacramenti.

Concilium namque Tridentinum in Ministro postulat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, non autem voluntatem finis propter quem agit Ecclesia, aut effectus, qui per actionem Sacramentalem producitur, necessariam esse statuit.

Præterea in Ministris Hæreticis, qui Baptismi negant effectus, veletiam in Paganis, nulla est producendi ejusmodi effectus intentio: & tamen colatus ab illis omnibus Baptismus ab Ecclesia ratus habetur.

Sancti etiam *Augustini* suffragio Propositio nostra confirmatur, Epist. *xvii.* olim *xxiii.* *Ad Bonifacium* Episcopum: „ Nec illud, inquit, te moveat, „ quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, „ ut gratia spiritali ad vitam regenerentur æternam, sed quod eos putant hoc „ remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propter- „ ea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Ce- „ lebrantur enim per eos necessaria Ministeria, & verba Sacramentorum, „ sine quibus consecrari parvulus non potest. Spiritus autem iste Sanctus, „ qui habitat in Sanctis, ex quibus una illa columba deargentata charita- „ tis igne conflatur, agit quod agit etiam per servitum, aliquando non „ solum simpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum. Of- „ feruntur quippe parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam „ ab eis, quorum gestantur manibus (quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni „ Fideles sunt) quam ab universa societate Sanctorum, atque Fidelium. „ Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offe- „ runtur, & quorum sancta, atque individua charitate ad communicatio- „ nem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo Mater Ecclesia, quæ in „ Sanctis est facit: quia tota omnes, tota singulos parit.

Id Confirmatur ex Concilio Rothomagensi anno millesimo quingentesimo octogesimo primo, Titulo *De Sacramentis*, cap. 11. *Antea* (inquit) *in plerisque nostrarum Diœcesum locis baptizati ab Hæreticis, præsertim a Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, iterum tingebantur hac sub verborum forma: Si non es baptizatus, Ego te baptizo: quia dubitabant nonnulli de valore Baptismi ab hujusmodi Hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptizandi sub conditione fuit introducta propter baptismata occulta, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri, seu alteri privatim baptizanti credi debebat; contra vero constabat Calvinistas in publico cœtu baptizare in forma verborum, & materia a Christo instituta, nec de hoc factò ambigi poterat; vetamus abluitionem repeti, cum quibuscumque verbis, a Calvinismo, aut aliis Hæresibus similiter baptizantibus ad nostras Ecclesias transeuntibus, ne de Anabaptismo redarguamur.* Idem a Concilio Rhemenfi anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio decretum est. Idem a Turonensi, eodem anno. Idem a Concilio Aquensi anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto. Idem a Tolosano anno millesimo quingentesimo nonagesimo. Idem a Synodo Ebroicensi Diœcesana anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto,

De Inten-
tione Mini-
stri.

cujus hæc sunt verba: „ Antea inter doctos, ac pios viros dubitatum fuit;
 „ an Baptisma a Calvinistis administratum pro vero credi deberet, quoniam
 „ non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum; aut si
 „ baptizati parvuli ab ipsis, cum repræsentantur Ecclesiæ, iterum essent aqua
 „ perfundendi, saltem sub conditione assueta, *Si tu non es baptizatus, Ego*
 „ *te baptizo*. Ante decisionem Apostolicæ Sedis Romanæ licuit fortasse cuique
 „ in suo sensu abundare. Verum quoniam post habitam de hac difficultate
 „ disputationem, & inquisitionem, felicitis recordationis *S. Pius quintus* defi-
 „ nitivè verum esse Baptisma, quo uterentur Calvinistæ adhibentes formam,
 „ & materiam institutam a Christo, cum intentione generali faciendi quod
 „ Christus instituit; licet errarent in particulari interpretatione, & singulari
 „ intentione, sicut alii fere omnes Hæretici errarunt, vel circa intelligen-
 „ tiam formæ Baptismalis, vel circa aliquem ejus effectum: ob id baptizatos
 „ ab ipsis Calvinistis non esse iterum tingendos sub conditione..... Quam
 „ Definitionem *idem Pius Pontifex* ante quinque, vel sex annos per Breve,
 „ ac per Internuncium Apostolicum dignatus fuit nobis, atque aliis, qui tum
 „ Lutetiæ Parisiorumungebamur Concionatorum officio, significare, atque
 „ inhibere, ne aliter doceremus. Ne igitur permittamus post Declarationem
 „ Sedis Apostolicæ tam manifestum errorem in nostra Diœcesi inolescere,
 „ interdicens omnibus Curatis, & Presbyteris, sub pœna Suspensionis ipso
 „ factò, & suspicionis de Schismate, atque Hæresi, ne allatos ad se pue-
 „ ros jam baptizatos a Calvinistis audeant iterum tingere sub illa conditione:
 „ sed sine ulla lotionè perficiant in ipsis omnes Ritus Baptismatis ab illis omissos.

P R O P O S I T I O III.

Ut ratum sit Sacramentum, non sufficit Intentio habitualis, neque necessaria est actualis; sed sufficit virtualis.

De Inten-
tione Mini-
stri.

Administratio namque Sacramenti debet esse actus humanus ex delibe-
 ratione, & judicio rationis procedens: ab intentione porro habituali,
 qualis in ebriis aut dormientibus esse potest, non procedit actio deliberata,
 adeoque non sufficit, ut ratum sit Sacramentum. Actualis autem necessaria
 non est (quamvis optanda sit, & studiose curare debeat Sacramenti Mini-
 ster, ut hanc intentionem habeat.) Quantumlibet enim quis attentus sit
 operi, cui vacat, in ejus potestate non est omnino positum, ne mens ejus
 aliis cogitationibus interdum distrahatur. Virtualis autem sufficit ad perfectionem
 Sacramenti; *Putacum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa*
baptizandum, quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actus cogita-
tio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum
 (inquit *S. Thomas III. P. Quæst. LXIV. Art. VIII. in Responsione ad ter-*
 tiam Objectionem.) Habitualement intentionem sufficere, eo loci
 apud *S. Thomam* legimus: sed vel mendum est Scribarum, & Typographo-
 rum, qui ex virtuali habitualement fecerunt: vel habitualement pro virtuali posuit
 Angelicus Doctor, juxta usum sui temporis, quo omnis intentio, quæ actua-
 lis non erat, a plerisque Theologis habitualis vocabatur; & quia intentio
 virtualis in modum habitus perseverat, licet supponat actum præcedentem.

Id ut planius intelligatur, observandum est intentionem voluntatis distin-
 gui ab intentione mentis: & si res propius expendatur, sæpe contingere
 potest, ut cesset actualis mentis attentio, actuali voluntatis intentione per-
 severante. Agit enim voluntas ad modum inclinationis: *Amor meus, pondus*
meum: unde cum voluntas propensione sua fertur ad rem aliquam facien-
 dam, etiam si mens non attendat, dici potest esse in eo, qui agit, actualement
 rei agendæ intentionem. Ita qui ambulat, & cum amico colloquitur, men-
 te

te advertit ad eas res, de quibus instituta est confabulatio, & sæpe de ambulatione non cogitat, cum tamen ambulare actu velit. Sic etiam in Sacramenti Ministro fieri potest, ut cesset attentio mentis, perseverante intentione voluntatis. De Intentione Ministri.

Observandum tamen est, intentionem illam absolutam esse oportere, non conditionatam: quia intentio conditionata proprie dicta, quæ conditionem de futuro apponit, Sacramenti suspendit effectum: siquidem efficax esse non potest, donec adimpleta sit conditio.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

R E G U L A I.

Si quis Riturum a Christo institutum, & ab Ecclesia celebratum, atque frequentatum in administratione Sacramenti servaverit, nec ullo tunc prodiderit indicio serio se non agere, aut contrariam intentionem habere intentioni Ecclesie; postea autem significet, se nullam intentionem habuisse conficiendi Sacramenti, non statim iterandum Sacramentum est, verbi gratia Baptismus, aut Ordinatio, etiam sub conditione; sed consulendus est Episcopus; & si necesse sit, Sedes Apostolica, ejusque expectandum Judicium.

QUAMVIS enim Catholicæ Fidei dogma sit, intentionem proprie dictam requiri, ut Sacramentum validum sit, ac ratum, Theologi tamen Catholici dissentiunt in modo explicandi qualis intentio illa esse debeat, quam omnes necessariam esse fatentur. Quidam Catharini sententiam amplectuntur, & propugnant, scilicet, ratum esse perfectumque Sacramentum quotiescumque Minister intentionem habet celebrandi, ac perficiendi Riturum externum eo modo, quo ab Ecclesia celebratur, & perficitur. *Ambrosio Catharino* in ea sententia prævisse probant, *Præpositivum Petrum Cantorem, Robertum Pullum* S. R. E. Cardinalem, *Magistrum Sententiarum*, ubi de Matrimonio agit, *S. Thomam III. P. Q. LXIV. A. VIII. Petrum Paludanum, Silvestrum Prieratem, Marium Scribonium* in Panalithia, Sorbonæ celeberrimos Professores, *Contensonium* in *Theologia Mentis, & Cordis*. A Concilio Tridentino damnatam non fuisse sententiam *Catharini*, aliorumque Theologorum, opinantium, *Sacramento, quo ratum sit, sufficere in Ministro voluntatem serio agendi, & obesse tantummodo jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit*; ut testatur probatissimus Concilii Historicus Cardinalis *Palavicinus* Lib. IX. cap. VI. & Lib. XII. cap. X. *Catharinum*, postquam Concilii definitio promulgata est, sua in sententia constantem fuisse, neque id ipsi quemquam tunc temporis vitio vertisse. Habita enim est septima Concilii Sessio die tertia Maji anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo: *Catharinus* autem, qui tum scripserat Opusculum *De Ministri Intentione*, illud postea prælo mandari curavit cum ceteris suis Operibus Romæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo. Tantum vero abest, ut ea occasione in aliquam erroris suspensionem venerit, quin potius cum esset Minoritanus Episcopus ad Consensum Archiepiscopatum a *Julio III.* Pontifice Maximo postea translatus est. *Catharini* mentem non esse affectos Theologos plerisque, qui illam impugnant, addunt ejus Vindices. Distinguunt enim vero Impugnatores *Catharini* duplicem intentionem; unam anteriorem, & proprie dictam, quæ est deliberatus voluntatis actus; aliam posteriorem, & improprie dictam, quæ nihil aliud est, quam actio exterior; quæ quidem intentio dicitur, quia intentionis signum est: non est autem intentio nisi improprie loquendo, quia nullum includit voluntatis actum.

De Intentione Ministri.

Ambrosii Catharini sententia de intentione Ministri: Concilio Tridentino minime damnata.

De Intentione Ministri.

Catharini sententiam non omnino intelligunt plerique ejus impugnatore.

Hac distinctione præmissa supponunt, non aliam ab *Ambrosio Catharino*, & Theologis, qui illum secuti sunt, intentionem in Ministro postulari, nisi exteriorem illam, & improprie dictam. Quod si ita esset, falsa esset, nec in fide tuta sententia illa. In Concilio namque Tridentino definitum est, necessariam esse in Ministro Sacramentorum intentionem faciendi quod facit Ecclesia: cumque verba Canonum in proprio, ac germano sensu accipi debeant, dogma fidei est, necessariam esse intentionem Ministri proprie dictam, ut validum sit, ac ratum Sacramentum. Cum ergo actio exterior, quæ intentionis signum est, non sit intentio nisi improprie dicta; qui postularet tantum in Ministro actionem exteriorem, nec aliud intelligeret nomine intentionis exterioris, ille certe a Concilii doctrina omnino recederet, proximeque accederet ad damnatum Hæreticorum errorem. Verum aliam profus esse *Catharini*, & aliorum Theologorum ipsi consentientium opinionem, constat ex ipsius Opusculo, & ex Cardinali *Palavicino* in Concilii Tridentini Historia. Postulant scilicet in Ministro veram, ac proprie dictam intentionem, quæ exterior dici potest ratione objecti, quia spectat ritum externum, qui sacer, & religiosus est, celebrandum eo modo, quo ab Ecclesia celebratur, sed quæ revera interior est ratione principii, cum sit deliberatus voluntatis actus. Discrimen itaque inter Hæreticorum errorem, & *Catharini* sententiam in eo positum est, quod Hæreticis sufficere videatur qualiscumque Ritus externi celebratio, etiam quæ omnino ludicra, & jocosa esset, intentionemque excluderet faciendi, quod facit Ecclesia: *Catharinus* vero, & ipsi consentientes Theologi seriam Sacramenti celebrationem postulent, cum qua semper conjunctam esse volunt intentionem internam, proprieque dictam, faciendi quod facit Ecclesia. Unde *Marcus Antonius De Dominis* Libro v. *De Republica Ecclesiastica*, cap. xii. §. 12. & 13. ubi perversum Hæreticorum dogma adstruit, *Catharinum* a sua sententia profus alienum esse agnoscit, & necessariam omnino intentionem Ministri propugnare.

Explicatur
Catharini
sententia.

De Inten-
tione Mini-
stri.

Itaque (inquiunt Theologi, qui probabilem putant, & ut talem sequuntur *Catharini* sententiam) si perditus Sacerdos declaret, se numquam habuisse intentionem baptizandi pueros sibi oblatos; & tamen in administratione Baptismi usus sit materia, & forma legitima, ac serio baptizaverit, Baptismus non videtur iterandus. Fuit enim in ipso vera, ac sincera intentio operis, quod exercere serio non potuit absque voluntate, & intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quamvis perversa fuerit, & sacrilega intentio operantis. Fuit ergo in eo velleitas quædam non baptizandi, sed vicit absoluta baptizandi voluntas; siquidem lubens volens, ac serio celebravit, quod celebrat Ecclesia, Ritus scilicet sacrum, quo Sacramentum conficitur, & administratur; quamvis non eo fine, quem intendit Ecclesia. Non eadem autem esset ratio, si diceret, se nolle baptizare, & tamen Ritus externum perageret, quia circumstantia illa, seu declaratio exterior significaret ipsum serio non agere: quamobrem nullus esset Baptismus ab illo collatus, sed essent absque conditione baptizandi, quos tinxissent. Id illustrent exemplis. Ut enim qui coram Judice juramentum serio profert, licet apud ipsum lateat perversa intentio se ipsum non obligandi, & postea dicat, quod olim nescio quis, *Juravi lingua, mentem injuratum teneo*; nihilominus jurisjurandi religione devinctus est: idemque docent Theologi de iis, qui aut votum solemne palam emiserunt, aut coram Parocho, & testibus se in Matrimonium consentire significarunt, nisi vi, aut metu in virum constantem cadente externam illam consensus significationem expressam fuisse, vel extortam probetur: ita qui serio celebravit, ac perfecit Ritus externum Sacramenti, prout in Ecclesia celebratur, quaravis postea dicat se contrarium cogitasse, ac voluisse,

De Inten-
tione Mini-
stri.

luisse, confecit Sacramentum, quod proinde iterandum non est. Sic Procurator, qui Mandatum habet a Principe contrahendi Matrimonium cum Sponsa illius absente; quamvis ipsi Procuratori displiceat hic contractus, consensumque suum interius non præbeat; si tamen subscribat, consensumque verbis de præsentem coram Parocho, & testibus exprimat, Matrimonium validum, ratum, ac legitimum censetur; nec ipsi postea fides adhibetur asserenti se non consensisse. Sic *Aman* ille perfidus, dum actionem a Rege *Assuero* præceptam exequatur, ut teneret equum *Mardochei*, & clamaret, *Sic honorabitur, quem voluerit Rex honorare*, vere *Mardocheum* honorabat, quia lubs, volens, ac serio exercebat actionem ad honorandum *Mardocheum* a Rege præscriptam; quamvis contraria, sed intus latente, & quam ob metum Regis, ac Reginæ exterius significare jam non audebat, intentione *Mardocheum* inhonorare vellet; sed velleitas potius erat inhonorandi, quam absoluta voluntas; siquidem absolute volebat facere, quod Rex iusserat. Ita qui Ritus omnem Sacramenti serio exequitur, sicut illum Christus instituit, & celebrat Ecclesia, vult facere, quod Ecclesia facit; nec ipsi fides adhibenda est, & statim iterandum Sacramentum, si postea dicat, se baptizare, confirmare, consecrare, absolvere, aut ordinare noluisse: quia velleitatem non conficiendi, & administrandi Sacramentum vicit absoluta voluntas conficiendi, & administrandi, quam totius Ritus Sacramentalis perfectione testatus est.

Huic opinioni favere illis videtur *S. Thomas* III. P. Quæst. LXIV. Art. VIII. ubi hanc proponit objectionem: „ Non potest homini esse nota intentio „ alterius: si igitur intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramen- „ ti, non posset homini ad Sacramentum accedenti esse notum, quod Sa- „ cramentum suscepisset, & ita non posset habere certitudinem salutis, præ- „ cipue cum quædam Sacramenta sint de necessitate salutis. *Cui Objectioni „ sic respondet*: Dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim „ dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ si desit, non „ perficitur Sacramentum; sed hunc defectum in pueris, qui non habent in- „ tentionem accedendi ad Sacramentum, supplet Christus, qui interius ba- „ ptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet „ illum defectum fides, & devotio. Sed hoc (*inquit*) satis posset dici quan- „ tum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis; sed quantum ad „ Characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis possit suppleri, „ quia Character numquam imprimitur nisi per Sacramentum. Et ideo alii „ melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, „ cujus est Minister: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ec- „ clesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius „ exprimat ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.

Et Art. x. *Intentio Ministri* (*inquit*) *potest perverti dupliciter: uno modo „ respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum con- „ ferre, sed derisorie aliquid agere: & talis perversitas tollit veritatem Sacra- „ menti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo potest „ perverti intentio Ministri quantum ad id, quod sequitur Sacramentum; puta si „ Sacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, ut abutatur ea; vel si intendat „ conficere Corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur: & quia prius non dependet „ ex posteriori, inde est, quod talis intentionis perversitas veritatem Sacramenti „ non tollit, sed ipse minister ex tali intentione graviter peccat.*

Cum tamen alii Theologi sententiam *Catharini* rejiciant, in eaque hypothesi, quam exprimit Regula, cujus in explicatione versamur iterandum censeant Sacramentum, saltem sub conditione, quod id tutius sit, nullique periculo obnoxium videatur; consultius esse existimo, si quando casus emer-

Ester. 6.

Opinioni
Catharini
favere evi-
detur S.
Thomas.De Inten-
tione Mini-
stri.

De Intentione Ministri.

rit in Regula expressus, ut Sacerdotes in hac ambiguitate quæstionis Episcopum rogent, quid facto sit opus: Episcopus vero, si res morampatiatur, & necesse judicet, Sedem Apostolicam consulat, ad quam *Majores Ecclesiæ Causas*, & *difficiliores Quæstiones*, Fidem aut Disciplinam spectantes referendas esse constat ex sacris Canonibus, & consuetudine semper in Ecclesia observata, ut confirmat *Innocentius III. Cap. Majores*, extra *De Baptismo*, & *ejus effectu*. Secundum autem Judicium, & Responsum Romani Pontificis, iterandum erit, sub conditione, vel sine conditione; aut non iterandum in hujusmodi hypothese Sacramentum.

Hanc regulam confirmo Ferrandi Carthaginensis Diaconi doctissimi verbis ad *Severum* Scholasticum Constantinopolitanum scribentis de Quæstione difficili, qua tunc fatigabatur Ecclesia, doctis omnibus, indoctisque in varias partes scissis. *Interroga* (inquit) *Vir Prudentissime*, *si quid veritatis cupis audire principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem*, *cujus sana Doctrina constat Judicio Veritatis*, & *fulcitur munimine Auctoritatis*. *Interroga plurimos per diversa terrarum loca Pontifices*, quibus scientia cœlestium præceptorum divinitus inspirata famam grandem sui cum veneratione collegit. *Istos, nec vituperaberis, si consulas adhuc incertus; & laudaberis, si sequaris veraciter doctus. A me autem sic expete debitum charitatis, ne incurrere suadeas culpam temeritatis.*

R E G U L A II.

Perversa intentio Ministri suscipientibus Sacramenta non nocet, cum illam ignorant, ejusque peccato non communicant.

De Intentione Ministri.

DOCTRINA est *S. Thomæ III. P. Qæst. lxxiv. Art. x.* *Perversa intentio* (inquit) *pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione Ministri pervertitur id, quod agit in Sacramentis, in quantum est opus ejus, non in quantum est opus Christi, cujus est Minister. Et est simile, si Minister alicujus hominis prava intentione deferret pauperibus elemosynam, quam Dominus recta intentione mandaret. Unde si perditus Sacerdos, & magicis artibus deditus, pactoque execrando diabolo obligatus, serio quidem baptizaverit infantes sibi oblatos, perfundens aqua, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & veram, ac sinceram voluntatem habuerit exercendæ exterioris illius cæremoniæ, qua baptizans Ecclesia utitur, eamque revera exercuerit per speciem hominis eo illam dirigentis, quo Ecclesia dirigit; sed tamen intentionem habuerit, quoties baptizavit, infantes sibi oblatos devovendi diabolo: pueris illis non nocuit sacrilega intentio Ministri: illos enim per Baptismum Deo consecravit Christus, qui baptizat: consecravit *Columba*, id est, Ecclesia, quorum nomine Minister baptizavit; neque vim verborum Evangelicorum, quæ integra serio protulit, frustrare potuit. Idem est de aliis Sacramentis judicium. Unde *S. Joannes Chrysostomus* Homilia lxxxv. in Joannem ait: *Neque Angelus, neque Archangelus quidquam in his, quæ a Deo data sunt, efficere potest; sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit; Sacerdos & linguam, & manus præbet. Neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi.* Et *S. Augustinus* Libro vii. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. lxxi. & alibi, non dubitat, quin illi Baptisma habeant, *Qui ubicumque, & a quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide acceperint: adeoque pravam Ministri intentionem iis non nocere censet, qui Sacramenta suscipiunt, nec illius peccatis communicant. Et hæc semper fuit Ecclesiæ**

De Intentione Ministri.

con-

consuetudo, ut ad pronuntiandum de veritate Sacramenti expenderetur, utrum Ministri legitimam adhibuissent materiam, verbaque præscripta protulissent, atque ritum omnem a Christo institutum, eo modo quo ab Ecclesia celebratur, perfecissent: nullatenus vero quæsitum est, an recta, vel prava fuisset baptizantium intentio. Rejicitur in Concilio Nicæno Baptisma Paulianistarum, quia (ut postea observavit *Innocentius I.*) In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non baptizabant. Interrogatus Sanctus *Leo* de iis, qui inter Hæreticos baptizati sunt, respondet Epistola secunda, alias nonagesima secunda ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, c. xviii. *Non se isti baptizatos nesciunt, sed cuius fidei fuerint, qui ipsos baptizaverunt, se nescire profitentur. Unde quoniam quolibet modo formam Baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt; sed per manus impositionem invocata virtute Spiritus Sancti, quam ab Hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.* Eadem difficultas proposita fuit *Nicolas I.* cui respondit cap. civ. ad Consulta Bulgarorum: *A quodam, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.* Ecclesia igitur semper credidit perversam ministrorum intentionem suscipientibus Sacramenta non nocere, si eam ignorant, vel eorum peccatis non communicent.

R E G U L A III.

Quamvis actualis intentio ad valorem Sacramenti non sit necessaria, sed virtualis sufficiat; tamen graviter peccat Sacramentorum Minister, si studium omne, ac diligentiam non adhibeat, ne ab intentione actuali distrabatur.

QUAM ut habeat continuam, ac perseverantem, operæ pretium est, ut monita *S. Caroli Borromæi* in Instructionibus de Sacramentis, exequatur. Antequam ad Sacramentum administrandum accedat, „ Paululum saltem in sacræ actionis, quam suscepturus est, meditatione attente versabitur. Atque ut & ipse sancte ministret, & cui ministrabit, pie, salutariterque percipiat (nisi cum necessitas eum festinare cogit) genibus flexis ad Altare paululum orabit.

„ Et præterea, ne titubanter quidquam in ministracione agat, quamvis Ordinem ministrandi, cæremoniasque rite teneat, ante tamen, quam ministret, attente ex Libro religiosa animi intentione, quæ agenda sunt, recognoscet.

„ De Libro preces, & Sacramentorum formulæ, ceteraq; pro ratione eorum, quæ ministrabit, recte leget: nec vero memoriæ, quæ plerumq; labitur, confidat.

„ Sacramenti, quod ministrabit, vim, rationem, usum, salutareque fructus, prout temporis, ac personæ ratio, & præsentium multitudo tulerit, diligenter explicabit, præsertim Catechismi Romani doctrinis.

„ Dum vero ad ministrandum proficiscitur, animi meditatione attentus erit ad rem, quam sancte acturus est: pie Psalmos, & Orationes statutas recitabit. Nihil quidquam cum alio colloquetur, nisi necessitatis causa, & quam brevissime: neque salutationibus in via vacabit.

„ Sacramentum præterea aliquod cum ministrat, ut id magna cum religione præstet, singula verba, quæ ad illius formam, rationemque pertinent, omni animi attentione, & pietate distincte pronuntiabit, & clara item voce, ut ab iis audiri possit, quibus ministratur.

„ Sacras item preces sancte, graviterque dicat. Solemnes præterea alios Ritus, Cæremoniasque ita decenter observabit, ut veluti ante oculos ponere videatur eximia illa dona, quæ in eo Sacramento continentur.

Ita

De intentione ministri.

De intentione ministri.

- „ Ita vero demum in omni Sacramenti administratione se gerat, ut non actione
 „ solum tota, sed vultu etiam illos, qui adsunt, incitet ad pietatem, ac devotionem.
 „ Sacramenti ministracionem cum aggreditur, id intendat, idque sibi agere pro-
 „ ponat, quod Christus Dominus instituit, & S. Mater Ecclesia intendit, atque agit.
 „ In ipsa vero ministracione, animo, menteque defixus erit in cogitatione Sa-
 „ cramenti, quod ministrat, idque, quantum fieri potest, studiose curabit.

C A P U T VIII.

DE SACRAMENTORUM CÆREMONIIS.

Cæremonia est Ritus religiosus, & externus, vel a Christo, vel ab Apo-
 stolis, vel ab Ecclesia institutus, quo vel Sacrificium decentius, &
 solemnius celebretur, vel Sacramentum devotius, & sanctius administratur.

P R O P O S I T I O I.

*A primis usque Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut Sacra-
 menta solemnibus quibusdam Cæremoniis administrantur.*

Præter S. Dionysium Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. II. id testatur
 Tertullianus Lib. De Corona Militis, ubi Cæremonias complures in Ba-
 ptismi, & Eucharistiæ Sacramentis celebrandis ab Ecclesia jam tum usurpa-
 tas, ad Apostolicam traditionem refert. „ Ergo quæramus, inquit, an &
 „ traditio nisi scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si
 „ nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scri-
 „ pturæ instrumento, solius traditionis titulo, & exinde consuetudinis pa-
 „ trocinio vindicamus. Denique ut a Baptismate ingrediar, aquam adituri
 „ ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antifitis manu contesta-
 „ mur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc ter
 „ mergitamur, amplius aliquid respondentem, quam Dominus in Evangelio
 „ determinavit. Inde suscepti lactis, & mellis concordiam prægustamus,
 „ exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eu-
 „ charistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a
 „ Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præ-
 „ sidentium sumimus. Oblationes pro Defunctis, pro Natalitiis annua die
 „ facimus... Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum,
 „ & exitum frontem Crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum ejusmo-
 „ di disciplinarum, si legem exoptules Scripturarum, nullam invenies: tra-
 „ ditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.

Exorcismi quoque ante Baptismum usurpari soliti meminit S. Cyprianus
 Epist. lxxvi. ad Magnum: *Mare autem illud (in quo submersus est Pharao)
 Sacramentum Baptismi fuisse, declarat Beatus Apostolus Paulus dicens: No-
 lo enim vos ignorare, fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt,
 & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nu-
 be, & in mari. Et addidit dicens: Hæc autem omnia figuræ nostræ fue-
 runt. Quod hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana, & potestate
 divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus: & cum exire se, &
 homines Dei dimittere sepe dicat, in eo tamen, quod dixerit, fallat, & id,
 quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis, & frau-
 dis exerceat. Cum tamen ad aquam salutarem, atque ad Baptismi sanctifica-
 tionem venimus, scire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, &
 homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur.*

Idem Epist. lxxiii. ad Cæcilium, in sacrificando Calice Domini aquam vino
 miscendam probat, quia id Christus docuit, & fecit, & Apostoli annunciaverunt;
 & my-

4. Col. 10.

Exorcismi
 in Baptismi
 administra-
 tione anti-
 quitas.

& mysticam hujus Cæremoniæ rationem aperit, quia populus per aquam significatur, per vinum Christi Sanguis. Quando autem in Calicem vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Cæremonias in Sacramentorum celebratione suis temporibus usurpatas, explicat Catechesibus Mystagogicis, Catechesi I. De Baptismo: Primum, inquit, ingressi estis in porticum domus Baptistæ, & stantes versus Occidentem, mandari vobis audistis, ut protensa manu tamquam præsentem Satanae renuntiaretis.

Cæremoniæ
Baptismi.

Catechesi II. Deinde vero jam exuti, exorcizato oleo a summis capillis ad infimos usque peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Jesu Christi... Nam ut insufflationes Sanctorum, & nominis Dei invocatio, tamquam vehementissima quædam flamma urit demones, & in fugam convertit; sic & exorcizatum hoc oleum per orationem, Deique invocationem tantam virtutem consequitur, ut non modo ardentia peccatorum vestigia expurget, verum etiam omnes invisibiles Demones repellat. Postea deducebamini ad Sanctum divini Baptismi Lavacrum, quemadmodum Christus a Cruce ad destinatum sepulchrum ducebatur. Atque tunc unusquisque interrogabatur, an crederet in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & confessi estis salutarem confessionem, & mersi ter in aqua, rursus emersistis; atque ita per hæc symbola triduanam Christi significastis sepulturam.

De Sacra-
mentorum
Cæremoniis.

Catechesi IV. Ita sane exutis vestibus antiquis, & iis, quæ sunt secundum Spiritum alba indutis, perpetuo jam in albis incedere oportet.

Catechesi V. de Cæremoniis in Sacrosancto Missæ sacrificio frequentatis hæc habet: Clamat Sacerdos: Sursum corda. Vere enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram, terrenaque negotia deprimere... Vos deinde respondetis: Habemus ad Dominum, assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat, Habemus ad Dominum, mente vero circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde Sacerdos: Gratias agamus Domino...

Cæremoniæ
Missæ.

Ad hæc vos subjicitis: Dignum, & iustum est. Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profecto, & iustum opus facimus: ille autem non iustum, sed supra iustum agens, tanto nos affecit beneficio... Facimus deinde mentionem cæli, & terræ, & maris, solis, & lune, & siderum, ac univærsæ creaturæ, tam ratione præditæ, quam irrationalis, tam istius quæ videtur, quam illius, quæ sub aspectum nostrum non cadit, Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatum, Potestatum, Thronorum, & Cherubim faciem operientium, quasi diceremus illud Davidis, Magnificate Dominum mecum. Commemoramus etiam illa Cherubim, quæ in Spiritu Sancto cernebat Isaias circumstantia thronum Dei, ac alis quidem duabus faciem velantia, atque dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Propterea enim traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cælesti melodia cum supra mundana Militia communicemus... Deinde vero postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa Propitiationis Hostia obsecramus Deum pro omni Ecclesiarum pace, pro tranquillitate Mundi, pro Regibus, pro Militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, pro his omnibus, qui egent auxilio; indigemus autem omnes. Cum hoc sacrificium offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras. Deinde pro Defunctis Sanctis Patribus, & Episcopis; deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes Animarum juvamen, pro

De Sacra-
mentorum
Cæremoniis.

Psal. 33. 2.

Isai. 7. 3.

qui-

quibus offertur obsecratio Sancti illius, & tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii Postea dicitis illam Orationem, quam Salvator suis Discipulis tradidit, cum pura conscientia Patrem nuncupantes Deum, atque dicentes: Pater noster, qui es in cœlis Sacerdos autem postea dicit: Sancta Sanctis. Sancta scilicet ea, quæ in Ara proposita sunt, adventu Spiritus Sancti sanctificata, Sancti & vos, cum sitis Sancto Spiritu donati: atque ita Sancta Sanctis conveniunt. Vos deinde respondetis: Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus Accedens autem ad Communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis; sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe Corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis tam Sancti Corporis contactu, communica. Cave autem ne quid inde excidat tibi ... Tum vero post Communionem Corporis Christi accede & ad Calicem Sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, dicens, Amen. Postremo expleta Oratione, Deo gratias age, qui te tantis Mysteriis dignum reddidit. Retinete has Traditiones.

Varie, & antiquæ Sacramentorum Cærimoniarum.

S. Basilius Lib. De Spiritu Sancto, cap. xxvii, Dogmata, & instituta enumerans, quæ ex Apostolorum Traditione non scripta, sed in mysterio, id est, in occulto commissa recepimus, ait: „ Si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, „ imprudentes gravissimum detrimentum Evangelio inferemus, immo potius „ ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, „ ut id, quod est primum, & vulgatissimum commemorem, ut Signo Crucis „ eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Ut ad „ Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum „ conficitur Panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium; verum alia quoque & ante, & post dicimus, tamquam „ multum habentia momenti ad Mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum „ accepimus. Confecramus autem Aquam Baptismatis, & Oleum Unctionis; „ præterea ipsum, qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne a tacita, „ secretaque Traditione? Ipsam porro Olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renunciare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minime publicata, & arcana hac Traditione?

Exorcismus, exsufflatio, abrenunciatio satanæ, aliæque Baptismi Cærimonie.

S. Augustinus pluribus in locis probat, infantes originali peccato inquinatos esse, ex Exorcismis, Insufflatione, & Abrenunciatione in Baptismi solemnem administrationem ab Ecclesia frequentari solitis. Sic Lib. i. De Peccatorum Meritis, & Remissione, Cap. xxxiv. Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit Exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia ille pro se respondere non posset? Quomodo ergo diciturus erat eum renunciare diabolo, cujus in eo nihil esset. Quomodo converti ad Deum, a quo non esset aversus? Credere inter cetera remissionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur? Et Lib. vi. Contra Julianum, cap. v. loquens de peccati originalis propagatione, ait: Sed etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum tamen est, quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam: quæ filios Fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & a Principe mortis erueret: quod in Libro meo, cui velut respondes, a me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi.

tionem, qua Princeps Mundi & a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisset. Signis Crucis, orationis, & salis, quibus Catechumeni ad Baptismum præparabantur, alibi meminit Lib. II. „ De Peccatorum Meritis, & Remissione, „ Cap. xxvi. Non uniusmodi est sanctificatio: nam & Catechumenus secundum „ quemdam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari: & quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, „ sanctum est tamen, & sanctius, quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est. Et Lib. De Catechizandis Rudibus, Cap. xxvi. His dictis, „ interrogandus est, an hæc credat, atque observare desideret. Quod cum respondiderit, solemniter utique signandus est, & Ecclesiæ more tractandus. De „ Sacramento sane, quod accipit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eo honorari; nec sic habendam illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam, quid significet, & sermo ille, quem audivit, quid in illo condiat, cujus illa res similitudinem gerit. Et „ Lib. I. Confessionum, cap. xi. Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendente ad superbiam „ nostram, & signabar jam signo Crucis ejus, & condiebar ejus sale jam „ inde ab utero matris meæ.

Sale benedicto.

Quamobrem cum S. Augustinus Cereemonias interdum improbare videtur, intelligendus est de cereemoniis ab Ecclesia non approbatis, sed a privatis hominibus contra Ecclesiæ consuetudinem introductis. Id patet ex Epistola illius LV. olim cxix. ad Januarium. „ Quod autem, inquit, instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum, etiam si „ multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis „ doleo, quod multa, quæ in Divinis Libris saluberrime præcepta sunt, minus curantur; & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius „ corripatur qui per Octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum „ locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut „ omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione refecanda existimo. „ Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen Religionem, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, „ ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiam si tempus libertatis non agnovissent, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, „ multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non „ approbat, nec tacet, nec facit.

Quas Cereemonias S. August. improbat?

P R O P O S I T I O II.

Cereemoniarum usus in Sacramentorum Administratione utilissimus est, optimisque rationibus nititur.

Primo enim adhibentur Cereemoniæ ad majorem Sacramentis venerationem conciliandam. Secundo, ad Sacramentorum effectus magis declarandos. Tertio, ad mentem in spiritualium rerum contemplationem erigendam, fidemque, & charitatem excitandam. Ita docet Concilii Tridentini Catechismus Cap. De Sacramentis in genere, §. xviii. Merito quidem a primis usque Ecclesiæ

De Sacramentorum Cereemoniis

temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam ceremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit sacris Mysteriis eum Religionis cultum tribuere, ut Sancta Sancti tractare viderentur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, ceremoniæ ipsæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum sanctitatem in animos Fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, & charitatem excitant: quo major cura, & diligentia adhibenda erit, ut Fideles vim ceremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam, & perspectam habeant. Quæ doctrina ex ipsamet Synodo Tridentina desumpta est, Sessione xxii, Cap. v. Cum natura (inquit) hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia Mater Ecclesia Ritus quosdam, ut scilicet quedam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit. Cereemonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, luminaria, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica Disciplina, & Traditione, quo & majestas tanti Sacrificii commendetur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

De Sacramentorum Cereemoniis.

Objectio occupatur.

Frustra quis objiceret, Cereemonias a Paganorum, & Judæorum Religionibus sumptas esse: nam etsi Pagani, & Judæi ritus aliquos nostris affines habuerint, non recte colligitur, illos rejici debere prout ab Ecclesia usurpantur; siquidem totus ille externi cultus apparatus ex objecto, & fine æstimandus est, atque ex Religionis, in qua frequentatur, veritate. Sacrificia habuerunt Ethnici, Ritusque suos; habuerunt & Judæi; sed illi idolis, & Dæmonibus, isti Deo vero Sacrificia obtulerunt, Ritusque suos illius cultui dedicarunt. Cereemonias quasdam a Judæis olim frequentatas usurpat Ecclesia, sed ob alium finem, ad cultum scilicet Christo Salvatori tribuendum, quem illæ venturum prænucciabant. Sane si rejiciendæ essent universim cereemoniæ, quia non solum a Judæis, sed etiam ab Ethnicis usurpatæ sunt, rejiciendæ essent pari jure Sacramenta, quia Ethnici Diaboli æmulatione similes quosdam Ritus celebrarunt. Ut enim ait *Tertullianus* Libro *De præscriptionibus Hereticorum*, Cap. xl. „ Diabolus, cujus sunt „ partes invertendi veritatem, ipsas quoque res Sacramentorum divinarum „ Idolorum Mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes, & fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit: & „ si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos; celebrat, „ & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio „ redimit coronam. Quid quod & Summum Pontificem unius nuptiis statuit! „ Habet & Virgines, habet & Continentes. Ceterum si Numæ Pompilii „ superstitiones revolvamus, si Sacerdotalia officia, insignia, & privilegia, si „ sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac „ piaculorum, & votorum curiositates consideremus, nonne manifeste Diabolus morositatem illam Judaicæ Legis imitatus est? Qui ergo ipsas res, „ de quibus Sacramenta Christi administrantur tam æmulanter affectavit „ vit exprinere in negotiis idololatriæ, utique & idem & eodem ingenio „ gestit, & posuit instrumenta quoque divinarum rerum, & Sanctorum „ Christianorum sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanæ, & æmulæ fidei attemperare. *Audiendus ea de re est* & *S. Augustinus* Lib. xx. *Contra Faustum*, Cap. xxi. Tantum (inquit) inter „ est inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænucciantem. Sicut autem „ non ideo contemnenda, vel detestanda est Virginitas Sanctimonialium

Mithra Persis dicitur Sol, a voce, Mether sive Mither, quæ idem valet, ac Magnus, unde comparativus Michri, vel Michra, hoc est, Major, sive Dominus, ponitur aliquando pro primario Sacerdote.

lium, quia & Vestales Virgines fuerunt; sic non ideo reprehendenda
 Sacrificia Patrum, quia sunt & Sacrificia Gentium: quia sicut inter illas
 virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui vove-
 atur, atque reddatur; sic inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum mul-
 tum distat, eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata, & obla-
 ta: illa scilicet superbæ impietati Dæmoniorum idipsum sibi ob hoc arrogan-
 tium, quo haberentur Dii, quia divinus honor est Sacrificium; illa vero uni
 Deo, ut illi offerretur similitudo promittens veritatem Sacrificii, cui erat of-
 ferenda ipsa reddita veritas in Passione Corporis, & Sanguinis Christi.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Ceremonia ab Ecclesia receptæ, & approbatæ, & in solemnibus Sacramentorum Administratione adhiberi solitæ, nec contemni, nec a Ministris pro libito omitti, aut in novas alias privata auctoritate mutari possunt.

Non possunt, inquam, contemni: quia cum a Christo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia, auctore Spiritu-Sancto traditæ, & institutæ sint, huiusmodi contemptus in Christum ipsum, in Spiritum Sanctum, in Apostolos, in Ecclesiam redundaret. Non possunt, secluso necessitatis articulo, prætermitti: quamvis enim rei naturam non attingant, adeoque nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum sit, si quando omittantur (ut docet Catechismus Concilii) quoniam tamen Ecclesia illarum usum præscribit, ac præcipit, lethaliter peccant, qui illas consulto prætermittunt, utpote Ecclesiæ, cui Christus morem gerere iubet, præceptum in re gravi violantes. Non possunt privata auctoritate a Ministris, aut Pastoribus immutari ob eandem rationem. Merito itaque Sacra Synodus Tridentina Sessione VII. hanc nostram Propositionem Canone XIII. ut fidei dogma confirmavit. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in solemnibus Sacramentorum Administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; Anathema sit.* Hinc Concilium Bardigalense anno MDLXXXII. celebratum, *Ne, inquit, Sacerdotum in Sacris tractandis negligentia, & incuria Populi pietatem imminuat, præcipimus, ut præscriptas a Majoribus nostris in Sacramentis administrandis Cereemonias non solum diligenter, sed etiam summa cum animi attentione, & religione observent, nihil omnino addentes, nihil detrahentes.*

De Sacra-
 mentorum
 Ceremono-
 niis.

REGULA II.

CAvere autem debent Presbyteri, ne ullum Sacramentum conferant, ac ne quidem Confessiones audiant, nisi superpelliceo, stolaque ejus coloris, qui Sacramento administrando congruat, ac habitu Sacerdotali induti sint, nisi aliud postulet urgens necessitas; ut *S. Carolus Borromæus* præcipit in Instructionibus, utque statuunt Synodi, Rothomagensis MDLXXXI. Rhenensis MDLXXXIII. Aquensis MDLXXXV.

REGULA III.

UT autem Sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus, ab iis tribuatur, qui ea suscipiunt: non patientur quemquam ad illa suscipienda accedere, nisi exteriori quoque habitu, vestium modestia, debitam illis venerationem præ se ferat.... Curabunt igitur, Ut viri armis depositis, atque mulieres recte velato capite accedant, ut omnes vestitu, & toto corporis habitu

habitu modesto humilitatem Christianam præ se ferant . Curabunt etiam Pro loco & tempore, & personarum ordine, ut idem faciant, quicumque dum Sacramentum ministratur, aliquod officium præstant, utpote Patrini, & Paranympbi.

Monebunt id quoque reliquos omnes, qui adlunt, Ut remoto inani colloquio, aduque indecenti, pie, ac devote, ut debent, intersint capite aperto, mente etiam ipsi reputantes cœlestia illa dona, quæ Sacramentorum virtute Fidelibus impartuntur. Ita S. Carolus Borromæus in Instructionibus.

Et Synodus Aquensis anno MDLXXXV. Sedulo Parochi videbunt, ne ad Sacramenta quævis aliquem admittant, nisi armis depositis, modestoque habitu, ac composito corporis gestu aliquod reverentiæ interioris indicium exteriori cultu præ se ferat, & fidei nostræ saltem initia recitare noverit.

T R A C T A T U S II.

D E B A P T I S M O.

S. Cyprian.
Epist. 7.

Baptismi doctrinam populo Christiano frequenter inculcandam recte præmonet Concilii Tridentini Catechismus, utpote quod Sacramentorum omnium primum sit, non quidem dignitatis ordine, sed necessitatis: unde & *Janua Sacramentorum* nuncupatur; sine quo nullum ad cetera Sacramenta hominibus jus est, cum ad Ecclesiam, Christique familiam non pertineant. A Baptismo enim *Incipit omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, & purificandis, ac vivificandis Dei servis divina dignatio* (ut loquitur S. Cyprianus.) Hinc Apostolus non solum frequenter, sed gravibus verbis, & Spiritu Dei plenis, ejus Mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam, & resurrectionem nobis ante oculos, tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit. Rom. vi. 3. 4. 5. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. I. Cor. vi. 10. 11. Nolite errare: neque fornicarii, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt; & hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri: & cap. xii. 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi. Ad Galat. iii. 26. 27. Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Ad Ephes. v. 25. 26. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans Lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Hinc tot Baptismi apud SS. Patres elogia præcipue apud S. Gregorium Nazianzenum. Orat. xl. Baptismus, inquit, est splendor animarum, vitæ in melius mutatio, conscientia ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum. Baptismus carnis est abjectio, Spiritus affectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis Regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio,

tio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemo-
rare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præstantissimum, & ma-
gnificentissimum.

C A P U T I.

DE NATURA BAPTISMI.

ARTICULUS I.

Quid sit Baptismus?

Baptismus, Græcum nomen est, ἀπὸ τῆς βαπτειῶν idest, lavare. In Sacris
Litteris non solum eam ablutionem significat, quæ cum Sacramento
conjuncta est, sed etiam omne ablutionis genus, II. Esdræ IV. 23. Non de-
ponebamus vestimenta nostra: unusquisque tantum nudabatur ad Baptismum.
Marci VII. 3. Pharisei, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non
manducant, tenentes traditiones Seniorum: & a foro nisi baptizentur, non co-
medunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata cali-
cum, & urceorum, & aramentorum, & lectorum. Apostolus ad Heb. IX.
9. 10. de Lege Mosaica loquens, Juxta quam, inquit, munera, & hostiæ
offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem,
solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis car-
nis usque ad tempus correctionis impositis. Id nomen quandoq; ad passionem
translatum est, Marci X. 38. Potestis bibere Calicem, quem ego bibo, aut Ba-
ptismo, quo ego baptizor, baptizari. Lucæ XII. 50. Baptismo autem habeo ba-
ptizari: & quomodo coarctor, donec perficiatur? I. ad Cor. XV. 29. Alioquin
quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut
quid & baptizantur pro illis? Apud Ecclesiæ tamen Scriptores Baptismi no-
men non quamvis corporis ablutionem vulgo significat, sed cum Sacramen-
to conjunctam, & cum præscripta verborum forma celebratam: qua quidem
significatione Apostoli ex Christi Domini instituto frequentissime usi sunt; S.
Paulus Rom. VI. 3. 4. I. Cor. VI. 11. Gal. III. 27. Ephes. V. 26. Coloss. II. 12. & S. Pe-
trus Epist. I. cap. III. 21.

Bapt ism
nom ina

Multis præterea nominibus Baptismus a Patribus insignitus est. Sacramen-
tum fidei vocatur a S. Ambrosio Lib. De Sp. Sancto, cap. III. & a S. Au-
gustino Epist. xcVIII. olim xxIII. ad Bonifacium Comitem, quia hoc Sacra-
mentum suscipientes universam Christianæ Religionis fidem profitentur.
Quæ profitendi fidem ante Baptismum consuetudo ab Apostolicis tempori-
bus originem ducit. Eunuchus a Philippo Christianæ fidei summam edoctus
Act. VII. ait: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philip-
pus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse
Jesum Christum. Et jussit stare currum: & descenderunt uterque in aquam,
Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. Vocatur Illuminatio a Clem.
Alexandrino Lib. I. Pedagogi, cap. VI. a Synodo Laodicensi can. XLV. S. Cy-
rillo Hierosolymitano in Catechesibus Illuminatorum, S. Gregorio Nazianzeno
Orat. xxxIX. & XL. in Sancta Lumina, sive in Baptismum Christi, S. Jo:
Chrysostomo Homilia ad Baptizandos, & in cap. VI. Epistolæ ad Hebræos,
ubi Apostolus ait: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt
etiam donum cælestis, & participes facti sunt Sp. Sancti: & prolapsi sunt,
rursus renovari ad Pœnitentiam. Et cap. X. 32. Rememoramini autem pri-
stinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinistis passionum:
tempus nimirum quo baptizati erant, significans: quia fide, quam in Ba-
ptismo profitemur, corda nostra illuminantur. S. Chrysostomus in Oratione ad
baptizandos, Expurgationem vocat; quia expurgamus vetus fermentum, ut

simus nova conspersio; ut loquitur Apost. 1. Cor. 5. tum *Sepulturam*, tum *Crucem Christi*, quia Salvatoris nostri mortem, & sepulturam repræsentat, tum *Plantationem*, quia ab infelicibus Gentium vepretis in fertile Ecclesiæ solum transferimur: & hæc quidem appellationes ex Epistola S. Pauli ad Rom. cap. vi. derivatæ sunt. A S. Dionysio Lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 11. vocatur *Principium Sanctissimorum Mandatorum*, quia veluti janua est, qua in Christianæ vitæ societatem ingredimur, atque ab eo divinis præceptis obtemperandi initium facimus. Vocatur etiam *Circumcisio* a S. Joanne Chryostomo, spiritualis utique, quod in locum Judaicæ circumcisionis suffectus sit. Quod nomen sumptum est ex Apostolo ad Coloss. 11. 11. *In quo & circumcisi estis circumcissione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Christi, consepulti ei in Baptismo*. Dicitur *Donum*, teste S. Gregorio Nazianzeno, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur. *Unctio*, quia in eo Reges, & Sacerdotes mystico quodam modo consecramur, ut spirituales hostias Deo per Jesum Christum offeramus. *Indumentum*, quia ignominix nostræ velamen est, & in eo expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induimus novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis; induimus (inquam) Dominum Jesum Christum, ut loquitur Apostolus. *Sigillum*, quia baptizati non solum fide, & Crucis signo adversus demonum impetus egregie muniuntur, verum etiam dominico Characterē in anima impresso, ad imperium Christi pertinere intelliguntur. Vocatur *Innovatio*, *Sacramentum vitæ novæ*, *Unda genitilis*, *Nativitas secunda*, *Lavacrum regenerationis*, & *renovationis*, *Generationis Sacramentum*, *Vitale Lavacrum*. Natura enim ex Adam *filiū iræ* nascimur: per Baptismum vero in Christo filii misericordiæ renascimur: siquidem *Dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*.

Ephes. 2. 3.

Joan. 1.

Baptismi
definitio.

Quamobrem definitur Baptismus in Catechismo Conc. Tridentini, *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Ex verbis Domini apud Joannem cap. 111. 5. & Apostoli ad Ephes. v. 26. hæc definitio coalescit. Salvator enim ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: & Apostolus cum de Ecclesia loqueretur: *Mundans, inquit, eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Vel, secundum Magistrum Sententiarum, & S. Thomam: *Baptismus est ablutio corporis exterior sub forma præscripta verborum*. Non enim aqua ipsa, quæ ad conficiendum Baptismum in fonte asservatur, Sacramentum est; sed tunc Sacramentum Baptismi dicendum est, cum aqua ad abluendum aliquem, additis verbis quæ a Domino instituta sunt, adhibetur. Unde minus commoda est illa Baptismi definitio, quam tradit Hugo a S. Victore Lib. 11. *De Sacramentis*, part. vi. cap. 1. *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei*. Cum enim (inquit S. Thomas 111. part. quæst. LXVI. art. 1.) Sacramenta Novæ Legis sanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur Sacramentum, ubi perficitur sanctificatio: in aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est veræ sanctificationis subjectum: & ideo Sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio. Hæc igitur certis, & solemnibus verbis ex Domini Salvatoris instituto adhibitis, Sacramentum Baptismi est: Res, & Sacramentum est Character Baptismalis: res (inquam) est per exteriorē abluionem significata; & signum Sacramentale interioris justificationis. Res tantum Sacramenti est ipsa hominis justificatio,

tio, quæ ita significatur, ut rei alterius signum non sit. Sacramentum transit, nimirum ablutio, & verborum evangelicorum prolatio; Sacramentum simul, & res Sacramenti, scilicet character, ita permanet, ut deleri, & excidere numquam possit. Res Sacramenti, scilicet justificatio, permanet quidem, sed ita ut amitti possit. *Theaurum enim istum habemus in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* 11. Cor. 4.

ARTICULUS II.

De Materia Baptismi, & insignibus ejusdem figuris.

Duplex Baptismi materia distinguitur a Theologis; remota, & proxima. Remota, est aqua vera, & naturalis; proxima est ablutio.

PROPOSITIO I.

Veram, & naturalem aquam esse necessariam, solamque legitimam Baptismi materiam, dogma Fidei est.

Certissimum namque est ex Scriptura Sacra, & continua Traditione. Ait Christus Joan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Act. VII. 36. 37. 38. *Dum irent per viam, Philippus, & Eunuchus, venerunt ad quamdam aquam; & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? .: . Et descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum.* Act. X. 47. Respondit Petrus: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Sp. Sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Jesu Christi.* Ad Ephes. V. 25. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans Lavacro aquæ in verbo vite.* Ad Heb. X. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua mundæ, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* I. Petri III. 20. 21. *Expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma.* Verba autem Scripturæ Sacræ in proprio sensu intelligenda esse, cum nullum inde sequitur absurdum contra fidem, vel charitatem Dei, & proximi, & maxime cum lex fertur, aut Sacramentum instituitur, certissima est Theologorum sententia. Inscite igitur, & impie Calvinus in verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. Sancto, &c.* Aquæ nomen ad sensum metaphoricum detorsit, eo nomine Sp. Sanctum intelligens. Nam præterquam quod sensum prorsus ineptum Christi Domini sententiæ affingit, hunc scilicet, *Nisi quis renatus fuerit ex Sp. Sancto, & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: communem Ecclesiæ sensum de vera, & naturali aqua ad Baptismum necessaria confirmant, atque ita hunc locum explicant Veteres Patres, Justinus in Apologia, quæ vulgo II. inscribitur, Tertullianus, Lib. de Baptismo, Cyprianus Lib. III. Testimoniorum ad Quirinum, cap. XXV. Ambrosius Lib. III. De Spiritu Sancto, cap. XI. Hieronymus in cap. XVI. Ezechielis, Gregorius uterque, Nazianzenus, & Nyssenus, in Orationibus de Baptismo, Jo: Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, & quotquot S. Joannis Evangelium Commentariis illustrarunt.

Quod vero a Joan. Baptista dictum est de Christo venturo: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*: id nullo modo de Baptismi materia intelligendum est, sed vel ad intimum Spiritus Sancti effectum, Matth. 3.

quo sanctificamur, & regeneramur in Baptismo; vel certe ad Miraculum referri debet, quod die Pentecostes apparuit, cum Spir. Sanctus e cœlo in Apostolos ignis specie delapsus est: de quo alio loco Christus Dominus prædixit: *Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.*

Act. 1. 5.

Figuræ baptis-
mi.

Genes. 1.

Latio Spiritus Dei su-
per aquas
in Mundi
creatione.

Idem a Domino tum figuris, tum Prophetarum oraculis significatum, ex Scripturis Sacris animadvertimus. Et primum quidem testis Baptismi figura in eo fuit, quod de Spiritu Dei in prima rerum origine dicitur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: eo enim significatum fuit, Spiritum Domini, quemadmodum aquas eis incubando fecundas effecit, ut ex iis pisces, & alites nascerentur, ita ad novi orbis instaurationem, & ædificationem Ecclesiæ, easdem sic aliquando fecundas redditurum, ut ejus virtute aquis impressa homines Deo renascerentur. Qua de re *Tertullianus* Lib. de Baptismo, ait: „ Habes, homo, in primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem, quod divini Spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis. Nam & tenebræ totæ adhuc sine cultu siderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude: solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subiciebat. *Deinde ubi plura in laudem hujus elementi congescit*, Vereor, *inquit*, ne laudes aquæ, potius quam Baptismi rationes videar congregasse, licet eo plenius docerem non esse dubitandum, si materiam, quam in omnibus rebus, & operibus suis Deus disposuit, etiam in Sacramentis propriis parere fecit; si quæ vitam terrenam gubernat, & in cœlesti procurat: sed ea satis erit præcerpsisse, in quibus & ratio Baptismi recognoscitur prima illa, quæ jam tunc etiam ipso habito prænotabatur ad Baptismi figuram, Dei Spiritum, qui ab initio supervectabatur, super aquas intinctorum moraturum. Sanctum autem utique super sanctum ferebatur, aut ab eo, quod superferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutuabatur... Ita de Sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit. Nemo dicat, Numquid ipsis enim aquis tingimur, quæ tunc in primordio fuerunt? Non utique ipsis, nisi ex ea parte, qua genus quidem unum, species vero complures. Quod autem generi attributum est, etiam in specie redundat. Ideoque nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine, an fonte, lavacro, an alveo diluatur. Nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit; nisi & ille Spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis, aut minus retulit. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de celis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso; & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. Quamquam ad simplicem actum comperat similitudo, & quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta, sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis: ita ejusmodi in spiritu sordet, qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur: tamen utrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per Angeli interventum, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritualiter mundatur. “ De eadem figura *S. Hieron.* Epist. LXXXIII. ad Oceanum: *Solus Spiritus Dei in aurigæ modum super aquas ferebatur, & nascentem Mundum in figura Baptismi parturiebat.*

Genes. 6.

Diluvium
Noeticum.

Diluvium etiam, quo Mundus purgatus est, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, Baptismatis figuram,

figuram, & fimilitudinem geffiffe, S. Petrus in priori Epift. cap. III. oftendit. *In Arca*, inquit, *pauci, idest octo animæ falvæ factæ funt per aquam. Quod & vos nunc fimilis formæ falvos facit Baptifma*. Quemadmodum enim diluvium totum mundum vultavit, demergens quidem omnes homines carni deditos, & verbo Dei incredulos, folum vero Noe iuftitiæ præconem, Deoq; credentem, cum ejus familia per Arcam liberans: ita & in Baptifmo quicquid eft Mundi, & carnalium vitiorum fubmergitur, abforbetur, deletur; fervantur autem pauci illi electi, qui Crucis ligno per fidem inhærentes, a Deo vocantur, ut fint hæredes Juftitiæ. Tempore diluvii, foli credentes per aquam falvi facti funt, ceteris propter infidelitatem fuam pereuntibus; tempore Legis Evangelicæ pereuntibus infidelibus, foli Fideles per Baptifma falvantur. Noe ab impiorum confortio non eft liberatus nifi per diluvium; nemo plane ab omni peccato liberatur, nifi per Baptifmum. *Noe cum fuis per aquam, & lignum liberatur: ficut familia Chrifti per Baptifmum Crucis Paffione fignatum*. Præter Arcam omnis caro, quam terra fufcentabat, diluvio confumpta eft: quia præter Ecclefiæ focietatem aqua Baptifmi, quamvis eadem fit, non folum non valet ad falutem, fed potius valet ad perniciem (inquit S. Auguftinus Lib. XII. *Contra Faufum*, cap. XIV. & XVII.) *Quemadmodum poft aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata eft, poft Baptifmum (ut ita dixerim) Mundi, cœleftis iræ, præco columba pacem adnuntiavit demiffa ex Arca, & cum olea reverfa; quod fignum etiam apud Nationes paci prætenditur: eadem difpofitione fpiritualis effectus, terræ, idest, carni noftræ, emergenti de Lavacro poft vetera delicta, Columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei adferens, emiffa de cœlis, ubi Ecclefia eft Arca figurata. Sed Mundus rurfus delinquit*. Itaque igni deftinatur, ficut & homo, qui poft Baptifmum delicta reftaurat, ut hoc quoque in fignum admonitionis noftræ debeat accipi (inquit Tertullianus Libro De Baptifmo, cap. VIII.)

Maris Rubri tranfitum Aquæ Baptifmi fignificationem habuiffe, S. Paulus ad Corinthios fcribens expofuit, Epiftola I. cap. X. *Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, quoniam Patres noftri omnes fub nube fuerunt, & omnes Mare tranfierunt, & omnes in Moyfe baptizati funt in nube, & in mari*. Hæc autem in figura facta funt noftri. Quibus verbis fignificat Apoftolus, Ifraelitas ideo dici baptizatos in Nube, & in Mari, quia figura erant eorum, qui in aqua, & in Spiritu baptizantur. Nubes Populum Dei, & ante Maris ingreffum, & poft egreffum deduxit, donec ad Terram promiffam perveniret: illi interdium calorem temperabat, noctu eidem prælucebat. Spiritus Sanctus Ecclefiæ Catechumenos ad Baptifmum perducit, & poft Baptifmum dux pariter illis eft, donec ad cœleftem Patriam perveniant. Regeneratis nimium concupifcentiæ carnalis æftum temperat, eofque in rerum adverfarum nocte fui Numinis luce recreat, & corroborat, ne deficiant. Mare vero Rubrum Aquæ Baptifmi figuram prætulit, quæ ex Chrifti Sanguine vim fuam, & efficaciam habet omnem: per quam trajicientes veri Ifraelitæ, qui relicta Ægypto Chriftum ducem fequi gelfiunt, liberantur a poteftate myftici illius Pharaonis, diaboli, fcilicet, cui prius ad Baptifma ufque miferam fervierant fervitutem: qui cum omnibus vitiis quali exercitu quodam fuo Baptifmi aquis obruitur, ac demergitur. Verum quemadmodum illa Nubis obumbratio, Marisque Rubri tranfitus non prohibebat, quin terribilem in modum a Deo plefterentur in deferto, qui novis quotidie fceleribus, & ingrati animi vitio iram illius adverfus femetipfos concitabant, affectuque revertebantur in Ægyptum: ita Baptifmus non prohibet, quin graviffimis, ac æternis obnoxii fint fuppliciis, qui baptizati funt, & illuminati, donumque cœlefte guffaverunt, & participes facti funt

Maris Rubri tranfitus.

Exod. 13
Num. 14.

Hebr. 6. 4. Sp. Sancti (ut loquitur Apostolus) si in vetera scelera iterum prolabantur. Hanc figuram spectat S. Cyprianus Epist. LXXVI. ad Magnum scribens : *Diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere , in Baptismo vero omne nequitia sue virus amittere. Quod exemplum cernimus in Rege Pharaone , qui diu reluctatus , & in sua perfidia demoratus , tamdiu resistere potuit , & prevalere , donec ad aquam veniret : quo cum venisset , & victus est , & extinctus . Mare autem illud Sacramentum Baptismi fuisse , declarat B. Apostolus Paulus . Et S. Hieronymus Epistola LXXXIII. ad Oceanum : Pharao cum exercitu suo , nolens Populum Dei exire de Ægypto , in typo Baptismatis suffocatur . Et in Psalmis de interfectione illius scribitur : Tu confirmasti in virtute tua mare : contribulasti capita draconum in aquis : tu confregisti capita draconis .*

In Jordanis aqua Baptisma nostrum pariter præmonstratum est , cum 4. Reg. 5. Naaman Syrus eo in flumine septies lotus , a lepra sua mundatus est : 14. Spiritu Sancto præsignificante , Gentes omnes a peccatorum maculis , ac fe- Luc. 4 27. ditate per septiformem ejusdem Numinis gratiam , & operationem in Ba- Aqua Jor- ptismo purgandas , & curandas. Qua de re S. Ambrosius Lib. iv. in Lucam , danis. *Disce , inquit , Baptismi gratiam salutaris ; qui leprosus merserat , Fidelis emerfit . Disce spiritualia Sacramenta signari . Corporis remedium petitur , mentis acquiritur . Abluitur caro , affectus abluitur . Non enim magis corporis , quam mentis lepram video fuisse mundatam : quando post Baptismum veteris erroris colluvione deterfa , negat se Diis alienis hostias , quas sponderat Domino , litaturum .*

Piscina Præclara quoque Baptismi figura fuit , quæ Hierosolymis erat , Proba- probatica. tica Piscina , in quam qui descendisset , *Post motionem aquæ ab Angelo , sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate .* De qua S. Jo: Chrysostomus Hom. xxxv. in Joannem , „ Non temere , inquit , nec abs re hæc , sed fu- „ tura nobis tamquam imagine , & figura quadam describuntur , ne res ni- „ mium incredibilis , & inexpectata , accedente fidei virtute , multitudinis „ animos offenderet . Quænam igitur hæc descriptio ? Futurum erat Baptif- „ ma plenum maximæ potestatis , & gratiæ , purgaturum peccata , pro mor- „ tuo vivum effecturum . :. Primum igitur pollutiones corporum , inde va- „ ria morborum genera per aquam sanantur : siquidem cum vellet Deus „ appropinquantis Baptismatis fidem nos erudire , non solum pollutiones , „ sed etiam morbos per aquam expulit . :. Et quemadmodum hujus aquæ „ natura per se non sanabat , siquidem semper sanasset , sed dumtaxat cum „ ab Angelo movebatur : ita & in nobis non simplex aqua operatur , sed „ cum Spiritus gratiam accepit , omnia abluit peccata . Juxta hanc Pisci- „ nam jacebat multitudo languentium , cæcorum , claudorum , aridorum , ex- „ pectantium aquæ motum . Verum tunc infirmitas corporis sanari volen- „ tem impediabat : nunc unusquisque potestatem habet accedendi . Non enim „ Angelus aquam movet , sed Angelorum Dominus totum perficit . Jam „ non habet excusationis locum infirmus , non habere se hominem , qui „ sibi opituletur , neque dum venit , alium descendere : sed licet universus „ Mundus accedat , non consumitur gratia , neque virtus deficit , sed eadem „ semper permanet . Ut enim solares radii singulis diebus illuminant , neque „ ex multa sui communicatione vis illorum minuitur : ita , immo longe mi- „ nus Spiritus operatio ob accipientium multitudinem remittitur . Hoc au- „ tem factum est , ut qui in aqua corporis morbos sanari posse didicissent , „ in eo aliquandiu exerciti , animi morbos per aquam curari posse facilius „ crederent . Et ante S. Chrysostomum Tertullianus Lib. De Baptismo , cap. „ 1. Figura ista medicinæ corporalis spiritualem Medicinam canebat , eæ „ forma .

„ forma, qua semper carnalia in figura spiritualium antecedunt. Proficien-
 „ te itaque hominibus gratia Dei, plus aquis, & Angelo accessit. Qui vi-
 „ tia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem ope-
 „ rabantur salutem, nunc æternam reformant: qui unum semel anno li-
 „ berabant, nunc quotidie Populos conservant, deleta morte per ablutionem
 „ delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur & pœna.“ *Lege S. Ambro-
 „ sium Lib. De his, qui Mysteriis initiantur, c. IV.*

Alius Baptismi typus habetur Joannis IX. ubi Christus *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos Cæci nati, & dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & la-
 vit, & venit videns.* Baptismum hoc Miraculo adumbratum observant S. Jo-
Chrysostomus Hom. LVI. in Joannem, S. Ambrosius Epist. LXXIII. & S. Aug. Tract. XLIV. in Evangelium S. Joannis. Christus scilicet, qui missus est a Patre, & qui nisi esset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus, fecit lutum, cum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: hominemque a nativitate cæcum per peccatum originis Baptismatis aquis illumina-
 vit.

Illumina-
 tio cæci na-
 ti a Chri-
 sto.

Ad salutarem Baptismi aquam indicandam atque exprimendam pertinere
 aquas illas nemo dubitet, de quibus Isa. XII. 3. *Haurietis aquas in gaudio de Fontibus Salvatoris; & dicetis in die illa, Confitemini Domino, & invo-
 cate nomen eius.* Et cap. LII. 15. *Iste asperget gentes multas.* Et cap. LV. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* De quibus item Ezechielis xxxvi. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinam-
 entis vestris, & ab omnibus idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.* Idem cap. XLVII. *Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, & descen-
 dunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exhibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet; & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vi-
 vent omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit; plurimæ species erunt pi-
 scium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimie.* De iisdem Zacha-
 riæ XIII. 1. prædicatur: *In die illa erit fons patens domui David, & habi-
 tantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.*

Vaticinia
 Prophetarum de Ba-
 ptismo.

Ex his omnibus refellitur error tum veterum Hereticorum, qui Baptismum
 aquæ repudiabant, scilicet *Manichæorum, Seleuci, & Hermiæ, & Paulicianorum*, sed & *Calvini*, qui hæc verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ad metaphoricum sensum detorquere ausus est. Quos omnes sacra Syno-
 dus Tridentina can. II. de Baptismo perculit: *Si quis dixerit, aquam ve-
 ram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Do-
 mini nostri Jesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu San-
 cto, ad metaphoram detorserit; Anathema sit.*

S. Aug. Li-
 bro de Hæ-
 ref. c. 46.
 & 59.
 Philast.
 Euthim.
 in Pan-
 Part. II.
 Tit. XXI.

Cur porro ad Baptismum conficiendum aqua potius nos uti voluerit Deus,
 quam alia materia, ratio multiplex affertur a Theologis. Prima petitur ex
 natura Baptismi, qui regeneratio est in spiritualem vitam, ad quam re-
 præsentandam nihil aptius aqua reperiri potuit, cui generandi vis conve-
 nire maxime videtur. Nam & semina, ex quibus generantur omnia, non ipsa magis animantia quam plantæ, humida sunt, & ad aquam perti-
 nent. Qua etiam ex causa non defuere Philosophi, qui rerum omnium
 principium Aquam esse dicerent.

Cur Deus
 aquam po-
 tius quam
 aliam ma-
 teriam Ba-
 ptismo de-
 stinaverit?

Secunda ratio petitur ex effectibus Baptismi, quibus significandis egregie
 congruunt aquæ proprietates. Ut enim aqua sordes abluit, ita etiam Ba-
 ptismi

S. Tho. III.
 P. Q. LXVI.
 Art. III.

ptismi vim, atque efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur, optime demonstrat. Quemadmodum aqua frigore suo calorem nimium temperat; ita gratiæ Baptismatis significandæ aptissima est, qua cupiditatum ardor magna ex parte restinguitur.

Materia remota Baptismi.

Tertia ratio sumitur ex Mysteriis Christi, quibus justificamur: quibus quidem repræsentandis idonea est aqua. Ut enim ait *S. Jo: Chrysostomus* Hom. xxiv. in Joannem: *Sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur; & deinde novus rursus ascendit.*

Quarta ratio sumitur ex necessitate Baptismi: quia enim hoc Sacramentum omnibus ad consequendam vitam erat necessarium, idcirco aquam, quæ semper præsto est, atque ab omnibus facile parari potest, illius materiam Deus esse voluit.

Vidæ paganorum aquæ.

Profanæ lustrationes.

Diabolus æmulus Dei.

Quinta ratio petitur ex Paganorum superstitionibus, qui profana lustrationum suarum Mysteria in aquis, auctore diabolo Dei æmulo, constituerunt. Quamobrem Deus aquam Baptismatis sui Mysterio consecravit, ut diabolum fugillaret, ac idololatriam everteret. Qua de re *Tertullianus* Libro *De Baptismo*, cap. v. „ Sed enim Nationes extraneæ ab omni intellectu „ spiritualium potestatum eadem efficacia Idolis suis subministrant. Sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per Lavacrum „ tiantur, Isidis alicujus, aut Mithræ. Ipsos etiam Deos suis lavationibus „ efferunt. Ceterum villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlata aquæ expiant passim. Certe ludis Apollinaribus, & Eleusiniis tinguntur: idque se in regenerationem, & impunitatem perjuriorum suorum agere „ præsumunt. Item penes Veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice „ aqua se expiabat. Igitur si de sola natura aquis, quod propria materia sit abluendi, in auspicia emundationis blandiuntur, quanto id verius aquæ præstabant per Dei auctoritatem, a quo omnis natura earum constituta est? Si religione aquam medicari putant, quæ potior religio quam „ Dei vivi? Quo agnito, hic quoque studium diaboli cognoscimus res Dei „ æmulantis, cum & ipse baptismum in suis exercet. Quid simile? Immundus emundat, perditior liberat, damnatus absolvit? Suam videlicet operam destruit diluens delicta, quæ inspirat ipse. Hæc quidem in testimonio posita sunt repellentibus fidem, si minime credant rebus Dei, quarum affectationibus apud æmulum Dei credunt. An non & alias sine ullo Sacramento immundi Spiritus aquis incubant, affectantes illam in primordio divini spiritus gestationem? Sciunt opaci quique fontes, & avii quique rivi, & in balneis piscinæ, & euripi in domibus, vel cisternæ, & putei, qui rapere dicuntur, scilicet per vim Spiritus nocentis. Nam & Apopnictos, & Lymphatos, & Hydrophobos vocant, quos aquæ necaverunt, aut amentia, vel formidine exercuerunt. Quorsum ista retulimus? Ne quis durius credat Angelum Dei Sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse, cum Angelus malus profanum commercium ejusdem elementi in perniciem hominis frequentet.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

S. Tho. art. 4.

EX his colligitur, in qualibet aqua quovis modo transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, posse fieri Baptismum, non autem si solvatur aquæ species. Quamobrem adhiberi potest ad Baptismum aqua Maris, aqua

aqua pluvia, aqua solaribus radiis calefacta, aqua fluminis turbida ex terrestrium partium mixtione, aqua per cineres transfusa, sive lixivium, aquæ sulphureorum balneorum, aut aliæ minerales, aqua decoctionis carniū, piscium, vel herbarum, si facta non sit tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, ut liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua. At aquæ ex vite, vel ex rosis, aliisve corporibus per Artem Chymicam expressæ, non sunt materia Baptismi, ut nec cervisia, vinum, liquores alii.

Materia remota Baptismi.

R E G U L A II.

Nulla necessitas, aut ratio efficere potest, ut validus, ac ratus sit Baptismus in alia materia quam in aqua simplici collatus; quia materia hæc essentialis est, a Christo præscripta.

Frivolum vero, & inane est, quod objicitur ex *Stephani II. Romani Pontificis Responsis ad Monachos Britannici Monasterii*, cap. II. *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa: infantes sic permaneant in Baptismo*. Primo, quia hujus Responsi non satis authentica, nec certa extant monumenta. Secundo, quia verisimile est, ineptam constructionem sic emendari debere: *Nulla ei adscribitur culpa, si Infantes sic permaneant*. Unde sequitur: *Nam si presens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & penitentia submittatur, quia contra Canonum sententiam agere presumpsit*. Non igitur Baptismus talem ratum habuisse censendus est *Stephanus II.* (si genuinum ejus Rescriptum est) quia non fuerat interrogatus de valore Baptismi, quem nemo sanæ mentis dubitare poterat plane irritum esse, ac nullum; sed de culpa, vel pæna baptizantis. Hunc porro nulla pæna plectendum esse respondet, quia cum aliud non posset in extremo periculo, id per simplicitatem fecit, quod postea potuit elapso periculo emendari, nec in causa fuit, cur infantes postea baptizati non sint aqua, quæ sola Baptismi materia est.

R E G U L A III.

Quamvis autem aqua simplex, quæ nihil aliud admixtum habet, materia sit apta ad Baptismus conficiendum, quoties istius Sacramenti administrandi necessitas occurrit; tamen ab antiquis temporibus in Ecclesia observatum est, ut cum solemnibus cæremoniis Baptismus conficitur, sacrum etiam Chrisma addatur, quo Baptismi effectum, unctionem scilicet Spiritus Sancti magis declarari perspicuum est.

Consecrationis aquæ Baptismatis per Orationem Sacerdotis, & chrismae admixtionem meminere *S. Dionysius* Libro de Ecclesiastica Hierarchia, *S. Cyprianus* Epistola ad Januarium, *S. Basilius* in Psal. xxviii. *Gregorius Nyssenus* Orat. de Baptismo, *S. Ambrosius* Lib. I. De Sacramentis, cap. II. & III, *Victor Vitensis* Lib. I. De Persecutione Vandolica, *Vetus Ordo Romanus* in Officio Sabbathi Sancti, *Severus Alexandrinus* Libro de Ritibus Baptismi, *Alcuinus*, sive alius Auctor Libri De Divinis Officiis, cap. XIX. *Gregorius Turonensis* Libro de Miraculis, *Hincmarus* in Vita S. Remigii, &c. Ex Ecclesiæ autem Latinæ usu consecrata esse debet aqua Sabbathis Paschæ, aut Pentecostes, quæ statuta fuere tempora Baptismi solemniter administrandi, ex veteri disciplina, de qua *Tertullianus* Lib. De Baptismo, cap. XIX. *Siricius* PP. Epistola ad *Himerium* Tarracensem Episcopum, *S. Leo* Epistola xvi. olim IV. ad Episcopos Siciliæ, ubi & hanc *Apostolicam Regulam* vocat, *Gelasius* Epistola ad Episcopos Lucaniæ, *Concilium Autifiodorense* canone xviii. *Matifconense* II. canone III. *Parisiense* VI. part. I. cap. VII. & xxxiii. *Melden-*

Materia proxima Baptismi.

denſe canone XLVIII. Triburienſe cap. XII. &c. Qua de re S. Carolus Borromeus in Inſtructionibus, Parochus, inquit, animadvertet, ut aqua (quæ materia Sacramenti Baptiſmi eſt) non ſolum vera, naturalisque ſit, ſed etiam eo ipſo anno, quemadmodum ſanctè cautum eſt, benediſta in Sabbatho Sancto Paſche Reſurrectionis Domini, aut Sabbatho Pentecoſtes.

Quod ſi intra annum, pro temporis diuturnitate, aliave cauſa illam corrupti contigerit, in Sacrarium prope Fontem Parochus projiciet, ſtatimque & Fontem purgabit; & vero ſi in Urbe eſt, ad Metropolitanam; ſi in Diœceſi, ad Plebanam Eccleſiam veniet, unde proprio vaſculo nitido aquam baptiſmalem accipiat, in Parochialemque Eccleſiam ſecreto ferat: ubi quamprimum in Fontem effundet, baptiſmalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ, nitidæ & recentis addet, quantum ſatis erit. Hoc ipſum quoque præſtabit, ſi etiam aqua baptiſmalis per annum aliquo modo defecerit.

Et quoniam interdum accidit, ut in ſumma hyeme aqua baptiſmalis vi frigoris congeliet, aut gelida nimis fiat, tunc ut aliquo calore liquefacta, aut calefacta, uſui ad baptizandum infantem eſſe poſſit, aliam aquam vaſe mundo calefactam immiſceri licet, quæ aqua calefacta longe paucior erit, quam illa quæ benediſta eſt. Qua in re etiam cavebit Sacerdos, ne quid aliud commiſceat quam aquam puram, & naturalem, quamvis calidam.

Ne vero temeraria manus abutatur aqua baptiſmali ad ſuperſtitionem, & perniciem, Sacerdos Fontem ex præſcripto bene communitum, ſera etiam, clavicque claudet, quam ne Clerico quidem committens, apud ſe cuſtodiet perpetuo. Quod pluribus etiam Conciliis Provincialibus, & Diœceſanis Statutis pene omnibus ſancitum eſt.

P R O P O S I T I O II.

Ad valorem Baptiſmi perinde eſt, an ablutio fiat immerſione, effuſione aquæ, vel aſperſione.

S. Thom. II.
P. Q. lxxvi.
Art. VIII.

Aſumitur enim aqua in Sacramento Baptiſmi ad uſum ablutionis corporalis, per quam ſignificatur interior ablutio peccatorum: ablutio autem fieri poteſt per aquam, non ſolum immerſione, ſed etiam aſperſione, vel effuſione. Immerſioni quidem favet illud Apoſtoli ad Rom. vi. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Immerſio enim ſepulturam Chriſti magis repræſentat. Unde hic baptizandi modus fuit olim frequentior, & ut ait S. Thomas, laudabilior. Effuſioni favet illud Ezech. xxxvi. *Effundam ſuper vos aquam mundam.* Aſperſioni illud Iſaiæ LII. 17. *Iſte aſperget gentes multas.* Et ad Heb. x. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Atque his duobus modis ſepultura Chriſti etiam adumbratur, licet obſcurius: quocumque enim modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ ſupponitur; ſicut corpus Chriſti ſub terra poſitum fuit. Altero autem ex his poſterioribus modis Baptiſmum adminiſtratum fuiſſe ab Apoſtolis credere par eſt, cum una die tria millia, altera quinque millia hominum Chriſti fidem, ac Baptiſmum ſuſceperunt. (Act. II.)

Materia
proxima
Baptiſmi.

Clinicorum
Baptiſmus legitimus,
quamvis per aquæ
aſperſionem colatus.

Confirmatur ex S. Cypriano Epistoſa LXXVI. ad Magnum, qui ab ipſo quaſierat, utrum illi, qui in infirmitate, & languore baptizati fuerant, qui propterea Clinici vocabantur, habendi eſſent legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti eſſent, ſed perſuſi. Reſpondet S. Cyprianus: *Nos, quantum concipit Mediocritas noſtra, eſtimamus in nullo mutilari, & debilitari poſſe beneficia divina, nec minus aliquid illic poſſe contingere, ubi plena, &*

tota fide & dantis, & sumentis accipitur, quod de divinis muneribus habetur. Neque enim sic in Sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali, & seculari sordes cutis, & corporis abluuntur, ut a phronitris, & ceteris quoque adjumentis, & folio, & piscina opus sit, quibus abluui, & mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluatur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In Sacramentis salutaribus necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia. Nec quemquam movere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam consequuntur; quando Scriptura Sancta per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: Et aspergam super vos „ aquam mundam, mundabimini ab omnibus immunditiis vestris
 „ Item in Numeris: Et homo, qui fuerit immundus usque ad vespeream,
 „ hic purificabitur die tertio, & die septimo, & mundus erit. Si au-
 „ tem non fuerit purificatus die tertio, & die septimo, non erit mun-
 „ dus, & exterminabitur anima illa de Israel, quoniam aqua aspersio-
 „ nis non est super eum sparsa Unde apparet, aspersionem quoque
 aque instar salutaris lavacri obtinere Et idcirco quantum fide concipere, & sentire nobis datur, mea sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege, & jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat nihil eos consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes, & vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, & convalescerint, baptizentur. Si autem baptizari non possunt, qui jam Baptismo Ecclesiastico sanctificati sunt; cur in fide sua, & Domini indulgentia scandalizentur? An consecuti sunt quidem gratiam dominicam, sed brevioris, & minores mensura muneris divini, ac Spiritus Sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen ceteris adæquandi? Quin immo Spiritus Sanctus non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si Sol super omnes pari, & equali luce diffunditur; quanto magis Christus Sol, & dies verus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari equalitate largitur?

Addi potest Stephani II. Responsum, qui interrogatus, An liceret cum concha, aut cum manibus infanti in infirmitate posito aquam super caput infundere, & sic baptizare, respondet: Hoc Baptisma, si in nomine sanctæ Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit, præsertim cum & necessitas exposcit, ut & ille, qui ægritudine detentus est, hoc modo renatus, particeps Regni Dei efficiatur.

REGULA PRAXIM SPECTANS.

HAC in re unusquisque Ecclesiæ suæ ritum sequi debet, nec ab eo discedere absque peccato potest, nisi necessitas cogat. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem Ministri, qui sustentare non valet baptizandum; vel propter debilitatem baptizandi, cui forte mortis periculum ex immersione imminet. Quamobrem his in casibus omitti potest immersio, quamvis Ecclesiæ usu frequentata, & Ritualibus Libris præscripta, & effusione, vel aspersione Baptismus administrari: modo tamen aqua tangat immediate corpus, & ea quantitate, ut quis moraliter censeatur ablutus; & caput, quod sensuum omnium principium est, & radix, aqua perfundatur, aut certe scapulæ, vel pectus, si grave nocumentum ex capitis ablutione timeretur. Quamquam & alterius cujuscvis partis perfusio sufficere videatur S.

An qualibet alia parte corporis aqua perfusa præter caput, puer sit rite baptizatus.

Thomæ, cum infans ex utero matris nondum egressus, secundum partem aliquam, puta brachium, aut pedem foras prodit, & mortis periculum imminet. Quæ tamen opinio non erat ab omnibus recepta, ut ipse testatur III. p. q. LXVIII. art. XI. ad IV. *Expectanda est*, inquit, *totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat: si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente: quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Et id certe tutius omnino est, & in praxi sequendum, secundum Instructiones S. Caroli Borromæi, De Baptismi Administratione: *Si fœtus (inquit) ex utero matris, quæ in partu periculose laborat, vel manu, vel pede, vel alia aliqua parte extans, ob necessitatem in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est; cum superstes erit, sub conditione baptizetur, adhibitis ceteris Baptismi ceremoniis. Si vero in capite; quod primum ex utero prodiit, baptizatus est, forma rite servata; quando supervixerit, ad Ecclesiam deferatur, cui tantum reliquæ ceremoniæ adhibeantur, quæ ad solemnitatem Baptismi attinent.* Idem in Rituali Romano præscriptum est.

P R O P O S I T I O III.

Unica, vel trina immersione perfici potest Baptismus, quamvis trina immersio prisce Traditionis, & antiquis Ecclesiæ moribus magis conveniat.

III. P. Q.
LXVI. A. VIII.

AD Baptismum enim per se necessaria est ablutio, modus autem ablutio-
tionis accidentarius est (inquit S. Thomas.) Quamobrem legitimus est unius, vel trinæ immersionis usus; quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, & unitas Deitatis; trina autem immersione significatur triduum Sepulturæ Christi, & etiam Trinitas personarum. Sed diversis ex causis quandoque unica, quandoque trina immersio ab Ecclesia præscripta est. Nam propter illorum Hæreticorum errorem, qui non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spir. Sancti, sed in commemorationem mortis Christi, & una quidem immersione, unius immersionis ritus improbatus est, non quidem in se, sed ratione abusus, & hæreseos, cui patrocinebatur, & cujus solemnitas veluti professio censeretur, ut constat ex Canone quinquagesimo ex iis, qui Apostolici fœderis nuncupantur: *Si quis Presbyter, aut Episcopus non trinam immersionem unius Mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate (quod dari a quibusdam dicitur in morte Domini) deponatur: non enim nobis dixit Dominus: in morte mea baptizate, sed, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In execrationem vero erroris Schismaticorum, vel Hæreticorum homines rebaptizantium, vel Deitatem in tribus personis dividendum, in Conc. Toletano IV. can. VI. statutum est, ut unica immersio in Baptismo usurparetur: *Propter vitandum Schismatis scandalum (inquit) vel heretici dogmatis usum, simpliciter teneamus Baptismi immersionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, Hæreticorum probare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterii Sacramenti, videat in eo Mortem, & Resurrectionem Christi significari: nam in aquis mergitio, quasi in infernum descensio est; & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem personarum ostendi: unitatem, dum semel immergimus; Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizamur.* Uniformem Baptismi

Refertur apud Gratian. dist. IV. De consecration. cap. Si quis.

Ib. cap. Propter.

Unius immersionis mysterium.

Baptismi Ritus Synodus Toletana in Ecclesia Hispaniensi esse sanxit, unicam immersionem: agnovit tamen, & professæ est trina etiam immersione Baptismum legitime celebrari, quod antea responderat S. Gregorius Pontifex Maximus Leandro Hispalensi Episcopo, Lib. I. Epist. xli. cujus hæc sunt verba: *De trina vero Mersione Baptismatis nil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulture Sacramentali signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, Resurrectio triduanæ temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obstitit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptisate in aquam vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hæc usque ab Hereticis infans in baptisate tertio mergebatur, sciendum apud vos esse non censco: ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse gloriantur. Immersione igitur trina, vel unica æque perficitur Baptismus. Sed tamen Ecclesiæ suæ Ritus servare quilibet debet, quem citra grave peccatum contemnere, aut mutare non potest.*

Trinæ immersionis mysterium.

Eadem dist. cap. Trina.

Prius nihilominus Traditioni, & antiquis Ecclesiæ moribus, ac disciplinæ convenire magis trinam immersionem, constat ex S. Dionysio Lib. De Ecclesiastica Hierarchia cap. II. Tertulliano Lib. Adversus Praxeam, cap. xxvi. Lib. De Corona Militis, cap. III. ex S. Cyrillo Hierosol. Catechesi Mystagoga secunda; ex S. Basilio Lib. De Spiritu Sancto cap. xxvii. ex S. Chrysostomo Homil. de Fide; S. Hieronymo in Dialogo Adversus Luciferianos, S. Ambrosio Lib. II. De Sacramentis, cap. vii. S. Augustino Homil. II. ad Neophytos, ut refertur apud Gratianum dist. IV. De Consecratione, cap. Postquam, & ex Pelagio Papa, ibidem, cap. Multi, cujus hæc sunt verba: *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi, una etiam immersione se afferunt baptizatos. Evangelicum vero præceptum ipso Domino Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione, sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino Discipulis suis: Ite, baptizate omnes Gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sed quamvis ad Traditionem trinæ immersionis ritum referant Tertullianus, S. Basilius, & S. Hieronymus; quamvis ad Christi Domini præceptum S. Chrysostomus, & Pelagius Papa: non sequitur, trinam immersionem esse necessario usurpandam, aut Baptismum una immersione, vel etiam effusione, aut aspersione aquæ collatum, non esse ratum, ac legitimum. Nam Patribus solemne fuit, veteres Ecclesiæ suæ consuetudines Traditionum nomine exornare. Unde S. Hieronymi scitum est: *Unusquisque consuetudinem Ecclesiæ suæ legem Apostolicam arbitretur.* Deinde, Traditionum Apostolicarum duplex genus est: aliæ Fidei, aut Moralis Christianæ spectant dogmata; aliæ Ritus ad solemnem Sacramentorum administrationem institutos, & mere extrinsecos, atque accidentarios. Primi ordinis Traditiones nec ab Ecclesia ipsa mutari possunt, aut omitti: secundi vero ordinis possunt ab ea mutari ob rationes fidei, vel unitatis bonum spectantes. Ut enim ait Tertullianus Lib. De Virginibus Velandis, cap. I. *Regula quidem fidei una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis: Hac lege fidei manente, cetera jam disciplinæ, & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente usque in finem gratia Dei. Quale est enim, ut diabolo semper operante, & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessaverit, aut**

Trina immersio veteri convenit disciplinæ.

Traditionum Apostolicarum duplex genus.

Regula fidei immobilis, disciplina mutari potest.

proficere desisterit? Cum propterea Paracletum miserit Dominus ut quoniam humana mediocritas omnia simul capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto. Secundi istius generis est trinæ immersionis Ritus. Ab Apostolis quidem traditus est, sed cum Baptismo extrinsecus sit, accidentarius, & ad solemnitatem duntaxat pertinens, in Ecclesiæ potestate fuit, in qua residet Auctoritatis Apostolicæ plenitudo, hunc Ritus immutare ob gravissimas rationes fidei, aut unitatis bonum spectantes, eodem Spiritu dirigente, quo afflati Apostoli illum, aliosque Ritus tradiderunt.

Addiderim, utrumque Ritus, trinæ, vel unius immersionis, effusionis, vel asperisionis, ab Apostolis traditum censei, ac dici posse, cum Ecclesia Traditionum iudex, & interpret optima, utrumque, ut legitimum, & sufficientem admiserit. Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus jus pacis, & nomen fraternitatis. Una nobis, & illis fides, unus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem Lavacri Sacramenta. Semel dixerim, una Ecclesia sumus. Ita nostrum est, quodcumque nostrorum est (inquit Tertullianus cap. 11. Libri mox laudati) Adde quosdam ex illis Baptismi Ritibus, quos Tertullianus & S. Hieronymus Traditionum nomine cohonestant, a multis retro sæculis obsoletos esse, ut Lactis, & mellis concordiam prægustare ad infantie significationem.

Sanctus autem Jo: Chrysostomus, & Pelagius Papa trinam immersionem ad præceptum Domini retulisse non videntur ratione sui, sed ratione rei significatæ, trium scilicet SS. Trinitatis Personarum, in quarum nomine Baptismus conferri iussit Christus. Omnibus Mysteriis (inquit S. Chrysostomus) veluti sigillum imponens Dominus, in tribus. Mersionibus aquæ unum Baptisma Discipulis suis tradidit, dicens: Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et ita Pelagii testimonium explicat S. Thomas in Responsione ad secundum argumentum: Dicendum (inquit) quod Pelagius Papa intelligit trinam immersionem esse de mandato Christi in suo simili, in hoc scilicet, quod Christus præcepit baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Addi potest, verba ipsa Pelagii non significare, quod trina immersio a Christo Domino in Evangelio præcepta sit, quod manifeste falsum est; sed tantum quod admoneat nos Christi præceptum, jubentis Baptismus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti conferri, ut trinam immersionem frequentemus, ceu illi præcepto magis conformem.

A R T I C U L U S III.

De forma Baptismi.

P R O P O S I T I O U N I C A:

Perfecta, & absoluta Baptismi forma hæc est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

S. Tho. 111.
P. Q. 1xvi.
A. v. & vi.

I. ITA enim a Domino, & Salvatore nostro traditum est, cum Apostolis præcepit Matth. xxviii. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quod Traditio, testesque Traditionis Patres universi confirmant. Unius Justini Martyris verba adscribo, Apologia pro Christianis, quæ secunda inscribitur: Quicumque

inquit, persuasi fuerint, & crediderint vera esse, quæ a nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una & orantibus, & jejunantibus. Deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua est: atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum Parentis, & Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & Sp. Sancti, in aqua tum lavantur. Hinc S. Augustinus Lib. iv. De Baptismo contra Donatistas, cap. xv. ait, Baptismum verbis Evangelicis consecrari. Et Lib. vi. cap. xxv. Certa illa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæcumque in prece vitiosa contra Regulam fidei dicuntur, quemadmodum demonium Christi nomine excluditur. Et infra: Deus adest verbis Evangelicis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest: Ceterum quis nesciat, non esse Baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur Heretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent. Ideoque dicimus, Baptismum Christi, idest, verbis Evangelicis consecratum, ubique eundem esse, nec hominum quorumlibet, & qualibet perveritate violari. Et Lib. iii. cap. xv. expressius dixerat: Si Evangelicis verbis, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.

II. Ex illo verbo Christi, legem de Baptismo promulgantis, *Baptizantes*, Catholica Ecclesia divinitus edocta optime intellexit, in hujus Sacramenti forma actionem Ministri exprimentam esse: quod quidem fit, cum dicitur, *Ego te baptizo*. At quoniam præter Ministros, tum illius personam, qui baptizatur, tum principalem causam, cujus virtute peragitur Sacramentum, significare oportebat; idcirco illud pronomen *Te*, & distincta divinarum personarum nomina adduntur, ut absoluta Sacramenti forma iis verbis concludatur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Neque enim sola Filii persona, de quo Joannes ait, *Hic est, qui baptizat*, sed simul omnes Sanctæ Trinitatis Personæ ad Baptismi Sacramentum operantur.

III. Quod autem *In nomine*, non *in nominibus* dictum est, hoc plane declarat unam Trinitatis naturam, & divinitatem. Etenim hoc loco Nomen ad personas non refertur, sed divinam substantiam, virtutem, & potentiam, quæ una, & eadem est in tribus personis, significat. Unde SS. Patres Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, & alii, ex Evangelicis illis verbis, quibus forma Baptismi constat, trium Personarum divinitatem, æqualitatem, consubstantialitatem efficacissime probaverunt, ea præsertim ratione quod in nullius unquam creaturæ nomine Baptismum conferri posse docuerit semper Ecclesia. Hinc Pelagius I. Pontifex Maximus in Confessione Fidei suæ missa ad Childebertum Regem Christianissimum, Epist. xvi. *In Nomine*, inquit, *non nominibus, ut & unum Deum per indistinctum divinæ Essentiæ nomen ostenderet, & Personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret. Quia dum tribus unum Deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum, &c.*

IV. Baptismum porro conferri cum explicita, & distincta trium personarum SS. Trinitatis invocatione, Christus instituit, tum quia Baptismus Sacramentum fidei est, cujus præcipuum objectum est Mysterium adorandæ Trinitatis: tum quia regenerationis gratiam tres Personæ divinæ conjunctim, & indivisim operantur: tum quia per Baptismum fœdus, & societatem inimus cum iisdem adorandis Personis, *Ut societas nostra sit cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto* (ut loquitur Apostolus.) In Baptismo scilicet adoptionem filiorum recipimus, & mystica regeneratione coniequimur, *Ut filii Dei*

Actio Ministri in forma Baptismi exprimentam.

Joan. i. 33

Cur in nomine, non in nominibus Patris, & Filii, & Sp. Sancti Baptismus conferatur

Cur explicita, & distincta trium SS. Trinitatis Personarum invocatio in Baptismo fieri debeat

1. Joan. 13

nominemur, & sumus. Efficimur Christi membra, qui Ecclesiæ caput est, ac per hoc unum cum illo. *Unus enim homo Christus Caput, & Corpus* (ut sæpe repetit S. August.) Quod etiam significat Apostolus his verbis 1. ad Cor. XII. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Et, *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Per Baptismum denique consecramur Tempa Sp. Sancti; quo pertinet illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. III. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos.* His de causis Baptismum conferri Christus edixit *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

R E G U L A I.

Forma baptismi.

Irritus esset Baptismus, si quis baptizaret *In nomine SS. Trinitatis*, tribus Personis expresse non invocatis. Item si quis copulativa conjunctione in disjunctivam mutata, diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, vel Filii &c.* Item si quis baptizaret *In nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati*, seu ab utroque Procedentis. *Sicut enim aqua sumitur ad Baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres Personas in forma Baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari Personæ* (inquit S. Thomas in Responsione ad septimum argumentum) *nec in aliis Nominibus perficitur Sacramentum.*

R E G U L A II.

Irritus pariter esset Baptismus in Christi solius nomine collatus.

UT enim ait Didymus Lib. II. De Spiritu Sancto, *Licet quis possit existere saxei (ut ita dicam) cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis Nominibus prætermittat, tamen sine perfectione baptizabit.* Et Pelagius Papa in Rescripto ad Gaudentium Episcopum (ut refertur dist. IV. De Consecratione, cap. Si revera) hæc habet: *Si hi, qui in locis Dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in Nomine Domini baptizatos fuisse consententur; sine cujuscumque dubitationis ambiguo, eos ad Fidem Catholicam venientes, in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Idem confirmat Zacharias Papa, cujus verba referuntur eadem Distinctione, cap. In Synodo, quibus approbat Anglicanæ cujusdam Synodi Decretum, *Ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet.* Quod omnino verum esse ait: *Quia si lotus in fonte Baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fuerit baptizatus.* Ibidem, cap. Hi vero, quod ex S. Gregorio sumptum est, baptizari jubentur Hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizati sunt, sicut Bonosiani, & Cataphryges. Quibus Pontificum Decretis præponderare non debet, quod legitur cap. *A quodam*, ex Responsis Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum: *A quodam Judeo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto si in Nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in Nomine Christi (sicut in Actibus Apostolorum*

Nicolai I.
Responsum
explicatur.

legitur) baptizati sunt (Unum quippe idemque est, ut S. ait Ambrosius) rebaptizari non debent. Duo quippe in illa Responsione habentur. Primum, Virum illum, de quo dubitabatur, an Judæus esset, an Paganus, Ministrum Baptismi esse potuisse, nec iterandum Baptismum ab ipso collatum, modo in trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis nomine baptizaverit; qua de re dumtaxat fuerat a Bulgaris interrogatus Pontifex. Secundum, Baptismum etiam ab hujusmodi viro administratum ratum esse, etiam si in solius Christi Nomine collatus fuerit: qua de re non fuerat interrogatus. Prima pars Responsionis est Oraculum Sedis Apostolicæ, ex Ecclesiæ sensu, secundum Traditionem prolatum. Pars altera scitum est Nicolai ut privati Doctoris, ex proprio sensu, & opinione, quam S. Ambrosii testimonio niti existimavit, scriptum. Quod minime sequendum est: alioqui non solum Apostoli in Nomine tantum Domini nostri Jesu Christi baptizassent, Sp. Sancti afflatu, ut nomen Christi Jesu magis celebraretur (ut quidam probabile putant) sed ipsius etiam Nicolai I. temporibus, & modo, ratus fuisset Baptismus, essetque in Christi solius Nomine collatus: adeoque dispensatio, quam Apostolis datam volunt, ut in Christi tantum Nomine baptizarent, illis propria non fuisset.

Irritus Baptismus in solius Christi nomine collatus.

Forma Baptismi.

At (inquies) legimus Act. 11. 38. cap. x. 48. cap. xix. 5. quosdam *In nomine tantum Jesu Christi baptizatos*. Et S. Hilarius Lib. De Synodis in fine ait, Apostolos in Nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti baptizare iussos, tantum in Jesu Nomine baptizavisse. S. Ambrosius Lib. 1. De Sp. Sancto, cap. 111. asserit, *Quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum, ita Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil deesse ad Mysterii plenitudinem: quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est Filium, & Spiritum, quo unctus est, designasti. Scriptum est enim: Hunc Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu Sancto.*

Objectiones diluuntur.

Resp. Apostolos dici baptizasse tantum in Nomine Domini Jesu, idest, Baptismo a Christo instituto, & ab illo vim, & efficaciam omnem habente; sic enim vox ista, Nomen, usurpatur in Scripturis, Act. 14. 7. *In qua virtute, aut in quo Nomine fecistis hoc vos?* v. 10. *In nomine Domini Jesu Christi, quem vos crucifixistis.* Luc. xxiv. 27. *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & predicari in Nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Cum ergo S. Lucas in Actis ait, Quosdam ab Apostolis in Nomine tantum Domini Jesu Christi fuisse baptizatos, iis verbis significat Baptismum, non qui a Joanne, sed qui a Christo Domino traditus esset: tametsi a communi, & usitata forma, quæ distincta trium Personarum nomina continet, Apostoli non discederent. Confirmatur hæc Responsio ex Act. xix. ubi S. Paulus Discipulos quosdam Ephesi sic allocutus dicitur: „ Si Sp. Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Sp. Sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptismo Pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis, baptizati sunt in Nomine Domini Jesu. Ita hæc Scripturæ loca intellexit S. Cyprianus, Epist. lxxiii. referens; quod Act. 11. dixit Sanctus Petrus: Baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi, illudque explicans: Jesu Christi, inquit, mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post Resurrectionem a Domino Apostoli ad Gentes mittuntur, In nomine

Apostoli in Christi solius nomine non baptizarent.

- „ Patris , Filii , & Spiritus baptizare Gentiles jubentur . Quomodo er-
 „ go quidam dicunt , foris extra Ecclesiam , immo & contra Eccle-
 „ siam , modo in Nomine Jesu Christi , ubicumque & quomodocumque
 „ Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse , quando
 „ ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena , & adunata Trinitate ?
 Forma Ba-
 ptismi . Ita S. *Basilii* Lib. *De Sp. Sancto* , cap. xii. „ Neminem vero (inquit) in
 „ fraudem inducat illud Apostoli , quod nomen Patris , & Spiritus Sancti
 Galat. 3. 27. „ mentionem , in Baptismatis commemoratione frequenter omittit : neque
 „ ideo putet harum vocum usum esse indifferentem . *Quicumque* , inquit ,
 „ *in Christum baptizati estis , Christum induistis . Quicumque in Christo bap-
 „ tizati estis , in mortem illius baptizati estis .* Siquidem Christi appellatio ,
 „ totius Deitatis est professio : quippe quæ simul declarat & Deum , qui
 „ unxit , & Filium , qui unctus est , & Sp. Sanctum , qui est unctio , quem-
 Ad. 10. 38. „ admodum a Petro in Actis didicimus , *Jesum Nazarenum , quem unxit
 „ Deus Sp. Sancto* . Videtur tamen interdum & Spiritus tantum in Bap-
 „ tismate fecisse mentionem Apostolus . *Omnes* , inquit , *in uno corpore , & in
 „ uno Spiritu baptizati sumus* . His & illud consonat : *Vos baptizabimini in
 „ Sp. Sancto* . At non ideo quis dixerit perfectum esse Baptisma , in quo
 „ solius Spiritus nomen invocatum est . Oportet enim inviolabilem mane-
 re traditionem , quæ in vivifica gratia data est : eo quod qui liberavit
 1. Cor. 12.
 Act. 1. „ de corruptione vitam nostram , potestatem nobis renovationis dedit : quæ
 „ potestas causam habet ineffabilem , & in Mysterio reconditam , sed ma-
 „ gnam animabus salutem conferentem , ut quidquam addere , vel detrahe-
 „ re , plane sit ab æterna vita excidere . Proinde si in Baptismo separare
 „ Spiritum a Patre , & Filio , ut periculosum est baptizanti , ita Baptismum
 „ accipienti inutile ; quomodo nobis tutum fuerit a Patre , & Filio distra-
 „ here Spiritum ? Fides , ac Baptisma duo sunt modi parandæ salutis , in-
 „ ter se cognati , & inseparabiles . Nam fides perficitur per Baptismum ,
 „ Baptismus vero fundamento fidei nititur ; & utraque res per has voces
 „ impletur . Sicut enim credimus in Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum ,
 „ sic & baptizamur in Nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti .
 Ita S. *Augustinus* Lib. 11. *Contra Maximinum Arianorum Episcopum* , cap.
 xxvii. „ Dicis in Persona Sp. Sancti non posse suscipi , quod de Filio di-
 „ ctum est , *Omnia per ipsum facta sunt , & sine ipso factum est nihil* . Et
 Joan. 1. „ hoc ideo dicis , ut quibus potueris , persuadeas , quod vobis male persuasum
 „ est , Sp. Sanctum non esse Creatorem : quasi legeris , *Omnia per ipsum
 „ facta sunt sine Sp. Sancto* : aut , *omnia per neminem facta sunt , nisi per
 „ ipsum* . Quamquam si & tale aliquid legeres , sic Spiritum Sanctum ab
 „ hac operatione , qua constituta est creatura , credere non deberemus ex-
 „ clusum : sicut Filius non excluditur ab ea scientia , de qua dictum est ,
 1. Cor. 2. 11. „ *Quæ Dei sunt , nemo scit nisi Spiritus Dei* . Si autem quia non est nomi-
 „ natus , quod etiam per illum facta sit creatura , quando de Filio dictum
 „ est , *Omnia per ipsum facta sunt* , ideo putas Dei Spiritum non esse Creato-
 „ rem ; proculdubio nec in ejus Nomine poteris baptizatos dicere , quibus ait
 Ad. 2. 38. „ Petrus : *Agite Pœnitentiam , & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine
 „ Domini Jesu Christi* , quia non ait , *& Spiritus Sancti* , nec in Patris no-
 „ mine , quia nec ipse ibi est nominatus . Si autem etiam non nominatis
 „ Patre , & Spiritu Sancto , in Nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari ;
 „ & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris , & Filii , & Spir.
 „ Sancti : cur non sic audis de Filio Dei , *Omnia per ipsum facta sunt* , ut
 „ & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum ?
 Nec alia S. *Hilarii* mens est . Scopus enim illius erat ostendere
 mul-

multa in Scripturis reperiri, ex quibus imperiti capiunt occasionem errandi, eo quod inter se repugnancia videantur, tametsi revera concordent: quale est quod Apostoli *Matth. ult.* iussi sunt baptizare *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, qui tamen leguntur in Actis tantum in Nomine Jesu baptizasse, idest, tum in uno ipsius merito, tum eo dumtaxat Baptismo, quem ipse instituerat.

Forma Baptismi.

Nec etiam alia mens est *S. Ambrosii*, qui id unum probandum sibi sumit, quando in Scripturis aliqua operatio tribuitur uni Personæ, alias propterea non excludi, sed intelligi. „ Sed fortasse, *inquit*, aliquis dicit, Qua ratione cum dixerit ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Sp. Sancto tacerit? & hinc cupiat præjudicium comparare; quod si pergit malitiose interpretari quam multis inveniet locis prædicatam Sp. Sancti potestatem, in quibus, vel de Patre, vel de Filio nihil Scriptura expresserit, sed intelligendum reliquerit? Numquid ergo cum gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris, aut Unigeniti Filii denegatur? Non ita: quia sicut Pater in Filio, & Filius in Patre, ita Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum, qui datus est nobis. Et sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; qui unum Nomen est, Potestas una: ita etiam ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Sp. Sancti designatur, non solum ad Sp. Sanctum, sed etiam ad Patrem refertur, & Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, & Spiritum. *Cum ergo addit*: Quemadmodum in Christi Nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum; ita etiam Sp. Sancto tantum nuncupato nihil deest ad Mysterii plenitudinem: „ sensus est, ubi legitur Baptismus in Nomine Christi datus, intelligendum esse datum in Nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti. Et similiter cum dicitur datus in Sp. Sancto. Cum enim qui unum dixerit, Trinitatem signaverit, Scriptura Sacra Baptismum in unius Personæ Nomine collatum referens, intelligendum relinquit, alias Personas pariter fuisse in Baptismi forma nominatas. Atque hanc esse *S. Ambrosii* mentem, ex *S. Basilio* confirmatur, cujus sensus, ac sententias suas fecit: tum ex ipso *Ambrosio*, Libro *De iis qui Mysteriis initiantur* C. IV. *Credit*, *inquit*, *etiam Catechumenus in Crucem Domini Jesu, quia & ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.*

Lib. De Spiritu-Sancto
Cap. 12.

Præterea *S. Ambrosius* ipso Libro *De Spiritu-Sancto*, Cap. mox laudato, ita Baptismum in Nomine Jesu Christi interpretatur, ut iis verbis Baptismum significari doceat, non qui a *Joanne*, sed qui a Christo Domino traditus est, quamvis formam a Christo præscriptam servarent. *Et illi*, *inquit*, *qui negaverunt se scire Spiritum-Sanctum, quamvis baptizatos se dicerent in Joannis Baptismate, baptizati sunt postea: quia Joannes in Remissionem peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo baptizavit Nomine. Et ideo Spiritum nesciebant, quia nec Baptismum in Christi nomine, sicut Joannes baptizare solebat, acceperant. Joannes enim licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat, & Spiritum. . . . Baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi: nec iteratum est in his Baptisma, sed novatum. Unum enim Baptisma. Ita S. Ambrosium explicat Tridentini Concilii Catechismus.*

His adde rationem *S. Thomæ* III. P. Q. III. A. VI. „ Sacramenta, *inquit*, „ habent efficaciam ab institutione Christi: & ideo si præmittatur aliquid „ eorum, quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret; „ nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam Sacramentis non

Forma Baptismi.

„ alligavit. Christus autem instituit Sacramentum Baptismidari cum invo-
 „ catione Trinitatis: & ideo quicquid desit ad plenam invocationem Trinita-
 „ tis, tollit integritatem Baptismi. Nec obstat, quod in nomine unius Perso-
 „ næ intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod
 „ ille, qui nominat unam solam Personam, potest habere rectam fidem de
 „ tribus: quia sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita &
 „ forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad
 „ perfectionem Sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitatis exprimat: un-
 „ de & in Baptismo Christi (ubi fuit origo sanctificationis nostri Baptismi)
 „ adfuit Trinitas in sensibilibus signis; scilicet Pater in voce, Filius in hu-
 „ mana natura, Spiritus-Sanctus in Columba. “ Unde cum ait S. Doctor
 in Responsione ad primum, Apostolos ex speciali revelatione in Christi No-
 mine baptizasse, Responsio hypothetica est, & secundum Catechismum
 Concilii intelligenda, cujus hæc sunt verba: „ Quod si etiam aliquando
 „ tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli in Nomine tantum Domini
 „ Jesu Christi baptizarent: id quidem Spiritus-Sancti afflatu eos fecisse,
 „ exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiæ Jesu Christi no-
 „ minis prædicatio illustrior fieret, divinaque, & immensa ejus potestas magis
 „ celebraretur. Quamquam dubium fortasse videri potest, an hujusmodi for-
 „ ma Apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii, & Basilii gravissimorum
 „ Patrum auctoritatem sequi volumus, qui ita Baptismum in Nomine Jesu
 „ Christi interpretati sunt, ut dixerint iis verbis significari Baptismum,
 „ non qui a Joanne, sed qui a Christo traditus esset; tametsi a communi
 „ & usitata forma, quæ distincta trium Personarum nomina continet, Apo-
 „ stoli non discederent.

R E G U L A III.

Irritam est
Baptisma in
nomine
Dei, & san-
ctæ Crucis
collatum.

Multo minus ratum est Baptisma *In nomine Dei & Sanctæ Crucis* col-
 latum, quamvis illud approbare videatur S. Bernardus Epist. cccxl.
 (si tamen hæc S. Bernardi Epistola est) Huic enim Abbatis Sanctissimi
 privatæ opiniunculæ prævalet Traditio, & Patrum sententia ceterorum,
 quibus nec se præponi ipse voluisset: ac demum Ecclesiæ in Synodo Tri-
 dentina judicium Canone iv. de Baptimo: *Si quis dixerit, Baptismum,
 qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, cum
 intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; Anathema sit.*

R E G U L A IV.

Actio Mi-
nistri in
forma Ba-
ptismi ne-
cessario ex-
primenda.

Non solum tres Personæ Trinitatis in forma Baptismi propriis nomi-
 nibus exprimendæ sunt, sed & actio Ministri, dicendo, *Ego te ba-*
ptizo: cum enim ablutio hominis varios ob fines fieri possit, necesse est,
 ut Baptismi forma exprimat, ad quid fiat. Id autem satis non explicant
 hæc verba, *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*; cum in sancto
 hujusmodi nomine omnia facere debeamus, ut docet Apostolus ad Co-
 lossenses III. Ideoque actus baptizandi necessario exprimendus est. At
 vox illa, *Ego*, non est ita necessaria, ut sine illa Sacramenti ratio non
 constet, cum ejus vis contineatur in verbo *Baptizo*; immo vero in Ec-
 clesia Greca variata dicendi ratione prætermitti consuevit: propterea
 quod nullam fieri oportere Ministri mentionem judicarunt ad vitandum
 antiquum illorum errorem, qui digniorem, ac meliorem esse Baptismum
 a sanctioribus Ministris collatum censebant, dicentes: *Ego sum Pauli, ego
 vero Cephæ*: ex quo factum est, ut in Baptismo hac forma passim utan-
 tur: *Baptizatur servus Christi, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-*
tus-

ius-Sancti; a quibus tamen perfecte Sacramentum ministrari declaravit Eugenius IV. in Decreto ad Armenos. At si non exprimaturs actus Baptismi vel modo nostro, vel Græcorum, non perficitur Sacramentum.

Stephanus quidem Tornacensis postea Episcopus, tunc vero S. Evurtii Aurelianensis Abbas, a Pontio Claromontano Episcopo post annum MCLXX. consultus, an Baptisma puero collatum a patre his verbis, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, his omiſſis, *Ego te baptizo*, validum esset, respondit validum, ac ratum esse, neque hunc, nec alios, quos Alverni in extrema necessitate ita baptizare, seu (ut vulgo dicitur) *Undejare* solebant, esse rebaptizandos. Quia Christus non præcepit Apostolis, ut dicerent, *Ego te baptizo*, sed solum ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti: & Patres, ac Pontifices Baptismum *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti* collatum, seu *Verbis Evangelicis consecratum* (ut passim loquitur S. Augustinus) approbant, a quocumque, & ubicumque conferatur. *Clausulam*, inquit, *quæ a baptizantibus solet*, & debet dici, scilicet, *Ego te baptizo, summa reverentia deosculor, summo studio amplector. Eam Mater Ecclesia sic induxit, ut esset de solemnitate Ministerii, non de substantia Sacramenti. Nam si aliud dixerimus, absque medio confitebimur damnatos quos in necessitatis articulo a Laicis novimus baptizatos, hoc enim solum dicere solent, qui litteras ignorantes parvulos undajant: En nome Patres, & Files, & Esperites Sanctes; in quibus verbis eandem virtutem inesse quam in Latinis syllabis idem significantibus, & credimus, & fatemur. Verum nec id constanter asseruit Stephanus Tornacensis; & sententiæ Mauriti Parisiensis Episcopi suam postponi voluit: Opiniones, inquit, profundo, non assertiones, paratus summi, & Catholici viri Domini Parisiensis sequi vestigia. At Mauritius Parisiensis de eadem Quæstione a Pontio Claromontano sententiam rogatus Baptismum irritum esse respondit, in cujus forma hæc verba, *Ego te baptizo*, omiſſa essent. *In quem modum*, inquit, *forma Baptismi tradi, vel recipi debeat, Scripturarum divinarum auctoritate, & Sanctorum Patrum testimonio traditum habemus in hunc modum: Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti: & tanta est horum verborum vivacitas, ut nihil immutari, nihil innovari oporteat. Nisi vero tota hæc verba simul a quocumque, & quacumque lingua proferantur, Baptismum esse non credimus. Quia ergo presentium lator in submersione filii sui, Ego te baptizo, siluit, & tantum, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, protulit, Baptismus non fuit: & ideo puer ille baptizandus est, quia Baptismum nequaquam suscepit. Et postea id Decretali confirmavit Alexander III. Pontifex Maximus (ut refertur Extra, De Baptismo, & ejus effectu) his verbis: Si quis puerum ter in aqua immerſerit, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, Amen; & non dixerit, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, Amen; non est puer baptizatus.***

R E G U L A V.

Simul ab eo, qui baptizat, non ante, aut post ablutionem, verba Sacramenti, quæ formam continent, sed eodem tempore, quo ablutio ipsa peragitur, pronuncianda sunt. Et sic si convenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, & unus carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum. Possunt autem, si necessitas exigit, plures simul baptizari; quia nullus eorum reciperet nisi unum Baptismum:

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

E e 3

sed

Verba eodem simul tempore proferenda sunt a Ministro, quo ablutionem peragit. Forma Baptismi,

sed tunc dicendum esset, *Ego baptizo vos*; nec esset mutatio formæ, quia *Vos* nihil est aliud quam *Te & te*. At si plures unum baptizarent dicendo, *Nos te baptizamus*, irritum fore Sacramentum videtur. His enim verbis significatur, plures ea intentione convenire, ut unum Baptisma conferant: quod quidem videtur esse contra rationem Ministerii: homo enim non baptizat, nisi ut Minister Christi, & vicem ejus gerens: unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum Ministrum, qui Christum repræsentet: propter quod Apostolus ait ad Ephes. iv. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*. Et ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum. Si vero uterque diceret, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret. Quod contingere posset orta inter Ministros contentione, ex qua uterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, illum, qui prior verba proferret, collaturum Baptismi Sacramentum: alium vero nihil effecturum: & si verba proferre aggrediatur, obnoxium fore penis rebaptizantium. Si autem simul & eodem tempore ambo verba proferant, & hominem immergant, aut aspergant, puniendi erunt ob modum præposterum, & illicitum baptizandi, non ob iterationem Baptismi: & uterque, quantum in se est, baptizaret: nec traderent aliud, & aliud Sacramentum; sed Christus, qui est unus, interius baptizans unum Sacramentum per utrumque conferret. Ita S. Thomas III. P. Q. lxxvi. A. v. ad iv. & Quæst. lxxvii. A. vi.

R E G U L A VI.

Nemo potest seipsum baptizare.

Baptizare se ipsum nemo potest: tum quia Baptismus est spiritualis regeneratio; distinctio autem esse debet inter personam generantem, & genitam: tum quia mutaretur substantia formæ, dicendo, *Ego baptizo me*. Quamobrem Innocentius III. Pontifex Maximus Episcopo Metensi respondens, ut habetur Extra, *De Baptismo, & ejus effectu*, C. *Debitum*, ait: *Sane intimasti, quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantum existeret, in aquam se ipsum immerisit dicendo, Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, Amen. . . . Respondemus, quod cum inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti; memoratus Judæus est denuo ab alio baptizandus; ut ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat: ad quod etiam designandum ipse Christus non a se ipso, sed a Joanne voluit baptizari: quamvis si talis continuo decessisset, ad cœlestem patriam protinus evolasset propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.*

R E G U L A VII.

Quæ verborum omissiones, mutationes, aut additiones Baptismum irritum reddant?

Forma Baptismi.

Pronomen, *Ego*, quamvis absque peccato prætermitti non possit, ad substantiam formæ non pertinet, uti nec verbum, *Amen*.

R E G U L A VIII.

Pronomen, *Te*, ita necessarium est, ut qui tantum diceret, *Baptizo*, nihil conficeret. Si tamen loco illius pronominis, *Ego*, Minister dicat, *Nos Baptizamus*, aut loco *Te*, dicat, *Baptizo vos*, ad dignitatem personæ exprimendam, ratus erit Baptismus, cum sensus non mutetur. Idem esto judicium, si verbum activum in passivum mutetur; ut si dixerit,

Ba-

Baptizaris a me. Sic tamen immutari verba non possunt absque gravi peccato, quamvis mutatio sit accidentaria.

R E G U L A IX.

Latinus formam Græcorum studiose adhibens, *Baptizatur N. servus Chri-
sti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, lethalis peccati reus est; at Baptismus validus est, & ratus. Ecclesiæ suæ ritum quisque sequi tenetur; sed ratum est Sacramentum, si formæ substantia servetur.

R E G U L A X.

Si quis loco illius verbi, *Baptizo*, dixerit, *Abluo, lavo, immergo, aqua tingo*; validus est Baptismus, modo Sacramentalem ablutionem intendat, quam instituit Christus, & Ecclesia usurpat: alioquin si communem ablutionem dumtaxat intenderet ad corporis sordes abstergendas, ad sanitatem, ad refrigerationem, nihil conficeret Minister. Graviter tamen peccat, si verbum Evangelicum, *Baptizo*, mutare aggrediatur.

R E G U L A XI.

Si loco harum verborum, *In nomine*, dicat, *In nominibus*, nullus est Baptismus, quia his verbis, *In nomine*, significatur unitas essentiae, maiestatis, potestatis, operationis in tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis, quæ divisa significatur his verbis, *In nominibus*. Si quis præpositionem, *In* præmitteret, nihil conficeret.

R E G U L A XII.

Si quis addat formæ Baptismi aliqua verba formæ sensum non immutantia, ratus erit Baptismus. Sic validum esse Baptismum collatum sub ea verborum formula, quam refert *Severus* Patriarcha Alexandrinus Lib. *De Ritibus Baptismi*, in Bibliotheca Patrum edito, minime dubium est: *Baptizatur talis N. in nomine Patris, Amen, & Filii Amen, & Spiritus Sancti, ad vitam sæculi sæculorum.* Idem esto iudicium de forma, quam *Æthiopes* adhibent: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti Paracliti. Amen.* Idem esto iudicium de Formula his verbis expressa in veteri Manuscripto Monasterii Bobiensis, quem codicem ante annos mille exaratum censet *Vir Eru-*
ditus Dom. Joannes Mabillonius Tom. 1. Musæi Italici, ubi hanc Formulam refert, p. 324. *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, unam habentium substantiam, ut habeas vitam æternam, partem cum Sanctis.*

Forma Baptismi.

R E G U L A XIII.

Baptismus ita collatus: *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, egote baptizo in nomine Spiritus-Sancti*: nonnullis invalidus videtur, hominemque sic baptizatum sub conditione rebaptizandum, quia unitas formæ interrupta est. Mihi certe ratus, ac validus videretur, sicut *Stephano II. Pontifici Maximo* ratus, ac validus visusest, qui sic a rustico Presbytero fuerat collatus: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus-Sancti mergo.* Nec unitatem formæ censerem interruptam, sicut interruptam non sensit eo casu *Summus Pontifex*. Peccati tamen lethalis reus esset, qui ita baptizaret.

R E G U L A XIV.

Baptismus collatus sub hac forma: *Ego te baptizo cum Patre, Filio, & Spiritu-Sancto*, nullus esset; sicut & nullus miraculo comprobatus est, quem *Deuterius Arianus* Episcopus conferre aggressus est *Barbæ* cuidam *Constanti-*

nopoli, dicens: *Baptizatur Barba in nomine Patris, per Filium, in Spiritu-Sancto*: ut refert *Theodorus Lector* Lib. II. *Historiæ Ecclesiasticæ*. Quamobrem Baptismus a muliere Itala his verbis collatus: *Io ti battezo col Padre, col Figliuolo, collo Spirito-Santo*, absque hæsitatione improbandus erat, & insuper sub legitima verborum forma baptizandus.

C A P U T II.

DE BAPTISMO JOANNIS:

Baptismus *Joannis* Veteri Testamento ad exitum vergente institutus est, ut *Præcursorium Sacramentum* Baptismi Christi (inquit *S. Augustinus* Lib. II. *Contra Litteras Petiliani*, C. LVII.) ut scilicet Christus a Joanne baptizaretur, atque ita Baptismus consecraret. Secundo, ut Christus manifestaretur in Israel. Unde ipse de Christo ait *Joannis* I. *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*. Tertio, ut *Joannes* per suum Baptismus Christi Baptismus non solum adumbraret, sed ad illum homines præpararet tripliciter, scilicet inducendo ad fidem Christi, assuefaciendo ad Ritus Baptismi Christi, disponendo per pœnitentiam ad effectum Baptismi Christi: *Et qui prædicando factus est Præcursor Christi, etiam baptizando Præcursor ejus fieret imitatione Sacramenti* (inquit *S. Gregorius* Homilia VII. in Evangelia.) An vero Baptismus *Joannis* eandem vim habuerit, eandemque gratiam contulerit, quam Baptismus Christi, caput est inter Calvinianos, & Orthodoxos controversum.

P R O P O S I T I O U N I C A.

Baptismus Joannis eandem vim cum Baptismo Christi non habuisse, dogma fidei est.

Probatur ex summo quatuor Evangelistarum consensu, ipsiusque *Joannis* apud illos testimonio. Nam *Matth.* III. ad eos, qui ad se veniebant baptizandi, ne plus aliquid accepturos se putarent, quam revera accepturi essent, hæc verba dirigit: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu-Sancto, & igni*. Et *Marci* C. I. *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu-Sancto*. *Lucæ* III. Existimante autem Populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, respondit *Joannes* dicens omnibus: *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. *Joannis* 1. 26. *Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam corrigiam ejus calceamenti... Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum; hic est, qui baptizat in Spiritu-Sancto*. Ex quibus verbis manifestum est discrimen illud primum inter Baptismus *Joannis*, & Baptismus Christi, quod *Joannis* Baptismus solum corpus ablueret, ac mundaret aqua; Baptismus vero Christi homines interiorius per Spiritum-Sanctum a peccatis ablueret, gratiaque divinæ adoptionis donaret. Discrimen illud confirmatur ex his Sanctissimi Præcursoris verbis *Joannis* III. *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est*: illorum enim verborum sensus est, totum *Joannis* Ministerium cum Ministerio Christi collatum, terrenum esse, & cœlestis gratiæ vacuum. Unde *Textullianus* Lib. *De Baptismo*, C. x., *Nos porro, inquit, quantula fide sumus, tantulo & intelle-*

Primum discrimen inter Baptismus Joannis, & Baptismus Christi.

„ intellectu possumus æstimare, divinum quidem eum Baptismum fuisse, man-
 „ dato tamen, non & potestate, quod & Joannem a Domino missum legimus in
 „ hoc munus, ceterum humanum conditione. Nihil enim celeste præstabat; sed
 „ celestibus præministrabat, penitentiae scilicet præpositus, quæ est in hominis
 „ (*utique divinitus adjuti*) potestate... Aut daret & Spiritum-Sanctum, &
 „ remissionem delictorum, si celestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit,
 „ neque Spiritum indulget, nisi Deus solus. Etiam ipse Dominus, nisi
 „ prius ascenderet ad Patrem, aliter negavit Spiritum descensurum. Id quod
 „ Dominus nondum conferebat, servus utique præstare posset? Adeo postea
 „ in Actis Apostolorum invenimus, quoniam qui Joannis Baptismum habe-
 „ bant, non acceperant Spiritum-Sanctum, quem ne auditu quidem nove-
 „ rant. Ergo non erat celeste, quod celestia non exhibebat. Agebatur ita-
 „ que Baptismus Penitentiae quasi candidatus remissionis, & sanctificationis in
 „ Christo subsequaturæ. Nam quod prædicabat Baptismum Penitentiae in re-
 „ missionem delictorum, in futuram remissionem enunciaturum est. Siquidem
 „ Penitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præparare: qui
 „ autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat.
 „ Ipse profitetur sua non esse celestia, sed Christi dicendo: *Qui de terra est,*
 „ *de terra loquitur: qui de supernis venit, super omnes est.* Item in sola se
 „ Penitentia tingere, venturum mox, qui tinget in Spiritu, & igni. Sci-
 „ licet quia vera, & stabilis aquæ fides qua tingitur in salutem, simulata
 „ autem, & infirma igni tingitur in iudicium.

Joan. 3. 31
 Baptismus
 Joannis.

S. *Joannes Chrysostomus* Homilia x. in Matthæum, explicans quomodo *Joan-*
 „ *nes* prædicaverit Baptisma Penitentiae in remissionem peccatorum, „ Quam-
 „ quam, *inquit*, remissionem hoc Baptisma non habebat, sed hoc munus il-
 „ lius Baptismatis erat, quod postea Christus instituit. In hoc enim una se-
 „ pulti sumus, & vetus homo noster tunc simul crucifixus est, & ante
 „ Crucem nusquam prorsus extitit remissio peccatorum. Siquidem ubique
 „ ipsius hoc Sanguine deputatur. Idem enim istud Paulus affirmat: *Sed e-*
 „ *mundati, inquit, estis, sed sanctificati estis,* non per Baptisma Joannis, sed
 „ *In nomine Domini nostri Jesu Christi, & Spiritu Dei nostri.* Et alibi ipse
 „ dicit: *Joannes quidem prædicabit Baptismum Penitentiae:* & non ait, Re-
 „ missionis; sed ut crederent in Advenientem post eum. Cum enim nondum
 „ pro peccatis Mundi hostia fuisset oblata, cum necdum Spiritus-Sanctus
 „ descendisset, quomodo remissio peccatorum facta dicitur? ... Ita istud Ba-
 „ ptisma alterius, id est Christi, præparatio est. *Et Homil. xi.* Postquam Ba-
 „ ptismatis sui professus est simplicitatem, nec quidquam illud amplius habere
 „ monstravit, quam ut eos ad Penitentiam duceret: non enim dicit, in aqua re-
 „ missionis, sed Penitentiae: tum demum ponit etiam Christi Baptisma inef-
 „ fabiliū donorum liberalitate cumulatum: *hæc enim verba,* Ipse vos ba-
 „ ptizabit in Spiritu-Sancto, & igne, *significant* indulgentiam peccatorum,
 „ interitumque pœnarum, justificationem, sanctificationem, liberationem, fi-
 „ liorum adoptionem, fraternitatem, cohæreditatem, communionemque Chri-
 „ sti, Sancti Spiritus dona largissima.

I. Cor. 6.

Act. 1.
Luc. 3.

S. *Ambrosius* Lib. 11. in *Luce* Evangel. explicans illa verba, *Ego vos a-*
 „ *qua baptizo,* & Baptismum *Joannis* cum Baptismo Christi comparans, *Aliud,*
 „ *inquit, fuit Baptisma Penitentiae, aliud Gratiæ est.*

S. *Hieronimus* Dialogo Adversus Luciferianos, *Joannis,* inquit, *Baptisma*
 „ *non tam peccata dimisit, quam Baptisma Penitentiae fuit in remissionem pec-*
 „ *catorum, id est, in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem*
 „ *Christi subsequaturæ. Scriptum est enim:* Fuit Joannes in deserto baptizans, &
 „ prædicans Evangelium Penitentiae in remissionem Peccatorum. *Et post*
 „ *modi.*

Marci 1.

Joann. 3. modicum: Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. Ut enim ante Præcursor Domini ipse sic & Baptisma ejus prævium dominici Baptismatis fuit. Qui de terra est, agebat, terrena loquitur: qui de supernis venit, super omnes est. Et iterum: Ego baptizo vos in aqua: ille baptizabit vos in Spiritu-Sancto. Si autem Joannes, ut confessus est ipse, non baptizavit in Spiritu, consequenter neque peccata dimisit, quia nulli hominum sine Spiritu-Sancto peccata dimittuntur. Aut si contentiose argumentaris ideo Joannis Baptisma dimisisse peccata, quia de cælis fuit: edoce quid amplius in Christi baptismate consequamur, quod peccata dimittit, & liberat a gehenna. Quod a gehenna liberat, perfectum est. Perfectum autem Baptisma non est, nisi quod in cruce, & resurrectione Christi est. Ita tu perverse religiosus, dicente ipso Joanne, Illum oportet crescere, me autem minui, dum servi Baptismo, plus quam habuit, tribuis, Dominicum destruis, cui nihil amplius relinquis.

Joan. 3. 30. S. Augustinus Lib. v. De Baptismo Contra Donatistas, Cap. x. Si Baptismo, inquit, Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit Baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post Baptismum Joannis Christi Baptismo voluit baptizari? Idem Tractatu IV. in Joannem: Quid profuit Baptismus Joannis? Fratres mei, si profuit aliquid, & modo maneret, & baptizarentur homines Baptismo Joannis, & sic venirent ad Baptismum Christi. Sed quid ait? Ut manifestaretur Israeli: id est, Populo Israel, ut manifestaretur Christus, venit baptizare in aqua. Accepit ministerium Baptismatis Joannes in aqua Pœnitentiæ, parare viam Domino, non existens Dominus; at ubi cognitus est Dominus, superfluo ei via parabatur, qui cognoscentibus se ipse factus est via: itaque non duravit diu Baptismus Joannis. Enchiridii Cap. xlix. Non renascebantur, qui Baptismate Joannis baptizabantur, a quo ipse baptizatus est; sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat, Parate viam Domino, huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur. Hujus enim Baptismus est non in aqua tantum, sicut fuit Joannis, verum etiam in Spiritu-Sancto: ut de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus generatus regeneratione non eguit. Legatur & Libro II. Contra Litteras Petiliani, Cap. xxxvii. Lib. De Unitate Ecclesiæ Cap. xxi. Lib. De Unico Baptismo, Cap. vii. Sermone ccx. alias lxxv. De Diversis. Et Epistola xciii. alias xlviii. Ad Vincentium Rogatistam, Cap. xi.

Luc. 3. 4. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. II. in Joannem, P. 156. & 157. illos mentis inopes asserit, & contra Ecclesiæ dogmata insurgere, qui dicere auderent, nullum esse discrimen Baptismatis Christi, & Baptismatis Joannis. Idem non esse Baptisma Joannis cum eo quod a Salvatore nostro factum est, asserit: Proximum tamen esse, & circa ipsum, ut doceret præparationem quamdam & rudimentum esse perfectionis. Quemadmodum ergo Lex Mosaica umbram habere dicitur futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: ita quoque de Baptismo illo in penitentiam censendum est.

S. Gregorius Homilia vii. in Evangelia, Joannes, inquit, non in Spiritu, sed in aqua baptizat; quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non sanat.

Secundum discrimen inter Baptismum Joannis, & Baptismum Christi, Discrimen alterum inde petitur, quod Baptismum S. Joannis ab ipso denominatus fuerit, quia scilicet in eo nihil agebatur, quod vires Joannis excederet: quamvis a Deo institutus esset quoad Ritum, siquidem Joannes a Deo missus erat, ut baptizaret. Baptismum autem novæ Legis non denominatur a Ministro: quia illius effectus, nempe spiritualis regeneratio ex aqua, & Spiritu-Sancto, baptizantis vires prætergreditur. Quamobrem solius Christi dicitur, qui interius baptizat in Spiritu-Sancto. „ Quoniam er-

go, inquit S. Augustinus *Tractatu v. in Joannem*, acceperat Joannes Baptismum, qui proprie Joannis diceretur, Dominus autem Jesus Christus noluit Baptismum suum alicui dare, non ut nemo baptizaretur Baptismo Domini, sed ut semper ipse Dominus baptizaret; id actum est, ut & per Ministros Dominus baptizaret, id est, ut quos Ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur: talis erat Baptismus Joannis, qualis Joannes, Baptismus justustamquam justus, tamen hominis... Tale autem Baptisma Domini, qualis Dominus; ergo Baptisma Domini divinum, quia Dominus Deus.

Tertium discrimen inter Baptismum Joannis, & Baptismum Christi est, quod baptizatos Joannis Baptismate, Christi Baptismo initiari necesse esset, ut gratiam, & salutem æternam consequerentur, non e contrario. Actuum Tertium discrimen.

xix. 4. 5. In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptismo Pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Quamobrem S. Augustinus Lib. v. De Baptismo contra Donatistas, Cap. x. ex hoc ipso Actuum loco probans Christi Baptisma præstantius esse Baptismo Joannis, ait:

Dominus Jesus-Christus tali Baptismo mundat Ecclesiam, quo accepto nullum alterum requiratur. Joannes autem tali Baptismo prætingebat, quo accepto esset Baptisma etiam Dominicum necessarium; non ut illud repetatur, sed ut eis, qui Baptismum Joannis acceperant, etiam Christi Baptismus, cui viam præparabat ille, traderetur. Si enim Christi humilitas commendanda non esset, nec Baptismo Joannis opus esset: rursus si in Joanne finis esset, post Joannis Baptisma Christi Baptismate opus non esset. Sed quia finis legis Christus ad justitiam omni credenti, ab illo demonstratum est, ad quem pergeretur: ut ad hunc cum perventum fuerit, permaneretur. Idem igitur Joannes & celsitudinem Domini prædicavit, cum eum sibi longe præposuit, & humilitatem, cum eum tamquam infimum baptizavit. Sed si Joannes Christum solum baptizasset, melioris Baptismi Joannes dispensator fuisse putaretur, quo ipse Christus solus tinctus esset, quam Christi est, quo Christiani tinguntur: & rursus si omnes prius Baptismo Joannis, & deinde Christi baptizari oporteret, minus plenus, minusque perfectus Christi Baptismus merito videretur, qui non sufficeret ad salutem. Quocirca & Baptismo Joannis baptizatus est Dominus, ut superbas hominum cervices ad salutare suum Baptisma flecteret; & non solus illo Baptismate tinctus est, ne hoc ipso superius illud ostenderet, quod eo solus ipse baptizari meruisset, & ultra illud perseverare non sivit, ne hoc unum, quo ipse baptizat, indigere præcedente aliquo videretur.

Baptismus Joannis vim eandem cum Baptismo Christi, non habuit.

His concinit S. Thomas III. P. Q. xxxvii. A. III.

Merito itaque Sacra Synodus Tridentina primum hunc de Baptismo Canonem contra Hæreticos edidit. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habere eandem vim cum Baptismo Christi; Anathema sit.*

Objicitur illud Marci I. 4. *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et Lucæ III. 3. *Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et Scriptura Sacra non aliter loquitur de Baptismo Christi. Nam S. Petrus ait Actuum II. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum.* Et in Symbolo Constantinopolitano confitemur *Unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Objectionibus respondetur

Præterea, Veterum Patrum plerique remissionem peccatorum per Baptismum Joannis datam asserunt. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystagoga II. Nemo itaque existimet Baptisma tantum remissionis peccatorum, verum etiam adoptionis filiorum sese accipere, sicut Joannis Baptismus solam peccatorum condonationem præstabat. Et Catechesi II. Illuminatorum, de illis, qui baptizabantur a Joanne ait: Primum, ostendebat vulnera, deinde ille medicamenta apponebat, & credentes liberabat ab igne eterno.

Baptismus
Joannis.

S. Basilius Lib. I. De Baptismo, C. II. Baptisma Joannis, inquit, nulla prorsus facta dilatione, per gratiam Dei, & Christi ipsius, simul atque accesserat quis, & peccata sua quantumque, & qualiacumque fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat.

S. Ambrosius Lib. I. De Spiritu-Sancto, Cap. III. Joannem baptizasse pariter docet In remissionem peccatorum.

Aurelius Prudentius, Catemerinon Hymno VII. de Joanne ita canit.

Hortator ille primus, & doctor novæ
Fuit salutis: nam sacro in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas;
Sed tincta postquam membra defecaverat,
Cælo resurgens influebat Spiritus.
Hoc ex Lavacro labe dempta criminum
Ibant renati non secus, quam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat.

Respondetur, nullibi de Joanne dici in Scriptura Sacra, quod baptizaverit in remissionem peccatorum, sed quod prædicaverit Baptisma Pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Remissio itaque peccatorum ad Joannis Baptismum non refertur ab Evangelistis, sed ad Pœnitentiam a Sancto Præcuratore prædicatam, cujus professione, & actione homines præparabat ad remissionem peccatorum per Baptismum Christi consequendam. Ita utriusque Evangelistæ testimonium explicant Tertullianus Libro De Baptismo, Cap. x. S. Joannes Chrysostomus, Homil. x. in Matthæum, S. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, S. Ambrosius II. in Evangelium S. Lucæ, & S. Augustinus L. v. De Baptismo contra Donatistas, Cap. x. Venerabilis Beda in C. I. S. Marci, & S. Thomas III. P. Q. xxxviii. A. III. in Responsione ad primum argumentum.

Patres vero laudati sic explicari possunt, ut remissionem peccatorum Joannis Baptismus in spe dederit, non in re; vel ex opere operantis, non ex opere operato; id est, ratione adjunctæ Pœnitentiæ, ad quam homines hortabantur, non per se; vel denique disponendo, non efficiendo. Ut ut est, Patres illi Baptismo Christi vim majorem, & excellentiorem tribuunt, quam Baptismo Joannis, quod unum ad fidem pertinet. S. Cyrillus Hierosolymitanus donationem Spiritus-Sancti, & adoptionem filiorum Joannis Baptismo non tribuit, sed uni Baptismo Christi. Nos vera, inquit, de Christi Baptismo certi sumus, quod ita ut est peccatorum ablutio, sic & donum Sancti Spiritus conciliat, sic & Christi Passionum imaginem gerit. Nec per se valuisse, ait, ad liberandum homines ab æterna damnatione, sed ratione tantum prædicationis, qua illos ad Pœnitentiam inflectebat, & ad Christi fidem præparabat. Ac si velis, inquit, hoc tibi probari, quod Baptismus Joannis ab igne comminationis liberabat, audi ipsum dicentem: Genimina viperarum, quis monstravit vobis fugere a futura ira? Et infra: Magnus Joannes, sed quid is ad Dominum? Bonus ille, qui in aqua baptizabat; sed quid ad illum, qui baptizabat in Spiritu, & igne?

S. Basilius Baptismum quidem Joannis extollit super Mosaicum Baptisma,

Catech. II.
Mystag.

Catech. II.
Illumin.
Lucæ 3. 7.

feu purificationes Veteris Legis, sed longe postponit Baptismo Christi. Subdit enim: *Domini vero Baptisma omnem humanam rationem superat, & gloriam habet quodcumque humanum desiderium, ac votum excellentem, ac majore gratiæ, & virtutis supereminetia reliqua superat, quam Solis splendor ceteras stellas excellit. Si vero Sanctorum dicta ad memoriam revocentur, adhuc exactius illam incomparabilem Domini Baptismatis excellentiam commendabunt.*

S. *Ambrosius* Joannem baptizasse ait in remissionem peccatorum a Christo dandam: *Joannes, inquit, in remissionem peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo baptizavit Nomine.*

Prudentius, si Spiritum Sanctum in *Joannis* Baptismo influere ait, & per illum homines renasci, ipsi Joanni contradicit, dicenti: *Ego baptizo vos aqua: ille vos baptizabit in Spiritu-Sancto, & igni:* & Poetica libertate minime probanda prætergreditur Theologiæ metas, intra quas Musam suam coercere debuisset, ac loqui cum Scriptura, & Patribus. Joan. 1. 26

Hunc Articulum absolvamus S. *Augustini* verbis Lib.v. *De Baptismo. C. x.* *Quapropter quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua Pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa vero in Domini Baptismo id fieret: sicut Resurrectio, quæ expectatur in finem, spe in nobis facta est, sicut dicit Apostolus, „ Quia simul nos excitavit, & „ simul sedere fecit in cœlestibus. Et idem dicit, Spe enim salvi facti sumus. „ Nam & Ipse Joannes cum dicat, Ego quidem baptizo vos in aqua, in Pœnitentiam, in remissionem peccatorum: Dominum videns ait, Ecce Agnus „ Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. Tamen ne quisque contendat etiam in Baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Paulus denuo baptizari, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.*

Ephes. 2. 6
Rom. 8. 24.
Matt. 3. 31.
Joan. 1. 29.

C A P U T III.

DE INSTITUTIONE BAPTISMI.

PROPOSITIO I.

Baptismus ante Christi Passionem institutus est.

PROBATUR. Apostoli ante Passionem Domini baptizarunt, non Baptismo *Joannis*, sed Christi: siquidem ipsi Christo tribuitur Baptismus ab illis collatus, *Joanni* potius tribuendus, si *Joannis* Baptisma contulissent. *Joannis* 111. 22. *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Baptizaturus erat Christus in Spiritu-Sancto, & igni, secundum testimonium *Joannis*. Qui ergo Christo tribuitur Baptismus, alius erat a *Joannis* Baptismo in aqua tantum collato. Præterea orta est æmulatio inter Discipulos *Joannis*, & Christi, occasione Baptismi, nullatenus futura, si *Joannis* Baptisma utique contulissent. *Ibidem* Vers. 25. & 26. „ *Facta est autem Quæstio ex Discipulis Joannis cum Judæis de Purificatio-* „ *ne. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum* „ *trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, &* „ *omnes veniunt ad eum. Et Joannis* IV. 1. *Ut ergo cognovit Jesus, quia* „ *audierunt Pharisei, quod Jesus plures Discipulos facit, & baptizaret,* „ *quam Joannes, quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus) reli-* „ *quit Judæam. Discipuli ergo Christi Baptisma ejus nomine, auctoritate, &* „ *mandato conferebant; adeoque illud erat Christi Baptisma: quamobrem ante* „ *Salvatoris Passionem institutum censeretur.*

Con-

Quo tempo-
re Baptif-
mus institu-
tus?

Confirmatur ex *S. Augustino* Epist. cclxv. alias cvii. ad *Seleucianam* hanc Quæstionem tractante. *Utrumque autem de Domino scriptum est, & qui abaptizabat plures quam Joannes, Et quia ipse non baptizabat, sed Discipuli ejus: ut intelligeremus, & ipsum quidem baptizasse præsentia majestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis. Ipsius enim erat Baptismi Sacramentum, ad Discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat.* Id confirmat Tractatu xv. in *Joannem*.

Probatur secundo. Qui erant ab Apostolis ante Passionem Domini baptizati, non leguntur iterum post Christi Passionem baptizati; sicut de illis, qui *Joannis* Baptismate baptizati erant, *S. Lucas* testatur *Actuum* xix. Baptismum ergo Christi, non *Joannis* ab ipsius Domini Jesu Discipulis acceperant.

Confirmatur ex *S. Augustino* Tract. v. in *Joannem*. „ Baptismum Christi das
„ (*inquit*) ideo non post te baptizatur, post Joannem ideo baptizatum est,
„ quia non Christi Baptismum dabat, sed suum: quia sic acceperat, ut ipsius
„ esset. Non ergo tu melior, quam Joannes; sed Baptismus, qui per te
„ datur, melior, quam Joannis, ipse enim Christi est, iste autem Joannis.
„ Et quod dabatur a Paulo, & quod dabatur a Petro, Christi est; & si
„ datum est a Juda, Christi erat. Dedit Judas, & non baptizatum est post
„ Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem: quia si datus est a
„ Juda, Baptismus Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis e-
„ rat. Non Judam Joanni, sed Baptismum Christi etiam per Judæ manus
„ datum Baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte præponimus.
„ Etenim dictum est de Domino, antequam pateretur, Quia baptizabat plu-
„ res, quam Joannis: deinde adjunctum est, Quamvis ipse non baptizaret,
„ sed Discipuli ejus: ipse, & non ipse: ipse potestate, illi ministerio: ser-
„ vitudinem ad baptizandum illi admovebant, potestas baptizandi in Christo
„ permanebat. Ergo baptizabant Discipuli ejus, & ibi adhuc erat Judas in-
„ ter Discipulos ejus: quos ergo baptizavit Judas, non sunt iterum bapti-
„ zati: & quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt? Plane iterum,
„ sed non iterato Baptismo. Quos enim baptizavit Joannes, Joannes bapti-
„ zavit: quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit.

Tertullianus quidem Libro *De Baptismo* Cap. xi. *S. Joannes Chrysostomus* Homil. iiii. in *Joannem*, *Euthymius*, & *Theophilactus*, censent Christi Domini Discipulos non alio, quam *Joannis* Baptismate ante illius Passionem baptizasse; sed longe probabilior est *S. Augustini* sententia in Scriptura fundata.

At, inquires, quomodo Apostoli baptizarunt Baptismo Christi, quem ipsos recepisse Scriptura non testatur? Certe solo *Joannis* tinctos Baptismate *Tertullianus* docet.

Respondetur, quamvis non sit consequens, ut alios Baptizare non possit, qui Christi Baptismate non est initiatus; & probabiliter dicere potuerit *Tertullianus*, Apostolis *Vel primæ adlectionis, & exinde individue familiaritatis prærogativam compendium Baptismi contulisse, cum sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur: probabiliorem tamen esse, & omnino anreponendam S. Augustini* sententiam asserentis, Apostolos, prius quam a Christo ad baptizandum mitterentur, ab ipso Salvatore fuisse baptizatos, etsi id Scriptura non expresserit. Quam tamen id innuisse censet. Ea de re mentem suam exponit in Epistola *Ad Seleucianam* supra laudata. „ Recte, *inquit*,
„ dici potest, quia cum Petrus negavit Dominum, nondum fuerant Apo-
„ stoli baptizati, non tamen Aqua, Sed Spiritu Sancto. Hoc enim eis dixit
„ postquam resurrexit, & conversatus est cum eis, *Joannes quidem baptizavit*
„ *Aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, quem & accepturi estis non*
„ *post multos hos dies...* Si autem dicimus aqua non fuisse baptizatos, me-

Apostoli
baptizati
sunt a Chri-
sto.

„ tuen-

tuendum est, ne graviter in eis erremus, ne demus hominibus auctoritatem contemnendi Baptismum, quem usque adeo non contemnendum ipsa Apostolica disciplina commendat, ut Cornelius Centurio, & ii, qui cum illo erant, etiam jam accepto Spiritu-Sancto, fuerint baptizati. Sicut antiqui Justi si non circumciderentur, non erat eis peccatum; postea vero iussit Deus, ut circumcideretur Abraham, ejusque posteritas; jam si non fieret, grave peccatum fuit; sic etiam postquam Dominus Christus in Ecclesia sua Sacramentum Novi Testamenti pro Circumcisione carnis sanctum Baptismum dedit, & apertissime dixit, *Si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non intrabit in Regnum cœlorum*; jam non debemus quærere quando quisque fuerit baptizatus; sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertingere ad Regnum cœlorum, non nisi baptizatos intelligere debemus: nisi forte quos angustia Passionis invenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa Passio pro Baptismo deputata est. Sed numquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui usque adeo largum tempus habuerunt quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint? Sed non omnia, quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur, verumtamen facta esse ex ceteris documentis probantur. Scriptum est, quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est quando baptizati sint alii Apostoli; verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus: quemadmodum scriptum est quando baptizatae sint plebes Ecclesiarum in Jerusalem, & Samaria; quando autem baptizatae sint aliæ plebes gentium, quibus Apostoli Epistolas miserunt, non est utique scriptum, & tamen etiam ipsas baptizatas utique minime dubitamus propter illam Domini sententiam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non intrabit in Regnum cœlorum*. Idem docet Epistola xlii. alias clxiii. ad *Glorium, Eleusum, & Felicem*, & Lib. III. *De Anima, & ejus origine*, C. ix.

Eidem sententiæ S. Ambrosius suffragatur in *Apologia David*, Cap. ix. *Qua gratia Petrus, qui ante fuerat baptizatus, interrogatur, postquam visus est Dominum negasse: Simon Joannis diligis me? Dixit ei: Utique tu scis, Domine, quia ego diligo te.*

Act. 1. 15

Joan. 3. 5

Act. 9.

Act. 2.

Joan. 3. 5

Joan. 15. 16

P R O P O S I T I O II.

Christus tunc Baptismum instituit, cum a Joanne in Jordane baptizatus est

CUM enim Sacramentum vim conferendi gratiam ex institutione sua habeat; tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando virtutem accipit producendi suum effectum: hanc autem virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus: unde tunc vere Baptismus institutus fuit, cum ipse a Joanne baptizatus, sanctificandi virtutem aquæ tribuit. Testatur enim S. Gregorius Nazianzenus, eo tempore aquæ vim generandi in spirituales scilicet vitam datam esse. Sic habet Oratione xxxviii. in Nativitatem Christi. *Ac quidem paulo post & Jesum purgatione mea in Jordane purgari videbis vel potius aquas purgatione sua purificare*. Et Oratione xxxix. Christum baptizari ait, *Ut totum veterem Adam sepeliat in aquis: ante hos vero, & propter hos Jordanem; nimirum ut spiritus, & caro erat, sic etiam per spiritum, & aquam inities*. Idemque confirmat vetus Auctor Sermonis vi. in Epiphania Domini, olim inter Augustinianos xxix. De Tempore, nunc cxxxvi. in Appendice: *Quia, inquit, per universum Mundum Sacramentum Baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Jordanis alveum unica, ac singulari pietate descendit*.

Quo tempore Baptismus institutus:

dit. Tunc enim Christum Dominum non tam lavit unda, quam lota est Ad tactu membra tinguntur, & fluenta ditantur: vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore. Sic & S. Ambrosius, Lib. II. in Lucam §. 83. Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas; ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent. Et ideo, qui ad Christi Lavacrum venerit, peccata deponit.

Ex eo confirmatur Propositio nostra, quod in Christi Baptismo Sanctissima Trinitas in cujus Nomine Baptisma, conficitur, Numen suum præsens declaravit. Vox enim Patris audita est: Filii Persona aderat: & Spiritus-Sanctus in columbæ specie descendit. Præterea cæli aperti sunt, quo nobis jam per Baptismum licet ascendere. Ita S. Thomas III. P. Q. xxxix. A. v. vi. & vii. & Concilii Tridentini Catechismus. Præclara sunt, quæ habet S. Doctor A. v., Christus, inquit, baptizari voluit, ut suo Baptismo conferret Baptismum, quo nos baptizaremur: & ideo in Baptismo Christi eadem monstrari debuerunt, quæ pertinent ad efficaciam nostri Baptismi. Circa quam tria sunt consideranda. Primo quidem principalis virtus, ex qua Baptismus habet efficaciam; quæ quidem est virtus cælestis: & ideo baptizato Christo apertum est cælum, ut ostenderetur, quod de cetero cælestis virtus Baptismum sanctificaret. Secundo, operatur ad efficaciam Baptismi fides Ecclesiæ, & ejus, qui baptizatur. Unde & baptizati fidem profitentur, & Baptismus dicitur Fidei Sacramentum. Per Fidem autem inspicimus cælestia, quæ sensum, & rationem humanam excedunt: & ad hoc significandum Christo baptizato aperti sunt cæli. Tertio, quia per Baptismum Christi aperitur nobis introitus Regni cælestis, qui primo homini præclusus fuerat per peccatum. Unde baptizato Christo aperti sunt cæli, ut ostenderetur, quod baptizatis patet via in cælum: post Baptismum autem necessaria est homini jugis oratio ad hoc quod cælum introeat. Licet enim per Baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius, & mundus, & dæmones, qui impugnant exterius. Et ideo dicitur Luc. III. Quod *Jesu baptizato, & orante, apertum est cælum*, quia scilicet Fidelibus necessaria est oratio post Baptismum. Unde *Venerabilis Beda in C. III. S. Lucæ ait*: Ad nos informandos Jesus baptizatus orasse memoratur, quibus post Lavacrum Baptismi, ut aula cæli pandatur, non otiose vivendum, sed precibus est insistendum.

Quibusdam tamen Theologis non ignobilibus placet, Christum in Jordane quidem significationem quamdam exhibuisse ejus, quod in Baptismo a se instituendo fieri deberet: quia Trinitatis repræsentatio facta voce Patris super Filium, cum descensu Spiritus-Sancti in specie columbæ, significabat in nomine, & virtute Trinitatis a peccatis purgandos esse, & sanctificandos, qui Christi Baptismate deinceps abluerentur: quin & ipse Christus, cujus corpus lavabatur in Jordane, significabat Ecclesiam quæ est corpus ejus abluendam Baptismo ipsius: sed tunc demum Baptismum suum instituisse, cum ait Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Idque satis Textu Evangelico videtur ipsis confirmari; siquidem Dominus statim post illud cum Nicodemo colloquium procedens ad executionem institutionis factæ, Discipulos misit ad baptizandum. Unde S. Bernardus Epistola lxxvii. sive Tractatu ad Hugonem De S. Victore, hæc verba Salvatoris vocat *Præceptum vitæ, & cæleste edictum, Novi Mysteriorum decretum, sed adhuc secretum*, & minime obligans, nisi post sufficientem ejus promulgationem. Sed tamen verius censeo tunc quidem commendatam Baptismi necessitatem,

Circa tempus institutionis Baptismi varie sunt Theologorum sententiæ.

Joan. 3.

ac veritatem, non tamen tunc institutum fuisse. Ut ut est, inter Theologos convenit hoc Sacramentum ante Christi Passionem institutum fuisse; ita tamen, ut a Passione, quæ omnium Christi actionum tamquam finis erat, vim, & efficientiam omnem hauserit. Ita S. Thomas III. P. Q. lxxvi. Articulo II. ad I.

P R O P O S I T I O III.

Obligatio Baptismi non cœpit nisi post mortem, & resurrectionem Christi, ac sufficientem Legis Evangelicæ promulgationem.

NAm in Passione Christi consummata sunt, & finem habuerunt Veteris Legis Sacramenta, quæ umbræ erant, & figuræ Sacramentorum Novæ Legis, quæ ipsis succedere: & per Baptismum conformatur homini Passioni, & Resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novam justitiæ vitam. Quamobrem oportuit Christum prius pati, & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas configurandi se morti, & Resurrectioni ejus. Unde post Resurrectionem Apostolis præcepit, ut Legem Baptismi promulgarent, ac exequerentur: *Euntes (inquit) docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Id auctoritate S. Petri confirmatur Epist. I. Cap. I. 3. *Regeneravit nos, inquit, in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Et ex S. Paulo ad Ephesios v. de Ecclesia ita loquente: *Seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam Lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ex his enim colligitur, utrumque Apostolum Baptismi obligationem ad tempus, quod Mortem, & Resurrectionem Domini consecutum est, retulisse. Nullo modo igitur dubitandum est, quin illa verba Salvatoris, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei,* id ipsum tempus spectaverint, quod post Passionem, & Resurrectionem futurum erat. Ea scilicet Legis positivæ ratio est, ut non nisi promulgata obliget. Cum itaque Baptismus non naturali, sed positiva tantum lege divina præceptus sit; sequitur, homines ad eum suscipiendum non fuisse prius obligatos, quam Lex de illo a Salvatore lata ad hominum notitiam perveniret, quod sufficienti promulgatione per Apostolorum prædicationem factum est. Quamvis enim renasci ex Spiritu-Sancto semper, & omnino fuerit necessarium; modus tamen renascendi per aquam non fuit necessarius, nisi Circumcisione per Christi Mortem abrogata, & Evangelica Lege plene promulgata, Baptismique præcepto palam significato. Id confirmat S. Bernardus in Tractatu ad Hugonem De Sancto Victore, ubi quemdam refellit asserentem, neminem absq; Baptismo salutem æternam consequi potuisse, ex quo primum a Domino dictum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

S. Th. ibid. in Corpore Articuli.

Quo tempore cœpit obligatio baptismi?

Matt. 28.

19.

Marc. 16.

11.

Joan. 3.5.

C A P U T IV.

DE BAPTISMI NECESSITATE.

Præmittendum est, triplicem vulgo Baptismum a Theologis distingui: Triplex Baptismum aquæ, Baptismum flaminis, seu desiderii, & Baptismum sanguinis. Baptismum aquæ superius definivimus. Baptismus flaminis est vera cordis contritio includens votum Baptismi. Baptismus sanguinis est Martyrium pro Christo toleratum, antecedens Baptismum aquæ, & vicem ejus supplens. Hæc autem duo postrema Baptismata (inquit S. Thomas) includuntur in Baptismo aquæ, qui efficaciam habet & ex Passione Christi, & ex Spiritu-Sancto: Unde hæc divisio non tollit unitatem Baptismatis.

Triplex Baptismus. Unum tamen Baptismi Sacramentum.

S. Th. III.

P. Q. LXXVI.

A. XI.

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

F f

tis.

tis. Conveniunt autem hæc duo cum Baptismo aquæ non in ratione signi, sed in effectu Baptismatis, remissione scilicet originalis peccati, & spirituali regeneratione: & ideo non sunt Sacramenta.

P R O P O S I T I O I.

Omnibus hominibus Baptismi Lex a Domino præscripta est, non solum iis, qui adulta sunt ætate, sed etiam infantibus: ita ut nisi per Baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam, & interitum a parentibus, sive illi fideles, sive illi infideles sint, procreentur.

Baptismi
necessitas.

Joan. 1.

Lex baptis-
mi nullam
exceptio-
nem pati-
tur.

Propositio ista dogma fidei est, quod probatur ex illis Christi verbis Joannis III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Cujus rationem reddens, subdit: *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Quasi dicat, Nemo nisi spiritualis potest ingredi Regnum Dei: omnes autem ex carnali natiuitate carnales sunt: nisi igitur per Spiritum-Sanctum spirituales efficiantur, non poterunt introire in Regnum Dei: quandoquidem caro propria vi spiritualis evadere non potest. Sic autem a Deo constitutum est, ut nemo spiritualis fiat nisi per Baptismum aquæ. Omnes itaque lege Baptismi tenentur, ita ut sine Baptismo aquæ renasci, & ad Regnum Cælorum, ac vitam æternam pervenire non possint. Et hæc ratio eam legem ad parvulos etiam pertinere probat, qui (ut S. Joannis verbis utar) *ex sanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate viri nati sunt.* Nam & eo loco ea natiuitas opponitur natiuitati, quæ ex Deo est, sicut hic natiuitas ex carne natiuitati ex Spiritu. Significat ergo, quicquid carnali natiuitate, hoc est, ex viro, & femina natum est, hoc ipso carnem esse, adeoque Regnum Cælorum ingredi non posse: *Quia caro, & sanguis Regnum Dei non possidebunt:* opus ergo esse, ut renascatur ex Spiritu, ut fiat spiritus, divinæ consors naturæ, ac sic demum Deo conjungi possit in Regno Cælorum. Cum itaque infantes omnes, & singuli ex carne tantum sint, consequens est non prius Regnum Dei ingredi eos posse, quam fuerint regenerati ex aqua, & Spiritu Sancto.

Nec vero ea lex exceptionem ullam patitur eorum, qui ex parentibus fidelibus nati sunt, cum omnes peccatum originale ex Adamo, in quo omnes homines unus homo fuerunt, carnali generatione trahant, quod a Regno Cælorum in perpetuum excludit, nisi spirituali regeneratione dimittatur. Nam & David se *In iniquitatibus conceptum* queritur (Psalm. L. 7.) Et Job *Nec infantem, cujus est unius diei vita super terram, mundum a forde, sive a peccato immunem esse* clamat. Et Apostolus ad Romanos v. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et Verſ. 17. & 18. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Et II. Ad Corinthios v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus.* Et ad Ephesios II. 3. *Evamus natura filii iræ, sicut & ceteri.* Hæc Scripturæ oracula Ecclesia in hunc sensum interpretatur, & intelligenda declarat, Sessione v. Tridentinæ Synodi, Canonibus II. III. & IV.

Nullam etiam exceptionem patiuntur alia Scripturæ loca, quibus necessitas Baptismi expressa est. Matthæi xxviii. 19. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.*

Marci

Marci xvi. 15. 16. *Euntes in Mundum unversum, predicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Propterea credendum est, noluisse Christum Dominum Baptismi Sacramentum, & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat: *Sinite parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire, talium est enim Regnum cælorum;* quos amplexabatur, super quos manus imponebat, & quos benedicebat. Præterea, cum legimus totam aliquam familiam a S. Paulo baptizatam esse, ut *Stephanæ domum* (1. Cor. i. 16.) perspicuum est, pueros etiam, qui ex illa familia erant, salutari Fonte ablutos esse. Denique Circumcisio, quæ figura fuit Baptismi, pueris octavo die administrabatur; ac quibus Circumcisio manufacta in expoliatione corporis carnis proderat ad salutem, iisdem Baptismum, qui est Circumcisio Christi non manufacta, prodesse minimum dubium est.

Probatur secundo Propositio nostra ex universæ Ecclesiæ auctoritate, & consuetudine. Hæc enim ab Apostolicis temporibus Baptismum omnibus omnino hominibus, etiam infantibus, ad salutem æternam necessarium esse docuit, & semper infantes baptizavit. Testis est S. Cyprianus Epistola LIX. *Ad Fidum*, ita scribens: „ Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos „ dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem Circumcisionis antiquæ, „ ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum, & sacrificandum „ non putares; longe aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc „ enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius „ judicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare;* quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. *Et infra:* Propter quod neminem putamus a gratia consequenda impediendum esse ea lege, quæ jam statuta est, nec spiritualem Circumcisionem impedi carnali Circumcisione debere; sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi, quando & Petrus in Actis Apostolorum loquatur, & dicat: *Dominus mihi dixit, neminem* „ *hominum communem dicendum, & immundum.* Cæterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset; magis adultos, & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a Baptismo, atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et idcirco, Frater charissime, hæc fuit in Concilio nostra sententia, A Baptismo, atque a gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit, atque retinendum, magis circa infantes ipsos, & recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes, ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.

Testis Origenes Lib. v. in Caput vi. Epistolæ ad Romanos: *Numquid, inquit, nuper editus parvulus peccare potuit? Et tunc habet peccatum, pro quo hostia jubetur offerri, a quo mundus negatur quis esse, etsi unius diei fuerit*

Baptismum pueris conferri voluit Christus. Matt. 19. 14. Marc. 10. Luc. 18.

Pueros esse baptizandos Apostolica Traditio probat.

Baptismi necessitas.

Act. 10. 15. 28.

Job. 25. rit vita ejus. De hoc ergo etiam David dixisse credendum est illud, quia in peccato concepit me mater mea. Secundum historiam enim nullum matris ejus declaratur peccatum. Pro hoc & Ecclesia ab Apostolis Traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus Mysteriorum secreta commissa sunt divinatorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam, & Spiritum ablui deberent.

Testes sunt Siricius Pontifex Maximus Epistola ad Himerium Tarracensem Episcopum, Africana Ecclesia in Concilio Carthaginensi congregata, in Epistola Synodica ad Innocentium I. Pontificem Maximum, Synodus Milevitana in Epistola ad eundem, ipse Innocentius I. in Epistola ad Patres Africanos, S. Augustinus Epistola clxvi. alias xxviii. Libro I. De Peccatorum Meritis, C. xxxii. Libro x. De Genesi ad Litteram, Libro iv. De Baptismo, C. xxiii. & xxiv. Sermone ccxciv. De Baptismo Parvulorum, alias xiv. De Verbis Apostoli, & Epistola cxxiv. alias cv. ad Sixtum.

Tridentinæ Synodi Canones de Baptismo contra Pelagianos Calvinistas, & Anabaptistas.

Quamobrem recte Tridentina Synodus Canones v. xii. & 13. de Baptismo, contra Pelagianorum, Calvinistarum, & Anabaptistarum Hæreses edidit.

Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; Anathema sit.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; Anathema sit.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter Fideles computandos non esse; ac propterea cum ad ætatem discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; Anathema sit.

Hæreticorum objectio.

Objiciunt Hæretici, pueros ex parentibus fidelibus natos sanctos esse, adeoque sine Baptismo posse salvari. Sanctos autem esse probant ex his verbis Apostoli I. ad Corinthios vii. 14. *Filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Et quia pertinent ad pactum, quod Deus pepigit cum Abrahamo Genes. xvii. dicens: *Ero Deus tuus, & seminis tui.*

Responsio

Quo sensu filii fidelium Sancti ab Apostolo dicantur? I. Cor. 7. 14.

Respondetur, Fidelium filios Sanctos ab Apostolo vocari, quasi sanctitati destinatos a parentibus, quorum studio, ac diligentia baptizantur, & per Sacramentum regenerationis sanctificantur, ac in Religione Christiana educantur: quod etiam fit, quando conjugum alter infidelis est, & cum fidei conjugate cohabitare consentit absque contumelia Creatoris. Tunc enim & *Vir infidelis sanctificatus est per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*: id est, persæpe contingit, ut infidelis ad fidem convertatur ex convictu, & consuetudine cum conjugate fidei; & filiis ex illo matrimonio natis Baptismus a parente fidei procuratur: quod Apostolus significat his verbis: *Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Sicut ergo hæc Apostoli verba, *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, &c.* nemo tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem jam pervenisse, & in Regnum celorum absque Baptismo intraturum, quia sanctificatus dictus est ab uxore: ita sanctitas, quæ fidelium filiis, aut alterutro parente fidei natis tribuitur, quæcumque illa sit, non valet ad dimittenda peccata, nisi Christiana, & Ecclesiastica institutione efficiantur fideles. Non enim unius modi est sanctificatio. Nam & Catechumeni secundum quemdam modum suum per signum crucis, per orationem, & manus impositionem, & salis benedicti degustationem sanctifi-

can-

tantur: & tamen ista sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum Regnum celorum, aut ad peccatorum remissionem. Sanctos igitur dixit fidelium filios, aut ex altero parente fidei natos Apostolus, quasi *Candidatos fidei*, & ab idololatriæ fordibus puros. Ita hunc locum explicant *Tertullianus* Libro II. Ad Uxorem, *S. Hieronymus* Epistola CLIII. ad Paulinum, *S. Augustinus* Lib. I. De Peccatorum Meritis, & Remissione, C. XXVI. & Lib. III. C. XII. & Sermone CCXCIV. De Baptismo Parvulorum. Sicut ergo quo tempore vigeat Circumcisio, de circumciso, qui nasceretur, circumcidendus fuit: sic nunc de baptizato qui natus fuerit, necessario baptizandus est. Nam, Renovati parentes non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt; & filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam Sacramento spiritualis regenerationis, & renovationis evadunt (inquit *S. Augustinus*.) Neque enim in parentibus fidelibus sanctificati dici possunt: quia Sicut generatio carnis peccati per unum Adam in condemnationem trahit omnes, qui eo modo generantur, sic generatio Spiritus gratiæ per unum Jesum Christum ad justificationem vitæ æternæ ducit omnes, qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentum autem Baptismi profecto Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest; ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum. Oportet autem, ut si natus fuerit, renascatur, quia nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei. Oportet igitur ut Sacramento regenerationis, ne sine illo male de hac vita exeat, etiam parvulus imbuatur.

Quod spectat pactum a Deo cum Abrahamo, & ejus posteris sancitum, nemo diffiteri potest illud ad eos dumtaxat pertinere, qui vere filii sunt Abraham: at filii Fidelium non sunt filii Abraham carnali generatione, sed regeneratione spirituali. Non enim per Legem promissio Abraham, aut semini ejus facta est, sed per justitiam fidei: nec Qui filii carnis, hi filii Dei: sed Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abraham, & benedicentur cum fidei Abraham Quia ex fide justificat Gentes Deus . . . Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (inquit Apostolus.) Tunc ergo incipimus filii esse Abraham, cum incipimus esse fideles: quod parvuli non consequuntur nisi per Baptismum. Quis enim nesciat, credere esse infantibus baptizari; non credere autem, non baptizari? (inquit *S. Augustinus* Lib. I. De Peccatorum Meritis, & Remissione, C. XXVII.) Id ergo non habent ex carnali natiuitate, qua ex parentibus fidelibus orti sunt. Fiunt enim, non nascuntur Christiani.

Objiciunt Anabaptistæ: Baptismi Sacramentum non nisi credentibus administrari debet, secundum illud Christi oraculum: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Neque Baptismus prodesse potest sine fide: siquidem, ut dicitur Joannis III. Qui non credit jam judicatus est: atqui infantes non credunt: baptizari ergo non debent.

Respondetur, infantes cum Baptismo offeruntur, non credere quidem fide propria, sed credere fide aliena, sponforum scilicet, qui pro ipsis respondent, & Matris Ecclesiæ. Qui enim aliena voluntate, scilicet Adami protoparentis, peccaverunt, aliena fide per gratiam secundi Adam, Christi Salvatoris, justificari, & vivificari possunt, ut Ubi abundavit delictum, superabundet gratia. Fulcitur hæc Responsio *S. Augustini* auctorita-

Lib. II. De Pecca. Mer. & Remiss. Cap. 27.

Nemo in parentibus renasci potest. Joan. 3. 7.

Ad Rom. 4. 13. & 9. 8. Ad Gal. 3.

Tertullian: Apolog. c. 7.

Marci 16.

Anabaptistarum objectioni respondetur.

Rom. 6. 20.

te, Epistola cxviii. alias xxiii. ad Bonifacium Episcopum, Lib. I. *De Peccatorum meritis*, C. xxiii. Lib. IV. *De Baptismo*, C. xxiv. & Lib. III. *De Libero Arbitrio*, Cap. xxiv.

* Forte,
Quæris.

Credunt in
altero, qui
peccave-
runt in al-
tero.

Idem Sermone clxxvi. alias x. De Verbis Apostoli, „ Nullus, *inquit*, ho-
„ minum in ista, quæ ex Adam defluit massa mortalium, nullus omnino ho-
„ minum non ægrotus, nullus sine gratia Christi sanatus. Quid de parvuli
„ pueris, si ex Adam ægroti? Nam & ipsi portantur ad Ecclesiam: & si pe-
„ dibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur. Ac-
„ commodat illis Mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut
„ credant, aliorum linguam, ut fateantur. Ut quoniam, quod ægri sunt, alic-
„ peccante prægravantur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salven-
„ tur. Nemo ergo vobis susurret doctrinas. Hoc Ecclesia semper habuit, sem-
„ per tenuit; hoc a Majorum fide percepit: hoc usque in finem perseve-
„ ranter custodit. Sermone denique ccxciv. *De Baptismo Parvulorum*, alias
„ xiv. De Verbis Apostoli „ Ad verba, *inquit*, aliena sanatur, quia ad
„ factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? Fit interrogatio:
„ respondetur, Credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente, & flendo quo-
„ dammodo, ut subveniatur orante, respondetur, & valet. An etiam hoc
„ Serpens ille persuadere conatur, quia non valet? Absit a cordibus qua-
„ liumcumque Christianorum. Ergo respondetur, & valet. Conspiratione
„ quadam communicat Spiritus; credit in altero, quia peccavit in altero.
„ An vero invenit vitam præsentis sæculi, quem parturivit infirmitas; &
„ non invenit vitam futuri sæculi, quem parturivit charitas? ... Credit in
„ altero, qui peccavit in altero: dicitur, Credit; & valet, & inter fideles
„ baptizatos computatur. Hoc habet auctoritas Matris Ecclesiæ, hoc fun-
„ datus veritatis obtinet canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugna-
„ bilem murum quisquis arietat, ipse confringitur.

Matth. 15.
Matth. 9.

Hebr. 11.
5 6.

Ita & S. Bernardus Sermone lxxvi. in Cantica: „ Quid enim (*inquit*) si
„ infans pro se loqui non potest, pro quo vox sanguinis fratris sui, & talis fra-
„ tris clamat ad Deum de terra? Astat, & clamat nihilominus Mater Ecclesia.
„ Quid tamen infans? Nonne & ipse videtur tibi inhiare quodammodo fon-
„ tibus Salvatoris, vociferari ad Deum, suisque vagitibus clamitare, Domi-
„ ne vim patior, responde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, quia vim pa-
„ titur a natura. Clamat innocentia miseri, clamat ignorantia parvuli, cla-
„ mat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hæc omnia. Sanguis Fratris, Fi-
„ des Matris, destitutio miseri, & miseria destituti. Et clamatur ad Patrem.
„ Porro Pater se ipsum negare non potest, Pater enim est. Nemo mihi di-
„ cat, quia non habet fidem, cui mater Ecclesia impertit suam, involvens il-
„ li in Sacramento, quousque idoneus fiat proprio non tantum sensu, sed &
„ assensu evolutam, puramque percipere. Numquid breve pallium est, ut
„ non possit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Numquid minor fide
„ Chananæ Mulieris, quam constat & filię sufficere potuisse, & sibi? Numquid
„ minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi si-
„ mul, & corporis obtinere salutem? ... Qui hæc credit, facile huic persua-
„ debitur, merito Ecclesiam præsumere non solum parvulis baptizatis in sua
„ fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo infantibus coronam Marty-
„ rii. Quæ cum ita sint, nullum præjudicium sustinebunt regenerati de eo
„ quod dictum est, *Sine fide impossibile est placere Deo*; cum sine fide non sint
„ qui in testimonium fidei Baptismi gratiam ceperunt: sed neque de eo,
„ quod item dictum est, *Qui vero non crediderit, condemnabitur*. Quid enim,
„ credere est, nisi fidem habere? “ Credunt parvuli, antequam baptizen-
„ tur, sed aliena fide, quam ore Patrinorum, & Matris Ecclesiæ profitentur.

Cer-

Credunt, cum baptizantur, quia fidei Sacramentum suscipiunt. Nam *Credere est infantibus baptizari*: ut loquitur S. *Augustinus*. Credunt post Baptismum fide propria, sed habituali, non actuali. Fidem enim, spem, & charitatem cum gratia sanctificante in Baptismo recipiunt, ut habetur in Clementina *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*, ex Concilio Viennensi. Quam doctrinam S. *Augustinus* tradit pluribus in locis, quamvis hoc fidei habitualis Scholasticum nomen non usurpet. Sermone ccxciv. *De Baptismo Parvulorum*, alias xiv. De verbis Apostoli: „ Ubi (inquit) ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero credentium. Nam ideo & consuetudine Ecclesie antiqua, canonica, fundatissima, parvuli baptizati fideles vocantur. Et sic de his querimus, Ille infans Christianus est? Respondetur, Christianus. Catechumenus, an Fidelis? Fidelis; utique a fide, fides a credendo. Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis. Nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse aperte Hæreticus. Ergo ideo habent vitam eternam: quia *Qui credit in Filium, habet vitam eternam*. Noli eis sine ista fide, & sine isto Sacramento hujus fidei, promittere vitam æternam.

Parvuli baptizati inter credentes numerantur.

Joan. 3. 36.

Idem Epistola xcviij. olim xxiii. ad *Bonifacium* Episcopum, ubi præmisit, Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, habere, propter quam earum nomina accipiunt, subdit: „ Sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis Sacramentum, quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet Sacramenti. Itaque parvulum etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo.

Parvuli baptizati fidem habent propter fidei Sacramentum.

Et Epistola clxxxvii. alias lvii. Ad *Dardanum*, docet, Christum in parvulis baptizatis habitare. Christus autem per fidem in cordibus hominum habitat, ut ait Apostolus. „ Dicimus ergo, *inquit*, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum-Sanctum. Sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt & mentem suam; cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu.... Habitare autem ideo & in talibus dicitur, quia in eis occulte agit, ut sint templum ejus: idque in proficientibus, & proficiendo perseverantibus perficit.

Ephes. 3. 17. C. viii.

In baptizatis parvulis habitat Spiritus Sanctus.

At (inquires) qua ratione fit, ut infantibus in Baptismo profit parentum fides, cum post Baptismum non noceat illis parentum impietas, eos Dæmonum sacris initiantium?

Quomodo parvulis prodest in Baptismo parentum fides, quibus post Baptismum parentum impietas non obest? Cap. Quæris, Dist. iv. De Consecrat.

Respondet S. *Augustinus* Bonifacio Episcopo, qui hanc ipsi proposuerat Quæstionem, Epistola xcviij. alias xxiii. „ Tantam illius Sacramenti, hoc est Baptismi salutaris, esse virtutem in sancta compage corporis Christi, ut semel generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum semel regeneratus fuerit per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non possit vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla voluntate consentit. *Et Anima enim patris mea est*, inquit, *& anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Non autem peccat ipsa, cum parentes ei omnino nescienti, vel quilibet alius adhibet sacrilegia dæmoniorum. Sed ideo ex Adam traxit, quod Sacramenti illius gratia solveretur, quia nondum erat ani-

Ezech. 18.
4.

„ ma separatim vivens, id est, altera anima, de qua diceretur, *Et anima patris mea est, & anima filii mea est*. Jam itaque cum homo in se ipso est, ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, & in illo, a quo traxit, quando quod traxit admissum est. Non autem trahit alter ab altero, quando sua unoquoque propria vita vivente, jam est, unde dicatur, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Ut autem possit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est; Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide; sed *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum. Regenerans ergo Spiritus in majoribus offerentibus, & parvulo oblato, renatoque communis est: ideo per hanc societatem unius, ejusdemque Spiritus prodest offerentium voluntas parvulo oblato. Quando autem in parvulum majores peccant, offerentes eum, atque obligare conantes dæmonum sacrilegis vinculis, non est anima utrorumque communis, ut etiam culpam possint habere communem. Non enim sic communicatur culpa per alterius voluntatem, quemadmodum communicatur gratia per Sancti Spiritus unitatem.

P R O P O S I T I O II.

Baptismus Aquæ in adultæ ætatis hominibus supplet Baptismus flaminis, seu perfecta cordis conversio cum voto Baptismi, quando illos a susceptione Sacramenti necessitas excludit.

Baptismus
flaminis.

Promittit enim vero Deus salutem pœnitentibus, credentibus, Deum invocantibus. Psalm. L. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicias*. Ezechielis xviii. 21. 22. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est.... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*. Isaiæ xxviii. Joelis xii. Epist. ad Romanos x. ii. 13. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur... Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Propterea Cornelium, & alios, Spiritum Sanctum accepisse, antequam baptizarentur, *Actuum* x. legimus. Votum itaque Baptismi perfectæ conversioni conjunctum justificare hominem potest, & Baptismi vicem supplere.

Sap. 4.

Idem affirmant SS. Patres; *Ambrosius* in Oratione *De Obitu Valentiniani Imperatoris*, qui Baptismum quidem expetiverat, sed certas ob causas distulerat, volens ab ipso *Ambrosio* baptizari, & morte fuerat interceptus, antequam ad illum perveniret. „ Ventrem meum doleo (*inquit*) quoniam quem „ in Evangelio eram generaturus, amisi; sed ille non amisit gratiam, quam „ poposcit... Audio vos dolere, quod non acceperit Sacramenta Baptismatis. „ Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam „ dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam venisset, initiaretur, „ & proxime baptizari se a me velle significavit. Et ideo præ ceteris causis „ me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? Non „ habet, quam poposcit? Et quia poposcit, accepit? Et ubi illud est, *Justus*, „ *quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit?*... Quod „ si Martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit, & voluntas. „ Deinde ad Augustum Defunctum Sermonem convertens: *Non quicumque*

Te

Te (inquit) sed Christus illuminavit gratia spirituali. Ille Te baptizavit, quia humana Tibi officia defuerunt. Plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas. Baptismus
flamini.
Quamobrem cum ait idem Ambrosius Lib. De his qui Mysteriis initiantur, C. IV. Credit Catechumenus; sed nisi baptizatus fuerit, remissionem non potest accipere peccatorum: de illo intelligendus est, qui Baptismum data opportunitate suscipere negligit: vel de eo, quod accidit ut plurimum, non in articulo necessitatis.

S. August. Lib. IV. „ De Baptismo contra Donatistas, C. XXII. & XXIII. Baptismi sane vicem aliquando implere passionem, de Latrone illo, cui non baptizato dictum est, *Hodie mecum eris in Paradiso*, non leve documentum idem Beatus Cyprianus assumit: quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum. Nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; in illo Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nam multo magis in Cornelio, & in amicis ejus, quam in illo Latrone posset videri superfluum, utaquam etiam tingerentur, in quibus jam donum Spiritus-Sancti, quod non nisi baptizatos alios accepisse Sancta Scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquerentur, eminuerat. Baptizati sunt tamen; & in hoc facto Apostolica extat auctoritas. Usque adeo nemo debet in quolibet provectu interioris hominis, si forte ante Baptismum usque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod Ministrorum opere corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritualiter operatur. *Et Cap. xxv.* Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut & alterum desit; quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in Latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset: cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi. Et Baptismus quidem potest inesse, ubi conversio cordis non fuerit: conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur.

Tria S. Augustinus docet. Primo, fidem, conversionemque cordis, quæ votum saltem implicitum Baptismi continet, ex Dei misericordia Sacramenti vicem supplere, cum illius Ministerium necessitatis articulus excludit. Secundo, cum Sacramentum ipsum ex voluntate hominis defuerit, quod contingit ut plurimum extra necessitatis articulum, Baptismum non suppleri Sacramenti desiderio. Qui enim Baptismum non suscipit, cum potest, vel contemptus, vel certe negligentia reus est: quorum utrumque cum perfecta cordis conversione minime cohæret. Atque hoc sensu ait Lib. II. *De peccatorum Meritis, & Remissione*, Cap. xxvi. „ Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum Regnum Cælorum, aut ad peccatorum remissionem. *Et Tractatu XIII. in Joannem*: Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi

Baptismus
flamini.

Lucæ 23 43.

Fides, &
conversio
cordis quan-
do Baptismi
vicem im-
plet?
Rom. 10. 10.

Conversio
cordis nulla
esse potest
contempto
Baptismo:
neglecto
perfecta
non est.

Baptismus
flamini.

„ di-

Exod. 24. 27. „ dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit Popu-
 „ lus Israel populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad Mare Rubrum: sic
 „ pressura peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi venerit.
 Præmittit Christum Dominum Joannis Baptismo baptizari voluisse, „ Ne
 „ quis arrogans, quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignetur ba-
 „ ptizari Baptismo Domini ... Quia multi contempturi erant Baptismum,
 „ eo quod jam majori gratia præditi viderentur, quam viderent alios Fide-
 „ les. Verbi gratia, jam continenter vivens Catechumenus, contemneret
 „ conjugatum, & diceret se meliorem quam ille sit Fidelis. Ille Catechu-
 „ menus posset dicere in corde suo, Quid mihi opus est Baptismum acci-
 „ pere, ut hoc habeam quod & iste, quo jam melior sum? Ne ergo cer-
 „ vix ista præcipitaret quosdam de meritis justitiæ suæ plurimum elatos,
 „ baptizari voluit Dominus a servo, tamquam alloquens filios capitales: Quid
 „ vos extollitis? Quid erigitis, quia habetis, ille prudentiam, ille doctri-
 „ nam, ille castitatem, ille fortitudinem patientiæ? Numquid tantum ha-
 „ bere potestis, quantum ego qui dedi? Et tamen ego baptizatus sum a
 servo, vos dedignamini a Domino. Ad frangendam ergo Catechumenorum
 quorundam superbiam, cum hæc præmisisset S. August. hanc rationem subdit:
*Quantumcumque enim Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ
 portat, &c.* id spectans quod ut plurimum evenit, & extra necessitatis arti-
 culum. Quamvis autem Deus misericordia sua subveniat iis, qui ad ipsum
 vere conversi fide, & charitate perfecta Baptismum desiderant, cum in an-
 gustiis temporum ipsis per Sacramenti administrationem succurri non potest;
 nihilominus gravissime peccant Ecclesiæ Ministri, qui suam præsentiam com-
 misso gregi tempore persecutionis, aut alias subtrahunt, suumque Fidelibus
 ministerium negant: quia illos qui sine Baptismi, vel Pœnitentiæ Sacramen-
 tis moriuntur, quantum in ipsis est, præcipites agunt in damnationem: ma-
 xime cum perfectam cordis contritionem, qualis extra Sacramentum est ne-
 cessaria, nemo sibi polliceri possit. Adde, parvulos, qui in illis angustiis si-
 ne Baptismo decedunt, certissime perire, quia ipsis aliter quam per Baptis-
 mum succurri non potest. Hoc sensu accipienda sunt S. August. verba ad Ho-
 noratum Episcopum scribentis, Epistola cxxxviii. alias clxxx. *An non cogi-
 tamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ul-
 la fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab o-
 mni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, a-
 liis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramen-
 torum confectionem, & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium
 sequitur eos, qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quan-
 tus est etiam luctus Fidelium suorum, qui eos secum in æternæ vitæ requie
 non habebunt? Tertio docet S. Augustinus, etiam iis, qui ante Baptismum
 perfecta cordis conversione justificati fuerint, Baptismum esse necessa-
 rium ad spiritualem Consecrationem, sive ad Dominicum Characterem re-
 cipiendum.*

Perfecta
 contritio
 extra Sacra-
 mentum ad-
 ditis neces-
 saria.

Voluntas
 pro facto re-
 putatur, ubi
 factum ex-
 cludit ne-
 cessitas.

„ Nostram Propositionem confirmat & S. Bernardus Epistola, seu Tractatu ad
 „ Hugonem De Sancto Victore, c. 11. Porro, inquit, in majori ætate quis-
 „ quis post vulgatum ubique Baptismi remedium renuit jam baptizari, gene-
 „ rali, originalique maculæ addit & ex proprio crimen superbiæ, duplicem
 „ secum portans justissimæ damnationis causam, si sic de corpore exire con-
 „ tingerit. Tamen si ante exitum resipuerit, & voluerit, & petierit baptiza-
 „ ri, sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiverit, dum non de-
 „ sit fides recta, spes pia, charitas sincera, propitius sit mihi Deus, quia
 „ huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare

salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere
 charitatem; tantum si aquam non contemptus, sed sola prohibeat impos-
 sibilitas. *Id SS. Ambrosii, & August. auctoritate, ubi confirmavit: Ab his,*
inquit, duabus columnis (August. loquor, & Ambrosium) crede mihi,
difficile avellor. Cum his, inquam, me errare, aut sapere fateor: cre-
dens & ipse sola fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi Sa-
cramentum: si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia
quæcumque vis invincibilis obviarit. Vide etiam ne forte ob hoc Sal-
vator cum diceret, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, cau-
te, & vigilanter non repetierit, Qui vero baptizatus non fuerit; sed tan-
tum, Qui vero non crediderit, condemnabitur; nimirum innuens solam in-
terdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil ... Paulus
dicit: Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu-Sancto. Hunc er-
go, qui in articulo mortis non solum invocat Dominum Jesum, sed ip-
sius quoque toto desiderio expetit Sacramentum, dicemus, aut non loqui
in Spiritu-Sancto, & falsus erit Apostolus; aut & cum Spiritu-Sancto da-
mnari? Salvatorem habet habitantem per fidem in corde, & in ore per
confessionem, & cum Salvatore damnabitur? Pro certo cum non aliunde
Martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut singu-
lariter vice Baptismi secure suscipiatur; non video, cur non ipsa æque &
sine Martyrio apud Deum tantumdem possit, cui & sine Martyrii pro-
bamento proculdubio innotescit. Possit sane tantumdem, dixerim, quan-
tum ad salutis spectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, quo in-
dubitanter Martyrium antecellit. Legimus: Omnis, qui odit fratrem suum,
homicida est; & item, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam
mechatus est in corde suo. Quid planius, quod voluntas pro facto reputetur,
ubi factum excludit necessitas? Nisi, forte putetur in malo, quam
in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum, qui Charitas est: &
promptior esse ad ulciscendum, quam ad remunerandum misericors, & mi-
serator Dominus. Quomodo is, qui alieno debito se teneri forte in extre-
mis positus recolat, si desit, unde persolvat, sola nihilominus Pœnitentia,
& cordis contritione obtinere veniam creditur, ne jam pro eo damnetur:
sic sola fides, & mentis ad Deum conversio, sine effusione sanguinis, &
sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti
prohibente mortis articulo baptizari. Et sicut nulla illi Pœnitentia remitti-
tur peccatum, si, cum possit, non restituit ablatum; sic & huic nulla pro-
derit fides, si, cum possit, non percipit Sacramentum. Quamquam & fi-
dem convincitur non habere perfectam, si negligit. Vera enim, & plena
fides universa præcepta complectitur: est autem hoc unum, ipsumque præ-
cipuum ex præceptis. Merito ergo non fidelis, sed plane rebellis, atque
contemptor reputabitur quisquis obedire renuerit. Quomodo denique fi-
delis, qui Dei contemnit Sacramentum? Sane infantes, quia hanc, prohi-
bente ætate, non possunt habere fidem, hoc est, cordis ad Deum conver-
sionem, consequenter nec salutem, si absque Baptismi perceptione mo-
riuntur.

2. Co. 12.

Baptismus
flaminis.1. Joan. 3.
Matth. 5.Baptismus
flaminis.

Quamobrem nulla ratio habenda est *Capitis Catechumenum 37. Dist. iv. De*
Consecratione, quod sub nomine S. August. laudatur, cum revera sit Gennadii
Lib. De Ecclesiasticis Dogmatibus, Cap. LXXIV. cujus hæc sunt verba: Catechu-
menum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non cre-
dimus, excepto Martyrio. Hanc enim doctrinam, nisi explicetur, respuit Ec-
clesia. Unde Innocentius III. Cap. Debitum, Extra. De Baptismo, de Judæo
non vere baptizato, sed tamen vehementi Baptismi desiderio flagrante pro-
 nur-

nunciat, *Quod, si continuo decessisset, ad Patriam protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.* Et Cap. Apostolicam, Extra. De Presbytero non baptizato, asserit, eum, *Quia in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & Cœlestis Patriæ gaudium esse adeptum.* Post hæc Episcopum remittit ad Libros SS. Ambrosii, & Augustini, additque: *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.*

Concilium denique Tridentinum Sessione VI. De Justificatione, C. IV. primam justificationem impii ita describit: *Justificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum: quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine Lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest.*

Addiderim suffragium S. Thomæ III. P. Q. LXVIII. A. II. *Sacramentum (inquit) Baptismi potest alicui deesse: uno modo, & re, & voto; quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt; quod manifeste ad Sacramenti contemptum pertinet, quantum ad illos, qui habent usum liberi arbitrii: & ideo hi, quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus: alio modo potest Sacramentum Baptismi alicui deesse re, sed non voto; sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu prævenitur morte, antequam Baptismum suscipiat: & talis sine Baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante: per quam Deus interius hominem sanctificat, cujus potentia Sacramentis visibilibus non alligatur.* Id confirmat ex S. Aug. Quæst. XLVIII. in Leviticum, dicente, *Invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, & profuisse sine visibilibus Sacramentis; visibilem vero sanctificationem, quæ fit Sacramento visibili, sine invisibili posse adesse, sed non posse prodesse.* Locum vero Gennadii supra laudatum, quem sibi objecerat, ita exponit, ut Catechumenum in bonis operibus defunctum statim quidem ad vitam æternam pervenire neget, quia Baptismi desiderium quantumcumque fervens ab omni reatu pœnæ hominem non liberat, cum plena hujusmodi, & universalis liberatio à culpa, & pœna sit effectus Baptismi actu suscepti, & Martyrii, de quo propterea Gennadius ait: *In Martyrio omnia Sacramenta Baptismi complentur.* Sed tamen Gennadium non negare, quin Catechumeni fide per dilectionem operante cum Baptismi desiderio conjuncta justificentur. Laudat etiam S. Thomas verba S. Ambrosii in Oratione de Obitu Valentiniani.

Objicitur, Legem a Christo de Baptismo latam, exceptionem non pati: Joan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

Respondetur, nullam exceptionem a nobis afferri ab hac lege probe intellecta. Neminem enim hominem in Regnum Cœlorum introire posse asserimus sine Baptismo in re, vel in voto. Hunc autem esse legis sensum ex Scriptura Sacra, Traditione, & Ecclesiæ interpretatione probamus. Et certe *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor* (ut dicitur 1. Regum XVI.) Qui autem desiderat per Baptismum regenerari ex aqua, & Spiritu-Sancto, corde quidem regeneratus est, licet non corpore, sicut & Apostolus ait ad Romanos II. *quod Circumcisio cordis est in spiritu, non in littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Martyrium vicem Baptismi supplere, certissimum est.

ID colligitur ex verbis Christi Matth. x. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Matth. xvi. *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Joannis xv. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Baptismus
Sanguinis.

Confirmatur testimoniis Patrum: *Tertulliani Lib. De Baptismo, C. xvi.* „ Est quidem nobis (inquit) etiam secundum Lavacrum, & ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus, Habeo, inquit, Baptismo tingi, cum jam „ tinctus fuisset. Venerat enim per aquam & sanguinem, sicut Joannes scripsit, ut aqua tingeretur, Sanguine glorificaretur; proinde nos faceret aqua „ vocatos, sanguine electos. Hos duos Baptismos de vulnere perfoffi lateris „ emisit, quatenus qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur: qui „ aqua lavissent, etiam sanguinem potarent. Hic est Baptismus, qui Lava- „ crum & non acceptum repræsentat, & perditum reddit. Et Scorpiaci C. „ vii. proprie Martyribus nihil jam reputari potest, quibus in Lavacro ipsa „ vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ „ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in Martyrio decertat, „ ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem Martyrem excudit.

Luc. 12. 25.
1. Joan. 5. 6.

S. Cypriani, Epistola lxxiii. Ad Jubajanum, scribentis, Catechumenos, antequam in Ecclesia baptizentur, in confessione nominis Christi apprehensos, & occisos, Nec privari Baptismi Sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo, & maximo Sanguinis Baptismo, de quo & Dominus dicebat, habere se aliud Baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos, & Passione sanctificatos consummari, & divine pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad Latronem in ipsa Passione credentem, & confitentem loquitur, & quod secum futurus sit in Paradiso pollicetur.

Idem in Præfatione Libri *De Exhortatione Martyrii ad Fortunatum* ita scribit: *Nos tantum, qui Domino permittente primum Baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insnuantes, & docentes hoc esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius: Baptisma, in quo Angeli baptizant, Baptisma, in quo Deus, & Christus ejus exultant, Baptisma, post quod nemo jam peccat, Baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat, Baptisma, quod nos de Mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ Baptismo accipitur peccatorum remissio, in sanguinis, corona virtutum.*

Ejus virtus,
& efficacia.

S. Cyrilli Hierosolymitani, Catechesi iii. Si quis non baptizatur (inquit) salutem non habet, præter solos Martyres, qui vel sine aqua Regno cælesti potiuntur.

S. Basilii Lib. De Spiritu-Sancto, Cap. xvi. Sunt nonnulli (inquit) qui in certaminibus proprietate revera, non imitatione Christi mortem perpeffi, nihil hujusmodi Sacramentis, quæ sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine.

S. August. Lib. xiiii. De Civitate Dei, Cap. vii. Quicumque (inquit) etiam non percepto regenerationis Lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit, „ Si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, „ non intrabit in Regnum cælorum, alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, „ confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Et alio loco: „ Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Hinc est, quod

Joan. 3. 3.

Matth. 10.

32.
Matth. 16.
25.

scri-

Ps. 115. 15.

Scriptum est: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut & delicta omnia dimittantur, & merita cumulatus augeantur? Et Lib. I. De Origine Animæ, C. IX. Nemo fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo. Suffragantur alii Patres, S. Ambrosius Oratione De Obitu Valentiniani, S. Prosper Epigrammate lxxxvii. S. Fulgentius Lib. De Fide ad Petrum, C. III. & xxx. S. Bernardus, Tractatu Ad Hugonem De S. Victore. His subjungendus est S. Thomas III. P. Quæst. lxxvi. Articulo xi.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Ad Baptis-
mum susci-
piendum
omnes te-
nentur. S.
Thomas
III. P. Q.
lxxviii.
A. 1.

EX his colligitur primo, ad Baptismi susceptionem omnes, & singulos homines obligari: siquidem ad illud tenentur, sine quo salutem consequi non possunt. Porro nullus salutem consequi potest, nisi per Christum. Unde ad Romanos v. scribit Apostolus: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vite.* Et Actorum iv. dicitur: *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Ad hoc autem datur Baptismus, ut homo per ipsum regeneratus, incorporaretur Christo, factum membrum ipsius: unde dicitur ad Galatas III. *Qui cumque in Christo baptizati estis, Christum induistis:* unde manifestum est ad Baptismum suscipiendum omnes teneri.

R E G U L A II.

Parentes Ba-
ptismum fi-
liis suis pro-
curare te-
nentur.

S. Thomas
III. P. Q. 67.
A. 3. in
Corp. & ad
3. Q. 68 A. 3.
Q. 73. A. 2.
Quodlibeto
6. Q. 3. A. 1.

Colligitur secundo, quod etsi infantes sint incapaces præcepti, ac propterea ad illos directe non pertineat præceptum de Baptismo suscipiendo; tenentur tamen parentes illorum, aut curatores ad Baptismum illis procurandum: quia illis ita necessarius est ad salutem, ut nullo alio remedio suppleri in illis possit, nisi Martyrio pro Christo. Neque enim per signum crucis, neque per invocationem Trinitatis, nec per fidem, aut votum parentum illis succurri potest secundum ordinem a Deo statutum. Cum enim ait Christus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum cælorum;* utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.

R E G U L A III.

Puerorum
Baptismus
non diffe-
rendus.

Colligitur tertio, Baptismum puerorum non esse differendum: tum quia non expectatur in eis major instructio, aut plenior conversio: tum propter periculum mortis, quod teneræ adeo ætati semper timendum est. Neque S. Gregorii Nazianzeni consilium ceteris Patribus, & Ecclesiæ placuit, ut scilicet puerorum Baptismus usque ad triennium differretur, donec respondere possent: quamvis & ipse eadem Oratione xl. periculum imminens mortis excipiat, quod si occurrat, vult eos sine mora baptizari. Multo minus probata est Tertulliani privata sententia Lib. De Baptismo, Cap. xviii. scribentis: *Pro cujusque personæ conditione, ac dispositione, etiam ætate, cunctatio Baptismi utilior est, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est Sponsors etiam periculo ingeri? Quia & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, Nolite prohibere illos ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt, veniant.*

Matth. 19. 14.

dum

dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant Christiani cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens etas ad remissionem peccatorum? Cautius ageretur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur divina credatur. Non rident petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minore de causa inuupti quoque procrastinandi, quibus tentatio preparata est, tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant, aut continentia corroborentur. Hanc (inquam) *Tertulliani* sententiam improbavit Ecclesia Africana in Concilio habito *S. Cypriani* tempore, & infantes a parturecentes baptizari voluit, ne octavo quidem die expectato, ut ex ejus ad *Fidum* Epistola notavimus. Non est itaque differendus parvulorum Baptismus propter expectandos Susceptores, & Patrones, ne dum in vana ad Baptismum pompa apparanda tempus inepte teritur, animas Christi Sanguine redeptas maximo, gravissimoque periculo, e quo emergere numquam possint, exponant; ut in Synodis plerisque statutum est, Rhemensi MDLXXXIII. Senonensi MDXXIV. Parisiensi MDLVII. Lingonensi MCCCCIV. Bituricensi MDLXXXIV. Burdigalensi MDLXXXII. & Aquisiensi MDLXXXV. Quæ penam Excommunicationis decernunt in eos, qui Baptismum filiorum suorum ultra diem octavum distulerint. Statuta pleraque Synodalia ultra diem tertium differri vetant; inter alia, Statuta Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis *Francisci Harlei*, anno MDCLXXIII. edita, Cap. XI. & parentibus, si qui huic Decreto obtemperare neglexerint, aditu Ecclesiæ, & Sacramentorum usu interdici jubent, donec paruerint, postquam ter privatim, ter publice, & canonice, tribus Dominicis moniti fuerint, & res cum Archiepiscopo communicata. Placuit olim Concilii secundi Matisconensis Patribus, ut infantes extra Sabbatum Sanctum Paschæ non baptizarentur, excepto mortis periculo: sed melior disciplina prævaluit. Concilium Colonense II. anno MDLIX. celebratum C. XIV. statuit, ut Pastores & Concionatores adhortentur populum, ut parvulos natos instante Festo Paschæ fervent baptizandos in Vigiliam Paschæ, & natos Festo Pentecostes instante, ad Sabbatum usque Pentecostes; si tamen nullum imminet vitæ periculum. Idem statuit *S. Carolus Borromæus* de iis, qui intra urbanæ Parochialis Ecclesiæ fines a Sabbato-Sancto usque ad Sabbatum in Albis, & a Sabbato Vigiliæ Pentecostes usque ad Sabbatum proximum nati, baptizandi sunt; ut ad Cathedralem Ecclesiam, cui pro observantiæ officio, veterisque instituti usu, statis illis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur, ab Episcopo baptizandi; si modo cuiquam ob mortis periculum, in Parochiali Ecclesia, quæ propius adest, Baptismum statim ministrare necesse non sit. Ita statuit Concilium Provinciale Mediolanense IV. P. II. & reperitur in Instructionibus Sancti *Caroli* De Baptismi Administratione. Sed ea in re quisque suæ disciplinam Ecclesiæ sequatur. Nam (ut ait *Tertullianus* Lib. De Baptismo, C. XX.) *Omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.* Hortandi sunt igitur magnopere Fideles, ut liberos suos, cum primum id sine periculo facere liceat, ad Ecclesiam deferendos, & solemnibus Cæremoniis baptizandos curent (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

R E G U L A IV.

Colligitur quarto, adultis Baptismum differri posse; cum Baptismi suscipiendi propositum, & male actæ vitæ Penitentia satis illis futura sit ad gratiam, & iustitiam, si repentinus aliquis casus impediatur, quo minus Baptismum suscipiant; contra vero, hæc dilatio aliquas utilitates asserat. Primum enim, quoniam ab Ecclesia diligenter providendum est, ne quis ad hoc Sacramentum ficto, & simulato animo accedat, eorum voluntas, fi-

Baptismus infantium non differendus, ut patrini expectentur.

Apud Bouchellum, Lib. II. Decret. Eccl. Gallic. Tit. III. De Baptismo.

Sinodicon Parisiense.

Can. 3.

Infantes instante Paschæ, vel Pentecostes natos, ad Sabbatum usque alterutro proximi Festi Baptizandos solemniter Ritu ab Episcopo servari conveniens est, si nullum imminet vitæ periculum.

Baptismus adultorum quas ob rationes differendus?

des, & mores, qui Baptismum petunt, magis explorantur atque perspiciuntur: cujus rei causam Concilio Agathensi, Canone xxv. decretum legimus, ut qui ex Judæis ad Fidem Catholicam veniunt, octo menses inter Catechumenos versentur, antequam illis Baptismus conferatur. Secundo in fidei doctrina, quam profiteri debent, & Christianæ vitæ institutionibus perfectius erudiuntur, & exercentur. Denique major reverentia Sacramento conciliatur, si constitutis tantum Paschæ, & Pentecostes diebus solemnî cæremonia Baptismum suscipiant. Verum si jam fidei Mysteria plene perceperint, & ad Christianæ Legis præcepta servanda se paratos exhibeant, nulla interposita mora interdum baptizari possunt, sicut *Philippus* Reginae Candacis *Eunuchum*, & *S. Petrus Cornelium* statim atque Baptismum postularunt, baptizavere (ut refertur *Act. viii. & x.*) Infirmis etiam, aut in mortis periculo constitutis, Baptismi tempus numquam differendum est. Unde *S. Leo* Epistola xvi. alias iv. *Ad Episcopos per Siciliam constitutos*, ubi Baptismum in solis Paschatis, & Pentecostes Solemnitatibus administrari præcipit auctis, subdit: *Ita ad has duas Festivitates incolumium, & in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc vere salutis singulare præsidium cuiquam denegemus.*

R E G U L A V.

Peccant Catechumeni, qui Baptismum differunt ultra tempus ab Ecclesia constitutum.

Colligitur quinto, peccare Catechumenos, cum ultra tempus ab Ecclesia constitutum Baptismum differunt, nisi ex causa necessaria, & licentia Prælatorum Ecclesiæ: cum scriptum sit, *Ecclesiastici*, Cap. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Perfecta autem conversio in nova per Baptismum generatione posita est. Præterea, quo serius ad Baptismum veniunt, eo diutius ipsis carendum est ceterorum Sacramentorum usu, & gratia, quibus Christiana Religio colitur, cum ad ea sine Baptismo aditus nemini patere possit. Tertio, maximo fructu, quem ex Baptismo percipimus, se ipsos privant, nempe remissione peccatorum, & divina gratia, cujus ope, & auxilio in posterum etiam peccata vitare possint, justitiamque, & innocentiam tueri. Quamobrem Patres vehementer invecti sunt in eos, qui Baptismum differebant, præsertim *S. Basilius* in Exhortatione ad Baptismum, *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione xl. *S. Joannes Chrysostomus* Homilia i. in Acta, & Concilium Neocæsariense Canone xii. *Clinicos*, id est, in ægitudine baptizatos, ad Sacerdotium provehi vetat, quod fides eorum *Non ex proposito, sed ex necessitate descendat: nisi forte propter sequens studium, & fidem, & hominum raritatem*, cum ipsis Episcopus duxerit dispensandum.

C A P U T V.

D E M I N I S T R O B A P T I S M I.

P R O P O S I T I O I.

Sacerdos est proprius, & ordinarius Minister Baptismi.

S. Thomas
III. P. Q.
LXVII. A. 11.

PRimi, & secundi ordinis Sacerdotes, Episcopi nimirum, & Presbyteri Populi Christiani regimini, & Parochialium Ecclesiarum administrationi præfecti, quos *S. Thomas Minores Principes Ecclesiæ* vocat, & lxxii. Discipulorum Successores, Sacerdotis nomine hic exprimuntur, ac designantur; quibus datum est, ut jure suo, non extraordinaria aliqua potestate,

ba-

baptizandi munus exercent. Iis scilicet in Apostolis præceptum est a Domino, Matth. xxviii. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Hinc S. Hilarius in Psalmum lxxvii. de Eunuchō Reginæ Candacis ait, quod Sacramentum Baptismi adeo impatientis cupiditate desiderii prævenit, ut a Diacono Ministerium Apostolici Officii salutis suæ cupidus exigeret. Baptismum Apostolici, hoc est, Sacerdotalis Officii ministerium vocat. S. Isidorus Baptismum solis Sacerdotibus traditum Lib. ii. de Officiis Ecclesiasticis, C. xxiv. asserit, cujus verba in C. Constat, Dist. iv. De consecratione, transcripta sunt. Quod Eugenius IV. in Decreto de Instructione Armenorum confirmat, & ex perpetuo Ecclesiæ usu certum est. Quod autem jure suo id exercent secundi ordinis Sacerdotes, ita ut præsentē etiam Episcopo Baptismum administrare possint, inde probat S. Thomas, quod Sacerdotes ad Eucharistiam consecrandam instituti sint, quæ Sacramentum est Ecclesiasticæ pacis, & unitatis, secundum illud Apostoli i. ad Corinthios x. *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno Calice participamus.* Per Baptismum autem homo fit particeps Ecclesiasticæ unitatis, & jus accipit ad Mensam Domini accedendi: quamobrem sicut ad Sacerdotem pertinet Eucharistiæ consecratio, ita & solemnī Baptismi administratio.

Quod si aliquando Patres Presbyteris sine Episcopi venia baptizandi jus permissum non esse dixerunt, ut Tertullianus Lib. De Baptismo, S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, S. Leo Epistola alias lxxxviii. ad universos Germaniarum, & Galliarum Episcopos, seu alius Author hujus Epistolæ, quæ de Coepiscoporum, sive Presbyterorum Privilegio inscribitur, Concilium Hispalense ii. Canone vii. id de solemniori Baptismo, qui in Paschate, & Pentecoste administrari consueverat, intelligendum monet Concilii Tridentini Catechismus. Aut certe ad honorem, & reverentiam Episcopi ea disciplina olim observata est, ut Presbyter eo præsentē Ministerium ipsum, quod ex Ordine illi competit, nisi ejus jussu non exerceret. Episcopi ergo, qui Apostolorum locum in Ecclesia tenent, & vices gerunt, baptizare & ipsi, ut & S. Paulus interdum fecit, cum volent, possunt. Sed quia majora eis onera incumbunt, quæ ad eorum officium peculiariter pertinent, docendi videlicet, ac orandi, quemadmodum ajunt etiam Apostoli: *Nos autem orationi, & ministerio verbi instantes erimus:* baptizandi provincia secundi ordinis Sacerdotibus commissa est. Unde Apostolus Petrus Cornelium, familiamque ejus, quos ipse docuerat, per alios baptizari jussit. Et Paulus, *Non misit me, inquit, Christus baptizare, sed evangelizare.*

Minister
Baptismi.

1. Cor. v. 14.

Act. 6. 4.
Act. 10. 48.

1. Cor. i. 17.

Infantes extra Ecclesiam parochialem non baptizandi, excepto articulo necessitatis.

Si tamen Parochialis Ecclesia Baptismalis fuerit, quædam enim sunt Parochiales Ecclesiæ certis in locis Baptisterio destitutæ.

DOCUMENTA PRAXIM SPECTANTIA.

Quamvis autem Baptismus ubicumque, & a quocumque verbis evangelicis consecratus validus sit, & ratus, neque necesse sit ad essentiam Sacramenti in publico Ecclesiæ cœtu baptizare, & intra domesticos parietes baptizari possit infans in mortis periculo constitutus; sacris tamen Canonibus sancitum est, & Ecclesiæ disciplina præscriptum, atque usurpatum, ne extra Parochialem Ecclesiam solemnī Ritu baptizandi offerantur infantes, excepto necessitatis articulo. Ita Concilium Colonienſe ii. anno MDxli. C. xv. neminem ab ea lege excipiens præter Regum, & Principum filios, quibus valeat secundum Concilium Viennense deferri. Vide Clementinam unicam De Baptismo. Ita Synodus Turonensis anno MDlxxxiii. Synodus Parisiensis MDlvii. Rhemensis MDlxxxii. Burdigalensis anno MDlxxxii. Aquensis MDlxxxv. cujus hæc sunt verba: *Curatus, Sacerdosve extraneecessitatis casum, illis pœna excommunicationis proposita, ne ad domum cujusdam*

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

Gg

etiam

Filiis Regum, ac Principum dumtaxat Baptismus in eorum Capellis conferri potest.

P. 11. De iis quæ pertinent ad Sacramentum Baptismi.

Minister Baptismi.

etiam Magnatis ad Baptismum ministrandum accedant: necessitas autem illa intelligatur, quæ mortem infantis minatur. Servandum itaque illud Concilii Mediolanensis Provincialis IV. sub S. Carolo Borromeo Decretum: Videat Parochus ubi primum infans Baptismi causa ad se delatus est, an suæ Parochiæ sit: quem si alienæ esse novit, eum nisi instante necessitate non baptizet, sed ad Parochum proprium, a quo baptizetur deferri jubeat. Articulum necessitatis antiquo Canone pariter exceptum legimus, quem cum aliis octo edidit Surius post Canones Synodi Quinifextæ ex vetusto Codice Monasterii S. Bavonis in Belgio: Si parvulus ægrotans ad quemlibet Presbyterum Baptismi gratia de cujuslibet Parochia allatus fuerit, ei Baptismi Sacramentum nullo modo denegetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque Baptismi gratia mortuus fuerit, noverit se ille, qui eum non baptizavit, pro ejus Anima rationem redditurum. Ille ergo lethalis peccati reus est, cujus culpa puer absque Baptismi Sacramento moritur.

Conveniens autem est, ut Sacerdos jejunus, & mane Baptismi Sacramentum administret, nisi necessitas aliter postulet. Nec vero ante ortum, neque post occasum Solis, nisi itidem necessitate urgente, ut monet S. Carolus. Sed ea in re cujusque Ecclesiæ mores, & Episcoporum Statuta servantur.

P R O P O S I T I O II.

Diaconis jure suo, & sine Episcopi, aut Parochi concessione, absque urgente necessitate numquam tribuenda, Baptismum solemniter Ritu administrare non licet,

S. Thomas
II. P. Q.
LXVII. A. 1.

CUM enim Diaconi, ut eorum nomen sonat, Sacerdotum Ministri sint, ad illos non pertinet Sacramentum aliquod jure suo, & quasi ex proprio officio administrare, sed ministerium adhibere Sacerdotibus in Sacramentorum administratione, adeoque in ipso Baptismo. Propositio confirmatur auctoritate Gelasii I. Romani Pontificis in Epistola ad Episcopos per Lucianam constitutos, C. IX. ex qua refertur in Decreto Gratiani, Cap. Diaconos, Dist. XCIII. cujus hæc sunt verba: *Diaconos propriam constituimus observare mensuram... Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat.* Idem habetur Cap. Constat, Dist. IV. De Consecratione ex S. Isidoro Hispalensi Lib. II. De Officiis, cap. XXIV.

Quod autem Diaconis committi possit Baptismi solemniter administratio, colligitur ex his verbis, quæ ab Episcopo in eorum Ordinatione dicuntur: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & predicare, & ex Concilio Illiberitano Canone LXXVII. cujus hæc sunt verba: Si quis Diaconus regens Plebem, sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debet: quod si ante de seculo recesserit, sub fide qua quis crediderit, poterit esse justus.* At si absque venia Episcopi, aut Parochi solemnem Baptismi administrationem Diaconus usurpet, lethale crimen admittit, & irregularitatem incurrit, ut colligitur ex Cap. Si quis, I. De Clerico non ordinato ministrante, quod Hormisdæ Papæ nomine inscribitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur.*

P R O P O S I T I O III.

Omnes, & singuli, etiam de populo, sive mares, sive fœminæ, quamcumque illi scilicet profiteantur, cogente necessitate, sine solemnibus cœremoniis baptizare possunt.

I. **I**D cum multa veterum Patrum, & Conciliorum Decreta confirmarunt Sess. VII. Can. IV. (inquit Concilii Tridentini Catechismus) tum vero a Sacra Synodo Tridentina *Anathema* in eos sancitum est, qui dicere audeant, *Baptismum, qui etiam datur ab Hereticis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum.*

Propositionem nostram, quam *Eugenius IV.* in Decreto post Concilium Florentinum edito pro Armenorum Instructione, quoad omnes partes asserit, Minister Baptismi. *Tertullianus* de Laicis affirmat, Libro *De Baptismo*, C. XVII., Dandi quidem (inquit) habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin etiam Laicis jus est: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest. Nisi Episcopijam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur discentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde & Baptismus, æque Dei census, ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis Laicis disciplina verecundiæ, & modestiæ incumbit? Cum ea Majoribus competant, ne sibi adsumant dicatum Episcopis officium Episcopatus. *Æmulatio Schismatum* mater est. Omnia licere dixit Sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditioni hominis, si superfederit præstare, quod libere potuit. Mulieribus baptizandi jus *Tertullianus* ibidem negat, quod Laicis maribus concedit; sed ea in re minime audiendum, antiquissimus Ecclesiæ usus probat.

Concilium Illiberitanum Canone xxxviii. Laicis pariter jus baptizandi necessitate cogente asserit: *Peregre navigantes* (inquit) *aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem, qui Lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum: ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perficiat.* Cum ait Concilium, *posse Fidelem, qui Lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus*, administrare Baptismum urgente necessitate, Infideles ab administratione Baptismi non excludit (quamquam res non fuerit semper ita perspicua, & explorata, an baptizare & ipsi possent) sed maxime optandum significat, ut fidelis sit, & monogamus Minister Baptismi in extrema etiam necessitate; & fidelem infideli, monogamum bigamo præponendum. Quid ergo deceat, non quid ad valorem Sacramenti sit necessarium, Synodus his verbis significat.

S. Augustinus Lib. II. contra Epistolam Parmeniani, C. XIII. Baptismum a Laico in necessitate datum approbat. „ Quamquam (inquit) etsi laicus aliquis pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset, addidit, nescio, an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicitum datum. Illicitam autem usurpationem corrigit reminiscens, & poenitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad penam usurpatoris,

„ quod datum est, vel ejus qui illicite dedit, vel ejus, qui illicite accepit
 „ non tamen pro non dato habebitur, neque ullo modo per devotum Mili-
 „ tem, quod a privatis usurpatum est, Signum Regale violabitur.

Minister
Baptismi.

Idem probatur ex Cap. *Diaconos*, Dist. xciii. quod ex *Gelasio* Papa in
 Epistola ad Episcopos Lucaniæ sumptum est: & ex Cap. *Constat*, Dist. iv.
De Consecratione, quod est ex *S. Isidoro* depromptum: utrobique enim de Ba-
 ptismi administratione dicitur, hanc *Laicis Christianis plerumque permitti*,
ne quispiam sine remedio salutari de hoc seculo evocetur. Item ex Cap. *Ad*
limina, quod ex *Joanne VIII.* sumptum *Causa III. Quæst. II. Is de Ste-*
phano quodam, qui cogente necessitate filium suum baptizaverat, & propter
 ea Lemovicensis Episcopi Sententia separatus fuerat ab uxore sic respondet:
 „ Inculpabile judicandum dicimus, quod necessitas intulit. Nam hoc ba-
 „ ptizandi opus Laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem, si necesse fue-
 „ rit, facere libere conceditur. Unde si supradictus genitor filium suum
 „ corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem di-
 „ mitteret, sacri unda Baptismatis lavit, ut eum de potestate Auctoris mor-
 „ tis, & tenebrarum eriperet, & in Regnum Christi jam regnaturum sine
 „ dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur. Et idcirco suæ uxori sibi
 „ jam legitime sociatæ impune, quamdiu vixerit, judicamus manere con-
 „ junctum: nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus se-
 „ parari debere.

Id confirmat *S. Thomas III. P. Quæst. Ixvii. Articulo III.* hac ratione:
 „ Ad misericordiam ejus, qui vult omnes salvos fieri, pertinet, ut in his,
 „ quæ sunt de necessitate salutis homo de facili remedium inveniat: inter
 „ omnia autem Sacramenta maximæ necessitatis est Baptismus, qui est re-
 „ generatio hominis in vitam spiritualem; quia pueris aliter omnino subve-
 „ niri non potest; & adulti non possunt aliter quam per Baptismum plenam:
 „ remissionem consequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam
 „ & ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non pos-
 „ sit, institutum est, ut materia Baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ a
 „ quolibet facile haberi potest, & Minister Baptismi etiam quicumque sit non or-
 „ dinatus; ne propter defectum Baptismi homo salutis suæ dispendium patiatur.

Non possunt tamen Laici solemnes cæremonias in Baptismo adhibere, non
 quod majoris sint dignitatis, sed quod minoris necessitatis, & ad solemnitatem
 dumtaxat pertineant; adeoque peragi non possunt a Laico, sed solum
 a Sacerdote, cujus est solemniter baptizare.

Mulier ur-
gente ne-
cessitate
baptizare
potest.
Joan. I.

II. Mulieres urgente necessitate posse baptizare laudati jam Canones pro-
 bant, cum Laicis id permissum dicant absque sexus discrimine. Et revera
In Christo non est masculus, neque femina, ut ait Apostolus, *Coloss. III.* Quam-
 obrem sicut masculus Laicus baptizare potest quasi Minister Christi, de
 quo *Joannes* ait, *Hic est, qui baptizat*; ita etiam femina. Unde *Urbanus*
 Papa, Cap. *Super quibus*. *Causa xxx. Quæst. III.* sic respondet: *Super qui-*
bus consulit nos tua Dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum,
ut & Baptismus sit, si instante necessitate femina virum in nomine Trinitatis
baptizaverit; & quod spiritualium parentum filii, vel filie, ante, vel post
compaternitatem geniti, possunt legitime conjungi, præter illam personam, per
quam Compates sunt effecti. Id confirmatur ex omnium Synodorum Decre-
 tis, quibus cautum est, ut nulla mulier ad publicum obstetricis munus re-
 cipiatur, nisi baptizandi perita.

Concilium quidem Carthaginense IV. Canone xcix. & Canone cx. Mu-
 lieres a docendi, & baptizandi ministerio excludit his verbis: *Mulier, quam-*
vis docta, & sancta, viros in conventu docere non præsumat.

Mulier.

Mulier baptizare non presumat .

Sed de publica, & solemnī administratione Baptismi intelligendi sunt hi Canones. Sicut ergo mulieri non permittitur publice docere; potest tamen privata doctrina, vel monitione aliquem instruere: ita non permittitur ei publice, & solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

III. Ab infidelibus, sive non baptizatis hominibus administrari posse Baptismum, constat ex Cap. *Romanus* Dist. iv. *De Consecratione*, quod ex S. Isidoro sumptum est. *Romanus Pontifex* (inquit) *non hominem judicat , qui baptizat , sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi , licet Paganus sit , qui baptizat .* Item ex Cap. *A quodam*, eadem Dist. quod est *Nicolai I.* ad Consulta Bulgarorum respondentis: *A quodam Judæo* (inquit) *nescitis utrum Christianum , an Pagano , multos in vestra patria baptizatos asseritis , & quid de iis sit agendum consulitis : Hi profecto si in Nomine Sanctæ Trinitatis baptizati sunt , constat eos non esse denuo baptizandos .* Hanc Quæstionem suis temporibus nondum finitam S. *Augustinus* in Concilio finiri optavit , interimque se in ea sententia esse professus est , quam exprimit Propositio nostra . Sic enim habet Lib. II. contra Epistolam *Parmeniani* Cap. XII. Hæc quidem alia quæstio est , utrum & ab his , qui nunquam fuerunt Christiani , possit Baptismus dari : nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii , quantum tantæ rei sufficit . Et Lib. VII. De Baptismo contra Donatistas , Cap. LIII. Solet etiam quæri , utrum approbandum sit Baptisma , quod ab eo , qui non accepit , accipitur , si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit . Sed nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ , quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta , nullo Plenario terminata sunt : id autem fiducia securæ vocis asserere , quod in gubernatione Domini Dei nostri , & Salvatoris Jesu Christi , universalis Ecclesiæ consensione roboratum est . Verumtamen si quis forte me in eo Concilio constitutum , ubi talium rerum quæstio versaretur , non præcedentibus , talibus , quorum sententias sequi malem , urgeret , ut dicerem , quid ipse sentirem : si eo modo affectus essem , quod eram cum ista dictarem ; nequaquam dubitarem habere eos Baptismum , qui ubicumque , & a quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum , sine sua simulatione , & cum aliqua fide accepissent : quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset , si charitate caruissent , qua Catholicæ infererentur Ecclesiæ .

Id confirmat S. *Thomas* III. P. Quæst. lxxvii. Articulo v. Quamobrem si qui Canones Baptismum a Paganis collatum rejicere , ac irritum declarare videntur , de illis sunt intelligendi , qui Baptismi formam , & Ecclesiæ ritum non servant . Ita Cap. *Quos a Paganis* , Dist. iv. *De Consecratione* , C. lli. quod est *Gregorii III.* ad Bonifacium Episcopum * scribentis : *Quos* (inquit) *a Paganis baptizatos esse asseruisti , ut denuo baptizes in nomine Trinitatis , mandamus .* Unde Lib. v. Capitularium C. vi. habetur : *Si quis baptizatus est a Presbytero non baptizato , & Sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuit , baptizatus est , sicut Sergius Papa dixit . Impositione vero manus indiget . Gregorius Episcopus Romanus , & Joannes Sacellarius sic senserunt .* De sumptum est ex Capitulari Compendiensi *Pipini* Regis anno Christi dclvii. in generali Populi Conventu condito . Repugnat Caput xciv. Lib. v. ubi legitur : *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum , baptizetur , & ordinetur iterum , & omnes , quos prius baptizavit .* Eodemque modo legitur apud *Burhardum* , Lib. iv. C. lxxiv. & apud *Ivonem* P. I. Cap. cclxviii. sed præterquam quod refertur ex Concilio apud Compendium , ubi non extat , hæc clausulam , *Et omnes quos prius baptizavit ,*

Baptismus administrari potest ab infidelibus , sive non baptizatis hominibus .

* Epist. r.

Minister
Baptifini.

irreptitiam esse verifimilius est. Certe expungendam merito iudicarunt *Gratianus*, apud quem non legitur *Causa I. Quæst. I. Cap. IV. Si Presbyter*, & Collectores Decretalium, qui eam non habent Lib. III. Tit. XLIII. *De Presbytero non baptizato*, Cap. I. *Si quis Presbyter*. Ipseque Pontifex *Innocentius III.* ibidem, Cap. *Veniens*, idem Caput, *Si quis Presbyter*, describit, & laudat absque illa clausula. Denique *Antonius Augustinus* in Notis ad primam Collectionem Decretalium pronunciat illam recte omissam esse a *Bernardo Papiensi*, & a *S. Raymundo*.

De illis etiam Paganis, qui Baptismum verbis Evangelicis non administrant, intelligendum est Caput CCCI. Libri septimi Capitularium, ubi sic legitur: „Præcipimus, ut qui a Paganis baptizati sunt, denuo a Christi „Sacerdotibus in nomine Sanctæ Trinitatis baptizentur, & postea ab Episcopis chrifmentur, quia aliter Christiani nec dici, nec esse possunt. „Item illud *Gregorii III.* Epistola I. ad *Bonifacium*, Cap. V., Eos etiam, qui „se dubitant fuisse baptizatos, vel qui a Presbytero Jovi maſtante, & „carnes immolatitias vescente baptizati sunt, ut rebaptizentur præcipimus. Quod Lib. VII. Capitularium insertum est, Cap. CCCCV.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

PECCANT Laici, sive viri, sive mulieres, Baptismum extra casum necessitatis administrantes; immo & Clerici quicumque, sive Minores, sive Majores, præter proprium Parochum, vel Sacerdotem, cui hanc ille provinciam demandaverit.

Et illud quidem peccatum ex genere suo mortale est. Tum quia *Usurpatio est alieni muneris* (ut loquitur *S. Augustinus* Lib. II. *Contra Epistolam Parmeniani*, Cap. XIII.) tum quia præceptum Ecclesiæ in re gravi violatur: tum quia peccatur contra reverentiam Sacramento debitam.

R E G U L A II.

PECCANT graviter ob easdem rationes, qui pueros alteri quam proprio Parocho, vel Sacerdoti, cui hanc ille provinciam commiserit, baptizandos offerunt, & multo magis si Laico, mulieri, Hæretico, aut non baptizato, extra casum necessitatis.

Ita *S. Thomas* III. P. Quæst. LXVII. Articulo III. ad Primum, Articulo IV. ad tertium, & Articulo V. in corpore.

R E G U L A III.

HIC ordo Fidelibus in Baptismo conferendo, cum necessitas cogit, omnino servandus est; ut mulier si vir adsit; Laicus item præsentem Clerico; tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi non sumant.

Ita *S. Thomas* Articulo IV. Concilii Tridentini Catechismus, & *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Baptifini: „Illud vero cavendum est, inquit, quod etiam Parochus, prout occasio tulerit, accurate monebit, ut ne „fœmina viro præsentem; neque rursus Clericus præsentem Subdiacono; hic „que itidem coram Diacono; nemoque præterea eorum coram Sacerdote baptizare audeat; ipse autem norit sibi licere baptizare, etiam præsentem „suo Episcopo. Et quoniam si vel a muliere, vel a Laico secus fit, grave „peccatum admittitur, id etiam monebit. Ita etiam Synodus Senonensis anno MDXXIV. Carnotensis anno MDXXVI. & Parisiensis anno MDLVII. & Rituale Romanum.

R E G U L A IV.

Obstetricibus autem, quæ baptizare consueverunt, formamque Baptismi tenent, baptizare quidem necessitate urgente permittitur, etiam presente Laico, qui hujus Sacramenti conficiendi plane ignarus, rudisque sit.

Ita S. Carolus, & Catechismus Concilii. „ Verum (inquit Sanctus Cardi-
„ nalis) gravissime Parochus monebit, quam graviter illæ peccent, si quando
„ mortis necessitate non cogente, Baptismum ministrare audent. Quamob-
„ rem illud etiam interdum opportune nunciabit, ut cum mulier prope pa-
„ ritura ægre se habet, de ejusque partu timetur studeat imprimis Parochum
„ in tempore accersere: aut, si eum habere non potest, aliquem ex Eccle-
„ siasticis Ministris: aut denique virum Laicum baptizandi peritum in prom-
„ ptu habere: ut ne obstetricibus fœminis, nisi in summa necessitate, cui
„ aliter provideri nullo modo potest, baptizandi locus nunquam detur.

Minister
Baptismi.

R E G U L A V.

Parentes autem omnino caveant, ne liberos suos baptizent absque manifesta necessitate, cum scilicet alii quoquo modo apti non adsunt, & periculi urgent necessitas: quod ipse etiam monebit, prout usu aliquando venerit.

Ita S. Carolus Borromeus in Instructionibus Baptismi. Synodus Lingonensis MCCCIV. Carnotensis MDXXVI. Parisiensis MDLVII. quarum Decreta refert Bocbellus Lib. II. Decretorum Ecclesie Gallicanæ, p. 165.

R E G U L A VI.

„ **B**aptizandi formulam Curatus non solum ex Catechismi Romani præ-
„ cepto generatim, sed etiam privatim ac præcipue obstetricibus, in Ec-
„ clesia tamen, plane ostendat, ac tradat, quam etiam an illæ recte teneant,
„ aliquando eodem loco accurate videat, ac diligenter quærat. Obstetrices
„ officium ne præstent, nisi per Vicarium foraneum, si in Diœcesi sunt; at
„ vero in Urbe per eum, cui Episcopus id curæ dederit, scripto probatæ sint
„ idoneæ ad Sacramentum Baptismi, cum necesse erit, ministrandum. Quæ
„ autem probata est, curet quoad fieri potest, cum baptizabit, ut duæ sal-
„ tem mulieres, ac mater præsertim, si potest, testes præsentés adsint, quæ
„ in baptizando verba ab ea prolata audiant. Parochus vero cum perquiret,
„ an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem, & testes etiam de verbis
„ prolatis interroget, ut sibi constet, an Baptismi forma recte adhibita sit,
„ an vero secus, quamobrem oporteat infantem a se baptizari.

Ita Synodus Aquensis anno MDLXXXV.

C A P U T VI.

DE SUSCEPTORIBUS, SIVE PATRINIS.

PROPOSITIO UNICA.

Præter Sacramenti Ministros, Susceptores etiam, sive Patrini ex antiquissima Ecclesie consuetudine ad Baptismum convenienter adhibentur.

Hance consuetudinem ab Apostolicis temporibus arcessendam, colligitur ex S. Dionysio Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, Cap. VII. Divinis nostris Ducibus, inquit (id est Apostolis) in mentem venit, & visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis Pedagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino Patre, & salvationis sanctæ susceptore. Hunc

De suscep-
toribus, si-
ve Patrinis.

autem Patrem spiritualement, sive Susceptorem nomine pueri Abrenuntiationes, & Fidei Professionem edere; ac si dicat: *Profiteor me huic puero, cum per ætatem intelligere Sacra poterit, divinis meis institutionibus persuasurum, ut adversariis nuntium omnino remittat, & divina promissa profiteatur, & exsolvat. Nihil ergo absurdum est, si ad divinum institutum puer adducitur, cum Duce, ac Sponsorem habeat, qui illum rerum divinarum scientiam doceat, & ab adversariis factum tectum tueatur, & custodiat.*

Ejusdem consuetudinis antiquitatem probant *Tertulliani* verba Lib. *De Baptismo*, Cap. XVIII. *Quid enim necesse est, Sponsores etiam periculo ingeri?* Item Auctor *Quæstionum ad Orthodoxos* inter *Opera S. Justinii* Quæst. IV. & *S. Augustinus* Epistola XCVIII. alias XXIII. ad *Bonifacium* Episcopum, cujus hæc verba refert: „ Interrogamus eos, a quibus offeruntur parvuli, & dicimus, Credit in Deum? De illa ætate, quæ utrum sit Deus, ignorat, respondent, Credit: & ad cetera sic respondetur singula, quæ quærentur. *Ibidem* S. Augustinus ait: Offeruntur quippe ad percipiendam spiritualement gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus, quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quam ab universa societate Sanctorum, atque Fidelium. *Apud Gratianum* *Dist.* IV. De Consecratione, Cap. *Vos ante*, CV. hæc veluti *S. Augustini*, cujus revera non sunt, laudantur: „ Vos ante omnia tam mulieresquam viros, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis Fidejussores apud Deum extitisse pro illis quos visi estis de sacro Fonte suscipere. Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant... Ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro Fonte ostendite. *Ibidem* Cap. In Catechismo ex *Hygini Papæ Pseudepigraphis* hæc leguntur; In Catechismo, & in Baptismo, & in Confirmatione unus Patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt. Cap. Non plures, nomine *Leonis Papæ* *ibidem* laudatum, sic habet: Non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier. In Confirmatione quoque idipsum fiat.

1. Petri 2. Consuetudinis hujus, ac Ritus convenientiam probat *S. Thomas* III. P. Q. LXVII. Art. VII. & ex eo Concilii Tridentini Catechismus, hunc in modum. Baptismus est spiritualis regeneratio per quam filii Dei nascimur, de qua ita loquitur Petrus: *Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lascupiscite.* Ut igitur postquam aliquis in hanc lucem editus est, Nutrice; & Pedagogo indiget, quorum ope, atque opera educetur, ac doctrina, & bonis artibus erudiatur: ita etiam necesse est ut qui ex Baptismi fonte vitam spiritualement vivere incipiunt, alicujus fidei, & prudentiæ committantur, a quo Christianæ Religionis præcepta haurire, ad omnemque pietatis rationem instrui possint, atque ita paulatim in Christo adolescere, donec tandem viri perfecti juvante Domino evadant: cum præsertim Pastoribus, qui publicæ Parochiarum administrationi, & curationi præpositi sunt, tantum temporis non supersit, ut privatam illam curam pueros in fide erudiendi suscipere possint.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Susceptorum sive Patrinorum officia, Susceptorum, sive Patrinorum partes sunt, si id parentum opera minus præstare possit, puerum, qui Christo per Baptismum gignitur, cum primum rationis usum habere cœperit, tam Baptismi suscepti, quam professæ

in Baptismo fidei admonere, simulque providere, ut ejusdem fidei elementis, verique Dei cognitione, & cultu Catholice instituantur, & moribus Christianis informetur. Ante omnia autem Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, & Decalogum filios suos docere debent. Ita Concilium Parisiense VI. Lib. I. C. 19. *Ut parentes, inquit, filios suos, & Patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant: illos, quia eos genuerunt, & eis a Domino dati sunt; & istos, quia pro eis fidejussores existunt.*

Ita S. Carolus in Concilio Mediolanensi I. & in *Instructionibus Baptismi*, Concilium Senonense MDXXIV. Synodus Parisiensis MDLVII. Bituricensis MDLXXXIV. Concilium Burdigalense MDLXXXII. Rhemense MDLXXXIII. & Concilii Tridentini Catechismus. Hac autem potissimum lege sunt obstricti, cum necessitas imminet; sicut eo tempore, & loco, in quo baptizati inter Infideles nutriuntur, vel ex parentibus Hæreticis, aut ad Religionem Catholicam recens conversis, & eam ficto forsan animo professis, nati sunt. *Sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, & ex parentibus probatæ fidei sunt geniti, satis possunt ab hac cura excusari Patrini, præsumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur: Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum salutis spiritualium filiorum curam impendere.* Ita S. Thomas III. P. Q. LXVII. Art. VII. ,, Parochus autem gravibus verbis eos commonefaciet, quorum filios animadvertent, si Doctrinæ Christianæ Scholas non frequentare, puerilibus ineptiis, ac vitiis deditos esse aut in rebus humanis, puta in pascendo grege ita perpetuo occupatos, ut ne Festis quidem diebus ad Missam accedant. Ita S. Carolus in *Instructionibus*.

R E G U L A II.

Spiritualis cognatio Matrimonium contrahendum impediens, & dirimens contractum, oritur inter Susceptores, sive Paternos, ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, ac Matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, ac Matrem. Unde Ecclesia providere volens, ne inter plures hujusmodi affinitates contraherentur, quæ impedirent, quominus legitimo Matrimonii vinculo hominum inter homines societas latius diffunderetur, statuit, ne plures baptizatum de sacro Fonte suscipiant, sed unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una.

Id constat ex cap. *Veniens*, Extra, *De cognatione spirituali*; & ex Conc. Tridentino sess. XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. II. cujus hæc sunt verba: ,, Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multo-
,, ties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonium: in quibus
,, vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus
,, tantum sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel
,, ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos
,, & baptizatum ipsum, & illius Patrem & Matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, ac Matrem tantum spiritualis Cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptisimum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro Fonte suscipiant; & cum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in Libro eorum nomina describat; doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo

Spiritualis cognatio ratione Baptismi inter quos oritur.

,, pacto

„ pacto contrahant ; constitutionibus in contrarium facientibus non ob-
 „ stantibus . Si Parochi culpa , vel negligentia secus factum fuerit, arbi-
 „ trio Ordinarii puniatur . Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione con-
 „ trahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque Patrem & Matrem,
 „ ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritua-
 „ lis cognationis impedimentis omnino sublatis .

Unus Pa-
 trinus, vel
 una Matri-
 na sufficit,
 duo admit-
 ti possunt,
 non plures.

Plures sunt istius Decreti partes. Primo, unum Patrinum, vel unam
 Matrinam sufficere declarat ad baptizatum e sacro Fonte suscipiendum. Se-
 cundo, duos admitti posse, quorum unus masculus sit, altera femina, quæ
 consuetudo obtinuit. Tertio, plures admitti vetat. Quarto, spiritualem co-
 gnationem contrahi inter Patrinos, & Matrinas, & baptizati Patrem, ac Ma-
 trem: ex qua fit, ut nec Patrinus filiolæ suæ, vel ejus Matri; nec Matrina
 filiolo suo, aut ejus Patri nubere possit. Contrahitur eadem spiritualis co-
 gnatio inter baptizantem, & baptizatum, ac baptizati Patrem & Matrem:
 ita ut si laicus quispiam, cogente etiam necessitate, puellam baptizaret,
 nec illam, nec illius Matrem conjugem unquam habere possit. Et si inter
 hujusmodi personas commercium aliquod carnale intercedat; præter forni-
 cationis malitiam, peccatum illud singularem deformitatem, ac gravitatem
 spiritualis incestus habebit, in Confessione Sacramentali necessario expri-
 mendam. Quinto, declarat Concilium, spiritualem illam cognationem con-
 trahi dumtaxat ab uno, vel una, vel ab uno & una, qui ad baptizatum
 de sacro Fonte suscipiendum designati, & admissi, ipsum obtulerint, pro-
 ceo responderint, & tetigerint, cum baptizatur. Quod Pontificio Diplomate
 B. Pontificis S. Pii V. quod incipit, *Cum illius vicem*, anno MDLXVI. con-
 firmatum est. Nihil autem refert ad istam cognationem contrahendam, si-
 ve domi sine cæremoniis, sive in Ecclesia solemnè Ritu Baptismus admini-
 stretur; modo Patrini designati sint, & baptizandum offerant, ac teneant,
 ejusque curam suscipiant. Unde Laicus, qui puellam domi in articulo ne-
 cessitatis baptizavit, nec ipsi, nec ejus Matri nubere potest, ut respondet
 S. Antoninus, p. III. tit. I. cap. xv. Si vero non ut Patrini, sed ut homines
 necessitati servientes, teneant baptizandum, nullam cognationem contra-
 hunt. Idem esto judicium de illis, qui puero jam domi propter mortis pe-
 riculum baptizato Patrini designantur, qui solemnibus cæremoniis supplendis
 assistant, ac nomen etiam imponant. *Spiritualis enim cognatio non contra-
 hitur nisi per aliquod Sacramentum* (inquit S. Thomas, qu. LVI. Supplemen-
 ti, art. II.) Eadem ratio est & de Procuratore, qui alterius nomine ba-
 ptizandum e sacro Fonte suscipit: spiritualem enim cognationem ille non
 contrahit, sed is, cujus agit nomine, & cujus habet mandata. Sexto de-
 clarat Concilium, alios a designatis Patrinis, qui baptizandum tenuerint, vel
 tetigerint, nullam cognationem contrahere, omnibusque constitutionibus in
 contrarium derogat, inter alias cap. *Quamvis*, *De Cognatione spirituali*,
 in Sexto. Declarat septimo Concilium, cognationem spiritualem pariter
 contrahi in Sacramento Confirmationis inter confirmantem, & confirma-
 tum, illiusque Patrem, ac Matrem, & Susceptorem. Declarat denique hu-
 jus spiritualis cognationis impedimenta inter alias Personas esse omnino
 sublata. Quæ igitur olim intercedebat spiritualis cognatio inter Patrem ba-
 ptizati, & uxorem Patrini, vel inter duorum Compatrum filios, per quo-
 rum alterum ad compaternitatem perventum esset, secundum cap. *Ita*, S.
Est inter, *Causa xxx. qu. III.* & cap. *Post susceptum*, ibidem, secundum
 cap. *Martinus*. &c. *Tua nos*, *Extra*, *De Cognatione spirituali*, & cap. *Ne-
 dum*, necnon cap. *Quamvis*, eodem Titulo, in Sexto, Tridentini Concilii
 Decreto sublata est.

De Susce-
 ptoribus,
 sive Patri-
 nis.

S. Thomas, qu. LVI. Supplementi art. IV. respondet cognationem spirituales transire a viro in uxorem carnaliter cognitam ante compaternitatem, & art. V. asserit eandem transire ad filios carnales Patris spiritualis: sed respondet Doctor Angelicus secundum Jus antiquum, & Disciplinam in Ecclesia suo tempore receptam: nunc vero post Decretum Conc. Tridentini, quo antiquis illis Canonibus derogatum est, res aliter se habet. Unde si maritus, & uxor aliquem ex sacro Fonte simul suscipiant, jure conjugii uti possunt sicut prius, ut declaravit *S. Pius V.* laudato Diplomate, *Cum illius vicem*. Nihil etiam prohibet, quin filiolus uxorem, aut filiam sui Patrini in Matrimonium accipiat.

In Synodis Lingonensibus an. MCCCIV. & MCCCXXIV. celebratis vetitum est sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendę, nec non sub pœna xx. solidorum Turonensium, ne plures quam duo Patrini, unus scilicet masculus, & una femina, puero de sacro Fonte suscipiendo manum admoveant.

R E G U L A III.

Pater, & Mater baptizati Patrinorum officio in illius Baptismo fungi non debent, nisi cogat necessitas.

Sicut enim alia est generatio spiritualis a carnali, ita etiam debet esse alia disciplina, secundum illud *S. Pauli* ad Heb. XII. *Patres quidem carnis nostrę habuimus eruditores, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus?* Et ideo alius esse debet Pater spiritualis a carnali, nisi necessitas contrarium exigat. Qui filium suum ex sacro Fonte susceperit, vel ipsum baptizaverit, extra casum necessitatis, nisi excuset ignorantia, spirituales contraxit cum uxore cognationem; ex qua fit, ut conjugale debitum ab ipsa petere non possit: idemque esto judicium de uxore, quę filium ex Baptismo susceperit, vel salutari Lavacro lustraverit. Debitum tamen reddere tenetur, quia ex unius culpa non debet alter incommodum aliquod reportare. Ita *S. Thomas*, qu. LVI. Supplementi, art. I. Cap. quidem *Pervenit*, *Causa xxx. qu. I.* decernitur, viros, & mulieres, qui *Sabbatho Paschali, præ magno Populorum incursu, proprios filios ex Lavacro sacro susceperant*, a thoro conjugali separandos esse. Verum huic capiti ex Pseudepigrapha *Deusdedit* Papę Epistola defumpto, derogant, cap. *Dictum est*, ex Concil. Cabilonensi II. cap. XXXI. cujus hæc sunt verba: *Dignum duximus, ut si quę mulier filium suum defidia, aut fraude aliqua coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam, aut propter fraudem, quamdiu vivet agat pœnitentiam; a viro tamen suo non separetur.* Et cap. *De his*, ibidem, quod ex Epistola *Nicolai I.* ad *Rodolphum* Bituricensem Episcopum sumptum est, quo decernitur, separandos non esse ab uxoribus, qui filios uxoris suę de viro priori in confirmatione tenuerint, si inscientia id fecere. Et cap. *Nosse*, legitur ejusdem Pontificis responsum Salonitano Episcopo datum, quo uxorem, quę filium suum de sacro Fonte levavit, a viro non esse separandam, declaratur. *Quos ideo (inquit) jungi posse decernimus, quia secundum sacros Canones, nisi amborum consensu, nullius Religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quę habens odio viro, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem.* Ibidem, cap. *Ad Limina*, refertur *Joannis VIII.* Responsum *Anselmo* Lemovicensi Episcopo datum, quo *Stephanum* quemdam, qui filium suum in periculo mortis constitutum, necessitate cogente, absentibus scilicet Sacerdotibus, baptizaverat, ab uxore non esse separandum declarat. Denique, cap. *Si vir*, Extra. *De Cognatione spirituali* habetur responsum *Alexandri III.* Salernitano Episcopo datum, quo declarat compaternitatem inter

De Suscep-
toribus, si-
ve Patrinis

inter conjuges five ex malitia, five ex ignorantia supervenientem, conjugium non dissolvere, nec usum Matrimonii prohibere. *Nobis videtur* (inquit) *quod five ex ignorantia, five ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.*

R E G U L A IV.

Qui ad suscipiendum ex sacro Fonte puerum non sunt admittendi simul vir, & uxor, nec excommunicati, interdicti, publici criminis rei, infameve, puta concubinarij, usurarij, ebriosi, qui cum inimicis reconciliari nolunt, &c. Qui Paschalis Confessionis, & Communionis officio perfuncti non fuerint; nec pueri natu minores quatuordecim annis, aut puellæ duodecim; nec qui sana mente non sunt; nec præterea illi, qui Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, rudimenta que Fidei Christianæ ignoraverint: de quibus interrogare eos debet Parochus, si ea de re dubitet.

Ita *S. Carolus Borromæus* in Conc. Provinciali Mediolanensi I. Synodus Parisiensis MDLVII. Rothomagensis an. MDLXXXI. Aquensis MDLXXXV. Burdigalensis MDLXXXII. Rhemensis MDLXXXIII. Qua de re Lib. VI. Capitular. Cap. CLXXXII. ita etiam sancitum est. „ Placuit, ut instruantur fideles, qui parvulos de sacro Fonte suscipere cupiunt, ut intelligant, & vim ejusdem Sacramenti, & quid pro aliis sponderunt, vel pro quo fidejussores extiterunt, & sciant se nullo modo ante aliorum patres efficere, quam supradicta discant, & intelligant, seu reddant. Et si fidejussores pro terreno lucro damnari solent, quanto magis pro divino jure, ne damnentur, cavere oportet? Illi tamen ab his officiis removendi sunt, ne alios de sacro Fonte in Baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum Spiritus Sancti Donum aliorum Patrini existant, qui & Communionem Canonica privati, & publicæ Pœnitentiæ sunt subacti, donec per penitentiam satisfactionis reconciliationem mereantur; vel etiam illi, qui tale peccatum commissum habent, pro quo publicæ penitentia plectendi, & ligandi sunt. “ Quod ex Conc. Parisiensi VI. Lib. I. Cap. LIV. transcriptum est.

R E G U L A V.

Admitti etiam non debent Patrini, qui nondum Confirmationis Sacramentum susceperint.

Ita *S. Carolus* in Instruction. Baptismi, Synodus Bituricensis MDLXXXIV. Aquensis MDLXXXV. & aliæ, ac Rituale Romanum. Audiendus ea de re *S. Antoninus*, III. p. Tit. XIV. cap. III. §. I. „ Nascitur homo, inquit, in esse spirituali per Baptismum, & vivit utique vita gratiæ, sed adhuc est quasi debilis in vita spirituali; sed per Confirmationem, vel Chrismationem confirmatur, quasi perveniens ad ætatem robustam, ut possit bellare, & fortia agere. Unde ut debilis accedens baptizandus, ad hoc debet sustentari ab alio, qui tamen sit chrismatus. Nam debilis non est idoneus ad sustentandum debilem, ne ambo simul cadant.

R E G U L A VI.

Etiam rationem cohortando Parochus habebit, ut ne peregrini, hospites ignoti, & ii denique Compatres adhibeantur, quorum domicilium cum longe absit, verisimile non est, consuetudinem inter ba-

„ ptizatum eosque ita futuram, ut suscepti muneris functionem in eo in-
 „ struendo præstare possint.

Ita *S. Carolus*. Multo minus admittendi sunt Hæretici, aut Schismatici, ut statuit Conc. Moguntinum relatum cap. *In Baptismate*, dist. iv. *De Consecratione*, & Conc. Rhemense MDLXXXIII. quod Sacerdoti præcipit, ut roget clara voce omnes, qui puerum baptizandum ad Ecclesiam comitati sunt, vel saltem Patrinum, & Matrinam, numquid velint vivere, ac mori in Ecclesia Catholica, Apostolica, & Romana; abnuentesque ab officio suscipiendi repellat.

De Suscep-
 ptoribus, si-
 ve Patrinis.

R E G U L A VII.

„ **P**arochus præmonebit accurate parentes paulo ante Baptismi admini-
 „ strationem, ut compadres tales deligant, quales eos esse oportet,
 „ qui vitæ exemplis, Christiana disciplina, castisque moribus alios in-
 „ struere debent. Itaque in hoc delectu, non nobilitatis, non divitiarum,
 „ non potentiae, non auctoritatis, non potestatis, non amicitiae, non cu-
 „ jusvis alterius commodi, emolumentive rationem habebunt; sed eos po-
 „ tius seligent, qui filiorum animæ magis consulere, quam qui inopiæ sub-
 „ venire possunt. Verba sunt *S. Caroli* in Concilio I. Provinciali, & in
Instructionibus Baptismi.

R E G U L A VIII.

„ **A**d pueros e sacro Baptismi Fonte suscipiendos admitti non debent Mo-
 „ nachi, aliive Regulare, aut Moniales; ut habetur cap. *Non licet*,
 „ dist. iv. *De Consecr.* quod ex Conc. Antifiodorensi cap. xxv. sumptum est: *Non*
 „ *licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec Commatres habe-*
 „ *re.* Et cap. *Monachi*, eadem Dist. *Monachi sibi Compadres, Commatresve non*
 „ *faciant, nec osculentur fœminas.* Regulares pariter excludunt ab officio Pa-
 „ trinorum Concilium Matisconense II. anno MDLXXXVIII. Conc. Rhemense
 „ MDLXXXIII. Bituricense MDLXXXIV. excepta causa necessitatis, Synodus
 „ Aquensis MDLXXXV. & *S. Carolus* in *Instructionibus Baptismi*. Excludit etiam
 „ Clericos sæculares sacris initiatos idem Sanctus Archipræsul. Synodus A-
 „ quensis mox laudata idem statuit: *Compater ne adhibeatur Regularis aliquis,*
 „ *nec passim Clericus sæcularis sacris initiatus, aut Beneficium Ecclesiasticum*
 „ *obtinens.* Synodus Rhemensis anno MDLXXXIII. *Convenire judicamus, ut E-*
 „ *piscopus in propria Diœcesi, Parochus in sua Parochia, & initiatus Sacris*
 „ *Ordinibus in suæ residentie, vel beneficii loco pueros de sacro Fonte non su-*
 „ *scipiant.* Quæ quidem Disciplina conveniens esset; sed quod spectat Cleri-
 „ cos sæculares Sacris Ordinibus initiatos, & Episcopos, non est universim
 „ recepta, & observata.

Monachi, &
 Moniales ab
 officio Pa-
 trinorum, &
 Matrina-
 rum exclu-
 duntur.

R E G U L A IX.

„ **P**arochis prohibitum est, ne baptizandis ea nomina imponi sinant, quæ
 „ turpia, aut ridicula sunt, quæve impiorum, & impurorum hominum
 „ memoriam referant, sed eorum, qui ob veræ pietatis, ac S. Religionis,
 „ virtutisque Christianæ laudem, Sanctorum numero adscripti sunt: ut &
 „ in ipso vitæ ingressu cum Ethnicis ne nomen quidem commune habere
 „ velle Fideles protestentur; & ipsi infantes etiam cum ætate procefferint,
 „ nominum similitudine ad eorum, a quibus accepta sunt, imitationem
 „ excitentur, & propterea quos imitari studeant, eisdem quoque frequen-
 „ tius precentur; ac sperent eos sibi potissimum ad salutem tum animi, tum
 „ corporis Advocatos fore. Nomina quoque SS. Patrum Veteris Testamenti af-
 „ fectare, Hæreticorum est. Quocirca serio Parochi admoneant hujusmodi

Quæ nomi-
 na pueris in
 Baptismo
 imponenda.

„ nominum cupidos, ut quo majori gratia, & lumine Novum Testamen-
 „ tum præstat Veteri, sic longe esse decentius SS. Apostolorum, & Disci-
 „ pulorum Christi, atque aliorum, qui eorumdem sanctitatem imitati sunt,
 „ nomina infantibus imponi.

Ita statuunt Conc. Burdigalense MDLXXXII. Rhemense MDLXXXIII. Bitu-
 ricense MDLXXXIV. Synodus Aquensis MDLXXXV. & S. Carolus in *Instructio-
 nibus Baptismi*. Rituales denique Libri plurimarum Ecclesiarum præscribunt
 ut Sanctorum dumtaxat ab Ecclesia receptorum nomina, prout sexui con-
 veniet, infantibus imponantur. Monent etiam, ac prohibent, ne Deo spe-
 cialiter in Scripturis attributa nomina baptizandis tribuantur.

R E G U L A X.

Patrilos Sacrum Chrisma attingere Parochus non patietur. Neque item
 infanti, ejusve parentibus quidquam Baptismi tempore ab iis donari:
 neque, ut Canone vetitum est, quidquam pecunie sibi dari. Infantem propterea
 quem baptizaverit, supra altare non collocabit, ne inde Compatrium muneribus
 redimatur. Nec Compatri, Commatrive lintcola ad Baptismum adhibita,
 tangenda, aut osculanda exhiberi sinit. Verba sunt S. Caroli in Instructio-
 nibus, & Concilio primo Provinciali.

C A P U T VII.

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM, ET CONDITIONIBUS EX
 ILLORUM PARTE NECESSARIIS.

P R O P O S I T I O I.

Quivis homo capax est Baptismi, sive adultus, sive puer, sive vir, sive mulier.

HÆC Propositio evidens est ex Oraculo Christi, Matth. ult. *Euntes
 docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &
 Spiritus Sancti*. Repetantur ea, quæ Art. VI. dicta sunt de Baptismi neces-
 sitate respectu omnium hominum tam infantium, quam adultorum.

Adde S. Fulgentii sententiam ex Libro illius *De Fide ad Petrum* c. XXVII.
 relatam cap. *Firmissime*, dist. IV. *De Consecratione*, cujus hæc sunt verba:
*Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes,
 verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi
 moriuntur; sive cum de matribus nati, sine Sacramento Sancti Baptismatis,
 quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc seculo
 transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriæ actio-
 nis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem car-
 nali conceptione, & nativitate traxerunt.*

De Bapti-
 zandis.

Adde Innoc. III. verba Extra. Cap. *Majores*, *De Baptismo*, & ejus ef-
 fectu, scribentis ad Arelatensem Archiepiscopum: *Baptisma circumcisioni
 successit. Cum ergo circumcisio tam adultis quam parvulis ex præcepto Do-
 mini conferretur: ne Baptismus, qui successit loco ipsius, & generalior tamen
 existit, cum tam viri quam femine baptizentur, minoris videatur effectus,
 tam adultis, quam parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qua-
 libet Mosaica Lex clamabat, „ Anima cujus præputii caro circumcisa non
 „ fuerit, peribit de populo tuo: ita nunc indistincte lex intonat Evangelica,
 „ Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. Sancto, non intrabit in Regnum
 „ Dei; ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens.*

Gen. 17. 14.

Joan. 3. 3.

Nul-

Nulla porro ex parte infantium necessaria est ad Baptismum suscipiendam dispositio, ut constat ex Capite *Mater*, dist. IV. *De Consecratione*, quod ex *S. Augustino Lib. I. De Peccatorum Meritis, & Remissione*, sumptum est.

P R O P O S I T I O II.

Infans in utero Matris adhuc existens baptizari non potest.

REgenerari enim, & renasci nemo potest, nisi primo nascatur. Cum itaque Baptismus sit spiritualis regeneratio, baptizari nemo potest, prius quam ex utero nascatur. Principium istud est *S. Aug. Epist. CLXXXVII.* alias *LVII.* ad *Dardanum*, cujus hæc sunt verba: „ Nemo nascitur, nisi „ operante concupiscentia carnali, quæ tracta est ex primo homine, qui „ est Adam: & nemo renascitur nisi operante gratia spiritali, quæ data „ est per secundum hominem, qui est Christus. Quapropter si ad illum „ nascendo pertinemus, ad hunc renascendo; nec renasci quisquam potest, „ antequam natus sit: profecto ille singulariter natus est, cui renasci opus „ non fuit, quia non ex peccato, in quo numquam fuit, transitum fecit. . . . „ Hoc igitur excepto non video quomodo adificentur homines in domum „ Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, „ quod non possunt esse antequam nati. . . . Quod si quis dicat, jam natum „ esse hominem, etiam cum adhuc est in utero matris, quia dictum est de „ prægnante Virgine Dei Matre, *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est;* „ numquidnam huic nativitati accedit secunda nativitas? Alioqui non erit „ jam secunda, sed tertia: Dominus autem cum hinc loqueretur, *Nisi quis „ renatus*, inquit, &c. eam scilicet computans primam nativitatem, quæ „ fit matre pariente, non concipiente, neque prægnante, quæ fit ex ea, „ non quæ in ea. Neque enim renatum dicimus, quem mater peperit, „ tamquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero; sed il- „ la nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo „ partu, ut possit renasci ex aqua, & Spiritu. Si igitur homo regenerari „ per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci: re- „ nascitur ergo, antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.

Præterea, corpus baptizandi aqua perfundi necesse est, cum Baptismus sit ablutio quædam: corpus autem Infantis antequam nascatur ex utero, non potest aqua perfundi, nisi forte dicatur ablutionem Baptismatis, qua corpus matris lavatur, ad filium in utero existentem pervenire: sed id vere dici non potest: tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur Baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus pueri animati jam est formatum, adeoque a corpore matris distinctum: & ideo Baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem. Unde *S. August. ait Lib. VI. Contra Julianum, cap. V. Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars imputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero: nunc vero cum ipse etiam baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat.* Quamobrem nullo modo infantes in maternis uteris existentes baptizari possunt. Ita ratiocinatur *S. Thomas, III. p. q. LXVIII. art. XI.* Idem confirmatur ex can. *Qui in maternis*, sumpto ex *S. Isidoro Hispalensi Lib. I. Sententiarum cap. 24.* ex Canone *Si ad matris*, & Canone *Si qua mulier*, dist. 4. *De Consecratione.*

Matth. 1. 20.

De Baptizandis.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

EXpectanda est igitur totalis egressio pueri ex utero, ut baptizetur, nisi mors immineat: si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si perfecte nasci contigerit. Idemque faciendum est, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente, ut docent *S. Thomas*, & *S. Carolus* in Instructionibus Tit. De iis, quæ Parochus curet, cum timetur de partu, ubi hæc præscribit: *Quoniam de improvise periculum partus incidit, hoc etiam Parochus aliquando monebit, ut obstetrix, aliave mulier in partu præsens, si quando aliquam in parturiendo ita laborantem animadverterit, ut fœtui periculum mortis probabile, antequam integre nascatur, immineat; ubi primum aliquod membrum vitale motum habens ex matris utero exire videbit, illud aqua perfundens, aspergensve, nullo nomine imposito baptizet, dicens, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita etiam statuit Synodus Lingonensis an. mcccciv. & Synodus Senonensis MDXXIV. Sed meminisse juvat dubium Baptismum *S. Carolo*, aliique videri, cum puer, vel manu, vel pede, vel aliqua alia parte ex matris alvo prodeunte, aqua perfusus est, & baptizatus: ideoque sub conditione baptizandum, cum omnino egressus fuerit, si vixerit.

R E G U L A II.

SI quando autem in partu mulier obierit, hoc fieri admonebit Parochus, ut uterus aperiatur, indeque fœtus eductus, si vivit, quamprimum baptizetur. Id vero magna cautione fiat, ut vis vivus ex utero extrahatur, & tunc in primis cum mater vere mortua est, ne pro salute filii mater occidatur.

Ita *S. Carolus* in Instructionibus Baptismi. Synodus Lingonensis an. mcccciv. iis qui ad tam pium opus incidendi mox mortuæ matris uterum, in quo infans moveri sentitur, & ipsum extrahendi, ac baptizandi, consilium, & juvamen præstiterint, xl. dies de injunctis eis Penitentiis relaxat. Ita *Odo Parisiensis* Episcopus in Statutis Synodalibus, Synodus Senonensis MDXXIV. & Parisiensis MDLVII. Ita *S. Thomas* Quæstione, & Art. supra laudatis, in Responsione ad tertium: *Non sunt (inquit) facienda mala, ut veniant bona, ut dicitur ad Rom. III. Et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperi, ut puer baptizetur.*

R E G U L A III.

Infantes
mortui bap-
tizari non
debent.

INfantes, qui mortui nascuntur, baptizari non debent, etiamsi in iis ad pia quædam loca a simplicibus, aut superstitiosis mulierculis delatis motus aliquis, aut calor ab extrinseco ortus, aliudve signum æquivocum vitæ appareat. Si tamen evidens signum vitæ ipsos ad vitam rediisse probaret, baptizandi essent.

Superstitio-
sa creduli-
tas.

Ita *Philippus Lingonensis Episcopus* in Synodo anni mcccclii. „ Multoties „ infantes qui nascuntur, & quibus non est vita, aut anima, per aliquos „ ignaros baptizantur, quia credunt vitam, & animam habere, quia viden- „ tur moveri ad motum ignis, & propter calorem, qui solet fieri circa ta- „ les pueros in certis Ecclesiis, seu locis piis nostrarum Civitatis, & Diœ- „ cesis, in quibus consueverunt tales deferri, sub spe quod per intercessio- „ nem, & merita Sanctorum vitam, & animam recuperent. Statuimus,

„ & or-

„ & ordinamus, quod de cetero nullus tales infantes præsumat baptizare,
 „ nisi constet per evidentia signa, quod infans de se ipso moveatur, non
 „ autem moveatur propter calorem ignis, aut alterius accidentis.

„ Ita Guido Lingonensis etiam Episcopus in Synodo anno MCCCCLV., Con-
 „ stitutionem Domini Philippi nostri Prædecessoris renovantes, damnamus,
 „ & penitus reprobamus abusum illum, quo passim, & indifferenter tempo-
 „ ribus retroactis fuerunt infantuli ex utero matrum suarum suffocati, qui
 „ vulgariter dicuntur Mortui nati, quorum etiam aliqui fuerunt ad Ecclesiam
 „ delati, certis diebus, ac noctibus coram imaginibus Sanctorum appositi,
 „ a principio frigidi, & tamquam baculus rigidi; sed per ignem carbonum,
 „ & quandoque cereorum, ac lampadum accensarum molles effecti, in qui-
 „ bus color rubeus ad tempus, & sanguis fluens a naribus apparuit: quorum
 „ etiam aliqui sudare super orificio stomachi visi sunt, & venas temporales,
 „ & frontis, ac circa collum aliquantisper movere, alterum oculorum ape-
 „ rire, & claudere, flatum a naribus calidum emittere, a quo plumæ naso
 „ impositæ assufflantur: perfusi sacri baptismatis unda, & deinde in Ceme-
 „ teriis Ecclesiasticis fuerunt tumulati. Hos igitur, & similes abusus de ce-
 „ tero sub excommunicationis pœna, & emendæ arbitrariæ, per nostras
 „ Civitatem, & Diœcesim districtius fieri prohibemus: inhihentes, ne Sa-
 „ cramentum aliquibus conferatur, nec etiam in Ecclesiastico Cœmeterio
 „ tumultentur aliqui, quos verisimiliter constiterit vita naturali, aut mira-
 „ culosa caruisse. Et quia sunt quædam mulieres se de præmissis abusibus
 „ propter quæstum intromittentes, ipsi hoc facere de cetero inhihemus:
 „ prohibemusque omnibus, ne tales mulieres ad talia de cetero in suis Ec-
 „ clesiis recipiant, seu admittant. Sed ne Laici ex hac prohibitione scau-
 „ dalizati remaneant, volumus, quod cum prædicta occurrerint, ad Cura-
 „ tos singulorum locorum specialis habeatur recursus.

„ Ita Statuta Synodalia Ecclesiæ Lugdunensis a Cardinali Turnonio Ar-
 „ chiepiscopo Lugdunensi promulgata, Tit. De Baptismo: „ Interdum evenit,
 „ ut Mulierculæ quædam abortivos in Ecclesiam deferant, & ibi per aliquot
 „ dies invigilent, & observent, an ex quodam miraculo in eis vitæ signa, &
 „ spiracula appareant, & postea ex sanguinis emissionem, & nonnullis aliis
 „ signis multa mendose Curatis adstruunt, ut ex illarum falso testimonio
 „ fidem assumentes, tales abortivos baptizent, quæ cum tanto Sacramen-
 „ to indigna sint, posthac fieri prohibemus.

De Bapti-
zandis.

„ Ita Statuta Synodalia Ecclesiæ Bisuntinæ annis 1592. & 1656. condita Tit.
 „ XI. Statuto 4. „ In plerisque locis nostræ Diœcesis (ut accepimus) Sacer-
 „ dotes quidam male docti baptizare præsumunt infantes mortuos ab utero
 „ matris: quos quædam vetulæ mulieres ebriosæ, & modicæ conscientiæ in
 „ Ecclesiis per duos, tres, vel plures dies observant, & postea testificantur
 „ signa vitæ in eis apparuisse; & posthac in loco religioso, & sacro sepe-
 „ liunt, cum præmissa (si vera essent) miraculosa deberent merito dici. Ad
 „ quorum approbationem major indagatio, & verificatio requiritur, quam
 „ sit testimonium vetularum. Cum igitur cum fidelibus nonnisi fideles se-
 „ peliantur, ideo ne talia de cetero fiant, sine nostra, aut Vicarii nostri
 „ Generalis, seu Officialis licentia, omnino prohibemus.

R E G U L A I V.

„ **P**Rægnantis mulieris parentes, & domesticos, prout opportunitas feret,
 „ Parochus admoneat, ut pro fœtu, qui in utero est, Deum assidue,
 „ ac ferventer precentur, ut ille incolumis in lucem edatur, ac Baptismi
 „ gratiam percipiat, ne sine Sacramento salutis decedat. Et quod piæ de-
 „ votionis est, id quoque, prout usu venerit, admoneat, ut tempori pariendi

„ propinqua mulier ad Ecclesiam accedat, ubi pro ea præfente Sacerdo
 „ oret. Mulier autem eo nomine cum veniet, pie, ac devote ad Altare ma-
 „ jus benedictionem suscipiet. “ Ita *S. Carolus in Instructionibus*.

Ipsam etiam adhortari debet, ut ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramen-
 ta accedat, propter pericula, quæ parentibus accidunt.

R E G U L A V.

Circa Monstrorum Baptismum cautio maxima est adhibenda.

DE monstrorum humanorum Baptismo *S. Carolus* ita decernit in Instru-
 ctionibus Baptismi: „ Si quando monstrum humanum Baptismo offertur,
 „ videndum est, antequam baptizetur, an una persona sit, an vero duæ:
 „ tum masculina sit, an fœmina. Sique re perspecta dubium est, an sint duo,
 „ utpote quia duo capita non habet, nec pectora bene distincta; unus in-
 „ tentione certa, neque vaga, simpliciter baptizetur: alter vero, seu alii
 „ sub conditione: *Si non es baptizatus, &c.* Si vero quia duo capita, pe-
 „ ctora duo, aut corpora etiam distincta in monstro apparent, homines duos
 „ esse perspicuum est, singuli simpliciter baptizentur. Quod si mortis peri-
 „ culum in mora erit, numero plurali baptizentur. *Ego vos baptizo in No-*
 „ *mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sin autem una persona est,
 „ utpote unum tantum caput habens, tamquam unus baptizetur, etiam si
 „ alia membra plura geminatave habeat. At vero Monstrum, quod homi-
 „ nis speciem non præfert, non baptizetur, nisi primum Archiepiscopus,
 „ vel Episcopus consulatur: de cuius etiam consilio agetur, quod supra de
 „ monstro humano dictum est, si tempus dabitur. “ Si autem dubitetur,
 „ an sit homo, baptizari debet sub conditione, dicendo: *Si tu es homo, ego te*
 „ *baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

P R O P O S I T I O III.

De Bapti-
 zandis.

*Pueri Judæorum, & aliorum Infidelium, invitis parentibus baptizari non de-
 bent; quamvis collatus ipsis Baptismus sit ratus, ac validus.*

Hanc Propositionem probat *S. Thomas* 2. 2. qu. x. art. XII. & III. p. q.
 LXVIII. art. x. Primo ex Ecclesiæ consuetudine in omnibus sequenda,
 quæ numquam id probavit: secundo, quia id iustitiæ naturali repugnaret,
 cum puer quandiu usum rationis non habet, sit sub cura parentum, cui
 subtrahi non potest sine violatione juris naturalis: aliunde si parentibus In-
 fidelibus relinquerentur baptizati, fides in periculum veniret. „ Maximam
 „ (inquit) habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in om-
 „ nibus æmulanda: quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccle-
 „ sia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ,
 „ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Docto-
 „ ris. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii in-
 „ vitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus mul-
 „ ti Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, & Theodosius, qui-
 „ bus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Silvester Constantino, &
 „ Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si
 „ hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc Assertio-
 „ nem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesia hætenus ob-
 „ servatam, Judæorum filii invitis parentibus baptizentur.

Rationem arcessit alteram ex jure naturali, quod violaretur: pueri enim
 nondum rationis compotes, *Secundum jus naturale sunt sub cura parentum,
 quandiu ipsi sibi providere non possunt: unde etiam & de pueris Antiquorum
 dicitur, quod salvabantur in fide parentum: & ideo contra iustitiam naturalem
 esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis ha-
 bens usum rationis baptizaretur invitus.*

Ter-

Tertiam rationem petit ex periculo fidei: *Si enim pueri nondum usum rationis habentes Baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectam ætatem venirent, facile possent a parentibus induci, ut relinquerent, quod ignorantes susceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum.*

At (inquires) qui potestate sua abutitur, ea jure privari potest: & quilibet prohibere potest, ne injuria, & vis manifesta inferatur innocenti: parentes porro nolentes baptizari filios suos, abutuntur potestate sua in illorum perniciem, multo magis, quam si ipsos occiderent: licet itaq; ipsos subtrahere parentibus, & illis invitis baptizare.

Res. eum, qui jure suo, ac potestate abutitur, eo privari posse ab illis quibus subest: parentes autem infideles, qui filios suos baptizari nolunt, abutuntur quidem jure suo contra legem Fidei, & Religionis, in qua nemini homini adhuc subduntur, a quo emendari, & plecti possint: non abutuntur tamen jure suo contra ordinem justitiæ naturalis, aut politicæ, sicut abuterentur parentes, qui filios suos occidere vellent. Quamobrem possent illi auctoritate publica subtrahi parentibus, ut eorum saluti consuleretur: immo & quilibet ipsis in extremo periculo constitutis posset succurrere; cum vitæ damnum resarciri non possit: sed tamen ipsis eripi, vel eorum curæ subtrahi non possunt, ut baptizentur: quia nec in extremo salutis periculo constituti censentur propter solam Baptismi dilationem, nisi mors immineat; & accedere ipsi possunt ad Baptismum, cum ad ætatem adultam pervenerint.

Confirmatur ex S. Thomæ Responsione ad primum: *A morte, inquit, De Bapti- corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis: puta, si aliquis zandis. a suo Judice condemnatur ad mortem, nullus debet eum violenter a morte eripere: unde nec aliquis debet irrumpere ordinem juris naturæ, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis æternæ.*

EXCEPTIONES PRAXIM SPECTANTES.

R E G U L A I.

Filii infidelium, qui aliquando fidem susceperunt, sed ab ea defecerunt, invitis parentibus possunt baptizari.

CUM enim ex parentibus Christianis, ideoque Ecclesiæ subjectis nascentur, ipsi pariter Ecclesiæ subjecti sunt: cumque parentes fidem, ac legem Christianam in Baptismo professi, ad sacrum, & solemne pactum servandum cogi possint, filios etiam illorum baptizare licet, quantumvis parentes repugnent.

R E G U L A II.

Pueri infidelium, qui sunt Christianorum servi, non solum servitute civili, sicut Judei sunt servi Christianorum Principum, quorum in ditionibus tolerantur; sed servitute pœnali, sive mancipia, possunt invitis parentibus baptizari.

CUM enim servitus jure gentium sit introducta, jam non sub parentum cura, & regimine, sed sub Domini potestate existunt, qui ut ipsos vendere, donare, & quo voluerit mittere potest; ita & Baptismum inconsultis, & invitis parentibus illis procurare.

R E G U L A III.

PUERUM in extremo vitæ periculo constitutum, & de cujus temporali salute desperatum est, invitis parentibus baptizare licet: tum quia de illius æterna salute pariter desperatum est, nisi baptizetur; tum quia mors ipsum parentibus eripit potius, quam Minister Baptismi.

R E G U L A IV.

Alterutro parentum consentiente, puer baptizari potest, quantumvis repugnet alter.

CUM enim hujusmodi consensus ab eo datus sit, qui jus habet, cedatq; in favorem Religionis, & spiritalem utilitatem pueri, eo absque hæsitatione utendum est. Ita Conc. Toletanum III sub Reccaredo Rege, can. XIV. *Suggestente Concilio, id gloriosissimus Dominus noster Canonibus inserendum præcipit, ut Judæis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas. Sed & si qui filii ex tali conjugio nati sunt, assumendos esse ad Baptismum.* Ita Toletanum IV. Concilium sub Sisenando Rege, can. LXIII. *Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur: quia non potest infidelis in ejus permanere conjugio, quæ jam in Christianam translata est fides. Filii autem, qui ex talibus nati existunt, fidem, atque conditionem matris sequantur.* Ita deniq; Gregor. IX. Argentinensi Episcopo respondens (ut cap. ex Litteris, Extra, De Conversione Infidelium, refertur) de puero quadrienni, quem Pater ex Judaismo ad Christum conversus, sibi assignari in judicio postulavit, ad Fidem Catholicam perducendum, quantumvis uxor in Judaica perfidia pertinax repugnaret: *Cum autem filius in Patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, & non matris: & in ætate tali quis non debeat apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod salutem, vel vitam insidiantur illius; & pueri post triennium apud Patrem non suspectum ali debeant, & morari; materq; pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem: in favorem maxime Fidei Christianæ, respondemus, Patri eundem puerum assignandum.*

De Baptizandis.

R E G U L A V.

PUERI a parentibus infidelibus sive jure, sive injuria separati, & tanta locorum intercapedine diffiti, ut parentes eos recipere non possint, nec iis providere, possunt illis inconsultis baptizari pro illorum arbitrio, qui ipsos in clientelam, & curam suam receperunt.

R E G U L A VI.

Pueri infidelium, ut primum rationis usum attigerunt, invitis parentibus baptizari possunt.

TUNC enim Quantum ad ea, quæ sunt juris divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse; & ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut & Matrimonium contrahere: & ideo tales licite moneantur, & induci ad Baptismum suscipiendum (inquit S. Thomas III. P. Q. LXVIII. A. X.)

R E G U L A VII.

Pueri Judæorum, & aliorum infidelium, invitis parentibus baptizati, ab illis separandi sunt propter perversionis periculum.

ITA Synodus Toletana IV. can. IX. & ex ea cap. Judæorum, dist. XXVIII. q. I. *Judæorum filios, vel filias, ne parentum vitio involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut Monasteriis, aut Christianis viris, ac mulieribus Deum timentibus: ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti, tam in moribus, quam in fide proficiant.*

PRO-

P R O P O S I T I O IV.

Amentes, & furiosi a natiuitate, aut a pueritia perpetuo his morbis laborantes, baptizari possunt sicut infantes: qui vero amentia, vel furore ex intervallis laborant, non sunt baptizandi, nisi Baptismum ante amentiam, vel furorem, aut in lucidis intervallis postulaverint.

ITA docet *Innoc. III. cap. Majores, Extra, De Baptismo, & ejus effectu, De Baptizandis.* „cujus hæc sunt verba: „Dormientes autem, & amentes, si prius, quam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent: quia „in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare: & si fuerint sic „emersi, Characterem non suscipiunt Sacramenti: secus autem si prius Ca- „techumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi (*idest Baptis- „mum suscipiendi.*) Unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia ba- „ptizare. Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum „obicem contrariæ voluntatis non invenit obstantem.

Item etiam *S. Thomas III. p. q. LXVIII. art. XII.* „Circa amentes, & fu- „riosos est distinguendum. Quidam enim sunt a natiuitate tales, nulla ha- „bentes lucida intervalla; in quibus etiam nullus usus rationis apparet: & „de talibus quantum ad Baptismi susceptionem videtur esse idem iudicium, „ac de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ. Alii vero sunt amentes, „qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt: & „tales sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ „mentis existerent: & ideo si tunc in eis apparuit voluntas suscipiendi Ba- „ptismum, debet eis exhiberi infuria, & amentia constitutis, etiam si tunc „actû contradicant: alioquin si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis „apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero „sunt, qui etsi a natiuitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen „aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt: unde si tunc „baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti: & de- „bet eis tunc Sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin me- „lius est, ut tempus expectetur, in quo sunt sanæ mentis, ut devotius „suscipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat „in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia „constituti. Quidam vero sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis existant; „in tantum tamen ratione utuntur, quod possunt de sua salute cogitare, „& intelligere Sacramenti virtutem: & de talibus idem est iudicium, si- „cut de his, qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non au- „tem inviti. *Qui autem lethargico sopore sunt correpti, Non sunt baptizan- „di, nisi periculum mortis immineat, si tamen prius in eis voluntas appa- „ruit suscipiendi Baptismum:* „sicut *S. August. Lib. VI. Confessionum, cap. „IV. narrat de Amico suo, qui Baptizatus est rescians, propter periculum „mortis. Idem docet Conc. Tridentini Catechismus.*

Confirmatur ex Conc. Carthaginensi III. can. xxxiv. statuente: „Ut „ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum te- „stimonium hi, qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur. „Refertur dist. IV. *De Consecratione, cap. Ægrotantes.* Et ex Conc. Arausi- „cano I. can. XII. „Subito, inquit, obmutescens, prout status ejus est, ba- „ptizari aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis, aut præteritæ te- „stimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. *Et can. XIII. „Amentibus quæcumque pietatis sunt conferenda.*

P R O P O S I T I O V.

Energumeni Catechumeni baptizandi sunt urgente necessitate, aut data opportunitate.

Baptizandorum adultorum necessarius consensus.

ITA statuit Conc. Arausicanum I. can. xv. *Energumenis Catechumenis, quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de Baptismate consulendum.* Et antiquius Arausicano Illiberitanum can. xxxvii. *Eos, qui a Spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet.* Timotheus Alexandrinus Episcopus ad Interrogationem secundam, Energumenos in exitu tantum e vita baptizandos respondet, nisi ante ab immundo Spiritu liberati fuerint.

P R O P O S I T I O VI.

Ad Baptismum adultorum necessarius est baptizandorum consensus, seu intentio suscipiendi Baptismum, quæ saltem præcesserit, & per actum contrarium non fuerit revocata.

BAptizandum enim interrogat Sacerdos, *Vis baptizari?* Et respondet, *Volo.* Et pueris quidem valet, cum alii pro eis respondent, quia ipsi respondere non possunt: *At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet* (inquit S. August. Lib. iv. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. xxiv.) Si quis tamen minis, terroribus, plagis compulsus, Baptismum postulet, quamvis secundum quid nolens dicatur, non ideo absolute invitus est, sed absolutam habet voluntatem, quamvis minis, & terroribus excitatam. Ac de hujusmodi homine S. August. intelligendus est. Tract. xxvi. in Joannem: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens, credere non potest nisi volens.* Quamquam de Eucharistia potius, quam de Baptismo, locus iste fortassis explicandus sit: alia autem ratio est Eucharistiæ, quæ in re permanente consistit: hanc enim recipere potest absolute nolens, quamvis non profit nisi volenti, & ut par est, disposito: alia ratio Baptismi, & aliorum Sacramentorum, quæ consistunt in usu, seu applicatione ad recipientem; hæc enim humano modo recipi non possunt, nisi consentiat is, qui recipit.

Idem probatur ex *Innoc. III. cap. Majores, Extra, De Baptismo, & ejus effectu*, cujus hæc sunt verba: „ Id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum, & invitum, coactum, & coactum, alii non absurde distinguunt: Quod is, qui terroribus, atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut & is, qui sicte ad Baptismum accedit) Characterem suscipit Christianitatis impressum; & ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam Fidei Christianæ: in quo casu debet intelligi Decretum Concilii Toletani, ubi dicitur, quod qui jampridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus Religiosissimi Principis Sisebuti: quia jam constat eos Sacramentis divinis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & Chrismate unctos esse, & Corporis Domini extitisse participes: oportet etiam ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur: ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur. Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti: quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire.

Conc. Tolet. iv. can. 55.

Con-

Confirmatur ratione *S. Thomæ*, III. p. qu. LXVIII. art. VII. ,, Per Baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem; secundum illud ad Rom. VI. *Consepulti sumus Christo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Et ideo sicut ad hoc, ut homo moriatur veteri vitæ, requiritur, secundum *S. Aug.* in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas, quæ intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio Sacramenti: & ideo ex parte baptizati requiritur voluntas seu intentio suscipiendi Sacramentum. Quæ si defuerit adultæ ætatis homini, rebaptizandus est.

Libro 50,
Homiliar.
Hom. ult.

CONSECTARIUM PROPOSITIONIS.

QUAMVIS autem ratus sit, ac validus infidelium Baptismus, qui minis, terroribus, ac pœnis compulsus, Baptismum postularunt, & tandem contentientes receperunt, illique ad fidem servandam, & christiane vivendum cogi possint: alienum tamen est ab Ecclesiæ ingenio, & disciplina, ut sic ad Baptismum suscipiendum compellantur. Prædicatione, & suasionibus, non minis, & terroribus homines ad Christianam Religionem adduci Christus voluit. Unde *Tertullianus* ait: *Non est Religionis cogere Religionem*. Et *S. Gregorius*, Epist. LII. Lib. II. *Pastores (inquit) facti sumus, non percussores; & egregius Prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Nova vero, atque inaudita est ista Prædicatione, quæ verberibus exigit fidem*. Hinc Conc. Toletanum IV. sub Rege *Sisenando*, Præsidente *S. Isidoro* Hispalensi Archiepiscopo celebratum, can. LVII. *De Judæis (inquit) hoc præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales invitati salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens perit; sic vocante gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi*. Refertur, Cap. *De Judæis*, dist. XLV. Aliena igitur ab Ecclesiæ ingenio Lex illa *Vvisigothorum* Lib. XII. Tit. III. ,, Cum Veritas ipsa petere, & pulsare nos doceat, præmonens quod Regnum Cælorum vim patitur, in nullo est dubium, quod ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinat. Proinde si quis Judæorum, de his scilicet, qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerit, aut filios suos, vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos miserit, vel se, suosque de Baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium post Legem hanc editam quispiam illorum sine gratia Baptismi transierit; horum omnium transgressor, quisquis ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus suscipiat, & debita mulctetur exilii pœna. Res tamen ejus ad Principis potestatem pertineant: qualiter si incorrigibilem durior eum custodierit vita, perpetuo in ejus, cui eas Princeps largiri voluerit, potestate permaneant. “ Hanc Legem, aliasque contra Judæos ab *Ervigio* Rege latas approbarunt, & confirmaverunt Conc. Tolet. XII. can. IX. & Conc. Toletanum XIII. can. etiam IX. Tolet. XVI. sub *Egica* Rege can. I. XVII. & XVIII. Quæ postrema Synodus Legem confirmavit ab *Egica* Rege editam de Judæis perpetua servitute plectendis, *Eo quod non solum contra suam pollicitationem, suorum Rituum observatione, tunicam fidei, qua eos per undam sacri Baptismatis induit S. Mater Ecclesia, maculaverint, sed & Regni fastigium sibi per*

Alienum est ab Ecclesiæ disciplina, ut ad Baptismum suscipiendum infideles cogantur.
II. Ad Tim. 4.

conspirationem usurpare maluerint. Et filios eorum utriusque sexus, a septimo anno, separari decernit a perfidis parentibus, & Christianis nutriendos tradi: & masculos Christianis fœminis; fœminas Christianis viris connubio conjungi. Denique tam filiis, quam parentibus, Judaicæ Superstitionis cœremonias observare prohibet. Mores illos in Hispaniarum Ecclesiis viguisse negari non potest, Episcopis Ecclesiasticam Disciplinam ad nutum Regum suorum flectentibus; sed sanioerem fuisse, ut & antiquioerem Disciplinam de Judæis ad fidem Christianam, & Baptismum non cogendis, perspicuum est ex Conc. Toletano IV. & hanc solam Ecclesiæ Romanæ ceterarum Ecclesiarum Matri, & Magistræ fuisse probatam, constat non solum ex Innoc. III. cap. *Majores*, supra laudato, sed etiam ex Clem. III. Extra, *De Judæis*, cap. *Sicut Judæi*, cujus hæc sunt verba: *Statuimus ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat.* Favet S. Thomas, 2. 2. quæst. x. art. VIII.

P R O P O S I T I O VII.

Fides ad consequendam Baptismi gratiam maxime necessaria est adultis.

Fidei necessitas in adultis baptizandis ad Baptismi gratiam consequendam.

PROBATUR ex Christi verbis, *Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Item ex Apostolo ad Heb. XI. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquiringibus se remunerator sit.* Et Act. VIII. refertur, quod cum Eunuchus Philippo dixisset: *Ecce aquam, quis prohibet me baptizari?* Philippus dixit: *Si credis ex toto corde, licet:* & respondens ait: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.*

Confirmatur ex Ecclesiæ consuetudine, quæ baptizandos semper interrogavit, an crederent; & ex antiqua Disciplina tradendi Symbolum Competentibus, quod statuta ante Baptismum die redderent, sive memoriter in Ecclesia ex editiore loco in conspectu Populi Fidelis recitarent. Qua de re legendus S. Augustinus Lib. VIII. *Confessionum* cap. II. ubi *Victorini* Baptisma describit, Serm. CCXII. alias LXXV. *De Diversis*, CCXIII. alias CXIX. *de Tempore*, CCXIV. & CCXV. & Sermone, seu libro primo *De Symbolo*, ad Catechumenos. Item cap. *Ante*, & cap. *Symbolum*, dist. IV. *De Consecratione*, quorum primum ex Conc. Bracharensi II. can. I. alterum ex Conc. Agathensi, can. XIII. sumptum est. Primum sic habet: *Ante viginti dies Baptismi, ad purgationem Exorcismi Catechumeni concurrant: in quibus viginti diebus Symbolum, quod est, Credo in Deum Patrem omnipotentem, spiritualmente edoceantur.* Alterum vero sic habet: *Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis una die, idest, ante octo dies Dominicæ Resurrectionis, publice in Ecclesia Competentibus prædicari.* Item cap. *Baptizandos*, quod ex Conc. Laodiceno, can. XLVI. sumptum est: *Baptizandos oportet Fidei Symbolum discere, & quinta Fera ultime Septimane vel Episcopo, vel Presbyteris reddere.* Idem habetur cap. *Non liceat*, eadem Distinctione. Idem confirmatur ex cap. *Prima*, quod ex S. Augustini Hom. III. *Ad Neophytos* sumptum indicatur. *Descendistis in Fontem Sacrum, fontem redemptionis, fontem sanctificationum virtute cœlesti. In hoc ergo Fonte, antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Respondistis, Credo. Rursus interrogavimus: Credis & in Jesum Christum Filium ejus, qui natus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine? Respondistis singuli, Credo. Iterum interrogavimus; Credis & in Spiritum Sanctum? Respondistis similiter, Credo. Hoc autem fecimus juxta Domini nostri Salvatoris imperium: qui cum ad Patrem in cœlum ascenderet, Apostolis mandavit dicens: Euntes docete*

docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Quod autem interrogavimus, Credis S. Ecclesiam, Remissionem peccatorum, carnis Resurrectionem? non eo modo interrogavimus, ut quomodo in Deum creditur, sic & in Ecclesiam Sanctam Catholicam, quæ propterea Sancta & Catholica est, quia recte credit in Deum, crederetis: sed intelligite nos dicere, & dixisse, ut in Ecclesia Sancta Catholica conversantes in Deum crederetis: crederetis etiam resurrectionem carnis, quæ futura est. Idem confirmatur ex S. Ambrósio Lib. II. De Sacramentis, cap. VII. Et ex cap. Verus dist. IV. De Consecratione, quod ex S. August. Sententiis a B. Prospero collectis sumptum est: Verus Baptismus constat non tam ablutione corporis, quam fide cordis: quemadmodum Apostolica doctrina tradidit dicens, Fide mundans eorda eorum. Act. 15. 9.*

Confirmatur secundo ex S. Thoma III. p. q. LXVIII. art. VIII. „ Duo, inquit, efficiuntur in anima per Baptismum, scilicet Character, & Gratia: dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad Baptismum: uno modo, sine quo gratia haberi non potest, quæ est ultimus effectus Sacramenti: & hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad Baptismum, quia sicut dicitur ad Rom. III. *Justitia Dei est per fidem Jesu Christi.* Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad Baptismum, sine quo character Baptismatis imprimi non potest; & sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad Baptismum, sicut nec recta fides baptizantis; dummodo adsint cetera, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Non enim Sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum, sed per virtutem Dei. „ Hanc distinctionem accepit S. Thomas ex cap. *Sicut*, dist. IV. De Consecratione, quod ex S. August. Lib. III. De Baptismo cap. XIV. sumptum est, cujus hæc sunt verba: „ Non interest, cum de Sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, qui credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum: interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. „ Idem confirmatur ex cap. *Ecclesia*, eadem distinctione, quod pariter sumptum est ex S. August. Lib. IV. De Baptismo, cap. I. cujus hæc sunt verba: „ Ecclesia Paradiso comparata indicat nobis, posse quidem Baptismum ejus etiam homines foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem percipere, vel tenere.

P R O P O S I T I O VIII.

Ad gratiam per Baptismum obtinendam necessaria adultis est penitentia, seu dolor sincerus de peccatis antea commissis, peccandi voluntatem excludens.

ID docet Apostolorum Princeps, cum magnæ illi hominum multitudini, qui, ut ait Scriptura, compuncti corde, ab eo, & a reliquis Apostolis, quid sibi faciendum esset, quæsierant, ita respondit Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Et Act. III. 19. *Pœnitentini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et S. Paulus ad Romanos scribens cap. VI. aperte ostendit, ei, qui baptizatur, omnino moriendum esse peccatis. *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et infra: *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes; & membra vestra arma justitiæ Deo.*

Penitentia
Adultis
necessaria
ad
gratiam
Baptismi
consequen-
dam.

Idem

Idem probatur ex *Tertulliano* Lib. *De Pœnitentia*, cap. vi. „ Neque ego
 „ renuo, *inquit*, beneficium, idest abolitionem delictorum, inituris aquam
 „ omnimodo saluum esse; sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est.
 „ Quis enim tibi tam in fide Pœnitentiæ viro asperginem unam cujuslibet
 „ aquæ commodabit? :: Lavacrum illud obfignatio est fidei, quæ fides a Pœni-
 „ tentiæ fide incipitur, & commendatur. Non ideo abluimur, ut delinque-
 „ re desinamus, sed quia desimus; quoniam jam corde loti sumus. Hæc
 „ enim prima audientis intinctio est, metus integer, exinde quo ad Domi-
 „ num senseris, fides sana, conscientia semel Pœnitentiam amplexata. Ce-
 „ terum si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam
 „ induimus. Itaque Audientes, optare intinctionem, non præsumere oportet.
 „ Qui enim optat, honorat; qui præsumit, superbit. In illo verecun-
 „ dia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cu-
 „ pit, at hic ut debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic invadit. Quem
 „ censeas digniorem nisi emendatiorem? Quem emendatiorem nisi timidio-
 „ rem, & idcirco vera Pœnitentia functum?

Idem probatur ex *S. Jo: Chrysostomo* Hom. xiii. in Epistola ad Hebræos:
Multos, inquit, novi, qui spe Baptismatis multa peccabant: circa diem autem
mortis discesserunt vacui. Deus enim propter hoc Baptisma tribuit, ut solvat
peccata, non ut addat. Si quis vero ad hoc utitur Baptismate, ut ampliora
delinquat, ipsum ferit negligentie causa. Refertur c. Quando, dist. iv. De
Consecratione.

Catholicum istud dogma propugnavit *S. August.* edito Libro *De Fide, &*
operibus, cap. i. contra quosdam, quibus videbatur omnes citra discrimen
 „ ad Baptismum admittendos: „ Etiam si malam turpemque vitam facinoribus,
 „ & flagitiis evidentissimis notam mutare noluerint, atque in ea se perse-
 „ veraturos aperta etiam professione declaraverint. Verbi gratia, si quis-
 „ quam meretrici adhæret, non ei prius præcipiatur, ut ab ea discedat, &
 „ tunc veniat ad Baptismum; sed etiam cum ea manens, mansurumque se
 „ confidens, seu etiam profitens, admittatur, & baptizetur; nec impedia-
 „ tur fieri membrum Christi, etiam si membrum meretricis esse persistierit:
 „ sed postea doceatur, quam sit hoc malum, jamque baptizatus de mutan-
 „ dis in melius moribus instruat. Perversum enim *putabant*, atque præ-
 „ posterum, prius docere quemadmodum vivere debeat Christianus, & de-
 „ inde baptizari. Sed *censebant* præcedere debere Baptismi Sacramentum,
 „ ut deinde sequatur vita, morumque doctrina: quam si tenere, & custo-
 „ dire voluerit, utiliter fecerit; si autem noluerit, retenta Fide Christiana,
 „ sine qua in æternum periret, in quolibet scelere, immunditiaque perman-
 „ serit, saluum eum futurum tamquam per ignem, velut qui ædificaverit
 „ super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides
 „ pretiosos, sed lignum, fœnum, stipulam; idest, non justos, castosque mo-
 „ res, sed iniquos, & impudicos.

Hunc refellit errorem *S. August.* ex verbis *S. Petri*, qui non solam Fi-
 dem, sed & Pœnitentiam baptizandis necessariam prædicavit *Act. ii.* Cum
 enim dixissent, *Quid faciemus?* Respondit eis: *Pœnitentiam agite, & ba-*
 „ *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem pec-*
 „ *catorum.* Quibus verbis significatur *Vitæ veteris expoliatio, ut nova induan-*
 „ *tur, qui baptizantur. Cui autem fructuosa est Pœnitentia, quæ agitur de mor-*
 „ *tuis operibus, si in adulterio perseveret, aliisque sceleribus, quibus dilectio*
 „ *Mundi hujus involvitur?* Id etiam transitus Israelitarum per Mare Rubrum
 præsignificavit. Prius enim ex *Ægypto* ut discederent necesse fuit, quam
 per Mare Rubrum transirent. Ipsa autem ab *Ægyptiis* separatio significat di-

Pœnitentia
 adultis ne-
 cessaria ad
 gratiam Ba-
 ptismi con-
 sequendam.

discessionem a peccatis, quam baptizandi profitentur. Unde Apostolus ad Hebræos scribens cap. vi. & eorum, qui baptizantur initia commemorans, Penitentiam ab operibus mortuis imprimis recenset. *Quapropter, inquit, intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursus jacentes fundamentum penitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii eterni.* Quid est autem *A mortuis operibus penitentia, nisi ab his, quæ oportet mortificari, ut vivamus? Quæ si adulteria, fornicationesque non sunt* (inquit S. Augustinus) *quid jam inter opera mortua nominandum est? Sic autem non sufficit confessio recessione a talibus, nisi etiam Lavacro regenerationis cuncta præterita, quæ velut persequuntur, peccata deleantur; sicut non sufficit Israelitis recedere ab Ægypto, nisi ea quæ insequeretur hostium multitudo ejusdem Maris fluvibus interiret, qui Dei Populo transituro, liberandoque patuerunt. Qui ergo profitetur ab adulterio nolle se mutare, quomodo per Mare Rubrum ducetur, cum ab Ægypto adhuc recuset abscedere?*

Et cap. xviii. novam non esse doctrinam asserit, qua homines in peccatis pertinaces a Baptismo excluduntur. „ Meretrices, inquit, & histriones, & quilibet alii publicæ turpitudinis professores, nisi solutis, aut disruptis talibus vinculis ad Christiana Sacramenta non permittuntur accedere: qui utique secundum istorum sententiam omnes admitterentur, nisi antiquum & robustum morem Sancta Ecclesia retineret, ex illa scilicet liquidissima veritate venientem, qua certum habet, *Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Et nisi egerint ab his mortuis operibus penitentiam, accedere ad Baptismum non sinuntur: si autem subreperint, nisi vel peste mutati egerint, salvi esse non possunt. Sedebriosi, avari, maledici, & si qua alia vitia damnabilia a pertis factis convinci, redarguique non possunt; præceptis tamen, & catechismis validissime flagellantur, atque omnes tales mutata in melius voluntate ad Baptismum videntur accedere.

Et cap. xx. „ Quantum attinet igitur ad doctrinam salubrem veritatis, ne cuiquam mortifero peccato perniciosissima securitas detur, vel etiam pestilentiosissima tribuatur auctoritas, iste curationis ordo est, ut baptizandi credant in Deum Patrem, & Filium, & Sp. Sanctum eo ritu, quo Symbolum traditur: & a mortuis operibus agant Penitentiam, omniumque se omnino præteritorum remissionem in Baptismo accepturos esse non dubitent: non ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat; ut sit facti remissio, non permissio faciendi. Tunc vere dici potest etiam spiritualiter, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare.* Quod Dominus de corporali sanitate ideo dixit, quoniam sciebat ei, quem salvum fecerat, meritis peccatorum illum etiam carnis accidisse languorem. Hi autem ei homini, qui & baptizandus adulter ingreditur, & baptizatus adulter egreditur, miror quomodo dici existiment, *Ecce sanus factus es.* Quis enim gravis, & exitiabilis morbus erit, si adulterium sanitas erit?

Confirmatur ex eodem S. Doctore, serm. cccli. *De utilitate agenda Penitentiae*, alias L. inter Homil. quinquaginta, cap. ii. ubi tres actiones Penitentiae distinguit in Ecclesia Dei usitatas. Una est, quæ novum hominem parturit, donec per Baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum: ut tamquam puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim, qui jam arbitri voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum peniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac penitentia, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes: nondum enim uti possunt libero

Histriones ad Christiana Sacramenta non permittuntur accedere. Galat. 5. 22. 1. Cor. 6. 10.

Joan. 5. 14.

arbitrio Ceterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum poeniteat fuisse, quod erat. Eadem pene habet Serm. ccclii. alias xxvii. inter Homil. quinquaginta. Huc pertinet mos Confessionis Baptismo præmittendæ ex veteri Ecclesiæ disciplina, cujus testes sunt *Tertullianus* Lib. De Baptismo, cap. xix. *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catech. 1. *Myſtagogica*, *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. xl. *S. Jo: Chryſoſtomus* Hom. x. in Matth. & alii: at hæc confessio non erat Sacramentalis, sed actus poenitentiae virtutis; Deo, non Sacerdoti necessario facta; generalis, qua se Catechumeni peccatores profitebantur, & peccata deflebant, non particularis, qua peccata fingillatim exponerent: ut docet *S. Thomas* III. p. q. lxxviii. Art. vi.

Poenitentia
adultis ne-
cessaria ad
gratiam Ba-
ptismi con-
sequendam.

Peccatoribus voluntatem peccandi, & propositum perseverandi in peccato habentibus, Sacramentum Baptismi non esse conferendum probat *S. Thomas* III. p. q. lxxvii. art. iv. multiplici ratione. Primo quia per Baptismum homines Christo incorporantur, secundum illud ad Gal. iii. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*: quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo conjunctus, secundum illud II. ad Cor. vi. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* Secundo, quia in operibus Christi, & Ecclesiæ nihil debet fieri frustra: frustra autem est quod non pertingit ad finem, ad quem est ordinatum: nullus autem habens voluntatem peccandi, simul potest a peccato mundari, ad quod ordinatur Baptismus; quia hoc esset ponere contradictoria simul. Tertio quia in Sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas: est autem signum falsum, cui res significata non respondet: ex hoc autem, quod aliquis lavandum se præbet per Baptismum, significatur, quod se disponat ad interiorem ablutionem: quod non contingit in eo, qui habet propositum perseverandi in peccato. Unde manifestum est, quod talibus Sacramentum Baptismi non est conferendum.

Et in Responsione ad secundum ait, quod Spiritualis Medicus, scilicet Christus, operatur dupliciter. Uno modo interius per se ipsum; & sic præparat voluntatem hominis, ut bonum velit, & malum odio habeat: alio modo operatur per Ministros, exterius adhibendo Sacramenta; & sic operatur perficiendo exterius id quod est interius inchoatum: & ideo Sacramentum Baptismi non est exhibendum nisi ei, in quo interioris conversionis aliquod signum apparet; sicut nec medicina corporalis adhibetur infirmo, nisi in eo aliquis motus vitalis naturæ appareat. Hinc probati diu Catechumeni ex veteris Ecclesiæ disciplina: hinc variæ ipsorum classes, *Audientium*, *Competentium*, *Electorum*. *Audientes* Catechesibus instruebantur in Ecclesia, & Fidem, ac Legem Christianam docebantur, & exorcismis interim purgabantur. *Competentes* datis nominibus Baptismum simul petebant, ipsisque Symbolum tradebatur. *Electi*, adhibita inquisitione diligenti de fide, & moribus per scrutinium, ad Baptismum admittebantur. Hinc Nicænum Concilium Catechumenos in grave aliquod peccatum lapsos tribus annis inter Audientes versari, deinde cum Catechumenis orare sanxit Canone xiv.

Deinde Concilium Tridentinum Sess. vi. Cap. vi. explicans modum præparationis ad justificationem in adultis necessariæ, docet, necesse esse ut *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant; ac propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam Poenitentiam, quam ante Baptismum agere oportet: proponantque suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata*. Inanis itaque Baptismus, si justitiæ, & salutis gratiam spectamus, in eo futurus est

est, qui *Secundum carnem ambulare, non secundum spiritum*, cogitat: et si, quod ad Sacramentum pertinet, perfectam ejus rationem sine ulla dubitatione consequitur, si modo, cum rite baptizatur, in animo habeat id accipere, quod a Sancta Ecclesia administratur.

DOCUMENTUM AD MORUM INFORMATIONEM.

HÆC sæpe meditari Fideles oportet: primum quidem ut summam Dei bonitatem admirentur, & laudent, qui nihil tale merentibus, tam singulare, & divinum Baptismi beneficium sola sua misericordia adductus tribuit, innumera hominum multitudine in infidelitatis tenebris relicta. *Eramus*, inquit Apostolus, *natura filii iræ, sicut & ceteri: Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati) & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu: ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipse enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* In gratiarum itaque actione omnibus vitæ nostræ diebus perseverantes, cum Apostolorum Principe dicamus: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cœlis.*

Secundo hæc sibi ante oculos proponere frequenter debent, ut cogitantes, quam aliena esse debeat ab omni crimine eorum vita, qui tanto munere ornati sunt, officii sui esse intelligant, ut quotidie tam sancte, & religiose traducere vitam studeant, perinde ac si ea ipsa die Baptismi Sacramentum, & gratiam consecuti essent. Audiant vocem gratiæ intus in corde insonantem: „ Jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cecitatem cordis ipsorum, qui desperantes, tradiderunt semetipsos impudiciæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite Novum Hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis ... Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis ... Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: fructus autem lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infrugiferis tenebrarum, magis autem redarguite ... Secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum ... Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius: renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes de tractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite; ut in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis, quoniam dulcis

Dei misericordia ob Baptismi beneficium laudanda. Ad Eph. 11:

1. Pet. 1.
Catechif.
Concil.

Confiderandum, quam aliena debet esse ab omni crimine Baptizatorum vita.

Ephes. 4.

Ephes. 5.

1. Pet. 1.

„ est

est Dominus... Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, Qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

C A P U T VIII.

D E E F F E C T I B U S B A P T I S M I .

P R O P O S I T I O I .

Primus, ac præcipuus effectus Baptismi, est cujuscumque peccati, sive a primis parentibus origine contracti, sive a nobis commissi, plena, & perfecta remissio.

ID a Prophetis prænunciatum est; eo enim spectat illud Ezechielis oraculum cap. xxxvi. 25. 26. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri.* Quod de Baptismo, & remissione omnium peccatorum per admirabile illius virtutem data explicant S. Cyprianus Epistola lxxvi. S. Hieronymus, & Theodoretus in Commentariis. Idem prænunciavit Zacharias, Cap. xiii. 1. *In die illa erit Fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in abluitionem peccatoris, & menstruatæ.* Item Michæas Cap. vii. 19. *Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Idem probant Novi Testamenti oracula: ait enim Apostolorum Princeps (Actuum ii.) *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et Ananias ad Saulum (Actuum xxii.) *Baptizare, & ablue peccata tua.* Et ipse S. Paulus Ad Romanos vi. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus ... Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato.* Et postea concludit: *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.* Ex quo patet (inquit S. Thomas iii. P. Q. lxxix. A. i.) quod per Baptismum moritur homo vetustati peccati, & incipit vivere novitati gratiæ: omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet: unde consequens est, ut omne peccatum per Baptismum tollatur. Et i. ad Corinthios vi. post longam graviorum peccatorum enumerationem, subjicit: *Et hæc quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Quibus verbis luculenter, & invictè probatur, non solum radi, vel tegi, seu non imputari peccata hominibus baptizatis sed vere, plene, ac perfecte remitti, deleri, condonari. Id Ecclesia in Symbolo profitetur: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Id multis figuris adumbratum S. Ambrosius docet Lib. De Initiandis, Cap. ii. *Prima est Diluvium: Vides aquam? (inquit) Vides lignum? Columbam aspicias, & dubitas de Mysterio? Aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est Dominus Jesus, cum pateretur pro nobis. Columba est, in cujus specie descendit Spiritus Sanctus, qui tibi pacem animæ, tranquillitatemque*

De Baptismi effectibus

Symbolum Constant.

Gen. 6.

Baptismi figure

men-

mentis inspirat. Corvus est figura peccati, quod exit, & non revertitur, si in te quoque justus custodia, & forma servetur. Altera Baptismatis figura est transitus Hebræorum per Mare Rubrum, In quo Ægyptius periit, & Hebræus evasit. Quid enim aliud in hoc quotidie Sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur, & error aboletur: pietas autem, & innocentia tuta manet? Tertia figura est mundatio Naaman Syri a lepra, qui a puella ex captivis Israelitis monitus, quod esset Propheta in Israel, qui posset eum a lepræ contagione mundare, in Judæam venit ad *Elishæum*, cujus mandato cum septies Jordanis aqua se abluisset, ita a lepra mundatus est, ut caro ejus caro pueri videretur. Illa puella ex captivis, junior est ex Gentibus congregatio, idest Ecclesia Domini, depressa ante captivitatem peccati, quando libertatem adhuc gratiæ non habebat, cujus consilio vanus ille populus Nationum verbum audivit Propheticum, de quo ante diu dubitavit: postea tamen ubi credidit exequendum, ablutus est ab omni contagio vitiorum.

Aliorum Patrum testimonia, quibus Catholicum istud dogma confirmatur, describere non est opus: sequentia ex *S. August.* sufficient. Lib. 1. *Contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. XIII. Dicimus, *Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum refecanda peccata. Nam & istam similitudinem comperisue illos * adhibere calumnie, tamquam hoc nos sentiamus, atque dicamus.* Et Lib. III. cap. III. *Baptismus abluat peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt.* Idem confirmat Lib. 1. *De Peccatorum Meritis, & Remissione* Cap. xv. & *Enchiridii* Cap. LXIV.

S. August. secutus *S. Gregorius* Epist. xxx. Lib. ix. hanc veritatem confirmat his verbis: „ Si qui sunt, qui dicunt, peccata in Baptismate superficic tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum dei Sacramentum festinant solvere? ... qui ergo dicit, peccata in Baptismate funditus non dimitti, dicat in Mari Rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in Baptismate funditus mori: Quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed mundus est totus.* „ Si igitur peccata in Baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit.

Id etiam in Conciliis definitum est. Concilium Florentinum definit, *Illorum Animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, in Cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, & unum sicuti est.* Et *Eugenius IV.* in Decreto post Concilium edito: *Hujus quoque Sacramenti, inquit (scilicet Baptismi) effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis.* Tridentina denique Synodus Sess. v. Canone v., Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; Anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere confepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem; qui non secundum carnem ambulant, sed verum terem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur.

Exod. 17.

2. Reg. 5

Per Baptismum delentur omnino peccata, non raduntur, aut teguntur.

Pelagianos.

De Baptismi effectibus.

Joan. 3. 19.

Obj-

Hæretico-
rum obje-
ctionibus
responde-
tur.

Objiciunt Hæretici, peccata in justificatione impii tegidumtaxat, & non imputari, non vero tolli, ac perfecte deleri: quod probari contendunt his verbis Psalmi xxxi. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quod Apostolus videtur confirmare II. ad Corinthios v. *Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.*

Hebr. 4.

Respondetur, Deum tegere, & non imputare peccata, quatenus ipsa delet, ac vere remittit, sicut Medicus vulnera tegendo sanat, & aufert: non autem ita tegere, ut maneant, & vivant. Nihil enim Deo est absconditum, nihil conspectum ejus fugit, nisi quod non est, cum *Omnia nuda sint & aperta oculis ejus* (ut ait Apostolus). Quamobrem peccata respectu ipsius tecta dici non possent, nisi penitus delerentur. Hinc S. *Augustinus* locum illum explicans, Enarratione II. in Psalmum xxxi. *Cooperta sunt* (inquit) *peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, *Nec sic intelligatis, quod dixit. Peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur ... Et infra: Deus tegat vulnera, noli tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, Medicus non curabit. Medicus tegat, & curet, emplastro enim tegit. Sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus.* Sane cum loca Scripturæ Sacræ obscuriora ex illis explicari debeant, quæ clariora sunt, peccata non alio sensu tegi, & non imputari, sunt intelligenda, quam quia delentur, & auferuntur, secundum Scripturæ Sacræ oracula superius laudata, & alia, quæ proferri possunt, scilicet illud Psalmi L. *Dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis ... Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Isaïæ XLIII. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Michææ VII. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem?* Joannis I. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* Joannis XIII. *Jam vos mundi estis ... Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Epistolæ ad Romanos Cap. VIII. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* I. Joannis I. *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem: & Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

De Baptis-
mi effecti-
bus.

Non magis favet Hæreticorum errori laudatus Apostoli locus. Siquidem eatenus Deum hominibus delicta ipsorum non reputare significat, quatenus eos sibi reconciliat, id est, ex inimicis amicos facit. Reconciliationem autem amplius aliquid significare, quam solam negationem imputationis peccati, constat ex verbis ejusdem Apostoli ad Colossenses Cap. II. scribentis: *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, &c.*

Objiciunt secundo, concupiscentiam manere in hominibus baptizatis. At concupiscentia peccatum est, secundum Apostolum Cap. VII. Epistolæ ad Romanos: *Video* (inquit) *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ibidem *Non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

tum. Cum itaque Baptifmus non tollat concupifcentiam, omnia peccata non delet.

Respondetur, in baptizatis quidem manere concupifcentiam, fed eam vere peccati rationem non habere: peccatum autem ab Apoftolo vocari, quia ex peccato relicta eft, & ad peccatum inclinat. Ita Synodus Tridentina Sefs. v. Canone v. „ Manere autem in baptizatis concupifcentiam, vel fomittem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta fit, nocere non consentientibus, fed viriliter per Christi Jefu gratiam repugnanti- bus non valet: quin immo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupifcentiam, quam aliquando Apoftolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclefiam Catholicam numquam intellexiffe peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum fit, fed quia ex peccato eft, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium fenderit, Anathema fit.

Concupifcentia in baptizatis non eft peccatum.

Catholicam hanc Doctrinam S. Auguftinus explicat Libro II. De Peccatorum Meritis, & Remiffione, cap. xxviii. „ Hæc autem lex peccati, de qua dicit Apoftolus, *Non regnet peccatum in veftro mortali corpore*, non fic manet in membris eorum, qui renati funt, tamquam non fit ejus facta remiffio, ubi omnino plena, & perfecta fit remiffio omnium peccatorum, omnibus inimicis interfectis, quibus separabamur a Deo: fed manet in vetuftate carnis tamquam superatum, & peremptum, fi non illicitis confenfionibus quodammodo revivifcat, & in regnum proprium, dominationemque revocetur. Ab hac autem vetuftate carnis ufque adeo fpiritus vita difcernitur, in cujus novitate baptizati per Dei gratiam renafcentur, ut tales in præfenti non folum in peccato, fed etiam nec in carne effe dicantur. Refertur, Cap. Non ex quo, *Diff. iv. De Consecratione.*

Rom. 6. 12

De Baptifm effectibus.

Et Lib. I. contra duas Epiftolas Pelagianorum, ad Bonifacium, Cap. xlii. „ Sed de ifta concupifcentia carnis (*inquit*) falli eos credo, vel fallere, cum qua neceffe eft ut etiam baptizatus, & hoc fi diligentiffime proficit, & Spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiam fi vocatur peccatum, non utique quia peccatum eft, fed quia peccato facta eft, fic vocatur: ficut Scriptura manus cujusque dicitur, quod manuseam fecerit. Peccata autem funt, quæ fecundum carnis concupifcentiam, vel ignorantiam illicite fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ tranfacta etiam reos tenent, fi non remittantur. Et ifta ipfa concupifcentia carnis in Baptifmo fic dimittitur, ut quamquam tracta fit a nascentibus, nihil noceat renascentibus. Ex quibus tamen fi filios carnaliter gignunt, rurfus trahetur, rurfusque & nocitura nascentibus, nifi eadem forma renascentibus remittatur, & in fit nihil obfutura vitæ futuræ, quoniam reatus ejus generatione tractus, regeneratione dimiffus eft: & ideo jam non fit peccatum, fed fic vocetur, five quod peccato facta fit, five quod peccandi delectatione moveatur, etfi ei vincente delectatione juftitiæ non consentiatur. Nec propter iftam, cujus jam reatus lavacro regenerationis abfumptus eft, dicunt in Oratione baptizati, *Dimitte nobis debita noftra, ficut & nos dimittimus debitoribus noftris*; fed propter peccata, quæ fiunt, five in ejus confenfionibus, cum ab eo quodlibet vincitur, quod placet, five cum per ignorantiam malum quasi bonum placet. Fiunt autem five operando, five loquendo, five quod facillimum, atque celerrimum eft, cogitando.

Quo fenfu concupifcentia peccatum vocetur ab Apoftolo.

Quod autem concupifcentia non fit vere peccatum, nifi pravis ejus motibus consentiatur, probant hæc Apoftoli verba ad Romanos vi. *Non regnet peccatum in veftro mortali corpore, ut obediat is concupifcentiis ejus.* Quod præceptum tunc impletur, quando concupifcentiæ ad peccatum follicitanti confenfus non præbetur. Item illa ad Romanos viii. ubi cum de involuntariis con-

cupiscentiæ motibus Capite præcedenti differuisset, ita colligit: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant: id est qui Christo sunt insiti per Baptismum, & in eo regenerati, quamvis sentiant pugnam carnis perduellis adversus spiritum, ab omni prorsus peccato mundi sunt, nullique pœnæ obnoxii, quæ ab aditu regni cœlorum illos remoretur, quamdiu secundum carnem non ambulant, id est, quamdiu motibus concupiscentiæ adversus rationem insurgentibus non consentiunt. Unde subjungit: Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam spiritu facta carnis mortificare, est carnis motibus, & desideriis ad illicita provocantibus non consentire, sed resistere. Idem probant verba S. Jacobi, Cap. I. Epistolæ Catholicæ, scribentis: Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illeclus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Quibus verbis (inquit S. Augustinus Libro VI. contra Julianum, Cap. v.) Partus a pariente discernitur. Pater enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum. Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum.*

De Baptismi
effectibus.

Objectio-
nes diluun-
tur.

At (inquit) Apostolus ad Romanos VII. 7. ait: *Concupiscentiam nesciam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Igitur concupiscentia est vere peccatum, utpote Lege Dei prohibita.

Respondetur, S. Paulum his verbis non ipsam concupiscendi vim, sed voluntatis vitium pravis concupiscentiæ motibus consentientis, & cedentis, intelligi voluisse. Concupiscentia enim, quæ ex peccato est, nihil aliud est, nisi animi appetitio, natura sua rationi repugnans: qui tamen motus, si voluntatis consensum, aut negligentiam conjunctam non habeat, a vera peccati natura longe abest. Observandum autem, præceptum istud, *Non concupisces*, si ratione finis spectetur, qui est omnimoda, & perfecta cupiditate victoria, in eo posita, ut nulli concupiscentiæ motus sentiantur, ut nulla omnino carnis adversus spiritum pugna sit, in hac vita non impleri, sed in gloria, cum absorpta erit mors in victoria: sed impleri tamen etiam dum in hac mortali carne vivimus, si spectetur ratione mediorum, quæ sola sub præceptum cadunt: media illa sunt, pugna adversus domesticum hostem, negatio consensus, vigilantia, ne subrepat, factorum carnis mortificatio: quæ cum in nostra potestate sint, adjuvante Deo, cujus gratia iustis, qua vincere possint tentationes, non deest; rei sumus, si illa non adhibeamus. At cum non sentire motus illos intestinos rebellis concupiscentiæ non sit in nostra potestate, non ideo rei sumus, quia illos sentimus. Hinc S. Aug. Epist. cxcvi. alias cc. *Ad Asellicum* scribit: *Nunc ergo ubi dicitur, Jam non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum de concupiscentia carnis dicitur, quæ operatur in nobis motus suos, etiam quando eis non obedimus, dum non regnat peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato: in qua iustitia nondum consummata perseveranter proficientes, ad ejus consummationem quandoque veniemus, ubi peccati concupiscentia non cohibenda, atque frænanda, sed nulla sit. Hoc enim Lex posuit dicendo, Non concupisces, non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus.*

Rom. 7. 20.

Objiciunt. Concupiscentia non est a Deo, ut docet S. Joannes, Epist. I. Cap. II. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite: quæ non est ex Patre, sed ex Mundo est.* At omnia sunt a Deo præter peccatum: igitur concupiscentia est vere peccatum.

Respon-

Respondetur, non solum a Deo non esse peccatum, sed id, quod per se ad peccatum inclinatur, & peccati foetus est, patris deformitatem, & maledictionem præferens. Concupiscentia autem & peccati proles est, sua inordinatione, & tumultuariis adversus rationem motibus deformis: & ad peccatum inclinatur, non extrinsecus tantum suggerendo, quod malum est, ut diabolus, & ejus ministri; neque tantum per accidens, & occasione data, sicut vinum, aurum, & forma mulieris conspecta sollicitant ad peccatum; sed per se, & natura sua, pravis scilicet motibus, & tumultibus intestinis adversus rationis ordinem, & imperium excitatis: quibus quidem solus desit consensus ad veri peccati rationem. Quamobrem concupiscentiam non esse donum Dei, non esse a Patre, malum esse, & S. *Augustinus* contra *Julianum* Pelagianum propugnat. Lib. iv. Cap. xiv. & tamen hanc peccatum esse negat tum alibi sæpe, cum Lib. i. De Nuptiis, & Concupiscentia Cap. xxiii. Ipsa quidem concupiscentia (*inquit*) jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrentur, a Regina mente membra non dantur: ut si non sit, quod scriptum est, *Non concupiscas*; fiat saltem, quod alibi legitur, *Post concupiscentias tuas non eas*. Sed modo quodam loquendi peccatum vocatur: quod & peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit.... Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigrum faciat. *Et c. xxv. explicans*, Quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo universonum facta est remissio peccatorum; *respondet*: dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cum exterior induerit incorruptionem. Non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. Non ergo aliquid remanet, quod non remittatur, cum sit, sicut scriptum est, *Propitius Dominus omnibus iniquitatibus nostris*: sed donec fiat, & quod sequitur, *Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam*, manet in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia. *Manet (inquam) ut materiam exercendæ virtutis. In cuius rei figura dictum est* Judicium III. *Capite*: Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & haberent consuetudinem præliandi.

De Baptismi effectibus.

Psalm. 102.

P R O P O S I T I O II.

In Baptismo penè omnes peccatis debite a Deo benigne condonantur.

Omnibus in Christum credentibus persuasum esse debet, quod a S. *Paulo* scriptum est, in Baptismo Christo nos commori (Ad Romanos vi.) *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia etiam vivemus cum eo.* Per virtutem ergo Baptismi communicatur homini Passio Christi ad remedium, ac si ipse passus, & mortuus esset. Quoniam vero Passione sua Christus pro peccatis totius Mundi satisfecit, posteaquam per Baptismum ipsius membra facti sumus, non aliter, ac magis etiam hac satisfactione Christi liberamur a pœnis omnibus, quæ peccatis nostris debebantur, quam si ipsi pœnas easdem sustinendo pro illis satisfecissemus. Quod tamen de solis alius sæculi pœnis intelligi debet. Has enim, & non alias morte sua Christus.

S. Thomas III. P. Q. lxxviii. A v.

stus abolevit. Hinc. S. August. Lib. 11. De Peccatorum Meritis, & Remissione, Cap. xxviii. ait: Si post Baptismum continuo consequatur ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, soluis omnibus, quæ tenebant. Quod & Florentina Synodus, & Tridentina Sessione v. Canone v. velut Dogma Fidei credendum proposuerunt.

Confirmatur ex Ecclesiæ sensu, & disciplina, quæ semper intellexit, sine maxima Sacramenti injuria fieri non posse, ut ei, qui Baptismo expiandus sit, ejusmodi pietatis officia, quæ SS. Patres opera satisfactionis vocarunt, eo nomine imponantur. Nec vero Propositio nostra veteris Ecclesiæ consuetudini adversatur, quæ Catechumenos orationibus, vigiliis, abstinentia, jejuniis, continentia ab uxoribus, aliisque pietatis, & humilitatis operibus exercebat, ut testantur S. Justinus Martyr Apologia II. Tertullianus Libro De Baptismo, Cap. xx. S. Gregorius Nazianzenus Oratione XL. quæ inscribitur in Sanctum Lavacrum, S. Augustinus Libro De Fide, & Operibus, cap. vi Concilium Carthaginense IV. Canone LXXXV. S. Gregorius Lib. VII. Epist. xxiv. Indiçt. I. ex qua sumptum est Caput, Ne quod absit, Dist. IV. De Consecratione. Neque enim ad satisfactionem proprie dictam institutum illud pertinebat, quamvis Tertullianus satisfactionis nomine loco mox laudato abutatur; sed ad corrigendos prava mores, & affectus, ad excitandam contritionem, & devotionem, ad impetrandum, ne Baptismi effectus impedirentur; ad Præstruenda subsecuturis tentationibus munimenta, ut Tertullianus loquitur: ut denique discerent, qualis vita congrua esset tanto, quod susceperunt erant, Sacramento, ut ait S. Augustinus.

De Baptismi effectibus.

Verum quamvis a satisfactionis operibus sint immunes, qui Baptismum suscipiunt, quia plene & perfecte participes fiunt Passionis Christi, qui pro omnium hominum peccatis cumulate Patri satisfecit; non tamen solvuntur obligationes satisfaciendi hominibus pro injuriis illatis, alienaque bona restituendi. Nam Restituere male ablata proximis, & Satisfacere de injuriis illatis, est cessare a peccando; quia hoc ipsum quod est detinere aliena, & proximum læsum non placare, est peccatum: & ideo peccatoribus baptizatis injungendum est, quod satisfaciant proximis, & quod desistant a peccato; non est autem eis injungendum, quod pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur (inquit S. Thomas III. P. Quæst. lxxviii. Art. v. in Responsione ad tertiam Objectionem.)

Quamquam vero in Baptismo pœnæ peccatorum condonentur; ab eo tamen pœnarum genere, quæ civilibus Judiciis ob grave aliquod scelus luendæ sunt, nemo liberatur. In pœnis scilicet, quæ judicio humano inferuntur, non solum attenditur, quæ pœna sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus adhuc quoad homines, quos justum est edificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus Princeps posset pœnam indulgere (inquit S. Thomas Quæst. lxxix. Art. II. in Responsione ad III.)

Servi per Baptismum a servitute non liberantur.

Neque etiam servi per Baptismum a servitute liberantur, sola enim servitus peccati per Baptismum solvitur, non civilis, non pœnalis, quæ jure gentium introducta est. Unde Apostolus I. ad Corinthios VI. 21. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? Non sit tibi cura Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Et I. ad Timotheum VI. 1. Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Docet tamen, ut Christiani Domini servos Baptismate initiatos manumittant, & libertate donent, aut certe non jam ut servos tantum, sed ut fratres habeant. Unde Apostolus Philemonem

monem rogat ut suscipiat *Onesimum iam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem.*

P R O P O S I T I O III.

Quamvis post Baptismum pœnæ hujus vitæ remaneant, scilicet concupiscentiæ motus, infirmitas corporis, morbi, dolorum sensus, moriendi necessitas, miserie omnes, quæ usitato apud Theologos nomine pœnalitates vocantur; Baptismi tamen virtute ab his liberabuntur justi in Resurrectione.

Noluit Deus Optimus Maximus, ut his incommodis, & miseriis statim per Baptismum in hac etiam mortali vita careremus, & ad perfectum illum felicis vitæ gradum, in quo Adam primus humani generis parens ante peccatum collocatus fuerat, Sancti Lavacri virtute subito transfereremur, tribus de causis, quas ex *S. Thoma* exponit Concilii Tridentini Catechismus. Prima est, quod nobis, qui per Baptismum Christi corpori conjuncti, atque ejus membra effecti sumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quam ipsi Capiti nostro tributum esset: Christus autem quamvis a suæ conceptionis exordio plenitudinem gratiæ, & veritatis habuerit, tamen humani corporis fragilitatem, & infirmitatem non ante deposuit, quam Passionis tormenta, & mortem pertulit, ac deinde ad immortalis vitæ gloriam resurrexit: quamobrem & Christiani gratiam, & justitiam in Baptismo consecuti, corpus tamen habent fragile, variisque incommodis obnoxium, in quo pro Christo pati possint, ut tandem post mortem redivivi beata immortalitate donentur. Unde Apostolus ad *Romanos VIII.* scribit: *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Et infra: Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen comparimur, ut & conglorificemur.*

Ratio altera, cur tot infirmitatibus, & miseriis etiam post Baptismum obnoxii simus, est, ut inde fegetem, & materiam virtutis habeamus. Nam si patienti animo vitæ incommoda omnia toleremus, & contra concupiscentiam perduellem pro virili pugnemus, ut eam redigamus sub rationis imperium, victoriæ coronam accipiemus, & dicere poterimus cum Apostolo *II. ad Timotheum IV. 7.* *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. Quamquam enim Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: tamen Id, quod in præsentis est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supramodum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Tertia ratio est, quia si per Baptismum, præter dona cœlestia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, periculum esset, ne plures homines ad Baptismum potius accederent propter præsentis vitæ comoda, quam propter gloriam vitæ æternæ. Si autem in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus (inquit Apostolus *I. ad Corinthios XV.*)

Ab his tamen pœnis, & incommodis Justi liberandi sunt in Resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem; idque virtute Baptismi olim accepti consequentur. Quæ felicitas etsi ad hoc usque tempus differatur, non propterea Christi donum minus potens est Adami peccato. Sicut enim vi-

Rationes, cur infirmitatibus, & miseriis post Baptismum obnoxii sumus.

III. P. Q. LXIX. A. III.

Ad Rom. 8. 18.

II. ad Cor. IV. 17.

I. Cor. 15. Ab his pœnis Justi liberabuntur in

resurrectio-
ne virtute
Baptismi.

- Cor capiens hostem atrocissimum, non statim ipsum interficit, sed patitur cum dedecore, & dolore aliquantulum vivere: ita Christus hujus vitæ miserias aliquandiu vivere permisit in renatis, ut sint exercendæ virtutis materiæ, indeque virginitatis, doctrinæ, & prædicationis, martyrii lauream, fortitudinis, continentiæ, patientiæ Christianæ, aliarumque virtutum palmas metant: eas autem in Resurrectione perimet, cum *Novissime destruetur inimica mors*.
- Hanc doctrinam confirmat *S. Augustinus* Enchiridii Cap. *LXVI.* „ Magis, „ *inquit*, propter futurum judicium sit remissio peccatorum. In hac autem „ vita usque adeo valet, quod scriptum est, *Grave jugum super filios Adam* „ *a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulture in matre omnium:* „ ut etiam parvulos videamus post Lavacrum regenerationis diversorum „ malorum afflictione cruciari: ut intelligamus, totum quod salutaribus agitur „ Sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem, „ vel adeptionem præsentium pertinere. *His gemina sunt, quæ habet Lib. XXI.* „ *De Civitate Dei, cap. XIV. & XV. Et Lib. III. Contra duas Epistolas Pelagiano-* „ *rum, ad Bonifacium, Cap. III.* Baptismus abluit quidem peccata omnia „ sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum ago- „ nem luctatur; consentit autem, quando sicut homo in aliquo delicto præoc- „ cupatur: propter illud gaudens in actione gratiarum, propter hoc autem „ gemens in allegatione orationum. Ibi dicens, *Quid retribuam Domino pro* „ *omnibus, quæ retribuit mihi?* Hic dicens, *Dimitte nobis debita nostra.* Pro- „ pter illud dicens: *Diligam te, Domine virtus mea:* propter hoc dicens: „ *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.* Propter illud dicens: *Oculi* „ *mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos:* pro- „ pter hoc dicens: *Turbatus est præira oculus meus;* & innumerabilia, qui- „ bus Divinæ Litteræ plenæ sunt, quæ alternis vicibus, vel exultando de „ Dei bonis, vel mœrendo de nostris malis a filiis Dei dicuntur ex fide, „ quamdiu adhuc filii sunt etiam sæculi pro vitæ hujus infirmitate, quos „ tamen a filiis diaboli non solum Lavacro regenerationis, sed ipsius etiam, „ quæ per dilectionem operatur, fidei probitate discernit; quia Justus ex „ fide vivit. Hæc est autem infirmitas, cum qua usque ad corporis mortem „ defectu, & profectu alternante contendimus: magnique interest, quid „ vincat in nobis, donec regeneratione alia consummetur, de qua Dominus „ dicit: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis sue, se-* „ *debitis & vos super sedes duodecim.* Regenerationem quippe hoc loco, am- „ bigente nullo, novissimam resurrectionem vocat: quam Paulus quoque A- „ postolus & adoptionem, & redemptionem nuncupat, dicens: *Sed etiam* „ *nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi in nobis ingemiscimus adoptio-* „ *nem expectantes, redemptionem corporis nostri.* Numquid non per Lava- „ crum sanctum regenerati, adoptati, & redempti sumus? Et tamen restat „ regeneratio, adoptio, redemptio, quam in fine venturam nunc patienter „ expectare debemus, ut tunc filii hujus sæculi ex nulla parte jam simus. „ Quisquis igitur baptismati derogat quod modo per illud percipimus, cor- „ rumpit fidem. Quisquis autem jam nunc ei tribuit, quod quidem per ipsum, „ sed tamen postea accepturi sumus, amputat spem. Nam si a me quisquam „ quæsierit, utrum per Baptismum salvi facti fuerimus, negare non potero, „ dicente Apostolo: *Salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis, & renova-* „ *tionis Spiritus Sancti.* Sed si quæsierit, utrum per idem Lavacrum omni „ prorsus modo jam nos fecerit salvos; respondebo, Non ita est. Idem „ quippe item dicit Apostolus: *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem,* „ *quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod* „ *non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Salus ergo hominis

in Baptismate facta est, quia dimissum est peccatum, quod a parentibus traxit; vel quicquid etiam proprie ante Baptismum peccavit. Sæpius vero hominis tanta esse poterit, ut peccare omnino non possit?

DOCUMENTUM AD MORUM INFORMATIONEM.

Quamvis autem in nobis maneat concupiscentia post Baptismum superstes, plurimæque tentationes ingruant inter hujus vitæ miserias, Christianus tamen animum despondere non debet, sed vigilare, & fortiter pugnare, de divinæ gratiæ adjutorio pie confidens. Qui enim nos de Ægypto liberavit, qui peccata nostra velut hostes in Baptismate merisit, extinxit, aderit in via quantumvis difficili, & periculosa. „ Quid „ ergo (*inquit S. Aug.*) putas defuturum tibi auxiliatorem in via eum, „ qui te eruit de vetusta captivitate? Novos tuos inimicos non compeſcet, „ qui te a vetustis hostibus liberavit? Tantum intrepidustransi, intrepidus „ ambula, obediens esto: noli amaricare Moyſi illi, cujus typum ille portabat in hac obedientia. Fateor, non desunt hostes. Sicut enim non deerant, qui sequerentur fugientes, ita non deerant, qui impedirent ambulantes. Prorsus, charissimi, figuræ nostræ fuerunt. Interim in te non sit, quod contristet Moyſen: noli esse aqua amara, quam post Mare Rubrum non potuit ille populus bibere. Erat enim & ibi tentatio. Et tamen ista quando eveniunt, quando amaricat populus, ostendimus eis Christum, quæ pro illis tulerit, quomodo pro illis sanguinem fuderit; & mitescunt, tamquam nobis lignum in aquam mitentibus. Plane hostem adversantem itineri tuo Amalech habebis. Tunc intrabat Moyſes, tunc extendebat manus: & ubi deponebat manus, convalescebat Amalech; ubi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus extentæ sint, deficiet Amalech tentator, & hujus itineris impeditor. Esto vigil, & sobrius in orationibus, in operibus bonis, non tamen præter Christum, quia extensio illa manuum Christi Crux fuit. In illa extenditur Apostolus, cum dicit, *Mundus mihi crucifixus est, & ego Mundo*. Ergo deficiat Amalech, vincatur, & non impediatur transitum Populi Dei. Si dimittis manus a bono opere, a Cruce Christi, prævalebit Amalech. Tamen noli omnimodo, aut continuo te fortem putare, aut penitus desperando deficere. Alternatio enim illa defectus, & fortitudinis in manibus servi Dei Moyſi, forte alternatio tua fuit, aliquando enim in tentationibus deficis, sed non succumbis. Deponebat ille paululum manus, non omnino ruebat. Si dicebam, *Motus est pes meus, ecce misericordia tua, Domine, adjuvabat me*. Noli ergo timere: adest in itinere Auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præsume securus. Aliquando ille deponebat manus: aliquando erigebat; tamen victus est Amalech. Rebelle potuit, superare non potuit. Verba sunt S. Augustini Sermone cclii. alias xxvii. inter Homilias quinquaginta.

Christianus vigilare, & pugnare debet contra tentationes post Baptismum ingruentes, & de adjutorio gratiæ Christi pie confidere.

Gal. 6. 14.

Psal. 93. 18.

De Baptismi effectibus.

PROPOSITIO IV.

Alter effectus Baptismi est regeneratio, seu renovatio, per gratiam sanctificantem, virtutum infusarum, ac donorum comitatu instructam.

Remissionem peccatorum, pœnarumque in futuro sæculo ipsis debitaram, qua fit, ut a potestate tenebrarum baptizati eripiantur, sequitur effectus alter, quo transferuntur in Regnum Christi, & adoptionem filiorum Dei, ac vitæ æternæ hæreditatem. Est autem regeneratio, quæ & renovatio, justificatio, sanctificatio in Scriptura Sacra vocatur, de qua Apo-

stolus ad Tit. 111. *Salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. Et 1. ad Corinthios VI. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*. De qua Christus in Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Tum regenerationis hujus, ac secundæ nativitatis rationem exponens, *Quod natum est, inquit, ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo*. Quibus verbis docet Christus, quemadmodum ex sanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate viri, idest, ex concupiscentia carnali, nascuntur homines carnaliter, ut ipsi sic nati carnales sint; ita ex Spiritu Sancto per aquam homines renasci spiritualiter, ut ipsi sic renati spirituales sint. Hic igitur effectus regeneratio simul, & renovatio vocatur; quia Baptismi virtute innovam vitam a priore, quam in vetustate peccati agebat, plane diversam homo primum mutatur, & quodammodo gignitur, juxta illud quod scribit S. Petrus Epist. 1. Cap. 11. *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite*. Unde S. Leo Sermone LXIII. qui est XIV. *De Passione Domini*, ait: „ Ipse est, cui non solum gloriosa Martyrum fortitudo, sed etiam omnium „ renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur. Dum enim renun- „ ciatur diabolo, & creditur Deo; dum in novitatem a vetustate transitur; „ dum terreni hominis imago deponitur, & cœlestis forma suscipitur; quæ- „ dam species mortis, & quædam resurrectionis intervenit, ut susceptus a „ Christo, Christumque suscipiens, non idem sit post Lavacrum, qui ante „ Baptismum fuit, sed corpus regenerati, fiat caro Crucifixi. “Hæc autem novitas, & regeneratio spiritus posita est *In justitia, & sanctitate veritatis*, (ut loquitur Apostolus ad Ephesios IV.) idest, in vera coram Deo justitia, & sanctitate, per quam Christum induimus, eique conformamur, ac similes efficiamur, per quam in filios Dei, & hæredes Regni cœlestis adscribimur, & adoptamur. Unde Apostolus ad Gal. 111. 26. scribit: *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Et ad Rom. VIII. 16. 17. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*.

Posterior iste locus Apostoli priorem explicat. Quid enim est, *Christum induistis*? Hoc est, id facti estis, quod Christus est. *Caput enim, & membra unus est Christus* (ut sæpe S. Augustinus inculcat.) Christus est Filius Dei: quod ille natura est, hoc vos per gratiam adoptionis facti estis, filii Dei. Christus est hæres regni cœlorum: vos quoque non vestro, sed illius merito facti estis hæredes Regni cœlorum. Qui veste aliqua induitur, protegitur, & contegitur ea, & apparet sub colore vestis illius, occultato colore proprio. Ad eundem modum, qui Christum induit, protegitur & contegitur a Christo, neque jam apparet in eo peccatum, quod fuit ante, utpote in aqua Baptismatis, velut Phærao in Mari Rubro submersum, & peremptum; sed sola justitia, & innocentia Christi. Et sicut lignum accensum induitur igne, & virtutis ejus fit particeps: ita baptizatus in Christo induit Christum, & virtutum ejus fit particeps. Non amplius dicitur filius Adam, neque reus est peccati ejus; verum dicitur filius Dei, frater Christi: dicitur hæres Dei, cohæres Christi: dicitur sanctus, innocens, immaculatus, non suam, sed Christi justitiam indutus, hoc est, non quam a se ipso habet, quamve suo merito consecutus; sed quam a Christo acceptam, illius meritis est adeptus. Neque enim audiendi sunt Hæretici, qui nos ea justitia, qua Deus, sive Christus justus est, extrinsecus dumtaxat nobis imputata, seu per fidem apprehensa, justos dici volunt, quorum error a Sacra Synodò Tridentina

De Baptismi
effectibus.

Justitia in
animam no-
stram infu-
sa, illicque
intrinsicus
adhærente,
non extrin-
seca solum
justitiæ
Christi im-
putatione

damna-

damnatus est Canone x. Sess. vi. *Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari; aut per eam ipsam formaliter justos esse; Anathema sit.* Et Can. xi. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; Anathema sit.* Audiendi (inquam) non sunt, qui justitiam nostram esse quiddam extra nos affirmant, nihil ut in nobis esse velint, unde justitiam nostram quasi dicat aliquis parietem album esse, non ea, quæ ipsi parieti, sed quæ mihi, vel vesti meæ insit, albedine: aquam ferventem calidam esse, non eo qui ipsi aquæ, sed qui igni insit calore. Potestne dici, vel cogitari quiddam absurdus? Quis unquam ita delirantem audivit aliquem, ut alicujus rei formam esse diceret, quæ non rei ipsi inesset? Pugnat itaque cum ipsa ratione, si quis dicat, justitiam Dei, vel Christi, quæ nobis non inest, causam esse formalem justificationis nostræ. Neque minus pugnat cum Scriptura Sacra, quæ justitiam nostram esse docet gratiam Dei nobis gratis donatam, & infusam, qua nova creatura, qua lux in Domino, qua divinæ consortes naturæ facti sumus, & charitatem in cordibus nostris a Spiritu Sancto in nobis inhabitante diffusam II. ad Corinth. v. „ Si qua ergo in Christo „ nova creatura. *Ad Gal. vi.* In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid „ valet, neque præputium, sed nova creatura. *Ad Ephesios v.* Eratis aliquando „ tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Ad Tit. III.* Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis, & renovationis „ Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem „ vitæ æternæ. *Ad Rom. v.* Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per „ Spiritum Sanctum qui datus est nobis. *Hæc Gratia, & veritas per Jesum „ Christum facta (Joan. I.) qua renovamur spiritu mentis nostræ (Ad „ Coloss. III.) Ut sicut portavimus imaginem hominis terreni, portemus & „ imaginem cœlestis (I. ad Cor. xv.) Expoliantes nos veterem hominem cum „ actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Christum ergo induere dicuntur baptizati, non quomodo vestem quis induit extrinsecus tantum sibi ad-

Rom. I.

De Baptismi effectibus.

motam, sed quomodo idem Apostolus scribit ad Colossenses III. *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam.* Hoc autem est, quod aliis verbis apertius dictum est ad Ephes. IV. *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Christum ergo induit, qui baptizatur, quia per Baptismum ea gratia donatur, qua Christo similis efficiatur, & divinæ consortis naturæ, ut loquitur S. Petrus Epist. II. Cap. I. *Per quem (inquit) maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Neque vero aliud significat Apostolus I. ad Corinthios I. de Christo scribens. *Qui factus est nobis a Deo sapientia, & justitia, & redemptio.* Et II. ad Corinth. v. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Non enim Christus dicitur *Justitia nostra*, quasi justitia illius nobis imputata, & per fidem apprehensa justitiam nostram; sed quia nostræ justitiæ auctor est, & exemplar, & causa meritoria; sicut dicitur fortitudo nostra (Ps. XVII.) salus nostra (Ps. XXVI.) patientia nostra (Psal. LXX.) non quod illius fortitudine, salute, patientia, formaliter (ut ita loquar) fortes, salvi, patientes simus; & fortitudo, salus, patientia nostra nihil sint intrinsecum in nobis: sed quia fortitudo, salus, patientia nostra

nostra non sunt in nobis tamquam ex nobis, sed effectus, & dona Dei sunt. Eodem sensu dicimur effici *Justitia Dei* in Christo, quia Justitiæ Dei participes sumus, sicut Christus factus pro nobis peccatum dicitur, quia carnem assumpsit similem carni peccati. Vel dicimur facti justitia Dei in Christo, id est, facti sumus justis meritis Christi: sicut baptizati dicuntur alibi ab eodem Apostolo, *Lux in Domino*, quia sunt a Christo, & meritis ejus illuminati, & *de tenebris in admirabile lumen* illius vocati. Vel denique dicimur justitia Dei in Christo: quia cum ipse sit caput nostrum, & quod suum est de nobis dici, quod nostrum est sibi tribui voluerit, quia *Caput, & membra unus est Christus*; dicimur justitia Dei in Christo, quia ille Dei justitia est: non autem dicimur justitia Dei in nobis, quasi sola justitiæ illius per fidem apprehensio, aut externa imputatio nos justificet. Neque enim Christus sola justitiæ Dei imputatione, sed intrinseca sanctitate justus est, quia unctus dicitur a Deo præ participibus suis. Sic e contrario Christus dicitur factus pro nobis peccatum, non quod vere peccatum admiserit, sed quia caput nostrum est, & peccata nostra ea ratione sibi tribuit, pro quibus fidejussor esse voluit. *Posuit enim in eo Deus iniquitatem omnium nostrum*, ut ait Prophetata. Et *Ps. xxi.* David ipsum introducit ex persona membrorum suorum dicentem: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*. Denique justitia Dei, & Christi nos justos esse, non hoc sensu quasi nihil sit in nobis, quo justis simus, sed quia hoc ipsum, quo justis sumus, non ex nobis est, immo Dei donum est, SS. Patres perspicue, & constanter docuerunt, præsertim *S. Augustinus* Lib. *De Spiritu, & Littera*, Cap. ix. explicans illa verba Apostoli (*Ad Rom. 10.*) *Justitia Dei manifestata est*. Sic enim habet: „ Non dicit, Justitia hominis, vel justitia propriæ voluntatis; sed justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem cum justificat impium. Lex quidem, hoc ipso quod jubendo, & minando, & neminem justificando, satis indicat dono Dei justificari hominem per adjutorium Spiritus. *Subdit Apostolus*: Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, hoc est per fidem, qua creditur in Christum. Sicut autem (*inquit S. Augustinus*) ita fides Christi dicta non est qua credit Christus: sic illa justitia Dei non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei, & Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donetur. *Idem* Cap. xi. *ejusdem libri*, explicans hæc *Apostoli verba ad Rom. 1. 14.* Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, *&c.* ait: Hæc est justitia Dei, quæ in Testamento Veteri velata, in Novo revelatur: quæ ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit: sicut Domini est salus, qua salvos facit. *Et* Cap. xviii. explicans hæc verba *11. ad Corinthios v.* Ut nos simus justitia Dei in ipso, ait: Hæc est illa justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo facti. *Et* Cap. xxxi. Unde ergo ista dilectio, id est, charitas, per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit? Neque enim esset in nobis, quantacumque sit in nobis, nisi diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justis ejus munere efficimur; & Domini salus, qua nos salvos facit; & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit. Hæc est justitia Dei, quam non solum docet per Legis præceptum, verum etiam dat per Spiritus donum. *Idem* Enarrat. 11. in *Psalm. xxx.* explicans illa verba, *In tua justitia erue me*: Est enim justitia Dei, quæ & nostra fit, cum donatur nobis. Ideo autem Dei justitia dicitur, ne homo se putet a se ipso habere justitiam. Sic enim dicit *Apostolus Paulus*: *Credenti in eum, qui justificat impium* (quid est, quæ

Ila. 53. 6.

De Baptismi
effectibus.

„ justificat impium? Qui ex impio (facit) justum) deputatur fides ejus ad ju-
 „ stitiam . Et *Sermone 1. in Psalm. Lxx.* ad illa item verba, *In tua justitia*
 „ *erue me*, hæc habet: *Non in mea; sed in tua*: si enim in mea, ero ex
 „ illis, de quibus ille ait, *Ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere,*
 „ *justitiæ Dei non sunt subjecti.* Ergo in tua justitia, non in mea. Quia mea
 „ quid? Præcessit iniquitas. Et cum ero justus, tua justitia erit: quia justi-
 „ tia mihi abs te data justus ero: & sic erit mea, ut tua sit, id est, abs te
 „ mihi. In eum enim credo, qui justificat impium, ut deputetur fides mea
 „ ad justitiam. Erit ergo & sic justitia mea; non tamen tamquam propria
 „ mea, non tamquam a me ipso mihi data: sicut putabant illi, qui per lit-
 „ teram gloriabantur, & gratiam respuebant. Nam dictum est alio loco, *Ju-*
 „ *dica me, Domine, secundum justitiam meam.* Sed revoca ad Apostolum, *Quid*
 „ *enim habes, quod non accepisti?* Et sic dic justitiam tuam, ut memineris, quod
 „ acceperis eam, & non eam invidias accipientibus. “ *Idem Serm. clxix. alias*
 „ *xv. De verbis Apostoli:* „ Magis (*inquit*) commendat, quod dicit, nos esse
 „ justitiam, quam dicendo nos esse justos: ita tamen ut cum justitiam dicit,
 „ esse justos intelligamus, Non enim sumus illa incommutabilis justitia, cu-
 „ jus participes facti sumus: sed quemadmodum dicitur, Magna tibi juvenus
 „ est, pro multis juvenibus; sic dicitur justitia, ut intelligantur justii. Audite
 „ hoc ipsum evidentius, eodem dicente Apostolo, *Ut nos*, *inquit*, *simus ju-*
 „ *stitia Dei in ipso.* Nos simus justitia, non nostra, sed Dei; ab illo accepta,
 „ non a nobis assumpta; impartita, non usurpata; donata, non rapta. *Et*
 „ *infra:* Justitia sit, sed ex gratia sit, a Deo tibi sit, non tua sit. Sacerdotes
 „ tui (*inquit*) induantur justitiam. Vestis accipitur, non cum capillis
 „ nascitur, pecora de suo vestiuntur. Hanc prædicat Apostolus Paulus: A Deo
 „ tibi sit, Geme, ut impetres, plora, ut impetres, crede, ut impetres...
 „ Totum est ex Deo; non tamen quasi dormientes, non quasi non conemur,
 „ non quasi non velimus. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei.
 „ Voluntas quidem non est nisi tua; justitia non est nisi Dei. Esse potest ju-
 „ stitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest præter voluntatem
 „ tuam... Eris opus Dei, non solum quia homo es, sed etiam quia justus
 „ es. Melius est justum esse, quam te hominem esse. Si hominem te fecit
 „ Deus, & justum tu te facis, melius aliquid facis quam fecit Deus. Sed
 „ sine te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum, ut te fa-
 „ ceret Deus. Quomodo consentiebas, qui non eras? Qui ergo fecit te sine
 „ te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem. Ta-
 „ men ipse justificat, ne sit justitia tua. “ Quod quidem ad adultos spectat:
 „ nam infantes sine propriæ voluntatis actu per Baptismum justificantur: sed
 „ tamen utrique justitia inhærente, & per Christi merita illis infusa regeneran-
 „ tur, & renovantur. Hinc S. Bernardus Tractatu *De erroribus Abailardi*, alias
 „ Epist. cxc. ad *Innocentium II.* Pontificem Maximum, cap. vi. *A primo homine,*
 „ *inquit, manavit delictum, a summo cælo egressio gratiæ. Utrumque a parente,*
 „ *illud a primo, ista a summo. Terrena natiuitas perdit me, & non multo ma-*
 „ *gis generatio cælestis conservat me? Nec vereor sic erutus de potestate tenebra-*
 „ *rum repelli a Patre luminum, justificatus gratis in Sanguine Filii ejus... Ju-*
 „ *stum me dixerint, sed illius justitiam. Quænam ipsa?* Finis legis Christus, ad
 „ justitiam omni credenti. Denique Qui factus est nobis, *inquit*, justitia a Deo
 „ Patre. *Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa,*
 „ *cur non & mea indulta justitia? Et sane mihi tutior donata, quam innata,*
 „ *nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum: illa autem cum sit salutis*
 „ *efficax, materiam non habet gloriandi nisi in domino. Nam & Si justus fuero,*
 „ *inquit, non levabo caput; ne videlicet responsum accipiat: Quid habes*
 „ quod

Rom. 4.

Psalm. 7. 9.
1. Cor. 4. 7.11. Cor. 5.
21.De Baptismi
effectibus.

Rom. 10. 2.

Joan. 10.
1. Cor. 3.

quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Gratia sanctificans ipsis etiam infantibus per Baptismum confertur.

Hujusmodi porro iustitiam in gratia sanctificante, & charitate per Spiritum Sanctum in cordibus diffusa positam ipsis etiam infantibus per Baptismum conferri S. Augustinus non semel docet. Libro scilicet primo *De Peccatorum Meritis*, Cap. ix. asserit, Christum dare fidelibus *Occultissimam Spiritus sui gratiam, quam latenter infundit, & parvulis*. Et Lib. *De Gratia, & Libero Arbitrio*, cap. xxii. de infantibus, qui quando baptizantur, obluantur solent: & tamen, inquit, *heret etiam in reluctans gratiam*. Idem Epist. xcviij. alias xxxiiii. Ad Bonifacium Episcopum: *Semel perceptam Christi gratiam in Baptismo parvulus non amittit, nisi propria impietate, si etatis accessu tam malus evaserit*. Et infra: *Offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam*.

De Baptismi effectibus.

His adde insignem S. Joannis Chrysostomi locum ex Homilia ad Neophytos, qua Baptismi effectus exponit. *Ecce, inquit, libertatis serenitate perfuuntur, qui tenebantur paulo ante captivi: & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & iustitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti: non tantum sancti, sed & iusti: non solum iusti, sed & filii: non solum filii, sed & hæredes: non solum hæredes, sed & fratres Christi: non tantum fratres Christi, sed & cohæredes: non tantum cohæredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa Spiritus. Vides, quot sint Baptismatis largitates: & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccatis (proprie nimirum voluntatis, & actionis) ut eis detur, vel addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut sint ejus membra. Hunc S. Joannis Chrysostomi locum totidem verbis refert S. Augustinus, Lib. i. *Contra Julianum*, Cap. vi.*

Gratiam sanctificantem in Baptismo infusam virtutes comitantur.

Gratiæ sanctificantis, quæ in Baptismo infunditur, nobilissimus omnium virtutum additur comitatus. Quare cum Apostolus ad Titum scribens cap. iij. ait: *Salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum*: his verbis, *effudit in nos abunde*, significat, Spiritum Sanctum in Baptismo dari, non solum ad remissionem peccatorum, sed etiam ad copiam virtutum, ut explicat Concilium Tridentinum Catechismus. Hinc a S. Cypriano Baptismus vocatur *Mors criminum, vita virtutum*. Hinc Auctor Librorum *De Vocatione Gentium*, Lib. i. Cap. xxiii. *Origo (inquit) veræ vitæ, veræque iustitiæ in regenerationis est posita Sacramento; ut ubi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur*. Denique tam parvulis quam adultis in Baptismo conferri *Gratiam informantem, & virtutes*, docet Concilium Viennense, quod contrariam sententiam a quibusdam olim Scholasticis propugnata improbavit, ac rejecit. Et Concilium Tridentinum Sessione vi. cap. vii. eandem doctrinam tradit. „ Quamquam (inquit) nemo possit esse iustus nisi cui merita Passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inferitur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum Traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe, & charitate fides præstare non potest.

At (inquires) si tanta virtutum copia in Baptismo homines instructi sunt, & ornati, cur ab ipsa pueritia quidam ita proclives sunt ad malum? Cur tanta cum repugnantia, tanta cum difficultate, & labore virtutum actus exercent?

Respondetur, virtutes Dei beneficio parvulis in Baptismo donatas quoad habitum, dumtaxat, non pro illo tempore quoad usum, ut habetur in Clementina De Summa Trinitate, & Fide Catholica, Concilio Viennensi approbante edita, continuo studio, & exercitatione excolendas esse, ut difficultas superetur, quæ ex acerrima cupiditatis pugna adversus spiritum post Baptismum relicta est, & ad peccatum illicit, ac provocat. Neque enim ita renovatur homo, ut repente omni virtutum genere instructus, deinceps sine omni prorsus peccato vivere possit, quod erat Pelagianorum Dogma; contra quos S. Hieronymus Dialogo I. Cap. VIII. scribit: *Si Baptisma statim justum faceret, & omni plenum justitia, nequaquam Apostolus Neophytum refutaret: sed Baptismus vetera peccata conscindit, novas virtutes non tribuit.* Quamobrem Christiana institutione, & parentum, ac magistrorum disciplina pueri indigent, ut virtutum habitus in illis veluti quiescentes, & sopiti excitentur: qua deficiente, ac vanitate sæculi animum occupante, contingit eas cito, ac facile deperdi. Hinc etiam catechizandi sunt, quamvis fidei habitum infusum habeant, ut quid credendum sit noverint, alias nunquam actu credent. Nam *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* (inquit Apostolus.) *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Hinc & de adultis, qui Baptismum in ægritudine constituti susceperunt, statuit Laodicæna Synodus Canone XLVI. *Ut sani facti Fidei Symbolum edoceantur, ut noverint, qua donatione digni sint habiti.* Quem Canonem cum aliis in Codice Canonum suorum transcripsit Ecclesia Romana. In hac tamen difficultate virtutes exercendi, quam baptizati experiuntur, in ista carnis adversus spiritum contentione, animo frangi, aut debilitari ipsos non decet; cum Dei benignitate freti, spe niti debeant, fore ut quotidiana recte vivendi exercitatione, *Quæcumque pudica sunt, quæcumque iusta, quæcumque sancta,* eadem etiam facilia, & jucunda videantur (ut monet Concilii Tridentini Catechismus.)

Cum parvuli virtutes infusas per Baptismum habeant, cur plerique a pueritia ita sunt ad malum proni?

De Baptismi effectibus.

Rom. 10:

Philipp. 4.

P R O P O S I T I O V.

Baptismo sequens omnis renovatio quodammodo tribuitur; non ita tamen, ut sola Baptismi recordatio per fidem sufficiat ad remissionem omnium peccatorum, quæ post Baptismum committuntur, & nullo alio Sacramento sit opus.

PRior pars Propositionis hujus a S. Augustino pluribus in locis asseritur; scilicet Lib. I. De Nuptiis, & Concupiscentia, Cap. XXXIII. & XXXIV. ubi cum præmississet, Eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum Lavacrum, usque in finem cuncta mala hominis purgari, atque sanari; subdit: Sic enim accipiendum est, quod ait idem Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea ut sanctificaret, mundans eam Lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi: sic (inquam) accipiendum est, ut eodem Lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum re-generatorum mudentur, atque sanentur; non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur: non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum*

Ephes. 5:

etiam

„ etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. *Et infra:*
 „ Ac per hoc non solum omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala,
 „ Christiani Lavacri sanctitate tolluntur, quo mundat Ecclesiam suam Chri-
 „ stus, ut exhibeat eam sibi non in isto sæculo, sed in futuro, non habentem
 „ maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi. Idem docet Libro *De Peccato*
Originali contra Pelagium, & Cœlestium, cap. xxxix. & xl.

Et lib. vi. *Contra Julianum*, c. xviii. „ Nullo modo reprehenditur Ba-
 „ ptisma, quia asseritur curatio, quæ fit post Baptisma: quia potius totum
 „ hoc per Baptismum actum est, id est, ut & a præteritis languoribus sanare-
 „ tur, & a futuris incipiat, studeat, mereaturque sanari. Ita Baptismus tutius
 „ fit causa sanitatis, per quod & incipitur omnis sanitas, & impletur. Nempe
 „ dicuntur hæc magna consensione veritatis, nulla reprehensione Baptismatis.

De Baptismi
effectibus.

Epistola denique clxxxv. alias l. Ad *Bonifacium* Comitem: *Quicquid ab*
eis, qui post acceptum Baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur,
quantumcumque culparum propter ipsum Lavacrum dimittitur. Neque enim
aliquid prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra.

His *S. Augustini* locis abutuntur Hæretici, ut sola Baptismi recordatione
 per fidem remitti omnia peccata post Baptismum commissa pertinaciter propu-
 gnent, & omnem subsequentem renovationem sic esse Baptismo tribuen-
 dam, ut nullo alio Sacramento sit opus. At non ea *S. Augustini* mens est,
 qui & Sacramenti Pœnitentiæ necessitatem, ex Scriptura Sacra probatam,
 pluribus in locis aperte confirmat, & alia post Baptismum curatione opus
 esse, ut propriæ actionis peccata sanentur, diserte asserit Epist. xcviij. a-
 lias xxiii. Ad *Bonifacium* Episcopum. *Semel*, inquit, *perceptam parvulus*
Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam ma-
lus evaserit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regenera-
tione auferantur, sed alia curatione sanentur. Et Ecclesia *S. Augustini* doctri-
 nam venerata, Hæreticorum errorem proscripsit in Concilio Tridentino,
 Sessione vii. Canone xi. *De Baptismo*, cujus hæc sunt verba: *Si quis dixe-*
rit, peccata omnia, quæ post Baptismum sunt, sola recordatione, & fide susce-
pti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri; Anathema sit.

Renovationem igitur omnem, remissionemque peccatorum post Baptisma
 commissorum ipsi Baptismo tribuendam merito censet *S. Augustinus*, eo
 modo, quo natiuitati & his quæ a parentibus accepimus, tribuitur, & ac-
 ceptum fertur subsequens corporis incrementum; robur, & perfectio virilis,
 morborumque sanatio, quæ tamen nec statim, nec absque externis admini-
 culis proveniunt. Natura enim, seu naturales facultates initio acceptæ hæc
 operantur quidem, sed non absque nutrimento, motu, arte medica, & si-
 milibus adjumentis. Immo & mortuum quempiam a Christo ad vitam revoca-
 tum, vitam debere parentibus recte dixeris, quamvis istud vitæ revocatæ be-
 neficium proprie Christo debeat. Ad hunc igitur modum Baptismo postero-
 rum peccatorum remissio, spiritualis vita per Pœnitentiam recuperata, &
 omnis operum sequentium fructus tribuitur; quia & per Baptismum prima
 vita data fuerat, & nisi Baptismus præcessisset, nullus esset eorum, quæ
 postea adhibentur, fructus, aut effectus: quemadmodum in corpore humano
 nulla esse potest per pharmacum sanitatis operatio, nisi natura ipsa simul o-
 peretur: immo nec vita restituitur per miraculum, nisi quæ prius inerat per
 naturam. Atque hunc *S. Augustini* sensum esse, constat ex cap. xxxiii.
 Lib. i. *De Nuptiis, & concupiscentia*, ubi post verba superius laudata mox
 subdit: „ Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentiæ, nisi Ba-
 „ ptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoque Dominica
 „ Oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effecta
 „ dice-

„ diceretur, *Dimitte nobis debita nostra*, nisi ab eis, qui baptizati sunt, diceretur? Itemque eleemosynarum largitas, & beneficentia quantalibet cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremo regeneratorum ipsa felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, ubi nihil reprehensionis, nihil simulationis erit, ubi non solum reatus, sed nec concupiscentia erit ulla peccati, quorum erit, nisi baptizatorum?

P R O P O S I T I O VI.

Illuminatio, & bonorum operum fecunditas sunt effectus Baptismi.

Spiritualis enim vero renovationis pars quædam est illuminatio per fidem. Unde baptizatos Apostolus Epist. ad Hebræos cap. vi. illuminatos vocat. *De Baptismi effectibus.* Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, &c. Et cap. x. *Rememorami pristinios dies, in quibus illuminati.* Veteres etiam Patres Baptismum Illuminationis Sacramentum appellant; S. Dionysius Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. 11. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Pedagogi cap. vi. S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus Illuminatorum, S. Gregorius Nazianzenus Oratione xxxix. S. Ambrosius Lib. 11. De Pœnitentia, Cap. 11. S. Joannes Damascenus, Lib. iv. De Fide Orthodoxa, Cap. x. Id significavit Christus miraculo in gratiam cæci nati edito, qui a Christo inunctus, lumen prius non recepit, quam in Piscina Siloe Baptismi nostri figura, oculos lavisset. Gratias igitur agamus Deo Patri, *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filii dilectionis suæ* (ut scribit Apostolus 1. Ad Coloss. 1. 12.) Et virtutes annunciemus ejus, *Qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum* (ut ait Apostolorum Princeps, Epist. 1. Cap. 11. 9.)

Bonorum autem operum fecunditate hominem per Baptismum donari, significat illud Psal. xxi. *Super aquam refectiois educavit me: quod de Aqua Baptismi, Quo reficiuntur, qui integritatem viresque amiserant*, S. Augustinus explicat. Theodoretus pariter intelligit *Regenerationis aquam, in qua baptizatus, dum gratiam expetit, senectute peccati exuitur, & pro sene juvenis efficitur.* Ita interpretatur & Cassiodorus: *Refectiois aqua, inquit, est Baptismi Lavacrum, quo anima sterilis ariditate peccati, ad bonos fructus inferendos divinis muneribus irrigatur.* Huc refert S. Augustinus Lib. 11. De Doctrina Christiana, cap. vi. illud ex Canticis Canticorum, cap. iv. Ecclesiæ accommodatum: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, & sterilis non est in eis.* Sic enim locum istum explicat: *Nescio quomodo suavius intueor Sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emollita duritia quasi demorsos, mansosque transferre. Oves etiam jucundissime agnosco detonsas, oneribus secularibus tanquam velleribus positas, & ascendentes de Lavacro, id est de Baptismate, creare omnes geminos, id est, duo præcepta dilectionis, & nullam esse ab isto sancto fructu sterilem video.*

Baptismus imprimi Characterem, ex quo fit, ut iterari absque sacrilegio non possit.

Ne sanctum
Baptisma
iteretur.

Ne sanctum
Baptisma
iteretur.

Primam Propositionis partem probavimus satis Tractatu De Sacramentis in genere, cap. v. Art. III. Unicum hic addemus S. Augustini testimonium ex Tractatu VI. in Epistolam I. S. Joannis. Ecce (inquit) accepit Sacramentum Nativitatis homo baptizatus, Sacramentum habet, & magnum Sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile. Considera quale: ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Attendat tamen in cor. Videat si habet charitatem, & tunc dicat, Natus sum ex Deo. Si autem non habet, Characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur. Secunda pars Propositionis in Decreto Eugenii IV. post Concilium Florentinum, & ex Concilio Tridentino Sessione VII. Canone x. de Sacramentis in genere, probatur, cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; Anathema sit.*

Idem probat Traditio Apostolica, & usus Ecclesiæ perpetuus, quæ baptizatos ab Hæreticis propter hanc rationem non esse rebaptizandos censuit; qua de re copiose, ac luculenter scripsit S. Augustinus in Libris contra Donatistas. Ex cujus etiam ad Maximinum Epistola iumptum est Cap. Rebaptizare, Dist. IV. De Consecratione, cujus hæc sunt verba: *Rebaptizare Hæreticum hominem omnino peccatum est: rebaptizare autem Catholicum, immanissimum scelus est.* Hinc S. Leo, Epistola cxxxv. alias xxxvii. Ad Neonam Ravennatem Episcopum scribit: „ Scimus quidem inexpressibile esse facinus, quod
„ ties juxta Hæreticorum Dogma, contra SS. Patrum instituta, cogitur a
„ liquis Lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Aposto-
„ lica reclamante sententia, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deita-
„ tem, unam in Fide Confessionem, unum in Baptismate Sacramentum. Et
„ Epistola cxxix. alias lxxix. Ad Nicetam Aquilejensem Episcopum: „ Hanc
„ regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut Lava-
„ crum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Unus*
„ *Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Cujus ablutio nulla iteratione teme-
„ randa est, sed sola sanctificatio Spiritus Sancti invocanda est: ut quod ab
„ Hæreticis nemo accipit, a Catholicis Sacerdotibus consequatur. Quamob-
„ rem eos, qui metu, vel errore sunt rebaptizati, Pœnitentiæ publicæ subjici jubet.
„ His qui ad iterandum Baptismum vel metu coacti sunt, vel errore tra-
„ ducti, & nunc se contra Catholicæ Fidei Sacramentum egisse cognoscunt,
„ ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram non nisi per Pœ-
„ nitentiæ remedium, & per impositionem Episcopalis manus communio-
„ nis recipiant unitatem, tempora pœnitentiæ tuo constituyente iudicio,
„ prout conversorum animos perspexeris esse devotos, pariter etiam habens
„ senilis ætatis intuitum, & periculorum quorumque, aut ægritudinis res-
„ piciens necessitates. Pœnam quoque irregularitatis cum in rebaptizantes,
„ tum in rebaptizatos sacri Canones decernunt, Cap. *Qui bis*, Dist. IV. De
„ *Consecratione*, ex Pœnitentiæ Theodori Cantuariensis sumptum, Cap. *Eos*,
„ ibidem, ex Felicis III. Pontificis Maximi Epistola prima, Cap. *Licet*, Extra,
„ *De Baptismo, & ejus effectu*, quod est Innocentii III. in Concilio Generali
„ Lateranensi, contra Græcos Schismaticos, qui baptizatos a Latinis aliquando
„ rebaptizare ausi fuerant, excommunicationis, & depositionis ab officio, &
„ bene.

Ephes. 4. 6.

Pœnæ reba-
ptizantium,
& rebapti-
zatorum.

& beneficio pœna decernitur: *Si quis autem tale quid præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni Officio, & Beneficio Ecclesiastico deponatur.* Denique Cap. *Ex Litterarum, Extra, De Apostatis*, de juniori Acolyto, qui Presbytero rebaptizanti ministerium præbuerat, *Alexander III.* Abbati *S. Genovesæ* respondet, illum ad *Superiores Ordines* non esse promovendum, si facinus sit *publicum*: nisi vitam Religiosam profiteri voluerit, cujus gratia cum ipso dispensari valeat. Si vero sit *occultum*, promoveri posse, & crimen suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare. Legibus etiam Imperatorum crimen rebaptizationis vindicatum est, & pœna Capitulis in rebaptizantes lata, Tit. *Ne Sanctum Baptisma iteretur*, in Cod. Justiniani. Nec mirum, cum occulta quadam Dei inspiratione homines iterationem Baptismi execrentur, ut observat *S. Augustinus Lib. v. De Baptismo contra Donatistas*, cap. iv. „ Sic, inquit, homines occulta nescio qua inspiratione Dei detestantur, si quis iterum Baptisma accipiat, quem ubi-
 „ cumque jam acceperat, ut iidem ipsi Hæretici, cum inde disputant, fron-
 „ tem confricent, & prope omnes eorum Laici, qui apud eos inveterave-
 „ runt, & animosam pertinaciam adversus Catholicam susceperunt, hoc so-
 „ lum illic sibi displicere fateantur: & multi, qui propter adipiscenda ali-
 „ qua commoda sæcularia, vel incommoda devitanda, transire ad eos vo-
 „ lunt, occultis conatibus ambiant, ut hoc eis quasi peculiari, & domesti-
 „ co beneficio præstetur, ne rebaptizentur; & nonnulli ceteris eorum va-
 „ nis erroribus, & falsis criminationibus adversus Catholicam Ecclesiam
 „ credentes, hoc uno revocentur, ut eis sociari nolint, ne rebaptizari co-
 „ gantur. Quem sensum hominum omnia penitus corda occupantem *Donatistæ*
 „ metuentes, maluerunt recipere Baptismum, qui apud *Maximiani*
 „ *stas*, quos damnaverant, datus est, & eo modo sibi linguas præcidere
 „ & ora oppilare, quam denuo baptizare tot homines *Mustitanæ*, & *Assu-*
 „ *ritanæ*, & aliarum plebium, quas cum *Feliciano*, & *Prætextato*, & ce-
 „ teris a se damnatis, & ad se redeuntibus susceperunt.

Occulta
Dei inspi-
ratione ho-
mines ite-
rationem
Baptismi
execran-
tur.

Quamvis autem ratio quædam, cur Baptismus iterari non possit, duo-
 bus aliis Sacramentis Characterem imprimantibus sit communis, quod nimi-
 rum consecratione quadam conferatur; tamen propriæ quædam, & pecu-
 liares sunt ipsi Baptismo rationes, ob quas iterari non potest, quas expo-
 nit *S. Thomas III. P. Qu. LXVI. Art. ix.* Primo, quia Baptismus est spi-
 ritualis regeneratio. Quemadmodum igitur naturali virtute semel tantum
 generamur, & in lucem edimur, ita semel regenerari possumus per Ba-
 ptismum. Unde *S. Augustinus* in illud *Joannis v. Numquid potest homo in*
ventrem matris sue iterato introire, & renasci? ait: *Sic tu intellige nativita-*
tem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis: quomodo enim
uterus non potest repeti, sic nec Baptismus. Secundo, quia in morte Christi
 baptizamur, per quem morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ.
 Ad Romanos vi. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Je-*
su, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per Ba-
ptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Pa-
tris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. At *Christus* (ut ibidem *Aposto-*
lus ait) *resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non domina-*
bitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit,
vivit Deo. Et nos igitur semel dumtaxat per Baptismum Christo commori
 possumus. Hinc ad *Hebræos vi.* idem *Apostolus* scribit: *Impossibile est, eos,*
qui semel sunt illuminati (id est baptizati) rursus renovari ad Pœniten-
tiam ... (id est baptizari) rursus crucifigentes in semetipsis Filium Dei, &
ostentui habentes (ipsa videlicet Baptismi iteratione.) Quamvis autem Eucha-

Rationes
singulares;
ob quas ite-
rari non
potest ba-
ptisma.

Ne fan-
ctum Ba-
ptisma ite-
retur.

ristiæ Sacrificium, & sumptio, quæ in mortis Christi commemorationem instituta est, frequenter iterentur; non sequitur quod Baptismus possit iterari. Alia enim ratione utrumque illud Sacramentum Dominicæ Mortis, & Passionis repræsentatio est. Nam in Baptismo commemoratur mors Christi, in quantum homo Christo commoritur, ut in novam vitam regeneretur: sed in Sacramento Eucharistiæ commemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis quasi Paschale convivium, secundum illud I. ad Corinthios v. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur: & quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur; semel tantum datur Baptismus, multoties autem Eucharistia (inquit S. Thomas.) Tertia ratio petitur ex unitate peccati originalis, in cuius præcipue remedium institutus est Baptismus. Quamobrem sicut originale peccatum semel tantum contrahitur; ita Baptismus semel tantum suscipi potest. Hinc Ecclesia in Symbolo, *Unum Baptisma in remissionem peccatorum* se credere palam profitetur.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Non iteratur Baptismus, cum baptizantur illi, quorum Baptisma incertum est.

Cap. Placuit. Dist. IV. De Consecrat.

Cap. Si nulla extant, eodem Tit.

Ea semper fuit Ecclesiæ doctrina, & usus, ut constat ex Concilio Carthaginensi, quod quintum vocant, cujus Canon LXII. est in Codice Ecclesiæ Africanæ his verbis conceptus: *Item placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per etatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim Legati Maurorum fratres nostri consulerunt, quia multos tales a Barbaris redimunt. Idem constat ex S. Leone Epist. II. alias XCII. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, cujus Qu. XVI. erat De his, qui a parentibus Christianis parvuli derelicti sunt, & utrum baptizati sint, non potest inveniri, an debeant baptizari? Ad quam sic respondet Sanctus Pontifex: Si nulla existant indicia inter propinquos, & familiares, nulla inter Clericos, atque vicinos, quibus hi, de quibus queritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur; ne manifeste pereant, in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non finit, ut videatur iteratum. Ad Quæstionem vero sequentem de his, qui parvuli ab hostibus capti sunt, & non se sapiunt baptizatos, sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam a parentibus ductos, ita respondet: Qui autem possunt meminisse, quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Idem Pontifex a Neona Ravennate Episcopo consultus de parvulis, qui in captivitatem venerunt, & Baptismum non reminiscuntur se consecutos, respondet, baptizandos esse, si nullum de illorum Baptismo testimonium, habita inquisitione diligenti, haberi possit. „ Eadem ergo, quæ in sensum nostrum divina inspiratione „ venerunt, frequens etiam fratrum firmavit assensus. In primis itaque pro „ videre debemus, ne dum speciem quamdam cautionis tenemus, in dam- „ num regenerandarum incidamus animarum. Quis enim ita sit suspicioni- „ bus suis deditus, ut verum esse definiat, quod omni manifestatione ces- „ sante, ex opinione ambigua suspicatur? Cum itaque Baptismi sui nihil „ recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo pos-*

Cap. Cum itaque. Dist. IV. De Consecrat.

„ sit,

» sit, qui sciat consecratum, nihil est, in quo peccatum possit obrepere, cum
 » in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit, qui consecratur, nec qui
 » consecrat.... Quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum
 » esse omnino nescitur. Atque ideo quoties persona talis inciderit, sollicita
 » primum examinatione discutite, & longo tempore, nisi forte supremus
 » finis immineat, indagate, utrum nemo sit penitus, qui testimonio suo
 » juvare possit ignorantiam nescientis. Et cum constiterit hunc, qui Baptif-
 » matis indiget Sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat in-
 » trepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium.
 » Nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante doce-
 » tur ingressus.

Ne. san-
 ctum Ba-
 ptisma ite-
 retur.

Ita S. Gregorius Magnus Lib. XII. Epist. XXXI. *Quoties tam de Baptismo, vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio habetur utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiae consecratae sunt, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiae canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.* Eodem modo respondit Gregorius III. Bonifacio Episcopo: *Parvulos, qui a parentibus subtrahuntur, & an baptizati sint, ignorant, hos ut baptizare debeas secundum Patrum Traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio postulat.*

Cap. Par-
 vulos, Dist.
 IV. De
 Consecrat.

R E G U L A II.

DE illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.

Ita respondet Innocentius III. Cap. *Veniens*, Extra, *De Presbytero non baptizato.*

R E G U L A III.

QUamvis eos, de quorum Baptismo dubitatur, baptizari voluerint veteres Patres, & Synodi, etiam sine apposita conditione, ut constat ex laudatis Concilii Carthaginensis v. S. Leonis, & Gregorii III. testimonis; & id diu in usu fuerit; postea tamen consultius visum est illos, quorum Baptismus incertus, aut dubius erat, sub conditione baptizare: quam disciplinam primus invexisse nonnullis videtur Alexander III. ut habetur Cap. *De quibus*, Extra, *De Baptismo*, & ejus effectu, cujus haec sunt verba: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* Sed hujus formulæ conditionalis usum antiquiorem esse constat ex Lib. VI. Capitularium, cap. CLXXXIV. cujus haec sunt verba: *De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Sub condi-
 tione ba-
 ptizandi,
 quorum
 Baptismus
 incertus, &
 dubius est.

R E G U L A IV.

AB Haereticis, praesertim Lutheranis, & Calvinistis, sub legitima verborum forma in publico caetu baptizati, sub conditione baptizari non debent; quicquid in contrarium dicant Molanus, & Sylvius, Synodum II. Provincialem Mechliniensem, ejusdemque Ecclesiae Pastoralia laudantes, quae ab Haereticis baptizatos, sub conditione baptizari praescribunt.

Sylvius in
 III. P. Q.
 LXVI. A. x.
 Quaestio
 III.

Bapizandos enim etiam sub conditione non esse, *S. Pius V.* Pontifex Maximus respondit; idque secundum illius Breve prohibitum est a Synodis Ebroicensi MDLXXVI. Rothomagensi MDLXXXI. Rhemensi MDLXXXIII. Turonensi eodem anno, Aquensi MDLXXXV. & Tolosana MDXC. Id consonum omnino est veteri disciplinæ, cujus testis est *S. Gregorius* Lib. IX. Epist. LXI. ex quo Cap. *Ab antiqua*, & cap. *Hi vero*, Dist. IV. *De Consecratione*, hæc habentur: „ Ab
 „ antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud Hæresim in Trinitatis
 „ nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione
 „ Chrismatis, aut Impositione manus, aut sola Professione Fidei, ad sinum
 „ matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens,
 „ per unctionem vero sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ
 „ Catholicæ Oriens reformat: Monophysitas vero, & alios, ex sola vera
 „ Confessione recipit: quia sanctum Baptisma, quod sunt apud Hæreticos
 „ consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per Impositionem
 „ manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter Professionem veræ
 „ Fidei sanctæ, & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.
 „ Hi vero Hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut
 „ sunt Bonosiani, & Cataphrygæ, quia & illi Christum Dominum non credunt,
 „ & isti Sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem
 „ Montanum credunt (quorum similes multi sunt) & alii tales, cum
 „ ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia Baptisma non fuit,
 „ quod in errore positi, in Sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.

R E G U L A V.

Sylvius ibid. Quæ-
 sito. II.

Infantēs ab Obstetricibus baptizandi peritis domi baptizati, sub conditione baptizari non debent: quicquid in contrarium dicat Sylvius, Pastorale Mechliniense, & Synodum Yprensem sub Martino Rythovio laudans.

Quibus opponimus *S. Carolum* in Instructionibus Baptismi, qui forma illa baptizandi sub conditione tunc dumtaxat utendum monet, *Cum re diligenter perquisita, dubium relinquatur, aut certe non apparet, infantem, aliumve, qui Baptismo offertur, baptizatum esse: ut de expositis, inventisque parvulis dubitari, atque ignorari sepe numero solet. Quod si re accurate investigata, exploratum habuerit, illum forma servata baptizatum esse, caveat omnino, ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat: cum sacrilegium committat, si contra fecerit; & illud impedimentum contrahat, quod Sacri Canones Irregularitatem vocant. Idem docet Concilii Tridentini Catechismus, Diligenter, (inquit) a Pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus fere quotidie non sine maxima Sacramenti injuria peccatur. Neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delictu cum adjunctione illa baptizent: quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus querendum putant, an is prius ablutus fuerit; sed statim ei Baptismum tribuunt: quin etiam quamvis exploratum habeant, domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram Ablutionem in Ecclesia, adhibita solemnique ceremonia, cum adjunctione repetere non dubitant: quod quidem sine sacrilegio facere non possunt: & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum Scriptores Irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma ex Alexandri Papæ auctoritate, in illis tantum permittitur, de quibus re diligenter perquisita, dubium relinquatur, an Baptismum rite susceperint: aliter vero nunquam fas est, etiam cum adjunctione, Baptismum alicui iterum ministrare. Idem statuit Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. Parochus antequam baptizet infantem, diligenter inquiret, num sit perfusus a-*

qua,

Ne sanctum Baptisma iterum.

aqua, & qua, quibusque verbis: & si jam baptizatus fuerit, & verba sacramentalia pronunciata (de quo sufficienti duorum saltem testimonio Sacerdoti constare debet) non baptizetur iterum, ne sub conditione quidem. Idem statuit Synodus Carnotensis MDXXVI. & Aquensis MDLXXXV.

R E G U L A VI.

Parochus, cum sepe alias, prout locus, tempus, personarumque conditio tulerit, tum maxime cum expositum baptizat, hoc graviter monebit, ut omnes quicumque sint, caveant suos, aut alienos filios exponere. De infantium expositorum Baptismo.

Verba sunt S. Caroli in Instructionibus Baptismi, Tit. De iis, quæ Parochus antequam Infans in Ecclesiam ad Baptismum deferatur, curet, ac præmoneat. Ac de istius quidem peccati gravitate legi possunt Tertullianus, Apologetici cap. ix. Minucius Felix in Octavio, Lactantius Lib. v. cap. ix. & Lib. vi. cap. xx. S. Basilius in Epistola ad Amphilochem, Canone xxxiii. S. Ambrosius Lib. v. in Hexaemeron, cap. xviii. S. Augustinus, Libro De Nuptiis, & Concupiscentia, cap. xv.

Infantes expositi, de quorum Baptismo dubitatur, sub conditione baptizandi sunt. De his Canon III. Concilii Londoniensis anno MCC. tempore Innocentii III. ita statuit: De Baptismate, vel Confirmatione si dubitetur, sacrorum Canonum Statuta sequentes statuimus, ut conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non scitur fuisse collatum. Ideoque baptizentur expositi, de quorum Baptismo dubitatur; sive inveniantur cum sale, sive sine sale. Et S. Carolus in Synodo Diœcesana III. Infans expositus, si illum baptizatum esse non constet, baptizetur, hac tamen verborum formula: Si tu es baptizatus, ego non te baptizo: & si nondum es baptizatus, ego te baptizo, &c. Ceterum quamvis tolerabilius filios exponant parentes urgente gravi necessitate, quam perimant, tamen gravissimum crimen est huiusmodi expositio, nisi gravissima necessitas excuset, periculumque vitetur vitæ, ac salutis æternæ infantis, ut monet S. Carolus mox laudatus.

R E G U L A VII.

Presbyter non baptizatus, baptizari debet, ac deinde ordinari, si velit, cum nulla fuerit non baptizati Ordinatio, ut qui nullum jus alia Sacramenta suscipiendi haberet. Si de ejus Baptismate merito dubitetur, sub conditione baptizandus est, atque simili conditione ordinandus. Si sit Episcopus, pariter ordinandi sunt sub conditione omnes, quos ordinavit, ut habetur Cap. Si quis, & Cap. Veniens, Extra, De Presbytero non baptizato, quod est Innocentii III. De Presbytero non baptizato.

P R O P O S I T I O VIII.

Postremus effectus Baptismi est Regni cœlestis, quod peccato interclusum erat, apertio.

Cum enim impedimenta removeat, quibus ab aditu Regni cœlestis homo removetur, scilicet culpam, & reatum penæ, cœlum prius interclusum unicuique nostrum patefacere jure optimo dicitur. Quod in Salvatoris Baptismo significatum est, cum Aperti sunt cœli (Matth. III. 16. Marc. I. 10. Luc. III. 21.) Quo de mysterio, & miraculo Venerabilis Beda in Cap. 1. S. Marci ita scribit: Quod post Baptisma cœlos apertos vidit, nostri utique gratia factum est, quibus post Lavacrum unde regeneratricis janua panditur regni cœlestis, quæ peccantibus quondam Protoplastis, ac paradiso ejectis, toti generi humano (interpositis Cherubim, & flammeo gladio) clausa est. Extinguitur namque flamma hæc De Baptismi effectibus.

unicuique Fidelium, dum a quis vitalibus tingitur; adeo ut si percepta fide Sacramenta puro corde, & corpore servaverit, statim solutus carne, Regna possit intrare cœlestia. Hinc S. Gregorius Nazianzenus Oratione xl. Baptismum Cœlestis Regni clavem vocat.

P R O P O S I T I O IX.

Christiani per Baptismum non solius Fidei, sed universæ Legis Christi servandæ debitores sunt.

HÆc Propositio dogma fidei est, contra Hæreticos, qui solam Fidem homini baptizato ad æternam salutem consequendam sufficere volunt, a Sacra Synodo Tridentina definitum, Sess. VII. Canone VII. De Baptismo, cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; Anathema sit.* Et Sess. VI. De Justificatione, Canone XIX. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; Anathema sit.* Canone XX. *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum: quasi vero Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vite æternæ, sine conditione observationis mandatorum; Anathema sit.* Et Canone XXI. *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut Redemptorem, cui fidant; non etiam ut Legislatorem, cui obediant; Anathema sit.*

Hanc Fidei veritatem Christi oracula probant, Matth. VII. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine; intrabit in Regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in Regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram; & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui edificavit domum suam super arenam; & descendit pluvia, venerunt flumina, & flaverunt venti & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Et Matth. XIX. Adolescenti interroganti, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? non respondit, Crede tantum; sed, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quod etiam in Baptismi ritu dicitur baptizandis, fidem, quæ vitam æternam præstet, postulantis. Et Matth. XXV. non ex sola fide, sed maxime ex operibus homines se judicaturum testatur, cum dicet Electis: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Denique Matth. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.*

Idem fidei dogma probatur ex S. Paulo ad Romanos VI. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* Et Cap. VIII. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen*

De Baptis-
mi effecti-
bus.

compa-

compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim, quod non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Item II. ad Corinthios IV. Id, quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.

Idem probatur ex Epistola S. Jacobi, Cap. I. „ Estote (inquit) factores
 „ verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipfos. Quia si quis au-
 „ ditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vul-
 „ tum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, & abiit, & statim
 „ oblitus est, qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam li-
 „ bertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor
 „ operis; hic beatus in facto suo erit. Et paulo post: Religio munda, &
 „ immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: visitare pupillos, & vi-
 „ duas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.
 „ Et Cap. II. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere,
 „ opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem
 „ frater, & soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autem
 „ aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non de-
 „ deritis autem eis, quæ necessaria sunt corporis, quid proderit? Sic &
 „ fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: Tu
 „ fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operi-
 „ bus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam
 „ unus est Deus: bene facis: & Dæmones credunt, & contremiscunt. Vis
 „ autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?
 „ Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac
 „ filium suum super Altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus
 „ illius: & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est Scriptura di-
 „ cens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & ami-
 „ cus Dei appellatus est. Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo,
 „ & non ex fide tantum? Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus
 „ justificata est, suscipiens nuncios, & alia via ejiciens? Sicut enim corpus
 „ sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Gen. 15. 6.

Josue 2. 4.

Perpicuam adeo ex sacrarum Litterarum testimoniis veritatem, suffra-
 giis Patrum confirmare non est opus. Eorum loca indicare satis erit stu-
 diosis. Legant S. Irenæum Lib. I. Cap. XX. ubi hunc Simonis Magi errorem
 refert, ac damnat, quod *Salvari homines per gratiam diceret, non secundum
 operas justas.* Legant Clementem Alexandrinum Lib. V. Stromatum, S. Grego-
 rium Nazianzenum, Oratione XI. S. Hilarium Can. VII. in Matthæum,
 S. Joannem Chrysostomum Homilia XXV. in Matthæum, & Homilia XXVIII.
 & XXIX. in Epistolam ad Romanos, S. Hieronymum ad illa Isaïæ verba
 Cap. XXVI. *Murus, & antemurale ponetur in ea,* ubi murum fidei, antemu-
 rale bonorum operum interpretatur, nec sufficere fidem asserit, *Nisi bonis
 operibus confirmetur.* Et in Cap. IV. Osee ad illa verba, *Per dulces sermones
 decipiunt infelices:* cum enim, inquit, viderint aliquot delinquentes, ajunt:
*Nihil aliud querit Deus nisi fidei veritatem: quam si custodieritis, non curat,
 quid agatis.* Diceret eum Lutheranos indigitasse. Legant & S. Augustinum
 toto Libro *De Fide, & Operibus,* præsertim cap. XIV. & XXII. S. Cyril-
 lum Alexandrinum Lib. X. in Joannem, &c. Cum autem opera ad justi-
 ficationem, & salutem inutilia interdum asserunt, loquuntur de operi-
 bus legis absque fide factis, non de operibus ex fidei per charitatem ope-
 rantis radice succrescentibus. Ita intelligendi Origenes in Cap. III. & IV.
 Epistolæ ad Romanos, S. Hilarius Canone VIII. in Matthæum, ubi fidem

De Baptis-
mi effecti-
bus.

solam justificare asserunt; S. Basilius in Homilia De Humilitate, & S. Chrysostomus Homilia III. in Epistolam ad Titum.

Responde-
tur obje-
ctionibus
Protestan-
tium.

Quid sit lex
operum,
quid lex
fidei?

Objiunt Protestantes, Fidem solam absque operibus ad justificationem sufficere; adeoque ad vitam æternam Justis repromissam. Propositionem suam probant ex verbis Apostoli ad Romanos III. dicentis: *Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Et ad Galatas II. *Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Jesu Christo, credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Et ad Ephesios II. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis gloriatur.*

Respondetur, Apostolum his verbis a justificatione tantum excludere opera legis, quæ non fiunt ex fide, sive quæ fidem præcedunt, & fiunt ex solis liberi arbitrii viribus, non autem ex gratia Christi. Vocat ergo Apostolus legem operum, per quam habetur rerum agendarum nuda cognitio: legem fidei vocat ipsam fidem, qua velut lege impellitur homo ad quærendam a Deo justitiam: quemadmodum concupiscentia vocatur lex peccati, quia ad peccatum inclinat. Per eam fidei legem excluditur Judæi gloriatio de operibus, quæ sola cognitione legis adjutus facit: quia opera illa ante fidem facta, inania sunt. *Lex factorum*, secundum interpretationem S. Augustini, Libro De Spiritu, & Littera, Cap. XIV. est ea, quæ jubet quid sit faciendum: *Lex fidei*, est ipsa fides quæ impetrat gratiam faciendi. Itaque lex utraque requirit opera; sed lex factorum continet præceptum, lex fidei auxilium. Lex factorum præstat, ut cognoscamus: lex fidei facit, ut faciamus. *Quod operum lex (inquit) minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, „ Non concupisces: ista dicit, Cum scirem „ quia nemo potest esse continens nisi Deus dederit, adii Dominum, & de- „ precatus sum. “ Ipsa est illa sapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis, actionisque gratiarum, ut cultor ejus non in se ipso, sed in illo gloriatur. Ac per hoc, lege operum dicit Deus, Fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo, Da, quod jubes. Idco enim jubet lex, ut admoneat quid faciat fides: id est, ut cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat; si autem continuo potest, & obedenter facit, debet etiam scire, quo donante possit. Lex igitur fidei non excludit virtutes ceteras, earumque actus ad justificationem præparatorios, ut timoris, spei, charitatis, penitentia; vel illius comites, & cum ipsa, quatenus fides viva est, fœderatas; immo illas virtutes, & earum opera complectitur, quia Fides est, quæ per charitatem operatur (ut ait Apostolus.) Fidem autem charitate, & operibus ex charitate profectis destitutam ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ubi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio bene vivitur. *Plenitudo enim legis est charitas.* Cum ergo dicit Apostolus, *Justificari hominem per fidem sine operibus legis*, non hoc agit, *Ut percepta, ac professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiam si legis opera non præcesserint.* Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum (inquit S. Augustinus.) Nequaquam ergo mens incauta fallatur, ut se existimet Deum cognovisse, si eum fide mortua, hoc est sine bonis operibus confiteatur more demonum: & ideo se jam non dubitet ad vitam æternam esse venturum; quia Dominus dicit: *Hæc est autem vita eterna, ut cognoscant et**

Sap. 8. 24.

Gal. 5. 6.

1. ad Cor.
13.

Lib. de Fi-
de & Ope-
ribus, c. 14.
& 21.

Joan. 17. 3.

unum verum Deum, & quem misit Jesum Christum. Venire quippe etiam illud debet in mentem, quod scriptum est: In hoc cognoscimus eum, si mandata ejus servaverimus. Qui dixit quia cognovit eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & in hoc veritas non est. 1. Joán. 2. 4.

Objiciunt Hæretici, Fidem plerumque in Scriptura Sacra solam nominari, exigi, commendari, ubi de justitia, ac salute agitur, Matth. ix. & Lucæ vii. *Fides tua te salvam fecit.* Luc. viii. 50. *Crede tantum, & salva erit.* Joannis i. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Joannis iii. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Ex quibus confici putant, solam fidem ad justificationem, & salutem sufficere.

Respondetur, Christum, ubi ait, *Crede tantum, & salva erit*, de Justificatione peccatoris non loqui, sed de miraculo patrandi in excitatione defunctæ ad vitam: fidem autem solam interdum sufficere ad miracula impetranda non diffitemur: siquidem ad fidem confirmandam eduntur, non ad ejus, qui illa obtinet, sanctitatem comprobendam. In aliis autem locis, quamquam sola fides nominetur, non est consequens sufficere solam. Alioquin cum sola spes, vel solus timor, aut dilectio sola, aut una eleemosyna, aut solus Baptismus interdum nominentur, ad Romanos viii. *Spe salvi facti sumus.* Ecclesiastici i. *Timor Domini expellit peccatum;* Luc. vii. *Dimissasunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* Tobix x. *Eleemosyna a morte liberat;* Ad Titum iii. *Salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis:* cum (inquam) hæc sola in singulis locis laudatis commemorentur, sequeretur, virtutes illas seorsim sumptas, aut earum actus, vel solum Baptismus, absque fide, ad salutem, & vitam æternam sufficere. Eodem sensu exponenda sunt ista loca, Joannis iii. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Actuum x. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum.* Actuum xiii. *In hoc omnis, qui credit, justificatur.* Ad Romanos i. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Hæc enim solum significant, Fidem Christi, & Evangelium omnibus hominibus ad salutem data esse, ita ut nemo justificetur, & salutem æternam consequatur, nisi credat: sed non excluduntur opera ex fide facta, cum ea fides intelligatur, quæ per charitatem operatur.

Objiciunt Hæretici loca Apostoli, quibus hominem gratis justificari, & salvari asserit, non ex operibus: ex quibus colligunt, solam fidem ad justificationem, & salutem sufficere. Ad Rom. iv. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei autem qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Et ad Eph. ii. *Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus.*

Respondetur, hominem ideo dici ab Apostolo justificari gratis, *Quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin (ut idem Apostolus inquit) gratia jam non est gratia.* Ita Tridentina Synodus Sessione vi. *De Justificatione*, Cap. viii. Hinc itaque colligi non potest, hominem sola fide justificari, & salvari. Sicut enim justificatio, & salus æterna gratuitæ sunt, quamvis fidem necessario postulent, ac per eam obtineantur, quia fides est ex gratia: ita licet pœnitentiam, charitatem, virtutes alias, earumque opera exigant, nihilominus gratuitæ sunt, cum hæc omnia sint gratiæ partus, sicut ipsa fides. Hæc doctrina est *S. August.* Epist. cxciv. alias cv. *Ad Sixtum*, ubi cum præmisisset: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* Neque enim nullum est meritum fidei: continuo explicat, quomodo meritum istud cum gratuita justificatione non pugnet, *Restat igitur (inquit) ut ipsam fidem, unde*

omnis

omnis justitia sumit initium, non humano, quod isti extollunt, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sua merita; sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus ... Opera quippe bona fiunt ab homine; fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est. Epist. CLXXXVI. alias CVI. ad Paulinum: *Justificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum: justificati autem gratis per gratiam ipsius, ne fides ipsa superba sit. Nec dicat sibi, Si ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? Non dicat, ista homo fidelis, quia cum dixerit, Ut merear justificationem, habeo fidem, respondetur ei, Quid enim habes, quod non accepisti? Cum ergo fides impetrat justificationem, sicut unicuique Deus partitus est etiam ipsius mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente; pedissequa, non prævia voluntate.*

Rom. 14. 23.

2. Cor. 4. 7.

Obijciunt illud Apostoli ad Galatas v. *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub Lege.*

Quo sensu
justi non
sunt sub
Lege?

De Baptiza-
torum offi-
ciis.

Respondetur, homines, qui Spiritu ducuntur, non esse sub Lege, *Qua* tamquam Pædagogo perducantur ad gratiam justificantem, qua Legem implere possint; sine cujus gratiæ Spiritu Lex Littera est occidens, quæ reos potius prævaricationis tenet, quam justificat impios (Quo sensu & idem Apostolus ait alibi. *Justo lex non est posita*) Non esse sub Lege terrente, cogente, puniente, quia Legem sponte implent: amore justitiæ, non timore pænæ: sed tamen sub Lege sunt dirigente, præcipiente, obligante, cujus præcepta per subministrationem Spiritus Sancti, cujus charitas in eorum cordibus diffusa est, cum incredibili suavitate, & delectatione perficiunt. Vel, non sunt sub Lege, quatenus Lex gratiam excludit, seu gratiæ adjutorio destituitur: sunt tamen sub Lege, quatenus Lex per gratiam impletur. Sicut enim prima hominis vita est ante Legem, cum nulla nequitia, & malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravæ cupiditatis resistit, quia non est qui prohibeat; sic secunda est sub lege ante gratiam, quando prohibetur quidem, & conatur a peccato abstinere se; sed vincitur quia nondum justitiam propter Deum, & propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit justitiam; quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud, quod se nunc videt amittere. Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur: quod nisi charitate spiritali, quam Dominus exemplo suo docuit, & gratiâ donavit, fieri non potest. In hac enim vita etiam si existant desideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad consensionem peccati non subjugant. Ait igitur Apostolus: *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub Lege: ut intelligamus, Eos esse sub Lege, quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem, ut non ea, quæ volunt, faciant; id est, non se teneant invictos in charitate justitiæ, sed a concupiscente adversus se carne vincantur; non solum ea repugnante legi mentis eorum, sed etiam captivante illos sub lege peccati, quæ est in membris mortalibus.* Addit autem Apostolus enumeratis operibus, seu fructibus Spiritus, *Adversus hujusmodi non est lex: ut intelligamus, Illos sub Lege positos, in quibus ista non regnant. Nam in quibus hæc regnant, ipsi Lege legitime utuntur, quia non est illis Lex ad coercendum posita: major enim, & præpollentior delectatio eorum justitia est.* Sic explicat hunc Apostoli locum S. August. in Expositione Epistolæ ad Galatas ad Cap. v.

Baptismus ad imitationem Christi, adeoque ad bona opera Christianos obligat.

Est enim Passionis ejus applicatio perfecta, Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Sic participes Christi sumus, ut Apostolus scribit ad Hebræos, Cap. III. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. Ita sanctificationi nostræ adlaboramus, quæ Dei voluntas est. I. Joannis III. Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille Sanctus est. Non loquitur S. Joannes de sanctificatione, & justitia, quam in Baptismo accepimus, sed de ea, qua sanctificati jam, & abluti per Lavacrum, nos ad omnem pietatem exeremus: & quem induti sumus Christum per Sacramenti susceptionem, eum induimus per vitæ ipsius imitationem: ut quemadmodum ei similes esse optamus in gloria, sic prius ei pro modulo nostro similes esse contendamus in sanctitate, & justitia: ea justitia, de qua scribit idem S. Joannes Apocalypsis xx. Qui justus est, justificetur adhuc: de qua S. Paulus II. ad Corinthios VII. Has ergo habentes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Tunc autem justificatur adhuc qui justus est, cum qui per Lavacrum regenerationis sanctificatus est, aspiciens in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum, in omni genere vitæ suæ præstat, quod in Baptismo professus est: sacris Jesu vestigiis incedit, & quemadmodum ille ambulavit, ipse etiam ambulat. Ad quod nos hortatur Apostolus ad Ephesios 5. scribens: Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione. Quid autem est, in quo Christum imitari nos oporteat? Numquid in virtute faciendi miracula? Num in sapientia? Num in potentia, & majestate? Nequaquam: sed in dilectione. Ambulate, inquit, in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Christianissimum imitationem Christi definit S. Basilius; & Cap. xv. Libri De Spiritu Sancto, scribit: Hanc ob causam fuit adventus Christi in carne, Evangelicæ conversationis prodita forma, afflictiones, crux, sepultura, resurrectio, ut homo, qui salvus fit per imitationem Christi, veterem illam adoptionem, qua in jus filiorum ascitus fuerat, recipiat. Itaque necessarium est ad vitæ perfectionem Christum imitari, non solum exemplis, quæ in vita demonstravit, lenitatis, modestiæ, ac patientiæ, verum etiam mortis illius, sicut Paulus ait: Configuratus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.

S. Gregorius Nazianzenus, Oratione XL. Baptismi gratiam ad omne nos virtutum, ac bonorum operum genus invitare ostendit. „ Habes (inquit) beneficium, quod te multorum mandatorum submoneat: ne contemptim prætereas. Pauper accessit? In mentem tibi veniat ex quam gravi paupertate ad quantas divitias provectus es. Pane carens aut potu, atque etiam fortasse Lazarus quispiam ad domus tuæ fores provolutus? Moveat te mystica Mensa, ad quam accessisti; moveat te Panis ille, cujus particeps factus es, Calix ille, quem accepisti, cum Christi passionibus initiareris. Peregrinus ad genua tua procubuit, domo carens, advena? Per hunc eum excipe, qui propter te peregrinatus est, idque in suis regionibus, qui que per gratiam in te immigravit, teque ad cœleste domicilium pertraxit ... Egrotus prostat, ac faucibus? Moveat te sanitas tua, & vulnere, qui-

„ bus

Ad Tit. 3.

De Baptizatorum officiis.

Philipp. 3.

Baptismi gratia nos ad omne virtutum, & bonorum operum genus invitat.

Gal. 3.

bus te Christus liberavit. Si videris nudum, operi eum, tuam incorruptionis indumentum, hoc est, Christum honore prosequens. Quotquot enim in Christum baptizati sumus, Christum induimus. Si debitorem natum sis ad pedes tuos se abjicientem, syngrapham omnem, tam justam, quam injustam concerpe: decem illa talentorum millia, quæ tibi Christus remisit, in memoriam revoca. Noli te acerbum minoris debiti exactorem præbere, & quidem conservis, cum tibi a Domino major summa condonata sit: ne humanitatis quoque illius, quam tibi in exemplum propositam haudquaquam imitatus es, pene a te expetantur. Sic te compara, ut Lavacrum non modo corpus, sed imaginem quoque abluat; non modo peccata eluat, sed mores etiam emendet; non modo pristinas vitæ sordes abstergat, verum fontem ipsum quoque expurget: non hoc tantum in animo tibi insculpat, ut opes honestis rationibus quæras, sed etiam ut honeste inopiam subeas, aut, quod levissimum est, malis artibus quæsitæ deponas. Quid enim tibi profuerit ita peccati veniam impetrasse, ut tamen ei, quem læferis, damnatum non sarciat: cum tu duplici scelere constrictus tenearis, uno quia sceleratis artibus facultates tuas auxisti, altero quia partas opes retines. Ita quamvis illa tibi noxa condonata sit, hac tamen hodierna die adhuc implicaris. Hodie enim apud te aliena res est. Ideoque minime sublatum, & extinctum est peccatum, sed tempore solum intercisum.

De Baptizatorum officis.

Christianum nomen obligationem imitandi Christum nobis imponit.

Christianum nomen obligationem imitandi Christum nobis imponere, S. Leo non semel inculcat Sermone xxiv. sive v. in Nativitate Domini. „Frustra (inquit) appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi: qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio Magistri forma esset discipuli; & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus. Et Sermone xl. qui II. est in Resurrectione Domini: Crux Christi, quæ salvandis est impensa mortalibus, & Sacramentum est, & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur divina; exemplum, quo devotio incitatur humana: quoniam captivitatis iugo erutis etiam hoc præstat redemptio, ut eam sequi possit imitatio. Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, ut quem sibi quisque ducem elegerit, ejus opiniones, & mores, atque omnia instituta sectetur: quæ nobis erit communio Nominis Christi, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est, ut ipse insinuavit, Via, & Veritas, & Vita, Via scilicet conversationis sanctæ, Veritas Doctrinæ divinæ, & Vita beatitudinis sempiternæ?

Joan. 14. 6.

Christiani degeneres.

Præclare Salvianus, Lib. III. De Gubernatione Dei, hoc argumentum tractat. „Licet (inquit) omnes admodum filii membra parentum esse videantur, non putantur tamen membra eorum esse, a quibus affectu cœperint discrepare: quia morum degenerantium pravitate pereunt in talibus beneficia naturæ. Quo fit, ut etiam nos, qui Christiani esse dicimur, perdamus vim tanti nominis vitio pravitate. Nihil enim omnino prodest nomen sanctum habere sine moribus: quia vita a professione discordans abrogat illustrius tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Unde cum pene nullam Christianorum omnium partem, pene nullum Ecclesiarum omnium angulum non plenum omni offensione, & lethali peccatorum labe videamus, quid est, in quo nobis de Christiano nomine blandiamur? Cum utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, quia a sancto nomine discrepamus. Nam & ideo plus sub Religionis titulo Deum ludimus, quia positi in Religione peccamus. „Tantum enim abest, ut omni studio, omni conatu iussa Dei faciamus, ut potius contra id faciamus, quod jubemur. „Jubet enim Deus, ut omnes nobis invicem chari simus: omnes autem nos mutua infestatione laceramus. Jubet

Deus.

Deus, ut cuncti egentibus sua tribuant: cuncti admodum aliena pervadunt.
 Jubeat Deus, ut omnis qui Christianus est etiam oculos castos habeat:
 quotuscumque est, qui non se luto fornicationis involvat? Et quid plura?
 Grave, & luctuosum est, quod dicturus sum: ipsa Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud, quam exacerbatrix Dei?
 Aut præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis cætus Christianorum, quam sentina vitiorum?

Et Lib. iv. „ Nihil nobis prodest, quod Lex est bona, si vita nostra, & conversatio non est bona. Lex enim bona, muneris est Christi: vita non bona, criminis nostri. Immo hoc magis culpabiles sumus, si Legem bonam colimus, & mali cultores sumus. Quin potius nec cultores, si mali: quia cultor dici non potest, malus cultor. Neque enim colit, qui rem sanctam non sancte colit. Ac per hoc accusatrix nostri est Lex ipsa, quam colimus ... Id ipsum, quod cultus Dei videtur, injuria est ... Et ideo sanctissime Apostolicum illud ad omnem dicitur Christianum: Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. Cujus ergo criminis rei sint Christiani, ex hoc uno intelligi potest, quia Dei nomen infamant. *De illis scilicet a Gentibus dici potest: Ubi est Lex Catholica, quam credunt? Ubi sunt pietatis, & castitatis præcepta, quæ discunt? Evangelia legunt, & impudici sunt: Apostolos audiunt, & inebriantur: Christum sequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere se dicunt ... In nobis Christus patitur, opprobrium in nobis patitur Lex Christiana maledictum. De nobis enim dicitur: Ecce quales sunt, qui Christum colunt: Falsum plane illud est, quod ajunt, se bona discere, quod jactant se sancte legis præcepta retinere. Si enim bona discerent, boni essent. Talis profecto Secta est, quales & Sectatores: Hoc sunt absque dubio, quod docentur. Apparet itaque & Prophetas, quos habent, impuritatem docere; & Apostolos, quos legunt, nefaria sanxisse; & Evangelia quibus imbuuntur, hæc, quæ ipsi faciunt, prædicare. Postremo, Sancta a Christianis fierent, si Christus Sancta docuisset. Æstimari itaque de cultoribus suis potest ille, qui colitur. *Ubi nunc florens illa primitivi Christianismi facies?* Nescio. *Mater Ecclesia*, quomodo pugnante contra temetipsam tua felicitate, quantum tibi auctum est populorum, tantum pene vitiorum: quantum tibi copiam accessit, tantum disciplinæ recessit: & prosperitas venit quæstum cum magno fœnore detrimentorum! Multiplicatis enim fidei populis, fides immutata est, & crescentibus filiis, Mater ægrotat: factaque es, Ecclesia, profectu tuæ fecunditatis infirmior, atque accessu relabens, & quasi viribus minus valida. Diffudisti siquidem per omnem mundum religiosi nominis membra, Religionis vim non habentia: ac sic esse cepisti turbis opulens, fide pauper: quanto ditior multitudine, tanto egentior devotione; largior corpore, angustiior mente, eademque, ut ita dixerim, & in te major, & in te minor: novo pene, & inaudito genere processus, & recessus, crescens simul, & decrescens. Ubi enim est nunc eximia formæ tuæ, & totius corporis pulchritudo? Ubi illud de vivis virtutibus tuis divinorum apicum testimonium dicens: *Multitudinis Credentium erat cor unum, & anima una, & nemo quidquam ex eo quod possidebat, suum esse dicebat?* Cujus tu tunc, o dolor, & lamentatio! lectionem tantum habes, virtutem non habes: cui quantum scientia, tantum interim conscientia abes.*

Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio anno 816. celebrati Caput cxiv. hujus Confectarii doctrinam confirmat. *Propter quorumdam simplicium verba (inquit) qui religiosi, & eruditus viris sese admonentibus, ac redarguentibus*

Mali Christiani Dei nomen infamant.

De Baptizatorum officiis.

Rom. 2. 23.

Act. 4.

Scripturam præcepta omnes & singulos

pl:-

- Christiana nos spectantia. *plerumque obijcere solent, solos Monachos Scripturarum Sanctarum præcepta observare debere; operæ pretium duximus quædam Evangelicæ, atque Apostolica quam brevissime ad medium deducere præcepta: ut hæc hujusmodi imperiti homines audientes, hisque aurem cordis accommodantes, intelligant, quæ sibi, quæ Monachis convenient observare præcepta. Qui enim mente, & corpore vult contemnere sæculum, & pauperem sequi Christum, audiat ipsum dicentem in Evangelio: „ Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me. Et iterum: Omnis, qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ad discipulos autem: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel. Hæc & hujusmodi præcepta solis specialiter congruunt Monachis, & quanto singularia, tanto & præcipua. Dicit etiam idem Salvator generaliter omnibus: Omnis, qui venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et iterum: Qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et iterum: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et iterum: Qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et iterum: Omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Et iterum: Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum. Item: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur. Item: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ. Item: Dico autem vobis, Nolite resistere malo. Et, Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Item: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit, Racha, reus erit Concilio. Qui dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Item: Nolite jurare neque per cælum, neque per terram. Sit autem sermo vester, Est est, Non non. Item: Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii. Item: Si quis te percusserit in dextera maxilla, præbe illi & alteram. Item: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Item: Si peccaverit in te frater tuus, dimitte ei septies; & non solum septies, sed usque septuagies septies. Item, Si non remiseritis hominibus de cordibus vestris, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Item, Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Et cuidam Diviti: Si, inquit, vis ad vitam ingredi, serva mandata, id est, Non homicidium facies, Non adulterabis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Non concupisces rem proximi tui: Honora patrem tuum, & matrem tuam, & Dilige proximum tuum sicut te ipsum. Et cuidam Legis Doctori se interroganti, quod esset mandatum magnum in Lege, ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ. Paulus quoque Apostolus dicit: Qui diligit proximum, Legem implevit, &c. Item: Patientes estote ad omnes, videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini invicem, & in omnes. Hæc enim est voluntas Dei. Omnia autem probate, quod bonum est, tenete, ab omni specie mali abstinete*

vos. *Item*, Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam. *1. Ephes. 4.*
tem, Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem. *Item*, Nolite mentiri invicem. *Item*, Si confurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. *1. Ibid.*
tem, Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis. *Item*, Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. *Item*, *De Baptizatorum officis.*
Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia non nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas. *1. Cor. 6.*
tem, An nescitis, quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Deus non irridetur: quia neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt. *Item*, Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei. *Item*, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Item*, Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Item ad Timotheum*, Discedat omnis ab iniquitate, qui nominat nomen Domini. *Apostolus quoque Joannes ait*: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. *Item*, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. *Item*, Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est: & omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. *Jacobus autem Apostolus ait*: Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur Propter eos, quos supra memoravimus, hæc pauca breviter annumerare studuimus, qui insipienter asserunt, solos Monachos arctam sectari debere viam; cum utique Dominus arctam, & angustam viam dicat esse, que ducit ad vitam, & nemo nisi per eam in vitam ingredi possit æternam. Non solum igitur Monachis, & Clericis, verum etiam omnibus, qui Christiano censentur vocabulo, per hanc arctam, & angustam inveniendam est viam ... Oportet itaque omnes, qui juxta Apostolum, in Christo baptizati sumus, Christumque induimus, in novitate vite ambulare, semperque ante oculos ponere pactum, quod cum Deo in Baptismate fecimus, ubi abrenunciavimus Satanae, & omnibus pompis ejus, & omnibus operibus ejus. Quod pactum tunc irritum fit, cum in fide quis permanendo, vitiiis; aut a fide exorbitando, idolorum cultibus, aut hæresum erroribus implicatur. Quia ergo, sicut scriptum est, corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, & fragilitas humana post Baptismi gratiam peccatorum sordidatur illecebris; eademque peccata Baptismatis iteratione deleri nequaquam possunt; necesse est, ut pœnitentiæ lamentis, & eleemosynarum largitionibus, & ceteris bonorum operum executionibus, quam celerrime deleri procurentur. Et quia unus est Pater noster, & Magister, & Dominus, una Fides, unum Baptisma, una Mater sancta Ecclesia, instanter, & vigilanter ab omnibus certandum est, quamquam diversorum donorum modis curatur, qualiter una ad supernam Jerusalem matrem nostram tendamus, quo sine fine cum Domino vivere mereamur. Illud quoque sciendum, quod quanto quisque se in presenti sæculo pro Christo abjectiorem fecerit, tanto magis in futuro feliciter remunerationem percipiet.

Non solum
Monachi,
sed quilibet
Christiani
arctam viam
sequi debent.

Sap. 9. 15.

P R O P O S I T I O. X.

*Baptismus hominem ab Ecclesiæ mandatis non liberat.*De Baptis-
mi effecti-
bus.

DOgma fidei est. Nam ad Baptizatos pertinent illa Christi Oracula Matthæi xviii. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Et Luc. x. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quæ invicem probant, Leges ab Ecclesia, & ejus Pastoribus latas Christianorum conscientiam obligare. Præterea Apostoli decreverunt, ut Gentiles ad Christi fidem conversi a carnibus immolatis, & sanguine, & suffocato abstinerent, ut refertur Actuum xv. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria: ut abstinere vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Et Verf. 41. narratur quomodo S. Paulus perambulabat Syriam, & Ciliciam, *Confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Et cap. xvi. legitur quod Paulus, & Timotheus, cum pertransirent civitates, *Tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Hierosolymis.* Idem II. ad Thessalonicenses III. scribit: *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Et ad Hebræos Cap. XIII. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Ex quibus colligitur, Ecclesiam, & ejus Pastores, scilicet Summum Pontificem, & Episcopos, auctoritatem habere condendi leges obligantes conscientiam, adeoque Christianos illis obedientiam debere; nec ab eis solvi per Baptismum, quo Ecclesiæ membra, filii, cives, & subditi fiunt. Qua potestate usa semper Ecclesia est ab Apostolicis temporibus, ut probant Canones in Conciliis afflante Spiritu Sancto conditi, & totius Mundi reverentia consecrati. Quamobrem recte Tridentina Synodus Sess. VII. Canone VIII. De Baptismo, *Lutheri, & Calvinii errorem Propositioni nostræ contrarium damnat his verbis: Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; Anathema sit.*

Hæretico-
rum obje-
ctionibus
responde-
tur.

Objiciunt Hæretici. Populus Christianus in libertatem vocatus est, teste Apostolo II. ad Corinthios III. & ad Galatas IV. & V. At isti libertati repugnat, subjectum esse legibus Ecclesiæ, & Pastorum, secundum illud Apostoli I. ad Corinthios VII. *Pretio redempti estis: nolite fieri servi hominum.*

Respondetur, libertatem Christianam, quæ per Christi Baptismum homini confertur, non esse immunitatem ab observatione mandatorum Ecclesiæ, & a Legibus humanis, sive Ecclesiasticis, sive Civilibus; sed 1. Libertatem a peccato, ut docet Apostolus cap. VI. Epistolæ ad Romanos: *Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam eternam.* 2. Libertatem a servitute, & captivitate diaboli, ut docet Christus, Joannis XII. *Nunc judicium est Mundi, nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras.* Hinc Exorcismorum, Insufflationis, & Abrenunciationum Satanae, Ritus sacri in Baptismo, ex Apostolica Traditione a primis Ecclesiæ sæculis usurpati. 3. Libertatem a servitute Legis Mosaiçæ, ut docet Apostolus, ad Galatas III. Cap. State, *& nolite iterum jugo servitutis contineri. Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Servos autem hominum nos fieri prohibet Apostolus eo sensu, ne ipsis contra Christum, aut præ Christo serviamus; non eo sensu, ut ipsis justas leges ferentibus, & aliquid legitime præcipientibus parere non debeamus: alioquin secum ipse

ipse pugnaret, cum obedientiam Superioribus exhiberi jubeat. *Ephes. vi. Coloss. iii. Hebr. xiii.* Boni porro serviendo aliis liberi sunt, & mali imperando aliis servi sunt, secundum præclaram illam *S. Augustini* sententiam Lib. iv. *De Civitate Dei*, Cap. iii. *Proinde bonus etiamsi seruiat, liber est: malus autem, etiamsi regnet, servus est; nec unius hominis, sed quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum.* De quibus vitiis cum ageret *Scriptura divina*, *A Quo enim quis, inquit, devictus est, huic & servus addictus est.* 2. *Petr. 2. 19.*

Objiciunt verba Christi a *S. Matthæo* Cap. xv. 9. relata: *Sine causa colunt me, docentes Doctrinas, & Mandata hominum.*

Respondetur, Mandata hominum divinis Mandatis contraria, necnon ea, quæ inutilia sunt, & nullum fructum sive spiritualement, sive temporalem afferentia, quales erant Pharisaicæ Traditiones, a Christo improbari, ac rejici: non ea, quæ legitima auctoritate, & ob finem æternæ salutis, Ecclesiæque ordinem, aut Reipublicæ commune bonum, ac tranquillitatem præscribuntur.

Objiciunt illud *Isaie xxxiii. Deus judex noster, Deus legifer noster: & illud Jacobi iv. Unus est Legislator.*

Respondetur, unum esse Legislatorem supremum, primarium, nulli alii subditum, *Qui potest perdere, & servare*, ut ait *S. Jacobus*, scilicet Dominum Deum nostrum; at alios esse Legislatores secundarios, illius Vicarios, & Ministros, Ecclesiæ scilicet Pastores, & Principes. Unde *Proverbiorum viii.* ait *Æterna Sapientia: Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Sane Apostolos tulisse leges, & mandata quædam Fidelibus dedisse, confirmatur ex *i. ad Corinthios xiv.* ubi *S. Paulus* ea quæ scribit de ordine, & honestate in *Conventibus Christianorum* servanda, Domini Mandata esse dicit, utpote ex potestate, quam a Christo acceperat, tradita, & illius doctrinæ consentanea: *Si quis (inquit) videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt Mandata.* Et *i. ad Thessalonicenses iv.* *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* Præterea, Lex de Bigamis, & Neophytis ad Sacerdotium non promovendis, ad *Timotheum iii.* & ad *Titum i.* Apostolica est. Item Leges de Dominica die observanda loco Sabbati Judaici, de Jejunio Antepaschali, de certis Sacramentorum Ritibus, & alias complures quæ nec ab Episcopis, nec a Conciliis institutæ leguntur, & tamen semper in Ecclesia sunt observatæ, ab Apostolis esse latas, certissimum est, secundum illam *S. Augustini* Regulam Lib. iv. *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. xxiv. *Quod universa tenet Ecclesia; nec Concilii institutum, sed semper retentum est, nonnisi Auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Quæ autem non ab ipsis Apostolis, sed a Conciliis Generalibus sancita, in universa Ecclesia observantur, non minus Christianorum conscientiam obligant; ut colligitur ex eodem *S. Augustino* Epist. lrv. alias cxvii. *Ad Januarium*, cujus hæc sunt verba: *Illæ autem, quæ non scriptæ, sed traditæ custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima Auctoritas, commendatæ, atque statuta retineri, sicuti quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & Adventus de cælo Spiritus Sancti, anniversaria Solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit Ecclesia.*

At, inquires, Lex Justo non est posita (ut ait Apostolus *i. Ad Timotheum i.*)

Respondetur, Justis non esse positam legem per modum coactionis, quia ipsi sibi sunt lex, dum ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; ut ait idem Apostolus ad *Romanos ii.* quamvis sponte pareant & amore justitiæ,

non timore pœnæ . Ceterum si a iustitia deficient, Legem ipsam violando, vim quoque coactivam in ipsos exercet. Ita respondet S. Thomas Prima Secundæ, Qu. xcvi. Art. v.

Objicitur Cap. *Due sunt*, *Causa* XIX. Qu. II. ex Urbano Papa sumptum: *Qui lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut publica constringatur: Lege autem privata Spiritus Sancti ducuntur, qui per Baptismum filii Dei facti sunt, & Spiritu Dei aguntur; a legibus igitur humanis sunt liberi.*

Respondet S. Thomas, Legem Spiritus Sancti superiorem esse omni lege humana: ideoque viros spirituales quatenus *Lege Spiritus Sancti ducuntur*, non subdi legi quantum ad ea, que repugnant ductioni Spiritus Sancti. Sed tamen (inquit) *hec ipsum est de ductu Spiritus Sancti, quod homines spirituales legibus humanis subdantur*, secundum illud S. Petri Epist. I. Cap. II. *Subiecti estote omni humane creature propter Deum.*

P R O P O S I T I O XI.

Revocandi quidem sunt homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut promissiones in Baptismo factas observent: sed vi promissionum huiusmodi irrita esse vota omnia post Baptismum facta, nemo nisi Hæreticus dixerit.

Commune
Baptizato-
rum votum.

In IV. Sent.
Dist 38. Qu.
I. Art. 11.
Quæstiunc.
1. ad 3.

A Brenunciationem Diabolo, & Pompis ejus factam, *Votum baptizatorum* vocat S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXVIII. Art. II. ad primum. Et recte quidem, cum sit promissio Deo facta de meliori bono, libereque fiat, quamvis sit de necessitate salutis. *Commune Baptismi votum* alibi vocat S. Doctor, novamque obligationem ex eo nasci docet: ac propterea baptizatum eodem genere peccati magis peccare, quam non baptizatum, juxta illud Apostoli ad Hebræos x. *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Testamenti pollutum duxerit?* Promissionem in Baptismo factam votum appellare S. Augustinus non dubitavit Epist. cxlix. alias LIX. ad Paulinum: *Vovetur (inquit) omnia, que offeruntur Deo, maxime Sancti Altaris Oblatio, quo Sacramento predicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi: cujus rei Sacramentum est, quod Unus Panis, unum corpus multi sumus.* Sed communi quadam, & latiori significatione, non stricta, voti nomen S. Augustinus usurpat; quatenus promissio Deo facta de observantia mandatorum ejus, omnes homines obligante, seu sponsio quælibet, qua nos Dei obsequio mancipamus, votum appellari potest: non autem quatenus votum promissio est perfectioris cujusdam boni, ad quod omnes Christiani non tenentur: quod proinde supererogationis opus vocari solet. Hæc distinctio res non est ingenii, sed doctrinæ, cum ex S. Augustino sumpta sit, Enarratione in Psalm. Lxxv. Qui locus utramque Propositionis nostræ partem probat. Explicans scilicet hunc Versum,

„ Vovete, & reddite Domino Deo nostro, hæc habet: Quisque quod potest
 „ voveat, & reddat. Ne voveatis, & non reddatis: sed quisque quod po-
 „ test voveat, & reddat. Non sitis pigri ad vovendum: non enim viribus
 „ vestris implebitis. Deficientis, si de vobis præsumitis; si autem de illo,
 „ cui vovetis, vovete, securi reddetis ... Omnes communiter quid debe-
 „ mus vovere? Credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, bene vi-
 „ vere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis
 „ omnibus. Furtum non facere, non castimoniali præcipitur, & nuptæ non
 „ præcipitur: adulterium non facere, omnibus præcipitur: non amare vi-

Vota dupli-
cis generis.

Votum om-
nium com-
mune.

„ nolentiam, qua ingurgitatur anima, & corrumpit in se Templum Dei,
 „ omnibus æqualiter præcipitur; non superbire, omnibus æqualiter præci-
 „ pitur: non hominem occidere, non odisse fratrem, non adversus aliquem
 „ tenere perniciem, omnibus in commune præcipitur. Hoc totum omnes
 „ vovere debemus. Sunt etiam vota propria singulorum, alius vovet Deo
 „ castitatem conjugalem, ut præter uxorem suam non noverit aliam: sic &
 „ fœmina, ut præter virum suum non noverit alium. Alii etiam vovent,
 „ etsi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere,
 „ aut sustinere: & ipsi voverunt aliquid majus, quam illi. Alii virginita-
 „ tem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale vel experiantur, quale
 „ illi experti reliquerunt: & isti voverunt plurimum. Alii vovent domum
 „ suam esse hospitalem omnibus Sanctis advenientibus: magnum votum vo-
 „ vent. Alius vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, & ire
 „ in communem vitam, in societatem Sanctorum: magnum votum vovet.
 „ *Vovete, & reddite Domino Deo nostro.* Quisque quod vovere voluerit, vo-
 „ veat: illud attendat, ut quod voverit, reddat. Unusquisque Deo quod
 „ vovet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ Castimonialis nu-
 „ bere voluit: quid voluit? Quod & virgo quælibet. Quid voluit? Quod
 „ & mater ipsius. Aliquid mali voluit? Mali plane. Quare? Quia jam vo-
 „ verat Domino Deo suo. Quid enim dixit de talibus Apostolus Paulus?
 „ Cum dicat Viduas adolescentulas nubere, si velint; sed tamen ait quo-
 „ dam loco, *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium:*
 „ ostendit beatior, si sic permanserit; non tamen damnandam, si nu-
 „ bere voluerit. Quid autem ait de quibusdam, quæ voverunt, & non
 „ reddiderunt? *Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam*
 „ *fecerunt.* Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non
 „ reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio Frater dicat, Recedo de
 „ Monasterio, neque enim soli, qui sunt in Monasterio, perventuri sunt ad
 „ Regnum cœlorum; & illi qui ibi non sunt ad Deum non pertinent. Re-
 „ spondetur ei: Sed illi non voverunt, tu vovisti, tu retro respexisti. . . .
 „ Non sitis pigri, qui potestis, quibus aspirat Deus apprehendere gradus
 „ meliores: quia non ista ideo loquimur, ut non voveatis, sed ut vovea-
 „ tis, & reddatis. *Vovete, & reddite Domino Deo nostro.* Jam quia ista tra-
 „ stavimus, forte volebas vovere, & modo non vis vovere? Sed quid tibi
 „ dixerit Psalmus, attende. Non dixit, Nolite vovere, sed *Vovete, &*
 „ *reddite.* Quia audisti, *Reddite,* non vis vovere? Ergo vovere volebas, &
 „ non reddere? Immo utrumque fac. Unum sit ex professione tua, aliud
 „ ex adjutorio Dei perficietur. Aspice eum, qui te ducit, & non respicies
 „ retro, unde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat; unde te educit,
 „ post te est. Ama ducentem, & non te damnat retro respicientem. Idem
 „ Sermone CCLX. alias *De Diversis XI.* in Octavis Infantium, idest recens ba-
 „ ptizatorum habito, sic ipsos alloquitur: *Quicumque continentiam vovistis,*
 „ *reddite, quod vovistis: quia non exigeretur, si non vovissetis. Quod potuit*
 „ *licere, non licet; non quia Nuptiæ damnantur, sed qui retro respicit, da-*
 „ *mnatur.*

Vota pro-
pria singu-
lorum.

Psal. 75. 12.

1. Tim. 5. 14

1. Cor. 7. 40.

1. Tim. 5. 12.

Merito itaque Trident. Concilium sess. VII. can. IX. *De Baptismo*, Hæ-
 reticorum errorem propositioni nostræ contrarium damnat his verbis: *Si*
quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut
vota omnia, quæ post Baptismum sunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam
factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea & fidei, quam professi sunt, de-
trahatur, & ipsi Baptismo; Anathema sit.

DOCUMENTUM AD MORUM INFORMATIONEM.

Christianis
in memo-
riam revo-
candæ pro-
missiones in
Baptismo
factæ.

Iuc. III
II. Pet. 2.

Quam vero conducibile sit ad salutem, Christianos ad memoriam promissionum in Baptismo factarum revocare, docet Conc. Parisiense VI. anno MCCCXXXIX. celebratum, Lib. I. cap. IX. *Quia (inquit) flammeus ille gladius, qui propter peccatum primi hominis januam Paradisi obice mortalibus immobili oppilaverat, in sacrosancto Baptismatis fonte extinguitur, & eadem janua credentibus aperitur; omnibus Fidelibus studendum est, ut pactionis, & sponsonis, quam cum Deo in Baptismate fecerant, semper memores existant, caveantque ne quibuslibet vitiorum sordibus se maculantes, non solum eundem sibi reascendant ignem, verum etiam eundem immundum spiritum, a se tempore Baptismatis expulsam, cum septenario demonum numero sibi addito, ad se quoquo modo redire faciant, faciatque illis, ut Dominus ait, Novissima pejora prioribus: & impleatur in eis, quod B. Petrus Apostolus ait: Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod traditum est illis, Sancto Mandato; apteturque eis illud, quod idem ait: Canis reversus ad vomitum suum, & ius lota in volutabro luti. Nulli quippe dubium est, quin Religio Christiana Baptismum Christi fideliter expetat, & salubriter percipiat. Sed valde periculosum est, & a Religione Christiana alienum, quod post tanti doni perceptionem unusquisque Fidelis, cum ad intelligibilem ætatem venit, Mysterium Baptismatis discere, & intelligere negligit, atque eo intellecto, secundum illud vivere non satagit. Quod periculum & ad negligentiam pertinere Sacerdotum, & qui id solerter debent annunciare, & ad auditorum incuriam, qui hoc & intelligere, & adimplere parvipendunt, nulli dubium est.*

Idem docet S. Carolus Borromæus in Instructionibus Concionatoris. *De Baptismo (inquit) cum loquetur, in eo versabitur, ut depravatam vitæ merem Fidelium exagitet, qui contra quam in Baptismo sponderint, vivant, & carni, & mundo, pompisque ejus, & Satanae atque illius operibus; Deo autem mortui sunt: & quam laboriosa putent, quæ Dei sunt, quam rursus facilia quæ Mundi, quæ carnis, quæ Satanae. Quo in genere omnem concionis suæ vim Concionator adhibebit.*

Idem docet Conc. Tridentini Catechismus p. I. in expositione secundi Articuli Symboli, num. XII. *Parochus fidelem Populum ad eam rationem cohortabitur, ut sciat æquissimum esse præ ceteris hominibus, nos qui a Christo nomen invenimus, Christianique vocamur, & quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non possumus, ob id maxime, quod ejus munere hæc omnia fide intelligimus: æquum esse (inquam) nos ipsos, non secus ac mancipia, Redemptori nostro, ac Domino in perpetuum addisere, & consecrare. Et quidem cum Baptismo initiaremur, ante Ecclesie fores id professi sumus: declaravimus enim nos Satanae, & Mundo renunciare, & Jesu Christo totos nos tradere. Quod si ut Christianæ Militiæ adscriberemur, tam sancta & solemni professione nos ipsos Domino nostro devovimus; quo supplicio digni erimus, si postquam Ecclesiam ingressi sumus, Dei voluntatem, & leges cognovimus, postquam Sacramentorum gratiam percepimus, ex Mundi, & Diaboli præceptis vixerimus; perinde ac si cum Baptismo abluti sumus, Mundo, & Diabolo, nos Christo Domino, ac Redemptori nomen dedissemus?*

Ritus anti-
quus anni-
versarium
Baptismi sui

Ad memoriam promissionum in Baptismo factarum renovandam plurimum conducebat Ritus antiquus Anniversarium Baptismi sui idem quotannis celebrandi, ut refert *Micrologi de Ecclesiasticis Observationibus* Auctor cap.

cap. lvi. „ Romani (*inquit*) Annotinum Pascha, quasi Anniversarium
 „ Pascha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Pascha baptizati diem quot-
 „ erant, eadem die ad Ecclesiam convenere, suæque Regenerationis anniver- annis cele-
 „ sarium diem cum oblationibus solemniter celebraverunt ... Sed quamvis brandi.
 „ hujusmodi Anniversarius a paucis usquam observetur, authentici tamen
 „ libri ipsum observari debere innuunt, qui nobis lectionem in Evangelium
 „ sub titulo Paschæ Annotini annuatim præscribunt. Si enim quilibet suum
 „ natalem, quo ad æternam mortem natus est, observat: quanto magis
 „ illum observare deberet, quo ad æternam vitam regeneratus est? Eadem
 „ habet *Honorius Augustodunensis* Lib. III. cap. cxxxiii. Inter Capitula *He-* Anno 858.
rardi Archiepiscopi Turonensis xciii. his verbis conceptum est: *De Pascha*
Annotino, ut rememoretur. Paschæ Annotini pariter meminerunt *Beletus* Lib.
De Divinis Officiis, cap. lxxxiv. & *Durandus* Lib. vii. *Rationalis Divino-*
rum officiorum, cap. i.

C A P U T IX.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

QUOD Apostolus de linguarum dono admonuit, cum ait *i. Cor. xiv.* Baptismi
 sine fructu esse, quæ aliquis loquitur, si a Fidelibus non intelligantur; Ceremoniæ.
 idem fere de sacris Cæremoniis dici potest. Imaginem enim, & significatio-
 nem earum rerum præ se ferunt, quæ in Sacramento geruntur: quod si il-
 larum significationem Populus fidelis ignoret, non magnus erit earum fru-
 ctus. Danda est igitur Pastoribus opera, ut eas Fideles intelligant, certoque
 sibi persuadeant, illas esse plurimi faciendas, & magno in honore habendas,
 quamvis necessariæ non sint ad essentiam Sacramenti, sed ad solemnitatem
 dumtaxat pertineant. Id vero satis docet tum instituentium auctoritas:
 pleræque enim ab Apostolis, aliæ ab Ecclesia, quæ Spiritu Sancto regitur,
 & in qua residet Apostolicæ Potestatis plenitudo, institutæ sunt: tum finis
 cujus causa Cæremonias adhiberi voluerunt, ut scilicet Sacramentum ma-
 jori cum religione, ac sanctitate administretur, ac velut ob oculos ponantur
 admirabiles illius effectus, immensaque Dei beneficia in animis Fidelium
 altius imprimantur.

Triplex autem Cæremoniarum Baptismi genus est. Primum earum, quæ
 ante Baptismum: alterum earum, quæ in Baptismo: tertium earum, quæ
 post Baptismum adhibentur.

A R T I C U L U S I.

De Cæremoniis Baptismum præcedentibus.

I. **A** Qua imprimis consecratur admixto Chrismate, quod non omni tem- Aquæ con-
 pore fieri permissum est, sed in pervigiliis Paschatis, & Pentecostes, secratio.
 quibus in primitiva Ecclesia Baptismus administrari consueverat. Quam anti-
 qua sit hæc Cæremonia, constat ex *S. Cypriano*, Epist. lxx. *Oportet, inquit,*
mundari, & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit Baptismo suo pec-
cata homini, qui baptizatur, abluere. Ejusdem consecrationis meminit *S. Ba-*
silius, eamque ad arcanam Traditionem refert, Lib. *De Spiritu Sancto*, cap.
 xxvii. Ejusdem mentio habetur in Capitularibus, Lib. vi. cap. lxxvii. ex
 quo refertur cap. *In Sabbato*, dist. iv. *De Consecratione*, cujus hæc sunt verba:
In Sabbato Sancto, Paschæ, vel Pentecostes, si quis velit aquam consecratam
ad asperisionem in domo sua recipere, ante Chrismatis infusionem recipiat.

II. Ante fores Ecclesiæ offeruntur, qui Baptismo initiandi sunt, quia *In-*
Nat. Alex. Theol. Tom. 1. Ll 3 digni

digni sunt, qui more Fidelium domum Dei, antequam Christo Domino se addixerint, ingrediantur (inquit S. Carolus in Instructionibus Baptismi.)

Nominis
impositio.

III. Nomen deinde imponitur baptizando : quod ostendit, *Eum qui Baptismo initiatur, Christi Domini servituti addici; cum nominis impositio signum sit domini: quam ob causam, cum vellet Deus docere Adam, eum Principem, & Dominum esse omnium animantium ad eum illa adduxit, quibus nomina imponeret* (inquit S. Carolus.) Sumitur autem nomen ab aliquo Sanctorum cum Christo regnantium, ut Christianus nominis etiam similitudine ad virtutis, & sanctitatis imitationem excitetur, Patronumque suum imitari studeat, eum quoque precetur, & advocatum sibi ad salutem futurum apud Deum speret; ut docet Concilii Tridentini Catechismus.

Catechismus.

IV. Tum Sacerdos a baptizando exquirat, quid ab Ecclesia petat, primumque eum Christianæ Fidei Doctrina, quam in Baptismo profiteri debet, instituit. Actio autem illa vocatur Catechismus ex multis interrogationibus constans, ad quas per se respondet baptizandus, si adulta fuerit ætate; si autem infans, pro illo respondent Patrini, solemnemque sponsonem faciunt. Morem illum a Christi Domini præcepto manasse certum est, cum Apostolis jufferit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Hujus ritus meminit S. Augustinus Libro De Fide, & Operibus, cap. VI. & IX. & Libro De Catechizandis Rudibus.

Matt. 28.

Exorcismus
& insufflatio.

V. Sequitur Exorcismus, qui verbo, & exsufflatione peragitur, ut Spiritus immundus a baptizando expellatur, utque per Sacerdotis ministerium Spiritui Sancto cedat fugiens Spiritus malignus. *Nam per peccatum in primo homine lapsi sumus, & in mortis hereditatem omnes devenimus. Facti sumus humiles, mortales, impleti sumus timoribus, erroribus hoc merito peccati, cum quo merito, & reatu nascitur omnis homo. Ideo, sicut nostis, & parvuli exsufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, que decepit hominem, ut possideret homines. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur, aut exsufflatur, sed ille, sub quo sunt omnes, qui cum peccato nascuntur, est enim Princeps peccatorum.* Verba sunt S. Augustini Sermone De Symbolo ad Catechumenos, ex quibus desumptum est Caput; Sicut nostis, dist. IV. De Consecratione. Ejusdem Ritus frequenter meminit idem S. Doctor in Libris adversus Pelagianos, tamquam ab universa Ecclesia Catholica usurpati, ut peccati originalis reos parvulos nasci probet, ac de potestate, & servitute diaboli ad Christum transferri. Legatur Lib. II. De Peccato Originali contra Cælestium, cap. XL. Lib. I. De Nuptiis, & Concupiscentia, cap. IX. & Lib. II. cap. XXIX. ubi *Antiquissimam Ecclesie Traditionem* vocat, *qua exorcizantur, & exsufflantur parvuli, ut in Regnum Christi a potestate tenebrarum, hoc est Diaboli, & Angelorum ejus eruti transferantur;* & Lib. 6. contra Julianum, cap. V. Ejusdem Ceremoniæ ante S. Augustinum meminit Sanctus Cyprianus, Epist. LXXVI. Exorcismi velut antiquæ Baptismi Ceremoniæ meminerunt Crescens a Circa, & Lucius a Thebesse, & Vincentius a Thibari, in Synodo Carthagenensi Sancti Cypriani de rebaptizandis Hæreticis. Sanctus Gregorius Nazianzenus, Orat. XL. S. Optatus Milevitanus, Lib. IV. contra Parmenianum, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi I. Sanctus Ambrosius, Lib. I. De Sacramentis Cap. V. Cælestinus I. Pontifex Maximus Epistola ad Episcopos Galliarum, cap. XII. Significat autem insufflatio non solum Dæmonis contempti, & irrisi depulsionem, verum etiam illapsam Spiritus Sancti, qui novam vitam homini per Baptismum tribuit: ut qui in creatione, aspirante, seu insufflante Deo, factus est *In animam viventem*, in Regeneratione fiat *In Spiritum vivificantem.*

Baptismi
Ceremoniæ.

VI. Obsignantur præterea signo Crucis frons, oculi, pectus, aures, humeri: frons, ut significetur baptizandum nomen dare Christo crucifixo, in quo confidat, & quem palam confiteri nunquam erubescat: oculi, ut intelligamus baptizandum præparari ad videndum claritatem Dei: pectus, ut credat in eum, quia *Corde creditur ad justitiam*: aures, ut intelligamus eum consecrari, ut audiat verbum veritatis: humeri, ut suscipiat jugum servitutis Dei juxta Christi mandatum: *Tollite jugum meum super vos... Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. De hoc Ritu Rabanus in Canone, *Postea*, dist. iv. *De Consecratione* relatus: *Postea signatur baptizandus signaculo sanctæ Crucis, tam in fronte, quam in corde: ut ab ea tempore ipse Apostata Diabolus, in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signaculum, jam sibi deinceps illud sciat alienum*. Hujus Ritus meminere S. Dionysius, Lib. de Ecclesiastica Hierarchia, S. Basilius, Lib. De Spiritu Sancto, cap. xxvii. S. August. Libro De Catechizandis Rudibus, cap. xx. & alibi. Multoties autem baptizandis imprimitur signum Crucis, ut intelligamus, Baptismum a Christi Cruce, & Passione vim suam omnem trahere: deinde, ut discamus nos invisibili quodam Charactere per signum Crucis exterius impressum adhibito signari, ut supremi Pastoris oves: cujus proinde unius vocem audire, ipsum ad saluberrima pascua ducentem sequi, & extra ejus ovile nusquam divagari debemus: denique ut cognoscamus, nos per Baptismum Christo confixo Crucis, abnegare nosmetipsos, & Crucem nostram quotidie tollere debere, atque ita Mundo mori, illius commoda, gloriam, voluptates non amando, ut cum Apostolo dicere veraciter possimus: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo*.

Signi Crucis impressio.

Matth. 11. 29

Galat. 6. 14.

VII. Sacerdos fuis orationibus baptizandi capiti manum imponit, ut viciniam esse significet Deo per Baptismum consecrandam. Hujus Ritus meminit S. August. Libro 11. de Peccatorum Meritis, & Remissione, cap. xxvi. ubi ait, *Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, & orationem Manus impositionis sanctificari*.

Manus impositio.

VIII. Sal benedictum baptizando gustandum porrigitur, *Ut per sal typicum sapientiæ sale conditus, fœtore careat iniquitatis: & nec a vermibus peccatorum putrescat, sed magis illesus servetur ad majorem gratiam percipiendam*. Verba sunt Rabani Mauri, Lib. 1. De Institutione Clericorum, cap. xxvii. ex quo sumptum est Caput, *Ex hinc*, dist. iv. *De Consecrat.* Hujus Ritus meminerunt Origenes Hom. vi. in Ezechielem, Conc. Carthaginense III. can. v. S. Aug. Lib. 1. Confessionum, cap. xi. & Lib. 11. De Peccatorum Meritis, & Remissione, cap. xxvi. S. Isidorus Hispalensis, Lib. 11. De Ecclesiasticis Officiis, cap. xx. ubi a Patribus institutum esse ait, ut sal Catechumenis gustandum detur, ut condimentum sapientiæ percipiant, ne desipiant a sapore Christi, ne retro respiciant, sicut Uxor Loth cum liberaretur a Sodomis, ne malum exemplum ipsi remaneant, & alios condiant, sicut illa, quæ facta est statua salis: ut cum per fidem Mundo, & actibus, desideriiisque illius renunciaverint, affectionis pristinæ non recordentur, neque ad sæculi illecebras revocentur: quia secundum Salvatoris sententiam: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei*. Hinc Christus nos Uxoris Loth meminisse jubet, Luc. xvii. 32. *Memores estote uxoris Loth*. Omnia denique consilia, verba, operaque nostra prudentiæ, ac sapientiæ celestis sale resperfa, & condita esse oportere, hic Ritus significat. Unde Christus Marci ix. 48. & 49. *Omnis victima sale salietur. Bonum est sal; quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*. Alludit Christus ad Veteris Testamenti ritum,

Salis benedicti degustatio.

Lucæ 9. 62.

quo nullam nisi sale conditam victimam offerre fas erat. Atqui Christi victimæ sumus per Baptismum ipsi consecratæ. Quo pertinet illud Venerabilis Bedæ, Lib. 11. in *Esdræ*, cap. ix. ex quo cap. *Sal cœlestis*, dist. iv. De *Consecratione* sumptum est: *Sal cœlestis sapientiæ, quo iniuntur Catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificiis jubemur offerre.* Hinc etiam Apostolus ad *Colossenses* cap. iv. 6. *Sermo vester semper in gratia sit sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.*

IX. Nares, & aures baptizandi saliva liniuntur, statimque ad Baptismi Fontem mittitur, ut quemadmodum Cæcus ille Evangelicus, quem Dominus iusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit; ita etiam intelligamus Baptismi eam esse vim, ut menti ad cœlestem veritatem percipiendam lumen afferat, ut explicat Conc. Tridentini Catechismus. Hujus Ritus meminit S. Ambrosius Lib. 1. De *his, qui Mysteriis iniuntur*, cap. 1. *Aperite igitur aures, inquit, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis signavimus, cum aperitionis celebrantes Mysterium diceremus, Ephpheta, quod est, Adaperire: ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur, cognosceret; quid responderet, meminisse deberet. Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cum mutum curaret, & surdum.* Legatur & cap. 1. lib. 1. De *Sacramentis*. Meminit ejusdem Rabanus Maurus, ex quo cap. *Postea*, dist. iv. De *Consecratione*; sumptum est, aitque saliva Sacerdotis, & tactu significari, virtutem divinam per Baptismum operari, ut Catechumeno nares aperiantur ad accipiendum odorem notitiæ Dei: aures ad audiendum mandata Dei: sensus in intimo corde ad respondendum. Sive (ut ait S. Carolus in *Instructionibus Baptismi*) nares tanguntur saliva Sacerdotis, ut aperiantur *Ad discernendum bonum odorem a malo, sanam doctrinam a corrupta: aures autem ad audiendum mandata Dei; ut doctrina, quæ de ore Altissimi fluxit, per ejus aures intret, & ei suaviter oleat.* Hoc denique Ritu docemur, omnem rerum caducarum odorem Christianis esse respuendum, & post Christum currendum, ut ei unice adhæreamus, juxta illud Sponsæ cœlestis: *Trahere me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum: nobisque incumbere, ut virtutum fragrantia Christi bonus odor simus Deo.*

Narium, & aurium ex saliva inunctio. Joan. 9. 7.

Marc. 7.

Baptismi Ceremoniæ.

Cant. 1. 3.

2. Cor. 2.

A R T I C U L U S II.

De Ceremoniis Baptismum comitantibus.

I. **C**atechumenum ad Sacri Baptismatis Fontem perductum Sacerdos ter conceptis verbis interrogat, *Abrenuncias Satane, omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus?* Ille vero, aut ejus nomine Patrinus, ad singulas interrogationes respondet, *Abrenuncio.* Hujus Ritus meminere S. Dionysius Libro De *Ecclesiastica Hierarchia* cap. 11. Tertullianus Lib. De *Corona Militis* cap. 111. illumque in exemplum rerum per Traditionem acceptarum affert: *Ut a Baptismate ingrediar (inquit) Aquam adiuturi, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare Diabolo, & Pompe, & Angelis ejus.* Et Libro De *Spectaculis* cap. xxiv. Pompam Diaboli definit *Quicquid Dei non est, vel Deo displicet: in eoque ordine Spectacula ipsa collocat. Quod autem in Sacramento fidei egeravimus, neque factis, neque dictis, neque visu, neque prospectu participare debemus.* Meminit Sanctus Ephrem Syrus in *Tradita*

Abrenunciatio Satanae.

Quæ Pompa Diaboli.

Etatu fingulari De hujusmodi *Abrenunciacione*, quo Christianum paucis verbis ejurasse ostendit *Quodcumque appellatur malum*, nec solum capitalibus vitiis, idololatriæ, superstitionibus, sed & sæculi voluptatibus abrenuntiasse, *Risibus, tragicis inclinationibus, alcarum otio, tabularum lusui*, &c. Et abrenunciacionis hujusce nostræ verba in die Judicii nos judicatura, vel justificatione. Meminit S. *Basilii* Libro *De Spiritu Sancto*, cap. xxvii. ejusque originem ab arcana traditione repetit. Meminit S. *Cyrillus Hierosolymitanus*, Catechesi *Mythagogica* I. ubi opera Satanæ *cujusvis generis peccata* esse docet, quibus renunciare Christianum necesse est: ut cum aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius effugere studet, ac nititur. Meminit S. *Jo: Chrysostomus* Homil. xxi. Ad Populum Antiochenum, ubi docet, quod hæc vox Abrenuncio, *Confæderatio cum Domino est. Nihil hac voce tutius, si ipsam per opera exhibeamus*. Christum se gerere sicut illos, qui servos emunt, quos prius interrogant, an ipsis servire velint: ita Christum, qui nos pretioso Sanguine redemit, prius interrogare, an velimus crudelem illum tyrannum, diabolum scilicet, deserere. *Non enim coacta, & violenta est ejus dominatio*. Non testes a nobis, non chirographa exigere, sed hac una contentum esse voce, si eam ex animo proferamus, *Abrenuncio tibi Satana, & pompe tue*. Hujus vocis rationem in die judicii nos reddituros, quam propterea custodiamus necesse est, *Ut salvum tunc reddamus depositum*. *Pompa vero Satanica* (inquit) *sunt Theatra, Circenses, & omne peccatum, & dierum observatio, & presagia*. Meminit S. *Gregorius Nazianzenus*, Orat. xl. ubi docet, vim, & facultatem Baptifini nihil aliud esse, quam *Secundæ vite, & purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum*: ideoque nihil magis nos timere debere, quam ne hoc pactum violemus. *Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus melius adhiberi soleat, quantum periculum est, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur; ac præter alia peccata, ipsius quoque mendacii apud veritatis tribunal rei peragamur*. Meminit S. *Ambrosius* Lib. *De his, qui Mysteriis iniantur* cap. ii. *Ingressus es* (inquit) *regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus his, recognosce quid responderis. Renunciasti Diabolo, & operibus ejus, Mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulto mortuorum, sed in Libro viventium . . . Presentibus Angelis locutus es. Non est fallere, non est negare . . . Ingressus, ut adversarium tuum cerneret, cui renunciandum mox putares, ad Orientem converteris. Qui enim renuntiat Diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu*. Lege & Lib. i. *De Sacramentis*, cap. ii. Ejusdem Ritus meminit in pluribus Operum suorum locis S. *Augustin*. Epistol. cxciv. alias cv. *Ad Sixtum*, cap. ix. Epistol. ccxvii. olim cvii. *ad Vitalem*, Lib. i. *De Peccatorum Meritis, & Remissione*, cap. xxiv. Enarratione in Psal. lxxx. ad illa verba, *Inimici Domini mentiti sunt ei*. Legendi item Serm. ii. & iv. *De Symbolo* ad Catechumenos, inter dubios S. *Augustini* fœtus ab Editionis Parisiensis novissimæ doctissimis Curatoribus rejecti.

Meminit Conc. Parisiense Sextum, Lib. i. cap. x. quo Sacerdotes sæpius inculcare jubet fidelibus, ne jugo Satanæ, quod rejecerunt, ejusque dominationi, quam aspernati sunt, quoquo modo succumbant, „ Magna quippe „ ex parte Christianum decus vilescit, quando renati in Christo, ea, qui- „ bus in Baptifmate renunciaverunt, nec intelligere curant, nec ab his se, „ ut Christo polliciti sunt, abstinere fatagunt . . . Abrenunciare igitur Dia- „ bolo, est penitus eum respuere, spernere, rejicere, eique contradicere, „ seque, & unumquemque ab eo alienare, sive aliud quid, quod hoc verbo

Baptifini
Ceremoniæ.Abrenun-
ciatio.

in hoc sensu exprimi potest. Opera ejus sunt, quæ utique operibus Salvatoris contraria existunt. Primum superbia, cujus ille auctor est, & quæ eum ex Angelo Dæmonem facit, quæ est etiam initium omnis peccati, & cetera vitia, quæ ex radice prodeunt superbiæ. Pompa Diaboli hæc est, quæ pompa Mundi, idest ambitio, arrogantia, vanagloria, omnique cuiuslibet rei superfluitas in humanis usibus; unde crescit elatio, quæ multoties honestati solet adscribi; & cetera hujusmodi, quæ de fonte superbiæ procedere noscuntur. Hæc, & his similia sunt, quæ unusquisque fidelis tempore Baptismatis a se rejecit, Christoque se mancipavit, pactumque cum Deo fecit, ne penitus ad ea, quibus abrenunciavit, rediret. Verum si jura humanæ pactionis firmiter conservantur, fixius tamen, atque ferventius jura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, inviolabiliter sunt observanda. Secundum hujus Concilii doctrinam, cuiuslibet rei superfluitas in humanis usibus, ex qua crescit elatio, quæ multoties honestati solet adscribi, ut superbarum ædium, pretiosæque supellectilis magnificentia, vestium luxus, mensarum lautiorum apparatus, & geniales epulæ, spectacula, choreæ, ludi alearum, ad Diaboli pompam pertinent; quibus omnibus si cor humanum magis afficitur, quam suæ salutis cura, & studio, proculdubio pactum in Baptismo cum Deo initum violat, & Diabolo, quem ejuraverat, iterum se mancipat. Hujus autem abrenunciationis Ritus fundamentum habet in Oraculo Christi, Matth. vi. 24. *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Et in verbis Apostoli II. ad Corinth. vi. 14. 15. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Qui autem consensus Templi Dei cum Idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi Populus.*

II. Obsignantur deinde oleo sacro, figura Crucis, pectus & scapulæ baptizandi, ut intelligamus, eos, qui Baptismo iniciantur, quasi *Christi Athletas*, ait S. Ambrosius, luctam hujus sæculi luctaturos: solent enim luctantes inungi. Deinde, ut sciamus *Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio, & gratuita misericordia donari*, quæ oleo significatur. Præterea, quia oleum est medicamenti species, quandoquidem Samaritanus infudit in vulnera oleum, & vinum: ideo hac unctione demonstratur, *Intima animæ nostræ vulnera, & morbos hac medicina curari; fomitemque ipsum, quamvis non omnino extinguatur, at certe debilitari; viresque, & robur spirituale nobis addi, quo Satanae, carnisque tentationum impetus depellamus.* Pectus præterea ungitur, ut intelligamus, mentem, animumque divina virtute corroborari. Scapulæ vero, quia dantur homini vires ad jugum Christi Domini ferendum. Inungitur ante, & retro, ut undique muniatur, & confirmetur ad opera bona præstanda, corde, & corpore, voluntate, & opere. Hæc explicatio est S. Caroli Borromæi in *Instructionibus Baptismi*. Hujus Ritus meminerunt S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi Mystagogica II. S. Ambrosius, Lib. I. De Sacramentis, cap. II. Rabanus Maurus Lib. I. de *Institutione Clericorum*, cap. XXVII. ex quo Cap. Deinde, Dist. IV. De *Consecratione*, sumptum est, cujus hæc sunt verba: *A Sacerdote inungitur, ut Sacrum Baptisma cum fide accepta custodiatur. Ungitur tunc illius pectus de oleo sanctificato cum invocatione Sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquæ latentis inimici in eo resideant; sed in fide Sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur. Ungitur & inter scapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, & ad bona opera faciendâ per Dei gratiam roboretur.* De eodem Ritu sic

Omnis cuiuslibet rei superfluitas in usibus humanis pompa Diaboli est.

Baptismi Ceremoniæ

Abrenunciatio.

Lev. 26.

Unctio baptizandi.

Lucæ 10. 34.

Baptismalis unctionis mystica significatio.

loquitur *Imoc. III. cap. Cum venisset, Extra, De Sacra Unctione*, cujus hæc sunt verba: *In pectore baptizandus inungitur, ut per Sancti Spiritus Donum abjiciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia Iustus ex fide vivit. Inter scapulas, ut per Sp. Sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exercent: quia Fides sine operibus mortua est, ut per Fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus Fides per dilectionem, secundum Apostolum, operetur.*

III. Sequitur Fidei Professio. Baptizandus enim de summis fidei capitibus, seu Articulis Symboli a Sacerdote interrogatus respondet, *Credo*. Fidei professio.
 Hujus Ritus meminere *S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesibus I. & II. S. Ambrosius Lib. De Initiandis, cap. v. & II. De Sacramentis, cap. VII.* cujus hæc sunt verba: *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mergisti, hoc est, sepultus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in Crucem ejus? Dixisti, Credo, & mergisti: ideo & Christo es conssepultus :::: Tertio interrogatus es, Credis & in Spiritum Sanctum? Dixisti, Credo: tertio mergisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina Confessio. Denique ut vobis asseramus exemplum, S. Apostolus Petrus, posteaquam in Passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ: quia ter negaverat, postea ut illum lapsum aboleret, & solveret, tertio interrogatus a Christo si Christum amaret, tunc ille dicit: Tu nosti, Domine, quia amo te. Tertio dixit, ut tertio absolveretur. Eiusdem Ritus meminit *S. Augustinus Lib. VIII. Confessionum, cap. II. & in Sermonibus ad Catechumenos habitis. Fundatus est in Christi verbis, Marci ultim. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: & in illis Apostoli ad Rom. x. 10. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: omnis qui credit in illum, non confundetur.* His porro duobus verbis, *Abrenuncio, & Credo*, sive duabus Sponsionibus per illa expressis, omnis Christianæ Legis vis, & disciplina continetur.*

Baptismi
Ceremoniæ

Isa. 28. 16.

IV. Cum jam Baptismum administrare oportet, quærit Sacerdos ab eo, qui baptizandus est, *Vis baptizari?* Quo per se, si sit adultus, vel, si sit infans, per Patrinos annuente, statim aqua salutari perfunditur *In Nominis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ritus hujus rationem affert Concil. Tridentini Catechismus. *Quemadmodum (inquit.) homo sua voluntate Serpenti obediens, merito damnatus est: ita Dominus neminem ad suorum numerum, nisi voluntarium Militem adscribi voluit, ut divinis iussis sponte obtemperans, æternam salutem consequeretur.* Hic Ritus in exemplo Christi fundamentum habet, qui Paralyticum ad Piscinam sanaturus, illum interrogavit, *Vis sanus fieri?* Et sane, quod de eleemosynæ erogatione dixit Apostolus, faciendam esse *non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus:* id multo potiori ratione affirmandum est de susceptione Sacramenti, qua homo se Deo reddit, ac in perpetuum donat, devovet, mancipat.

Cur baptizandus interrogatur, an velit baptizari?

Joan. 9. 6
11. Cor 9. 7.

A R T I C U L U S III.

De Ceremoniis Baptismum consequentibus.

I. **A**bsoluto Baptismate, Sacerdos summum baptizati verticem Chrismate ungit, ut descensio Spir. Sancti super ipsum ad habitationem Deo consecrandam significetur: ut intelligat, se ab eo die Christo capiti in vertice tam-

Unctio
Chrismae
in vertice.

tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, & ea re Regni Christi particeps fiat, & a Christo Christianus possit vocari (ut ait Rabanus Lib. 1. De Institutione Clericorum, cap. xxviii. ex quo cap. Postquam, dist. iv. De Consecratione, sumptum est.) Christus enim a Chrismate appellatur, quem scilicet Unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus ejus, sive ipso Sp. Sancto, & omni plenitudine Divinitatis, quæ in illo inhabitat corporaliter (ut loquitur Apostolus) idest substantialiter, Chrismate caput linitur, quia Oculi sapientis in capite ejus: eoque significatur, quod Friget sapientia sine gratia: sed ubi sapientia acceperit gratiam, tunc opus ejus incipit esse perfectum (inquit S. Ambrosius Lib. iii. De Sacramentis, cap. i. ex quo sumptum est cap. Accepisti, dist. iv. De Consecratione.) Eandem hujus Ritus affert rationem Innoc. III. cap. Cum venisset, Extra, De Sacra Unctione: additque, Unctionem fieri in capite, Ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem. Meminit ejusdem unctionis Innoc. I. Epist. 1. Ad Decentium, cap. iii. Hanc a quibusdam Presbyteris neglectam Cæremoniam observari jussit ab omnibus Conc. Arausicanum 1. can. 1. ex quo sumptum est cap. Nullus, dist. iv. De Consecratione, cujus hæc sunt verba: Nullus Ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in Baptismate chrisinari, &c. Hunc Ritus a S. Sylvestro Pontifice Maximo institutum affirmant Amalarius Lib. 1. De Ecclesiasticis Officiis, cap. xxvii. Vvalafridus Strabo Lib. De Rebus Ecclesiasticis, cap. xxvi. & Rabanus Maurus loco supra laudato. S. Isidorus Hispalensis Lib. 11. De Ecclesiasticis Officiis, cap. xxvi. & Yvo Carnotensis Serm. 1. De Sacramentis Neophytorum, ejusdem Ritus meminerunt ajuntque baptizatum, cum de Sacro Fonte ascenderit, Chrismate ungi in vertice, Ut cognoscat se promotum in Regium genus, & Sacerdotale; secundum illud S. Petri Epist. 1. cap. 11. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta. Aliam istius Cæremoniæ rationem affert idem S. Præsul Carnotensis, Serm. iv. De Sacramentis Dedicationis, ubi ait, Christianos unctos in capite post Baptismum, ut Charitas, quæ per Sp. Sanctum datur, semper abundet in corde, secundum verbum illud Sapientiæ: Oleum de capite tuo nunquam deficiat: unde & Apostolus, Charitas, inquit, diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum, qui datus est nobis. Datum quidem Sp. Sanctum, cum aquis salutaribus ablueremur: Sed ibi ad præteritorum criminum remissionem; hic vero ad ædificandam in cordibus nostris Dei, & proximi charitatem. Quæ charitas in Christi corpore non præfert indigenam alienigenæ, non nobilem ignobili, non virum mulieri, sed omnes per adoptionem Spiritus facit filios, quicumque per eundem Spiritum clamant: Pater noster, dimitte nobis debita nostra. In hoc ergo Christi corpore, Ille solus habetur sublimior, qui fuerit in Dei amore potentior.

Sacris autem Canonibus vetitum est, ne Chrisma vetus ad Unctionem Baptismalem adhibeatur, sed novum jubetur adhiberi, quod ipso anno Parochi a proprio Episcopo, ante Paschæ Solemnitatem, non per minorem Clericum, sed per se ipsos, aut per Compresbyteros petierint, & acceperint. Ita præscriptum est cap. Si quis, ex Conc. Lugdunensi, & cap. Presbyteri, ex Conc. Valentino, relatis dist. iv. De Consecratione.

II. Induit postea Sacerdos baptizatum veste candida dicens: Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam. Infantibus vero, qui vestitu non utuntur, sudariolum, seu Chrismale datur: quod symbolum est tum Christianæ libertatis, quam per Baptismum sumus consecuti, erepti de servitute diaboli: tum gloriosæ resurrectionis, ad quam homines per Baptismum re-

regenerantur : nam *Dum Sacramentum impenditur corpori*, corpus consecratur immortalitati (inquit *Tertullianus*) tum innocentiae, & integritatis post Baptifimum fervandae, fecundum illud Apostoli ad *Rom. iv. cap. In novitate vitae ambulemus*: tum denique laetitiae internae, & gaudii Spiritus: sicut enim pulla vestis triftitiae, sic candida laetitiae signum est. De hoc Ritu *S. Ambrosius Lib. De Initiandis*, cap. VII. *Accepisti candida vestimenta, ut esset indicium, quod exueris involucrium peccatorum, & indueris innocentiae casta velamina.* De eodem *S. Augustinus Serm. ccxxiii. alias De Diversis lxxxvi. Infantes isti*, inquit, quos cernitis exterius dealbatos, interiusque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium praefigurant, cum peccatorum suorum nocte premerentur, tenebrae fuerunt. Nunc autem quia mundati sunt Lavacro indulgentiae, quia irrigati fonte Sapientiae, quia perfusi luce justitiae: hic est dies, quem fecit Dominus, exultemus & letemur in eo. Eadem istius ceremoniae rationes afferunt *Rabanus Maurus Lib. i. De institutione Clericorum*, cap. xxix. ex quo c. *Post Baptifimum*, dist. iv. *De Consecratione*, sumptum est, & *Tvo Carnotensis Serm. iv. De Sacramentis Dedicacionis*, & *Serm. i. De Sacramentis Neophytorum*. Olim qui Sabbato Sancto erant baptizati, per totam hebdomadam albis vestibus utebantur, & in Octavis Paschae Sanctis Sacrificiis angelico illo habitu aderant. Hinc *Dominica in Albis* nuncupata.

Baptifimi
Ceremonie

Pfal. 117. 24

III. Deinde cereus ardens baptizato, seu Patrinis illum tenentibus, in manus traditur, quo significatur, quod Apostolus ait *Ephes. v. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate: probantes, quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Significatur etiam baptizatos implere debere, quod Christus in Evangelio jubet: *Matth. v. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Et *Lucæ xiii. 35. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris: ut sit munditia castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione.* Praeterea, cereus ille ardens, nuptialis instar facis est, symbolum conjunctionis animae, velut immaculatae jam virginis cum Christo Sponso, juxta illud Apostoli 2. ad *Cor. xi. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quamobrem curare debemus, ut oleo spiritali, idest charitate, nusquam in cordibus nostris deficiente, lampas nostra, semper inextincta fervetur, ut veniente Sponso in die mortis nostrae, intremus cum ipso ad Nuptias aeternae felicitatis. Addit *S. Carolus*, cereo ardenti significari tres virtutes Theologicas, quae in Baptifimo infunduntur, fidem in lumine, charitatem in calore, spem in cerei recta altitudine, quae sursum ascendit; ut spes nostra ad caelos usque excitatur, & erigitur. Id praeterea, quod Baptifimo nobis fit communicatio lucis verae, quae Christus est, & depulsio tenebrarum: quam ob causam Baptifimus *Sacramentum illuminationis*, & baptizati, more loquendi Patrum, *Illuminati* dicuntur. Cereo denique ardente significatur pura intentio, qua baptizati omnia opera sua facere debent, ut ei soli placeant, cui se probaverunt, qui scrutatur Jerusalem in lucernis, & lumen nostrum etiam examinat, & judicat. Quo de lumine Christus in Evangelio ait, *Lucæ xi. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Oculus simplex est recta intentio; corpus opera:

Recta, & pura
intentio
cereo arden-
te significa-
ta.Baptifimi
Ceremonie

opera. Si intentio pura, & recta sit, opera secundum se bona omni ex parte lucida sunt; si prava intentio, opera alioquin bona tenebræ sunt. Si aliqua ex parte minus recta sit intentio, opera aliqua etiam ex parte sunt tenebris infuscata. Duo autem requiruntur ad rectam intentionem, *Res*, & *causa*, idest, *quid intendas*, & *propter quid*: ut monet *S. Bernardus* Serm. XL. in Cantica. *Et ex his duobus Animæ decor, vel deformitas iudicatur: ut animæ, quæ ambo ista recta, atque pudica habuerit, merito, veraciterque dicatur: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Animæ enim faciès, mentis intentio; ex qua nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur. Duæ autem veluti genæ sunt, objectum quod intendit, & finis propter quem intendit. Quæ igitur horum altero caruerit Anima, de illa dici non poterit: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*: sed ex parte deformis erit, cuius alteram facièm vel inhonestas rei, vel causæ, seu finis turpitudine sedaverit. Ergo intendere non in Deum, sed in sæculum, sæcularis animæ est, nec ullam prorsus genarum speciosam habentis. Intendere autem quasi in Deum, sed non propter Deum; hypocritæ plane animæ est: cuius etsi una faciès decora videtur, quod ad Deum qualicumque intentione respiciat; ipsa tamen simulatio omne in ea decorum exterminat, & magis per totum ingerit seditatem. Si autem vel solum, vel maxime ob vitæ præsentis necessaria ad Deum converterit intentionem, non quidem fece hypochrisis putidam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus subobscuram, & minus acceptam. Porro e contrario intendere in aliud quam in Deum, tamen propter Deum; non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem ut quæ huiusmodi est, quidquam illam dixerim habere deforme; nec tamen ad perfectum affirmaverim pervenisse decoris: quippe quæ adhuc sollicita est, & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum actuum vel tenui pulvere non reipergi. Quem tamen cito, facileque deterget, vel in hora sanctæ dormitionis, casta intentio, & bonæ conscientie interrogatio in Deum. Ergo solum inquirere Deum propter ipsum solum, hoc est plane utramque bipartite intentionis facièm habere pulcherrimam, atque id proprium, ac speciale Sponsæ, cui merito singulari prærogativa audire conveniat: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.*

Cant. 1. 9.

Ceremoniæ
supplendæ
in iis, qui
domi ur-
gente ne-
cessitate
baptizati
sunt.

Exorcismi
verba im-
mutanda.

IV. Quamvis autem omnes illæ cæremoniæ, sive quæ Baptismum præcedunt, sive quæ comitantur, sive quæ subsequuntur, non sint ad substantiam Sacramenti necessariae, adeoque sine illis possit homo Baptismi effectum consequi; non tamen prætermittendæ sunt, nisi urgente necessitate: *Et tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo: Nec frustra suppleantur post Baptismum, quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur; ita potest impediri postquam fuerit perceptus* (inquit *S. Thomas* III. p. q. lxxi. art. iii.) Sicut igitur Exorcismus ab eo, qui baptizandus est potestatem arcet demonis exterius impugnantis, & insidias struentis, ne præstet impedimentum Sacramento suscipiendo; ita post Baptismum ejusdem potestatem coercet, ne baptizato noceat; ac demoni in Christi nomine imperatur, non ut recedat a puero, a quo per Baptismum jam exclusus est, sed ne in illum redeat progressu temporis, cum rationis usum attigerit, ut eum in peccatum pertrahendo gratia Baptismali spoliet. Sic immutanda Exorcismi verba, cum suppleantur cæremoniæ Baptismi in eo, qui domi urgente periculo baptizatus est, constat ex Rituali *Pauli V.*

Præterea unctio Chrismatis in vertice facta non solum significat aliquid, sed etiam efficit; *Operatur enim conservationem gratiæ Baptismalis*, ait ibidem *S. Thomas*; non quidem, ex opere operato, seu per se, propriamque virtutem, sed ex fide, & pietate Ecclesiæ. In Hæreticis ad Ecclesiam redeun-

deuntibus, & extra Ecclesiam baptizatis, cęremonias suppleri jubent Concilia, & Rituale Romanum: *Nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.* In Gallicana Ecclesia non supplentur, in his qui ab Hęresi Calviniana redeunt, & extra Ecclesiam baptizati sunt.

A R T I C U L U S IV.

Quid agendum a Parocho post administrationem Baptismi?

I. **B**aptizatorum nomina, necnon Parentum, & Susceptorum, sive Patrinarum, cum nota diei, & anni, in Librum referre debet Parochus: sive illi in Ecclesia cum solemnibus cęremoniis, sive domi propter necessitatis angustias baptizati sint. Ita statuit *S. Carolus* in Conc. Mediolanensi IV. Ita Concil. Rothomagense anno MDLXXXI. & Synodus Aquensis MDLXXXV. quod etiam Reges Christianissimi *Franciscus I.* anno MDXXXIX. art. LI. & LII. & *Henricus III.* in Comitibus Blefensibus an. MDLXXXIX. art. CLXXXI. Lege lata sanxerunt, jusseruntque Baptismalia Regesta quotannis ad proximi Prętoris, aut Senescalli Actuarium a Parocho deferri, in publicis Tabulariis conservanda. Baptizatorum nomina in publicas Ecclesię tabulas referri, mos antiquus erat, ut meminissent se nomen dedisse Christo, atque in ejus militiam esse adscriptos, & nomina sua in cęlis esse conscripta.

II. Parochum, pro personarum multitudine, statuque Sermonem habere convenit, in quo pręter cetera considerationem aliquam Christianam explicet de solempni sponcione, quam unusquisque Fidelis in Baptismo facit; ut Fideles, qui adsunt, tam sanctę promissionis recordatione excitati, videant, atque exequantur, quę solempniter sponponderunt. Ita *S. Carolus* in Instructionibus Baptismi.

III. Compatres monere debet, ac docere quę sint officii eorum partes, quas pro susceptionis, fidejussionisve munere pręstare debent, ut scilicet infanti semper sollicitudinem verę charitatis impendant, curentque ut is instituat *Doctrinę Christianę rudimentis*: admoneantque ut castitatem custodiat; a maledicto, & perjurio linguam cohibeat; cantica turpia, & obscęna non proferat; superbia non efferatur, non invideat: iracundiam, odiumve in corde non teneat; & alia id generis. Monere etiam debet de cognatione spiritali inter Compatres, & baptizatum, illiusque patrem, & matrem; ac pręterea inter baptizantem, baptizatum, baptizatique patrem, & matrem contracta: & docere quam mutuis sanctę charitatis officiis, & quam sincere, & caste inprimis hujusmodi cognatio spiritalis colenda sit. Ita *S. Carolus*.

IV. Monere debet, ne mater, nutrixve, aut alia quęvis mulier, aut alius quicumque vir, infantem anno ætatis non expleto in eodem secum lecto unquam teneant: si infantulos in eodem cum ipsis lecto jacentes suffocari contigerit, homicidii reas futuras; etsi non suffocentur, mortaliter tamen ipsas peccare propter periculum in quod tenellorum puerorum vitam adducunt. Penam Excommunicationis in eas, sive in illos decrevit Conc. Mediolanense IV. & hunc sibi casum reservare merito consueverunt Episcopi.

V. Monere debet Parochus, ut puerpera, simul atque domo pedem a partu efferet, Ecclesiam Parochialem adeat, ut benedictionem accipiat. Caveat autem ne ob eam causam ipse puerperę domum ingrediatur, etiamsi illa adversa valetudine laboret. Neque eidem Panem benedictum sub hostię forma prębeat. Caveat pręterea post administrationem Baptismi a comestationibus, etiam domi parentum infantis. Ita *S. Carolus* in Instructionibus Baptismi.

VI. Moneat denique Baptismi diem a parentibus notari: ut quod die infans baptizatus est, cum ex instituto Patrum, quotannis ardentiori prece, elemosynis,

nis, si per facultates potest, omnique charitatis opere, atque officio spiritalifque gaudii celebritate recolat: memor se chirographo damnationis deleto, hæreditatis cęlestis participem in Christo Domino factum esse. Ita S. Carolus, qui & præclara S. Ambrosii verba ea occasione refert: *Repete, quid interrogatus sis; recognosce, quid responderis. Renunciasti Diabolo, & operibus ejus, Mundo, & luxurię ejus, ac voluptatibus. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuę series cautionis.*

TRACTATUS III

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CUM in Baptismo non solum omne peccatum tam originis, quam proprię actionis remittatur, sed & Sp. Sanctus in novam nos regenerans creaturam nobis detur; si percepto Baptismate statim ex hoc sæculo migraremus, solus Baptismus sufficeret ad æternam salutem, moxque Dei visione, & sempiterna pace frueremur. Jam verocum nos, post mysticum transitum Maris Rubri, in Mundi hujus deserto cum hostibus salutis nostrę, carne, Mundo ipso, & Diabolo sine intermissione dimicare oporteat: cum caro adversus spiritum perduellis, cupiditatesque in sinu nostro latentes domesticum, internumque bellum moveant: Mundus *Erroribus, amoribus, & terroribus* suis armatus, ut S. *Augustinus* loquitur, continuo nos oppugnet: Diabolus mille artibus instructus *Tamquam leo rugiens* circumeat, *querens quem devoret*: hanc inituri luctam animo deficeremus, nisi fide certo persuasum nobis esset, Christum Redemptorem nostrum, qui carnem domuit, Mundum vicit, Diabolum hujus Mundi Principem foras ejecit, adversus tot, & tam graves insultus alia instituisse remedia, quibus luctantibus nobis subveniret. Sicut ergo in Exodo legimus, filios Israel ex Ægypto per Mare Rubrum jam egressos, devictis, ac submersis etiamnum hostibus, tum maxime fuisse compluribus aliis Sacramentis roboratos, inprimis expansione nubis in protectionem eorum, & ignis, ut luceret eis per noctem; deinde Panis cęlestis, scilicet Mannę manducatione, & aquę potu, quę de petra percussa manavit: ita Christus, qui Veteris Legis figuras implevit, post Baptismum pleraque alia Sp. Sancti munera, & gratiarum dona nobis reliquit, quibus nos per Baptismum resurgentes sustentat, & confirmat, ne hostium impetu rursus fracti succumbamus. Quę sunt cetera Ecclesię Sacramenta, inprimis vero Confirmatio, & Eucharistia. De Confirmatione in hocce Tractatu dicendum, cujus Sacramenti naturam, vim ac dignitatem Fidelibus opportunitate data explicandam monet Conc. Tridentini Catechismus: ut intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate, & religione suscipiendum, ne ipsorum culpa, maximoque malo eveniat, ut frustra in eos divinum hoc beneficium collatum videatur.

CAPUT I.

DE CONFIRMATIONIS NATURA.

ARTICULUS I.

Utrum Confirmatio sit verum Novę Legis Sacramentum?

Varia Confirmationis nomina.

MULTIS nominibus Sacramentum istud a Patribus, & Auctoribus Ecclesiasticis appellatur. Quędam a materia sumuntur, quę est manuum impositio, & chrisma. Sic vocatur *Manus impositio* a S. *Augustino* Lib. III. De Baptismo contra Donatistas, cap. XVI, a S. *Isidoro Hispalensi* Lib. II. De

De Ecclesiasticis Officiis, cap. xxvi. *Amalario Fortunato* in Libro ejusdem argumenti, cap. xxvii. *Hugone a S. Victore* Lib. II. De Sacramentis, P. VII. cap. II. *Unguenti Mysterium* appellatur a *S. Dionysio* Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. IV. *Sacramentum Chrismatis* a *S. Augustino* Lib. II. Contra Litteras Petiliani, cap. CIV. *Chrisma spiritualis unguenti* a *Theodoreto* Comment. in cap. I. Cantici Canticorum: *Chrisma Sanctum*, & *Chrisma super cœlestē* a Conc. Laodicensi can. VII. & XLVII. *Chrisma salutis* a *S. Leone* Serm. IV. De Nat. Domini. Quia vero per istud Sacramentum signo, & sigillo crucis in fronte, & impresso in anima caractere, velut Christi Milites obsignamur, *Sigillum*, quo accipitur *Spiritus Sanctus* vocatur a *S. Cornelio* Papa, & *Martyre* Epistola ad *Fabium Antiochenum*, apud *Eusebium* Lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XLIII. Ab effectu, qui est facere hominem plene, ac perfecte Christianum, vocatur *Perfectio* a *S. Dionysio* loco mox laudato, a Conc. Illiberitano can. XXXVIII. & LXXVII. a *S. Ambrosio* Lib. III. De Sacramentis, cap. II. *Sacramentum plenitudinis gratiæ* a *S. Thoma* III. p. qu. LXXII. art. I. Ab alio tandem effectu, qui est spiritualis collatio roboris, *Confirmatio* vulgo vocatur; quia per illud Sacramentum Christiani robustiores fiunt ad confitendum, & glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi, & ad resistendum salutis suæ hostibus: & quia hujus Sacramenti virtute Deus in nobis confirmat quod Baptismo cœpit operari, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit, ut loquitur Conc. Tridentini Catechismus. Ita porro definiri potest: *Confirmatio est Sacramentum novæ Legis, quo Fideles ad Christi fidem palam, & intrepide profitendam, Spiritus Sancti plenitudine roborantur.*

Hanc nihil a Catechesi differre *Calvinus*, ejusque Sectatores asserunt, indeque duxisse originem tam imperite, quam impie finxerunt, quod olim, qui infantes baptizati erant, cum jam adulti essent, ad Episcopum adducebantur, ut Fidem Christianam, quam in Baptismo susceperant, confirmarent. *Lutherus* meram Baptismi Cæremoniam, non Sacramentum esse affirmavit. Horum errores confixit Tridentina Synodus, secundum quam sit

P R O P O S I T I O U N I C A .

Confirmatio est verum, & proprie dictum Novæ Legis Sacramentum.

Signum enim vero sensibile, constans ex rebus, & verbis, & operatorium gratiæ sanctificantis, est verum & proprie dictum Sacramentum: Confirmatio autem signum est sensibile, constans ex rebus, & verbis, nimirum Impositione manuum, & Chrismatione, junctis orationi, & est perpetuum, & gratiæ sanctificantis operatorium: est itaque verum, & proprie dictum Sacramentum.

Confirmatio
tionis essen-
tia.

Minor probatur ex Scriptura primum, tum ex Traditione. Quod Scripturam spectat, Act. VIII. cap. hujusmodi Manuum impositionem orationi junctam, & Sp. Sanctum per eam datum legimus. *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Quod quidem non pro solis Ecclesiæ incunabulis institutum, & ad dona exteriora, seu gratias gratis datas per signa visibilia conferendas, sed in perpetuum tempus, ad gratiam sanctificantem conferendam, probatur ex Traditione, & Ecclesiæ usu, in qua eandem manuum impositionem usurpatam fuisse sequentibus sæculis, cum jam gratiæ gratis datæ, puta Donum linguarum, Prophetia, Interpretatio sermo-

num, &c. visibiliter conferri desissent, & veterum Patrum testimoniis com-
pertum est.

Confirma-
tio verum
Sacramen-
tum.

Tertulliani, Lib. *De Baptismo*, cap. VII. *Exinde egressi de Lavacro, perun-
gimur benedicta Unctione. De cuius effectu ibidem subdit: In nobis carnaliter
currit Unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipse Baptismi carnalis
actus, quia in aqua mergimur; spiritualis effectus, quia delictis liberamur. De-
hinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Sp. Sanctum:*
Et paulo post: *Tunc ille SS. Spiritus, super emundata, & benedicta corpo-
ra libens a Patre descendit super Baptismi aquas, tamquam pristinam sedem
recognoscens, conquiescit, columbæ figura delapsus in Dominum, ut natura
Sp. Sancti declararetur per animal simplicitatis, & innocentie. Et infra:
Quemadmodum post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post
Baptismum, ita ut dixerim, Mundi, pacem cœlestis iræ præco columba terris
annunciavit, demissa ex Arca, & cum olea reversa; eademque dispositione
spiritualis effectus, terræ, idest, carni nostræ emergenti de Lavacro post vetera
delicta, columba Sp. Sancti advolat, pacem Dei adferens, emissa de cœlis,
ubi Ecclesia est Arca figurata. En manuum impositionem super baptizatos
factam, ad profectum spiritualem, & infusionem Sp. Sancti. Quamquam
autem continenter cum Baptismo illa manus impositio Sp. Sanctum advo-
cans fieri soleret, non sequitur distinctum Sacramentum non fuisse. Nam
& continenter olim cum Baptismo Eucharistia porrigebatur infanti: quam
tamen distinctum esse Sacramentum ne ipsi quidem Hæretici negant. Præ-
terea, isti Ritui alios effectus quam Baptismo tribuit *Tertullianus*, adeo-
que meram Baptismi Cæremoniam esse non censet, sed distinctum plane
Sacramentum. Sic enim habet Libro *De Resurrectione carnis*, cap. VIII.
*Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur.
Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur,
ut & anima Spiritu illuminetur. Caro Corpore, & Sanguine Christi vesci-
tur, ut & anima de Deo saginetur.**

Idem probatur testimonio *S. Cornelii Romani Pontificis, & Martyris*,
Epistola ad *Fabium Antiochenum* ab *Eusebio* relata Lib. VI. *Historiæ Ec-
clesiasticæ*, cap. XLIII. ubi Confirmationem, quam Dominicum signaculum
vocat, distinguit a reliquis Ritibus, qui juxta Ecclesiasticas regulas sup-
pleri debebant iis, qui in lecto fuerant urgente infirmitate baptizati; ac
singularem, propriumque illi tribuit effectum, scilicet Spiritus Sancti infu-
sionem. Ubi enim præmisit *S. Cornelius Novatianum* in lecto fuisse bap-
tizatum, cum morbo gravissimo laboraret, subdit: *Sed neque postquam libe-
ratus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam Regulam percipi
debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime perce-
pto, quomodo Spiritum Sanctum potuit accipere?*

Idem probatur testimonio *S. Cypriani* Epist. LXXIII. ad *Jubajanum* data,
ubi de Samaritanis a *Philippo Diacono* baptizatis ita scribit: *Quia legiti-
mum, & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra
non oportebat: sed tantummodo, quod deerat, id a Petro, & Joanne factum
est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur, & infunde-
retur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur,
ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per no-
stram orationem, ac manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur,
& Signaculo dominico consummentur. En manuum impositionem ab Eccle-
siæ Præpositis, quo nomine *S. Cyprianus* Episcopus ubique designat, factam
super baptizatos, per quam Sp. Sanctum consequantur. Hujus autem Ritus par-
tem*

tem quoque fuisse unctionem Chrismatis, constat ex eodem S. Martyre Epist. lxx. ad Januarium. *Ungi* (inquit) *necesse est eum*, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguuntur Oleum, in Altari sanctificatur.

Idem probatur ex *Optato M.levitano*, Lib. vii. Contra *Parmenianum*, ubi Sp. Sanctum per unctionem Chrismatis conferri, eamque unctionem minime iterari asserit. Quod Sacramento Confirmationis convenit. „Oleum (inquit) simplex est, & nomen suum unum, & proprium habet: confectum jam Chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritiæ peccatorum; quæ animum innovat lenem; quæ sedem Sp. Sancto parat, ut invitatus illic asperitate fugata libenter inhabitare dignetur. *Et paulo post*: Quod a vobis unctum est, tale servamus. *Et infra*: Seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis.

Confirmatio verum Sacramentum.

Item ex *S. Paciano* Barcinonensi Episcopo Epist. i. ad *Sympronianum* Novatianum, ubi absolvendi potestatem ita concessam Apostolis esse docet, ut ad eorum Successores Episcopos transmissa fuerit, & in Ecclesia perpetuo maneat, quia & Baptismatis, & Chrismatis, per quod datur Sp. Sanctus, potestas ad Episcopos est transmissa, adeoque Ecclesiæ in perpetuum data. „Quid est (inquit) illud, quod Apostolis dicit: Quæ ligaveritis, &c. Cur hoc, si ligare hominibus, ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet; & Spiritum Sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia totum hoc Apostolis solis imperatum est. Si ergo, & Lavacri, & Chrismatis potestas, majorum longe Charismatum, ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.

Item ex *S. Ambrosio* Lib. *De Initiandis*, cap. vii. „Repete (inquit) quia accepisti Signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum cognitionis, atque pietatis, Spiritum Sancti timoris, & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti. *Et Lib. iii. De Sacramentis*, cap. ii. Sequitur spiritale Signaculum, quod audistis hodie legi: quia post Fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur. Post hæc quid sequitur? Venire habes ad Altare.

Idem *S. Hieronymi* testimonio probatur in Dialogo adversus Luciferianos ubi Luciferianus ait: „An nescis Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Sp. Sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ Legis usurpaverunt. *Respondet S. Hieronymus sub nomine Orthodoxi*: Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat. *Et infra*: Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Sp. Sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui; disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potius Sacerdotii, quam ad Legis necessitatem. Confirmationem juris esse divini pronunciat Luciferianus, *S. Hieronymus* fatetur; ac per manus

nus impositionem Episcoporum accipi Sp. Sanctum. Quod autem ait, ad honorem potius Sacerdotii, quam ob Legis necessitatem, multis in locis usurpatum, ut Episcopus in minores urbes manum impositurus excurrat; id Episcopalis officii, honoris, ac ministerii esse significat, ut manus imponat super baptizatos: sed tamen ex legis necessitate non esse, quasi Confirmatio necessaria sit ad salutem, sicut necessarius est Baptismus. *Alioqui (inquit) si ad Episcopi tantum imprecationem Sp. Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros, & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.*

Confirmatio verum Sacramentum.

At (inquirunt Hæretici) si nulla necessitate factum est, ut baptizato manus imponeretur in Sp. Sanctum (ut S. Hieronymus asserit) sequitur, Confirmationem esse meram Cereemoniam.

Hæreticorum objectionibus respondeatur.

Resp. nulla quidem necessitate factum esse, ut baptizato manus imponeretur in Sp. Sanctum, qui detur in remissionem peccatorum, *Quia Baptisma Christi sine Sp. Sancto nullum est* (ut S. Hieronymus contra Luciferianos asserit) sed non negat dari Sp. Sanctum ad robur per manus impositionem Episcopi: quamquam illa non sit ad salutem simpliciter necessaria necessitate medii, eo sensu, ut qui sine illa post Baptismum e vita migraverit, a salute excidat.

Verum (inquirunt Hæretici) Confirmationem, sive illum, quicumque sit, Ritus impositionis manuum ab Episcopo, Lege dumtaxat Ecclesiastica institutum S. Hieronymus asserit, ita Luciferianum urgens: *Sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?*

Resp. S. Hieronymum his verbis non significare, Confirmationem Lege aliqua Ecclesiastica fuisse institutam; sed Ecclesiæ Legem, secundum quam Episcopus ad minores urbes manum super baptizatos impositurus, sive ipsos confirmaturus excurrit, non probare, Baptismum Christi sine Sp. Sancto esse posse, quod Luciferianus affirmabat, Confirmationem itaque Juris Divini simul, & Ecclesiastici esse S. Hieronymus cum Luciferiano censet, siquidem id in actibus Apostolorum scriptum fatetur, & Hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.

S. August. Confirmationem verum Sacramentum esse docet.

Idem ex S. Augustino probatur Lib. xv. De Trinitate, cap. xxvi. ubi Sp. Sanctum super Fideles descendere docet ad invocationem, & orationem Episcoporum manus imponentium. *Quomodo (inquit) Deus non est, qui dat Sp. Sanctum? Immo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum (ut causa princeps.) Orabant quippe, ut veniret super eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Idem confirmat Lib. III. De Baptismo, cap. xvi. Et Tract. vi. in Epistolam I. Sancti Joannis, manuum impositionem infantibus, hoc est recens baptizatis ab Episcopo factam, Sacramentum vocat, ejusque Sacramenti virtutem docet esse charitatem per Sp. Sanctum in cordibus diffusam. Spiritus vero Sancti præsentiam non jam per signa visibilia, puta per donum linguarum cognosci, sicut Apostolicis temporibus factum legimus, sed per fraternam dilectionem. Tum ita concludit. *Ergo si vis nosse quia accepisti Spiritum Sanctum, interroga cor tuum, ne forte Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas.* Alibi non semel Confirmationem designans Olei, vel Chrismatis, vel Unctionis nomine, illam Sacramentum vocat, scilicet Lib. v. De Baptismo, cap. xx. *Si ergo (inquit) ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam*

nam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Lib. II. Contra Litteras Petiliani, cap. CIV. explicans hæc verba Psalmi CXXXII. Sicut unguentum in capite, &c. ait: *Et in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Tractatu denique tertio in Epist. 1. S. Joannis: *Unctio spiritalis (inquit) ipse Spiritus Sanctus est, cujus Sacramentum est in Unctione visibili.*

Idem confirmat S. Cyrillus Alexandrinus Commentario in Joëlem, ad hæc verba: *Et replebuntur areae tritico, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* Ubi inunctione olei per Baptismum justificatis gratiam consummantem conferri docet, idque non minus Sacramentum esse, quam Baptismum, & Eucharistiam. *Data est, inquit, nobis ceu pluvia aqua vivens Sacri Baptismatis, & tamquam in frumento Panis vivus, & tamquam in vino Sanguis. Accessit autem usus Olei, qui per Sacrum Baptisma in Christo justificatis ad consummationem confert.*

Idem confirmat S. Leo, Serm. IV. De Nat. Domini. *Permanete, inquit, stabiles in fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per Aquam, & Spiritum Sanctum, accepistis Chrisma salutis, & Signaculum vitæ æternæ.*

Merito itaque Tridentina Synodus sess. VII. canone 1. damnat Hæreticos negantes Confirmationem esse verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse; & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; Anathema sit.* Et can. II. *Si quis dixerit, injurios esse Spir. Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; Anathema sit.*

Objicitur, Sacramenta Novæ Legis esse a Christo instituta: Confirmationem autem non videri a Christo institutam, sed ab Ecclesia, ut senserunt Alexander Halensis p. IV. q. XXIV. & S. Bonaventura in IV. Sententiarum dist. VII. q. I. art. I.

Resp. quicquid senserint Alexander Halensis, & S. Bonaventura, Confirmationem a Christo fuisse institutam, non ab Apostolis, aut ab Ecclesia: *Quia instituere novum Sacramentum (inquit S. Thomas) pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo.* Instituit autem in ultima Cœna, Spiritum Sanctum Apostolis promittens, eosque Ritum hujus Sacramenti docens; sive post Resurrectionem, loquens cum Apostolis de Regno Dei, ac idem promissum confirmans: quamvis istud Sacramentum per seipsum non administraverit, sicut Eucharistiam, & Ordinem. Hic S. Thomæ sensus est, cum ait: *Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joannis XVI.* Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. *Et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundum illud Joannis VII.* Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

Objicitur, effectus, quos Confirmationi tribuimus, scilicet, nos munire, confirmare, roborare, perficere, Baptismo, & Eucharistiæ convenire: siquidem Sp. Sanctus, quem accipimus in Baptismo, non est Spiritus iners & ignavus! & Panis Eucharisticus Cor hominis confirmat: & Eucharistia, teste S. Cypriano, percipiebatur a Fidelibus ingruente persecutione, ut ad prælium munirentur. Epist. LIV. *Non morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est: ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nu-*

Idem confirmant SS. Cyrillus Al. & Leo.

Objectionibus respondetur.

dos relinquamus, sed protectione Corporis, & Sanguinis Christi muniamus. Confirmatione igitur ad hunc effectum opus non fuit.

Resp. hos effectus tribus illis Sacramentis non eodem modo convenire. Gratia enim Baptismatis non est gratia virtutis perfectæ, & virilis, sed quæ infantili ætati convenire potest. Effectus enim Baptismi est gratia regenerationis, innovationis, adoptionis, est infantia Christianismi; juxta illud, *Sicut modo geniti infantes*. Gratia Confirmationis est gratia plenitudinis, & roboris, & Christiani hominis virilis ætas, juxta illud 1. Joan. II. *Scribo vobis, Juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis Malignum*. Gratia Eucharistica est gratia nutriens, & homines ad virilem Christianismi ætatem spiritualiter proventus perficiens in seipsis. Unde S. Th. II. I. p. q. LXXIX. art. I. ad I. Eucharistiam comparans cum Sacramento Confirmationis, ait: *Ex efficacia virtutis ipse est, ut gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur: aliter tamen quam per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur, & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi: per hoc autem Sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in seipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum*. Hinc, secundum præcæ Ecclesiæ Disciplinam, primo loco administrabatur Baptismus, ut renasceretur homo: secundo Confirmatio, ut ad virilem proveheretur ætatem: tertio Eucharistia, ut nutrireretur jam grandis in vita spiritali, juxta illud quod a S. August. ex persona Christi dictum est Lib. VII. *Confessionum* cap. X. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me*.

Plura dabit Dissertatio nostra X. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi II.

A R T I C U L U S II.

De Materia Confirmationis.

DE Materia Confirmationis Theologi, & Juris Canonici Periti disputant. Quidam impositionem manuum, quidam Chrismatis unctionem, proximam Sacramenti istius materiam essentialem esse censent; alii utramque.

P R O P O S I T I O I.

Impositio manuum, cum unctione Chrismatis conjuncta, est materia Confirmationis.
MANuum impositionem esse Confirmationis materiam probat Scriptura Sacra Act. VIII. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Sp. Sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. Sanctum*. Item Epistola ad Hebræos, cap. VI. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursus jacentes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*. Quam manuum impositionem de Confirmationis Sacramento Patres plerique tam Græci, quam Latini interpretantur.

Confirma-
tionis mate-
ria.

Confirma-
tionis mate-
ria.

Præterea, Patres per manus impositionem Episcopalem dari Sp. Sanctum in Confirmatione asserunt, scilicet Tertullianus Lib. de Baptismo, & lib. De Resurrectione Carnis, cap. VI. S. Cyprianus Epist. LXXIII. S. Jo: Chrysostomus in cap. VII. Actorum, & in cap. VI. Epistolæ ad Hebræos, S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, S. Augustinus Lib. XV. De Trinitate, cap. XXVI. Lib. III. De Baptismo, cap. XVI. & Tract. VI. in I. Epistolam S. Joannis.

Unctioni autem Chrismatis plerique etiam Patres Confirmationis effectum tribuunt. S. Dionysius Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. IV. *Est quædam perfectiva operatio (inquit) quam Duces nostri, idest Apostoli, Chrismatis hostiam nominant*. Tertullianus Lib. De Baptismo, unctionem,

tionem, & manus impositionem conjungit: *Egressus, inquit, de Lavacro perungitur benedicta unctione :: De hinc manus imponitur, per benedictionem ad vocans, & invitans Sp. Sanctum.* Spiritualis unctionis, & gratiæ Christi productionem olei etiam unctioni tribuunt *S. Cyprianus Epist. LXX. ad Januarium, Optatus Milevitanus, Lib. VII. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi III. Mystagogica dicens: Christi facti estis, postea quam Sancti Spiritus imaginem recepistis :: Datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus: hoc autem est Sp. Sanctus :: Vos vero uncti estis unguento, facti participes, & consortes Christi :: Corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto, vivificoque Spiritu sanctificatur.* Ita *S. Pacianus, Epist. I. ubi Confirmationem Chrisma vocat; & Sermone De Baptismo, ubi ait: Chrismate Sanctus Spiritus superfunditur.* Ita *S. Augustinus Lib. II. Contra Litteras Petiliani, cap. IV. Ubi Confirmationem vocat Sacramentum Chriftatis.* Ita *Theodoretus in Cantica: Recipientes gratiam invisibilem SS. Spiritus, unguento, tamquam in typo.* Et *Lib. III. Hæreticarum Fabularum de Novatianis loquens, Iis, inquit, qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent.* Ita *S. Cyrillus Commentario in Joelem, S. Leo Magnus Ser. IV. De Nativitate Domini, & alii, quos enumerare, & quorum testimonia proferre, longioris, & superflue operæ foret.* *S. Gregorius Magnus in Sacramentario manuum impositionem & Chriftatis unctionem, ut materiam Confirmationis commemorat. Pontifex (inquit) veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma, involutis scapulis, & brachiis ex panno lineo, levata manu sua super capita omnium, dicit: Omnipotens sempiternæ Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, & Spir. Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Paracletum de cælis, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii, & fortitudinis, Spiritum scientiæ, & pietatis. Adimple eos Spiritu timoris tui, & conigna eos signo Crucis in vitam propitiatus æternam: per Dominum :: Et interrogantibus Diaconis nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim.* Ordo Romanus idem habet. *Eugenius IV. in Decreto, Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Concilium denique Tridentinum spiritalem virtutem dandi Sanctum Spiritum sacro Chriftati tribuit *can. II. De Confirmatione, supra laudato, quem repetere non piget. Si quis dixerit, injurios esse Sp. Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chriftati virtutem aliquam tribuunt; Anathema sit.* Quamobrem existimare par est Chrisma Confirmationis esse materiam, non integrale dumtaxat (ut loquuntur) sed essentialem; non minus quam impositionem manuum.

Confirmationis materia.

Objiciuntur verba *Innoc. III. cap. Cum venisset, Extra, De Sacra unctione, scribentis: Per frontis Chriftationem designari manus impositionem Apostolorum: & Eugenii IV. in Decreto de Unione Armenorum dicentis: Loco manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* Ex quibus confici videtur, Manuum impositionem non esse materiam essentialem Confirmationis.

Responderi malim huic Objectioni Cardinalis *Bellarmini* verbis, quam meis. Sic autem respondet Cardinalis doctissimus *Lib. II. De Sacramento Confirmationis, cap. IX.* In primis, non omnia, quæ habentur in Decretis, aut Conciliis ad Fidem pertinere, sed solum ea, quæ definiuntur: hoc autem, de quo agimus, non definitur, sed tantum obiter dicitur ad rem explicandam. Dico tamen secundo, & melius, ac tutius, *Innocentium,*

„ tium, & Eugenium non velle dicere, Chrisma esse loco impositionis manuum;
 „ quasi Apostoli non uterentur Chrismate, & nos non utamur impositione
 „ manus: sed velle dicere, Idipsum quod Apostoli faciebant, cum diceban-
 „ tur imponere manus, facere Episcopos, cum dicuntur confirmare, vel chris-
 „ mare. Distinguitur enim in his locis, non Ritus a Ritu, sed modus loquen-
 „ di a modo loquendi, & personæ a personis; & denique illa particularis
 „ impositio manuum ab ista, quæ modo est: siquidem tunc communiter
 „ dicebatur hoc Sacramentum impositio manus, nunc dicitur communiter
 „ Confirmatio. Præterea illam dabant Apostoli, istam Episcopi: denique illa
 „ erat efficacior, quia cum effectu interno dabat etiam externum, & cum
 „ gratia gratum faciente dabat etiam dona gratis data linguarum, & miracu-
 „ lorum, &c. Hac ergo ratione dici potest, id quod nunc fit, esse loco ejus,
 „ quod tunc fiebat, licet sit idem quoad substantiam. Et quod hic sit sensus
 „ eorum locorum, probatur dupliciter: primo, quia Innocentius, & Euge-
 „ nius non dicunt Chrisma esse loco impositionis manuum, sed Sacramentum
 „ Confirmationis esse loco impositionis manuum. At certe Apostoli, omnium
 „ consensu, dabant Sacramentum Confirmationis, sive adhiberent Chrisma,
 „ sive non. Secundo, quia Innocentius & Eugenius ibidem dicunt, Episcopos
 „ esse in Ecclesia loco, seu vice Apostolorum: at certe Apostoli veri Episcopi
 „ erant, licet aliquid etiam amplius haberent. “ Certe Confirmationem *loco*
manus impositionis non dari eo sensu, ut abolita sit manus impositio, constat
 tum ex Pontificalibus, quibus etiamnum utimur, quæ manus impositionem
 retinent, tum ex Ecclesiæ praxi, quæ eandem usurpat, tum ex Conciliis
Eugenio IV. posterioribus, quæ Confirmationis effectum manuum impositio-
 ni tribuunt; scilicet ex Moguntino anno MDLXIX. can. xvii. cujus hæc sunt
 verba: *Ea vero ut erant a Christo promissa, ipsis Apostolis in die Penteco-
 stes exhibita, & ab eisdem per manus impositionem in alios transfundi cœpta,
 Actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia Catholica Sp. Sanctum per ma-
 nus Episcoporum Fidelibus tradendi normam accepit.* Item ex Concil. Rhemen-
 anni MDLXXXIII. Tit. De Confirmatione. *Quamvis (inquit) quisque per Ba-
 ptismum Catalogo Fidelium sit adscriptus; ad diaboli tamen, carnis, mundi-
 que tentationes perferendas, ac superandas non nisi per impositionem manuum
 Episcopi plus roboris, & gratiæ recipit.* Ex Concilio tandem Narbonensi
 anni MDCIX. *Sanctorum Patrum (inquit) institutionibus constat, nos in Ba-
 ptismo regenerari ad vitam, & post Baptismum in hoc Sacramento, quo per
 impositionem manuum Episcopi Sp. Sanctus diffunditur in corda Fidelium, ro-
 bur, atque fortitudinem dari.*

Confirma-
 tionis ma-
 teria .

Objicitur, in Euchologiis Græcorum nullam manus impositionem præscri-
 bi, nullam ab ipsis in Confirmationem adhiberi: adeoque meram cæremoni-
 am esse, non materiam essentialem.

Resp. in Euchologiis Orationem fundendam super confirmandos præscri-
 bi, qua advocatur, & invitatur Sp. Sanctus: & hæc funditur manum im-
 ponendo super illos, quod in Græco Confirmationis Ordine subintelligendum
 est, cum *Manus impositio* nihil aliud sit, nisi *Oratio super hominem*, ut S. Au-
 gustinus loquitur. Si vero absque ulla manuum impositione Confirmationem
 administrent Græci recentiores, illis opponetur non Ecclesiæ tantum Lati-
 næ, sed veteris etiam Ecclesiæ Orientalis Ritus, & usus, cujus testes pro-
 feruntur locupletissimi Firmilianus Epistola ad S. Cyprianum ita scribens:
*Quando omnis potestas, & gratia constituta sit, ubi præsentent Majores natu,
 qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem.*
 Theodoretus in cap. vi. Epistolæ ad Hebræos: *Per manuum Sacerdota-
 lem impositionem (inquit) Spiritus gratiam accipiunt.* Eulogius Ale-
 xandri-

xandrinus Lib. II. contra Novatianos, cujus excerpta quedam in Bibliothecam suam Photius transcripsit Cod. cclxxx. Deinde progressionem factam (inquit) dignior reddi adventu Sancti Spiritus, qui per impositionem manuum Apostolorum fiebat. Simeon Thessalonicensis Libro De Septem Sacramentis. A Philippo (inquit) baptizati, tamquam qui solum Baptisma suscepissent, Petro, ac Joanne imponentibus manus, Sp. Sanctum accipiebant. Quod sane hoc Sacramentum est: siquidem impositio manuum Unguentum prebebat, ut & in Apostolis factum est, ac per ipsos in multis aliis.

Denique Chrismatio, quam adhibent Græci, sine aliqua manuum impositione fieri non potest, ut Thomas Vvaldensis Tom. II. De Sacramentis cap. cxiii. Bellarminus Lib. II. De Confirmatione, cap. ix. aliique celebres Theologi respondent. Certe Hugo a S. Victore, Lib. II. De Sacramentis, p. vii. c. II. Unctionem ipsam manus impositione peragi scribit. Manus impositio (inquit) quæ usitato nomine Confirmatio vocatur; qua Christianus unctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur.

Objicitur, Apostolos absque Chrismate Confirmationem administrasse, cujus Scriptura non meminit, sed solius manuum impositionis; adeoque Chrisma non esse materiam essentialem Confirmationis, sed integram dumtaxat, seu accidentalem.

Resp. quamvis Scriptura non meminerit Chrismatis ab Apostolis adhibiti in Confirmationis Sacramento, non sequi, quod adhibitum non fuerit. Sæpe enim in Scripturis Sacrum Ritum compendio explicari, & ex una parte reliquas intelligi debere. Exemplum affert S. Augustinus Lib. De Fide, & Operibus, cap. ix. ex Actuum Apostolorum cap. viii. ubi legimus Eunuchum a Philippo baptizatum, cum respondisset, Credo Filium Dei esse Jesum: cum tamen de multis aliis interrogatum Eunuchum, aliaque in ejus Baptismo adhibita fuisse, quæ S. Lucas compendio studens non exprimit, certissime sit credendum. Si autem (inquit S. Augustinus) Scriptura tacuit, atque intelligenda dimisit cetera, quæ cum illo Spadone baptizando Philippus egit, atque in eo quod ait, Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie Traditionis scimus implenda: pari modo etiam in eo, quod scriptum est evangelizasse Philippum Spadoni Dominum Jesum, nullo modo dubitandum est, & in illo Catechismo dicta esse, quæ ad vitam, moresque pertinent ejus qui credit in Dominum Jesum. Ita licet solius manus impositionis S. Lucas in Actis meminerit, & Chrismatis unctionem tacuerit, serie tamen traditionis ab Apostolis usurpatam esse constat.

Confirmatio-
tionis materia.

Haud tamen diffitemur, Apostolos oratione sua cum sola manuum impositione, aut interdum etiam sine illa Sp. Sancti super Fideles illapsam impetrasse; sed tunc Christus effectum Sacramenti absque Sacramento conferebat. Alias autem Apostoli non solam manus impositionem, sed Chrisma etiam confirmandis Fidelibus adhibebant; ut docet S. Thomas III. p. q. LXXII. art. II. ad I.

P R O P O S I T I O II.

Chrisma, quod sacrum unguentum est ex oleo, & balsamo confectum, conveniens est Confirmationis materia.

Chrisma, quod Græcum nomen est, quodlibet unguenti genus apud Scriptores profanos significat; apud Ecclesiasticos Auctores mixturam quamdam ex oleo, & balsamo. Græci triginta quinque genera aromatum, seu herbarum fragrantis odoris admiscunt, cum vini non exigua quantitate. Ex oleo dumtaxat, & balsamo illud conficiunt Latini. Hinc Venerabilis Beda

ad

ad hæc verba Cantici Canticorum cap. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi, ait: In vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in Chrismatis confectioe liquori olivæ admisceri, ac Pontificali Benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes cum impositione manus Sacerdotalis, qua Sp. Sanctus accipitur, hac unctione signentur.* Idem constat ex Auctore Libri *De Cardinalibus Operibus Christi*, inter opera Sancti Cypriani Sermone de unctione Chrismatis: *Hodie (inquit) sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem.* Item ex *Eugenii IV. Decreto*, ubi ait, materiam Confirmationis esse *Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Chrisma ex duobus illis confici docent pariter Sacramentarium *S. Gregorii Magni*, Ordo Romanus, Pontificalia omnia Ecclesiarum Occidentalium, in Ordine Cœnæ Domini, & Auctores quicumque, qui de Ritibus, & Officiis Ecclesiasticis scripserunt.

Sacrum
Chrisma
conveniens
materia.

Psal. 132.

Psal. 44.

Joan. 2.

Confirma-
tionis mate-
ria.

1. Cor. 2. 15.

Neque vero ulla alia materiâ, quam Chrismatis, aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc Sacramento efficitur. Oleo enim, quod pingue est, & natura sua manat, ac diffluit, gratiæ plenitudo exprimitur, que hoc Sacramento confertur ad robur spirituale; & quæ per Sp. Sanctum a Christo Capite in alios redundat, atque effunditur, *Sicut unguentum, quod descendit in barbam barbam Aaron, usque in oram vestimentiejus; Unxit enim eum Deus oleo letitiæ præ consortibus suis; ac De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Balsamum vero, cujus odor jucundissimus est, secundum illud Eccli. xxiv. *Quasi balsamum non mixtum odor meus:* significat, Fideles, cum Sacramento Confirmationis perficiuntur, ut jam non sibi singulariter vivant, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut cum Apostolo merito dicere possint, *Christi bonus odor sumus.* Hinc *S. Dionysius Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. iv. ait: Unguentum confectioem seu concretionem esse quamdam rerum benevolentium, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum contineat, cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant, proportionem fragrantis communionis, quæ in eis inest.* Balsamum præterea incorruptionem præstat: quod ad hujus Sacramenti virtutem significandam maxime accommodatum videtur, cum plane constet, Fidelium animos invisibili Sp. Sancti unctione, & cœlestis gratiæ, quæ in Confirmatione tribuitur, spirituali balsamo delibutos, facilius a scelerum contagione, & putredine servari posse. Ita *S. Thomas, Concilii Tridentini Catechismus, & S. Carolus in Instructionibus Confirmationis.*

Oleum autem olivarum ad confectioem Chrismatis adhibere necesse est (inquit *S. Thomas III. p. q. lxxii. art. ii. ad iii.*) Neque sufficit oleum nuncum, amygdalorum, aut aliud simile. Nam proprietates olei, quibus significatur *Sp. Sanctus*, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo. Unde & ipsa oliva semper frondibus virens, virorem, & misericordiam *Sp. Sancti* significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in usu, ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor ex similitudine hujus oleum nominatur, nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, & quorundam aliorum Sacramentorum.

Qua ratio-
ne fit neces-
sarium Bal-
simum.

An vero balsamum sit necessarium necessitate Sacramenti, ita ut Confirmatio cum oleo solo collata irrita sit; an præcepti dumtaxat necessitate, quemadmodum admixtio aquæ vino in Sacramento Eucharistiæ, sub judice lis est, Theologis in varias sententias abeuntibus. Unde cum res incerta sit, quæstione minime finita Ecclesiæ judicio, si aliquem oleo solo absque mixtione Balsami ab Episcopo inungi contingeret, dubium esset Sacramentum, & sub

& sub conditione iterandum, ut colligitur saltem ex *Innoc. III. Decretali, Cap. Pastoralis, Extra, De Sacramentis non iterandis*, quam partis utriusque Theologi ad opinionis suæ præsidium trahunt. Nos consulere voluisti (inquit) *an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus assumptus. Et si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum.* Quomodo autem suppleri posset Balsamum benedictum, nisi nova Chrismatis unctione? Siquidem seorsim ab Episcopo non benedicitur, sed oleo admixtum. An vero nova Chrismatio fieret sine verbis? Sed tamen non iterabitur Confirmatio, secundum mentem *Innoc. III.* Quia, ut idem Pontifex, cap. *Veniens, Extra, De Presbytero non baptizato*, ait: *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.*

Objicitur, Sacramentorum materiam debere esse quid simplex, & ubique obvium, qualis est materia Baptismi, & Eucharistiæ, aqua, panis, & vinum: at Chrisma non est quid simplex, sed mixtum ex oleo, & balsamo; nec facile a quibusvis comparari potest balsamum, cum in sola Palæstina oriatur: non est igitur conveniens Confirmationis materia.

Resp. cum *S. Thoma*, Baptismum dari ad spiritualem vitam simpliciter consequendam, & ideo competit illi materia simplex: Confirmatio vero datur ad plenitudinem consequendam Spiritus Sancti, cujus est multiformis operatio, secundum illud Sap. VII. *Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, & I. ad Cor. II. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Et ideo conveniens est ut Confirmationis materia sit composita. Baptismus insuper Sacramentum est absolutæ necessitatis, quamobrem ejus materia ubique obvia esse debet: Confirmatio vero non est tantæ necessitatis: ideo sufficit, quod ejus materia facile in omnes orbis Christiani regiones deferri possit. Balsamum porro non ex Palæstina solum, sed ex Indiis utrisque facile deferri potest in regiones omnes, in quibus Christi nomen colitur.

Confirmatio-
nis materia.

P R O P O S I T I O III.

Chrisma benedictum, seu consecratum ab Episcopo esse debet, ut sit Confirmationis materia.

ITA *Eugenius IV.* in Decreto de Instructione Armenorum. Hinc a Conc. Tridentino Sacrum Chrisma vocatur. Consecrandi Chrismatis Ritus Apostolicæ Traditionis est, cui testimonium perhibent veteres Patres, & antiqua Concilia; *S. Dionysius Lib. de Ecclesiastica Hierarchia, Tertullianus Lib. De Baptismo, S. Cyprianus Epist. Lxx. scribens: Eucharistia, & unde baptizati unguuntur, oleum in Altari sanctificatur.* Optatus Milevitanus Lib. VII. *S. Basilius Lib. De Spiritu Sancto cap. xxvii. dicens, Consecramus aquam Baptismatis, & oleum Unctionis: quod refert ad Apostolicam Traditionem; S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi III. Mystagogica, cujus hæc sunt verba: „ Quemadmodum Panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus invocationem non amplius est communis, sed est Corpus Christi, sic & Sanctum hoc Unguentum, non amplius est unguentum nudum, neque commune, postquam jam consecratum est: quod Christi, & Spiritus Sancti præsentiam efficit; quo frons, & alij sensus corporis tui symbolice inunguntur: & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, Anima vero Sancto, vivificoque Spiritu sanctificatur; S. Augustinus Tractatu cxviii. in Joannem. Quid est, inquit, quod omnes noverunt signum Christi, „ nisi*

Chrismatis
consecratio.

nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguuntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. Chrisma ab Episcopo consecratum esse debere, confirmant *Innoc. I. Epist. 1. ad Decentium* Eugubinum Episcopum, *S. Gregorius Magnus* in Sacramentario, Ordo Romanus, *Honorius Augustodunensis*, *Rupertus Abbas*, *Amalarius Fortunatus* Lib. de Divinis Officiis, *Arnoldus Bonævallis Abbas* Lib. *De Cardinalibus Operibus Christi*; *Euchologia Orientalis*, & Pontificalia Occidentalis Ecclesiæ consecrandi Chrismatis potestatem penes Episcopum esse declarant; Consecrationem illam a Chorepiscopis, & Presbyteris fieri vetant Concilia, Carthaginense II. can. III. Carthaginense III. can. xxxvi. Toletanum I. can. xx. Hispalense II. can. VII. *Montanus Toletanus* Episcopus Epistola ad Palæstinos, cujus hæc sunt verba: *Nova præsumptio præsentium vobis Presbyterorum nostrorum pulsavit auditus: si tamen nova tantum, & non detestabilis dici possit, quæ ab initio Fidei Catholicæ nunquam, præter nunc, subrepsisse probatur, ut id quod per manus Summi Pontificis Trinæ Divinitatis invocatio sacrificare consuevit, Presbyter ignarus discipline conficere sibi Chrisma præsumeret.* Lib. VII. Capitularium, cap. cccxxix. Chrisma confectum a Chorepiscopis non esse pro consecrato habendum declaratur.

Confirmatio-
tionis ma-
teria.

Consecrationis hujus necessitatem Tridentini Concilii Catechismus post *S. Thomam* inde repetit, quod Christus Dominus Chrisma contactu suo, atque usu non consecraverit, sicut aquam, quæ materia Baptismi est, contactu suo sanctificavit, cum in Jordane baptizatus est a *Joanne*: quamobrem necesse est ut sanctis, & religiosis precibus ab Episcopo consecretur, qui Confirmationis ordinarius Minister institutus est. An vero consecratio Chrismatis ab Episcopo facta sit necessaria necessitate Sacramenti, ita ut nullum esset Sacramentum, quod Chrismatis non consecrati, aut Presbyteri, non Episcopi benedictione sanctificati inunctione administraretur, quæstio est inter Theologos controversa, quæ quoad finita ab Ecclesia non fuerit, dubium censendum erit Sacramentum Confirmationis, cujus in materiam assumptum forte fuerit Chrisma non consecratum, aut consecratum quidem, sed a simplici Presbytero, non ab Episcopo; maxime cum *Eugenius IV.* in decreto doceat, hujus Sacramenti materiam esse *Chrisma ab Episcopo benedictum*, addatque, quod licet legatur per Apostolicam dispensationem factum ut simplex Presbyter Confirmationem conferret, non tamen *nisi Chrismate per Episcopum benedicto*. Itaque si casus hujusmodi contingeret, Confirmatio sub conditione iteranda esset.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Chrisma ex prisco Ecclesiæ more Feria v. in Cena Domini consecrandum est. Huic mori testimonium perhibent *S. Bonifacius* Archiepiscopus, & Martyr, Epist. XII. Conc. Meldense, can. xlvi. Sacramentarium *S. Gregorii Magni*, Ordo Romanus, *S. Isidorus Hispalensis*, Auctor Libri de Divinis Officiis sub *Alcuini* nomine, *Rupertus Abbas*, & cap. *Litteris*, dist III. *De Consecratione*, quod sumptum est ex Epistola sub *S. Fabiani* Pontificis, & Martyris nomine vulgata. Moris hujus convenientes rationes afferunt, scilicet, I. Quod ante biduum Paschæ *Maria* caput, & pedes Domini unguento perfuderit. II. Quod quinta Mundi ætate Christus ad nos venerit. III. Quod ea die Agnus immolatus sit, & ejus sanguine postes obsignati. Addit *S. Thomas*,

Chrismatis
consecra-
tio.

mas,

mas, III. p. qu. LXXII. art. XII. ad III. diem illum fatis congruere materiis Sacramentorum præparandis, quo fuit Sacramentum Eucharistiæ institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur.

Hæc disciplina de conficiendo Chrismate Feria v. in Cœna Domini invaluisse videtur VI. sæculo. Episcopus enim ante Chrisma consecrare potuisse *omni tempore*, colligitur ex can. 20. Concilii Toletani I. quod sub initium sæculi v. habitum est.

R E G U L A II.

Chrisma quotannis renovandum, & vetus comburendum est.

Hinc Presbyteris præceptum, ut singulis annis circa Festivitatem Paschæ ab Episcopo proprio Chrisma petant, Concilii Vafensis can. III. Antistiodorensis can. VI. Liptinensis can. III. &c.

Confirmatio-
tionis ma-
teria.

R E G U L A III.

PRO Chrismate, aut Balsamo ad illud conficiendum, aliquid a Presbyteris Diœcesanis exigere, sacri Canones prohibent Episcopis, & ceteris Ecclesiæ Ministris, scilicet Conc. Cabilonensis II. can. XVI. Aquisgranensis II. can. V. Meldensis XLV. Toletani XI. can. VIII. Barcinonensis can. II. *Et Innoc. III. cap. In tantum*, Extra, *De Simonia*, ubi refert, ac damnat morem quorundam Episcoporum Angliæ, qui pro Chrismate certam consueverant accipere pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam canonicam; utque Metropolitanis, ac Primatis sui correctionem eluderent, solutionis tempus anticipabant, recipientes in media Quadragesima, quod recipere consueverant post Pascha: & ut causam recipiendi dissimularent, nomen denariorum variabant, *Denarios*, quos prius *Chrismates*, secundo *Paschales* dicebant, *Consuetudinem mediæ Quadragesimæ nuncupantes*.

R E G U L A IV.

Presbyteri acceptum Chrisma sub sigillo, & sera custodire debent, nec ulli donare, ne ad malefium, superstitionem, aut quosvis usus profanos aliquis eo abutatur.

Ita jubent *Herardus* Turonensis Archiepiscopus cap. XXI. Conc. Moguntinum can. XXVII. Turonense III. can. XX. Synodus Lingonensis MCCCCIV. Senonensis MDXXIV. Parisiensis MDLVII.

R E G U L A V.

Chrismatis Consecratio Religiosis Ritibus peragitur, quos impie derident Heretici.

Primo preces ad Deum funduntur, quod Apostoli doctrinæ omnino consentaneum est 1. ad *Timotheum* cap. IV. scribentis: *Sanctificatur per verbum Dei, & orationem*. 2. Signum Crucis fit super oleum, & balsamum: sine isto quippe signo nihil consecrari posse docent *S. Jo: Chrysostomus*, Hom. LV. in *Mattheum*, & *S. August.* Tract. CXVIII. in *Joannem*. 3. Episcopus aliquotieshalat super ampullam Chrismatis, ut illapsus Spiritus Sancti significet, cujus vim Chrismati adprecatur: isque Ritus ab exemplo Christi sumptus est, qui in Apostolos insufflavit, ut Sp. Sanctum in eos illabi ostenderet, Joan. XX. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spir. Sanctum*. 4. Chrisma jam consecratum ab Episcopo, & Presbyteris genuflectentibus in hunc modum salutatur, *Ave Sanctum Chrisma*: salutatur (inquam) non adoratur. Nec insolens est aut absolum res etiam inanimes in signum gaudii,

dii, & gratulationis salutare. Sic *S. Andreas* Crucem a longe conspiciens; ait, *Salve Crux*. Sic *Fortunatus* Christi Crucem alloquitur his verbis, *Sola digna tu fuisti ferre pretium seculi: & O Crux, ave spes unica*. Salutatur etiam diem festum Resurrectionis Dominicæ. *Salve, festa dies, toto venerabilis evo*. Sic *Paula* salutavit Bethelæem, cum eam primo vidit, ut refert *S. Hieronymus* Epistola de ejus obitu. Sic *S. Gregorius Nazianzenus*, quando Episcopatu se abdicavit Constantinopolitano, vale dixit Cathedrali, Templo, Domibus Hospitalibus, Civitati, *Oratione xxxii*. Salutatio denique hujusmodi ad Chrisma dirigitur quatenus Christi symbolum est, ut docent *Rupertus Abbas* Lib. v. *De Divinis Officiis*, cap. xviii. & *Amalarius Fortunatus* Lib. i. cap. xii.

R E G U L A VI.

Chrismatis inunctio fit in fronte confirmandi, quæ verecundiæ sedes est, ne Christi nomen confiteri erubescat, vel timeat, & præcipue Crucem ejus, quæ *Judeis est scandalum, Gentibus autem stultitia*, secundum Apostolum: propterea signo Crucis signatur, ut miles signo Christi Ducis.

1. Cor. 1. 23.

Has Ritus istius rationes afferunt *Innoc. III.* Extra. *De Sacra Unctione*, *Eug. IV.* in Decreto, & *S. Thomas III.* p. q. lxxi. art. ix. Eos spectant præclara *S. August.* verba in illum Pl. cxli. Verum: *Juxta iter scandalum posuerunt mihi*, dicentis: *Usque adeo de Cruce non erubescō, ut non in occulto habeam Crucem Christi, sed in fronte portem. Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus: quædam, sicut nostis, ore accipimus (scilicet Eucharistiam.) Quia vero in fronte erubescitur, ipsam ignominiam quodammodo quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Audis hominem insultari impudenti, & dicere, Frontem non habet: quid est Frontem non habet? Impudens est. Non habeam nudam frontem, tegat eam Crux Domini mei: Quamvis autem Græci non solam frontem unguunt, sed os, aures, & nares & pectus, ut constat ex *S. Cyrillo Hierosolymitano*, Catechesi llii. *Mystagogica*, & ex eorum Euchologiis; præcipue tamen frons ungitur, unctiones ceteræ quasi per accessionem fiunt.*

A R T I C U L U S III.

De Forma Confirmationis.

P R O P O S I T I O U N I C A.

Forma Sacramenti Confirmationis est Oratio Manuum impositioni adjuncta, & solemnia verba Chrismatismis inunctioni respondentia.

Prima pars Propositionis probatur ex Act. vii. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Sp. Sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. Sanctum.* Secundo ex *S. Cypriano* Epist. lxxiii. *Ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Sp. Sanctum consequantur.* 3. Ex *S. Ambrosio* Lib. llii. de Sacramentis, cap. ii. *Sequitur (inquit) spiritale Signaculum, quia post Frontem superest ut Perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Sp. Sanctus infunditur.* 4. Ex *S. Hieronymo* Dialogo adversus Luciferianos: *Non ab uno (inquit) hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut Episcopus ad invocationem Sp. Sancti manum imposturus excurrat. Et infra: Alioquin si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit &c.* 5. Ex *S. Augustino* Lib. xv. *De Trinitate*, cap. xxvi. *Neque enim (inquit) aliquis Dis-*

scipulorum ejus dedit Sp. Sanctum. Orabant quippe, ut veniret ad eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia. 6. Ex Amalario Lib. 1. de Officiis, cap. xxvii. Ut per manuum impositionem, & orationem detur Sp. Sanctus, similiter ab Apostolica Auctoritate sumptum est, ut in Actibus Apostolorum scriptum est. Orationem hanc præscribunt S. Gregorii Sacramentarium, Ordo Romanus, & Occidentalis Ecclesiæ Pontificalia: Omnipotens sempiternus Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, & Sp. Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum Paracletum de cælis, &c. Græcorum Euchologia hanc Orationem præscribunt: Benedictus es Domine Deus Omnipotens, &c. Quæ Sp. Sanctum pariter super confirmandos advocat, & invitat.

Forma Confirmationis.

Pars altera Propositionis probatur ex Eug. IV. Decreto, ubi hanc formam Confirmationis esse docet: Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. A qua non differt secundum substantiam ea, quæ in Ordine Romano refertur his verbis concepta: Confirmo te, in Nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti. Et quæ apud Guilelmum Parisiensem Lib. de Sacramentis: Consigno te, & cruce confirmo, &c. Et quæ apud Severum Alexandrinum Lib. De Ritibus Baptismi refertur, ut ejusdem temporibus a Græcis usurpata: Chrismate sancto suavitatis odoris Christi Dei, sigillo veræ Fidei, complemento pignoris Sp. Sancti obsignatur N. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad vitam sæculorum, Amen. An vero forma illa Eugenii IV. Decreto Armenis præscripta sit essentialis, an integralis dumtaxat, vel accidentaria, Theologi disputant. Unde si contingeret vel solam Orationem absque solemnibus illis verbis, aut verba illa absque Oratione in Pontificalibus Libris præscripta, proferri ab Episcopo, Sacramentum dubium esset, totusque Ritus sub conditione videretur iterandus, nisi Quæstionem illam judicio suo finiret Ecclesia. Idem ne dicam de verbis illis solemnibus unctioni Chrismatis in Ecclesia Græca respondentibus, Signaculum Donationis Spiritus Sancti, prohibet Ecclesia, quæ Ritum confirmandi Græcorum numquam improbavit, & his verbis Confirmationem ab eorum Episcopis etiam Romæ Græcis administrari patitur. Hæc autem Ecclesiæ Romanæ vel tacita approbatio plus apud me valet, quam Theologorum quorundam ratiunculæ. In hujus porro, & aliorum Sacramentorum Administratione Ritum Ecclesiæ suæ servare tenetur unusquisque Episcopus, gravissimi alioqui peccati reus futurus.

Objicitur, hæc verba, Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis: &c. nec in Sacramentario S. Gregorii, nec in veteri Ordine Romano, qualis erat Amalarii tempore, nec in quibusdam Pontificalibus antiquis reperiri: adeoque ad formam integram, & accidentariam dumtaxat Confirmationis pertinere.

Resp. verba illa solemnia minime sileri in veteribus illis Libris, quod ad formam essentialem non pertineant; sed quod Veteres sollicitè caverent, ne solemnia illa verba propalarent; quæ arcani religio multis servata est sæculis. Unde Innoc. I. a Decentio rogatus de Confirmationis Sacramento, ita de illius forma loquitur: Verba vero dicere non possum; ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere. Hæc arcani religio in hujusmodi rebus ab Apostolicis temporibus ad sequentia sæcula propagata est. Unde S. Dionysius Lib. de Ecclesiastica Hierarchia ait: Consummativas invocationes (id est, verba, quibus perficiuntur Sacramenta, ut Sanctus Thomas explicat) non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere: sed
nostra

nostra sacra Traditio sine pompa (idest occulte) eas edocet .

Forma Con-
firmationis.

Hæc autem verba, *Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, congrue ut formam partialem Confirmationis adhiberi, S. Thomas, & ex eo Conc. Trid. Catechismus inde probant, quod his verbis tria exprimantur, quæ ad hoc Sacramentum sunt necessaria: primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimitur his verbis extremo loco positis: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Alterum est robur ipsum spirituale, quod per Chrismatis delibutionem sacri Fidelibus ad salutem tribuitur: quod his verbis exprimitur: *Confirmo te Chrismate salutis*. Tertium est lignum, quo notatur is, qui in Christianæ Militiæ certamen descensus cit, quod significatur his verbis: *Signo te signo Crucis*: in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur ad Coloss. 11.

C A P U T II.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

PROPOSITIO UNICA.

Sacramenti Confirmationis Minister ordinarius est solus Episcopus, extraordinarius vero Presbyter a plerisque Theologis probabiliter asseritur, aliis reclamantibus.

Ordinarius
Confirmatio-
nis Mini-
ster Episco-
pus.

Propositionis prima pars probatur 1. ex Actis Apostolorum, cap. viii. ubi legimus, cum Samaria verbum Dei accepisset, *Petrum, & Joannem* ad eos missos esse, qui *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Sp. Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in Nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. Sanctum.* Quo ex loco, nec non ex capite xix. constat, penes Apostolos, quorum Successores sunt Episcopi, & non penes alios Ministros Baptismi, fuisse administrandæ Confirmationis potestatem. 11. Ex S. Cypriano Ep. lxxiii. *Ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manuum impositionem Spir. Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* 111. Ex Concil. Illiberitano can. xxviii. quo Baptismum a Laico in necessitate infirmitatis collatum approbat: *Ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducatur, ut per Manus impositionem perfici possit.* Eodem modo loquitur can. lxxvii. de eo, qui a Diacono plebem regente fuerit baptizatus. iv. Ex S. Jo: Chrysostomo in cap. viii. Actuum Apostolorum, dicente: *Hoc erat Apostolis singulare. Unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* v. Ex S. Hieronymo, qui in Dialogo adversus Luciferianos, *Hanc esse Ecclesiarum consuetudinem* fatetur: & paulo infra addit: *Quod si hoc loco queris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spir. Sanctum* Disce, hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post *Ascensionem Domini, Sp. Sanctus ad Apostolos descendit.* vi. Ex Innoc. I. Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, cap. 111. „ De Consignandis „ vero infantibus (*inquit*) manifestum est, non ab alio, quam ab E- „ piscopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus „ tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis debent, ut „ vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetu-

Confirma-
tionis Mini-
ster.

„ do

do Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ afferit, Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis tradarent Sp. Sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsentem Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paraclitum. VII. Ex Innoc. III. cap. Quanto. Extra, De consuetudine, *cujus hæc sunt verba*: Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacra præsumant Fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre: ad excusandas excusationes in peccatis, solam consuetudinem prætendentes. ∴ Dilectioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Presbyteris districte prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumant. Quia licet non sint a Fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, ommittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo maniter conferantur: cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu. VIII. Ex Gregorio IX. Epistola ad Barensem Episcopum scribente: Chrismati a simplici Sacerdote Confirmationis munus minime receperunt, quia de solis Apostolis legitur, quorum sunt Episcopi Successores, quod per manus impositionem Sp. Sanctum dabant: & ideo tam illi, quam confirmandi de cetero a solis Episcopis consignentur. IX. Ex Innoc. IV. in Litteris ad Tusculanum Episcopum, a quo de Ritibus Græcorum fuerat interrogatus: Soli autem Episcopi (inquit) consignent Chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi: quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur. Adde cap. Manus, & cap. De his, dist. IV. De Consecratione, quæ desumpta sunt ex iis Epistolis, quæ sub Eusebii, & Melchiadis Pontificum venerandis nominibus falso circumferuntur. Concilium denique Tridentinum hanc veritatem ceu fidei Dogma credendam proposuit can. III. De Confirmatione: „ Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministerium, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; Anathema sit.

Accedit ratio congrua S. Thomæ, quam & Concilii Tridentini Catechismus affert. Ultima cujusvis operis consummatio supremo servatur Artifici: Confirmationis autem Sacramentum est quasi ultima consummatio Baptismi: per Baptismum enim ædificatur homo in domum spiritualem, juxta illud I. ad Corinth. III. Dei ædificatio estis: sed per Sacramentum Confirmationis quasi domus ædificata dedicatur in templum Sp. Sancti: quamobrem Sacramenti hujus administratio ad solos Episcopos, qui summam in Ecclesia potestatem habent, ordinario jure pertinet.

Pars altera Propositionis probatur I. Ex S. Gregorio Magno Lib. III. Epistola xxvi. ad Januarium Calaritanum Episcopum, qua Presbyteris Sardinia concedit, ut Ubi Episcopi desunt, Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate ungere valeant; per unctioem autem frontis, non alia quam confirmatoria intelligitur. Præterea, permittere videtur eo loco, quod prohibuerat Epistola IX. Libri I. prohibuerat autem, Ne Presbyteri baptizatos signare sacro in frontibus

Confirmatio-
nis Mi-
ster.

Chrismate præsumerent, sed eos in pectore ungerent, ut Episcopi postmodum ungerere deberent in fronte.

II. Ex decreto *Eugenii IV.* cuius hæc sunt verba: *Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Ad factum *S. Gregorii* proculdubio respexit *Eugenius*, legitque in ejus Epistola, *Baptizatos*, sicut & *Gratianus* d. xcv. cap. *Pervenit*, quamvis aliqua Manuscripta habeant, *Baptizandos*.

III. Ex *S. Thoma* III. p. qu. LXXII. art. xi. ad 1. *Papa* (inquit) *in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum Ordinum, committere quibusdam inferioribus: sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre Minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.*

IV. Proferuntur ad hujus confirmationem Sententiæ & alia Monumenta, scilicet simplices Presbyteros in Oriente Confirmationis Sacramentum ante Schisma *Photii* administrare solitos, Romana Ecclesia non improbante, ut colligitur ex Epistola Encyclica *Photii*, ex *Ratramno* Corbejensi Monacho Lib. IV. *Contra Græcos*, cap. VII. & ex *Aenea* Episcopo Parisiensi in Responsione ad IV. Græcorum objectionem. Quam Ecclesiæ Græcæ disciplinam Latina non improbavit Ecclesia, quoties pacem inivit cum Græcis Schisma ejurantibus, maxime in Conc. Lugdunensi II. sub *Gregorio X.* & in Florentino: siquidem Græcos cum omnibus Ritibus suis recepit. Græcis enim proposuerat *Eugenius* undecim Quæstiones, quarum sexta his verbis concepta erat: *Quare Pontifices non inungunt sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum? Quæ a Latinis objecta Mitylenensis Præsul legitime, ac secundum Canones omnia dissolvit, præter quam duo, videlicet separationem Matrimonii, quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim: ut habetur in Actis.*

V. Laudantur Privilegia simplicibus Presbyteris de administranda Confirmatione concessa per plurimos Pontifices, scilicet *Nicolaum IV.* *Urbanum IV.* *Joannem XXII.* *Eugenium IV.* *Leonem X.* *Hadrianum VI.* ut fidem faciunt *Vvadingus* in Annalibus Minorum, & *Cardinalis Palavicinus* in Historia Conc. Tridentini Lib. VI. Ad eandem sententiam confirmandam proferuntur verba *S. Hieronymi* Epist. lxxxv. ad *Evagrium* scribentis: *Quid facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Ex quo confici videtur, quicquid Ecclesiastici Ministerii in ceteris Sacramentis est, simplici Presbytero, aut vi Ordinis sui, atque Characteris convenire, aut eidem committi posse. Unde vetus Auctor Commentariorum in Epistolas *S. Pauli*, sub *S. Ambrosii* nomine olim editorum, in cap. IV. ad Ephesios scribit: *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Idemque testatur Auctor Quæstionum ex utroque Testamento apud *S. Augustinum* quæst. CI. His momentis adductos Tridentinæ Synodi Patres, ne Sententiæ Theologorum asserentium, simplicem Presbyterum extraordinario jure, & Pontificia dispensatione, Sacramentum Confirmationis administrare posse, quoquo modo præjudicarent, Canoni de istius Sacramenti Ministro addidisse vocem *Ordinarium*, ut intelligi posse innuerent, salva fide, simplicem Sacerdotem esse Ministrum Extraordinarium, observat *Palavicinus* Lib. IX. *Historiæ Concilii Tridentini* cap. VII.

Rogabis, an ratione Characteris Sacerdotalis, an ratione Jurisdictionis a Summo Pontifice concessæ, sacra hæc administrandæ Confirmationis provincia simplici Sacerdoti conveniat? Primum si dixerimus, simplex Sacerdos

Confirma-
tionis Mi-
nister.

dos erit Ordinarius hujus Sacramenti Minister: si secundum, poterit etiam Diacono, aut inferiori Clerico committi, sicut & cetera, quæ sunt Jurisdictionis.

Respond. Confirmandi potestatem inchoatam ratione Characteris Sacerdotalis Presbytero simplici convenire, quæ Pontificia dispensatione compleatur, & consummetur.

Vulgaris quidem hæc responsio est, sed quæ minime satisfacit. Nam si ex Characteris Sacerdotii simplici conveniat Presbytero inchoata potestas ad Confirmationis administrationem, cui complementum accedat ex commissione Summi Pontificis, cur Episcopus designatus, & a Summo Pontifice confirmatus, Confirmationis Sacramentum administrare non potest ante Inaugurationem suam; cum Pontificia Confirmatione Jurisdictionem omnem Episcopalem obtineat? Quod tamen nemo dixerit. Hæc momenta juncta Summorum Pontificum *Innoc. III. Gregorii IX. & Innoc. IV.* Oraculis, soli Episcopo confirmandi potestatem asserentibus, gravissimos Theologos in eam sententiam inclinarunt, quod simplex Presbyter Sacramenti Confirmationis Minister nequidem extraordinarius usquam esse possit, qualibet Romani Pontificis dispensatione accedente, scilicet *Guillelmum Altsiodorensis* Lib. IV. cap. III. *S. Bonaventuram, Majorem, Durandum, Hadrianum* postea Summum Pontificem, *Estium* in IV. Sententiarum dist. VII. *Alphonsum a Castro*, Lib. IV. adversus Hæreses, verbo *Character*, & verbo *Confirmatio*, *Hieronymum De Sainte-beuve* Doctorem, & Professore Sorbonicum, & alios. Quamobrem cum hæc etiam opinio probabilis sit, immo *Durandus* scripserit, *Communius, & probabilius teneri, quod solus Episcopus est Minister Sacramenti Confirmationis*: & *S. Gregorii* factum quo *S. Thomæ* sententia nititur, non sit ita certum, ut de illo convenient omnes, propter lectionum varietatem, quibusdam Codicibus MSS. vocem *baptizandos* habentibus, non *baptizatos*, in Epistolis laudatis: Summi forte Pontifices consultius se facturos judicabunt, si in re tanti momenti abstineant a concedendis hujusmodi privilegiis, & dispensationibus de Confirmatione a simplici Presbytero administranda: ne secundum illam Propositionem ab *Innoc. XI.* Pontifice Maximo jure damnatam agere videantur: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Confirmacionis Minister.

Probabiliorem, ac tutiorem *S. Thomæ* hac in materia opinionem Thomistæ dicent: at contrariam probabiliorem, tutioremque ex adverso contendunt alii Theologi. Quamobrem, ut ut se res habeat speculative, tutius erit in praxi Confirmationis administrandæ provinciam non committere secundi Ordinis Sacerdotibus, maxime cum nulla necessitas urgere possit hujusmodi dispensationis concedendi: siquidem Sacramentum istud non est absolute necessarium ad salutem: & æque facile est Summo Pontifici simplicem Sacerdotem ad Episcopatum promovere, eumque consecrare, ut sit Confirmationis Ordinarius Minister; ac ipsi privilegium, sive dispensationem concedere, ut sit Minister Extraordinarius. Summis tamen Pontificibus absit, ut Regulam præscribere velimus, a quibus Ecclesiasticæ Disciplinæ Regulas, aut veterum Regularum interpretationem, & confirmationem, debita veneratione, & obedientia suscipimus.

R E G U L A I.

E *Episcopus non solum sacris, solemnibusque Pentecostes diebus, sed etiam (si ita Civitatis suæ ingens frequentia, multitudoque postularit) &*

Pasche Resurrectionis tempore, & in Adventu sacro Domini, & quoties Visitationem obibat; Sacramentum Confirmationis ministret: & ob eam causam ad ministrandum sæpe accurret, quibus in locis Diœcesi opus erit.

Ita statuit Concilium Mediolanense V. sub S. Carolo Borromæo.

R E G U L A II.

CAvere debet Episcopus, ne cum administrandæ Confirmationis munus obit, *Alienæ Diœcesis hominibus de Jure non exemptis, qui in sua Diœcesi domicilium jam non constituerint, hoc Sacramentum ministret, nisi proprii illorum Episcopi concessu, aut assensu scripto. Quo igitur tempore ministrat, populum ea ipsa de re Parochos præmonere jubeat.*

Ita statuit Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromæo.

C A P U T III.

DE CONFIRMATIONIS EFFECTIBUS.

Duo sunt Confirmationis effectus, Gratia nempe, & Character, de quibus singillatim agendum est.

A R T I C U L U S I.

De Gratia, primo Confirmationis effectu.

Sacramentum Confirmationis gratiam conferre, & quidem habitualem; & sanctificantem, extra controversiam est apud omnes, qui illud Novæ Legis Sacramentum esse credunt, idest, apud omnes Catholicos. In hoc enim Sacramento, inquit *S. Thomas*, datur Spiritus Sanctus ad robor, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, ut legitur *Act. II.* & sicut dabatur baptizatis per impositionem manuum Apostolorum, ut dicitur *Act. VIII. & XIX.* At missio, seu donatio Sp. Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente: unde manifestum est, quod gratia gratum faciens confertur in hoc Sacramento, *Non quidem per se ad remissionem culpæ, sed ad augmentum, & firmamentum justitiæ.* Sicut enim ex ipsius nominis significatione compertum est, *Hoc Sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit; & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam.* Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per penitentiam reparatis. Unde dicitur in *Aurelianensi Conc. III.* ex quo refert *Gratianus dist. v. De Consecratione cap. VI.* *Ut jejuni ad Confirmationem veniant, ut moneantur Confessionem facere prius, ut mundi donum Sp. Sancti valeant accipere.* Et tunc *Per hoc Sacramentum perficitur penitentiæ effectus, sicut & Baptismi: quia per gratiam collatam in hoc Sacramento consequitur penitens plenior remissionem peccati.* Et si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fœlus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur (per accidens, ut Theologi Scholastici loquuntur) remissionem peccatorum. Ita *S. Thomas III. p. qu. lxxii. art. VII.*

Gratiæ sanctificantis productionem Sacramento Confirmationis expresse tribuunt antiqui Patres, ex quibus hausit *S. Thomas*. Ita enim *S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystagoga III.* *Corpus quidem visibili Unguento*

unguento illo perungitur, anima vero Sancto, vivificoq; Spiritu sanctificatur. Ita S. Augustinus Lib. II. *Contra litteras Petiliani*, cap. CIV. illa verba Psalmi CXXXII. *Sicut unguentum in capite, &c.* explicans. Ergo ad eos, qui sunt fortes in Ecclesia ejus, & adherent ori ejus, ut sine timore predicent veritatem, ab ipso Christo tamquam a capite Sanctum descendit Unguentum, idest, sanctificatio spiritualis. Quod ad Confirmationis Sacramentum pertinere paulo post significat his verbis: *Et in hoc Unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem ingenere visibilibus signaculorum sacrosanctum est, sicut & ipse Baptismus.* Ita Theodoretus in *Cantica Canticorum*, ad cap. I. scribens: *Qui velut sigillum quoddam regium suscipiunt spiritualis unguenti Chrisma, recipiunt gratiam invisibilem SS. Spiritus unguento tamquam in typo.* Ita S. Isidorus Hispalensis Lib. VI. *Originum*, cap. ult. *Sicut (inquit) in Baptismo peccatorum remissio datur, ita per Unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur.*

Gratia singularis, & propria hujus Sacramenti est gratia consummationis gratia perficiens, gratia augmenti, & roboris, gratia denique, qua perfecti Christiani sumus. Gratiam consummationis vocat S. Cyprianus Epist. LXXIII. *Quod nunc quoque (inquit) apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manuum impositionem, & Sp. Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Gratiam perfectionis vocant Illiberitanum Concilium can. XXXVII. *Ad Episcopum (inquit) eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit.* Et S. Ambrosius Lib. III. *De Sacramentis*, cap. II., *Sequitur, inquit,* „ spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post Fontem superest, ut Perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Sp. Sanctus infunditur: Spiritus sapientiæ, & intellectus; Spiritus consilii, atque virtutis; Spiritus cognitionis, atque pietatis; Spiritus Sancti timoris; septem quasi virtutes Spiritus. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent, sed istæ quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale quam pietas? Quid tam principale quam cognitio Dei? Quid tam principale quam virtus? Quid tam principale quam timor Dei? Sicut timor sæculi infirmitas, ita timor Dei magna est fortitudo. Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris. Nam, ut ait Apostolus Sanctus, quia multiformis est sapientia Dei, ita multiformis est Sp. Sanctus, qui habet diversas, variasque virtutes. “ Ex quibus patet, gratiam perficientem, & Sp. Sancti septem donis cumulatam, Sacramento Confirmationis conferri.

Gratia singularis, & propria Sacramenti Confirmationis.

Confirmationis effectus.

Ephes. 3. 10.

Gratia augmenti roborisq; spiritualis per Sacramentum Confirmationis datur.

Gratiam augmenti simul, & roboris vocat S. Hilarius Arelatensis, *Homilia in Pentecoste.* „ Quod nunc (inquit) in confirmandis Neophytis manuum impositio tribuit singulis, hoc tunc Sp. Sancti descensio in credentium populo donavit universis. Sed quia diximus, quod Manus impositio, & Confirmatio ei, qui jam renatus in Christo est, conferre aliquid possit, forte cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post Mysterium Baptismatis ministerium Confirmantis? Aut quantum video, non totum de Fonte suscepimus, si post Fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita est, dilectissimi: Sic enim exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in Militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum. Ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adjumenta militiæ. Numquid prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat facultatem, nisi providere studeat & tutorem? Ita Paracletus rege-

neratis in Christo & consolator, & tutor est. Ideo dicit sermo divinus:
 Psalm 123. „ Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam.
 „ Ergo Sp. Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu,
 „ in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmen-
 „ tum præstat ad gratiam. Quia hoc in mundo tota ætate victuris inter
 „ invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur
 „ ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo alimur,
 „ post Baptismum roboramur. Ac sic continuo transituris sufficiunt Rege-
 „ nerationis beneficia; victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.“
 His gemina sunt quæ habentur c. *Spiritus Sanctus*, dist. v. *De Consecra-
 tione*, sumpto ex supposititia *Melchiadis* Papæ Epistola ad Episcopos Hispa-
 niæ. Gratiam autem in Confirmatione Sp. Sanctus non auget modo, sed
 mirabili quadam ratione auget. Hoc autem pulcherrime indumenti meta-
 phorico nomine Salvator noster significavit, & expressit, cum Apostolis ait,
 Lucæ xxiv. *Sedete in civitate quoadusque induamini Virtute ex alto*. Hujus
 autem divini roboris, & fortitudinis, quæ hoc Sacramento confertur, exem-
 plum longe omnium maxime illustre a SS. Apostolis sumitur. Illi enim ante
 Passionem, vel sub ipsam Dominicæ Passionis horam adeo infirmi, & re-
 missi fuerunt, ut cum Dominus comprehensus est, statim se in fugam con-
 jecerint: Petrus vero, qui Ecclesiæ post Christum, & sub Christo petra, &
 fundamentum designatus erat, & summam constantiam, excelsiq; animi ma-
 gnitudinem præ se tulerat, unius mulierculæ voce perterritus, se Jesu Chri-
 sti Discipulum esse, non semel, aut iterum, sed tertio negaverit; ac post
 Resurrectionem Salvatoris omnes propter metum Judæorum clausis ædibus
 se continuerint: sed ubi postea die Sacro Pentecostes repleti sunt Sp. Sancto.
 facti sunt viri fortes, constantissimi, atque ad omne certamen, & pugnam
 pro fidei confessione, & propagatione expeditissimi: ita ut summa Aposto-
 licæ virtutis contentione universum orbem terrarum brevi, etiam repu-
 gnantibus importunissimis hostibus Evangelii, luce collustrarint.

Confirma-
tionis effe-
ctus.

Confirma-
tio gratiam
confert,
qua perfe-
cte Chri-
stiani su-
mus.
Philip. 4.
13.

1. Cor. 14.

Gratiam denique, qua perfecte Christiani sumus, vocat S. *Cyrillus Hie-
 rosolymitanus* Catechesi III. *Mytagogica*. *Ut Salvator* (inquit) *post Baptif-
 mum, & illum Spir. Sancti adventum, egressus in prælium devicit Adversa-
 rium: sic & vos post sacrum Baptisma, & Chrisma mysticum induti armis
 Sp. Sancti, adversus vobis oppositam Potestatem consistatis, & præliemini di-
 centes: Omnia possum in eo, qui me confortat Christo :: Hujus Chrisma-
 tis dono accepto, merito appellamini Christiani, veram efficientes appellatio-
 nem in ipsa Regeneratione. Ante enim, quam hæc gratia vobis donata
 esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi
 estis, ut efficeremini Christiani. Ita & Conc. Aurelianense III. apud Gra-
 tianum, dist. v. *De Consecratione*, cap. *Ut jejuni*: Nunquam (inquit)
 erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali fuerit Chrismatum. Ita &
 cap. *Omnes*, eadem Distinctione, quod ex Epistola Urbano I. Pontifi-
 ci, & Martyri affecta sumptum est, & plenius refertur ab *Yvone Car-
 notensi* I. P. Decreti, sub *Antheri* Papæ nomine: *Omnes Fideles per
 Impositionem manus Episcoporum, post Baptismum accipere debent Sp. San-
 ctum, ut pleni Christiani inveniantur. De Spiritu accipimus, ut spirituales
 efficiamur: quia animalis homo non percipit, quæ sunt Spir. Sancti Dei:
 quia cum Sp. Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam
 dilatatur. De Spiritu Sancto accipimus, ut sapiamus inter bonum, &
 malum discernere, justa diligere, injusta respicere, ut invidiæ, ac su-
 perbiæ repugnemus; ut luxuriæ, ac diversis illecebris, & sedis, indignisque
 cupi-**

cupiditatibus resistamus. De Sp. Sancto accipimus, ut amore æternæ gloriæ, & ardore succensi, erigere a terrenis mentem ad superna, & divina valeamus. Epist. IV. ad Julium, & Julianum venerando S. Clementis Papæ, & Martyris nomini supposita: Omnibus ergo, inquit, festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, idest, septiformem gratiam Sp. Sancti perficere: quia incertus est uniuscuiusque exitus vitæ. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformis Spiritus gratia ab Episcopo confirmatus: quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos. Conc. Rothomagense MDLXXXI. Imperfectum, nec omnibus suis armis instructum militaturum Christianum Majores nostri judicant eum, quem non corroborasset Confirmationis Sacramentum. Hinc illæ Anglorum quorundam Propositiones a Sacra Facultate Parisiensi anno MDCXXXI. damnatæ sunt.

I. Catholicos Chrismate unctos in Baptismo, licet ab Episcopo non confirmatos, perfectos esse Christianos in sensu Patrum.

II. Infero Anglos Catholicos, qui baptizantur Ritu Catholico, vel qui recipiunt Ceremonias Catholicas Baptismi, licet non fuerint confirmati ab Episcopo, fuisse & esse perfecte Christianos omni modo.

Sacræ Facultatis Parisiensis Censura his verbis concepta est: Utraque Propositio est falsa, temeraria, contra sensum communem Patrum, in contemptum Sacramenti Confirmationis, & in errorem inducens.

A R T I C U L U S II.

De VII. Donis Spiritus Sancti, Gratiæ perficientis comitibus.

Dona Spiritus Sancti esse Fidelibus exponenda, cum Sacramentum Confirmationis ab Episcopo administrandum est, opportune monet S. Carolus, ut in tanta divinatorum Munerum gratia progressiones suas examinent, juxta illud S. Ambrosii: *Repete, quia recepisti signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ, & intellectus; Spiritum consilii, atque virtutis; Spiritum cognitionis, & pietatis; Spiritum Sancti timoris: serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti.* Dona definiuntur a S. Thoma 1. 2. q. LXVIII. *Perfectiones hominis, quibus disponitur, ut bene sequatur instinctum Spiritus Sancti.* Enumerantur ab Isaia cap. XI. ubi de Christo sic vaticinatur. *Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ, & intellectus; Spiritus consilii, & fortitudinis; Spiritus scientiæ, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.* De his lege S. Gregorium Magnum Hom. XIX. in Ezechielem, & S. Bernardum Serm. XIV. De Diversis.

S. I.

De Dono Sapientiæ.

Donum Sapientiæ, est habitus supernaturalis, quo perficitur, ac disponitur homo, ut secundum motum, ac institutum Sp. Sancti judicet de rebus divinis etiam excellentiori, & extraordinario modo cognitis, quod sit eis inherendum, & ab oppositis recedendum. Sive, est Rectitudo judicii, tam in contemplatione divinatorum, quam in ordinatione rerum humanarum, secundum divinas Regulas, quantum necessarium est ad salutem (ut ait S. Thomas, 2. 2. Q. XLV. Art. v.) Sapientiam, quatenus Sp. Sancti donum est, in cognitione, & delectatione summi boni, idest, Dei, positam docet Conc. Coloniensis Catechismus, secundum S. Augustinum, qui

Dona Spiritus Sancti.

Donum sapientiæ positum est in cognitione

& delectatione summi boni.
Eccl. 1.
Job. 28:

hanc esse cultum Dei pronunciat *Enchiridii* cap. 1. *Sicut nemo (inquit) a seipso esse potest , ita etiam nemo a seipso sapiens esse potest , sed ab illo illustrante , de quo scriptum est , Omnis sapientia a Deo est . Hominis autem sapientia pietas est . Habes hoc in Libro Sancti Job : namibi legitur , quod ipsa Sapientia dixerit homini : Ecce pietas est sapientia . Si autem quæras , quam dixerit eo loco pietatem , distinctius in Græco reperies *θεοφωρυ* , quæ est Dei cultus . Vere igitur sapiens est ea sapientia , quæ donum est Sp. Sancti , qui uni Deo vacat , & studet , in eumque fertur sincero affectu , totam fiduciam , ac spem in illo collocans , ipsumq; ex toto corde , tota anima , tota mente , tota virtute diligens , præterea nihil amans nisi Dei causa , omnia ad illius gloriam referens . Quo fit , ut omnia , quæ in mundo sunt , præ Deo *Tamquam stercora* contemnat , ut *Christum lucrifaciat* : quæ sapientia plena est cœlestis suavitatis , per quam gustamus , *Quia suavis est Dominus* . Hæc est *Sapientia deforsum descendens* , quæ nec viribus naturæ , nec humano studio comparatur , sed ab uno Deo datur . Unde S. *Jacobus* cap. 1. ait : *Si quis vestrum indiget sapientia , postulet a Deo , qui dat omnibus affluenter* . Huic opposita est sapientia hujus mundi , *Terrena , animalis , diabolica* . Talis erat Philosophorum sapientia , qui *Cum rationis lumine Deum cognovissent , non sicut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis , & obscuratum est inspiens cor eorum : dicentes etiam se esse sapientes , stulti facti sunt* . De quibus idem Apostolus 1. ad Cor. 1. *Scriptum est : Perdam sapientiam sapientium , & prudentiam prudentium reprobabo . Ubi sapiens ? Ubi scriba ? Ubi conquistor hujus seculi ? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus Mundi ? Et cap. III. Sapientia hujus Mundi , stultitia est apud Deum . Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum . Et iterum : Dominus novit cogitationes sapientium , quoniam vane sunt* . De qua ad Rom. VIII. *Qui secundum carnem sunt quæ carnis sunt , sapiunt : qui vero secundum Spiritum sunt , quæ sunt Spiritus , sentiunt . Nam prudentia carnis mors est : prudentia autem Spiritus vita , & pax . Quoniam sapientia carnis inimica est Deo ; legi enim Dei non est subiecta , nec enim potest . Qui autem in carne sunt , Deo placere non possunt . Vos autem in carne non estis , sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis* . Quem locum explicans S. *Augustinus* Lib. De Diversis Quæstionibus lxxxiii. qu. lxxvi. ait : „ Prudentia carnis „ dicitur , cum anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit . „ Quamdiu enim appetitus talis inest animæ , Legi subiecta esse non potest , „ idest , implere non potest , quæ Lex jubet . Sed cum spiritalia bona „ desiderare cœperit , & temporalia contemnere , desinet esse carnis pru- „ dentia , & spiritui non resistet . Eadem namq; anima cum inferiora „ appetit , prudentiam carnis habere dicitur ; cum superiora , prudentiam „ Spiritus : non quia prudentia carnis substantia est , qua induitur anima , „ vel exuitur ; sed ipsius animæ affectio est , quæ omnino esse desinet , cum „ se totam ad superna converterit .*

Vere sapiens est , qui quicquid in se est boni , Deo acceptum refert .
Sap. 8. 21.
Psalm. 145.
Psalm. 18. 8
Jacob. 1. 5.

Veram hominis sapientiam in eo esse positam , ut quicquid in se boni est , Deo acceptum referat , docet S. *Aug.* Lib. De Sancta Virginitate c. XLII. De ipsa (inquit) continentia nonne apertissime dictum est : „ Et cum „ scirem , quia nemo potest esse continens , nisi Deus det , & hoc ipsum „ erat sapientiæ , scire cujus esset hoc donum ? “ *Sed forte continentia Dei donum est , sapientiam vero sibi ipse homo præstat , qua illud donum non suum , sed Dei esse cognoscat . Immo* „ Dominus sapientes facit cæcos : & Testimo- „ nium Domini fidele sapientiam præstat parvulis : & Si quis indiget sapientia , „ postulet a Deo , qui dat omnibus affluenter , & non impropert , & dabitur ei .“
Sapientia

Sapientes autem esse Virgines docet, ne lampades earum extinguantur. Quando sapiens, nisi Non alta sapientes, sed humilibus consentientes: Dixit enim homini ipsa Sapientia: Ecce pietas est sapientia. Si ergo nihil habes, quod non accepisti, Noli altum sapere, sed time. Et noli medicum diligere, quasi a quo tibi modicum dimissum est: sed potius multum dilige, a quo tibi multum tributum est. Si enim diligit, cui donatum est, ne rederet; quanto magis debet diligere, cui donatum est, ut haberet: Nam & quisquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur; & quisquis ex impudico pudicus fit, ab illo corrigitur; & quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur. Hoc autem ille occulto iudicio facere potest, iniquo non potest: & fortasse ideo latet, ut plus timeatur, & minus superbiatur.

Divina illa Sapientia (inquit S. Iacobus) primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. Pudica est, quia vitat corruptelas peccati. Pacifica, quia constituit ordinem in hominis animo: Pax autem est tranquillitas ordinis, secundum S. August. Unde ad Sapientiam donum pertinet septima beatitudo. *Beati Pacifici*. Ut enim ait idem S. August. Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. 11. „ Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes. & subicientes rationi, id est, menti, & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt Regnum Dei: in quo ita sunt ordinata omnia, ut id, quod est in homine praeipuum, & excellens, hoc imperet ceteris non reluctans, quae sunt nobis, bestiisque communia; atque id ipsam, quod excellit in homine, id est, mens, & ratio, subiciatur potiori, quod est ipsa Veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subiciat. Et haec est pax, quae datur in terra hominibus bonae voluntatis: haec vita consummati, perfectique sapientis. *Et Cap. 14.* Sapientia congruit Pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperat Deo. Jam vero homo per pudicitiam a corruptelis recedens, quantum in se est, modum in omnibus tenet: hinc sapientia dicitur a S. Iacobo *Modesta*. Deinde in his, in quibus ipse sibi non sufficit, in aliorum monitis aquiescit: unde dicitur *Suadibilis*. Quae quidem ad pacem hominis in seipso constituendam pertinent. Ut autem sit etiam pacificus cum aliis, necesse est primo, ut bonis eorum non repugnet: quoniam sapientia dicitur *Bonis consentiens*. Secundo, ut defectibus, ac miseriis proximi compatiatur affectu, & subveniat effectu, ideo dicitur *Plena misericordia, & fructibus bonis*. Tertio, ut ex charitate aliorum peccata emendare satagat, propterea subditur, *Judicans sine simulatione*: ne scilicet correctionem praetendens, odium intendat explere. Praeclara haec explicatio est S. Thomae Secunda Secundae, Q. XLV. A. VI. Haec Sapientia adversus malitiam praeratiatur, eamque vincit. Hac sapientia donatus Non plus sapit, quam oportet sapere, sed sapit ad sobrietatem, quantumvis eam cumulatissime acceperit, vereque de eo dici possit: *Beatus homo, qui invenit Sapientiam, & qui affuit prudentia*. Sobrietas autem Sapientiae in tribus posita est, secundum S. Bernardum Sermone xv. De Diversis. „ Sobria, inquit, Sapientia est in poenitudine peccatorum praeteritorum, in contemptu praesentium commodorum, in desiderio futurorum praemiorum. Invenisti plane sapientiam, si prioris vitae peccata desleas; si huius saeculi desiderabilia parvipendas; si aeternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt; ut haec quidem amara, & omnino fugienda; ista quoque velut caduca, & transitoria contemnenda; illa vero,

„ ut

Matth. 24. 3.
Rom. 12. 16.
Job. 28.
1. Cor. 4. 5.
Rom. 11. 20.

Jacob 3. 17.
Sapientiae
Spiritu Sancto
dare
proprietates.
Lib. 19. De
Civ. Dei,
Cap. 13.
Matth. 5. 9.

Sap. 7.

Rom. 12.

Prov. 3. 13.

Vere Sapientiae proprietates.

ut perfecta bona totis appetenda desiderijs, intimo quodam animi sapore discernas, & judices. Ita corde afflues Sapientia. Ore vero eadem afflues, si sit in ore confessio propriæ iniquitatis: si gratiarum actio, & vox laudis: si etiam sermo ædificationis. In opere denique affluit Sapientia. Quicumque continenter, patienter, & obedienter conversatur; tantum ut fidelis obedientia propriam mortificet voluntatem; humilis continentia carnalem pariter, & sæcularem amputet voluptatem; hilaris patientia utramque simul, & corporalem scilicet, & mundialem viriliter sustineat adversitatem.

Huic Dono opponitur hebetudo, & stupor cordis.
S. Tho. 2. 2. Qu. 46. A. 1. 1. & 1. 1.

Huic Spiritus Sancti dono opponitur hebetudo cordis, & stupor spiritualis sensus circa rerum spiritualium dijudicationem, secundum illud I. ad Corinthios 11. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*: quæ longe miserabilior stultitia est ea, quæ ex naturalibus causis oritur. Hæc enim inde nascitur, quod *Homo sensum suum rebus terrenis immergit, ex quo redditur ineptus ad percipienda Divina: sicut etiam homini habenti gustum infectum malo humore, non sapiunt dulcia. Et talis stultitia est peccatum.* Est etiam pena peccati præsertim luxuriæ, qua maxime sensus hominis terrenis immergitur, & animæ delectationibus obscœnis, naturæ suæ vehementissimis, absorbetur. Est denique causa peccati. *Ad stultitiam enim pertinet fastidium Dei, & donorum ipsius.* Unde illius duas veluti partes designat S. Gregorius Magnus Lib. xxxi. Moralium, Cap. xvii. scilicet. *Odium Dei, & desperationem futuri sæculi.*

§. II.

De Dono Intellectus.

Secunda Secundæ Q. 7. A. 3.

Tract. 26. in Joann.

Hoc Donum ad re-
tam Scri-
pturæ Sacre
intelligen-
tiam neces-
sarium.

Luc. 24.

Apoc. 3. 7.

Hoc Dono caruerunt Gentiles Philosophi; eo instructi sunt iusti ex fide viventes.

Isai. 7. 9. secundum Verf. 70.

Donum Intellectus est lumen supernaturale, quo mens hominis iusti ad divina capienda, & juxta statum suum, & conditionem cognitione assequenda, & penetranda, a Spiritu Sancto illustratur. Sive, est Illustratio mentis circa estimationem rectam de ultimo fine; ut loquitur S. Thomas. Ad quod quidem Donum spectant illa Christi Domini verba, Joannis vi. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Et, *Scriptum est in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.* Nam *Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus corruscat, intus revelatur* (inquit S. August.) Ad divinum illud Charisma etiam pertinet, quod Christus Discipulos alloquens, Lucæ viii. ait: *Vobis datum est nosse Mystrium Regni Dei, ceteris autem in Parabolis: ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Et illud Matth. xi. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Hoc Dono Scripturæ Sacre Veteris, & Novi Testamenti sincere, & recte intelliguntur. Unde hoc dono Christus mentes Discipulorum Emmaumentem euntium illustravit, aperiens illis Scripturas, quæ de ipso erant. Neque enim intelligere illas possumus sicut oportet, nisi eas aperuerit Sanctus, & Verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Hinc David orabat Psal. cxviii. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Hoc dono cæci Judæi carent, inhærentes Litteræ Legis, quæ occidit, Spiritu vivificante destituti: super quorum oculos velamen positum est, ut non possint intendere in faciem Moyfi. Hoc dono carent Hæretici, qui Scripturas depravant ad suam perditionem. Hoc dono caruere Philosophi subtilissimi, facundissimique Oratores: quia merces est Fidei: unde S. August. Tract. xxvii. in Joannem, explicans hæc verba, „ Sunt quidam in vobis, qui non credunt, ait: Ideo non intelligunt, quia non credunt, Propheta enim dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Per fidem

dem copulamur, per intellectum vivificamur: prius hæreamus per fidem, ut sit quod vivificetur per intellectum. Nam qui non hæret, resistit: qui resistit, non credit. Nam qui resistit, quomodo vivificatur? Adversarius est radio lucis, quo penetrandus est: non avertit aciem, sed claudit mentem. Sunt ergo quidam qui non credunt. Credant, & aperiant, aperiant, & illuminabuntur: " Et paulo post, explicans hæc Apostolorum verba: Nos credidimus, & cognovimus, observat eos non dixisse: Cognovimus, & credimus: Nam si prius cognoscere, & deinde credere vellemus, nec cognoscere, nec credere valeremus. Tract. xxii. Gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus. Et Tract. xlvi. Fides meritum est, intellectus premium. Et Serm. xviii. in Psal. cxviii., Nisi essent aliqua, quæ intelligere non possumus, nisi ante credamus, Propheta non diceret, Nisi credideritis, non intelligetis. Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda, quæ credat, & fides proficit ad credenda, quæ intelligat: & eadem ipsa, ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit proprii tamquam naturalibus viribus, sed Deo adjuvante, atque donante: sicut medicina fit, non natura, ut vitiatus oculus vim cernendi recipiat. Quia ergo dicit Deo, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua, non omni modo expersejus est, velut pecus: nec ita quamvis homo, ut in eorum numero deputandus sit, qui ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati a via Dei. Nam si talis esset, nec hoc diceret: non autem parvi est intellectus, nosse, a quo poscendus sit intellectus. Et cogitandum est quanto sint altius intelligenda divina mandata; quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum petit, qui jam sic intelligit, & qui eloquia Dei se custodisse ante jam dixit. Gentiles ergo Philosophi spiritali illo intellectu caruerunt: quia ut interiores oculi, quorum cæcitas est non intelligere, aperiantur, & magis magisque serenentur, fide corda mundantur, secundum illud Actuum xv. Fides purificans corda eorum. Hoc dono caret Animalis homo, qui non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Carent eo peccatores omnes, ex quorum persona Psal. xxxix. dicitur: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Nam, ut ait S. August. Lib. De Agone Christiano, Cap. xiiii., Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem Mundum istum diligere, & ea, quæ nascuntur, & transeunt, pro magno habere: & ea concupiscere, & pro his laborare, ut acquirantur; & lætari, cum abundaverint; & timere, ne pereant; & contristari, cum pereunt. Talis vita non potest puram illam, & sinceram, & incommutabilem videre Veritatem, & inhærere illi, & in æternum jam non moveri. Itaque priusquam mens nostra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valemus; quoniam verissime dictum est per Prophetam, Nisi credideritis, non intelligetis. Quamobrem huic dono respondet sexta beatitudo. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Unde S. August. Lib. I. De Sermone Domini in Monte, cap. iv. ait: Intellectus congruit mundis corde, tamquam purgato oculo, quo cerni possit, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et hæc quidem est Munditia mentis depuratæ a phantasmatibus, & erroribus: ut scilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundum hæreticas perversitates (inquit S. Thomas Secunda Secundæ Q. viii. Art. vii.) Soli ergo viri spirituales, quibus Deus impartitur, hoc donum habent. Unde Apostolus I. ad Corinthios II. ait: Nos autem sensum Christi habemus. Quamvis enim

Dona Spiritus Sancti.

Isai. 7. 9.

Psal. 118. 73.

Ephes. 4. 17

I. Cor. 2. 14.

Dono intellectus peccatores omnes carent.

Dona Spiritus Sancti.

nim homines justi, & Deo grati hebetudinem pati possint circa aliqua, quorum cognitio non est ad salutem necessaria; attamen *Circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, sufficienter instruuntur a Spiritu Sancto: secundum illud 1. Joannis 11. Unctio ejus docet vos de omnibus: & quamvis non omnes habentes fidem, quæ per dilectionem operatur, plene intelligant ea, quæ proponuntur credenda; Intelligunt tamen ea esse credenda, & quod ab eis nullo modo est deviandum* (inquit S. Thomas A. IV. Quæstionis supra laudatæ, ad 1. & 2.)

Donum intellectus pugnat contra contemptum, qui ex peccandi consuetudine oritur.

Prov. 18.

Contra contemptum, qui ex peccandi consuetudine prodit, Spiritus Intellectus præliatur, secundum S. Bernardum Serm. XIV. De Diversis: *Contemptus* (inquit) *ex consuetudine prodit, ut tanto liberius, quanto desperatius peccans, totas jam concupiscentiæ laxet habenas, toto impetu feratur in præceptum, sicut scriptum est: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Hunc ergo contemptum necesse est, ut Spiritus Intellectus impugnet, illuminans tenebras cordis, & lucem divinæ misericordiæ, & copiosè miserationis infundens. Intelligentia nempe divinis, & altissimis rebus attribuenda est, quas quidem ratio humana nullatenus, difficile autem vel fides ipsa comprehendere possit, ut est illud: Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

Rom. 5.

S. III.

De Dono Consilii.

Donum Consilii est, quo prompti reddimur ad bene deliberandum, & judicandum quid in rebus difficilioribus, præsertim inopinatis, ad salutem pertinentibus, aut Dei gloriam promoventibus, optimum sit factum. Hæc virtus, est *Habitus supernaturalis, quo ratio a Spiritu Sancto movetur, vel instruitur de agendis* (ut loquitur S. Thomas Secunda Secundæ, Q. LII. A. 1.) *Quia enim humana ratio non potest comprehendere singularia contingentia, quæ occurrere possunt, fit, quod cogitationes mortalium sint timide, & incertæ providentiæ nostræ, ut dicitur Sapientiæ 19. Et ideo indiget homo in inquisitione consilii dirigi a Deo, qui omnia comprehendit. Quod fit per donum consilii, per quod homo dirigitur, quasi consilio a Deo accepto. Sicut etiam in rebus humanis, qui sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione consilii Sapientioribus consilium requirunt. Id autem assequuntur, quibus inest bona voluntas Deum colendi propter ipsum Deum: qui ex animo dicunt: *Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.* Huic dono Spiritus Sancti opponitur consilium humanum, cujus scopus non est Dei gloria, sed temporalia commoda; quo qui reguntur, *Querunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: & quæ summa perversitas est, ut untur fruendis, & fruuntur utendis. Rebus scilicet caducis, & transitoris amore inhærent propter ipsas, finemque in eis constituunt; res vero æternas, & Deum ipsum ultimum omnium finem, summumque bonum, ad alium finem referunt, scilicet ad se ipsos, & ad suarum expletionem cupiditatum. Unde S. Augustinus Lib. XI. De Civitate Dei, Cap. XXV. *Ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per seipsam delectat; uti vero ea re, quam propter aliud querimus. Unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Non sicut perversi, qui frui volunt nummo, uti autem Deo; quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.***

Psal. 53. 8. Hujus doni a consilio humano discernimen. Phil. 2. 21.

Dona Spiritus Sancti.

Cælesti illo Charismate, quod Donum Consilii vocatur, instructi erant Apostoli, cum Principibus Sacerdotum præcipientibus ne docerent in Nomine Jesu,

su, responderunt: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Consilium autem humanum fuit, quo Sacerdotum Principes Petri, & Joannis Apostolorum prædicatione, & miraculis attoniti, cum contradicere non possent, *Conferebant ad invicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in Populum comminemur eis, ne ultra loquantur in Nomine hoc ulli hominum*. Sed Gamaliel utriusque consilii vim prudenter discrevit: *Discedite, inquit, ab hominibus istis, & finite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini*. Et revera, ut ait Gamaliel sapientior David: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobatur autem cogitationes populorum, & reprobatur consilia Principum: Consilium autem Domini in eternum manet*.

Donum Consilii respondet prudentiæ, sicut ipsam adjuvans, & perficiens, & quintæ beatitudini: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Unde S. August. Libro 1. De Sermone Domini in Monte, cap. IV. ait: *Consilium congruit misericordibus: hoc enim unum remedium est de tantis malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; & adjuvamus, in quo possumus, alios, sicut nos in quo non possumus, cupimus adjuvari*.

Quamvis autem non omnes ea sint a Deo gratia donati, ut aliis consilium de rebus salutis præbere valeant; justis tamen omnibus commune est, ut a Deo consilium accipiant in his, quæ necessaria sunt ad salutem. Quo Spiritus Sancti dono maxime est opus, cum aliquis status eligendus est, ex quo tota vitæ nostræ ratio, & fors æterna pendet. Cum enim in hujusmodi electione sit examinandum in primis, utrum Deus ad hujusmodi statum nos vocet, utrum in eo salutem nostram operari facile possimus, utrum dotes habeamus ad illius status officia implenda necessarias: & maximum damnationis periculum immineat, si Deo non vocante, statum aliquem amplexi fuerimus; maxime vero si in Clerum fuerimus cooptati, si ad Sacerdotium, vel Animarum curam promoti, si in Ordine Monastico conscripti absque Dei vocatione: Consilium a Spiritu Sancto his in negotiis maximi ad æternam salutem momenti quærendum est: orationi hunc in finem ferventius vacandum, frequentanda Sacramenta, secedendum a mundanarum societatum tumultibus, in quibus Spiritus Sanctus non loquitur ad cor; viri spirituales consulendi, cor nostrum scrutandum est, ne forte nos decipiat, quia sæpe sibi de se ipsa mens humana mentitur: videndum ne temporalia commoda, vel humanæ rationes, ne nostra, vel parentum cupiditas, ne levitas, ne aliqua tentatio, potius quam divinæ gloriæ, ac nostræ salutis studium, ad hujusmodi statum nos invitent. Deo supplicandum verbis Davidis Psalmo cXLII. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Quæ verba S. Augustinus præclaro hoc illustrat Commentario. *Ad alium curram refici, si ab alio factus sum. Tu es totum meum, quia tu es Deus meus. Patrem quæram propter hereditatem? Tu es Deus meus, non solum dator hereditatis, sed ipsa hereditas: Dominus pars hereditatis meæ. Dominum quæram propter redemptionem? Tu es Deus meus. Patronum quæram propter liberationem? Tu es Deus meus. Postremo creatus, recreari cupio? Tu es Deus meus, qui Creator meus, qui creasti me per Verbum tuum, & recreasti me per Verbum. Sed creasti me per Verbum Deum manentem apud te, recreasti me per Verbum carnem factum propter nos. Doce ergo me, ut faciam voluntatem*

Act. 4.

Act. 5.

Act. 5. 38. 39.

Pl. 32. 10.

Hoc Donum quintæ beatitudini respondet.

Hoc Dono maxime opus est, cum aliquis vitæ status est eligendus.

Psal. 15. 5.
Dona Spiritus Sancti.

rem tuam, quoniam tu es Deus meus. *Si non me docueris, faciam voluntatem meam, & deseret me Deus meus.* Doce me: Non enim tu es Deus meus, & ego ero magister meus. Videte, quemadmodum gratia commendetur...
 „ Spiritus tuus bonus, non meus malus, Spiritus tuus bonus deducet me in „ terram rectam. *Quia spiritus meus malus deduxit me in terram perversam.*
 Si autem vel filii, vel parentes Deum in his occasionibus non consulant, sed suam cupiditatem, & solas familiæ suæ opportunitates, Phariseorum, & Sacerdotum Judaicorum instar, consilium ineunt adversus Jesum; qui temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt.

Joan. 11.

Donum
 Consilii
 adversus
 pravam
 consuetu-
 dinem pu-
 gnat.

Adversus pravam consuetudinem militat Spiritus Consilii (inquit S. Bernardus Sermone XIV. De Diversis) *Est autem consuetudo hæc gravis quædam, & perniciofa catena, solvenda utique facilius quam rumpenda: ut hic maxime vulgare illud Proverbium videatur usurpari, Industriam violentia potentior: ut quemadmodum vis vi repellitur, & fervore Spiritus fervor extinguitur desideriorum; sic Maligni artem arte deludas, & consuetudini consilium opponas.* Alioquin si forte violentiam quæras, & castigationem corporis speres consuetudini prevalere, timendum omnino est, ne sit perniciosus labor, & prius ipsa substantia deficiat, quam inolita concupiscentia, præsertim quod altera quædam natura sit ipsa consuetudo. Necessarium itaque est consilium, vel ab ipso magni consilii Angelo ministratum, vel ab homine aliquo spirituali, qui cogitationes Satane, spiritualiaque remedia non ignoret. Subtrahenda nobis occasio est, & opportunitas fugienda peccati.

Huic Dono
 opponitur
 præcipitatio.

Huic dono opponitur præcipitatio, qua aliquis impetu voluntatis, vel cupiditatis fertur ad agendum: & hanc esse singulare peccatum probat S. Thomas Secunda Secundæ, Q. LIII. Art. III. De qua S. Gregorius, Lib. I. Moralium; Cap. IX. scribit: *Intuendum quoque est, quod nullus dolor mentis sit in actione præcipitationis. Qui enim sine consiliis vivunt, qui seipso rerum eventibus præcipientes deserunt, nullo interim cogitationum dolore fatigantur. Nam qui solerter in vitæ consilio figit mentem, caute sese in omni actione circumspiciendo considerat; & ne ex re, quæ agitur, repentinus finis, adversusque surripiat, hunc prius molliter posito pede cogitationis palpat: pensat ne ab his, quæ agenda sunt, præpediat formido: ne in his, quæ differenda sunt, præcipitatio impellat: ne prava per concupiscentiam aperto bello superent: ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent.*

§. IV.

De Dono Fortitudinis.

Distinctio
 Fortitudi-
 nis, quæ
 virtus est,
 ab ea, quæ
 donum est
 Spiritus
 Sancti.

D Onum Fortitudinis est fiducia quædam menti a Spiritu Sancto ingenerata; consequendi finem operis ardui propter Deum suscepti, & evadendi quæcumque pericula ex adverso imminentia, vel prementia. Hujus autem distinctionem a fortitudine, quæ est Virtus Cardinalis, explicat in hunc modum S. Thomas, Secunda Secundæ, Q. CXXXIX. Art. I. *Fortitudo importat quamdam animi firmitatem. Et hæc quidem firmitas animi requiritur & in bonis faciendis, & in malis perferendis, & præcipue in arduis bonis, vel malis.* Homo autem secundum proprium, & connaturalem sibi modum hanc firmitatem in utroque potest habere, ut non deficiat a bono propter difficultatem vel alicujus ardui operis implendi, vel alicujus gravis mali perferendi. Et secundum hoc fortitudo ponitur virtus specialis, vel generalis. Sed ulterius a Spiritu Sancto movetur animus hominis ad hoc, quod per-

veniat ad finem cujuslibet operis inchoati, & evadat quæcumque pericula imminencia: quod quidem excedit naturam humanam. Quandoque enim non subest potestati hominis, ut consequatur finem sui operis, vel evadat mala, seu pericula, cum quandoque ab eis opprimatur in morte. Sed hoc operatur Spiritus Sanctus in homine, cum perducit eum ad vitam æternam, quæ est finis omnium bonorum operum, & evasio omnium periculorum. Et hujus rei infundit quamdam fiduciam menti Spiritus Sanctus, contrarium timorem excludens. Et secundum hoc Fortitudo donum Spiritus Sancti ponitur. Hoc dono instructus Christianus, ad sanguinem profundendum pro Fide, & Justitia Christiana, si necesse sit, & Deus hanc opportunitatem dederit, paratus est; sed Mundum interim cum omnibus erroribus, amoribus, & terroribus suis vincit: carnis illecebris, Diaboli tentationibus invicto animo resistit; res perituras forti animo contemnit, nullis blanditiis emollitur, nullis adversis perturbatur, non lucris, aut divitiis corrumpitur, non adulatione flectitur, non favore delinitur, nullius potentiae metu frangitur; sed pro conservatione Christianæ Justitiæ, casto corde, nullius vanæ gloriæ causa, unius veri Dei amore, ardua quæque aggreditur, dura quæque firmiter, & patienter sustinet, cœlesti fiducia animatus, qua dicit cum Apostolo: Omnia possum in eo, qui me confortat. Hoc ergo donum maxime nobis necessarium est, quamdiu in hac vita degimus, quæ Militia est super terram. Siquidem, ut ait Apostolus: Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Hoc dono veri Christiani potissimum cognoscuntur: nam qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat. Hoc dono instructi Apostoli Ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine Jesu contumeliam pati. Huic vero dono opponitur fortitudo virium humanarum, quatenus homo sibi ipsi fidit. Nam prior innititur Dei præsidio. Perfecti enim Christiani orant ex animo: Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es . . . Deus refugium nostrum, & virtus In Deo faciemus virtutem Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis . . . Quia tu es Deus fortitudo mea. Quæ postrema verba S. Augustinus sic explicat in Psal. XLII. Quia ergo fortitudine opus est, imploranda ab illo, qui jussit, ut fortes simus, & nisi fortes ipse fecerit, non erimus, quod jussit; ab illo, qui dixit: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: & ne sibi ipsa anima arrogando fortitudinem debilitetur, continuo adjungit: Quia Tu es Deus fortitudo mea. Virium autem humanarum fortitudo viribus dumtaxat humanis, potentia multitudinis, & animi pertinacia constat: quæ adeo virtus non est, ut potius vitium sit. Quamobrem apud Deum nullam laudem merentur fortia illa Ethnicorum facta, absque vera pietate. Ut enim ait S. Aug. Lib. v. De Civitate Dei Cap. xviii. Hæc sunt duo illa, libertas, & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Romanos. Nos itaque cum Davide dicere convenit: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in Nomine Dei nostri invocabimus . . . Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus . . . In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me. Periit fuga a me. Quæ verba S. August. Enarratione in Psalm. cxli. sic explicat: In via Christi, & hinc laquei, & hinc laquei: laquei a dextris, laquei a sinistris: laquei a dextris, prosperitas sæculi; laquei a sinistris, adversitas sæculi: laquei a dextris, promissiones laquei a sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredi, a via noli

Hujus Doni effectus.

Philipp. 4.
13.
Job. 7. 1
1. ad Tim.
3.

Act. 5. 41.

Huic Dono opponitur fortitudo virium humanarum.
Psal. 58. 10.
Psal. 59. 13.
14.
Psal. 42.

Matt. 24 12.

Psal. 145.
10. 11.
Psal. 141.
Vere fortis est, qui propter Deum adversa quæque hujus sæculi patitur, nec prosperitate corrumpitur.

- Psal. 141. 5. *recedere: nec promissio te capiat, nec terror elidat. Considerabam ad dexteram, & videbam. In sinistram qui considerat, excæcatur. Quid est in dexteram considerare? Ubi erunt illi, quibus dicetur, Venite, benedicti Patris mei, possidete Regnum*
- Matt. 25. 34. *Fremente ergo toto Mundo, & minante in persecutionibus, crebrescentibus undique insultationibus hominum, atque terroribus, ille contemnens presentia, respiciebat in futura, attendebat in dexteram, ubi futurus est; ibi esse meditabatur, illuc attendebat, & videbat, & ideo omnia ferebat: illi autem, qui persequebantur, non videbant. Ideo cum diceret, Considerabam in dexteram, & videbam: secutus ait, Et non erat, qui cognosceret me. Cum enim toleras omnia, quis novit, quid attendas, utrum in dexteram oculum dirigas, an in sinistram? In eo quod toleras, si laudam hominum quæris, in sinistram attendisti: in eo quod toleras, si promissa Dei quæris, in dexteram attendisti. Attendisti in dexteram, videbis: attendisti in sinistram, excæcaberis. Sed & cum vides in dexteram, non erit, qui te agnoscat. Quis enim te consolatur, nisi Dominus, cui dicis, Et tu cognovisti semitas meas. Perit fuga a me. Ab illo perit fuga, qui non fugit. Qui autem non fugit, patitur quicquid potest pro Christo; idest, non fugit animo. Nam corpore fugere licet ... Sed interest quare non fugiat, qui circumclusus est, quia captus est, an quia fortis est. Et a capto enim perit fuga, & a forti perit fuga. Quæ ergo fuga cavenda est? Quæ fuga a nobis pereat? De qua Dominus dicit in Evangelio, „ Quia Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis: mercenarius „ autem & qui non est Pastor, cum viderit lupum venientem, fugit. Cum viderit prædonem, quare fugit? Quia non est ei cura de ovibus. Talis fuga ab isto perierat, sive ab ipsius Capitis persona accipiamus hanc vocem illius Christi Domini, qui pro omnibus mortuus est; sive a membris ejus Martyribus nostris, quia & ipsi pro fratribus passi sunt.*
- Joan. 10. 11. *Non solis Martyribus Donum Fortitudinis necessarium fuit; sed justis omnibus. Habet enim & pax Ecclesiæ Martyres suos: & tota vita Christiani, si secundum Evangelium vivat, Crux est, & Martyrium. Quod enim Martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert Mundus, quas ostentat Malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An non merito coronabitur, qui sic certaverit, Mundum abjiciens promittentem, irridens Inimicum tentantem; & (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? (inquit S. Bernardus Serm. 1. in Festo omnium Sanctorum.)*
- Non solis Martyribus. *Huic dono Spiritus Sancti quarta beatitudo respondet, Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Unde S. August. Lib. 1. de Sermone Domini in Monte, In quarto, inquit, gradulabor est, ubi vehementer incumbitur, ut sese animus avellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est: hic ergo esuritur, & sititur justitia, & multum necessaria est fortitudo; quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. Et infra: Fortitudo congruit esurientibus, & sitientibus: laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem a terrenis, & corporalibus avertere cupientes. Et S. Bernardus Serm. XIV. De Diversis: Contra concupiscentiam malignam dimicat Fortitudo: neque enim ulla jam nisi in manu forti liberatio est. Indicat sibi homo jejunia, corpus castiget, & subiciat servituti, ne forte jam de radice colubri egrediatur regulus, de concupiscentia consuetudo.*
- Huic beatitudo quarta respondet.
- Donum fortitudinis necessarium.
- Dona Spiritus Sancti.

De Dono Scientiæ.

Donum Scientiæ est habitus supernaturalis, per quem homo ex singulari Spiritus Sancti illustratione, & motione scit, quid credere debeat, discernens credenda a non credendis, & recte judicat de rebus humanis, quatenus nos ducunt ad Deum. Nam circa credenda duplex scientia potest haberi. Una quidem, per quam homo scit, quid credere debeat, discernens credenda a non credendis: & secundum hoc scientia est doxum, & convenit omnibus Sanctis. Alia vero est scientia circa credenda, per quam homo non solum scit, quid credi debeat, sed etiam scit fidem manifestare, & alios ad credendum inducere, & contradictores convincere. Et ista scientia ponitur inter gratias gratis datas, quæ non dantur omnibus, sed quibusdam. Unde Sanctus Augustinus Lib. XIV. De Trinitate, cap. I. Aliud est, inquit, scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur. Quemadmodum autem Fides primo, & principaliter in speculatione consistit, in quantum inhaeret primæ Veritati; & tamen Quia veritas prima est etiam ultimus finis, propter quem operamur, Fides ad operationem quoque se extendit, secundum illud ad Galatas V. Fides per dilectionem operatur: ita donum Scientiæ primo quidem & principaliter respicit speculationem, in quantum homo scit, quid fide tenere debeat: secundario autem se extendit etiam ad operationem, secundum quod per scientiam credibilium, & eorum, quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis. Quamobrem Illi soli Donum Scientiæ habent, qui ex infusione gratiæ rectum iudicium habent circa credenda, & agenda: ita quod in nullo devient a rectitudine justitiæ. Et hæc est scientia Sanctorum, de qua dicitur Sapientiæ X. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam Sanctorum. Ita de hoc Spiritus Sancti dono differit S. Thomas, Secunda Secundæ, Qu. IX. Ar. I. II. & III. Hoc dono destituti sunt viri quantumlibet perspicaces, & eruditi, qui charitatem non habent, sed scientiam ad propriam salutem infructuosam, ob ostentationem, vel quæstum multis studiis, ac laboribus conquistam; de qua S. Paulus: Scientia inflat, charitas vero ædificat. Illa scientia destituti sunt, quantumvis eruditi videantur, quam Apostolus de Judæis loquens commendat ad Romanos X. Cap. Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Commendat Scientiam comitem charitatis, magistram humilitatis (inquit S. Augustinus Enarratione in Psalm. CXLII.) Hi, ut ait S. Ambrosius Lib. V. in Hexameron, Cap. XXIV. sunt acuti ad vana, hebetes ad æterna. Qui se putant Aliquid scire, & nondum sciunt Quomodo oporteat eos scire (ut loquitur Apostolus.) Quomodo enim scientiæ dono instructi essent, qui ne quidem sciendi modum noverunt? Quid porro dicit modus sciendi? „ Quid nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine nosse quæ- „ que oporteat? Quo ordine; ut id prius, quod maturius ad salutem: „ quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine; ut „ non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum „ ad ædificationem tuam, vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo „ fine tantum, ut sciant: & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, „ ut sciatur ipsi: & turpis vanitas est. Et sunt, qui scire volunt, ut „ scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus: & tur- „ pis quæstus est. Sed sunt, qui scire volunt, ut ædificent; & charitas „ est: & item qui scire volunt, ut ædificentur: & prudentia est. Horum

Homines quantumlibet eruditi, qui charitatem non habent scientiæ donum non habent: I. Cor. 8.

Dona Spiritus Sancti.

Quis scientiæ di modus?

- Psalm. 116. „ omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippe qui
 „ ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Denique Intellectus bonus omni-
 „ bus facientibus eum. Reliqui omnes audiunt: Scienti bonum, & non facien-
 „ ti, peccatum est ei. „ *Ita S. Bernardus Serm. xxxvi. In Cantica. Contra ve-*
 „ ro, scientiam, quæ donum est Sp. Sancti, habent Christiani quantumlibet ru-
 „ des, agrestes, imperiti, & simplices mulierculæ in statu gratiæ, & charita-
 „ tis constitutæ. Sciunt enim, quid credere, quid agere debeant, ut Deo pla-
 „ ceant: sciunt declinare a malo, & facere bonum, inquirere pacem, & per-
 „ sequi eam. Sui, Deique sufficientem cognitionem habent, quæ duæ sunt cæ-
 „ lestis hujus scientiæ, ad salutem adeo necessariæ, partes. De quibus *S. Ber-*
 „ *nardus* loco supra laudato: „ Volo, *inquit*, animam primo omnium scire se
 „ ipsam, quod id postulet ratio & utilitatis, & ordinis: & ordinis quidem,
 „ quoniam quod nos sumus primum est nobis: utilitatis vero, quia talis
 „ scientia non inflat, sed humiliat, & est quædam præparatio ad ædifican-
 „ dum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum spirituale ædifi-
 „ cium stare minime potest. Porro ad se humiliandum nihil anima inveni-
 „ re vivacius, seu accommodatius potest, quam si se in veritate invenerit:
 „ tantum non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, statuatur se ante fa-
 „ ciem suam, nec se a se avertere abducatur. Nonne se ita intuens clara
 „ luce veritatis inveniet se in regione dissimilitudinis: & suspirans misera,
 „ quam jam latere non poterit, quod vere misera sit, nonne cum Prophe-
 „ ta clamabit ad Dominum: *In veritate tua humiliasti me?* Nam quomodo
 „ non vere humiliabitur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit one-
 „ ratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intri-
 „ catam curis, carnalium desideriorum fece infectam, cæcam, curvam, infir-
 „ mam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille ti-
 „ moribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspitionibus obno-
 „ xiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad
 „ virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Non-
 „ ne magis convertetur in ærumna sua, dum configitur spina? Convertetur,
 „ inquam, ad lachrymas, convertetur ad planctus, & gemitus, con-
 „ vertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit: *Sana animam meam, quia*
 „ *peccavi tibi.* Ergo quamdiu in me respicio, in amaritudine moratur ocu-
 „ lus meus. Si autem suspexero, & levavero oculos ad divinæ miseratio-
 „ nis auxilium; temperabit mox amaram visionem mei visio læta Dei, cui
 „ & dico: *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui.*
 „ Nec mediocris Dei visio, pium & deprecabilem experiri, sicut revera be-
 „ nignus, & misericors est, & præstabilis super malitia Tali itaque ex-
 „ perimento, & tali ordine salubriter innotescit Deus, cum prius se homo
 „ noverit in necessitate positum, & clamabit ad Dominum, & exaudiet eum,
 „ & dicet: *Eruam te, & honorificabis me.* Atque hoc modo erit gradus ad noti-
 „ tiam Dei cognitio tui: & ex imagine sua, quæ in te renovatur, ipse videbi-
 „ tur, dum tu quidem revelata facie gloriam Domini specularando, in eandem
 „ imaginem transformaris de claritate in claritatem tamquam a Domini Spiri-
 „ tu
 „ Et Serm. xxxvi i. *Noveriste, ut Deum timeas: noveris ipsum, ut æque ipsum*
 „ *diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris: quia Ini-*
 „ *tium sapientiæ timor Domini est, & Plenitudo legis est charitas. Tam ergo utra-*
 „ *que ignorantia cavenda est tibi, quam sine timore, & amore Dei salus esse non*
 „ *potest. Cetera indifferentia sunt, nec salutem, si sciantur, nec damnationem, si*
 „ *nesciantur habentia.* Numquid enim, Domine Deus veritatis, quisquis novit
 „ ista, jam placet tibi? *Infelix enim homo, qui scit illa omnia, te autem nescit:*
 „ *beatus*
- Jacob. 4. „ Christiani quantumlibet rudes & imperiti, in statu gratiæ constituti, scientiæ dono sunt instructi.
- Dux hujus scientiæ partes, Deum & seipsum nosse.
- Psalm. 118. „
- Psalm. 40. „
- Psalm. 41. 7. „
- Dona Spiritus Sancti. „
- Psalm. 49. „
- Psalm. 110. Rom. 13. „

beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beator, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te sicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evanescat in cogitationibus. Verba sunt S. Augustini, Lib. v. Confessionum, Cap. iv.

Donum scientiæ pugnare adversus experientiam mali [docet S. Bernardus Sermone XIV. De Diversis. Parit curiositas experientiam mali, inquit, ut facile, qui per multa vagatur, offendat: facile cadat in laqueum, facile inveniatur, quod perniciosè delectet. Confligit sane adversus hanc Scientiæ Spiritus, docens eligere bonum, reprobare malum; docens quid periculosum sit, quidve expediat experiri.

Donum scientiæ pugnat adversus experientiam mali.

Dono Scientiæ respondet tertia Beatitudo, scilicet: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Ad scientiam enim pertinet rectum iudicium de creaturis, quæ homini præbent occasionem aversionis a Deo; secundum illud Sapientiæ XIV. *Creaturæ factæ sunt in odium, & muscipulam pedibus insipientium:* qui scilicet rectum de his iudicium non ferunt, dum æstimant in eis esse perfectum bonum: unde in eis finem constituendo peccant, & verum bonum amittunt. Hoc autem damnum, inquit S. Thomas, homini innotescit per rectum iudicium de creaturis, quod scientiæ dono consequitur. Quamobrem beatitudo luctus, dono scientiæ respondere dicitur. Unde S. Augustinus Lib. I. *De Sermone Domini in Monte* Cap. IV. *Scientia, inquit, congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in Scripturis quibus malis vinciti tencantur, quæ tamquam bona, & utilia ignorantes appetiverunt.*

Tertiæ beatitudini respondet

Secunda Secundæ Q. IX. Art. IV.

§. VI.

De Dono Pietatis.

Donum pietatis est habitus supernaturalis, quo Anima Christiana fit prompte mobilis a Spiritu Sancto ad exhibendum cultum, & officium Deo ut Patri, & omnibus subinde hominibus, quatenus ad Deum pertinent. A Religione distinguitur, qua Deum colimus ut Creatorem, & Dominum: a pietate virtute, qua parentes carnis nostræ colimus.

S. Tho. 2. 2. Q. CXXI. A. I. & II.

Ad Pietatem quatenus Spiritus Sancti donum est, pertinet honorare Sanctos, non contradicere Scripturæ, sive intellectæ, sive non intellectæ, proximis omnibus propter Deum benefacere, eorum miseriis ex animo compati, ac subvenire. Donum istud spectat, quod scribit Apostolus ad Gal. IV. 6. *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba (Pater) ut ipsum velut Patrem amando colamus. Hic enim est Dei cultus, hæc vera Religio; hæc recta Pietas, hæc tantum Deo debita servitus* (inquit S. Augustinus, Lib. X. *De Civitate Dei*, Cap. III.) *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando* (inquit idem Doctor Epistola CXL. alias CXX. ad *Honoratum*, Cap. XVIII.) *Laudibus quidem Dei constat ejus cultus. Sed quis veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat?* Hoc dono, quod secundæ Beatitudini, *Beati mites*, respondet, opus est ad Divinæ Scripturæ studium, lectionem, auditionemque salutarem, ut docet S. Augustinus Lib. II. *De Doctrina Christiana*, Cap. II. *Mitescere, inquit, opus est Pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ, sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit; sive non intellectæ, quasi nos melius sapere, meliusque percipere possimus; sed cogitare potius, & credere id esse melius, & verius quod ibi scriptum est, etiamsi lateat, quam id, quod nos per nosmetipsos sapere possumus.* Et Lib. I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. IV. *Pietas congruit mitibus: qui enim pie querit, honorat Sanctam Scripturam, & non reprehendit, quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitem esse: unde hic dicitur, Beati mites.*

Pietatis effectus. Dona Spiritus Sancti.

Donum pietatis secundæ beatitudini respondet.

Hoc dono opus est ad Sac. Scripturæ studium.

Hoc dono fit, ut misericordiæ opera prompte, & delectabiliter exerceamus. Unde pietas pro misericordia interdum usurpatur. Ecclesiastici XLIV. 10. *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.* Hanc mirifice commendat Christus Matth. IX. 13. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Quibus verbis *Nihil aliud quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi: quoniam illud, quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii.* Porro autem misericordia verum sacrificium est. Unde Apostolus ad Hebræos XIII. scribit: *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hæc pietas nobis commendatur 1. Ad Timotheum, Cap. IV. 7. 8. *Exerce te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* De illa S. Jacobus Epistolæ Catholicæ Cap. I. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Hanc pietatem Mundus non habet, quantumlibet multa pietatis exempla liberorum in parentes, fervorum erga dominos, civium erga patriam ostendet; quia Deum beneficentiæ finem non statuit. Pietas vero Christiana ita in Deum intendit, ut Dei causa patrem, & matrem, fratres, & sorores, patriam, & cognationem relinquere, & abdicare parata sit, secundum illud Christi oraculum Matth. X. 37. „ Qui „ amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui „ amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. *Et Luc. XIV. 26.* „ Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxores, „ & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. *Unde impietatis potius genus est, parentes in causa Dei Deo præponere.* Quamobrem S. Hieronymus Epist. I. Heliodorum his verbis compellat: *Recordare tyrocini tui diem, quo Christo in Baptismate conscriptus, in Sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet parvulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem: Et Epist. XXV. ad Paulam de obitu Blesille filix, *Grandis in suos pietas, inquit, impietas in Deum est.* Hoc Spiritus Sancti dono instructi facile condonamus fratribus, libenter, & hilariter largimur egentibus, subvenimus oppressis, alia misericordiæ opera alacriter exercemus, ad quæ alioqui, nisi Spiritu Dei excitante, & movente, pigri, torpentesque sumus. In omnes scilicet homines, præsertimque Christianos non secus ac in fratres afficimur. Unde Tertullianus Apologetici Cap. XXIX. Ethnicos his verbis compellat: „ Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantix ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis? Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragædia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo, animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus.*

Donum pietatis adversus curiositatem pugnat, ut docet S. Bernardus Serm. XIV. De Diversis. „ Comitantia sunt, inquit, in humano corde negligentia sui, & cu-

Hoc dono fit, ut opera misericordiæ prompte, & delectabiliter exerceantur. S. August.

Hanc pietatem mundus non habet.

Impietatis genus est, parentes, & amicos in causa pietatis Deo præponere.

Donum Spiritus Sancti.

Donum pietatis contra curiositatem pugnat.

& curiositas ceterorum. Triplex enim (ut ait Sapiens) incommodum eji-
 cit de domo inhabitantem, *fumus, stillicidium, mala uxor*. Quando vero
 hæc deerunt negligenti? Propria quippe qui negligit, fumum non abi-
 git, uxorem non corrigit, tectum non reficit. Fumant peccata nullo mi-
 sericordiæ studio, nullis lachrymarum undis extincta; & fumus ille te-
 rrimus, & intolerabilis: malignatur voluntas, ipso neglectu quotidie de-
 terior semetipsa: stillat superni Judicis indignatio ex defectu utique cha-
 ritatis, quæ sola operit multitudinem peccatorum. Egrediatur itaque foras
 necesse est, & curiosius exteriora consideret, qui sic interna despicit, præ-
 terita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. Eviden-
 ter proinde curiositati pietas adversatur, & quem illa a corde evocat,
 ista revocat. Nimirum pietas illa est cultus Dei; & in corde colitur, qui
 in corde cognoscitur habitare. Hoc pretiosum pietatis unguentum unum
 ex illis est, quibus cœlestis Sponsus delectatur, & de quibus ad Sponsam ait:
Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Fit quidem illud un-
 guentum ex speciebus vilissimis, scilicet de necessitatibus pauperum, de an-
 xietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium,
 de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiamsi sint inimici: sed præ
 omnibus aromatibus exquisitum est. *Sanativum est*: Beati enim misericordes
 quoniam ipsi misericordiam consequuntur. „Igitur multæ miseræ collectæ,
 atque oculo pietatis inspectæ, ipsæ sunt species, ex quibus unguenta optima
 componuntur, Sponsæ digna uberibus, Sponsi sensibus grata. Felix mens,
 quæ talium collectione aromatum sese ditare, & impinguare curavit, in-
 fundens ea oleo misericordiæ, & ardore decoquens charitatis. Quis putas
 est *Jucundus homo, qui miseretur, & commodat*? Pronus compati, sub-
 venire promptus, dare quam accipere beatius judicans: ignoscere facilis,
 irasci difficilis, ulcisci penitus non acquiescens, & per omnia proximorum
 æque ut proprias respiciens necessitates? O quæcumque es Anima sic af-
 fecta, sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te
 omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum, ut ce-
 teris præsto, ubique semper occurras, atque succurras, sic denique mortua
 tibi, ut vivas omnibus: tu plane optimum unguentum felix possides, &
 manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem. Hoc unguento fragra-
 bat *Moses*, cujus mansuetudinem assiduæ lites, quotidiana jurgia, & mur-
 mura contumacis populi vincere non potuerunt, adeo ut ingratis, & rebel-
 libus non irasceretur, sed iratum Deum suis precibus placaret: *Dixit, ut
 disperderet eos, si non Moses electus ejus stetisset in confractione in conspectu
 ejus: ut averteret iram ejus, ne disperderet eos*. Denique, *Si dimittis*, ait,
dimitte: sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Loquitur plane pa-
 rentis affectu, quam nulla possit delectare felicitas, extorribus quos partu-
 rivit. Hoc unguento pietatis *Job* fragrabat. *Foris*, inquit, *non mansit pere-
 grinus. Ostium meum viatori patuit*. Item: *Oculus fui cæco, & pes claudus*.
*Pater eram pauperum, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius aufere-
 bam prædam. Si negabam, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ ex-
 pectare feci. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.*
*Si despexi prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, & absque operi-
 mento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus o-
 vium mearum calefactus est*. Singula opera singula erant aromata, quibus
 conscientiam repleverat, ut fetorem putidæ carnis internæ suavitatis exha-
 latione sibi temperaret. Hoc unguento *Joseph* abundabat, cujus fragran-
 tiam suis etiam venditoribus propinavit. Et quidem increpatoria verba vultu
 proferebat irato, sed erumpebant lachrymæ de pinguedine cordis, non iræ

Pretiosum
 pietatis un-
 guentum.
 Cant. 1.

Psal. 111.

Dona Spiri-
 tus Sancti.

Psal. 105
 Exod. 32. 33

Job, 29. &
 31.

Gen. 42.

indices, sed gratiæ proditricæ. Hoc unguento fragrabat *David*, cum illius mortem lugebat, qui suam semper sitierat: & illius moleste ferebat obitum, cui succedebat in Regnum. Sed & de morte parricidæ filii quam difficile consolationem admisit? Magnam profecto pietatis unctiorem talis spirabat affectio: ideo & securus orabat: *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus*. Hujus unguenti fragrantiam longe, lateque spargebat *S. Paulus*, quem sic affecerat *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*: *Quotidie, inquit, morior per vestram gloriam . . . Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Decebat primis, & purissimis aromantibus redolere ubera, quæ Christi membra lactarent, quorum Paulus mater erat pro certo, parturiens semel & iterum donec Christus formaretur in eis, ac membra Capiti suo reformarentur. Hoc unguentum, quod piæ mulieres comparaverunt, ut Corpus Jesu in sepulchro ungerent, quarum officium resurgendo prævenit, eamque unctiorem exhiberi noluit corpori suo mortuo, ut servaret vivo. Vivit enim Ecclesia, quæ manducat panem vivum, qui de cælo descendit. Ipsa est carius Corpus Christi, quod ne mortem gustaret, morti illud alterum traditum fuisse nullus Christianus ignorat. Ipsam ungi, ipsam fovendi desiderat, ipsius infirma membra cupit fomentis accuratioribus relevari. Ipsi ergo pretiosa unguenta retinuit, cum anticipans horam, & accelerans gloriam, Mulierum devotionem non elusit, sed instruxit. Renuit ungi, sed parcens, non spernens; non recusans obsequium, sed reservans proficuum: non hujus materialis, atque corporalis unguenti, sed plane spiritualis, quod in isto designatum est. In isto ergo pepercit Magister pietatis unguentis optimis pietatis, quæ membris suis indigentibus tam corporaliter, quam spiritualiter omnino cuperet exhiberi. Hæc *S. Bernardus* Serm. XII. in Cantica.*

§. VIII.

De Dono Timoris Domini.

Timor Domini est habitus supernaturalis, quo Anima Deum reveretur, & seque ipsi subducere timet. Timori mundano opponitur, qui tantum abest ut Dei donum sit, ut potius a Deo damnetur, sicut & amor Mundi, ex quo velut ex mala radice nascitur. Nolite (inquit Christus) timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Mundano illo timore Petrus Christum negavit, Pilatus ipsum damnavit, Apostoli relicto eo fugerunt, a via justitiæ, ac pietatis deflectunt quotquot diligunt Mundum, in quibus non est charitas patris. Distinguitur a timore servili, qui licet donum Dei, & sit a Spiritu Sancto, cum voluntate tamen peccandi cohærere potest, adeoque non est proprie, ac stricte Spiritus Sancti donum. Adhuc enim sub lege est, nondum sub gratia, qui serviliter timet, ut docet *S. Augustinus* Lib. De Natura, & Gratia, Cap. LVII. Sub lege est enim, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse, quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat. Ergo Si Spiritu (inquit) ducimini, non adhuc estis sub lege: utique lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem: Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per legis litteram, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Hæc est lex libertatis, non servitutis, quia charitatis utique, non timoris . . . In quantum quisque Spiritu ducitur, non est sub lege: quia in quantum condelectatur Legi Dei, non est

est sub legis timore: quia timor tormentum habet, non delectationem. Timor ergo, qui Spiritus Sancti donum est, timor filialis, & castus est. Timor servilis est, timor pœnæ, quatenus malum est peccatori a Deo inflictum, quem criminum vindicem, & inquirentium ipsum remuneratorem credit. Timor filialis est timor culpæ, quatenus Dei (ut ita loquar) malum est, sive offensa. Filiorum enim est timere offensam patris. Servilis timor cor præparat charitati, sed excluditur a charitate perfecta, ut docet S. Joannes Epist. 1. Cap. iv. *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Timor castus oritur ex charitate, ipsiusque comes est indivisus. Non omnis timor pœnæ servilis est, sed solum quo pœna timetur, ut principale malum hominis, bono illius naturali contrarium: cum vero timetur malum pœnæ ratione separationis a Deo, timor hujusmodi ex amore casto proficitur. Hoc timore qui donati sunt, mandata Dei cum reverentia singulari, & ex intimo affectu custodiunt, semperque solliciti, ne aliqua in re Deo displiceant, ab ejusque gratia excidant, salutem suam cum timore, & tremore operantur. 1. Pet. 1. Hos David Beatos pronunciat: *Beati (inquit) omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus*. De quo timore alibi ait: *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*. Utrumque timorem præclaro exemplo explicat S. Augustinus Enarratione in Psalmum cxxvii. „Alius timor per-

„ manet (inquit) alius excluditur. Timor, qui excluditur, castus non

„ est: qui autem permanet, castus est. Quis est timor, qui excluditur? A-

„ liqui propterea tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne il-

„ lis ægritudo accidat, ne damnum, ne orbitas, ne alicujus amissio cari,

„ ne exilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio; propterea ti-

„ ment, & tremunt: adhuc iste timor non est castus... Alius non in hac terra

„ pati timet, sed gehennas timet, unde terruit & Dominus. Audistis

„ cum Evangelium legeretur, *Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eo-*

„ *rum non extinguetur*. Audiunt hæc homines; & quia vere futura sunt im-

„ piis, timent, & continent se a peccato. Habent timorem, & per timorem

„ continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cum

„ autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, &

„ incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: & jam incipit homo

„ propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.

„ Exclusus est ergo timor a charitate, sed successit timor castus. Quis est

„ iste timor castus, secundum quem debemus, Fratres mei, intelligere quod

„ dictum est: *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus?* Psalm. 127.

„ Si potuero digne dicere de isto timore casto, multi fortasse hoc timore

„ casto inflammabuntur in amorem castum. Nec possum explicare fortassis,

„ nisi proposita aliqua similitudine. Pone aliquam feminam castam, timen-

„ tem virum suum: aliam pone adulteram, & ipsa timet virum suum. Ca-

„ sta timet, ne discedat vir; adultera, ne veniat. Quid si ambo absentes sunt?

„ Illa timet ne veniat, illa ne tardet. Absens est quodam modo cui de-

„ sponsati sumus; absens est, qui nobis arram dedit Spiritum Sanctum, ab-

„ sens est, qui nos redemit Sanguine suo, Sponsus ille, quo nihil est pulchrius.

„ Interroget se Sponsa, si casta est. In membris sumus omnes, Fratres

„ mei, in membris ipsius sumus, ideo unus homo sumus. Videat unusquisque

„ qualem timorem habeat, an eum, quem excludit charitas, an castum per-

„ manentem in sæculum sæculi. Modo probavit; dico, & probabit. Absens

„ est Sponsus noster, interroga conscientiam tuam: vis, ut veniat, an adhuc

„ vis, ut tardet? Videte, Fratres. Ego pulsavi ad ostia pectorum vestrorum,

„ vocem inhabitantium ille audivit. Quid singulorum quorumque modo con-

„ scientiæ dixerint, ad aures meas, quia homo sum, pervenire non potuit:

„ ille qui absens est præsentia corporis, sed præsens est vigore Majestatis ;
 „ audit vos. Quam multi, si dicatur illis, Ecce jam Christus, cras dies
 „ Judicii, non dicunt, Utinam veniat ! qui enim dicunt, multum amant:
 „ & si dicatur illis, Tardabit, timent, ne tardet, quia timor castus est.
 „ Quomodo autem nunctimetur, ne tardet, sic cum venerit, timebitur, ne
 „ discedat : erit autem castus iste timor, quia tranquillus, & securus. Non
 „ enim deseremur ab eo, cum invenerit nos, quando quæsit nos, ante-
 „ quam quæreremus eum. Castus ergo timor hoc habet, venit de amore.
 „ Ille autem timor nondum castus præsentiam, & penas timet. Timore
 „ facit quicquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore
 „ patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi,
 „ sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est,
 „ non quidem permanebit in sæculum sæculi ; sed nondum est ille castus per-
 „ manens in sæculum sæculi. In quo est castus ? Jam iterum interrogo ali-
 „ quid, quod vosmetipsos interrogetis. Si Deus veniens voce propria loque-
 „ retur nobis (quamquam non taceat loqui per litteras suas) & diceret
 „ homini, Peccare vis, pecca : fac quicquid te delectat ; quicquid amave-
 „ ris in terra, tuum fiat ; cui fueris iratus, intereat ; quem rapere volueris,
 „ rapiatur ; quem cædere, cædatur ; quem damnare, damnetur ; quem pos-
 „ sidere, possideas : nemo tibi dicat, Quid facis : nemo, Noli facere : ne-
 „ mo, Quare fecisti ? Abundent tibi omnia ista terrena, quæ concupisti,
 „ & vive in illis, non usque ad tempus, sed semper : faciem tantum meam
 „ numquam videbis. Fratres mei, unde ingemuistis, nisi quia jam natus est
 „ timor castus permanens in sæculum sæculi ? Quare percussum est cor ve-
 „ strum ? Si diceret Deus, Faciem meam numquam videbis : ecce omni ista
 „ terrena felicitate ; omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona tem-
 „ poralia, non illa amittis, non illa deseris : quid vis amplius ? Fleret qui-
 „ dem, & generet timor castus, & diceret : Immo tollantur omnia, &
 „ faciem tuam videam. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret,
 „ Deus, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Timor castus*
 „ *exclamaret de Psalmo, & diceret, Unam petii a Domino. Vide quomodo*
 „ *ardeat timor iste castus, amor verus, amor sincerus. Unam petii a Domino,*
 „ *hanc requiram. Quid ? Ut inhabitem in domo Domini omnes dies vita-*
 „ *meæ. Quid si propter terrenam felicitatem ? Audi, quid sequitur : Ut con-*
 „ *templer delectationem Domini, & protegar templum ejus : Id est, esse tem-*
 „ *plum ejus, & protegi ab eo, hanc unam petii a Domino.*

Dona Spiri-
 tus Sancti.

Psalm. 79.
 Psalm. 26.

Idem Tractatu IX. in Epistolam I. S. Joannis. „ Sunt homines, qui propterea
 „ timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo
 „ in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit charitatem : sed sic ve-
 „ nit, ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas,
 „ quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo, quod
 „ mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare
 „ ceperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus ? Ne amittas ipsa bona.
 „ Intendite : aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo :
 „ aliud est timere Deum, ne recedat a te. Ille timor, quo times, ne in ge-
 „ hennam mittaris cum diabolo, nondum est castus, non enim venit ex amore
 „ Dei, sed ex timore pœnæ : cum autem times Deum ne deserat te præsentia
 „ ejus, amplecteris eum, ipso frui desideras. Non potest melius explanari,
 „ quid intersit inter duos istos timores, unum quem foras mittit charitas,
 „ alterum castum, qui permanet in sæculum sæculi, nisi ponas duas mulieres
 „ maritatas, quarum unam ita constituas volentem facere adulterium, dele-
 „ ctari nequitia, sed timere ne damnetur a marito. Timet maritum, sed quia
 „ „ adhuc

adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum: huic non grata, sed onerosa est ma-
 riti præsentia: & si forte vivit nequiter, timet maritum, ne veniat. Tales sunt,
 qui timent, ne veniat dies Judicii. Fac alteram amare virum, debere il-
 li castos amplexus, nulla se adulterii immunditia maculare: optat præ-
 sentiam viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? Timet illa, ti-
 met & illa. Interroga, quasi unum tibi respondent. Interroga illam, Ti-
 mes virum? Respondet, Timeo. Interroga & illam, si timeat virum:
 respondet, Timeo. Una vox est, sed diversus animus. Jam ergo inter-
 rogentur, quare? Illa dicit, Timeo virum ne veniat: illa dicit, Timeo
 virum, ne discedat. Illa dicit, Timeo ne damnetur: illa dicit, Timeo,
 ne deserat. Pone hoc in animo Christianorum, & invenis timorem,
 quem foras mittit charitas, & aium timorem castam permanentem in
 sæculum sæculi. *Loquamur ergo his primo, qui sic timent Deum, quomodo*
illa mulier, quam delectat nequitia. O anima, quæ sic times Deum, ne
 damnet te Deus, quomodo mulier, quam delectat nequitia, timet vi-
 rum, ne damnetur a viro: quomodo tibi displicet illa mulier, displice
 & tu tibi. Si forte habes uxorem, numquid vis, ut sic timeat te uxor
 tua, ne damnetur abs te; ut delectet illam nequitia, sed pondere timo-
 ris tui reprimatur, non damnatione iniquitatis? Castam eam vis, ut te
 diligat, non ut te timeat. Exhibe te talem Deo, qualem vis habere u-
 xorem... Timet illa eum, extra cujus oculos potest esse: tu non times
 semper faciem supra te viri tui? *Vultus autem Domini super facientes ma-*
la. Captat illa absentiam viri, & incitatur forte delectatione adulterii;
 & dicit sibi tamen: Non faciam: absens est quidem ille, sed difficile est,
 ut non ad illum quoquo modo perveniat. Temperat se, ne perveniat ad
 hominem, qui potest & nescire, qui potest & falli, qui potest & bo-
 nam suspicari etiam maiam, qui potest & castam suspicari, quæ adulte-
 ra est: tu non times oculos ejus, quem fallere nemo potest? Tu non
 times ejus præsentiam, qui averti a te non potest? *Alloquamur & il-*
lam, quæ habet jam timorem castum. Anima quædam sancta, ignea, &
 desiderans Regnum Dei. Hanc non ego alloquor, sed Deus ipse, & pa-
 tienter viventem in hac terra ita consolatur: Jam vis ut veniam, & ego
 novi quia jam vis ut veniam: novi, qualis es, ut secunda expectes ad-
 ventum meum: novi, quia molestia est tibi: sed magis expecta, tolera;
 venio, & cito venio. Sed amanti tardum est. Audi eam cantantem tam-
 quam lilium de medio spinarum: audi suspirantem, & dicentem, *Psallam,*
& intelligam in via immaculata, quando venies ad me? Sed in via immac-
 culata merito non timet: quia *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et
 cum venerit ad ejus amplexum, timet, sed securiter. Quid timet? Ca-
 vebit, & observabit se ab iniquitate sua, ne iterum peccet: non, ne mit-
 tatur in ignem, sed ne ab illo deseratur. Et erit in illa, quid? Timor
 castus permanens in sæculum sæculi. *Castum illum timorem, qui Spiritus*
Sancti donum est, a Deo postulabat David Psalm. cxviii. dicens: Confige
 timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui. *Hoc est, ut S. Au-*
gustinus explicat Serm. xxv. in illum Psalmum: A timore tuo casto, qui
 permanet in sæculum sæculi, carnalia mea desideria comprimantur.

Dona Spi-
ritus Sancti.

Psal. 33. 7.

Psal. 100. 3.

1. Joan. 4. 18

An autem, & quomodo in Beatis timor ille castus permaneat, idem S. *Quomodo*
Augustinus explicat Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. IX. „ Timor vero timor ca-
 „ ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit & in futuro sæculo (nam stus in futu-
 „ quo alio modo potest intelligi permanere in sæculum sæculi?) non est ro sæculo
 „ timor exterrens a malo, quod accidere potest; sed tenens in bono, quod permaneat?
 „ amitti non potest. Ubi enim boni adepti amor immutabilis est, profecto, fiduci

si dici potest, mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate charitatis cavere peccatum. Aut si nullius omnino generis timor esse poterit in illa certissima securitate perpetuorum felicitumque gaudiorum, sic dictum est, *Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi*, quemadmodum dictum est, *Patientia pauperum non peribit in æternum*. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala; sed æternum erit, quo per patientiam pervenitur. Ita fortasse timor castus in sæculum sæculi dictus est permanere, quia id permanebit, quo timor ipse perducit.

Huic Spiritus Sancti dono respondet prima beatitudo, *Beati pauperes Spiritu*. Cum enim (inquit S. Thomas) ad timorem filialem pertineat Deo reverentiam exhibere, & ei subditum esse, id quod ex huiusmodi subjectione consequitur, pertinet ad donum timoris. Ex hoc autem quod aliquis Deo se subijcit, desinit quærere in seipso, vel in aliquo alio magnificari, nisi in Deo. Hoc enim repugnaret perfectæ subjectioni ad Deum. Unde Psalm. xix. dicitur: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in Nomine Dei nostri invocabimus*. Et ideo ex hoc quod aliquis perfecte timet Deum, consequens est, quod non quærat magnificari in se ipso per superbiam: neque etiam quærat magnificari in exterioribus bonis, scilicet in honoribus, & divitiis: quorum utrumque pertinet ad paupertatem spiritus; secundum quod paupertas spiritus intelligi potest, vel exinanitio inflati, & superbi spiritus, ut Augustinus exponit: vel etiam abjectio temporalium rerum, quæ fit spiritu, id est propria voluntate, per instinctum Spiritus Sancti, ut SS. Ambrosius, & Hieronymus exponunt. *Timor Dei* (inquit S. Augustinus) *congruit humilibus, de quibus dicitur, Beati pauperes spiritu, id est non inflati non superbi: quibus Apostolus dicit, Noli altum sapere, sed time, id est, Noli extolli*.

S. August.
Lib. I. de
Ser. Dom.
in Monte
S. Ambros.
Lib. v. in
Luc. S. Hieron.
in
Matth.
Cap. v.

Rom. I. 10.

Donum timoris contra negligentiam pugnat.

Eccl. 7.

Timor Domini contra negligentiam militat, ut docet S. Bernardus Serm. XIV. De Diversis. Primus (inquit) contra negligentiam timor exurgit, nimirum ipse est, quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo. Denique *Qui timet Deum, nihil negligit*, sed veretur omnia opera sua ... Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter sapientia victrix eradicando singula vitia, singulasque inferendo virtutes. Excutitur siquidem negligentia, ut Timoris Spiritus repleat mentem; abjicitur curiositas, ut succedat Pietas: experientia mali fugatur, apponiturque Scientia. Sic & concupiscentiæ prævalet Fortitudo, & Consilium consuetudinem amputat, & Intellectus vicens contemptum amovet, & disparente omnino malitia Sapientia regnat. Quæ quidem triumphante, de cetero miseram illam Animam quam perniciosè negligentia soporaverat, pejus excitaverat curiositas, attraxerat experientia, tenuerat concupiscentia, ligaverat consuetudo, contemptus in carcerem truserat, malitia jugulaverat: Timor suscitatur, Pietas blande demulcet, Scientia quid actum sit indicans, dolorem apponit, quod suum est Fortitudo erigit, Consilium solvit, Intellectus educit de carcere, Sapientia mensuram apponit, refocillat esurientem, & salutaribus reparat alimentis.

De divino illo timore S. Gregorius Nazianzenus Oratione vi. & Oratione xxii. præclare ait: *Hoc unum timeamus, ne quid magis, quam Deum timeamus, Divinæque Imagini per improbam vivendi rationem probrum inferamus*.

ARTICULUS III.

De Fructibus Spiritus Sancti.

EX Donis Spiritus Sancti suavissimi Fructus consequuntur, qui nos veluti fructiferas arbores in Ecclesiæ agro commendant, secundum illam Christi sententiam, Matth. VII. *Omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Duodecim porro fructus Spiritus Sancti ab Apostolo numerantur, Epistolæ ad Galatas Cap. v.

I. Primus est *Charitas*, fructus quidem generosissimus, sine qua virtutes ceteræ non censentur esse virtutes, & ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt, ut loquitur S. Hieronymus. Ex hac radice fructus oriri ceteros S. Augustinus præclare ostendit Tractatu LXXXVII. in Joannem, scilicet gaudium, pacem, longanimitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam. *Quis enim bene gaudet qui bonum non diligit, unde gaudet? Quis pacem veram nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi serveat diligendo? Quis est benignus, nisi diligit, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet, unde turpatur, nisi diligit, unde honestatur? Merito itaque Magister bonus dilectionem sic sepe commendat, tamquam sola præcipienda sit: sine qua non possunt prodesse cetera bona, & quæ non potest haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Quod sine ipsa cetera bona non proficiunt, Apostolus docet I. ad Corinthios XIII. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.**

II. Fructus secundus Spiritus Sancti est *Gaudium*, hoc præstans, ut homo spiritualis alacriter læteque ferviat Deo. De quo Apostolus ait ad Philipenses IV. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Gaudium istud internum est, purum, perpetuum, ad aliud gaudium perducens, de quo dicit Christus: *Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui;* ad æternam scilicet beatitudinem, quæ est *Gaudium de veritate*: in qua Deus absterget omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec dolor erit ultra. Gaudium illud nescit Mundus, cuius risum Sapiens reputat errorem. Post dilectionem porro gaudium Apostolus numerat: qui enim diligit quempiam temper de ejus felicitate lætatur.

III. Tertius fructus Spiritus Sancti est *Pax*, quæ eo spectat, ut in hujus Mundi procellis animi tranquillitas fervetur. De quo Psalmo CXVIII. scriptum est: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Pax illa est, quam *Hominibus bonæ voluntatis* Angelus Christo recens nato nuntiavit; Pax illa quæ exsuperat omnem sensum, ut Apostolus ait; Pax illa est quam Christus post Resurrectionem suam Discipulis suis dedit, stans in medio eorum, & dicens: *Pax vobis*: Pax illa est, quam mundus dare non potest, qua peccatores frui non possunt: dicunt enim, *Pax pax, & non est pax. . . Non enim est pax impiis, dicit Dominus Deus*: Pax illa est, quæ promissa est Ecclesiæ, pacifici

Fructus Spiritus Sancti.

Charitas.

Ex Charitate ceteri fructus Spiritus Sancti oriuntur.

Gaudium.

Matth. 25.
21. 23.
Apoc. 7.17.

Pax.

Philipp. 4.
Peccatores pace vera frui non possunt.Jerem. 6.
Isai. 57.

Pfalm. 75. est, Sponsæ: de qua Propheta cecinit: *Et factus est in pace locus ejus*. De
 Psal. 119-7. qua idem ait ex persona Justorum omnium: *Cum his, qui oderunt pacem,*
 S. Hieron. *eram pacificus.* „ Nec putemus, inquit S. Hieronymus, pacem tantum in eo
 in Cap. 5. „ esse quærendam, si cum alio non jurgemur; sed tunc Pax Christi, hoc
 Epist. ad „ est hæreditas nostra nobiscum est, *Si tranquilla mens nullis passionibus*
 Galat. „ *perturbetur.* Laudandi sunt, qui amant pacem: qui autem oderunt, me-
 S. August. „ lius interim docendo, ac tacendo pacandi, quam vituperando provocan-
 Serm. 357. „ di. Verus pacis amator, inimicorum ejus amator est. Quemadmodum
 Verus pacis „ enim si lucem istam amares, cæcis non irascereris, sed eos doleres; & si
 amator, ini- „ opes haberes, si artem, si medicamentum, potius ad eos sanandos cur-
 micorum e. „ reres, quam damnandos: ita si pacis amator es, miserere eum, qui non
 jus amator „ amat, quod amas, qui non habet, quod habes. Talis quippe res est,
 est. „ quam diligis, ut non invidias compossessori tuo. *Habet tecum pacem, &*
 Pacem ha- „ *tibi non angustat possessionem... Ama pacem, habe pacem, posside pacem,*
 bet, qui pa- „ *cape ad te quantos potes ad possidendam pacem: tanto latior erit, quanto*
 cem amat. „ *a pluribus possidebitur. Domus terrena cohabitatores multos non capit: pos-*
 „ *sessio pacis cum multis habitatoribus crescit... Bonum est amare pacem, &*
 „ *ipsam amare, est habere.* „ Considera cetera quorum homines cupiditate fla-
 „ grant. Vide alium amare fundos, argentum, aurum, &c. Numquid jam
 „ qui amat, habet? Potest fieri, ut horum omnium amator inanis sit.
 „ Quando non habet, amat; cupiditate ardet, ut habeat: cum autem ha-
 „ bere ceperit, timore cruciatur, ne perdat. Amat honorem, amat pote-
 „ statem. Quanti homines potestatibus accipiendis privati suspirant? Et
 „ plerumque ante illos occupat ultimus dies, quam perveniant ad id, quod
 „ amant. Quanti ergo constat, quod cum amaveris, habebis? Non pretio
 „ quæris, quod amas; non ambulas ad patronum, per quem pervenias.
 „ *Ama pacem, & tecum est, quod amas. Res ista cordis est: nec sic cum ami-*
 „ *cis communicas pacem, quomodo panem. Panem quippe si communicare velis,*
 „ *quanto plures sunt quibus frangitur, tanto minus fit, unde datur. Pax au-*
 „ *tem illi pani similis est, qui in manibus Discipulorum Domini frangendo, &*
 „ *dando crescebat.* Verba sunt S. Augustini Sermone cccvii. alias xxxv. ex
 editis a Sirmondo. Pax cum Deo, cum nobismetipsis, cum proximis om-
 nibus habeamus. Pax est *Tranquillitas ordinis.* Ordinem servemus, ut
 Deo in omnibus subditi simus, ipsum super omnia diligamus, illi fideliter
 ferviamus: ut in nobis cupiditates rationi, corpus animæ, anima ratio-
 que Deo subdantur: ut proximum sicut nosmetipsos, propter Deum dili-
 gamus, non quærentes, quæ nostra sunt, sed quæ aliorum: & pacem
 habebimus.

Patientia. IV. Quartus fructus Spiritus-Sancti est *Patientia*, quæ in duris ferendis
 sita est: de qua Lucæ xxi. Christus ait: *In patientia vestra possidebitis ani-*
mas vestras. De qua item Apostolus Jacobus Epistolæ suæ C. i. *Omne gau-*
dium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes,
 Patientia „ *quod probatio fidei vestre patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum*
 character „ *habet: ut sitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* Hæc efficit, ut in tri-
 hominis „ *bulationibus gaudeamus, sicut Apostoli ibant gaudentes a conspectu Conci-*
 Christiani. „ *lii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine Jesu contumeliam pati. Per-*
 „ *suasum enim habere debet, qui vere Fidelis est, patientiam characterem*
 „ *esse hominis Christiani, Qui quia Christianus est, aliquid plus passurus est in*
 2. Tim. 3. „ *hoc sæculo; ut ait S. Augustinus Serm. xlvi. De Pastoribus, alias De Tempore*
 „ *clxv. Nam Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*
 „ *(inquit Apostolus.) Et ut S. Augustinus rursus ait Sermone ccxcvi. alias*
 De

De Sacramento Confirmationis. Cap. III. Art. III. 589

De Diversis cvi. Christianorum est, pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna.

V. Quintus fructus Spiritus Sancti est *Longanimitas*, quæ magnitudinem animi in futuris bonis expectandis declarat. De qua *Habacuc II.* scriptum est: *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: *Justus autem in fide sua vivet.* Et *Matth. X.* *Eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et *II. ad Corinthios VI.* *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros: in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta.*

Longanimitas.

Fructus Spiritus Sancti.

VI. Sextus est *Benignitas*, quæ virtus est lenis, blanda, tranquilla, & omnium bonorum apta consortio, invitans ad familiaritatem sui; dulcis alloquio, moribus temperata, ut ait *S. Hieronymus*. De qua *Apostolus ad Colossenses III.* *Induite vos, inquit, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Hanc ita definiunt *Stoici*: *Benignitas est virtus sponte ad benefaciendum exposita.*

Benignitas.

VII. Septimus est *Bonitas*, quæ nulli nocet, sed bene vult omnibus. Hæc non multum a benignitate diversa est; sed in eo tamen differt, quia potest bonitas esse tristior, & fronte severis moribus irrugata bene quidem facere, & præstare quod poscitur, non tamen suaviter esse consortio, & sua cunctos invitare dulcedine (inquit *S. Hieronymus*.) De hac *Apostolus ad Ephesios V.* *Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate: probantes quid sit beneplacitum Deo.*

Bonitas.

VIII. Octavus est *Mansuetudo*, quæ omnes iræ motus sedat, & mitigat: propter quam *Moyse*, & *David* laudati sunt in *Scriptura Sacra*. De qua *Proverbiorum III.* scriptum est: *Mansuetis dabit gratiam: quæ propria Christi Domini virtus fuit; ad cujus imitationem Discipulos suos hortatur Matth. XI.* *Tollite (inquit) jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.*

Mansuetudo. Num. 12. Psalm. 105.

IX. Nonus est *Fides* in proximum, ut fideles, pactorumque, ac promissorum religiosi observatores simus. De qua dicitur *Proverbiorum XII.* *Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.* Et *I. ad Timotheum III.* *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.*

Fides.

X. Decimus est *Modestia*, quæ omnem fastus, & arrogantiae speciem in exteriori habitu, cultuque, & apparatu excludit: de qua *Apostolus ad Philippenses IV.* *Modestia vestra, inquit, nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est.*

Modestia.

XI. Undecimus est *Continentia*, qua non solum in cibo, & potu modum servamus, sed etiam pravas omnes cupiditates coercemus, *Ab omni specie mala abstinentes*. Ipsa in hoc bello valet plurimum, in quo adversus carnem spiritus concupiscit; quoniam ipsas carnis concupiscentias quodam modo crucifigit. Unde *Apostolus ad Galatas V.* postquam fructus Spiritus Sancti enumeravit, continuo subdit: *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Hæc divinum munus est, necessarium ut declinemus a malo. Ut autem faciamus bonum, ad aliam videtur virtutem, hoc est ad justitiam, pertinere. Hoc nos admonet facere *Psalmus*, ubi legimus, *Declina a malo, & fac bonum.* Quo autem sine ista faciamus, mox addidit, dicens: *Inquire pacem, & persequere eam.* Pax enim perfecta tunc erit nobis, quando natura nostra

Continentia.

1. Thes. 6.

Psalm. 33.

Luc. 12.

„ nostra Creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex no-
 „ bis. Hoc & ipse Salvator voluit intelligi, ubi ait: *Sint lumbi vestri præ-*
 „ *cincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quid est lumbos accingere?
 „ Libidines coercere, quod est continentiæ. Lucernas vero ardentes habere,
 „ est bonis operibus lucere, atque fervere, quod est justitiæ. Neque hic ta-
 „ cuit, quo fine ista faciamus, addendo: *Et vos similes hominibus expectan-*
 „ *tibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Cum enim venerit, nos
 „ remunerabit, qui continuimus nos ab his, quæ cupiditas, & ea, quæ
 „ imperavit charitas, fecimus, ut in ejus perfecta, & sempiterna pace, sine
 „ ulla mali contentione, & cum summa boni delectatione regnemus. Ver-
 „ ba sunt *Sancti Augustini* Libro *De Continentia*, C. ultimo.

Castitas.

XII. Duodecimus fructus Spiritus-Sancti est *Castitas*, quam continentia
 vocabulum significatione sua complectitur, sed nomen istud magis explicat.
 Hæc mentem castam in corpore casto conservat. Cum enim Templum Dei
 sanctum sit, quod nos sumus: *Hujus Templi Antistes, & Aeditua est Pudici-*
 „ *tia, quæ nihil immundum, aut profanum inferri sinit;* ut loquitur *Tertullianus*.
 De qua I. ad Corinthios VI. scriptum est: *Et mulier innupta, & virgo cogi-*
 „ *tat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu.* Et II. ad Corinthios
 XI. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Et ad Ti-
 tum II. *Prudentes, castas, sobrias, &c.* Et I. Petri III. *Considerantes in ti-*
 „ *more castam conversationem vestram.*

A R T I C U L U S IV.

De Confirmationis Characterè, altero ejus effectu.

Confirma-
tionis Cha-
racter.

C Onfirmationis Sacramento Characterem imprimi, ob idque ipsum ite-
 „ rari non posse, dogma Fidei est, Concilii Tridentini judicio confirma-
 „ tum, Sessione VII. Canone IX. idque ex Apostolo C. VI. Epistolæ ad He-
 „ bræos colligitur, scribente: *Non rursus jacentes fundamentum Pœnitentiæ*
 „ *ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, Impositionis*
 „ *quoque manuum.* Quibus verbis Sacramentum Impositionis manuum, id est
 „ Confirmationem, non magis iterari posse significat, quam Baptismum, ut
 „ *S. Augustinus* observat in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos: *Ista om-*
 „ *nia (inquit) in Baptismo traduntur, quæ negat esse repetenda, utique in con-*
 „ *secrandis fidelibus.* Quæcumque enim Sacramenta quadam consecratione ho-
 „ mini conferuntur, iterari non possunt. Quo nomine Baptismum, & Ordi-
 „ nationem iterari non posse, *S. Augustinus* probat Lib. II. *Contra Epistolam*
 „ *Parmeniani*, C. XIII: *Utrumque (inquit) Sacramentum est, & quadam con-*
 „ *secratione homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque*
 „ *in Catholica utrumque non licet iterari.* Cum itaque Fideles per Confirma-
 „ tionem Deo consecrentur tamquam Milites Christi; & potestatem accipiant
 „ ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spirituales contra hostes fidei:
 „ Confirmationis Sacramento Characterem imprimit, ideoque iterari non
 „ potest. Unde idem *S. Augustinus* Lib. II. *Contra Litteras Petilianæ*, C. CIV.
 „ Sacramento Confirmationis apud Hæreticos, non minus quam Baptismum
 „ ratum esse asserit. *Discerne ergo (inquit) visibile Sanctum Sacramentum,*
 „ *quod esse & in bonis, & in malis potest, illis ad premium, illis ad judi-*
 „ *cium, ab invisibili unctioe charitatis, quæ propria bonorum est.* Confirma-
 „ tionem iterari non posse pariter pronunciarunt *S. Gregorius Magnus*, Lib. XII.
 „ Epistola XXXI. Concilium Toletanum VIII. Canone VII. *Gregorius II. E-*
 „ pisto-

Confirma-
tionis Cha-
racter.

Epistola IV. ad *Bonifacium* , ex qua laudatur Dist. IV. De Consecratione, C. IX. Concilium Cabilonenſe II. Canone XXVII.

Character autem Confirmationis ſupponit characterem Baptiſmi. Ita enim ſe habet Confirmatio ad Baptiſmum, ſicut augmentum ad generationem: porro manifeſtum eſt, neminem poſſe in ætatem perfectam promoveri, niſi primo fuerit natus: & ſimiliter niſi fuerit aliquis baptizatus, non poteſt Sacramentum Confirmationis accipere. Unde *Si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil acciperet, ſed oporteret iteratò ipſum confirmari poſt Baptiſmum* (inquit S. Thomas, III. P. Q. LXXII. A. VI.)

Objicitur, S. *Auguſtinum* diſertis verbis aſſeruiſſe, Confirmationem poſſe iterari. Sic enim habet Lib. III. De Baptiſmo, C. XVI. *Manus autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt: quid eſt enim aliud quam Oratio ſuper hominem?*

Præterea, homines ab hæreſi converſi, in qua baptizati fuerant, recipiebantur in Eccleſiam per Episcopalem Manuum impoſitionem, advocantem ſeptiformem Spiritum-Sanctum, teſte *Siricio* Pontifice Epistoſa ad *Himerium* C. IV. ubi Arianos, ceteroſque hæreticos ad Eccleſiam redeuntes, baptizari vetat. *Quos* (inquit) *nos cum Novatianis, aliſque hæreticis, ſicut in Synodo conſtitutum eſt, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Episcopalis manus impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus, quod etiam totus Oriens, Occidentſque cuſtodit.* Hæc autem Manuum Impoſitio erat Confirmatio, eaque non ſolis Novatianis, qui Sacramentum illud in Hæreſi non acceperant, ſed omnibus Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus adhibebatur, quamvis Confirmationem in Secta ſua recepſiſſent continenter poſt Baptiſmum. Iterabatur itaque Confirmatio ex Eccleſiæ diſciplina. Ad hæc, Concilium Conſtantinopolitanum I. Canone VII. Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes ungi jubet ſancto Chriſmate, ſub præſcripta verborum formula, *Signaculum donationis Spiritus-Sancti.* Quod & *Methodii* Patriarchæ Conſtantinopolitani Canon de Ritu recipiendorum Hæreticorum in Euchologio editus, confirmat.

Reſpondetur, manuum impoſitionem, quam iterari poſſe S. *Auguſtinus* pronunſiavit, non eſſe manuum impoſitionem confirmatoriam, ſed manuum impoſitionem in *Pœnitentiam*, ſive reconciliatoriam: de qua S. *Stephanus* I. Pontifex & Martyr apud S. *Cyprianum* Epistoſa LXXIV. *Si quis ergo a quacumque Hereſi venerit ad nos, nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in Pœnitentiam.* De qua ipſe S. *Cyprianus* Epistoſa LXXI. *Quod nos quoque hodie obſervamus, ut quos conſtet hic baptizatos eſſe, & a nobis ad Hæreticos tranſiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito, & errore digeſſo, ad Veritatem, & Matricem redeant, ſatis ſit in Pœnitentiam manus imponere: ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem abalienatam, & errabundam in ovile ſuum Paſtor recipiat.* De qua S. *Auguſtinus* Lib. III. De Baptiſmo C. XI. *Cyprianus* cum ceteris ſtatuit, ut ſi ab hæreſibus redirent in Eccleſiam, quicumque fuerant in ea baptizati, non jam per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam reciperentur. De hac *Innocentius* I. Epistoſa XVIII. Laicos ex Arianis, ceteriſque ejuſmodi peſtibus, converſos ad Dominum ſub imagine Pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipi decernens. De hac etiam loquuntur *Siricius*, Canon Concilii Conſtantinopolitani, & Canon *Methodii*. Per eam, & conjunctam orationem invocabatur Spiritus-Sanctus ſeptiformis, non quidem ad robur, ut in Confirmatione, ſed ad remiſſionem peccatorum, ut conſtat ex variis Orationibus quæ in Græcorum Euchologiis habentur pro Confirmatione, & pro Reconciliatione Hæreticorum. Unctio etiam Chriſmatis hominibus ab Hæreſi redeuntibus

Homines ab hereſi rediviſi, manuum impoſitione reconciliatoria, non confirmatoria recipiebantur.

Confirmationis Character.

Unctio
Chrismatis
in Heretico-
rum ad Ec-
clesiam re-
deuntium
reconcilia-
tione mera
cæremonia
fuit.

tibus adhibita, erat mera cæremonia Ecclesiasticæ institutionis, in quibusdam solum Ecclesiis usurpata. Arianos enim *per Impositionem manus Occidens*, *per unctiorem sancti Chrismatis* in Ecclesiam Oriens recipiebat. Monophysitas vero, & alios *ex sola Confessione*, sive *Professione Fidei*, teste S. Gregorio Lib. IX. Epistola lxi. ad *Quirinum*, & ceteros Episcopos Iberiæ: id autem fiebat, ut Baptismus, quem in Hæresi susceperant, *Vires emundationis* reciperet. Ritus ille, qui non idem fuit in omnibus Ecclesiis, & omnibus temporibus, Sacramentum certe Confirmationis non fuit, sed mera cæremonia. Præterea, Manus impositio, & Chrismatio, quæ passim committebatur Presbyteris absente Episcopo, & periculo mortis imminente non erat confirmatoria, sed reconciliatoria: porro talis erat Manus impositio, & Chrismatio, qua recipiebantur Hæretici, ut constat ex Concilio Arausicano i. Canone I, *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a Presbyteris Chrismate, & benedictione consignari placuit*. Et ex Concilio Epaonensi Canone XVI. *Presbyteros (inquit) propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis, & decumbentibus Hereticis, si conversionem subitam petant, Chrismate petimus subvenire: quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint repetendum*. Utramque illam manus impositionem conceptis verbis distinguit *Vigilius Pontifex Maximus* Epistola II. *Quorum (inquit) reconciliatio (scilicet eorum, qui Baptismum apud Hæreticos susceperant) non per illam impositionem manus, quæ per invocationem Sancti-Spiritus fit, operatur; sed per illam, qua Pœnitentiæ fructus acquiritur, ac Sanctæ Communionis restitutio perficitur*.

Ritus tamen ille, vel impositionis Manuum, vel Chrismationis super homines ab hæresi redivivos frequentatus, invocationem Spiritus-Sancti adjunc-tam habebat, non ad perfectionem, & robur, ut in Confirmatione, sed ad remissionem peccatorum, & præsertim peccati hæreseos, & schismatis, quod impedimentum fuerat, ne gratiam Baptismatis, & Confirmationis apud Hæreticos cum ipsis Sacramentis reciperent; vel quo gratiam illam in Ecclesia per hujusmodi Sacramenta receptam, ad Hæreticos deficiendo amiserant. Non tamen Ritus ille Manus impositionis, vel Chrismationis, quocumque modo fieret in Hæreticorum, qui Confirmationem olim recepissent, reconciliatione, gratiam ex se, propriaque virtute conferebat; sed Ecclesiæ precibus, Sacerdotum meritis, conversi hominis humilitate, Pœnitentiæ simul ac semper adjunctæ vi, & efficacia, remoto obice, gratia Baptismi, & Confirmationis conferebatur, aut quadamtenus excitabatur, atque reviviscebatur.

C A P U T IV.

DE NECESSITATE CONFIRMATIONIS, EJUSDEMQUE SACRAMENTI SUBJECTO.

PROPOSITIO I.

Sacramentum Confirmationis non est necessarium homini Christiano necessitate mediæ.

De necessi-
tate Confir-
mationis,

ILLud enim necessarium est necessitate mediæ, sine quo salutem æternam homo consequi non potest: at salutem æternam Confirmatione actu non suscepta homo fidelis consequi potest. Id probatur i. ex Concilio Illiberitano Canone lxxvii. cujus hæc sunt verba: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizavit, eos Episcopus per benedictionem*

tionem perficere debet. Quod si ante de sæculo recesserit, sub fide qua quis crediderit, poterit esse iustus. 2. Ex S. Hieronymo Dialogo adversus Luciferianos: Multis in locis (inquit) idem facilitatum reperimus ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus-Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros, & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur. 3. Ex S. Hilario Arelatensi Homilia de Pentecoste. Continuo transituris (inquit) sufficiunt Regenerationis beneficia, vlturis autem necessaria sunt Confirmationis auxilia. 4. Ex Innocentio III. C. Quanto. Extra, De Consuetudine, ubi de Confirmatione, aliisque Sacris Episcopalis Ministerii sic loquitur: Licet non sint a Fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, inaniter conferantur.

P R O P O S I T I O II.

Confirmatio in re, vel in voto est adultis necessaria necessitate Præcepti Divini, & Ecclesiastici.

UNUSquisque enim divino Præcepto tenetur eniti, ut Christianæ vitæ perfectionem assequatur hæc siquidem Dei voluntas est: quemadmodum ea est intentio naturæ, ut omnis, qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat. Per hoc autem Sacramentum homo promovetur spiritualiter in ætatem perfectam. Præterea, jure divino tenetur unusquisque suæ securitati consulere ad evadenda pericula, & vincendos salutis hostes; vires autem ad id necessarias Confirmationis Sacramentum ex institutione Christi subministrat. Quamobrem susceptio illius in re, vel in voto necessaria est adultis necessitate Præcepti Divini. Ecclesiastici vero Præcepti necessitatem probant Concilia, Illiberitanum Canone xxxviii. & Canone xlviii. Parisiense vi. Lib. i. Canone xxxiii. Senonense anni mdxxiv. Synodus Parisiensis anni mdlviii. Concilium Mediolanense iv. sub S. Carolo Borromæo. Conventus Melodunensis Cleri Gallicani mdlxxix. Concilium Rothomagense mdlxxxi. Burdigalense, Turonense, & Rhemense mdlxxxiii. Bituricense mdlxxxiv. Aquense mdlxxxv. Tolosanum mdxc. Eadem necessitatem significant SS. Patres: Cyprianus Epist. lxx. ad Januarium: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, idest, Unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Ita S. Hilarius Arelatensis Homilia de Pentecoste: *Vlturis necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Ita S. Gregorius Magnus Lib. xii. Epistola xxi. præcipiens Confirmationem conferri cum probari non poterit esse collatam: *Ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat.* Ita B. Petrus Damiani Sermone i. in Dedicatione Ecclesiæ: *Decretales Paginae, & SS. Patrum Instituta decernunt, non esse differendam post Baptismum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille Contortor, a quo nemo unquam nocendi inducias extorsit.* His concinit Hugo a S. Victore Lib. ii. De Sacramentis, P. vii. C. iii. *Quid prodest (inquit) si a lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris? Propterea timendum est eis qui per negligentiam amittunt Episcopi presentiam, & non suscipiunt manus impositionem, ne forte propterea damnentur, quia festinare debuerunt, dum potuerunt.* Ex eodem hæc verba laudat S. Thomas ii. P. Q. lxxii. A. viii. ad iv. *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret. Non quia damnaretur (inquit S. Doctor) nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis*

S. Thomas
iii. P. Q.
Lxxii. Ar.
viii.

De necessi-
tate Con-
firmationis.

pateretur . Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.

De confir-
matione
non negli-
genda.

Aët. 1.

Concilii denique Tridentini Catechismus idem docet *Atque illud in primis docendum est (inquit) hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen prætermitti debet; sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina Munera tam large impartuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. Ac Sanctus quidem Lucas, cum admirabilem illam Spiritus-Sancti effusionem describeret, ita inquit: Et factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum. Deinde, paucis interjectis: Et repleti sunt omnes Spiritu-Sancto. Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa sanctæ Ecclesiæ figuram, & imaginem gerebat, ad omnes Fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die ductum est, pertinere. Atque id etiam ex ipsius Sacramentiratione facile colligitur: illi enim sacro Chrismate confirmari debent, quibus spirituali incremento opus est, & qui ad perfectum Christianæ Religionis habitum perducendi sunt: at nulli id non maxime convenit. Ut enim hoc spectat natura, ut qui in lucem eduntur, adolescant, atque ad perfectam ætatem perveniant, etiamsi interdum quod vult minus assequatur: ita communis omnium Mater Catholica Ecclesia vehementer optat, ut in iis, quos per Baptismum regeneravit, Christiani hominis forma perfecte absolvatur: id autem quoniam Mysticæ Unctionis Sacramento efficitur, perspicuum est, eam ad universos Fideles æque pertinere.*

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

De Confir-
matione sus-
cipienda.

L Ethaliter peccant, & in manifestum salutis discrimen se conijciunt Christiani, qui Confirmationis Sacramentum suscipere contemnunt, vel negligunt. Hinc Jonas Aurelianensis Lib. I. De Institutione Laicali, C. VII. Nequaquam (inquit) a Fidelibus tanti Doni perceptio negligenter differenda, sed potius remoto torpore negligentie, cum magna animi aviditate, & devotione petenda, & percipienda: ne sine ipsius Doni munere quis rebus humanis existatur. Id omnino probant mox laudata Hugonis a S. Victore, & S. Thomæ testimonia. Accedit generalis illa ejusdem Angelici Doctoris Sententia III. P. Q. lxy. A. IV. ad III. Omnium Sacramentorum contemptus est salutis contrarius. Addit quidem: Non tamen est contemptus Sacramenti in hoc, quod aliquis non curat accipere Sacramentum, quod non est de necessitate salutis. Sed de illis Sacramentis loquitur, quæ non sunt necessaria, neque necessitate medii, nec præcepti singulis Christianis, ut Ordo, & Matrimonium. Alioquin (inquit) omnes, qui non accipiunt Ordinem, & qui non contrahunt Matrimonium, contemnerent hujusmodi Sacramenta. Alia autem ratio est de Confirmatione, Eucharistia, & Unctione Extrema, quæ spectatis personarum & temporum circumstantiis, necessariæ sunt necessitate Præcepti, cum Divini, tum Ecclesiastici. Unde Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo, Tit. De his, quæ pertinent ad Sacramentum Confirmationis, statuit, ut Parochi, Animarumve curatores Populum doceant, quando Religionis studio suscipiendum sit Confirmationis Sacramentum, cujus ministrandi solus Episcopus ordinariam potestatem habet. Videant item ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare præmoneant, quod etiam Concilii Vormatiensis Canone sancitum est, ut quicumque intra Parochiæ suæ fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate sunt, qua Episcopus eos du-

duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant. Si quis vero neglexerit, canonicis subiaceat disciplinis.

R E G U L A II.

Sacramentum Confirmationis contemni censetur, quando Episcopus est presens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere.

Ita Concilium Senonense MDXXIV. & S. Carolus in Instructionibus De Sacramento Confirmationis jubet, ut Parochus, si quos negligentes animadverterit, eos paterna objurgatione cohortetur, ut ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum, data presentis Episcopi ministracione celebrantis opportunitate, festinent; alioquin illis timendum valde esse demonstrat, quod cum potuerint, in re saluari tam negligentes extiterint. Atque in Confirmationis Sacramento suscipiendo negligentes, ut Decreto Provinciali ex Canone Rhemensi cavetur, canonicis subiaceant disciplinis.

R E G U L A III.

Præceptum de Sacramento Confirmationis suscipiendo maxime obligat persecutionis, graviorumque tentationum, præsertim adversus Fidem, tempore.

Confirmatio enim (inquit Concilium Senonense) fortiolem reddit ad resistendum tentationibus; promptiolem ad Deo serviendum, & Dei præcepta implendum; in Fidei confessione confirmatum constantiolem efficit. Hujus Sacramenti neglectum Novatianum persecutionis tempore præ metu, ac nimia vivendi cupiditate Presbyterum se esse negasse, testatur S. Cornelius Romanus Pontifex, & Martyr in Epistola ad Fabium, apud Eusebium Lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ, C. XLIII.

De Confir-
matione
suscipienda.

R E G U L A IV.

Ecclésiasticum Præceptum de Confirmatione suscipienda obligat opportunitate data; cum scilicet Episcopus ad illius ministracionem paratus adiri potest, quamvis non sine labore.

Quamobrem Sacra Facultas Parisiensis anno MDCXXXI. hanc propositionem ab Anglis quibusdam, seu Hibernis Theologis assertam censorio stigmatem inussit: Omnes Theologi dicunt, Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest: vel (ut alii dicunt) commodissime, quando sine ullo, vel minimo prorsus incommodo. Theologorum Parisiensium Censura his verbis concepta est: Ista Propositio est scandalosa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo proposita, & in errorem potest inducere.

R E G U L A V.

Parentes tenentur adducere pueros confirmandos ad Episcopum, cum idoneam ætatem attigerunt, & Episcopus Sacramentum istud administrat: alioquin gravis peccati rei sunt.

Hinc S. Carolus in Instructionibus, Et præterea, inquit, parentes, quorum negligentia id factum est, ex Libro Pœnitentiali Pœnitentiam olim egisse annos tres apparet. Et in Canonibus Pœnitentialibus ad v. Præceptum Decalogi ex antiqua Disciplina præscriptis: Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur; parentes quorum negligentia id factum est, Pœnitentiam agent annos tres.

R E G U L A VI.

Omnis ætas Confirmationi est idonea, sicut & Baptismo: post cujus susceptionem continenter administrabatur ex antiqua Ecclesiæ Disciplina.

De ætate
confirman-
dorum.

ubi præfens erat Episcopus, ut ex priorum sæculorum Patribus, & Conciliis compertum est, Tertulliano, S. Cypriano, Cyrillo Hierosolymitano, Optato, Paciano, Ambrosio, Conciliis Illiberitano, & Laodiceno. Infantibus conferri solitum illud Sacramentum, testatur, & Innocentius I. Epistola ad Decentium, & S. Gregorius Magnus Lib. III. Epistola IX. Ad Januarium. Pueris conferri posse docet etiam S. Thomas III. P. Q. lxxii. A. viii. ad 11. *Ætas (inquit) corporalis non præjudicat animæ. Unde etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. iv. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Et inde est, quod multi in puerili ætate, propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.*

R E G U L A VII.

Prisca Disciplina statim administrandi pueris Sacramentum Confirmationis post Baptisimum in Ecclesia Latina recte mutata est, & rationis usus expectatus.

De ætate
confirman-
dorum.

Ut scilicet majori cum reverentia suscipiatur: ut illud suscipiendo meritum apud Deum sibi comparent: ut Fidem per se ipsos profiteri possint: ut denique se confirmatos meminerint, periculumque removeatur omne, hoc Sacramentum iterandi.

R E G U L A VIII.

Secundum hodiernam Disciplinam pueris ante septennium non est conferendum ordinariæ Confirmationis Sacramentum.

Ita Concilii Tridentini Catechismus: Si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. Ita Synodus Lingonensis mccciv. Senonensis mdxxiv. Parisiensis mdlvii. Turonensis mdlxxxiii. Bituricensis mdlxxxiv. Aquensis mdlxxxv. Melodunensis Cleri Gallicani Conventus mdlxxix. Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo: *Minori Septennio Confirmationis Sacramentum minime præbeatur. S. Carolus in Instructionibus De Sacramento Confirmationis: Parochus, in cujus Parochia hujus Sacramenti ministratio indicitur, pueros describet, qui annum octavum attigerint; quam ætatem si quos rationis usu, devotionisque studio antecedere forte viderit, eos quoque in numero eorum describet, qui Confirmationis Sacramento initiuntur; ut Spiritus-Sancti virtute confirmati, accedant etiam ad præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum. Potest tamen Episcopus justis de causis pueros septennio minores confirmare, ut declarat Concilium Mediolanense v. sub S. Carolo. Alio (inquit) Decreto, quod in Concilio Mediolanensi I. sancivimus, cautum est, ne Confirmationis Sacramentum iis præberetur, qui annis septem minores nati sunt: si tamen Episcopus ob aliquam causam justam, atque adeo necessariam, parvulo, & infanti, qui non modo eam ætatem expleat, sed ne attingat quidem, administrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum. Iis vero minoribus natis; atque adeo parvulis si quandoque ministrabitur, eorum parentes, vel qui eorum curam gerunt, Parochus moneat, ut ætate procedente illos ea de re certiores faciant, ne parentibus, curatoribusque postea mortuis, ipsi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas est, susceperint. In aliis Instructionibus Italico idiomate conscriptis monet, ut Nemo nisi duodecim annos natus illud Sacramentum postulet, nisi expressam ab Archiepiscopo licentiam ad id habeat.*

R E G U L A IX.

Infirmis, & in vite periculo constitutis; qui confirmati non fuerint, Sacramentum istud pie postulantibus, ab Episcopo administrandum est. Ita Concilium Pari-

Parisiense VI. Lib. I. C. XXXIII. *Infirmis, & morte periclitantibus, sicut Baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter Donum Spiritus-Sancti est tradendum.*

Ita Concilium Mediolanense v. P. I. De his, quæ ad Sacramentum Confirmationis pertinent: *Quod si quis cum periculose ægrotat, se Chrismatis Sacramento confirmatum non esse meminerit; ac propterea id sibi ministrari petat: tunc Episcopus, si eo loci est, ubi ille ægrotat, ut ne sine hoc Sacramento decedat, eum charitate paterna invisat, & rite confirmet.* Ita S. Carolus in Instructionibus: *Parochus ægrotos nondum confirmatos designabit, ne ingravescente morbo, sine hoc Sacramento decedant.*

C A P U T V.

DE DISPOSITIONIBUS AD CONFIRMATIONEM SUSCIPIENDAM, VEL ADMINISTRANDAM NECESSARIIS.

CUM Sacramentum istud ad perfectionem, incrementum, & consummationem Gratia Baptismalis institutum sit, necesse est ut sint in statu gratia, qui illud suscipiunt. Quamobrem si graviorum peccatorum rei sunt, oportet ut Sacramentali Confessione, & Pœnitentia illa expient, si Confessarii copia suppetat; vel, si Confessarius desit, maximo peccatorum dolore, seu perfecta contritione afficiantur, cum proposito quam primum confitendi: alioquin Spiritum-Sanctum, & gratiam sanctificantem, donaque ejusdem Spiritus-Sancti non recipient, sed nudum characterem. Secundo, necessaria est Symboli professio ab iis, qui adulta sunt ætate. Tertio, jejunos esse maxime convenit, si horis matutinis conferatur, secundum antiquæ Ecclesiæ consuetudinem. Has dispositiones præscribunt *Herardus Turonensis Archiepiscopus, C. lxxv. Canon, Ut jejuni, Dist. v. De Consecratione; Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi, C. iv. Synodus Lingonensis anni mcccciv. Senonensis mdxxiv. Carnotensis mdxxvi. Parisiensis mdlvii. Conventus Melodunensis Cleri Gallicani mdlxxix. Synodus Rothomagensis mdlxxxii. Rhemensis, Burdigalensis, & Turonensis mdlxxxiii. Bituricensis mdlxxxvi. Aquensis mdlxxxv. Tolosana mdxc. Narbonensis mdcix. Burdigalensis mdcxxiv. Concilium Mediolanense iv. sub S. Carolo, Catechismus Concilii Tridentini; idem Sanctus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis in Instructionibus, ubi & alias dispositiones cum animi, tum corporis, ad illud Sacramentum digne suscipiendum necessarias, & opportunas, exponit his verbis.*

Præmonebit, ut nemo excommunicatus, interdictus, in gravi, publicoque peccato jacens, accedat ad hoc Sacramentum; neque qui in Paschate Communionem abstinerit.

Illud vero maxime hortabitur, ut hoc Sacramento cum Spiritus-Sancti gratia uberrime conferatur, ad eam consequendam se jejuniis, elemosyna, qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis, & operibus parent: atque in primis frequentiori, & ardentiori religiosæ orationis studio devote se exercent, exemplo Sanctorum Apostolorum, qui dum expectarent Spiritum Sanctum, Perseverantes erant in oratione, & jejunio. Sed efficiet saltem, ut pridie diei Confirmationis jejunent, qui possunt.

Hoc vero diligenter curabit, ut de peccatis confiteantur, confessique ad Confirmationis Sacramentum accedant; tum confirmati sacram Communionem sumant. Qui ordo Communionis post Confirmationem sumendæ, si commode servari poterit, antiquæ consuetudini erit accommodatus. Servent certe illi, qui ad id recte præparati, tunc primum Sacram Communionem percepturi sunt.

De dispositionibus confirmationis.

De dispositionibus confirmationis.

Confessionis autem prælitæ testimonium scriptum ei præbeant, cui cura hæc commissa est.

Præmonebit item, ut omnes mane jejuni illud suscipiant; quemadmodum & jejunus Episcopus ministret.

Ut mares, tam qui Confirmationem suscepturi sunt, quam qui ad eam Patrini adhibebuntur, vestitu simplici, moderato, & modestiæ Christianæ consensu accedant; & arma item deponant.

Idem feminae præsent: ita scilicet, ut ne fuco, & pigmentis facie illita, non immoderato capitis, corporisve ornatu: sed ita, ut cum capite recte velato sint, tum reliquo vestitu, cultuque ejusmodi, qui Christianas Mulieres, gravesque decet.

Ut omnes, qui confirmandi sunt, accedant non incompositis, atque usque adeo promissis capillis, ut pene frons obtegatur; neque rursus fronte sint aut forte madida, aut sordibus conspersa. Pridie igitur diei, quo Confirmationem suscipiant, caput lavent, aut mudent, capillos item tonderi curent.

In Ecclesiam introducti, qui confirmandi sunt, mares a parte Australi, feminae a Septentrionali manebunt. Genibus item flexis, manibus ante pectus junctis orabunt. Omnes præterea alii, quicumque sacro illi Ministerio adsunt, silentio sancto utentur, sancteque precabuntur. Summa animi attentione spectabunt solemnem Mysterii celebritatem. Mente secum reputabunt illa Spiritus-Sancti dona, quæ Sacramenti hujus virtute Fidelibus impartuntur. Tacita etiam meditatione videbunt, quantopere ipsis donis indigeant. Accersiti autem primo mares, deinde feminae, cum suis quique Patrini, Matrinisve gravi incessu, non turbulento, & celeri præproperove gressu, manibus junctis ad Confirmationem accedent,

De dispositionibus Episcopi Confirmantis.

Episcopum Confirmationis Sacramentum ministrantem jejunum esse decet, jejuniisque, & oratione animum ipse suum dignum Spiritui-Sancto domicilium præparasse. Ita docet Concilium Parisiense VI. Lib. I. C. XXXIII. Perlatum est ad nos, quod in quibusdam Provinciis plerique Episcopi post perceptionem cibi, & potus soleant per impositionem manuum tradere Spiritum-Sanctum: quod tam excellenti Ministerio profus non convenire, & ita deinceps fieri non debere, omnibus nobis visum est. Quoniam credibile est, & auctoritas Ecclesiæ ita se habet, ut sicut Apostoli unanimes existentes, Deumque colaudantes, & benedicentes, ita nimirum jejunantes accipere meruerint Paraclerum Spiritum-Sanctum: eosque nonnisi jejunos, sicut eorum Acta docent, aliis eum tradidisse manifestum est. Sicut enim Baptismus, excepta infirmorum causa, nonnisi a jejunis celebratur Sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus-Sancti, excepta præmissa causa infirmorum, nonnisi a jejunis celebranda est Pontificibus. Dignum quippe est, ut Pontifices Christi primum jejunando, & orando in cordibus suis domum præparent Spiritui-Sancto, & sic per Impositionem manuum ceteris Fidelibus eum tradant orando.

C A P U T VI.

DE CONFIRMATIONIS CÆREMONIIS.

Confirmatorum Patrii.

I. **P**ATRINI in Confirmatione adhibentur, ut constat ex C. Si quis, C. distum est, & C. De his, Causa xxx. Q. I. & C. In Catechismo, C. Non plures, C. In Baptismate, Dist. IV. De Consecratione. Ritus hujus rationem affert S. Thomas III. P. Q. LXXII. A. x. ,, Hoc Sacramentum (inquit) exhibitur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore, in his quæ pertinent ad conversationem vitæ (se-

, cun-

cundum illud ad Hebræos XII. *Patres quidem carnis nostræ habuimus erudidores, & reverebamur eos*) ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. Et in bellis materialibus constituuntur Duces, & Centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter, quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, sustentatur quasi spiritualiter imbecillis, & puer. *Et in Responsione ad 11. Licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est adscriptus Militiæ Christianæ. Et ideo Episcopo tamquam Duci Exercitus, per alium exhibetur jam Militiæ Christianæ adscriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus.* Ut habetur laudato C. *In Baptismate ex Concilio Moguntino. Sed neque quo die quis confirmatus est, eo ipso die alios confirmandos offerat.* (Ex S. Carolo in Instructionibus.)

De Patrinis Confirmandorum hæc Statuta promulgat, seu Monita dat idem Sanctus Cardinalis Archiepiscopus. „ Qui confirmandi sunt, singuli Patrinum sibi adhibent: cujus munus est, filiolum, quem in Confirmatione tenuit, monere, eique tamquam Ducem se præbere, ut in quotidiano spirituali certamine Adversarium vincat: sed & si rudem illum viderit, non solum Fidei Christianæ documentis instruere, verum etiam ad viam salutis, virtutumque Christianarum Disciplinam erudire cohortationibus, atq; exemplis, ut in Sacramento Baptismi traditum est. Quamobrem Patrinus is deligatur, qui non solum Doctrinæ Christianæ instituta, præceptaque teneat, sed etiam, qui vitæ piæ exemplo ita se instituit, ut Magister, vereque Patrinus, ac Dux aliis esse possit ad bene agendum, progrediendumque in via Domini.

„ Nec vero Patrinus casu eligendus est, utpote homo quispiam plane ignotus, aut vero hospes, & peregrinus, ejus consuetudinem in posterum probabile sit minime habendam.

„ Patrinum autem unum dumtaxat ad hoc Sacramentum quis eliget; Matrinam itidem unam.

„ Erit Patrinus qui deligetur, ubi fieri potest, natu major eo, quem sibi filiolum in Confirmatione suscipit, aut saltem id ætatis, ut illius recte instruendi partes, officiumque præstare queat.

„ Id denique servabitur, ut (quoniam ita honestatis ratio postulat) neque scæminis mares, neque rursus scæminæ maribus Patrini, vel Matrinx adhibeantur. Neque item minores quatuordecim annis, nisi quando necessitas aliter cogit: neque pater item, aut mater: neque vir, aut uxor.

„ Ne Patrinus, qui in Baptismo adhibitus est, idem in hoc Sacramento adhibeatur, nisi necessitate cogente.

„ Nemo autem neque in hoc etiam Sacramento Patrinus sit, qui Excommunicationis aut Interdicti vinculo irretitus teneatur, qui ve item Paschali tempore proximo Sacram Communionem non sumpsit: nec vero præterea qui in gravi, publicoque peccato jacet.

„ Nemo Patrinus, Matrinxque eodem die plures in Confirmationis Sacramento teneat, quam unum, nisi ex Archiepiscopali facultate.

„ Quod antiqui Ritus est, id servetur (*inquit Concilium Mediolanense v.*) ut Compater dextera suscipiat, & teneat, quem in hoc Sacramento ministranti Episcopo offert. Si vero qui offertur, adulta ætate est, pedem suum super dexterum Compatris, qui ipsum offert, ponat: id quod non sine Mysterii significatione, fit. Quam ob causam & qui confirmatur, & Patrinus tunc coram Episcopo confirmante stet.

Confirmations
Cæremonia

In Confirmatione spiritualis cognatio contrahitur inter Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, & Patrinum, aut Matrinam (Ex Cap. Nedum, Tit. De Cognatione spirituali, in Sexto, & ex Concilio Tridentino Sessione xxiv. De Reformatione Matrimonii, Cap. 11.)

Mutatio
nominis
quando ne-
cessaria?

II. Nomen mutari debet Confirmando, si turpe sit aut ridiculum, Christianove homine indignum, imponendumque nomen alicujus Sancti: Ut qui habens non ad normam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto ejusmodi nomine, depositoque veteri homine, & antiqua socordia, rursusque novo, ac sancto suscepto nomine, virilem in sancte agendo constantiam perpetuo deinceps præstet. Ita Concilium Mediolanense v. Idemque statuunt Aquense MDLXXXV. & Tolosanum MDXC. Potest etiam mutari Nomen sanctum, & conveniens, modo fraus, & dolus absint, vel nomini pristino in Baptismate imposito addi nomen aliud, quamvis id minime necesse sit. Ita statuerunt Odo Parisiensis Episcopus, Constitutiones Synodales Rhemensis Ecclesiæ, Synodus Trecentis anni MCCCC. Senonensis MDXXIV. & Carnotensis MDXXVI.

Impressio
signi Cru-
cis in fronte
quid signifi-
cet?

III. Signum Crucis in fronte imprimitur, ut eo Ritu significetur, Christianum hominem, non verecundia, que in fronte maxime elucet; neque metu, nec periculo perterreri unquam debere, quin palam, & libere Jesum Christum ignominiose pro peccatis nostris Cruci affixum, & omnem ejus doctrinam confiteatur. Hoc etiam signo, in quo Christus Dominus triumphavit, indicatur, cum, qui confirmatur, In numerum fortissimorum ejus Militum adscribi (inquit S. Carolus in Instructionibus.) Christum non esse erubescendum, sacra illa Cæremonia docet, ex S. Augustino Enarratione IV. in Psalmum xxx. illa verba explicante: *Perfecisti eis, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum: id est (inquit) Eis perfecisti dulcedinem tuam, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum. Quomodo dicit Dominus, Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego illum coram Patre meo. Ergo si speras in Domino, coram hominibus spera: ne forte abscondas ipsam spem tuam in corde tuo, & timeas confiteri, cum tibi objicitur pro crimine, quia Christianus es. Cui autem modo objicitur, quia Christianus est? Tam pauci non Christiani remanserunt, ut eis magis objiciatur, quia Christiani non sunt, quam ipsi audeant aliquibus objicere, quia Christiani sunt. Tamen dico vobis, Fratres mei, Incipe, quicumque me audis, vivere quomodo Christianus, & vide si non tibi objiciatur & a Christianis, sed nomine, non vita, non moribus. Nemo sentit, nisi qui expertus est . . . Vis vivere ut Christianus? Vis sequi vestigia Domini tui? Objiciatur tibi, erubescis, & erubescendo dimittis. Viam perdidisti. Videris tibi corde credidisse ad justitiam; sed perdidisti, Ore Confessio fit ad salutem. Si ergo vis ambulare viam Domini, etiam in conspectu hominum spera in Deum, id est, noli erubescere de spe tua. Quomodo vivit in corde tuo, sic habitet in ore tuo: quia non sine causa signum suum Christum in fronte nobis figi voluit, tamquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat.*

Matt. 10.

Christus
non solum
fide, sed &
moribus pa-
lam confi-
tendus, nec
de illo eru-
bescendum
Confirmati-
onis Cæ-
remoniz.
Rom. 10.

Gal. 6. 14.

Et sermone clxi. De Verbis Apostoli: *Vultis regnare, & gloriari in sedibus Christi? prius discite dicere „ Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Hæc est Doctrina Christiana humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, ut non gloriemur, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Nam non est magnum in Christi sapientia gloriari: magnum est in Cruce Christi gloriari: unde tibi insultat impium, inde gloriatur pius; unde insultat superbus, inde gloriatur Christianus. Noli erubescere de Cruce Christi: ideo in fronte tamquam in sede pudoris signum ipsum accepisti. Recole frontem tuam, ne linguam expavescas alienam.*

IV. Episcopus confirmatum leviter in maxilla cædit: „ Ut sciat „ homo

„ homo Christianus, se jam Militem esse, cujus pugna, & victoria eluceat
 „ in patiendis injuriis, non in illis inferendis: deinde se in Christiana Mili-
 „ tia constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates, & commoda
 „ quærat, sed incommoda potius, atque adeo mala patienter ferat: at præ-
 „ terea intelligat officii sui esse in acie stare, telaque unde veniant observa-
 „ re; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque lædantur,
 „ anima tamen nullo pacto offendatur.“ (Ita hanc Cæremoniam explicat S.
 „ *Carolus* in Instructionibus.) „ Vocati sumus ad Militiam Dei vivi (*inquit*
 „ *Tertullianus*) jam tunc, cum in Sacramenti verba respondimus. Nemo mi-
 „ les ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed
 „ de papilionibus expeditis, & substrictis ubi omnis duritia, & imbonitas,
 „ & insuavitas constitit. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati
 „ ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo,
 „ testudinem densando. Sudore omnia constant, ne corpora, atque animi
 „ expavescant: de umbra ad Solem, de Sole ad cælum, de tunica ad lorica-
 „ m, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, benedicti,
 „ quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutum corporis, & a-
 „ nimi deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo Agnoscethes Deus
 „ vivus est; Xistarches Spiritus-Sanctus; corona æternitatis, brævium An-
 „ gelicæ substantiæ politia in cœlis; gloria in sæcula sæculorum.

Christianæ igitur patientiæ tyrocinium quoddam in hac Cæremonia positum
 est, ut Christianus discat, se patientiæ natum, sine qua vitam æternam con-
 sequi non potest. „ Nam patientia est (*inquit S. Cyprianus*) quæ nos Deo
 „ commendat, & servat: ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænâ,
 „ quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impe-
 „ tum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extin-
 „ guit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet: tuetur in
 „ Virginibus beatam integritatem, in Viduis laboriosam castitatem, in con-
 „ junctis, & maritatis individuam charitatem: facit humiles in prosperis, in ad-
 „ versis fortes, contra injurias, & contumelias mites: docet delinquentibus
 „ cito ignoscere; si ipse delinquas, diu, & multum rogare: tentationes ex-
 „ pugnat, persecutiones tolerat, Passiones, & Martyria consummat. Ipsa est,
 „ quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit: ipsa est, quæ incrementa
 „ spei sublimer provehit: ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam
 „ Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur: ipsa efficit, ut perseveremus
 „ filii Dei, dum patientiam Patris imitamur. Docemur denique, quod sæ-
 „ pe repetit *S. August.* Nos non esse Christianos propter hanc temporalem vi-
 „ tam, neque ut bonis temporalibus, & prosperitate hujus sæculi fruamur,
 „ sed ut mala temporalia toleremus, & ad æterna bona suspiremus, ac pro-
 „ inde patientiam esse exercendam, quæ *Virtus est, qua æquo animo mala to-
 „ leramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus*
 „ (*inquit S. August. Lib. De Patientia*) meminimusque, quod *Impatientes dum
 „ mala pati nolunt, non efficiunt, ut a malis eruantur, sed ut mala graviora
 „ patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quam
 „ non ferendo committere, & leviora faciunt, quæ per patientiam patiuntur,
 „ & pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur. Bona vero æterna,
 „ & magna non perdunt, dum malis temporalibus brevibusque non cedunt: quo-
 „ niam Non sunt condignæ passiones hujus temporis, sicut Apostolus dicit, ad
 „ futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

V. Tandem Episcopus pacem adprecatur Confirmato, ut intelligat, se
 gratiæ cœlestis plenitudinem, & Pacem Dei, quæ exsuperat omnem sensum,
 consecutum esse, quæ corejus, & intelligentiam custodiat in Christo Jesu, &
 pa-

Quid alapa
 levis intli-
 ctio signifi-
 cet?

Christiana
 Militia.

Lib. ad
 Martyres.

Nemo mi-
 les ad bel-
 lum cum
 deliciis va-
 dit.

i b. de Bo-
 no Patien-
 tiæ.

Christiane
 patientiæ
 bonam.

Confirma-
 tionis Cæ-
 remoniæ.

Cap. II.

Rom. 8. 18.

Pacis ad-
 precatio. 7
 Phil. 4.

pacem cum Deo, cum seipso, cum proximo, suavissimum esse Spiritus-Sancti fructum, omni studio, & præ omnibus rebus conservandum.

T R A C T A T U S

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Eucharistiæ Sacramento nihil in Ecclesia majus, aut excellentius est. Quid enim augustius, quam quod Ecclesia per Corporis, & Sanguinis Dominici participationem unum reipsa, & secundum substantiam cum Christo efficitur, & quodam modo in Deum suum transformatur? Quid ad perfectam, indissolubilemque concordiam fovendam efficacius, quam quod Ecclesia eodem corpore vescens, eundem sanguinem bibens, per eundem Spiritum in unum corpus redigitur, & Christo capiti connectitur? Et eatenus hoc Sacramentum ceteris Sacramentis tum Veteris, tum Novi Testamenti majus, & excellentius est, quod in aliis elementum, seu exterior species, aut res sensibilis, quam vulgo materiam nominamus, nullam substantialem mutationem subit: neque enim aqua Baptismatis, aut Chrisma Confirmationis consecratione in aliam naturam mutantur: neque Spiritus-Sanctus, quem aqua in Baptismo significat interius abluentem, & mundantem; Chrisma vero in Confirmatione roborantem, & illuminantem, in eisdem elementis reipsa, & secundum substantiam continetur, quamvis credentibus in Mysterio exhibeatur, & conferatur. At in Sacramento Eucharistiæ panis, & vinum virtute, & efficacia verbi divini ita mutantur, ut eadem substantia non maneat; sed quæ ante consecrationem erant panis, & vinum, post consecrationem sint vere, realiter, & substantialiter caro, & sanguis Christi. Ex quo consequens est, nos hujus tam eximii Sacramenti virtute non solum spiritualiter (quod recta fide, sinceraque charitate fieri minime dubium est) sed & corporaliter Christo conjungi, ut non tantum spiritu ei conglutinati, sed & *Membra simus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus*, ut loquitur Apostolus ad Ephes. v.

C A P U T I.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ SECUNDUM
SE SPECTATO.

A R T I C U L U S I.

De nominibus istius Sacramenti.

Hujus admirabilis Sacramenti dignitatem, atque excellentiam, quæ uno verbo demonstrari non potest, sacri Scriptores pluribus nominibus expresserunt. *Eucharistia* in primis vocatur a *S. Justino* Martyre in Apologia ad Imperatores, & Senatam, quæ vulgo secunda dicitur; a *S. Irenæo* Libro v. C. 11. a *Tertulliano* Lib. de Corona C. 111. a *S. Cypriano*, Libro de Lapsis, a Concilio Nicæno, Canone xviii. *Eucharistia* porro secundum nominis significationem idem est, quod *Bona gratia*, vel *Gratiarum actio*. Ac recte quidem *Bona gratia* dicitur, tum quia vitam æternam præsignificat, de qua scriptum est, *Gratia Dei vita æterna*: tum quia Christum Dominum, qui vera gratia, atque omnium charismatum fons est, *Unigenitus a Patre, plenus gratiæ, & veritatis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, realiter, & substantialiter in se com-

Euchari-
stia.

Rom. 6. 23.

Joan. 1. 14.

u.

tinet. Nec minus apte *Gratiarum actionem* interpretantur; si quidem cum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus: atque in primis pro ejus gratiæ tam excellenti bono, quam nobis hoc Sacramento tribuit. Hinc S. Justinus Martyr Apologia II. Deinde (inquit) ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini: quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Spiritus-Sancti offert, & Eucharistiam, sive Gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest, omnis fausta approbatione acclamat, dicens, Amen. Amen autem voce Hebræa Fiat significat. Eucharistiam pariter Gratiarum actionem interpretatur S. Joannes Chrysostomus Homilia xxvii. in Matthæum. Hinc solemnnes illæ voces in Actione sacra, qua Eucharistia conficitur, sive in Missæ Sacrificio: *Gratias agamus Domino Deo nostro*. De quibus S. August. Lib. I. Contra Adversarium Legis, & Prophetarum, C. xviii. Quod est, (inquit) sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? Et unde majores agende sunt Deo gratiæ, quam pro ipsius gratia per Jesum Christum Dominum nostrum? Quod totum Fideles in Ecclesiæ Sacrificio sciunt, cujus umbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum. Nomen etiam Eucharistiæ, seu Gratiarum actionis optime convenit cum iis, quæ a Christo Domino gesta esse in hoc Mysterio instituendo legimus: *Accipiens enim panem, fregit, & gratias egit*.

Divini hujus Sacramenti nomina.

II. Hoc Sacramentum ab Antiquis *Eulogia divina, Eulogia mystica, Sacramentum benedictionis, sanctificationis, consecrationis* nuncupatur: quia panis, & vinum Christi Domini verbis ex ejusdem Salvatoris nostri institutione benedicuntur, & consecrantur; atque in illius Sacrosanctum Corpus, & pretiosum Sanguinem transmutantur. Matth. xxvi. *Accipit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis; & ait: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum*. Hoc Eulogiæ nomine frequenter utitur S. Cyrillus Alexandrinus ad hoc Sacramentum significandum. Lib. iv. in Joannem, pag. 364. *Quocirca nos corpus, & membra Christi nuncupamur, ut qui per Eulogiam ipsum in nobis suscipimus Filium*. A Tertulliano, Libro De Pudicitia, C. xiv. *Sacramentum benedictionis* vocatur.

Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.
1. Cor. 11.
Eulogia.

III. Cæleste Convivium hoc Sacramentum vocatur a S. Ambrosio, Lib. de his, qui Mysteriis iniantur, C. viii. His (inquit) abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit Altaria, dicens: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam: *Depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquile juventutem, cæleste illud festinat adire convivium. Venit igitur, & videns Sacrosanctum Altare compositum, exclamans ait: Parasti in conspectu meo mensam*. A S. Hieronymo Epistola Ad Hedibiam, Quæst. II. *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus; ipse conviva, & convivium; ipse comedens, & qui comeditur*. Epistola cXLVI. Ad Damasum: *Hoc convivium quotidie celebratur: quotidie Pater Filium recipit: semper Christus credentibus immolatur*.

Convivium cæleste.
Psal. 42. 4

Psal. 22. 6.

IV. Mensam Domini, Mensam divinam, Mensam spirituales, & mysticam appellant Veteres, Apostolo præeunte, I. ad Corinthios x. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem demoniorum: non potestis Mensam Domini participes esse, & mensam demoniorum*. Atque de hoc Sacramento Davidi cum illud oraculum interpretantur, Psal. xxii. *Parasti in conspectu meo Mensam adversus omnes, qui tribulant me*. Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mytagogica IV. S. Gregorius Nazianzenus Oratione II. in Julianum, & Oratione in S. Baptisma; S. Ambrosius Libro De Elia, & Jejunio, C. x.

Mensa Domini.

Mystica quoque Mensa jejunio comparatur: illa Mensa, de qua dicit David; Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Mensa ista famis acquiritur pretio, & poculum illud inebrians sobrietate cœlestium Sacramentorum, siti queritur. Huc quoque flectunt illud Proverbiorum xxiii. Si sederis cœnare ad Mensam Potentis, considerans intellige, quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam, sciens, quia te talia oportet preparare. Ita S. Augustinus Tractatu lxxxiv. in Joannem: Quæ Mensa est Potentis, nisi unde sumitur Corpus, & Sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid considerare, & intelligere, quæ apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum, ut scias, quia talia te oportet preparare, nisi quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere? Et Tractat. xlvii. Mensa Potentis quæ sit, nostis, ubi est Corpus, & Sanguis Christi. Huc quoque referunt illud Proverbiorum ix. Sapientia edificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit Mensam suam. Ita S. August. Lib. xvii. De Civitate Dei, C. xx. Hic certe agnoscimus Dei Sapientiam, hoc est, Verbum Patri coeternum, in utero virginali domum sibi edificasse corpus humanum, & huic tamquam capiti membra Ecclesiam subjunxisse, Martyrum victimas immolasse, Mensam in vino, & panibus preparasse; ubi apparet etiam Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech ... Participem autem fieri Mensæ illius, ipsum est incipere habere vitam.

Cœna Do.
mini.

V. Cœnam Domini Patres aliquando, sed tamen infrequenter, appellarunt, quia Sacramentum istud Christus instituit, postquam cœnasset. Ita Tertullianus Lib. De Spectaculis, C. xiii. S. August. Epistola liv. alias cxviii. ad Januarium, Theodoretus in C. xi. Epist. ii. ad Corinthios, & S. Thomas in Commentario ejusdem capituli ad illa verba Apostoli, *Convenientibus vobis in unum, non est Dominicam Cœnam manducare.* Hujus typus Cœna illa magna Patris-familias, cujus parabolam Christus proponit Lucæ xiv. *Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocavit multos.*

Panis vitæ.

VI. Vocatur Panis vitæ, qui de cœlo descendit, Panis Angelorum, Panis supersubstantialis, Panis in Bethleem natus, Panis Dominus, Panis concordie. S. Hieronymus in Proœmio Lib. v. Commentar. in Jeremiam: *Securus populus Domini cum Jesu Jordanis fluentia transibit, & post vastam solitudinem comedit Panem, qui in Bethleem nostro natus est viculo.* S. Augustinus Tractatu lix. in Joannem, de Apostolis & Juda prodigere loquens: *Illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille pœnam: Qui enim manducat indigne, ait Apostolus, judicium sibi manducat.* S. Cyrillus Alexandrinus Libro xiii. De Adoratione in Spiritu, & Veritate: *Mensa quidem propositionum panem habens, incruentam Hostiam significat, qua benedicamur, dum panem manducamus illum, qui de cœlo est, Christum scilicet.* S. Joannes Chrysostomus Homilia xxvii. in Epistolam i. ad Corinthios: *Si delitiæ mors sunt mulieri, multo magis viro, etsi hoc cum alio tempore fiat, perdit, multo magis post Sacramentorum communionem. Tu autem pane vitæ accepto, facis rem mortis, & non horrescis?* S. Cyprianus Lib. De Oratione Dominica: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absenti, & non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur; ipso prædicante, & monente: Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum.* S. August. Tractatu xxv. in Joannem, Eucharistiam vocat Panem concordie, Ecclesia in Officio Sanctissimi Sacramenti vocat

Jan. 6. 59

cæt Panem Angelorum, & in Canone Missæ, Panem sanctum vite æternæ, & Calicem salutis perpetuæ.

VII. *Fractio panis* a Veteribus interdum appellatur, qui de Eucharistia intelligunt, quod *Actorum* II. scriptum est: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Et quod *Lucæ* XXIV. legitur: *Et cognoverunt eum in fractione panis.* Ita intellexit *S. Augustinus* Tractatu II. in Epistolam *S. Joannis*: *Discipuli, inquit, Eum non agnoverunt nisi in fractione panis. Et vere qui non sibi iudicium manducat, & bibit, in fractione panis Christum agnoscit.* Quid Apostoli verbis expressius? *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Domini est?* Quam procul dubio sententiam *S. Ignatius Martyr* spectat Epistola ad Ephesios: *Unum panem frangentes (inquit) quod est pharmacum immortalitatis.*

Fractio panis.

1. Cor. 10. 16.

VIII. Vocatur *Sacramentum Fidelium, Mysterium Fidei, Christianæ Religionis arcanum*, quia Infidelibus, & Catechumenis ejus notitia abscondebatur: tum ut major reverentia Mysteriis servaretur; tum ut Catechumeni ardentius concupiscerent, & ardentius quærerent, quod ipsis religiose occultabatur, & ad Baptismum propterea festinarent, quo Mysteriorum communicationem mererentur: tum ut Paganorum respectu servaretur præceptum Domini prohibentis *Dare Sanctum canibus, & projicere margaritas ante porcos.* Quam rationem urget *S. Cyrillus Alexand.* Lib. VII. *Contra Julianum*, versus finem. *S. Ambrosius* Oratione de Obitu Satyri fratris: *Quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud Fidelium Sacramentum poposcit, non ut curiosus oculos infereret arcanis, sed ut Fidei suæ consequeretur auxilium.* *S. August.* Sermone CXXXI. alias II. De Verbis Apostoli: *Audivimus veracem Magistrum, divinum Redemptorem, humanum Salvatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore, & sanguine suo: Corpus dixit escam, Sanguinem potum. Sacramentum Fidelium agnoscunt Fideles. Audientes autem quid aliud quam audiunt? Plura id genus occurrunt apud alios Patres.*

Sacramentum Fidelium.

Matth. 7.

IX. *Communio* vocatur, quia per Eucharistiam reipsa participes sumus Corporis, & Sanguinis Christi, nec solum voluntate, & affectu, quod & amantibus omnibus commune est, sed realiter, & substantialiter cum ipso jungimur, & commiscemur, unum corpus facti, & una caro. Hæc appellatio sumpta est ex Apostolo I. ad Corinthios X. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Hoc nomen usurpant *S. Cyprianus* Epistola LIV. *At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est; nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inerme, & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis, & Corporis Christi muniamus; & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra Adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? *S. Hieronymus* Lib. III. Dialogorum contra Pelagianos: *De Baptismatis fonte surgentes, & regenerati in Dominum Salvatorem: impleto, quod de se scriptum est, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: statim in prima Communionem Corporis Christi dicunt, Et dimitte nobis debita nostra; quæ illi*

Communia.

Psalm. 34.

1. Cor. 10. 36.

sue.

1. Cor. 10. 16 fuerant in Christi confessione dimissa. S. Joannes Chrysostomus Homilia xxiv. in 1. ad Corinthios, explicans illa verba, *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* ait: *Cur non dixit, participatio? Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare conjunctionem. Non solum enim communicamus, eo quod sumus participes, & sumimus, sed etiam eo quod uniamur ... Quid enim, inquit, dico communicationem? Sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem sunt, qui sumunt? Corpus Christi, non corpora multa, sed unum corpus.* Ante Hieronymum, & Chrysostomum Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystagogica v. *Accedens autem ad Communionem non expansis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dexteræ, quæ tantum Regem susceperat, & concava manu suscipe Corpus Christi, dicens, Amen.* S. August. Epistola LIV. olim cxviii. ad Januarium: *Alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt.* S. Thomas III P. Q. Lxxiii. A. iv. *Dicitur Communio quia communicamus per ipsam Christo, quia participamus de ejus carne, & divinitate, & quia communicamus, & unimur ad invicem per ipsam.*

Corpus Domini.

X. Eucharistiam Corpus, & Sanguinem Domini frequentius appellaverunt antiqui Patres, Christi hoc Sacramentum instituentis verbis persuasi, *Accipite, & manducate: Hoc est Corpus meum. Accipite, & bibite: Hic est Sanguis meus.* Et Apostoli 1. Ad Corinthios xi. 29. *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Hinc Sacerdos Eucharistiam Fidelibus porrigens, dicebat, ad eorum fidem, & pietatem excitandam, *Corpus Christi:* ipsi vero respondebant, *Amen;* id est, *Verum est.* Testes sunt S. Cornelius Pontifex, & Martyr, Epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, apud Eusebium Libro vi. *Historiæ Ecclesiasticæ* C. xliiii. S. Dionysius Alexandrinus Epistola ad Xistum Episcopum Romanum, apud Eusebium Libro vii. C. ix. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystagogica v. S. Ambrosius Libro *De his, qui Mysteriis inicianur*, C. ix. S. August. Lib. xii. *Contra Faustum*, C. x. Eucharistiam Corpus, & Sanguinem Christi etiam appellant Tertullianus Lib. *De Resurrectione Carnis*, C. viii. S. Cyprianus Epistola Lxii. ad Cæcilium, S. Hieronymus Epistola 1. ad Heliodorum, S. Joannes Chrysostomus Homilia xlv. in Joannem, & alibi passim, aliique Patres, quorum loca indicare longioris, & inutilis operæ foret.

Sancta & Sanctum Domini.

XI. Sacramentum istud *Sancta, Sanctum Domini, & Sanctum* simpliciter appellarunt, quod pretiosum Corpus, & Sanguinem Christi contineat, qui *Sanctus Sanctorum* est, & fons totius sanctitatis. Hæc nomina usurpant S. Cyprianus Lib. *De Lapsis: A Diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis, & infectis nidore manibus accedunt.* Ibidem: *Et cum quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Antiquior S. Cypriano Tertullianus Lib. *De Spectaculis*, C. xxv. *Quale est ... ex ore, quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere?* Dionysius Alexandrinus Epistola ad Basilidem Canone ii. *Ad Sancta autem Sanctorum, qui non omnino anima pariter, & corpore purus est, accedere prohibebitur.* Concilium Laodicenum Canone xiv. *Quod Sancta nullo modo causa Eulogiarum tempore Paschalis Festi ad alias Parochias debeant destinari.* S. Cyrillus Alexandrinus Lib. xii. in Joannem: *Accedentibus ad benedictionem mysticam, Ministri Ministerii magna voce clamant, Sancta Sanctis: solis sanctificatis spiritu tactum, & sanctificationem Corporis Christi congruere significantes.*

XII. *Gratia* vocatur, non solum quia per ipsum gratia in cordibus nostris diffunditur, sed quia Christum continet gratiæ auctorem, qui suum ipse Corpus, & Sanguinem animam, & divinitatem, sub sacris speciebus communicat. Hoc nomen Eucharistiæ tribuunt *S. Cyprianus* Lib. De Lapsis: Documento unius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando Gratia salutaris in cinerem, Sanctitate fugiente mutetur. *S. August.* Tractatu xxvii. in Joannem: Illi putabant eum erogaturum Corpus suum, ille autem dixit se ascensurum in cælum, utique integrum. Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius; certe vel tunc videbitis; quia non eo modo quo putatis erogat Corpus suum; certe vel tunc intelligetis, quia Gratia ejus non consumitur moribus. *Palladius* in Historia SS. Patrum, C. lxxii. Ammon aliquando offerens Deo cultum, vidit Angelum stantem a dextris Altaris, & signantem Fratres accedentes ad Gratiam. Gratia: Joan. 6. 62

XIII. *Vita* nuncupata est, quia Christum continet vitæ Auctorem, quide se dixit: Ego sum panis vivus: & Qui manducat meam carnem, vivet in æternum. Hinc *S. Ambrosius* Lib. De his, qui Mysteriis initiantur, C. viii. Iste panis vivus, qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat. *S. August.* Lib. i. De Peccatorum Meritis, & Remissione, C. xxiv. Optime Punici Christiani Baptisum ipsum nihil aliud quam Salutem, & Sacramentum Corporis Christi nihil aliud, quam Vitam vocant. Unde nisi ex antiqua, ut existimo, Apostolica Traditione? Et infra, Quid aliud etiam, qui Sacramentum Mensæ Dominicæ Vitam vocant, nisi quod dictum est, Ego sum panis vitæ? Vita:

XIV. *Spiritualis esca*, vel *Spiritualis alimonia* vocata est Eucharistia, tum quia Christi Corpus, quod continet, spiritualibus dotibus indutum est, utpote gloriosum, & immortale: tum quia divinitatis virtute, cujus organum conjunctum est, subsistens scilicet in persona Filii Dei, animas nostras alit, & vegetat, vitamque spirituales sustentat. *S. Ambrosius* Lib. De his, qui Mysteriis initiantur C. ix. In illo Sacramento Christus est, quia Corpus est Christi; non ergo corporalis esca, sed spiritualis est. *Sanctus Leo* Epistola xlvi. alias xxiii. ad Clerum, & Plebem Constantinopolitanæ urbis: In quibus sunt ignorantie tenebris? In quo hæcenus desiderii torpore jacuere? Ut nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas Corporis, & Sanguinis Christi inter Communionis Sacramenta taceatur? Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniae hoc impartitur, hoc sumitur: ut accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. iv. in Joannem: Spiritum hic ipsam carnem nuncupavit; non quia naturam carnis amiserit, & in spiritum mutata sit, sed quia summe cum eo conjuncta, totam vivificandi vim hausit. Hinc *Apostolus* de typo ejus ait: Patres nostri eandem escam spirituales manducaverunt, & eundem potum spirituales biberunt. Spiritualis esca: I. Cor. 10. 3.

XV. *Sacrificium* appellatur, quia in eo Christus pro totius mundi redemptione in Cruce semel oblatus, incruenta ratione offertur, ut hæc ipsa oblatio nobis applicetur. Ita vocant *Eusebius Cæsareensis* Libro i. Demonstrationis Evangelicæ, *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi Mystagogica v. *S. August.* Lib. xv. De Civitate Dei, C. xxi. & alibi, nec non alii Patres, quorum testimonia in progressu Tractatus hujus proferentur, vel indicabuntur. Sacrificium.

XVI. *Pretium nostrum* a Patribus vocatur, quod idem Corpus contineat, quod pro nostra redemptione in Cruce immolatum, eundem Sanguinem, qui pro nobis effusus est. Ita *S. August.* Lib. ix. Confessionum, C. xii. Nam Pretium nostrum.

neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea Sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere ... Nec in eis precibus ego flevi, &c. Epistola XLIII. alias CLXII. C. VIII. Tolerat ipse Dominus Judam, diabolum, furem, & venditorem suum, finit accipere inter innocentes Discipulos, quod Fideles noverunt, pretium nostrum.

Sacramen-
tum Sacra-
mentorum.

XVII. Sacramentum Sacramentorum per excellentiam vocatur a S. Dionysio Lib. de Ecclesiastica Hierarchia C. III. Auctore Sermonis in Cœna Domini inter Opera S. Bernardi, & S. Thomæ III. P. Q. LXV. A. II. Tum quia In Sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter; in aliis autem Sacramentis continetur virtus quædam instrumentalis participata a Christo: tum quia omnia alia Sacramenta ordinari videntur ad hoc Sacramentum sicut ad finem. Hinc passim a Fidelibus Eucharistia Sancti Sacramenti nomine significatur. Hinc S. August. Epistola LIV. alias CXVIII. illam Magnum Sacramentum vocat.

Quid habet
rationem
Sacramenti
in Eucharis-
tia?

Qua occasione notandum est cum Hugone à S. Victore, & Magistro Sententiarum, in hoc Sacramento tria esse consideranda; unum, quod est *Sacramentum tantum*; alterum, quod simul *Res est, & Sacramentum*; tertium quod *Res est, & non Sacramentum*. *Sacramentum tantum* est species visibilis panis, & vini: ea enim ita signum est alicujus rei, ut non sit res significata. Significat autem Corpus Christi verum, quod sub ea continetur; & præterea Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia: illud quidem ratione alimenti: quia sicut panis præ ceteris cibis corporaliter hominem nutrit, & vinum exhilarat; ita Caro, & Sanguis Christi spiritualiter hominem nutriunt, & recreant: illud vero ratione unionis: quia sicut ex multis granis unus panis conficitur, & ex multis uvis vinum confluit; ita ex omnibus Fidelibus tamquam variis membris charitate compactis, & coagmentatis unum Christi Corpus Mysticum, quod est Ecclesia, constituitur, ut explicat S. August. Tractatu XXVI. in Joannem, & Sermone ad Infantes. *Res simul, & Sacramentum*, est Corpus, & Sanguis Christi Domini, quia & per species visibiles significatur, & Corpus Mysticum significat, gratiamque invisibilem, quam digne suscipientibus confert. *Res, & non Sacramentum*, est Mysticum Christi Corpus, quod hoc Sacramento non continetur, sed significatur tantum & gratia invisibilis, quam Eucharistia virtute continet, quamque ex ipsa hauriunt, qui digne illam recipiunt.

Notandum secundo, cum Sacramentum dicatur ex eo, quod continet aliquid sacrum; possit autem aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet absolute, & in ordine ad aliud: hoc discrimen esse inter Eucharistiam, & alia Sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute scilicet ipsum Corpus Christi; aqua vero Baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem sanctificandi: (& eadem est ratio Chrismatis, & similium.) *Et ideo* (inquit S. Thomas) *Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ; alia vero Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum*. Quod discrimen, & sacra Synodus Tridentina Sessione XIII. Cap. III. explicat his verbis. *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam invisibilem: verum illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret Corpus suum esse, quod præbebat.*

III. P. Q.
LXXIII. A.
L. ad III.

Notandum tertio, etsi species visibilis panis, & vini vere Sacramentum dici

dici possit, quatenus rei sacræ, Corporis scilicet, & Sanguinis Christi realiter præsentium signum est; tamen Corpus ipsum, & Sanguinem Domini nostri, quatenus existunt sub visibilibus panis, & vini speciebus, proprietatem & vere Sacramentum esse, & appellari. Cum enim Tridentina Synodus Sessione XIII. C. v. & Canone VI. docet, ac declarat, *Omnes Christi Fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, Patriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento exhibere debere*, Sacramenti nomine species panis, & vini non intelligit, sed ipsum Christi Corpus, & Sanguinem sub illis. Unde in Canone laudato, *Christum unigenitum Dei Filium in sancto Eucharistiæ Sacramento adorandum* pronunciat. Et in Professione Fidei a Pio Quarto præscripta hæc habentur: *Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi*. Corpus itaque Christi sub specie visibili verum Sacramentum est.

Notandum quarto, quamvis duo sint elementa, panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse. Nam cum hujus Sacramenti gratia unum Corpus Mysticum efficiatur, ut Sacramento ipsum conveniat rei, quam efficit, unum esse oportet. Unum autem est, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habet, & totum quoddam perfectum est, constans partibus ad eundem finem ordinatis: ad spiritalem enim refectioem ordinatur, quæ proportionem quamdam habet cum corporali, ad quam cibus, & potus concurrunt. *Et ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud Joannis VI. Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus*. Unde hoc Sacramentum est multiplex, si spectetur materia remota, panis nempe, & vinum, ut res quædam sunt; unum vero, si spectetur significatio, perfectio, & finis. *Nam quemadmodum cibus, & potio, quæ due diversæ res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur: ita etiam duas diversas Sacramenti species illis respondere consentaneum fuit, quæ cibum spirituales significarent, quo mentes sustinentur, & recreantur* (inquit Concilii Trid. Catechismus.) *Atque ita intelligendum est Caput, Comperimus, Dist. II. De Consecratione, ex Gelasio sumptum, cujus hæc sunt verba: Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo Corporis sacri portione, a Calice sacri cruoris absterneant: qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*. Hinc Ecclesia in eadem Collecta pro vivis, & defunctis plurali simul, & singulari numero Eucharistiæ Sacramentum designat: *Purificent nos, Domine, Sacramenta, quæ sumpsimus: & Præsta ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad penam, sed intercessio salutaris ad veniam*.

Notandum quinto, Eucharistiam tria significare; primum Christi Passionem, quæ præterit: ipse enim ait Lucæ XXI. *Hoc facite in meam commemorationem*: & Apostolus I. ad Corinthios XI. *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Alterum est divina gratia, quæ præsens ad animam alendam, & sustentandam hoc Sacramento tribuitur. Tertium est, quod futurum prænunciat, æternæ jucunditatis, & gloriæ fructus, quos in cælesti patria ex Dei promissione capiemus. Ad hæc vero singula declaranda, totum Sacramentum, quamvis ex diversis speciebus constet, tamquam ad unius rei significationem refertur (inquit Tridentini Concilii Catechismus.)

XVIII. Pacis quoque nomine appellatam Eucharistiam constat ex S. Eucharistiæ Cypriano tum variis in Epistolis; tum Libro *De Lapsis*, ubi Communionem Pax vocata.

Unitas Sacramenti.

S. Thomas
111. P. Q.
63. A. 2.

Sacramenti
significatio.

Eucharistiæ, aut certe jus illam recipiendi ad Martyrum preces Lapsis restitutum, *Pacem* vocat; & eos, qui Eucharistia ante exitum e vita donati sunt, præmitti ait ad Dominum cum pace, quam Martyres Libellis suis eis dari postularunt. Et Epistola LIV. ad *Cornelium* Romanum Synodi Africanæ nomine data, *At vero nunc* (inquit) *non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, &c.* Vocatum esse etiam *Sacramentum pacis, & charitatis* (inquit Concilii Tridentini Catechismus) ut intelligamus *Quam indigni sint Christiano nomine, qui inimicitias exercent, odiæque, dissidia, & discordias, ut teterrimas fidelium pestes omnino exterminandas esse, cum præsertim quotidiano Religionis nostræ Sacrificio, nihil nos studiosius servare, quam pacem, & charitatem proficamur.* Hinc illud *Tertulliani* Lib. de Oratione C. x. *Memoria præceptorum viam, & orationibus sternit ad cælum, quorum præcipuum est: ne prius ascendamus ad Dei Altare, quam si quid discordiæ, vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei recedere sine pace? Ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis?*

Viaticum.

XIX. Eucharistia denique *Viaticum* appellatur, tum quia spiritalis cibus est, quo in hujus vitæ peregrinatione sustentamur, illo pane adumbratus, de quo Angelus Domini *Elie* dixit III. Regum XIX. *Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Tum quia viam nobis ad æternam gloriam, & felicitatem munit. Quare ex veteri Ecclesiæ instituto cavetur, ut nemo Fidelium sine hoc Sacramento e vita excedat. Ita sancitum est Nicæni Concilii Canone XIII. Carthaginensis IV. Canone LXX. & Vasensis Canone II. S. Joannes Chrysostomus, Lib. VI. De Sacerdotio, *Alius quidam, inquit, mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus sed dignus habitus qui id & vidisset ipse, & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si Mysteriorum hujusmodi cum pura, ac munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacrum, hinc recta in cælum abducuntur.* S. Hieronymus ad C. XV. S. Matthæi: *Non vult eos Jesus dimittere jejunos, ne deficient in via. Periclitatur ergo, qui sine cælesti Pane ad optatam mansionem pervenire festinat. Unde & Angelus loquitur ad Eliam: Surge, & manduca, quia grandem viam ambulaturus es.* S. Gaudentius Tractatu II. in Exodum: *Hoc illud est Viaticum nostri itineris, quo in hac vita alimur, ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus, de hoc sæculo recedentes.* Unde dicebat idem Dominus: *Nisi manducaveritis meam Carnem, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis.*

Eucharistiæ definitio.

Definiri potest Eucharistia hunc in modum: *Eucharistia est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, ad spiritualem Fidelium alimoniam a Christo institutum.*

ARTICULUS II.

De Eucharistiæ Figuris, & Institutione.

S. I.

De Figuris hujus Sacramenti.

SI spectetur in Eucharistia id, quod est Sacramentum tantum, scilicet panis, & vinum, potissima ejus figura fuit oblatio Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit. Si spectetur id, quod res est, & Sacramentum, scilicet Corpus Christi verum, quod pro nobis in cruce passum, & immolatum est, figuræ ejus fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti. Si spectetur id, quod res tantum, scilicet effectus hujus Sacramenti, præcipua ejus figura fuit Manna, quod habebat in se *Omnis saporis suavitatem*; sicut & gratia hujus Sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. At Agnus Paschalis præcipua fuit, & magis expressa Eucharistiæ figura, his omnibus characteribus ipsum repræsentans: quantum ad id, quod est Sacramentum tantum, quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud Exod. xii: *Edent carnes, & azymos panes*: quantum ad id, quod est res, & Sacramentum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel decima quarta Luna; & fuit figura Passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus: quantum vero ad effectum, quia per Sanguinem Agni Paschalis protecti sunt filii Israel a devastante Angelo, & educti de Ægyptiaca servitute. Agnus igitur Paschalis præcipua fuit hujus Sacramenti figura, quia secundum omnia ipsum repræsentat. Unde Apostolus II ad Corinthios v. ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis*. Quæ uberem Parochis, & verbi sacri Concionatoribus dicendi materiam suppeditabunt, si figurarum hujusmodi analogias cum Eucharistia meditentur, & Fidelibus exponant. Agni Paschalis ritum, quatenus Eucharistiæ figura est, præclare S. Gregorius Magnus exponit Homilia xxix in Evangelia. „ Quid sit (*inquit*) Sanguis Agni, non „ jamaudiendo, sed bibendo didicistis. Qui Sanguis per utrumque postem po- „ nitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In „ utroque etenim poste Sanguis Agni est positus, quando Sacramentum pas- „ sionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque „ intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui Sanguinem ac- „ cipit, ut imitari passionem illius necdum velit, in uno poste Sanguinem „ posuit, qui etiam in superliminariis domorum ponendus est. Quid enim „ spiritaliter domos, nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitatio- „ nem inhabitamus? cujus domus superliminaris est ipsa intentio, quæ præ- „ eminet actioni. Qui ergo intentionem cogitationis suæ ad imitationem „ Dominicæ Passionis dirigit, in superliminari domus Agni Sanguinem ponit. „ Vel certe domus nostræ ipsa sunt corpora, in quibus quousque vivimus, „ habitamus. Et in superliminari domus Agni sanguinem ponimus, quia „ crucem passionis illius in fronte portamus. De quo adhuc Agno subdi- „ tur: *Et edent carnes nocte illa assas igni*. In nocte quippe Agnum come- „ dimus, quia in Sacramento modo Dominicum Corpus accipimus, quando „ adhuc ad invicem nostras conscientias non videmus... sed sola Redem- „ ptoris nostri percepta Sacramenta ad veram solemnitatem mentis non suf- „ ficiunt, nisi eis quoque & bona opera jungantur. Quid enim prodest „ Corpus, & Sanguinem illius ore percipere, & ei perverfis moribus con- „ traire? Unde bene adhuc ad comedendum subditur: *Et azymos panes cum „ lactucis agrestibus*. Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera „ sine operatione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine ad-

S. Thomas
111. P. Q.
Lxxiii.
A. vi.
Genes. 14.
18. S. Cy-
prian.
Epist. 63.
Genes. 16.
Sap. 16. 20.
21.
Agnus Pas-
chalis præ-
cipua Eu-
charistiæ fi-
gura. Exod.
12.

Ritus come-
dendi A-
gnum Pas-
chalem spi-
ritaliter ex-
plicatus, &
ad sacram
Eucharistiæ
Communi-
onem ap-
plicatus.

Exod. 12.

„ mixtione peccati exhibet; ne perverse diripiat, quod quasi recte dispen-
 „ sat ... Lactuæ vero agrestes valde amaræ sunt. Carnes ergo agni cum
 „ lactucis agrestibus sunt edendæ, ut cum Corpus Redemptoris accipimus,
 „ nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo
 „ pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho perversæ humorem vitæ ... De
 „ quo adhuc recte subjungitur. *Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis* ...
 „ Caput Christi Deus est. Caput ergo Agni vorare, est divinitatem illius
 „ fide percipere. Pedes vero Agni vorare est vestigia humanitatis ejus
 „ amando, & imitando perquirere. Quid vero sunt intestina, nisi verbo-
 „ rum illius occulta, & mystica mandata? Quæ tunc voramus, cum ver-
 „ ba vitæ cum aviditate sumimus: in quo devorationis verbo quid aliud
 „ quam pigritiæ nostræ torpor reprehenditur? Qui ejus verba, ac mysteria,
 „ & per nosmetipsos non requirimus, & dicta ab aliis audimus inviti. *Non*
 „ *remanebit ex eo quidquam usque ad mane*: quia ejus dicta magna sunt so-
 „ llicitudine discutienda, quatenus priusquam dies Resurrectionis appareat,
 „ in hac præsentis vitæ nocte omnia illius mandata intelligendo, & ope-
 „ rando penetrentur: sed quia valde difficile est, ut omne sacrum Eloquentium
 „ possit intelligi, & omne ejus Mysterium penetrari, recte subjungitur: *Si*
 „ *quid autem remanserit, igne comburetis*. Quod ex Agno remanet, igne
 „ comburimus, quando hoc, quod de Mysterio Incarnationis ejus intelli-
 „ gere, & penetrare non possumus, potestati Sancti Spiritus humiliter re-
 „ servamus: ut non superbe quis audeat vel contemnere, vel denunciare,
 „ quod non intelligit: sed hoc igni tradit, cum Spiritui Sancto reservat.
 „ Qui Pascha comedit, habere renes accinctos debet: ut qui solemnitatem
 „ resurrectionis, atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla
 „ subiaceat, voluptates edomet, carnem a luxuria restringat. Subditur,
 „ *Calceamenta habebitis in pedibus*. Quid sunt etenim pedes nostri, nisi ope-
 „ ra? Quid vero calceamenta, nisi pelles mortuorum animalium? Calcea-
 „ menta autem pedes muniunt. Quæ vero sunt mortua animalia, ex quo-
 „ rum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui Patres, qui nos ad æter-
 „ nam Patriam præcesserunt? Quorum dum exempla conspiciamus, nostri
 „ operis pedes munimus. Calceamenta ergo in pedibus habere, est mortuorum
 „ vitam conspiciere, & nostra vestigia a peccati vulnere custodire. *Tenentes*
 „ *baculos in manibus*. Quid lex per baculum nisi pastorem custodiam de-
 „ signat? Et notandum, quod prius præcipimur renes accingere, postmo-
 „ dum baculos tenere: quia illi debent curam Pastorem suscipere, qui jam
 „ in suo corpore sciunt fluxa luxuriæ edomare: ut cum aliis fortia prædi-
 „ cant, ipsi desideriiis mollibus enerviter non succumbant. *Significat etiam*
 „ *ille ritus comedendi agnum Paschalem, Christianos, ut peregrinos in hoc*
 „ *mundo gerere se debere, terrenis omnibus ut viatores uti, nulli rei creatæ*
 „ *inherere* Mansoria dilectione (ut loquitur S. Augustinus) si Christi veri A-
 „ gni carnem in Eucharistiæ Sacramento digne manducare velint. Additur,
 „ Et comedetis festinantes. Hoc est (inquit S. Gregorius) Mandata Dei, My-
 „ steria Redemptoris, cœlestis Patriæ gaudia cum festinatione cognoscite, &
 „ præcepta vitæ cum festinatione implere curate. Quia enim adhuc hodie
 „ licet bene agere, scimus: utrum cras liceat, ignoramus. Festinantes ergo
 „ Pascha comedite, id est, ad solemnitatem Patriæ cœlestis anhelate. Nemo
 „ in hujus vitæ itinere torpeat, ne in Patria locum perdat. Nemo moras
 „ ad appetenda studia innectat, sed cœpta perficiat, ne minime liceat im-
 „ plere, quod inchoat. Si ad amorem Dei pigri non sumus, adjuvat ipse,
 „ quem amamus.

§. I I.

De Eucharistiæ institutione.

Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Eucharistiæ Sacramentum instituit, *In quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, & se ipsum ex misericordia, quæ nec explicari, nec comprehendi a creatura potest, dans escam timentibus se. Celebrata enim cum Discipulis Paschalis Agni cœna, Accipit panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum... Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Rationes institutionis explicat Tridentina Synodus Sessione XIII. C. II. his verbis: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam spirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus preservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis: adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei, & charitatis connexionem adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus; nec essent in nobis schismata.* Futuræ gloriæ pignus Eucharistiam appellavit Concilium, S. Optato Milevitano præeunte Lib. VI. contra Parmenianum, ubi sic in Donatistas invehitur: *Quid est tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt; unde a multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes Resurrectionis accepta est.*

Quam vero conveniens fuerit institutio hujus Sacramenti in ultima Cœna, multis rationibus explicat S. Thomas, III. P. Q. LXXII. A. V.

Prima petitur ex re, quæ in hoc Sacramento continetur. In eo enim continetur ipse Christus. Et ideo cum a Discipulis discessurus esset, se ipsum in Sacramento eis reliquit. Unde Auctor Homiliarum sub Eusebii Emiseni nomine laudatarum, Homilia V. De Paschate: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, ut nobis in hac die Sacramentum Corporis sui consecraret, ut coleretur jugiter per Mysterium, quod semel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana, & indefessa curabat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio, & perennis illa victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia.*

Secunda ratio sumitur ex fide Passionis Christi, sine qua numquam potuit esse salus, secundum illud ad Romanos III. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Et ideo (inquit S. Thomas) *Oportuit omni tempore apud homines esse aliquid representativum Dominicæ Passionis: cujus in veteri quidem Testamento præcipuum Sacramentum erat Agnus Paschalis: successit autem ei in Novo Testamento Eucharistiæ Sacramentum, quod est rememorativum præteritæ Passionis, sicut & illud fuit præfigurativum futuræ. Quamobrem conveniens fuit, ut Imminente Passione, celebrato priori Sacramento, Novum Sacramentum institueret.* Unde S. Leo Sermone VII. De Passione ait: *Ut ergo umbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo excluditur Sacra-*

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

Q 9 3

men-

Conc. Trident. Sess. XII. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. I. Cor. 11. Eucharistiæ institutio.

I. Cor. 5. & 11.

Christus Eucharistiam in ultima Cœna convenienter instituit

Eucharistiæ institutio: Cap. Quia (35.) Dist. 11. De Consecratione.

*mento hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festi-
tas, dum mutatur impletur.*

Tertia ratio sumitur ex divini illius beneficii memoria, quam decet esse sempiternam. „ Ea enim, quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis receden-
„ tibus, magis memoriæ commendantur; præsertim quia tunc magis inflam-
„ matur affectus ad amicos: ea vero ad quæ magis afficimur, profundius
„ animo imprimuntur. *Quia igitur* Nihil in sacrificiis majus esse potest quam
„ Corpus, & Sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, ut habetur
„ C. Nihil, *Dist. 1. De Consecratione*; ideo ut in majori veneratione ha-
„ beretur, Dominus in ultimo discessu suo Discipulis hoc Sacramentum in-
„ stituit. *Hinc S. Augustinus Epistola LIV. alias CXVIII. ad Januarium ait:*
„ Salvator quo vehementius commendaret Mysterii illius altitudinem, ulti-
„ mum hoc voluit altius infigere cordibus, & memoriæ Discipulorum, a
„ quibus ad Passionem digressurus erat. *Hinc & S. Gaudentius Brixien-
„ Episcopus Tractatu II. de Paschate: Vere, inquit, istud est hæreditarium
„ munus Testamenti ejus Novi, quod nobis ea nocte, qua tradebatur cru-
„ cifigendus, tamquam pignus sue præsentis dereliquit ... Voluit enim bene-
„ ficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso Sanguine suo sem-
„ per sanctificari per imaginem propriæ Passionis: & ideo Discipulis fide-
„ libus mandat quos primos Ecclesiæ sue constituit Sacerdotes, ut indefi-
„ nenter ista vitæ æternæ Mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis Sa-
„ cerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum
„ Christus de cælis adveniat; quo & ipsi Sacerdotes, & omnes pariter Fi-
„ delium populi exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie,
„ & gerentes in manibus, ore etiam sumentes, ac pectore, redemptionis
„ nostræ indelebili memoria teneamus, & contra venena diaboli dulcem
„ medicinam sempiterni tutaminis consequamur.*

A R T I C U L U S III.

De Materia Eucharistiæ.

Eucharistiæ **M**ateria hic intelligimus, non quæ in Eucharistia permaneat, vel ex qua constet, sed ex qua fiat hoc Sacramentum, Corpus nempe, & Sanguis Christi.

P R O P O S I T I O I.

Materia Eucharistiæ est panis, & vinum.

Hæc veritas quatuor Evangelistarum, & Apostoli testimonio probatur. **U**nus S. Matthæi verba referre sufficit. *Cœnantibus autem eis, accipit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite. Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Idem constat ex Traditione, cujus testes sunt Patres universi. Hinc Ecclesia execrata est *Cataphrygas, & Pepuzianos*, qui ex infantis anniculi sanguine minutis puncti-
tionum vulneribus ex toto illius corpore expresso, & farinæ mixto, suam quasi Eucharistiam conficiebant, teste S. Augustino Lib. de Hæresibus. C. xxvi. (De fœdis, & abominandis Gnosticorum Mysteriis filere præstat, quam ea commemorare;) *Artotyritas* damnavit, qui panem, & caseum in Sacrificio Altaris offerebant, testibus SS. *Epiphano, & Augustino* eodem Libro

Libro C. xxviii. *Aquarios* proscrispit, qui aquam solam specie sobrietatis in calicem infundebant, & consecrabant. Contra hos errores editus est Canon tertius ex iis, qui Apostolici inscribuntur, aliique complures a *Gratiano* compilati, Dist. II. *De consecratione*, quibus sancitum est, ut in Altaris Sacrificio panis tantum, & vinum aquæ mixtum offeratur. Ita C. *In Sacramentorum*, ex Epistola ad Orthodoxos, S. Alexandro I. Pontifici Romano, & Martyri supposita. C. *Non oportet*, quod est LIV. ex Martini Bracarenfis Episcopi Capitulis. C. *In Sacramentis*, cujus hæc sunt verba ex Concilii Carthaginensis III. Canone xxiv. *In Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aquæ mixtum.* C. *Didicimus*, quod ex Canone xxviii. Trullanæ Synodi expressum est. Cap. *Cum omne*, quod ex Epistola ad Episcopos Ægypti, venerando *Julii I. Romani* Episcopi nomini supposita profertur, cujus fere verbis constat Canon secundus Concilii Bracarenfis, quarti, contra quosdam editus, qui *Contra divinos ordines, & Apostolicas institutiones, lac pro vino in divinis Sacrificiis, aut non expressas uvas offerebant*, panem tantum, & calicem vino, & aqua permixtum offerri jubet; a sacro Ministerio suspendit, & pœnitentiæ addicit Sacerdotes, qui contra Dominicam, Apostolicam, & Ecclesiasticam Traditionem ea in re peccaverint. Decretum suum fulcit auctoritate *S. Cypriani*, qui Dominicam Traditionem vindicat Epistola *LXII. ad Ceciliam*, contra quosdam qui aquam solam in Sacrificiis matutinis offerebant, ne per saporem vini redolerent Sanguinem Christi, & sic ab Ethnicis deprehenderentur: *Quamquam sciam (inquit) Episcopos plurimos Ecclesiis Dominicis in toto mundo divina dignatione prepositos, Evangelicæ veritatis, ac Dominicæ Traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Christus Magister & præcepit, & gessit, humana, & novella institutione decedere; tamen quoniam quidam, vel ignoranter, vel simpliciter, in Calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus, & Deus noster sacrificii hujus auctor, & doctor fecit, & docuit; religiosum pariter, ac necessarium duxi ad vos litteras facere, ut si quis in isto errore adhuc teneatur, veritatis luce perspecta ad radicem, atque originem Traditionis Dominicæ revertatur.* Et infra: *In Sacerdote Melchisedech Sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, & dicit:* „ Et Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus-Sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te; tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus? Qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem, & vinum, suum scilicet Corpus, & Sanguinem. Et infra: Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Christi in pane, & vino scilicet constituta, quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem, & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.

Panem, & vinum materiam Sacramenti Eucharistiæ Christum ob rationes admodum congruas instituisse, probat *S. Thomas* III. P. Q. lxxiv. A. 1. Prima sumitur ab usu hujus Sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim

Eucharistiæ
Materia,

Genes. 14
18.

Psalms. 109. 3

Cur panem
& vinum
pro materia
Sacramenti
Eucharistiæ
Christus e-
legerit?

Joan. 6.

aqua in Sacramento Baptismi assumitur ad usum spiritualis ablutionis, quia hoc elementum ad corporis ablutionem vulgo adhibetur: ita panis, & vinum, quibus homines refici solent, assumuntur in hoc Sacramento ad usum spiritualis manducationis: ut iis in Corpus, & Sanguinem Domini transmutatis, anima nutriatur, & sustentetur, ut Christus ipse significavit, dicens: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.*

Secunda ratio petitur a re commemorata, scilicet Passione Christi, in qua Sanguis a Corpore separatus est: cujus memoria cum hoc Sacramento recolatur, & imago quodammodo ponatur ob oculos: seorsum consecratur panis, ejusque species sumitur, ut Sacramentum Corporis; & seorsum consecratur vinum, ejusque species sumitur, ut Sacramentum Sanguinis Christi.

Tertia petitur ab effectu in se spectato, corporis scilicet, animæque tuitione. Animæ enim salus Sanguini Christi, corporis tuitio Sacratissimo Corpore Christi tribuitur, ut ait Auctor Commentariorum in Epistola S. Pauli inter Opera S. Ambrosii editus, ad C. XI. Epistolæ I. ad Corinthios.

Eucharistiæ
Materia.1. Cor. 10.
47.

Quarta petitur ab effectu respectu Corporis Mystici Christi, quod est Ecclesia ex multis hominibus Christianis constituta, sicut panis ex multis granis conficitur, & vinum ex multis racemis existit I. ad Corinthios X. *Quoniam unus panis, unum Corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Hinc S. Augustinus Sermone CCXXVII. alias LXXXIII. De Diversis, *Ad infantes, De Sacramentis*, inscripto, *Debetis scire (inquit) quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in Altari, sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi, Calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare Corpus, & Sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si bene accepistis, vos estis quod accepistis. Apostolus enim dicit: Unus Panis, unum Corpus multi sumus. Sic exposuit Sacramentum Mensæ dominicæ. Unus Panis, unum Corpus multi sumus. Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis: numquid enim panis ille, de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt, & post quamdam coarctationem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliatione, & Exorcismi Sacramento quasi molebamini. Accessit Baptismus, & aqua quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis, hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus Sancti est Sacramentum.*

Et Sermone CCXXIX. *Quomodo unum videtis esse, quod factum est, sic unum estote vos diligendo vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuum charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt divisionem, cum Panis iste indicet unitatem. Sic & vinum in multis racemis fuit, & modo in unum est. Unum est in suavitate Calicis, post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem, & contritionem, jam in nomine Christi tanquam ad Calicem Domini venistis: & ibi vos estis in Mensa, & ibi vos estis in Calice. Nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus.*

Duas alias rationes addit Concilii Tridentini Catechismus, cur hæc duo panis, & vini elementa pro materia Eucharistiæ a Christo instituta sint. *Nonnihil etiam (inquit) hæc elementa ad id valent, ut eam cognitionem accipiant homines, esse in Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini veritatem. Nam cum panem, & vinum in humanam carnem, & sanguinem quotidie vi-*
nature

naturæ immutari animadvertamus, facilius adduci possumus hac similitudine, ut credamus panis, & vini substantiam in veram Christi Carnem, verumque ejus Sanguinem cælesti benedictione converti.

Affert etiam aliquid adjumenti hæc admirabilis elementorum mutatio ad adumbrandum, quod fit in anima. Ut enim, etsi nulla extrinsecus panis, & vini mutatio apparet, tamen eorum substantia in Carnem, & Sanguinem Christi vere transit: ita etiam, tametsi in nobis nihil immutatum videtur, interius tamen ad vitam renovamur, dum veram vitam Eucharistiæ Sacramento accipimus.

Objici posset, carnes animalium occisorum aptiores fore ad Passionem repræsentandam, quam panem, & vinum.

Respondet S. Thomas, quod licet carnes animalium occisorum expressius Christi Passionem repræsentent, minus tamen aptæ sunt ad usum hujus Sacramenti, & ad unitatem Ecclesiæ significandam. Adde, quod Lex prorsus abrogata non videretur, si Novæ Legis tempore carnes animalium adhuc in sacrificium offerrentur. Præterea conveniens erat, ut sicut tempore Veteris Legis caro, & sanguis animalium offerebantur sine Carne, & Sanguine Christi, ita nunc offerantur Caro, & Sanguis Christi sine carne, & sanguine animalium, & quidem sub earum rerum symbolis, quæ esui, & potui sunt aptissimæ, & partibus constant ejusdem rationis, ac proinde totæ sumuntur nulla parte rejecta, quibusque Sanctissimæ hujus Hostiæ puritas multo perfectius repræsentatur; cum e contrario pecorum immolatio multum habeat impuritatis. Qua de re S. Gaudentius Tract. 2. De Paschate audiendus est. Quod autem (inquit) Sacramenta Corporis sui, & Sanguinis in specie panis, & vini offerenda constituit, duplex ratio est. Primum, ut immaculatus Dei Agnus hostiam mundam mundato populo traderet celebrandam, sine ustione, sine sanguine, sine brodio, id est, jure carniæ, & quæ omnibus ad offerendum prompta esset, ac facilis. Deinde quomodo panem de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici, & per ignem necesse est consummari: rationabiliter in eo figura accipitur Corporis Christi, qui novimus ex multitudine totius humani generis unum esse corpus effectum, per ignem Sancti-Spiritus consummatum..... Similiter & Sanguinis ejus vinum ex pluribus acinis, id est, uvis vineæ ab ipso plantatæ collectum in torculari Crucis exprimitur, & per capacia vasa fidei corde sumentium propria virtute servescit.

Eucharistiæ
Materia.

Objicitur, offerri olim consuevisse in Altari uvas, & spicas, lac, & mel, item Agnum in Ecclesia Romana die Dominicæ Resurrectionis, ac proinde panem dumtaxat, & vinum non esse materiam Sacramenti Eucharistiæ.

Respondetur, hæc oblata non fuisse super Altare, ut Sacrificium, sed ad Altare, vel ut primitias, vel munera ob pios usus Ecclesiæ facta, non verbis Christi Domini consecranda, sed singulari benedictione sanctificanda. Uvæ quidem, spice, fructus, legumina, tamquam primitiæ offerebantur; oleum, ut in Templis ad Dei veri luminis gloriam arderet; thus, ut incruenti sacrificii tempore adoleretur; lac & mel in Paschali Festivitate, & forte in Pentecoste, ut egressis e sacro Fonte darentur degustanda: Agnus die Resurrectionis Dominicæ, in reverentiam Christi Agni immaculati pro nobis occisi. Illius autem agni carnes Sacerdotali benedictione sanctificatæ, vel in Ministrorum, vel populi fidelis usum cedebant: sed quod super Altare simul cum Dominico Corpore Agnus oblatus fuerit, calumnia est Photii in Ecclesiam Romanam. Hunc morem sane antiquissimum, ut ex Ordine Romano constat, Vvalafridus Strabo immerito reprehendit, velut ex Judaicarum Superstitionum seminario natum, & mucrone spiritali radicitus amputandum, Libro De Rebus Ecclesiasticis, C. XVIII. cum tamen testetur agni carne non in Altari, sed juxta Altare, vel sub eo positas, & singulari benedictione sanctificatas.

P R O P O S I T I O II.

Materia, ex qua Eucharistia consecratur, solus est panis triticeus, & vinum de vite.

Matt. 26,

Eucharistiæ
Materia.Actione III
Conc. Chal.
ced.

Ratio est, quia Christum pane triticeo usum minime dubium est, qui & se ipsum grano frumenti comparavit, *Joann. 11.* Usus etiam vino de vite constat, quia cum Discipulis Calicem dedisset, ait: *Non bibam amodo de hac genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Idque etiam ex Traditione, & perpetuo Ecclesiæ usu constat. Hinc *S. Hieronymus* in Cap. xxxi. *Jeremiæ*, explicans illud: *Super frumento* (Vers. 12.) *De quo*, inquit, *Corpus Domini conficitur.* Idemque confirmat in C. LXII. *Isaiæ* explicans illud Vers. 8. *Si dedero triticum tuum inimicis tuis*; & in C. IX. *Zachariæ* explicans illud Vers. 17. *Frumentum electorum.* Hinc *Ischyrio* Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus in Libello Concilii Chalcedonensis Patribus adversus *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum oblato, inter alia conqueritur, quod frumentum a piissimis Imperatoribus Ecclesiis Lybiæ (qua in Provincia ob terræ ariditatem triticum non nascitur) præstitum, *In primis quidem ut incruenta ex ipso Hostia offeratur*, deinde ut peregrini, & provinciales etiam pauperes sustentarentur, non permetteret suscipi ab Episcopis, sed adararet, coemeretque largissimis pecuniis, tempore vero famis gravissimo pretio venundaret. *Ex hoc*, inquit *Ischyrio*, *neque terribile, & incruentum Sacrificium celebratum est, neque peregrini, aut provinciales hoc solatio frui sunt.* Ex quibus colligitur, panem triticeum esse materiam essentialem Eucharistiæ, adeo ut illo deficiente, panis ex alterius generis granis, aut seminibus confectus valide consecrari non possit. Id confirmat *S. Thomas* III. P. Q. LXXIII. A. III. *Ad usum*, inquit, *Sacramentorum assumitur talis materia, que communius apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur esse introducti in hujus panis defectum. Et ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc Sacramentum instituisse; qui etiam panis magis confortat hominem, & ita convenientius significat effectum hujus Sacramenti.* Istius igitur Sacramenti materia est solus panis triticeus. Unde etiam præceptum a Domino fuerat *Leviticæ* XIV. Ut Panes Propositionis, qui hoc Sacramentum significabant ex similia conficerentur.

Solum etiam vinum ex fructu vitis expressum materia est hujus Sacramenti, ob easdem rationes. Primo scilicet propter institutionem Christi. Secundo, quod illud tantum proprie vinum sit, & dicatur; aliis vero liquoribus ob quamdam cum ipso similitudinem id nominis minus proprie tribuatur. Tertio, quod aptius sit ad effectum hujus Sacramenti significandum, spirituales scilicet lætitiæ, secundum illud *Psalmi* CIII. *Et vinum latificet cor hominis.* Hinc *Aurelianense* IV. Concilium Canone IV. *Nullus*, inquit, *in oblatione sacri Calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc non sine aqua mixtum, offerre præsumat: quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimi Salvator instituit.* Et *Concilium Antisiodorense* Canone VIII. *Non licet in Altari in Sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellatur, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua permixtum offerre: quia ad grandem reatum, & peccatum pertinet Presbytero illi, quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione Sanguinis Christi offerre præsumperit.* Denique *Eugenius IV.* In Decreto pro Armenis, *Tertium est*, inquit, *Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.*

Tam ex pane fermentato quam ex azymo consecrari potest Eucharistia . Orientalis Ecclesiæ Ritus panem fermentatum adhibentis innoxius est . Ritus Ecclesiæ Occidentalis azymum consecrantis convenientior est , & in Christi Domini exemplo fundatus .

Prima Pars Propositionis inde probatur , quod panis triticeus sit apta consecrationi Eucharistiæ materia : panis autem triticeus substantiam non destruit fermentum . Nec ea de re in Ecclesia Catholica fuit unquam dubitatum , quamvis in ea quædam esset consuetudinum , ac rituum diversitas . Nunquam de Azymis inter Græcos , & Latinos disputatum est , nisi post Schisma *Photii* , quod aliquandiu sopitum denuo excitavit *Michael Cerularius* Constantinopolitanus Patriarcha anno millesimo quinquagesimo tertio : primus ille temerario ausu Latinæ Ecclesiæ de Azymis lites movit , Azymum vere panem esse negans , ideo Latinos materiam ineptam Eucharistiæ consecrandæ adhibere ; quos homo insolentissimus Hæreticos Azymitas appellare non est veritus . Ceterum panem azymum , & fermentatum non differre substantialiter , utriusque Ecclesiæ Scriptores nobilissimi asserunt , scilicet *S. Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus in Responsione ad *Vvaleranni* Neuvemburgensis Episcopi Quæstiones *De Azymo , & Fermentato* , C. 1. *Algerus* Lib. 11. *De Sacramento Corporis , & Sanguinis Domini* , C. 10. *Theorianus* Philosophus Græcus *Epistola ad Sacerdotes* , apud *Allatum* Exercitatione xxiv. in Historiam Concilii Florentini , *Gennadius* Patriarcha Constantinopolitanus in Expositione pro eodem Concilio , C. 11. Sectione 11. *S. Thomas* 111. P. Q. Lxxiv. A. iv. *Circa materiam* (inquit) *hujus Sacramenti duo possunt considerari , scilicet quid sit necessarium , & quid conveniens : necessarium quidem est , ut sit panis triticeus , sine quo non perficitur Sacramentum : non est autem de necessitate Sacramenti , quod sit azymus , vel fermentatus , quia in unoquoque confici potest .*

Secunda pars Propositionis probatur auctoritate Ecclesiæ , quæ Ritus , & consuetudinem Græcorum fermentatum panem consecrantium semper approbavit . *Leo IX.* Romanus Pontifex in Epistola ad *Michaellem* Græcorum Imperatorem , & *Leonem* Acridanum Episcopum , consuetudinem , & Ritus Orientalis Ecclesiæ non improbat , sed Græcos dumtaxat reprehendit , quod Latinos velut Hæreticos insectarentur , & Schisma facerent .

Ecclesiæ Græcæ Ritus , ac morem etiam approbavit Concilium Florentinum in Definitione Fidei , cujus hæc sunt verba : *Item in azymo , sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici , Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere , unumquemque scilicet juxta sue Ecclesiæ , sive Occidentalis , sive Orientalis consuetudinem .*

Neque vero Latinam Ecclesiam Græcorum Azymum Panem consecrantium consuetudinem solum approbasse , sed etiam multorum sæculorum spatio , ante Schisma *Photii* , ipsam Fermentatum ad Sacrificium adhibuisse , sensit , ac singulari disquisitione probandum suscepit Doctissimus *Sirmondus* : Fermentato , vel Azymo indiscriminatim usam propugnavit eruditissimus Cardinalis *Bona* , Lib. 1. *Rerum Liturgicarum* , C. xxiii. Quam opinionem viri etiam eruditi , *Christianus Lupus* Tom. 111. in *Canones Conciliorum* , Dissertatione *De Actis Leonis IX.* & *Joannes Mabilonius* Dissertatione *De Pane Eucharistico Azymo , & Fermentato* , impugnaverunt ; sed hæc mera facti quæstio est , solis bene conjecturis utrinque ventilata , & disceptata . Ceterum inter omnes convenit , quæstionem de usu Azymi , vel Fermentati Panis in Eucharistiæ

Eucharistiæ
Materia .

Tam ex pane fermentato , quam ex azymo consecrari potest Eucharistia .

Orientalis Ecclesiæ , panem fermentatum adhibentis Ritus innoxius est .

Eucharistiæ
Materia .

rifiæ consecratione, Ritus esse, non Dogmatis; Disciplinæ, non fidei; ad quam ut ad alias similes pertineat illud *S. Anselmi* in Responsione ad *Vvaleranni* querelas, C. 1. *Quoniam multe sunt diversitates, quæ non in substantia Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide discordant; neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt: æstimo eas potius in pace concorditer tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim a Sanctis Patribus, quia si unitas servatur charitatis in Fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa.*

Suas habent rationes Græci, panem enim fermentatum elegisse videntur, ut ipso facto declararent, quantum detestarentur Judaizantes, qui Legem cum Evangelio docebant esse servandam, dum nec Azymorum usum cum Judæis communem habere voluerunt. Secundo, mysticam in fermento significationem considerarunt, scilicet Filium Dei assumpsisse carnem mortalem, & miseram, velut quoddam non malitiæ, sed miserie fermentum.

S. Thomæ
III. P. Q.
LXXIV.
Art. IV.

Ritus Eccle-
siæ Occi-
dentalis A-
zymum pa-
nem conse-
crantis con-
venientior.

Pars tertia Propositionis facile probatur, scilicet Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, azymum panem ad consecrationem Eucharistiæ adhibentis, melioribus rationibus niti. Primo enim Christi nititur exemplo, qui hoc Sacramentum instituit primo die Azymorum, quo nihil fermenti domi habere Judæis licebat. Matthæi xxvi. 17. *Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis tibi paremus comedere Pascha? &c.* Marci xiv. 11. *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis camus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? &c.* Lucæ xxii. 7. *Venit autem dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manduceamus.*

Ratio altera fumitur a significatione; quod panis sit proprie Sacramentum Corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam Divinitatis ipsius. Fermentum autem peccatum, & corruptionem plerumque significat, non solum in Veteri Lege, quæ propterea fermentum ab oblationibus suis excludebat, verum etiam apud Apostolum I. ad Corinthios v. & alibi. Convenit ergo magis Sacramento Corporis Christi panis azymus, quam fermentatus.

Tertia ratio fumitur ab usu istius Sacramenti: panis enim azymus magis convenit sinceritati Fidelium significandæ, quæ ad dignam Eucharistiæ manducationem est necessaria, secundum illud I. ad Corinth. v. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitie; sed in Azymis sinceritatis, & veritatis.*

Hinc *S. Anselmus* in Responsione ad *Vvalerannum*, C. II. ait: *Apertissimum est, quia melius sacrificatur de azymo, quam de fermentato; tum quia valde aptius, & purius, & diligentius fit, tum quia Dominus hoc fecit. Legi potest eo de argumento Disputatio Humberti Cardinalis Silve Candidæ Episcopi adversus Nicetam Peccoratum.*

Objectioni-
bus respon-
detur.

Eucharistiæ
Materia.

Math. 6.5.

Objicitur, Christum usum non fuisse azymo pane, cum Eucharistiam instituit; primo, quia id præstitit *Ante diem festum Paschæ*, ut testatur *S. Joannes* Evangelii sui XIII. C. secundo, quia Judæi, *Non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* (Joannis XVIII.) tertio, quia *Erat Parasceve Paschæ* (Joannis XIX. 14.) id est, præparatio ad Pascha, seu pervigilium Solemnitatis, quarto, quia Judæi in Concilio decreverant, ne Christus occideretur *In die festo, ne forte tu. multus feret in populo*: qui ad Solemnitatem Paschalem frequentissimus confluebat; ut referunt SS. Matthæus, Marcus, & Lucas.

Respondetur, ex tribus prioribus Evangelistis intelligi, Christum primo

primo die Azymorum ultimam Cenam cum Apostolis suis celebrasse in eaque sui Corporis, & Sanguinis Sacramentum instituisse, adeoque Azymis Panibus usum, tum in Cœna legali, tum in mystica: si quidem ipsum secundum præscriptum Legis Pascha celebrasse certum est, quæ Azymos Panes a quarta decima die primi mensis ad vesperam usque ad diem vigesimam primam ad vesperam comedi jubebat; ita ut septem illis diebus Panem fermentatum comedere, aut fermentum in domibus habere, capitale Judæis esset. Nec pugnat cum aliis Evangelistis S. Joannes. Cum enim ait, Christum Eucharistiam instituisse *Ante diem festum Paschæ*, spectat diem naturalem, xv. Lunæ, qui ab oriente Sole inchoatur, non diem festum, qui a vespera xiv. Lunæ incipit, secundum illud Levitici xxiii. *Mense primo, quarta-decima die mensis ad vesperam, Phase Domini est: & quinta-decima die mensis hujus Solemnitas Azymorum Domini est.* Eadem igitur vespera xiv. Lunæ ad primum diem Azymorum legalem, festumque pertinebat (Legis enim præceptum erat, ibidem Vef. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*) & pervigilium erat Solemnitatis, quæ decima-quinta die celebrabatur, quantum ad feriacionem ab omni opere, conventus ad Tabernaculum, vel Templum, & Sacrificia; sicut Ecclesiastico Ritu Festi dies a primis Vesperis incipiunt, & tamen Solemnitas diei naturali, qui ab ortu solis incipit, assignatur. Quapropter etiam S. Chrysostomus primum Azymorum diem interpretatur eum diem, quo ad vesperam Azyma comedebantur, & eum tamen Solemnitatem Azymorum præcessisse ait Homilia lxxxii. in Matthæum. *Primam (inquit) Azymorum eam diem vocat, quæ erat ante Azyma. Consueverunt enim a vespere semper dies numerare.* Sic respondet S. Thomas, & Concilii Tridentini Catechismus.

Exod. 12.

In altero S. Joannis loco *Pascha* non significat Agnum Paschalem, qui xiv. die ad vesperam immolabatur, & comedebatur, sed Paschales alias victimas, quæ septem Azymorum diebus offerebantur; de quibus Deuteronomii xvi. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* Et Numerorum xxviii. *Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem... & hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum.* De his Sacrificiis scribit Josephus, Lib. iii. *Antiquitatum, C. x. Hoc Festum priori continenter succedit, duratque dies septem, per quos panibus non fermentatis vescuntur: & per singulos dies tauri jugulantur duo, aries unus, agni septem. Hæc holocaustomata fiunt, additurque hœdus pro peccatis, in quotidianum epulum Sacerdotibus.* De hac itaque victima intelligi potest illud S. Joannis: *Ipsi non introjerunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.*

Joan. 18 28.

Probabilis est & S. Joannis Chrysostomi Responsio, Judæorum Sacerdotes in negotio mortis Christi urgendo tota nocte occupatos Pascha legitima die non celebrasse, sed in sequentem diem distulisse, ac legem palam violasse, quam Christus, & populus accurate servarunt. *Ad eum (inquit) omnes conveniunt, qui illo anno Summum Pontificatum obtinebat, ubi pernoctarunt vigilantes, adeo ut Pascha ea nocte comedere neglexerint.* Mane autem facto non intrarunt in Prætorium (ut Joannes inquit) ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. *Unde liquido patet, cupiditate interficiendi Christum prævaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse. Non enim Christus tempus Paschæ transgressus est, sed illi audacissimi homines, & mille transgressores legis præcepta: quoniam ita inflammati erant, & sepe conati capere ipsum, nihil capere potuerunt, ex insperato nocti, quod cupiebant, tempus Pas-*

Eucharistiæ
Materia.

Paschæ transposuerunt, ut ardentis cædis animos suos explerent: propterea congregantur omnes, & Concilium jam pestilens erat. Hæc S. Joannes Chrysostomus Homilia lxxxv. in Joannem: cujus interpretationem sequitur Theophylactus in C. xviii. ejusdem Evangelistæ.

In tertio S. Joannis loco, *Parasceve* non significat præparationem ad Pascha, sed præparationem ad Sabbatum in dies Azymorum incidens, seu pervigilium Sabbati, quo parabantur omnia victui necessaria pro Sabbato, quod propter Paschale tempus celebrius erat, & *Magnum Sabbatum* vocabatur. Sic intelligenda S. Joannis verba probat eorum collatio cum verbis aliorum Evangelistarum, hanc ipsam temporis circumstantiam exprimentium. Marc. xv. 42. *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum.* Luc. xxiii. 54. *Et dies erat Parasceves, & Sabbatum illucescebat.*

Quod autem dictum est in Sacerdotum Concilio, *Non in die festo*, quorundam quidem sententia fuit; sed prævalere suffragia, quibus deliberatum est non esse negligendam occasionem Jesum capiendi, & occidendi, super habita Festi religione. Unde S. Leo, Sermone vii. *De Passione Domini*, ait: *Incipiente Festivitate Paschali, qui ornare Templum, mundare vasa, victimas providere, & legitimis purificationibus sacrationem diligentiam adhibere debebant, parricidalis odii furore concepto, ad unum opus vacant, & in unum facinus simili crudelitate conjurant. Quid affecuturi supplicio innocentie, condemnatione justitie, nisi ut & nova Mystera non apprehenderent, & antiqua violarent? Providentibus ergo Principibus, ne in die sancto tumultus oriretur, non devotioni, sed facinori studebatur; nec religioni serviebat hæc cura, sed crimini. Diligentes enim Pontifices & solliciti Sacerdotes, seditiones turbarum fieri in præcipua Solemnitate metuebant, non ut populus non peccaret, sed ne Christus evaderet.*

P. R. O. P. O. S. I. T. I. O. IV.

Aqua vino consecrando admiscenda est necessitate Præcepti Ecclesiastici, non necessitate Sacramenti.

Aquam vino consecrando admiscendam necessitate præcepti, Traditio probat.

Prima pars propositionis probatur ex S. Justino Martyre in Apologia pro Christianis; quæ secunda inscribitur. *A precibus finitis (inquit) mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini. Præsidens vero, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione leta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri, distribuunt unicuique presentium, ut participet eum in quo gratiæ actus sunt; panem, & vinum, & aquam; & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.*

Eucharistiæ Materia.

Secundo, ex S. Irenæo, Lib. iv. C. lvii. *Quomodo (inquit) juste Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem suum Corpus esse confitebatur, & temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit? Lib. v. Cap. ii. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei; fit Eucharistia Corporis, & Sanguinis Christi.*

Proverb. 19.

Tertio, ex S. Cypriano Epistola lxxiii. ad Cæcilium dicente: *Sed & per Salomonem Spiritus Sanctus typum Dominici Sacrificii ante præmonstrat; immolata hostiæ, & panis, & vini, sed & Altaris, & Apostolorum faciens mentionem: Sapientia (inquit) ædificavit sibi domum, & subdidit columnas septem. Mactavit suas hostias, miscuit in creatura vinum suum, & paravit mensam suam. Et misit servos suos, convocans cum excelsa prædicatione ad cratera, dicens: Qui est insipiens, declinet ad me; & egentibus*

, bus

bus sensu dixit: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis. *Vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce prænunciat; ut appareat in Passione Dominica id esse gestum, quod fuerat ante prædictum.* Et infra: *Aquas populos significare in Apocalypsi Scriptura divina declarat dicens: Aquæ, quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes ethnicorum sunt, & linguæ. Quod scilicet perspicimus & in Sacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat; videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Quando autem in Calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam, fideliter, & firmiter in eo quod credidit perseverantem, nulla res separare poterit a Christo, quo minus hæreat semper, & maneat individua dilectio.*

Quarto, aquam vino consecrando miscendam esse, *Ex Apostolica Traditione, contra Armenos declarat Concilium Trullanum Canone xxxii. idque ex S. Alexandri Papæ, & Martyris Decreto confirmat Concilium Triburiense, Canone xix. Idem decretum est a Conciliis Vormatiensi Canone iv. & Antisiodorensi Canone viii. Bracarensi iii. Canone i. & Eugenio iv. in Decreto pro Armenis. Plura etiam habentur in corpore Juris Canonici Decreta de aqua vino miscenda in Sacrificio Missæ; scilicet C. In Sacramentorum C. Non oportet. C. Cum omne. C. In Calicem: Dist. 11. De Consecratione. Item C. Cum Martha, §. Quæstivisti, Extra, De Celebratione Missarum.*

Quinto, idem confirmatur ex Concilio Tridentino Sessione xxii. cujus hæc sunt verba: „ Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipse populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. *Et Canone ix. Si quis dixerit... Aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, Anathema sit.*

Ultimo ex S. Thoma iii. P. Q. Lxiv. A. vi. „Vino (*inquit*) quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua misceri: primo quidem propter institutionem; probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permixto, secundum morem illius terræ: unde & Proverbiorum ix. dicitur: *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Secundo, quia hoc convenit repræsentationi Dominicæ Passionis. Tertio, quia hoc convenit ad significandum effectum hujus Sacramenti, qui est unio Populi Christiani cum Christo. Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam. Unde S. Ambrosius Lib. v. De Sacramentis, C. i. *Redundat, inquit, aqua in calicem, & salit in vitam æternam.*

Pars altera Propositionis probatur primo ex S. Cypriano Epistola supra laudata ad Cæcilium. *Sic autem (inquit) in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spirituale, & cæleste perficitur.*

Si-

Apoc. 17. 15.

Apoc. 17.

Eucharistiæ
Materia.Aquæ admixtio non est
necessaria
necessitate
Sacramenti.

Si vinum tantum in calice quis offerat, ibi nihilominus est Sanguis Christi, ex *S. Cypriano* : igitur admixtio aquæ non est necessaria necessitate Sacramenti . Hanc tamen admixtionem esse necessariam , ut Sacramenti significatio perfecta sit , sive ut Ecclesiæ conjunctionem cum Christo perfecte repræsentet, verba illa docent: *Quando autem utrumque miscetur , tunc Sacramentum spirituale, & cœleste perficitur.*

Secundo, ex Concilii Tridentini Catechismo P. II. De Sacramento Eucharistiæ, §. XVII. *Sed quamvis (inquit) aquæ admiscendæ rationes ita graves sint, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat, ea tamen sifidest, Sacramentum constare potest.*

Tertio, ex Ecclesiæ sensu in Missalis Romani Rubricis expresso his verbis: *Si autem Celebrans ante Consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba Consecrationis. Si id advertat post Consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Quarto ex *S. Thoma III. P. Q. lxxiv. A. vii.* „ *Judicium, inquit, de*
 „ *signo sumendum est ex eo, quod significatur: admixtio autem aquæ vino*
 „ *refertur ad significandam participationem hujus Sacramenti a Fidelibus*
 „ *quantum ad hoc, quod per aquam mixtam vino significatur populus ad-*
 „ *unatus Christo. Cum igitur usus Fidelium, seu participatio Eucharistiæ*
 „ *a Fidelibus sit aliquid consequens ad Sacramentum, quod materiæ conse-*
 „ *cratione perficitur, non ad ipsam Sacramenti essentiam pertineat; admixtio*
 „ *aquæ non est necessaria necessitate Sacramenti.*

S. Cypriani
locus cele-
ber explica-
tur.

Objiuntur *S. Cypriani* verba Epistola ad Cæcilium: *Sic vero Calix Do-*
mini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quo-
modo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola nisi utrumque
adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum: sed
mixtio aquæ cum farina ad panem conficiendum ita necessaria est, ut farina
sola non sit apta materia Eucharistiæ: igitur mixtio aquæ cum vino ita ne-
cessaria est, ut vinum solum non sit apta hujus Sacramenti materia, adeoque
necessaria est necessitate Sacramenti.

Eucharistiæ
Materia:

Respondetur, *S. Cypriani* comparisonem non esse omni ex parte accuratam (quæ omnium pene comparisonum natura est) sed vim ejus in eo esse, quod mixtio aquæ cum vino necessaria sit ad conjunctionem populi cum Christo significandam, sicut aquæ mixtio cum farina necessaria est ad panem conficiendum: non autem quod sit eodem necessitatis genere necessaria. Hinc *S. Thomas* in Responsione ad primum, „ *Verbum, inquit, illud Cy-*
 „ *priani est intelligendum secundum quod dicitur illud esse non posse, quod*
 „ *convenienter esse non potest, & sic similitudo illa attenditur, quantum*
 „ *ad id quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem: nam aqua*
 „ *est de essentia panis, non autem de essentia vini. Atque hunc esse sensum com-*
 „ *parationis a S. Cypriano institutæ perspicuum est ex verbis sequentibus: Quo*
 „ *& ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum*
 „ *grana multa in unum collecta, & commolita, & commixta, panem unum*
 „ *faciunt; sic in Christo, qui est Panis cœlestis, unum sciamus esse Corpus,*
 „ *cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus.*

Præterea, *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi* (ut ait *S. Hilarius.*) Scopus autem *S. Cypriani* in illa ad *Cæcilium* Epistola est refellere Aquarios, qui solam aquam in Calice Eucharistico consecrari posse contendebant, & validum offerri sine vino Sacrificium. Unde vini tantum absolutam necessitatem ad substantiam Sacramenti ejus verba probant, aquæ autem necessitatem ex Ecclesiæ præcepto in exemplo Christi fundato ad conjun-

tionem Populi Christiani cum ipso Salvatore nostro significandam. Admonitos autem nos scias, inquit, ut in Calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut Calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur. Nam cum dicat Christus, Ego sum vitis vera, Sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri Sanguis ejus, quo redempti, & vivificati sumus, esse in Calice, quando vinum desit Calici, quo Christi Sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium Sacramento, ac testimonio prædicetur. Et infra: Nec argumentis plurimis opus est, Frater charissime, ut probemus appellatione aquæ Baptisma significatum semper esse, & sic nos intelligere debere, quando Dominus adveniens Baptismi, & Calicis manifestaverit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ præceperit credentibus in Baptismo dari; Calicem vero docuerit exemplo Magisterii sui, vini & aquæ conjunctioni misceri. Calicem etenim sub die Passionis accipiens, benedixit, & dedit Discipulis suis dicens: „Bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis Novi Testamenti, qui „pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico vobis, Non bibam amodo ex ista creatura vitis usque in diem illum, quo vobiscum bibam „novum vinum in Regno Patris mei.“ Quia in parte invenimus Calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, & vinum fuisse, quod Sanguinem suum dixit. Unde apparet Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici; nec Sacrificium Domini cum legitima sanctificatione celebrari, nisi Oblatio, & Sacrificium nostrum responderit Passioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Christo in Regno Patris bibemus, si in Sacrificio Dei Patris, & Christi vinum non offerimus, nec Calicem Domini Dominica Traditione miscemus. Et post pauca: Miror satis, unde hoc usurpatum sit, ut contra Evangelicam, & Apostolicam Disciplinam quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico Calice, quæ sola Christi Sanguinem non possit exprimere. Cujus rei Sacramentum nec in Psalmis tacet Spiritus-Sanctus, faciens mentionem Dominici Calicis, & dicens: Calix tuus inebrians quam peroptimus! Calix autem, qui inebriat, utique vino mixtus est. Neque enim aqua inebriare quemquam potest. Sic autem Calix Dominicus inebriat, quomodo Noe in Genesi vinum bibens inebriatus est. Sed quia ebrietas Dominici Calicis, & Sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus-Sanctus in Psalmo: Calix tuus inebrians, addidit, Quam peroptimus! Quod scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriet, ut sobrios faciat; ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat: ut a sapore isto seculari ad intellectum Dei unusquisque respiciat: & quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis * exponitur, ita epoto Sanguine Domini, & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinae secularis; & mestum pectus, ac triste, quod prius peccatis argentibus premebatur, divinae indulgentiæ letitia resolvatur: quod tunc demum potest lætificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur, dominicam teneat veritatem. Quam vero perversum est, quamque contrarium, ut cum Dominus in Nuptiis de aqua vinum fecerit, nos de vino aquam faciamus: cum Sacramentum rei illius admonere, & instruere nos debeat, ut in Sacrificiis Dominicis vinum potius offeramus, Et infra: Si quis de Antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo, & magisterio suo docuit; potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi, nobis vero non potuit ignosci, qui nunc a Domino admoniti, & instructi sumus, ut Calicem Dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc quoque ad Collegas nostros Litteras dirigamus, ut ubique Lex Evangelica, & Traditio Dominica servetur, & ab eo quod Christus & docuit, & fecit, non recedatur.

Matth. 20.
27. 28. 29.Eucharistiæ
Materia.

Psal. 22. 5.

* Id est, de-
ponitur.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

S*I panis absque vino consecraretur, aut e contrario, valida esset consecratio.* Statim enim post consecrationem verum Christi Corpus est sub specie panis, & verus ejus Sanguis sub vini specie, vi verborum, ut docet Concilium Tridentinum Sessione XIII. C. III. Verba si quidem consecratoria, *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus:* id efficiunt, quod significant. Unde consecrato pane, Christi Domini nostri Corpus adorandum Ecclesia proponit, illudque a Fidelibus adoratur ante vini consecrationem.

Eucharistiæ
Materia.

Id confirmatur auctoritate *S. Bernardi* Epistola LXIX. ad *Guidonem* Abbatem *Trium Fontium*, qui cum Sacrum faciens animadvertisset post consecrationem vinum deesse in Calice, particulam Hostiæ consecratæ in Calicem immiserat, vinumque desuper infuderat. Quem ob defectum magno merore confectus, conscientiæ suæ scrupulum *S. Bernardo* exposuit, ejusque Sententiam per litteras rogavit. Re diligenter examinata respondit *S. Bernardus*, se illius in hoc casu deprehendisse *Ignorantiam, ministrantium quoque negligentiam, sed plane nullius malitiam*: quia defectus voluntarius non fuerat. Tum laudat, quod comperta, fero licet, negligentia, vinum fuderat in Calicem super Hostiæ sacratæ particulam. *Ego autem* (inquit) *pro meo fatuo sensu, si mihi idem contigisset, quod tibi, vellem ad remedium mali unum e duobus egisse, aut ipsum quod fecisti, aut certe ab illo loco ubi dicitur, Simili modo postquam cenatum est, Verba Sancta ierasse: & sic compleisse quod restabat de Sacrificio. Neque enim dubitaverim de Corpore jam consecrato; qui utique juxta Ritum Ecclesiæ didici ab ipsa, quod & ipsa accepit a Domino; panem scilicet, ac vinum simul apponere; non simul tamen ex his Sacra conficere. Cum ergo prius de pane Corpus quam de vino Sanguis more Ecclesiastico conficiatur: si per oblivionem tardius, quod posterius sacrandum est, apponatur, non video, quid Sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim, quod si Domino post factum de pane suum Corpus, vini consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certe penitus omittere; nihilominus Corpus mansisset, quod fecerat: nec factis facienda præscriberent. Nec nego panem, & vinum, aqua quidem mixtum, simul debere apponi: quin potius assero haud aliter debere fieri. Sed aliud est culpæ negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud (inquam) est quod causamur non bene quippiam fieri, & aliud quod mentimur nec fieri. Idem confirmatur ex *S. Thoma* III. P. Q. LXXVIII. A. VI.*

R E G U L A II.

C*Hristi institutioni, ac præcepto repugnat, ut Eucharistiæ Sacramentum in una tantum specie consecratur.*

Con. Trid.
Sess. 22. cap.
I.

Christus enim speciem utramque consecravit, & his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus præcepit, ut sub panis, & vini symbolis incruentum Sacrificium pariter offerrent: quod cum Sacrificii cruenti expresse repræsentatio, & commemoratio esse debeat, Corpus, & Sanguinem in eo seorsim consecrari, & vi verborum fisci separatim a Corpore, & sacramentaliter effusum Sanguinem necesse est (quamvis necessaria concomitantia Sanguis etiam sub specie panis, & Corpus sub specie vini ponantur.) Præterea, Concilium Tridentinum Sess. XXI. Cap. I. declarans, *Laicos, & Clericos non conficientes, nullo divino præcepto obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumen-*

sumendum: satis innuit, Sacerdotes, qui Sacramentum conficiunt, ad illud sub utraque specie sumendum divino præcepto teneri.

R E G U L A III.

UNam speciem sine altera consecrare nunquam licet: nequidem Summi Pontificis dispensatione.

Summus enim Pontifex immutare non potest quod a Christo institutum est, & in jure divino dispensare, ut constat ex Cap. *Sunt quidam*, vi. *Causa* xxv. Q. 1. cujus hæc sunt verba: *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. Quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi vero aperte Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres sententialiter aliquid definiunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est usque ad animam, & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ, destruere (quod absit) nitentur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt. Item ex Cap. *Contra*, quod est Zosimi Papæ, ibidem: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest Auctoritas. Apud nos enim inconcussis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam.* Porro si contra Statuta Patrum condere aliquid, vel mutare non potest, multo minus contra institutionem Christi, jusque divinum. Idem docet *S. Thomas Prima Secundæ, Q. xcvi. A. iv. ad iii. Ad Legem divinam* (inquit) *ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur. Unde sicut in lege humana publica non potest dispensare nisi ille a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit; ita in præceptis juris divini quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.**

Eucharistiæ Materiam.

Præterea, vix occurrere potest justa necessitas consecrandi unam speciem absque altera, cum hoc Sacramentum non sit absolute necessarium ad salutem, sed ejus votum sufficiat, & in omnes regiones vinum facile deferri possit, atque in frigidissimis etiam conservari doceat experientia. Quamobrem falsum esse nemo dubitet, quod *Volaterranus Lib. vii suæ Geographiæ* refert, *Norvegiæ Innocentii VIII. Pontificis* concessione permittum *Sine vino calicem sacrificare*, quod ob immensa frigora vinum in eam regionem importatum acescat. Quomodo enim calicem sine vino consecrare permisisset *Innocentius*? An cervisiam, siceram, aliumve liquorem? An aquam, sive puram, ut *Aquarii*, sive mellitam, ut *Melancthon* putavit usurpare posse *Ruthenos* ob inopiam vini? Falsa etiam ratio est, ob quam hujusmodi concessam dispensationem scribit *Volaterranus*, cum in *Norvegia* vinum facile conservetur, ibique sit in usu. Æque incertum est, quod ex vagis rumoribus refert *Bartholomæus Fumus*, in *Summa, Alexandrum VI. voluisse* dispensare, quibusdam petentibus, ut sine vino conficeretur Eucharistia in locis, ubi non potest vinum haberi, & fuisse declaratum, quod non poterat; quia in iis, quæ sunt essentialia Sacramentis Summus Pontifex dispensare non potest. Utriusque autem speciei, scilicet panis, & vini consecratio est essentialis Eucharistiæ: unde nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum Sacramentum (inquit *S. Thomas III. P. Q. lxxiv. A. i. ad ii.*) quicquid in contrarium scripserint *Gabriel Biel* *Lectio* lxxxiv. in *Canonem Missæ*, & *Joannes Major* in *iv. Sententiarum Dist.* xli. Q. iii. necessarium non esse Jure Divino, sed Ecclesiastico tantum, ut

Species utraque pariter consecratur. Quod quidem inaniter probant ex Cap. Comperimus, Dist. 11. De Consecratione, cum Gelafius I. de Sacerdotibus ibi dicat: *Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

R E G U L A IV.

Panis, & vini consecrandi quantitas non est ex institutione Christi determinata, id est, nulla est tam magna, quæ consecrari non possit, potestate Ministri, & verborum sacramentalium efficacia spectatis.

Rationem affert S. Thomas, III. P. Q. LXXIV. A. 11. *In omnibus (inquit) habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem. Finis autem hujus Sacramenti est usus Fidelium: unde oportet, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti determinetur per comparisonem ad usum Fidelium, non eorum tantum, qui nunc occurrunt; alioquin Sacerdos paucos Parochianos habens non posset multas hostias consecrare. Materia igitur hujus Sacramenti determinatur per comparisonem ad usum Fidelium absolute. Numerus autem Fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti sit determinata. Quamvis igitur Sacerdos panem omnem, qui venalis prostat in foro, & vinum omne, quod est in cellario, consecrans, sacrilegii reus esset, & potestate sibi a Christo data abuteretur: illud tamen omne consecraret, quod ipsi ante oculos versaretur, & moraliter præsens esset, atque consecrare intenderet. Potestas enim Ministrorum Ecclesiæ (inquit S. Thomas) ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium; secundo ad finem effectus: qui etsi malus sit ex prava intentione sacrilegi Ministri, verba tamen sacramentalia super congruam materiam prolata cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, suum producunt effectum. Unde si Sacerdos intendat consecrare Corpus Christi propter aliquem malum finem (puta ut irrideat, vel veneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat; nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit Sacramentum.*

R E G U L A V.

Materiam consecrandam presentem esse Sacerdoti necesse est, non solum præsentia physica, sed morali; id est, quæ a Sacerdote consecrante cognoscatur; & qua more, & usu humano, prudentisque viri judicio res ita posita est, ut pronomine demonstrativo possit designari.

Ita S. Thomas in IV. Sententiarum Dist. XI. Q. II. A. II. Quæstiuncula III. ad I. *Ipsa forma (inquit) pronomine demonstrativo utens ostendit, quod materia consecranda debet esse coram Sacerdote: unde Sacerdos existens in domo sua, non posset consecrare panem, qui est in Altari: neque etiam panem, & vinum a tergo posita, aut trans parietem; quia res sic positæ non censentur homini præsentibus secundum commune, & morale judicium. Valida autem esset consecratio panis in pixide clausa, & vini in calice cooperto; quia talia censentur præsentia: designantes enim plenum vino dolium, dicimus, Hoc est vinum. Tenetur tamen Sacerdos præcepto Ecclesiæ, in Rubricis Missalis Romani expresso, pixidem, in qua sunt hostiæ, & calicem, in quo est vinum, discooperire, antequam verba consecrationis proferat. Ut autem moraliter censeatur præsens materia, non est necesse, ut actu sensu percipiatur, vel ad eam sonus vocis pertingat, sed satis est, ut sit sensibili modo præsens, eamque præsentem esse cognoscat Sacerdos, & consecrare velit. Unde Sacerdos cæcus hostias, quas testimonio fide digno in Altari coram se positas sciret, proculdubio consecraret, modo voluntatem haberet consecrandi.*

R E G U L A VI.

Materia consecrationis debet esse particularis, & determinata intentione Ministri. Siquidem actiones circa determinatum aliquod subjectum, non circa vagum quid, & confusum exercentur: idque in præsentī materia postulat vis pronominis demonstrativi *Hoc* & *Hic*. Unde si quis Sacerdos dimidiam dumtaxat Hostiæ partem consecrare vellet, nec eam ullo modo designaret; aut si habens coram se undecim hostias, intenderet consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non consecraret. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat. Nam tunc omnes erunt consecratæ. Quamobrem quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere debet consecrandi res omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet. Ita vulgo Theologi, & Rubricæ Missalis, Tit. *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*. Ita & Synodus Senonensis anni MDXXIV. *Sacerdos plures hostias consecraturus, intentionem consecrandi referat super omnes, non se referendo ad certum numerum hostiarum.*

Eucharistiæ
Materia.

R E G U L A VII.

Si qua frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo) confectus ex iis panis congrua est Eucharistiæ materia.

Ita docet *S. Thomas* III. P. Q. LXXIV. A. III. ad II. Quia solis accidentibus, non specie differunt a tritico. Siliginis ambigua significatio est. Latinis scriptoribus est selecta farinæ medulla ex siligine frumenti genere, de quo *Plinius* Lib. XVIII. Cap. VIII. & *S. Isidorus* Lib. XVII. Cap. II. *Siligo genus tritici a selecto dictum*. At postremi ævi Auctoribus usurpatur pro secali, vulgo *Segle*. Primum dumtaxat siliginis genus idoneam esse Eucharistiæ materiam, secundum mentem *S. Thomæ*: non postremum illud, quod grani genus est tritico inferius, Theologi non ignobiles censent; inter alios *Silvius* Commentario in III. P. Panem hordeaceum ineptam esse Eucharistiæ consecrationi materiam, nemo Theologorum diffitetur. De spelta, & farre paulo major difficultas est. Ex iis confici posse Eucharistiam *Petrus a Palude*, & alii quidam affirmant, inter alios *Estius* in IV. Sentent. Dist. VII. §. VI. dubitant alii ut *Durandus*, & *Major*: negat *S. Thomas*, quem plerique alii sequuntur. Similitudo enim figuræ in talibus, magis videtur significare propinquitatem quam identitatem speciei, sicut ex similitudine figuræ manifestatur, quod canis, & lupus sunt propinquæ speciei, non autem ejusdem. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus Sacramenti. *S. Thomæ* opinionem confirmat *Honorii III.* Romani Pontificis Responsum, de quo *Cæsarius* Lib. IX. Cap. LXV. Requisitus *Papa Honorius III.* per litteras cujusdam Abbatis nostri, an hostiæ ex spelta confici possent, respondit, Speltam magis pertinere ad hordeum quam ad triticum. Idem esto de farre judicium, quod *S. Hieronymus* in Cap. IV. *Ezechielis*, a spelta non distinguit. *Plinius* tamen Lib. XVIII. Cap. VIII. & XXI. *Varro* Lib. I. *De Re Rustica*, & *Columella* Lib. II. Cap. VI. speltam a farre, & utrumque a tritico distinguunt. Dubium saltem manet an panis filigineus, prout vulgo sumitur, *du pain de segle*, aut ex spelta, vel farre confectus, sit apta Eucharistiæ materia: quamobrem hujusmodi panem consecrare illicitum est, cum materia dubia uti non liceat.

Cangius in
Glossario:

R E G U L A VIII.

Euchari-
stia Mate-
ria.

A Dulterini frumenti modica permixtio non mutat speciem tritici, quicum permiscetur: ideo si sit modica admixtio alterius frumenti, cum multo majore quantitate tritici poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti. Si vero sit magna permixtio, æqualis scilicet vel prope æqualis utriusque quantitas, talis permixtio speciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti. Verba sunt S. Thomæ III. P. Q. LXXIV. Art. III. ad III.

R E G U L A IX.

EX pane penitus corrupto consecrari Eucharistia non potest. Ita porro corruptum esse, ut non maneat panis natura, indicant solutio continuitatis, saporis, coloris, aliorum accidentium mutatio. Si vero corrumpi incipiat, rata quidem erit consecratio; sed graviter peccabit consecrans propter irreverentiam erga tantum Sacramentum. Et quia amyllum est ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus possit fieri Corpus Christi. Responso est S. Thomæ loco supra laudato ad IV.

R E G U L A X.

SI farine admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor ab aqua vera, & elementari, non posset ex hujusmodi materia confici Sacramentum.

Non enim esset verus panis. Ad panis enim substantiam constituendam omnino necessaria est aqua, secundum illud S. Cypriani Epistola LXXIII. Nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum. Sic respondet S. Thomas A. VII. Quæstionis ejusdem, ad III. Glossa Capitis Sic in sanctificando, Dist. II. De Consecratione, ex his S. Cypriani verbis conflati sic habet: Quid si ex melle, vel alio liquore fuerit farina aspersa? Numquid transubstantiatur ille panis in Corpus Christi? Non. Secundum Rubricas Missalis Romani, & Instructiones S. Caroli, panis ex aqua rosacea, vel aliis ab aqua naturali liquoribus confectus, dubia materia est. Unde Astensis, & Cajetani sententia afferentium hujusmodi panem aptam esse Eucharistiæ materiam, minus probabilis est ac proinde in praxi non sequenda; quia in Sacramentorum consecratione, & administratione non licet sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore, & tutiore, ut declaravit Innocentius XI. Pontifex Maximus Decreto edito die secunda Martii MDCLXXIX.

R E G U L A XI.

GRÆCI Sacerdotes cum in Patria sua, tum in Monasteriis, & Ecclesiis, quæ sunt Græcis in Ecclesia Latina destinatæ, in quibus Ritus Græcorum servatur, pane fermentato ad Eucharistiæ consecrationem uti debent: Latini vero cum in suis regionibus, tum in Ecclesiis, quas habent in Græcia, pane azymo.

Ecclesiæ enim suæ Ritus servare utrique debent, ut a Leone IX. & a Florentino Concilio declaratum est. Scit namque Ecclesia, quia nihil obsunt salutem credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes (inquit idem Pontifex Epist. I. Cap. XXIX.) Si Græci azymo, aut Latini fermentato utantur, graviter peccant, pœnitque canonicis sunt plectendi: nec ulla ipso dispensare potest necessitas, etiam Viatici pro infirmis consecrandi, aut Missæ die solemnissimo celebrandæ, ut ab Ecclesiæ suæ consuetudine disce-

discedant. Unde *Honorius III.* cap. *Litteras*, Ext. *De celebratione Missarum*: cum ex confessione cuiusdam Presbyteri Ecclesiæ sanctæ Birgittæ Brixienfis cognovisset, eum, *Cum calicem, & hostiam non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo Missarum solemniter celebrare præsumpsisse*, hanc in eum sententiam tulit: *Cum igitur, vel ex nimia desipientia peccasse probetur, mandamus, quatenus officio, & beneficio perpetuo ipsum privet*. Hinc *S. Thomas Q. LXXIV. III P. A. IV.* Sicut, inquit, *peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ Ritus*.

Eucharistia Mater.

R E G U L A XII.

Ecclesiæ Latine Sacerdos iter agens per Græciam, aut Sacerdos Græcus per Occidentem, Ritus Ecclesiæ suæ retinere potest, & ille azymo, hic fermentato pane ad consecrandam Eucharistiæ uti, modo absit scandalum periculum.

Id ut caveatur, Episcopum adire debet, ab eoque licentiam postulare Sacris operandi secundum Ecclesiæ suæ ritum, ac morem; obtentamque licentiam Parocho, aut Ecclesiæ, in qua vult Sacrum facere, Præposito exponere. Ritus tamen Ecclesiæ, in qua versatur, tuta conscientia sequi potest, secundum Regulam *S. Ambrosii* a *S. Augustino* Epist. LVIII. olim CLVIII. laudatam: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato: cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi. Ego vero* (inquit *S. Augustinus*) *de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cælesti oraculo acceperim*. In eadem Epistola *S. Augustinus* *Januarium* docens quid agendum sit in iis, in quibus regionum, aut Ecclesiarum consuetudines variant, hanc Regulam tradidit: *Quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insanie est. Sed neque hoc, neque illud inest in eo quod tu quæris. Restat igitur, ut de illo tertio genere sit quod per loca, regionesque variatur. Faciat ergo quisque, quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem sit, aut contra mores hinc, vel inde meliores. Cum itaque usus azymi, aut fermentati in consecratione Eucharistiæ, nec Scripturæ sacræ auctoritate præscribatur, nec sit ex iis, quæ tota per orbem frequentat Ecclesia, sed ex iis, quæ per loca, regionesque variantur; nec fidem, aut mores hinc inde meliores spectet; potest quisque Sacerdos illius Ecclesiæ consuetudinem sequi, in quam venerit.*

R E G U L A XIII.

Panes consecrandi, ad usum Sacrificii, & Communionis studiosè parari debent, ac esse integri, nitidi, & modicæ quantitatis, secundum Ecclesiæ consuetudinem.

Ita sanxit Concilium Toletanum XVI. Can. VI. *Delatum est* (inquit) *quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & ex studio præparatos super mensam Domini in Sacrificio offerant, sed passim quomodo unumquemque necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant*..... *Temeritati hujus, aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimatis nostræ delegit conventus, ut non alter*

Eucharistia Mater.

panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus: neque grande aliqua, sed modica tantum Oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat. Ita quoque Theodulphus Episcopus Aurelianensis, qui nono Ecclesiæ sæculo florebat, in Capitulis ad suæ Diocesis Presbyteros: Panes, quos Deo in Sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis, nitide, ac studiose fiant, & diligenter observetur, ut panis, & vinum, & aqua, hæc quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime, ac studiose tractentur, ut nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur.

Olim Hostiæ summo studio, & sancta reverentia præparabantur.

Quanta cum reverentia Hostiæ olim præpararentur, constat ex S. Udalrico Lib. III. Consuetudinum Cluniacensium, Cap. XIII., Quod pertinet (inquit) ad Eucharistiam, & ad Corpus Domini, quia dignum est, ut cum summa reverentia, & diligentia geratur, expedit, ut ipse modus gerendi non taceatur. Primo, quotiescumque fieri hostias necesse fuerit, præcipue tamen ante Domini Natalem, vel Sanctæ Resurrectionis diem fieri solent.... Frumentum, de quo faciendæ sunt hostiæ, quantumlibet bonum sit naturaliter, & purum, tamen granatim eligitur, & lavatur studiose, nec per alias personas, quam per ipsos Fratres. Colligitur deinde in saccum, non quemcumque, sed qui ad hoc solum de bono panno confusus est; in quo colligatum commendatur uni famulo non lascivo; qui portans illud ad molendinum, molam lavat utramque, operitque sursum, & deorsum cortinis, se ipsum induit Alba, & super caput mittit, & alligat superhumerali, id est, Amictum, ut nihil de facie præter oculos possit apparere. Ita ergo molit, ita farinam cribrat, primo cribro quoque diligenter abluto. Major Ecclesiæ Custos, si non est Sacerdos, vel Diaconus, Vicarium sibi quærit ad hoc opus perficiendum. Duos etiam alios de his Ordinibus hujus rei gnaros perquirat, accepta licentia a Priore, & unum Conversum. Hi quatuor finitis Nocturnis se calciant, facies, manusque lavant, & capita peccunt. Secedunt deinde ad Altare S. Benedicti, & ibi cantant Matutinas Laudes, Primam quoque simul, & septem Psalmos cum Litanis, reliqua Psalmodia interim dilata. Deinde illi tres, qui sunt alicujus Ordinis, induunt se Albis, & Humeralibus (sunt enim Albæ, & Amictus quidam huic solo negotio deputati) quorum unus farinam conspergit, & vehementissime compingit, super tabulam nitidissimam habentem limbum in circuitu, aliquantulum in circuitu superficiem altiore, ne aqua effluere possit. Conspergunt cum aqua frigida, quia inde fiunt hostiæ candidiores: a duobus vero reliquis hostiæ formantur: aqua vero non in alio vase defertur, quam in quo solet ad Missas deferri, Ferramentum, in quo sunt coquendæ, characteratum tenet Conversus (id est, Novitius) manusque induit chirotecis.... Summopere cavent, ut non modo saliva, sed nec flatus eorum aliquo modo ad hostias pertingere possit. Ex his colligitur, Hostias summo studio, & sancta quadam reverentia erga Corpus Domini, quod ex iis consecrari debet, præparandas esse: conveniensque esse (si fieri potest) ut a Clericis in sacris Ordinibus constitutis, aut a sacris Virginibus fiant, sicut olim a Sancta Radegunde factas, & sacris locis dispensatas, auctor est Fortunatus in ejus Vita. Non solum enim in Monasteriis, sed in aliis etiam Ecclesiis, hostias olim studio, & religione singulari factas, testis est Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ Episcopus in Lib. contra Græcorum calumnias: Diaconi (inquit) cum Subdiaconis, seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus, cum melodia Psalmorum azymum conspersum, & in ferro paratum ex Secretario proferebant. Concilium Mediolanense IV. vetat Ne Hostias pro sacra Eucharistia conficienda Laicus homo, aut fœmina faciat.

Eucharistiæ Materia.

REGU-

R E G U L A XIV.

Sicut ex pane omnino corrupto valide consecrari non potest Corpus Christi; ita nec de aceto Christi Sanguis. Potest tamen confici de vino acescente, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem: licet peccet conficiens.

Ita S. Thomas III. P. Q. LXXIV. A. v. ad II. Sic intelligendus est Innocentius III. Lib. IV. De sacro Altaris Mystero, Cap. XXXI. scribens, Vinum acidum, quod appellatur acetum, posse esse materiam hujus Sacramenti. De vino, inquam, acescente, non de vero aceto est intelligendus. Sic etiam explicanda, vel omnino rejicienda est Glossa Canonis *Sic in sanctificando*, Dist. II. de Consecratione, cujus hæc sunt verba: *De aceto conficitur, si ex vino factum fuit: alias non, quia prope eadem usia est.*

R E G U L A XV.

Ex agresta non potest consecrari Sanguis Christi ex musto potest. Non tamen debent novæ integræ huic Sacramento misceri; quia jam esset ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam Ne mustum statim expressum de uva in Calice offeratur; quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri.

Ita S. Thomas, ibidem ad III. laudatque Canonem, *Cum omne*, Dist. II. De Consecratione, Julio I. Pontifici ascriptum, cujus hæc sunt verba: *Nam quod de expresso botro, id est, de uvarum granis populis communicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur: quia Calix Dominicus juxta Canonum præcepta vino, & aqua permixtus debet offerri.* Vinum purissimum pro Eucharistiæ materia comparandum, probat Libellus Samuelis, & aliorum Edessæ Ecclesiæ Presbyterorum contra Ibam Episcopum, Concilii Chalcedonensis Actione x. cujus hæc sunt verba: *Dum memoria feret Sanctorum Martyrum, non est exhibitum vinum ad Sacrificium Altaris, ad sanctificationem, & populi distributionem, nisi admodum exiguum, & vitiosum, ac lutosum, & quasi eo tempore vindemiatum: ut ex hoc cogerebantur, qui deputati fuerant ministrare, de tabernis omnino vitiosi comparare sex sextarios, qui nec sufficerent: ita ut his, qui Sanctum Corpus distribuebant, innueret, ut ingrederentur, quia Sanguis non inveniretur; illis bibentibus, & tunc ac semper habentibus diversum, ac mirabile vinum. Et hæc acta sunt conscio, & admonito eo, qui potestatem Ministeriorum habebat: cui & dictum est, ut & ipse admoneret Episcopum cum fiducia. Et cum nihil fecisset, illo tempore coacti sumus nos & ipsum Reverendissimum Episcopum rursus admonere. Et cum didicisset, permotus non est, sed contempsit, ita ut multi nostræ civitatis hinc scandalizarentur.*

R E G U L A XVI.

DE Vino congelato, an sit aptum consecrationi, varie sunt Auctorum sententia. Eucharistiæ
Materia.

Si diu sit congelatum, ita ut vi frigoris virtus simul, & species vini perierit, fatentur omnes non esse materiam idoneam Eucharistiæ. At si sit recens congelatio, utpote facta in calice paulo ante consecrationem, aptum consecrationi judicant Sylvester Prieras in Summa, & Dominicus Soto, quod vini virtutem, ac speciem retineat. Negant alii, quod vinum congelatum non sit potabile, ideoque tam ineptum censent consecrationi, quam aquam congelatam Baptismo. Alii materiam dubiam esse censent, ut Bartholomæus Fumus in Summa, Estius in IV. Sententiarum Dist. VIII. §. IX. Sylvius in III. P. Q. LXXXIV. Art. v. & alii, quorum sententia probabilior est, & omnino sequenda.

Si

Si autem vinum congeletur in Calice ante, vel post consecrationem, involvendus est Calix pannis calefactis: si id non proficiat, ponendus est in aqua fervente prope Altare (dummodo aqua in Calicem non intret) donec liquefiat. Ita præscribunt Rubricæ Missalis Romani, Tit. *De defectibus in Missa occurrentibus*.

R E G U L A. XVII.

Aquæ mix-
tio.

Quia mixtio aquæ cum vino non est de necessitate Sacramenti, non refert quantum ad substantiam, & integritatem Sacramenti, quæcumque aqua vino misceatur, sive naturalis, sive artificialis, ut rosacea: Quamvis quantum ad convenientiam Sacramenti, peccet graviter, qui aliam aquam miscet præter naturalem, & elementarem.

Ratio est, quia de latere Christi pendente in Cruce aqua vera profluxit (non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt) ad ostendendum, quod Corpus Christi erat vere compositum ex quatuor elementis; sicut per sanguinem inde manantem ostendebatur esse compositum ex quatuor humoribus, ut docet Innocentius III. Cap. *In quadam*, Extra, *De Celebratione Missarum*. Ita & S. Thomas III. P. Q. LXIV. A. VII. ad. III. Veram autem fuisse aquam, quæ de Christi latere manavit, probat Innocentius III. ex illis verbis S. Joannis Epist. I. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, ex quibus ita colligit: Ceterum sicut fuit verus spiritus, & verus sanguis, ita procul dubio vera aqua; cum Christus sit Veritas, & a veritate omnis fallacia sit penitus aliena: nam si non fuisset aqua, sed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille, qui vidit, & testimonium veritati perhibuit, profecto non aquam, sed phlegma dixisset: nec in hoc verum Regenerationis Sacramentum fuisset ostensum, cum per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua: neque per hoc posset vero argumento probari, quod in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, si de latere Christi non aqua, sed phlegma profluxisset: sed nec vera fuisset figura, quæ super hac re præcessit in veteri Testamento, quando Moyses virga percussit silicem, & ex ea non phlegma, sed aqua manavit.*

R E G U L A. XVIII.

Per modicum aquæ vino admiscendum est.

Quamvis enim non tanta fuerit apud Antiquos cura, ut per modicum aquæ vino admisceretur, ut constat ex Concilio Triburiensi, Can. XIX. decernente, *Ut due partes sint vini, tertia aquæ*: semper tamen in Ecclesia observatum est, ut plus vini, quam aquæ in Calicem infunderetur. Unde Honorius III. Cap. *Perniciosus*, Extra, *De Celebratione Missarum*, ad Archiepiscopum quemdam scribit: *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet, quod in majore quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino: cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum. Ideoque Fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias, nec in tua Provincia fieri patiaris.* Verum excitata in Scholis Theologorum quæstione de conversione immediata, vel mediata aquæ in Sanguinem Christi, postquam Innocentius III. Cap. *Cum Marthe*, Extra, *De Celebratione Missarum*, §. *Quæsiisti*, declaravit, probabiliorē esse opinionem afferentium, aquam cum vino transubstantiari in Sanguinem; Cum in vinum transeat mixta vino, majori studio cautum est, ne plus aquæ vino misceatur, quam facile possit ante Consecrationem in vinum transmutari. Sic autem habet Innocentius III. *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in Sanguinem transmutari: ut expressius eluceat*

Eucharistiæ
Materia.

Aquæ mix-
tio.

pro-

proprietatis Sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint populi multi, juxta quod a-
libi legitur: Beati, qui seminatis super omnes aquas: ideo vino aqua uni- Isai. 32. 26.
tur, ut Christo populus adunetur; per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, &
accepimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjungimur, ut qui est unum cum
Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem, ac
per hoc ipso communiter mediante, unum cum Patre efficimur. Eugenius IV.
in Decreto pro Armenis statuit, ut Aqua modicissima misceatur. Antonius
August. in Synodalibus Constitutionibus Tarraconensis Ecclesiæ refert Con-
stitutionem S. Pii V. Pontificis Maximi ad illius Civitatis Archiepiscopum
datam, qua nonnullos arguit, qui non guttam tantummodo aquæ, sicut fie-
ri debet, Calici infundebant, sed plus aquæ quam vini, quod omnino corri-
gi, & emendari præcepit. Hunc autem excessum præcavescentes quædam Ec-
clesiæ, aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solebant, & ex eo
in Calicem fundere: quem morem etiamnum servant Cartusiani. Denique S.
Thomas Innocentii III. Decretalem secutus III. P. Q. LXXIV. Art. VIII. pro-
babiliorem opinionem censet, quæ asserit, Aquam converti in vinum, & vi-
num in Sanguinem. Hoc autem (inquit) fieri non posset, nisi adeo modicum appo-
neretur de aqua, quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de
aqua apponere, & præcipue si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ
ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum.

R E G U L A XIX.

SI aqua infunderetur in dolium, non sufficeret ad significationem hujus Sa-
 cramenti; sed oportet ipsam vino misceri circa ipsam Sacramenti celebra-
 tionem (inquit S. Thomas III. P. Q. LXXXIV. A. VIII. ad III.)

R E G U L A XX.

SI Sacerdos ante Consecrationem Sanguinis, & post Consecrationem Corporis
 Christi, percipiat, aut vinum, aut aquam non esse in Calice, debet statim Eucharistiæ
Materia.
 infundere, & consecrare: si vero post consecrationis verba cognoverit aquam vino
 mixtam non fuisse; pergere nihilominus debet, cum aquæ mixtio ad substantiam
 Sacramenti non pertineat. Puniendus tamen ille est, cujus negligentia id
 contigit. Ita S. Thomas III. P. Q. LXXXII. Art. VI. ad IV.

R E G U L A XXI.

Nullo modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corru-
 ptio Sacramenti pro aliqua parte (inquit S. Thomas ibidem.) Misceri
 quidem non debet secundum Ecclesiæ Latinæ Ritus, & graviter peccaret
 Latinus Sacerdos, qui misceret: & corruptio Sacramenti sequeretur, si ma-
 gna infunderetur aquæ copia, qua vini species solveretur: quod ex coloris,
 & saporis mutatione facile cognosci posset. Atque ita intelligendus est S.
 Thomas. At misceri debet a Sacerdote Græco secundum Ecclesiæ suæ Ritus
 celebrante. Græci enim bis aquam misceat, semel frigidam, cum in Pro-
 thesi, seu Altari minore sancta Dona præparant, pungente Sacerdote panem
 lanceola, & dicente: *Unus Militum lancea latus ejus aperuit, statimque exi-*
vit Sanguis, & aqua: & Diacono infundente vinum, & aquam: deinde
 calidam, post consecrationem, immediate ante Communionem, petente Dia-
 cono a Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat, illo vero benedicente his
 verbis: *Benedictus fervor Sanctorum tuorum jugiter, nunc, & semper, & in sæ-*
cula seculorum. Amen. Tum Diaconus infundit in calicem, dicens: *Fervor*
fidei plenus Spiritu Sancto. Amen. Duplici de causa secundam hanc mixti-
Ritus Gre-
corum a-
quam cali-
dam post
consecratio-
nem in Cal-
icem infun-
dentium
non dam-
nandus.
 tio-

Apud. P.
Goar. in
Notis ad
Missam S.
Joannis
Chryf. &
Arcudium
Lib. III.
cap. xxxix.

tionem fieri tradunt Auctores Græci; tum quia aqua calida e latere Christi manavit; tum quia Spiritus Sancti fervorem significat. Hanc aquæ calidæ mixtionem vino consecrato a Græcis fieri solitam immerito impugnat *Humbertus* in *Investiva* adversus *Nicetam Peccatorum*; cum hunc Ritum in suis Liturgiis præscribant *SS. Patres Basilius, & Joannes Chrysostomus*, usuque perpetuo Orientalis Ecclesiæ Sacerdotes sanctitate, & doctrina conspicui comprobaverint. Id quidem Græcis exprobraverunt Latini in Concilio Florentino: sed pro ipsis optime respondit Episcopus Mitylenensis, & *Eugenio IV.* Pontifici Maximo abunde satisfecit.

R E G U L A XXII.

SI Sacerdos ante Consecrationem advertat, Hostiam esse corruptam, aut non esse ex pane triticeo, ipsa statim rejecta sumat aliam; & Canonem incipiens, Missam prosequatur. Si vero id advertat post consecrationem, immo etiam post istius Hostiæ, & ante Sanguinis sumptionem, nihilominus aliam accipiat, & incipiat a Consecratione, scilicet ab illis verbis Canonis, *Qui pridie quam pateretur*. Si vero id compertum dumtaxat habuerit post sumptionem Sanguinis, novam Hostiam accipere debet, & vinum, cum aqua in Calicem infundere, & facta Oblatione, cetera prosequi, incipiendo ab his verbis, *Qui pridie quam pateretur*, ne Sacrificium remaneat imperfectum, & ut debitus ordo servetur.

Eucharisticæ
Materia.

Similiter si Sacerdos ante Consecrationem Sanguinis, & post Consecrationem Corporis advertat, aut vinum, aut aquam non esse in Calice, debet statim apponere, & consecrare. Si vero post verba Consecrationis percipiat vinum non esse in Calice, aut nimia aquæ mixtione corruptum, & Christi Domini nostri Corpus necdum sumpserit, debet, aqua, aut vino corrupto, seu alio liquore, si fuerit in Calice, in piscinam effusis, aut in aliquo vase sepositis, vinum cum aqua iterum infundere, & Canonem resumere a verbis Consecrationis Sanguinis. Si vero post sumptionem Corporis id cognoverit, aliam Hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum Sanguine: quia si sola verba Consecrationis Sanguinis proferret, non servaretur debitus ordo consecrandi: *Perfecta autem videri non possunt Sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur*; ut ait Concilium Toletanum VII. Can. II. Si vero inciperet a Consecratione Sanguinis, & Canonem prosequeretur, id conveniens non esset, nisi adesset Hostia consecrata; cum in Canone multa occurrant dicenda, & facienda non solum circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus. Tandem Hostiam consecratam, & Sanguinem iterum sumere debet, etiam si prius sumpserit aquam, quæ erat in Calice: quia præceptum de perfectione, vel de perceptione hujus Sacramenti Sacerdote celebrante, aut altero, qui vices ejus suppleat, si ipsum gravi infirmitate, aut morte a perficiendo Sacro impediri contingeret, majoris est momenti, quam præceptum, ut sumatur a jejunis: illa siquidem divini juris est; istud vero juris tantum Ecclesiastici. Ita *S. Thomas III. P. Q. LXXIII. A. VI. ad IV. & Rubricæ Missalis Romani*. Si tamen frequens adsit populus, & scandalum timeatur; propter illud vitandum, facta secreto oblatione, & prolata dumtaxat forma Consecrationis Sanguinis ab illis verbis, *Simili modo*, Sacerdos statim sumet Sanguinem, & Sacrum perficiet, ut iisdem Rubricis præscriptum est.

R E G U L A XXIII.

SI musca, vel aranea in Calicem ante Consecrationem ceciderit, aut etiam venenum immixtum cognoverit Sacerdos, effuso vino, & abluto Calice, aliud vinum infundere debet consecrandum. Si vero aliquid horum post Consecra-

tio-

tionem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in piscinam mitti. Si autem venenum immissum cognoverit, nec sumere debet, nec alteri dare, ne Calix vitæ vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum Reliquiis conservare. Et ne Sacrificium remaneat imperfectum, aliud vinum infundere debet in Calicem, & incipiendo a Consecratione Sanguinis, seu ab illis verbis, *Simili modo*, Sacrificium perficere. Ita *S. Thom. III. P. Q. LXXXIII. A. VI. ad III.* Quod autem ait de Calice, in quem venenum immissum esset, pariter dicendum est de Calice fulmine tacto: nam quæ fulmine tacta sunt, venenata censentur. Casum istum anno MDCL accidisse, & ita responsum fuisse a Doctoribus, refert *Gavantus* in Rubricis P. III. Tit. x.

R E G U L A XXIV.

SI qui defectus accidant circa materiam consecrandam, etiam absque voluntate Sacerdotis, aut Ministrorum; sola ignorantia, vel negligentia: nihilominus penitentiam hujus errati agere debent.

Id constat ex *S. Bernardo* Epistola LXIX. ad *Guidonem* Abbatem *Trium Fontium*, qui Ministrantium incuria in Consecratione Calicis erraverat ob vini defectum. Et ne forte (inquit) malum hoc mali cujuscumque gravioris latentis in Monasterio fuerit commonitio; pro penitentia tibi injungimus septem Psalmos Penitentiales quotidie, usque ad Pascha, septies prosternendote decantare, septem disciplinas accipere. In hunc modum satisfaciat & ille, qui tibi ad hanc Missam ministravit. De illo autem, qui sibi ante apparaverat, & oblitus est mittere vinum in Calicem, cujus & majorem in hoc estimamus culpam, sitamen & tu putas, tuo arbitrio derelinquimus. Sane si sermo exiit inter Fratres, & ipsi omnes singuli singulas accipiant disciplinas, ut fiat, quod legitur, *Alter Gal. 6. alterius onera portate*. Sic etiam Sacerdotibus, quorum negligentia Sacra Hostia in terram ceciderit, aut Christi Sanguis super Altare effusus, aut Sacramentum a muribus, aliisque animalibus comestum, aut putrefactum, aut vomitu etiam ex infirmitate ejectum, multi penitentiae dies antiquis Canonibus indicuntur, quibus jejunare, & a Communionem abstinere debent. De his legi possunt Cap. *Si per negligentiam*, 27. & Cap. *Si quis*, 28. De Consecratione, Dist. II. item Cap. *Qui non bene*, 94. ibidem, & apud *Yvonem Carnotensem*, P. II. Cap. LX. item Cap. *Si ceciderit*, in Penitentiali Romano, & *S. Thomas Q. LXXXIII. Art. VI. ad VII.* Qui Canones etiam exoleverint, ipsoque non usu, aut antiquæ severitatis remissione sint antiquati, ac proinde Superioris, aut Confessarii judicio penitentiae quantitas, & modus his in casibus relinquatur, quam negotii, & personæ conditione considerata minuere, vel augere potest: nihilominus pro his erratis Deo per penitentiam satisfieri debet, etiam si sint involuntaria; & orationes, prostrationes coram Sanctissimo Sacramento, jejunia, vel alia hujusmodi pia opera instar multæ honorariæ Christo Salvatore pro negligentia, vel ignorantia persolvenda injungi, & devote suscipi, atque adimpleri debent.

A R T I C U L U S IV.

De Forma Eucharistiæ.

PROPOSITIO UNICA.

Forma Consecrationis panis sunt hæc verba, Hoc est Corpus meum.
 Forma vero Consecrationis vini sunt ista: Hic est Calix Sanguinis mei,
 novi & æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Nec aliæ preces ad Consecrationem Eucharistiæ sunt necessariæ, ut *Græci recentiores contendunt*.

Hæc

Forma Eu-
charistiæ.

Hæc Propositio Sanctorum Evangelistarum *Matthæi* Cap. xxvi. *Marci* Cap. xiv. *Lucæ* Cap. xxii. & *Apostoli Pauli* i. ad *Corinthios* Cap. xi. consentientibus testimoniis probatur: scriptum est enim a S. *Matthæo*: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus Panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite. Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ita S. *Marcus*: *Accipit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, Sumite, Hoc est Corpus meum. Et accepto Calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Ita S. *Lucas*: *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: Hic est Calix Novum Testamentum in Sanguine meo: qui pro vobis fundetur.* Ita S. *Paulus*: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

Ejusdem Propositionis veritas constat ex Traditione, cujus testes sunt SS. Patres. *Justinus Martyr* *Apologia*, quæ vulgo secunda inscribitur: *Non enim (inquit) ut communem panem, neque communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster, & carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt percepisse Jesum. Eum enim, pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem: Hoc est Corpus meum: & poculo similiter accepto, & gratias actis, dixisse: Hic est Sanguis meus: ac solis ipsis ea tradidisse. Verbum porro Dei ab ipso Christo profectum sunt ipsa verba, quibus usus est Dominus, ac Salvator noster, cum Eucharistiam instituit, Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus: non preces, quæ illa in Græcorum Liturgiis consequuntur.*

S. *Irenæus* Lib. v. Cap. ii. *Quando ergo mixtus Calix, & fractus Panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis; & Corporis Christi.*

Tertullianus Libro iv. contra *Marcionem*, Cap. xl. *Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha, ut suum, indignum enim, ut quid alienum concupisceret Deus: acceptum panem, & distributum Discipulis Corpus illum suum effecit, Hoc est Corpus meum, dicendo.*

S. *Gregorius Nyssenus* *Oratione Catechetica*, laudata ab *Euthymio* Tit. xx. *Panoplæ*: *Panis (inquit) statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est a Verbo, Hoc est Corpus meum.*

S. *Joannes Chrysostomus* *Homilia* ii. in *Epistolam* ii. ad *Timotheum*: „ *Sacra ipsa Oblatio (inquit) sive illam Petrus, sive illam Paulus, sive cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis suis, quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt: nihil habet ista quam illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant; ita*

» & Oblatio eadem est. *Et Homilia de Proditione Judæ*: Hoc est Corpus meum:
 » hoc verbo proposita consecrantur: & sicut illa vox, quæ dicit: *Crescite, & Gen. I. 21/*
 » *multiplicamini*, semel quidem edita est, sed omnitempore sentit effectum 23.
 » ad generationem, operante natura: ita & vox illa semel dicta est, sed
 » per omnes Mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus Ad-
 » ventum præstat Sacrificio firmitatem.

» S. *Ambrosius* Lib. iv. De Sacramentis, Cap. iv. „ Tu forte dicis: Meus
 » panis est usitatus: sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum:
 » ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi. Consecratio igitur cujus
 » verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam per reliqua omnia, Forma E-
 » quæ dicuntur, laus Deo defertur; Oratio præmittitur pro populo, pro Re- charistiæ -
 » gibus, pro ceteris: ubi venit, ut conficiatur venerabile Sacramentum,
 » jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi Ergo
 » sermo Christi hoc conficit Sacramentum. *Et Cap. v.* Antequam consecretur,
 » panis est; ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi. Denique
 » audi dicentem: Accipite, & edite ex eo omnes: Hoc est enim Corpus
 » meum. *Et rursus*: Inde verba sunt Christi, Accipite, bibite ex eo om-
 » nes: Hic est enim Sanguis meus; & ante Verba Christi, Calix, & vi-
 » ni, & aquæ plenus. Ubi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguis ef-
 » ficatur, qui plebem redemit.

» Sanctus quidem *Hieronymus* Epistola ad *Evagrium*, de Sacerdotibus lo-
 » quens ait: *Ad quorum preces Christi Corpus Sanguisque conficitur*: similesque
 » locutiones apud alios quosdam Patres reperiuntur: sed precum nomine my-
 » stica etiam verba, quibus mysteriorum perficitur celebratio, apud Veteres si-
 » gnificari nemo negaverit, qui libros ipsorum non perfunctorie legerit. I-
 » dem constat ex *Eugenii IV.* Decreto pro Armenis: *Forma* (inquit) *hujus Sa-*
 » *cramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos e-*
 » *nim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.*

» Supra dicta Christi verba formam esse convenientem Sacramenti Eucha- III. P. Quæ
 » ristix, probat S. *Thomas* ex illius discrimine ab aliis Sacramentis. Alia enim Ixviii. Ar.
 » usu ipso materiæ consecratæ perficiuntur; istud vero consecratione materiæ I. II. & III.
 » admirabilem substantiæ conversionem operante, quæ a solo Deo perfici po-
 » test. Unde formæ aliorum Sacramentorum significant usum materiæ, ut ab- Christi ver-
 » lutionem, chrismationem, sive unctionem: sed forma Eucharistiæ solam con- ba sunt for-
 » secrationem materiæ significat, quæ vim habet Transubstantiationis opera- ma conve-
 » tricem, cum dicitur *Hoc est Corpus meum: Hic est calix Sanguinis mei.* Se- niens Sacra-
 » cundo, formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona Ministri, si- menti E-
 » ve exercentis actum, sicut cum dicitur: *Ego te baptizo*, vel, *Ego te confir-* charistiæ.
 » *mo, &c.* sive imperantis, ut cum dicitur in Sacramento Ordinis, *Accipe po-*
 » *testatem, &c.* sive deprecantis, ut cum dicitur in Sacramento Extremæ Un-
 » ctionis: *Per istam unctionem, &c.* Sed forma Eucharistiæ profertur *Quasi ex*
 » *persona ipsius Christi loquentis*, ut significetur Ministrum hoc Sacramentum
 » consecrantem nihil agere, *Nisi quod profert verba Christi.*

» Confirmatur ex Concilii Tridentini Catechismo P. II. De Sacramento
 » Eucharistiæ, §. XIX. Id enim probat ex illis Salvatoris nostri verbis: *Hoc*
 » *facite in meam commemorationem*. „ Nam quod Dominus faciendum præ-
 » cepit, non solum ad id, quod egerat, sed etiam ad ea, quæ dixerat, re-
 » ferri debet, atque ad verba maxime pertinere intelligendum est, quæ non
 » minus efficiendi quam significandi causa prolata erant. Secundo id probat
 » hac ratione: Forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc Sacra-
 » mento efficitur: cum autem hæc verba id, quod fit, significant, ac decla-
 » rent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri Corpus, sequi-

» tur,

Forma
Consecra-
tionis Ca-
licis expli-
catur.

Forma Eu-
charistiæ.

Luc. 22. 20.
1. Cor. 2. 25.
Matth. 26.

Forma
Consecra-
tionis Eu-
charistiæ.

„ tur, formam in illis ipsis verbis constituendam esse: in quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est, *Benedixit*, licet accipere: perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset: *Accipiens panem benedixit, dicens: Hoc est Corpus meum*. Eadem ratio demonstrat verba, quæ ad vini consecrationem „ adhibemus, esse veram, & convenientem istius Sacramenti formam. Vini enim substantiam in Sanguinem Domini converti perspicue significant. Ex „ primunt autem præterea quosdam effusi Sanguinis in Passione Domini admirabiles fructus, qui ad hoc Sacramentum maxime pertinent. Unus est „ aditus ad æternam hæreditatem, quæ *Novi atque æterni Testamenti* jure ad nos venit. Ad Hebræos x. 19. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Christi*. Alter est aditus ad justitiam per *Mysterium Fidei*. Ad Romanos III. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ... Ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi*. Tertius est *Remissio peccatorum*, quæ sunt utriusque fructus memorati impedimenta. Ad Hebræos ix. 14. *Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?*

Ex verbis porro, quibus vinum consecratur, plura quidem e Sacris Scripturis colliguntur; quædam vero in Ecclesia ex Apostolica Traditione conservata sunt. Nam quod dicitur, *Hic est calix*, a S. Luca, & ab Apostolo scriptum est. Quod vero sequitur, *Sanguinis mei*, vel *Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* partim a S. Luca, partim a S. Matthæo dictum est: verba autem illa, *Æterni, & Mysterium Fidei*, sancta *Traditio Catholice veritatis interpret, & custos nos docuit* (inquit Tridentini Concilii Catechismus.) Quod vero dicitur, *Hic est calix Sanguinis mei*, sic intelligendum est, ut continens pro re contenta sumatur, id est, *Hic est Sanguis meus*, qui hoc calice continetur. Recte autem, & apposite calicis fit mentio, quia Sanguis Christi in hoc Sacramento consecratur, quatenus potus est Fidelium. Quod satis non exprimit vox ipsa *Sanguis*; ideoque id designari oportuit nominando vas excipiendo Sanguini accommodatum. Ad Passionis Christi memoriam opportune etiam adhibetur vox illa *Calix*, cum ipse Dominus Passionem suam calicem appellet Matthæi xxvi. dicens, *Transcat a me calix iste*. Passionis scilicet memoriam renovat Sanguis seorsim a Corpore consecratus: quæ consecratio ejusdem Sanguinis effusionem in Passione factam repræsentat. Sequitur deinde, *Novi Testamenti*; quod quidem additum est, ut intelligeremus, Christi Domini Sanguinem non figura, quemadmodum in Veteri Testamento, sed vere, & re ipsa hominibus tradi, quod ad Novum Testamentum pertinet. Unde Apostolus ad Hebræos ix. ait: „ Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, „ repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim „ in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testator est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim „ omni mandato Legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quod „ que librum, & omnem populum aspergit, dicens: *Hic Sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus ... Et omnia pene in sanguine secundum Legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio*. Verbum vero, *Æterni*, ad hæreditatem æternam, quæ Christi Domini æterni Testatoris morte ad nos jure pervenit, referendum est. Vel, ut ait *Innocentius III. Cap. Cum Marthe, Extra, De celebratione Missarum*, cum in Textu Evan-

De Sacramento Eucharistiæ . Cap. I. Art. IV. 641

Evangelico, Novi Testamenti, ponatur, hic interponitur & æterni, quia *Vetus Testamentum*, quod hircorum, & vitulorum fuit sanguine dedicatum, temporalia promittebat. *Novum autem*, quod de Christi sanguine dedicatum, promittit æterna; & ideo Testamentum illud fuit vetus, & transitorium; hoc autem novum est, & æternum. Vel ut utamur alia ratione: unde Novum, id est, ultimum esse describitur, inde Æternum, id est, perpetuum comprobatur. Novissimum etenim hominis testamentum immobile perseverat, quia testatoris bitu confirmatur: juxta quod Apostolus Testamentum in morte asserit confirmatum: alioquin non valet, dum vixerit qui testatur. Præterea, non solum scriptura, sed etiam promissio dicitur Testamentum, juxta quod Apostolus ipse scribit: „ Ideo Novi Testamenti mediator est, ut repromissionem accipiant, qui vocati sunt, hæreditatis æternæ. Sic ergo intelligi debet: Hic est enim „ Sanguis meus novi, & æterni testamenti; id est, novæ, ac æternæ promissionis, scilicet confirmator, sicut Dominus repromittit. Qui manducat (inquit) Carnem meam, & Sanguinem meum bibit, habet vitam æternam.

Subjungitur, *Mysterium fidei*, quæ quidem verba non excludunt rei veritatem, sed quod occulte latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, certa fide credendum esse significant. Nam & Sanguis Christi occulto modo est in hoc Sacramento, & ipsa Passio Christi occulte fuit figurata in veteri Testamento. Diversa autem ratione Baptismo, & Eucharistiæ hæc appellatio tribuitur, ut notatur in Concilii Tridentini Catechismo: nam Baptismus a nobis Fidei Sacramentum, a Græcis Mysterium dicitur, quia universam fidei Christianæ professionem complectitur: Eucharistia vero, quod Sanguinem Christi sub vini specie latentem sola fide cernamus: & præterea, quod plurimum difficultatis, & negotii humana ratio experiatur, cum nobis fides credendum proponit, Christum Dominum verum Dei Filium, simulque Deum & hominem, mortem pro nobis pertulisse: quæ quidem mors Sanguinis Sacramento designatur. Quapropter hoc loco apposite potius quam in consecratione Corporis Passio Dominica commemoratur his verbis, *Qui effundetur in remissionem peccatorum*. Sanguis enim separatim consecratus, ut dictum est, ad Passionem Domini, & mortem, & Passionis genus ante omnium oculos ponendum, majorem vim, & momentum habet. Denique verba illa, quæ adduntur: *pro vobis, & pro multis*, ex SS. Matthæi, & Lucæ Evangeliiis singula singulis sumpta sunt; quæ tamen Sancta Ecclesia Spiritu Dei afflata simul conjunxit ad Passionis fructum, atque utilitatem declarandam. Nam si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute Sanguinem a Salvatore effusum fatendum erit: si vero fructum, quem homines ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire, facile intelligemus. Cum igitur, Pro Vobis, dixit, eos, qui aderant, vel electos ex Judæorum Populo, quales erant Discipuli quibuscum loquebatur, excepto Juda, significavit. Cum autem addidit, Pro Multis, reliquos electos ex Judæis, aut Gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum est, ut, Pro Universis, non diceretur, cum hoc loco tantummodo de fructibus Passionis sermo esset, quæ salutis fructum electis solum attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli: Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Et quod Dominus apud Joannem ait: Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Ita Concilii Catechismus post S. Thomam III. P. Qu. LXXVIII. Art. III.

Objicitur, in Liturgia S. Joannis Chrysostomi, post verba Domini, *Hoc est Corpus meum, & Hic est Sanguis meus, haberi: Fac quidem panem hunc pretiosum Corpus Christi tui: quod autem est in hoc calice, pretiosum Sanguinem Christi tui, immutans Spiritu Sancto tuo*. Eadem habentur in Liturgia S. Basili.

Nat. Alex. Theol. Tom. .

Ss

Respon-

Matt. 26.

28.

Luc. 22. 20.

Hebr. 9. 28.

Joan. 14. 9.

Respondetur objectioni ex Liturgiis SS. Basili & Joannis Chrysostomi petite.

Quis, precum sensus, quas Græci verbis Christi subjungunt.

In Bibliotheca Patrum.

Respondetur, precibus illis non postulari a Deo transmutationem physicam panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, quæ verbis ipsius jam facta supponitur, sed transmutationem moralem: hoc est, non rogari Deum, ut panis, & vini elementa absolute, & in se fiant Corpus, & Sanguis Christi: id enim factum est cum prolata fuerunt hæc verba, *Hoc est Corpus meum: Hic est calix Sanguinis mei, &c.* sed ut nobis Christi Corpus, & Sanguis fiant, id est, ut Sacerdoti Sacrum facienti, & Fidelibus sumentibus profint, ac fructum spiritalem afferant: quod quidem non minus virtute Spiritus Sancti perficitur, quam panis, & vini transubstantiatio. Sic intelligendas hujusmodi preces ostendunt verba in Liturgia S. Joannis Chrysostomi sequentia: *Ut fiat accipientibus in sobrietatem animæ, ad remissionem peccatorum, & communicationem Sancti Spiritus, in Regni Cælorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in delictum, aut damnationem.* Id confirmatur ex Græcorum responsione per selectos Episcopos facta Eugenio IV. Pontifici Maximo, ut Acta Florentini Con. restantur: *De Divino autem (inquiunt) Sacrificio. quæsitum est a Latinis: Quomodo prolatis Christi verbis, „ Hoc est „ Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum: & „ illis, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus, &c. & sanctis Dominis per hæc sanctificatis, vos postea hanc additis orationem, dicentes: Et fac „ panem quidem hunc pretiosum Corpus Christi tui: quod vero in calice „ est, pretiosum Sanguinem Christi tui, transmutans Spiritu tuo Sancto. Id sic porro resolutum est: Fateri nos diximus, per hæc verba transmutari sanctum panem, & fieri Corpus Christi: sed postea quemadmodum & ipsi dicitis: Jube perferri Dona hæc per manus sancti Angeli tui in supercœleste Altare tuum: ita & nos quoque oramus dicentes: Ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & faciat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi, & quod est in Calice pretiosum Sanguinem Christi, transmutetque illa Spiritu suo Sancto, ut fiant accipientibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, non vero in iudicium, aut condemnationem.* Subtiliorem aliam Responsionem tradit Bessario Cardinalis Libro De Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Christi Corpus conficiatur. Sed prætermittere non possum Ecclesiæ Græcæ Ritum, quem notat, magni sane ad hanc quæstionem momenti: scilicet, statim atque Sacerdos verba illa Christi Salvatoris protulit, *Hoc est Corpus meum; Hic est Calix meus, &c.* Populum Sacrificio præsentem respondere, *Amen:* quasi dicat: *Vere ita est, ut tu dicis. Certe Corpus, & Sanguis Christi sunt Munera ista proposita: ita credimus, ita constemur.* Et Diaconus Stola duobus primis digitis tacta, Panem, & Calicem ostendit; *Nihil certe aliud significans, nisi panem illum Christi esse Corpus, & quod in calice est, esse Sanguinem ejus quemadmodum verbis illis asseritur. Et hæc sane ostendens Diaconus, non mentitur, & non mentiens cum iis sentit, qui sola Domini verba ajunt hoc sacrum perficere Sacramentum. Neque enim tales frustra institutæ sunt ab Ecclesia cæremoniæ.*

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Forma Consecrationis Eucharistiæ. Matth. 26.

Q Uamvis hæc verba Corporis Christi consecrationi præposuerit Evangelista: *Accipite, & manducate:* hæc item consecrationi Sanguinis: *Bibite ex hoc omnes:* ad Sacramentum tamen conficiendum omnino necessaria non sunt, quia usum tantummodo Sacramenti, non materiæ consecrationem significant. Usus autem Eucharistiæ ad illius essentiam non pertinet, quatenus Sacramentum est: aliter enim fieret, ut, si hoc Sacramentum nemini esset ad-

It administrandum, confici non possêt, nec deberet; cum tamen dubitare non ceat, quin Sacerdos, prolatis ex more, atque instituto Sanctæ Ecclesiæ veris Domini, aptam panis materiam vere consecret, quamvis deinde continat ut nulli unquam Sacra Eucharistia administraretur. Gravissime tamen peccaret Sacerdos, qui verba illa prætermitteret. Ita Concilii Tridentini Catechismus.

R E G U L A II.

[Dem ferendum est iudicium de conjunctione, enim, quæ licet ad Corporis & Sanguinis consecrationem non sit necessaria, sed formæ continuationem cum verbis præcedentibus dumtaxat indicet, formæ tamen hujus Sacramenti inferitur *Secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ a beato Petro Apostolo derivatam.* (inquit S. Thomas III. P. Quæst. LXXVIII. Art. II. ad v.)

R E G U L A III.

Non solum hæc verba. *Hic est Calix Sanguinis mei*, sed & sequentia: *Novi, & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* (his exceptis, quæ in Græcorum, & Mozarabum Liturgiis non habentur, nec ab illis proferuntur, cum rata tamen sit Eucharistiæ consecratio ab illis facta, *Et æterni . . . Mysterium Fidei, . . .*) pertinent ad substantiam formæ (inquit S. Thomas III. P. Q. LXXVIII. Art. III.) Nam & Liturgiæ omnes, præter illam, quæ S. Petro falso adscribitur, illa verba habent: & sine illis non exprimitur Sacrificii ritus, in quo mystica effusio sanguinis per *gladium verborum*, ut S. Cyrillus appellat, necessaria est: sicut Sacrificium vetus nunquam sine sanguinis effusione per victimæ materialis occisionem peragebatur. De mente quidem S. Thomæ inter ejus Discipulos, ac Interpretes litigatur. Cajetanus, & Dominicus Soto censent, S. Thomam dixisse, omnia hæc verba esse *de substantia formæ*, non quod sine his verbis non sit forma, sed quod omissis illis non sit perfecta: sicut digiti possunt dici de substantia, quamvis non sint de essentia corporis, quia pertinent ad ejus integritatem, & perfectionem. Unde, inquit, S. Thomas, cum præmisisset, omnia hæc verba *pertinere ad integritatem ejusdem locutionis*; subjungit: *Sed per prima verba, cum dicitur: Hic est Calix Sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo, quo dictum est in forma consecrationis Panis; per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in Passione, quæ operatur in hoc Sacramento.* E. contrario vero Petrus Paludanus, & Capreolus in IV. Sententiarum Dist. IX. S. Antoninus III. P. Summæ Tit. XIII. Cap. VI. S. II. Sylvester Prieras, & alii sic intelligi de substantia formæ omnia illa verba volunt, quæ in consecratione Sanguinis proferuntur secundum Ecclesiæ Latinæ Riturum, ut sine illis forma non sit. Ex Cajetani Commentario ea, quæ opinionis istius impugnationem spectabant, jussit expungi Pius Quintus Pontifex Sanctissimus. Opinionem contrariam, scilicet ista tantum verba, *Hic est Sanguis meus*, ad essentiam formæ pertinere, censent S. Bonaventura, Scotus, Suarez, Estius, Silvius, & alii.

De verbis ad Consecrationem Calicis essentialiter pertinentibus, variae Scholasticorum opiniones.

Forma Consecrationis Eucharistiæ.

Sed ut ut se habeat speculativa istarum opinionum probabilitas, gravissime peccaret Sacerdos, qui prolatis verbis illis; *Hic est enim Calix Sanguinis mei*, vel unum ex sequentibus prætermitteret usque ad illa, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Si vero prætermitteret ista, *Qui pro vobis effundetur*, dubium est, an consecraret, propter varias Theologorum eade re opiniones, & præsertim S. Thomæ in negantem sententiam inclinantis in Cap. XI. Epistolæ I. ad Corinthios Lectione VI. Unde hoc in casu repetenda sub conditione viderentur omnia consecrationis verba, prout in Ca-

Quæ in praxi probabilior, & tutior?

none Missæ habentur. Speciem tamen, super quam prolata essent hæc verba, *Hic est Sanguis meus*, religiosa cum veneratione pariter sumendam a Sacerdote arbitraretur: quia majus periculum est in contemptu, & abiectione speciei consecratæ, quam in veneratione non consecratæ, quæ tamen bona fide consecrata existimatur. In hoc autem casu dubium esset an vinum esset consecratum, ob dissidentes Theologorum ea de re sententias. Ita censet S. Bonaventura in IV. Sententiarum, Dist. VIII. Quæst. III.

R E G U L A IV.

SI verbum, *est*, prætermitteretur, dicendo, *Hoc Corpus meum: hic Sanguis meus, &c.* Sacrilegii quidem reus esset Sacerdos illud omittens, sed tamen perageretur consecratio: quia verbum, *est*, subintelligitur, eademque vis est propositionis illo tacito, ac expresso. Familiare est enim non solum Latinis, sed etiam Hebræis, & Syris, illud in enunciatione subtrahere. Unde nec liquet Christum Hebraice, aut Syriace loquentem addidisse; præsertim cum nec in Græco sit expressum *Lucæ XXII.* in consecratione Calicis. Ita *Silvius* in III. P. Quæst. LXXVII. Art. II. Quæsito II.

R E G U L A V.

SI quis loco pronominis, *Hoc*, diceret, *Istud est Corpus meum*: graviter quidem peccaret, sed rata esset consecratio; non vero si diceret, *Illud est Corpus meum*: quia, *Istud*, demonstrat rem præsentem, non autem, *Illud*. Si diceret, *Hic est Corpus meum*, sumendo, *Hic*, ut adverbium, nulla fieret consecratio: quia non significaretur mutatio substantialis. Si autem ignorantia Grammaticæ, aut lapsu linguæ, diceret, *Hic est Corpus meum*, vocem istam usurpando, ut pronomen; vel, *Hoc est Calix Sanguinis mei*: ratam fore consecrationem videtur: quia etiamsi esset incongrua locutio, juxta communem tamen morem loquendi idem esset sensus: quemadmodum si diceret eadem Grammaticæ imperitia, sed bona fide, & recta intentione: *Hoc est Corpus meus*. Si pronomini, *Hoc*, adderetur aliquid sensum non mutans, verbi gratia si diceretur: *Hic cibus est Corpus meum. Hæc res est Corpus meum: Hoc contentum sub his speciebus est Corpus meum*, rata esset consecratio. Graviter nihilominus peccaret Sacerdos, qui Christi verbis aliquid addere præsumeret. Si quis diceret, *Ecce Corpus meum*; probabilius videtur non consecraturum; quia mutationem substantialem hæc verba non significant, adeoque nec illam operantur: aut certe dubia foret consecratio, ut ait *Silvius* loco supra laudato, Quæsito I.

Forma
Consecra-
tionis Eu-
charistiæ.

R E G U L A VI.

SI Sacerdos demonstrato pane diceret, *Hoc est Caro mea*, verisimile est, quod Sacramentum non conficeret. Quia Caro, & Corpus non æquivalent, cum Corpus aliquid amplius significet quam Caro. Si quis vero diceret: *Hoc est Corpus Christi*, non consecraret: tum quia Christus his verbis panem non consecravit, aut ab Apostolis, & eorum Successoribus consecrari instituit: tum quia modus loquendi longe diversus est. Ex Christi enim persona hæc verba non proferuntur, sicut illa, *Hoc est Corpus meum*. Ita *Silvius* loco supra laudato, Quæsito III.

R E G U L A VII.

SI diceret Sacerdos, *Fiat hoc Corpus meum*, non consecraret, quia Christi Domini verbis non uteretur; neque idem esset sensus: non enim significaretur admirabilis conversio substantiæ panis in substantiam Corporis

ris Christi facta vi verborum, nulla interposita mora. Potuisset quidem Christus Dominus uti sermone imperativo, ut admirabilem illam conversionem operaretur, dicendo: *Fiat hoc Corpus meum*: sicut in exordio mundi dixit, *Fiat lux, Fiat firmamentum*: & sicut Leprosum, & Paralyticum sanans, & Lazarum ad vitam revocans dixit: *Volo mundare Surge, & ambula.... Lazare, veni foras*. Sed indicativo, atque enunciativo sermone uti maluit; tum quia hic sermo verbis præcedentibus aptius congruebat; tum ne dubitaretur prolatis mysticis verbis statim esse in Eucharistia Corpus Christi. Non enim ita congrue, apteque diceretur: *Accipite, & comedite: Fiat enim hoc Corpus meum*, sicut dicitur: *Accipite, & comedite: Hoc est enim Corpus meum*. Absoluto etiam sermone dubitari posset, utrum jam factum esset, an postea faciendum, quod imperaretur. Cum autem dicitur ex persona Christi: *Hoc est Corpus meum*, nullus est dubitationi locus.

R E G U L A VIII.

SI Sacerdos non meminerit, se verba Consecrationis pronunciaſſe, propterea perturbari non debet, sed Sacrum proſequi, & perficere.

Qui enim multa dicit, non recordatur ſemper omnium, quæ dixit, maxime cum ita attendit ad illa, quæ dixit, ut ea ſe dicere minime cogitet. Si Sacerdoti probabiliter conſtet, ſe aliqua omiſſiſſe, quæ non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ulterius procedere debet, non ea repetere, quæ forte prætermiſit: ordo enim Sacrificii abſque neceſſitate non eſt immutandus. Si vero certus ſit, ſe omiſſiſſe formam Conſecrationis, aut aliquod verborum formæ eſſentialium, vel de quibus dubium eſt, an eſſentialia ſint, Conſecratio repetenda eſt, & reliqua proſequenda, ne mutetur ordo Sacrificii. Ita S. Thomas III. P. Quæſt. LXXXIII. Art. VI. ad V.

A R T I C U L U S V.

De neceſſitate Sacramenti Eucharistiæ .

P R O P O S I T I O I.

Eucharistia non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medi, ita ut ſine Eucharistiæ Sacramento actu ſuſcepto vitam æternam conſequi nemo poſſit.

DOgma namque fidei eſt, hominem ſtatim poſt Baptiſmum e vita exentem, vel ad Deum ſincere converſum, vitam æternam conſequi, dicente Chriſto: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: dicente Davide: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicias*. Dicente rurſus Deo per Ezechielem: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & juſtitiã, vita vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*. Dicentibus Apoſtoliſ Petro, & Paulo: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*.

Eucharistiæ neceſſitas .

Marci 16.
Pſalm. 50.
Ezech. 18.
Act. 2.
Rom. 2.

Idem probatur ex Eccleſiæ ſententia, quæ cum olim pueris Eucharistiã ſtatim poſt Baptiſmum adminiſtraret, hujusmodi mutare diſciplinã, & conſuetudinem convenientius iudicavit, cum tamen Fidei ipſius Regula ſit immobilis, & irreformabilis, ut loquitur Tertullianus. Veterem hanc fuiſſe conſuetudinem, ut quicumque baptizabantur, ſive adulti, ſive infantes, ſtatim Eucharistiã perciperent, teſtes ſunt S. Cyprianus Ep. LXIII. & Lib. de Lapsis, S. Auguſt. Ep. LXXVII. alias CVII. ad Vitalem, Gennadius Lib. De Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. LII. S. Gregorius in Sacramentario, in Officio Sab-

Eucharistiã pueris olim adminiſtra-
ta.

Quando ab-
rogata pue-
rorum
Commu-
nio?

bati Sancti, Conc. Toletanum II. cap. XI. &c. Sacramenti reliquias pueris olim administrari solitas, Conc. Matisconense II. anno DLXXXVIII. celebratum, can. VI. testatur. Paulatim abrogata est puerorum Communio. Conc. Turonense III. Caroli Magni temporibus celebratum, can. XIX. Presbyteros admonendos statuit, *Ut cum Sacra Missarum solemnia peregerint, atque communicaverint, pueris, aut aliis quibuslibet personis adstantibus Corpus Domini indiscrete non tribuant.* Et Odo Parisiensis Episcopus, qui sæculo XII. florebat anno MCLXXV. in Statutis Synodalibus, cap. XXXIX. *Communium Preceptorum*, præcipit Presbyteris, ne Hostias, licet non consecratas, dent pueris ullo modo. Puerorum Communionem eodem nihilominus Sæculo in Ecclesia Gallicana adhuc in ulu fuisse, constat ex *Guiberto Abbate* (Novigentino, Lib. I. *De Pignoribus Sanctorum*, cap. II. §. I. & ex Epistola *Gilberti Porretani* Pictavenfis Episcopi ad *Matthæum* Abbatem S. *Florentii*, quam suis ad illum *Guiberti* Librum Notis inseruit *D. Lucas Dacherius*. Paulo post tamen universim antiquata est in Ecclesia Occidentali hæc consuetudo. Illam autem antiquari non permisisset Ecclesia, si Eucharistiæ sumptionem actua-lem esse medium ad salutem necessarium credidisset.

Non est
necessaria
pueris Eu-
charistia.

Idem probatur ex Conc. Tridentino, sess. XXI. cap. IV. docente, *Parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est Antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Et can. VI. *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem; Anathema sit.*

Eucharistiæ
necessitas.

P R O P O S I T I O II.

Res, sive effectus Sacramenti Eucharistiæ, qui est conjunctio cum Christo, & insitio Corpori ejus mystico, seu votum saltem implicitum suscipiendi hoc Sacramentum, est necessaria ad salutem.

S. Aug. Eu-
charistiam
pueris esse
necessariam
non sentit.

Mense ejus
explicatur.

SIC intelligenda sunt *S. Augustini* testimonia, quibus Eucharistiam parvulis necessariam esse ad salutem asserere videtur, Lib. I. *De Peccatorum Meritis, & Remissione*, cap. XX. Pelagianos refellens, qui parvulis non baptizatis innocentia merito salutem, ac vitam æternam tribuebant, eos a Regno celorum nihilominus excludentes propter Baptismi defectum, ait: *Dominum audiamus, non suspiciones, conjecturasque mortalium: Dominum audiamus (inquam) non quidem hoc de Sacramento S. Lavacri dicentem, sed de Sacramento Sanctæ Mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quærimus? Quid ad hoc responderi potest. :: An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat; possintque sine participatione Corporis hujus, & Sanguinis in se habere vitam; quia non ait, „ Qui non manducaverit, sicut de Baptismo, Qui non renatus fuerit; sed ait, Si „ non manducaveritis, „ velut eos alloquens, qui audire, & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli. Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine Corpore, & Sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat.*

rat. Et ubi est, quod eodem loco de hac ipsa re ait, Panis, quem ego dederō, caro mea est pro sæculi vita? Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat, quia non possumus dicere ad sæculum nos non pertinere, pro cuius vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum veniunt? Nam sicut alibi ait, Filii sæculi hujus generant, & generantur. Ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita: & si non manducaverint carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam. Id unum vult S. August. parvulos rem, sive effectum Sacramenti Eucharistiæ percipere, cum baptizantur, quia per Baptismum Corpori Mystico Christi Domini inferuntur, & fiunt membra ejus, atq; ad Sacramentum Eucharistiæ jus habent, illius per Baptismum candidati, Quo nemo nisi rite baptizatus accedit. Verum tantum abest, ut Sacramentum ipsum Eucharistiæ actu susceptum censeat esse medium ad salutem necessarium, ut e contrario ibidem aiserat, parvulos suscepto Baptismate ex hac vita migrantes æternam salutem consequi. Verumtamen (inquit) si percepto Baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine Veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines, & Deum, quæ solvuntur Christi gratia, per quem mediatorem reconciliamur, cum justificat impium. Et Lib. I. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium scripto, cap. xxii. eodem argumento ex verbis Christi apud S. Joannem cap. vi. Nisi manducaveritis, &c. Pelagianos urget, dantes parvulis Extra Regnum Dei locum salutis, & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati. Nec illud cogitatis, inquit, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis, & Sanguinis Christi, dicente ipso: Nisi manducaveritis Carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Aut si Evangelicis vocibus cogimini constiteri, nec vitam, salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati, querite, cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium, judicante illo, qui neminem damnat immeritum; & invenietis, quod non vultis, originale peccatum. Carnem igitur Christi manducare, & Sanguinem bibere, parvulis idem est ac baptizari, secundum S. August.

Mentem suam clarius explicat S. Doctor Lib. III. De Peccatorum Meritis, & Remissione cap. iv. Quid autem apertius (inquit) tot, tantisque testimoniis divinatorum Eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec præter Christi societatem ad vitam, salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire; nec divino judicio posse aliquem injuste damnari, hoc est, ab illa vita, ac salute separari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesie, idest; Christi Corpori, membrisque socientur: manifestum sit, eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere: non autem damnari possent, si peccatum non haberent. Et paulo post: Numquid etiam illud, Quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint Corporis ejus, non habebunt vitam? His, atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamatur, non solum in Regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi Corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?

Idem est Innoc. I. sensus in Epistola ad Patres Milevitaneæ Synodi, qua

Eodem Inn.
I. & Gelasii
I. quæ S. Aug.
sententia
circa neces-
sitate Eucharistiæ.

Pelagianos ex eodem S. Joannis loco refellit : *Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit predicare, Parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatum est. Nisi enim manducaverint Carnem Filii hominis, & biberint Sanguinem ejus, non habebunt vitam in semet ipsis. Qui autem hanc eis sine Regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cum prædicant eos habere, quod in eos creditur non nisi Baptismate conferendum.*

Idem est sensus *Gelasii* in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos scribentis : *Ut providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est : Qui non fuerit renatus ex aqua, & Sp. Sancto, non introibit in Regnum cælorum : sed etiam pariter dictum est : Qui non manducaverit Carnem Filii hominis, & biberit ejus Sanguinem, non habebit vitam in semetipso. De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat, quoniam multi non manducantes hoc Sacramentum, vitam vidcantur habere præsentem.*

Eucharistiæ
necessitas.

Cum igitur Pelagiani vitam æternam extra Regnum Dei Parvulis sine Baptismo morientibus promitterent, *S. August.* Summi Pontifices *Innoc. I.* ac *Gelasius*, aliique Doctores Catholici, hoc eos refellebant validissimo quidem argumento : Nullus sine Baptismo jus habet Eucharistiam suscipiendi, per quam vita donatur æterna, secundum promissionem Christi, *Joan. vi.* Igitur pueri sine Baptismi, & Eucharistiæ Sacramentis morientes vitæ æternæ participes esse non possunt. Hunc unum fuisse *S. August.* & *Innoc. I.* scopum, in eoque vim omnem argumenti ipsorum contra Pelagianos positam, multa confirmant. Primo insignis ipsius *S. Augustini* locus Epistola *CLXXXVI.* alias *CVI.* ad *Paulinum* scribentis, Pelagianos infantibus, etiam si non baptizentur, vitam æternam polliceri, & contra sententiam Domini, dicentis : *Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis : & contra Apostolicæ Sedis auctoritatem, ubi de hac ipsa re cum ageretur, hoc testimonium adhibitur :: Si autem, inquit, credunt Sedi Apostolicæ, vel potius ipsi Magistro, & Domino Apostolorum, qui dicit, Non habituros vitam in semetipsis, nisi manducaverint Carnem Filii hominis, & biberint Sanguinem, quod nisi baptizati non utique possunt, nempe aliquando fatebuntur parvulos non baptizatos vitam habere non posse.*

Eodem modo intelli-
gendi *Marius*
Mercator.

Secundo id confirmat *Marius Mercator* eodem Argumento Pelagianos impugnans Libro Subnotationum ad *Juliani* Pelagiani Capitula : *Nullane, inquit, pœna erit non baptizatis parvulis non habere salutem, redemptionem, renovationem, postremo non intrare in Regnum cælorum.... non manducare carnem Domini, & bibere Sanguinem ejus ? De quo Sacramento vox Salvatoris est : Nisi manducaveritis Carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobismetipsis. Quod certe absque ulla tergiversatione, sine Baptismo nullus usurpat, nec fit illius particeps Sacramenti.*

Tertio idem confirmat Auctor Homiliarum, quæ sub *Eusebii Emiffeni* nomine sunt editæ, *Hom. v. De Paschate*, ubi hanc Domini sententiam expendens : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis ; ait : Quod testimonium contra Pelagii blasphemias evidentissimum, atque validissimum est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter Regnum cælorum, Baptismum parvulis conferendum. Sub his enim Dei verbis, quibus Evangelista pronunciat, Non habebitis vitam in vobis, aperte intelligenda est omnis anima munere Baptismi vacua, non solum gloria carere, sed vita.*

Quarto

Quarto idem confirmatur ex S. *Fulgentio* in Responſione ad duas Quæſtiones *Ferrandi* Carthaginenſis Diaconi. Scripſerat *Ferrandus*, Juvenem quemdam morti proximum Baptiſmum ſuſcepſiſſe, ac ſtatim obiſſe, antequam Euchariftiam ſumeret; rogaveratque S. *Fulgentium*, utrum Baptiſmini dumtaxat, non vero Euchariftiæ Sacramento ſuſcepto, ſalutem conſequi potuiſſet. Reſpondit S. *Fulgentius*, nullum debere moveri Fidelium in illis, qui etſi legitime ſana mente baptizantur, præveniente velocius morte, Carnem Domini manducare, & Sanguinem bibere non ſinuntur: propter illam videlicet ſententiam Salvatoris, „ Nifi manducaveritis carnem Filii hominis, & „ biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Quod quisquis non ſolum ſecundum veritatis Myſteria, ſed ſecundum Myſterii veritatem conſiderare poterit, in ipſo Lavacro ſanctę Regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur Sacramento ſancti Baptiſmatis, niſi ut credentes membra Domini noſtri Jeſu Chriſti ſiant, & ad compagem Corporis ejus Eccleſiaſtica unitate pertineant?* Quod pluribus S. Scripturæ testimoniis probat, tum ex S. *Auguſt.* Sermone ad Infantes ante Altare, *De Sacramento*, confirmat, ubi S. *Doctör* inter alia hæc habet: *Intelligite, & gaudete. Unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi ſumus. Recolite enim, quia panis non fit de uno grano, ſed de multis. Quando exorcizabamini, quaſi molebamini: quando baptizati eſtis, quaſi conſperſi eſtis: quando Sp. Sancti ignem accepiftis, quaſi cocti eſtis. Eſtote, quod videtis, & accipite, quod eſtis.* Homines igitur per gratiam ſanctificantem Baptiſmi fiunt membra Corporis Chriſti, ex S. *Auguſt.* ſententia. Ex his ita concludit S. *Fulgentius*: *Arbitror, ſanctę Frater, Diſputationem noſtram præclari Doctöris Auguſtini Sermone firmatam, nec quicquam eſſe aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium Corporis, Sanguiniſque Dominici participem fieri, quando in Baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur; nec alienari ab illo Panis, Calicisve conſortio, etiamſi antequam Panem illum comedat, & Calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non privatur, quando ipſe hoc, quod illud Sacramentum ſignificat, invenitur.* Ex his S. *Fulgentii* verbis S. *Auguſt.* nomine laudatis, conflat um eſt cap. *Nulli*, cxxxii. diſt. iv. *De Conſecratione*.

Et S. Fulgentius.

Eucharistiæ neceſſitas.

Confirmatur Propoſitio noſtra ex S. *Thoma* III. p. qu. LXXIII. Art. III. ubi duo in Euchariftia diſtinguit, ſcilicet ipſum Sacramentum, & rem Sacramenti. *Res hujus Sacramenti* (inquit) *eſt unitas Corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus. Nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam.* Addit, *Rem alicujus Sacramenti haberi poſſe ante illius ſuſceptionem, ex ipſo voto Sacramenti percipiendi.* Unde ante perceptionem hujus Sacramenti, ſcilicet Euchariftiæ, poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, ſicut & ante Baptiſmum ex voto Baptiſmi. Duplex tamen diſcrimen inter utrumque agnoſcit S. *Thomas*. Primum, *Quia Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitę, & janua Sacramentorum: Euchariftia vero eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitę, & omnium Sacramentorum finis. Et ideo perceptio Baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualementem vitam; perceptio autem Euchariftiæ eſt neceſſaria ad conſummandum ipſam; non ad hoc, quod ſimpliciter habeatur; ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio, & intentione.* Alterum diſcrimen eſt, *Quia per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariftiam: & ideo ex hoc ipſo, quod pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchariftiam: & ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariftiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius. Sed ad Baptiſmum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum: & ideo ante ſuſceptionem Baptiſmi non habent pueri aliquo modo Baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti.*

Un-

Unde rem Sacramenti non possunt percipere sine perceptione Sacramenti. Et ideo hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut Baptismus.

Diluitur
objectio.

Eucharistiæ
necessitas.

Nec obstat, quod objici solet, Christum eodem modo loqui de necessitate Eucharistiæ, & de necessitate Baptismi: ex hac porro Christi sententia, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. Sancto, non intrabit in Regnum cœlorum*, recte colligi, Baptisimum actu susceptum pueris necessarium esse ad salutem: igitur & ex illa ejusdem Salvatoris sententia, *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, colligitur Eucharistiæ Sacramentum actu susceptum iisdem esse necessarium ad salutem.

Responsio enim in promptu est, priorem sententiam, quæ Baptisimum spectat, nullam in parvulis exceptionem pati, excepto Martyrii casu, quod & in ipsis vicem Baptismatis supplet; quia nullum aliud medium est a Christo institutum, quo peccati originalis remissionem, & gratiam sanctificantem consequi possint, Deique filii, & hæredes fieri: at præter Eucharistiam aliud medium est, quo hæc ipsis beneficia procurantur, scilicet Baptismus. Quamobrem Eucharistia non est ipsis ad salutem æquo jure necessaria. Id vero non gratis confectum, sed Scripturæ Sacræ testimonio, Traditionis suffragio, Ecclesiæ Catholicæ judicio firmatum est. Deinde hæc verba, *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, disjunctive sunt intelligenda, vel de manducatione corporali, vel de manducatione spirituali; de manducatione in re, vel in voto; de ipsius Sacramenti perceptione, vel de participatione effectus quem producere in iis, qui digne illud recipiunt, solitum est. Hic effectus, quem Theologi *Rem Sacramenti* vocant, est conjunctio cum Christo, velut membrorum cum capite, ut Fideles in Christo maneant, & ipse in eis. Qua de re S. August. Tract. xxvii. in Joannem, hæc habet inter alia. *Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat; ut compagine unitas, quæ facit nisi charitas?* Et Tract. xxvi. *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.* Et rursus: *Hunc cibum, & potum societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & justificatis, & glorificatis, Sanctis, & Fidelibus ejus.* Hanc autem insectionem in Christi Corpore, hanc societatem Corporis, & Membrorum Christi, hanc cum Christo Capite conjunctionem parvuli per Baptisimum consequuntur, quo ad Eucharistiæ Sacramentum ordinantur.

Quamvis autem actualis alimenti corporalis susceptio necessaria sit ad corporis incolumitatem, & conservationem; non tamen actualis Eucharistiæ perceptio necessaria est ad animæ salutem. Discriminis rationem affert S. Thomas, *Quod alimentum corporale convertitur in substantiam ejus, qui nutritur, & ideo non potest homini valere ad vitæ conservationem, nisi realiter sumatur; sed alimentum spirituale convertit hominem in se ipsum, ut patet ex illa Christi voce, quam se interius audivisse S. Augustinus testatur Lib. vii. Confessionum, cap. x. Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Potest autem, inquit S. Thomas, aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine hujus Sacramenti perceptione.

P R O P O S I T I O I I I .

*Eucharistia necessaria est adultis necessitate Præcepti tum
Divini , tum Ecclesiastici .*

Prima pars Propositionis inde probatur, quod Christus istud Sacramen-
tum instituens, illius quoque sumptionem præceperit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: iis enim verbis non solum præcepit consecrationem, & oblationem Eucharistiæ Apostolis, & eorum Successoribus, verum etiam omnibus Fidelibus usum ejus, seu sumptionem præceptam esse voluit, ut ex verbis Apostoli sequentibus perspicuum est: *Quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Eucharistiæ
necessitas.

Luc. 22. &
1. Cor. 11.

Præterea, Israelitis, non immolatio tantum, sed & manducatio Agni Paschalis præcepta est his verbis Exod. XII. *Omnis cætus filiorum Israel faciet illud*. Itaque Christianis non solum consecratio, & oblatio Eucharistiæ per Sacerdotes omnium nomine facienda, sed & sumptio, sive usus præceptus est. Quin & loci circumstantia hunc sensum postulat. Cum enim ibi non tantum oblationis, sed & sumptionis mentio fiat, idque etiam expressius, cum dicitur: *Accipite, & comedite*, pronomen, *Hoc*, ad solam oblationem, & consecrationem minime restringendum est; sed ita potius accipiendum, ut per illud, *Hoc facite*, generatim id præceptum esse intelligatur, quod Evangelistæ Dominum, & Apostolos tunc fecisse narrant, ut hic sit verborum sensus: Quod jam fecimus, ego quidem consecrando, & offerendo, vos autem Sacramentum sumendo, id post mortem meam facite in mei memoriam. Quamvis igitur hoc præceptum aliqua ratione pertineat ad solos Sacerdotes, quatenus & consecrandi potestas datur, & consecratio præcipitur; ex parte tamen ad omnes Christianos pertinet, in quantum scilicet rei consecratæ sumptio jubetur.

Confirmatur ex Conc. Tridentino, sess. XIII. c. II. *Salvator noster* (inquit) *discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat.*

Confirmatur secundo ex S. Thoma III. p. q. LXXX. Art. XI. *Duplex* (inquit) *est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis, & sacramentalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare; quia hoc Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum. Et ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ XXII. Hoc facite in meam commemorationem. Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora cœsequendi Christi præceptum. Et primis quidem temporibus, quando fervente adhuc Religione Christiani sponte sua satis frequentabant hoc Sacramentum, legem ferendam non judicavit Ecclesia, qua certum tempus percipiendæ Eucharistiæ eis præscriberetur. Verum postquam tepescere cœpit devotio Fidelium, statuit, ut saltem ter quotannis Christiani omnes adultæ ætatis Eucharistiam sumerent, iis nimirum diebus, quibus præcipua nostræ Religionis Mysteria solemniter recoluntur, id est, Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini, ut constat ex*

cap.

S. Communionis præceptum .

Quibus diebus olim præcepta Sacra Communio ?

cap. *Et si non frequentius*, quod S. Fabiano Romano Pontifici tribuitur, dist. III. *De Consecratione*: & ex Concilio Agathensi anno DVI. can. XVI. cuius hæc sunt verba: *Sæculares, qui Natale Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*. Et ex Conc. Turon. III. anno DCCCXIII. can. I. decernente, *Ut si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur*.

In Cœna Domini, qua die hoc Sacramentum a Christo institutum est, percipi solitam ab omnibus Fidelibus Communionem, in Ecclesia saltem Gallicana, constat, ex Conc. Cabilonensi can. XLVII. *In Cœna (inquit) Domini a quibusdam Eucharistiæ perceptio negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus Fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibita est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat: cum etiam Penitentes eadem die ad percipiendam Corporis, & Sanguinis Domini Sacramenta reconciliat*. Habetur & Lib. VII. Capitularium, cap. LXXVIII. in Additis.

Singulis Dominicis præceptam fuisse S. Communionem in Ecclesia Gallicana, nono Sæculo, constat ex Concil. Aquisgranensi II. anno DCCCXXXVI. can. XXII. *Sane (inquit) Communicatio Corporis Domini omni die Dominica debuit celebrari. Ideoque necesse est, quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur consuetudo: ne forte, qui longe est a Sacramentis, quibus est redemptus, longe sit a salute quam fuerat consecutus*. Idem constat ex Lib. V. Capitularium cap. CXXXIV. quo constitutum est, *Ut omnes per dies Dominicos, vel Festivitates præclaras Sacra Eucharistia communicent, nisi quibus abstinere præceptum est*.

Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, in Cœna Domini, Sabbato, & Dominica Paschæ, Communionem Diœcesanis suis præcepit Theodulphus Aurelianensis Episcopus cap. XLI. *Singulis (inquit) diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, Sacramenta Corporis, & Sanguinis Christi sumenda sunt, & in Cœna Domini, in Vigilia Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum*. Quæ totidem verbis leguntur apud Burchardum Vormatiensem Lib. V. cap. XIX. Yvonem Carnotensem p. II. Decreti cap. XXXIX. & Anselmum Lucensem Lib. IX. cap. XI.

Excommunicationem in eos latam, qui ab Eucharistiæ sumptione semper abstinebant, seu constitutis ab Ecclesia temporibus ad S. Communionem non accedebant, constat ex cap. *Si quis*, dist. II. *De Consecratione*, quod sub Antiocheni Concilii nomine can. II. vulgatum est, & in Collectione Martini Bracarensis cap. LXXXIV. legitur, ac Lib. VII. Capitularium cap. CLXXVI. in Additionibus, insertum est, cujus hæc sunt verba: *Si quis intrat in Ecclesiam Dei, & S. Scripturas audit, & pro luxuria sua avertit se a Communionem Sacramenti, & in observandis Mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem projiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, ut possit Communionem percepta indulgentia promereri*.

Ecclesiæ præceptum de Communionem Paschali. Sacrae Communionis præceptum.

Tandem frigescente in dies magis, ac magis Fidelium pietate, Ecclesia in Concilio Oecumenico Lateranensi IV. sub Innoc. III. congregata statuit, ut adulti omnes semel saltem in anno, videlicet Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis tempore, Eucharistiam in ejusdem Passionis memoriam sumerent. Sic enim habetur can. XXI. *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti Suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum; nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab eius perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & vivens ab Ecclesiæ inges-*

ne arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Quæ lex Ecclesiæ prorsus consentanea est illi Mosaicæ: Si quis non fecit Phasæ, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo. Numer. 5.

Ista divini præcepti, quoad tempus, determinatio confirmata est a sacra Synodo Tridentina sess. XIII. can. IX. cujus hæc sunt verba: *Si quis negaverit, omnes, & singulos Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ; Anathema sit.*

Ecclesiastici illius præcepti sensum, illiusque originem expono verbis *Petri Blesensis*, Sermone XVI. *In prima Ecclesia (inquit) quotquot intererant consecrationi Eucharistiæ, communicabant eidem ... Postquam autem crevit numerus Fidelium, nec omnes accedere ad Eucharistiam visum est; statutum est, ut saltem diebus Dominicis Fideles communicarent. Cum vero pascæ super crescentes ceperunt cooperire grana, & multorum refriguit charitas, & crevit iniquitas, & perpauca inventi sunt idonei, qui Calicem salutaris acciperent; decretum est, ut saltem per tres Solemnitates in anno Fideles communicarent; in Paschate, Pentecoste, & Natali. Nunc autem quoniam dies mali sunt, & omnes fere declinaverunt, & inutiles facti sunt, non audeo dicere ex præcepto Ecclesiæ, sed ex tacita permissione introductum est, ut semel in anno congregentur in Ecclesia ad communicandum: quod præterire fas non est: ut sicut filii Israel typicum agnum comedebant perpetuo, & eadem die Dominus Discipulis suis Carnem suam, & Sanguinem dedit, & in memoriam suam id ipsum faciendum commendavit, ita & nos eadem die Carnem Agni, qui tollit peccata Mundi, comedamus.*

Præter hoc autem Ecclesiæ præceptum, est perpetua Ecclesiæ ejusdem consuetudo alterius præcepti vim obtinens, ut infirmi antequam ex hac vita discedant, hoc Sacramentum tamquam Viaticum sibi administrari curent. Unde magna cautione semper provisum est, ne quis absque hoc saluberrimo Viatico e vita migraret, ut constat ex Conc. Nicæni can. XIII. ex Conc. Carthaginensis IV. can. LXX. ex Valensis can. II. ex *S. Jo: Chrysostomo Lib. VI. De Sacerdotio, S. Hieronymo ad cap. XV. S. Matthæi, aliisque Veterum testimoniis, Q. I. hujus Tractatus, Articulo I. §. XIX. descriptis. Accedit antiquissimum exemplum Serapionis, a S. Dionysio Alexandrino relatum, apud Eusebium Lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XLIV. Serapion senex in persecutione lapsus & pœnitentiam agens, morbo correptus, vocis usu sensuque carens triduo permansit. Quarto die paululum recreatus, nepotem ex filia misit, qui Presbyterum accerseret, puer ad Presbyterum cucurrit, jam nox erat, Presbyter autem ægrotabat. Sed quia Dionysius Alexandrinus Episcopus jusserat, ut morituris venia indulgeretur, maxime autem si suppliciter postulassent, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent, Exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut aqua intinctam Seni in os instillaret ... Puer buccellam intinxit, & in os Senis infudit. Qui ea paulatim absorpta continuo animam exhalavit. Aliud exemplum profertur S. Ambrosii, de quo Paulinus in ejus Vita: Ab hora (inquit) circiter undecima diei usque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit. Honoratus autem Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cum in superiori domo se ad quietem composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: Surge festina, quia modo est recessurus. Qui descendens, obtulit Sancto Domini Corpus, quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum. Alia innumera ex Historia Ecclesiastica proferri possent exempla.*

Viaticum Eucharistiæ infirmis in mortis discrimine constitutis non negandum, sanxerunt Summi Pontifices *Siricius*, Epist. I. *Innoc. I.* Epist. III. *Sixtus III.* Epistola unica, *S. Leo*, Epistolis ad Nicetam Aquilejensem, & ad Theodo-

Communitio infirmorum.

Sacræ Communionis præceptum.

dorum Forojulienſem, *Gelaſius I.* Epift. I. cap. xxii. *Felix III.* in Synodo Romana, can. II. & III. *S. Gregorius* Lib. IV. Epift. V. ad Venantium Episcopum Lunenſem, *Gregorius III.* Epift. viii. Idipſum ſtatuerunt Concilia, præter ea, quæ ſuperius laudata ſunt, Aurelianenſe III. can. VI. XVI. & XXIV. Toletanum VII. can. I. Barcinonenſe can. IX. Toletanum XI. can. V. VI. Toletanum XVI. can. III. Forojulienſe can. XI. Aquifgranenſe II. p. III. cap. I. Moguntinum ſub *Rabano*, can. xxvi. His adde Synodum Romanam ſub *Innoc. II.* can. X. Rhemenſem ſub *Eugenio III.* can. XII. & Conc. Lateranenſe Oecumenicum ſub *Alexandro III.* can. I. quo ſtatuit, ut qui a tertiamtaxat parte Cardinalium electus, Pontificis nomen uſurpaverit, tam ipſe, quam qui eum receperint, Excommunicationi ſubjaceant, & totius Sacri Ordinis privatione mulctentur: Ita ut Viatici etiam eis, niſi tantum in ultimis, Communio denegetur.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA ..

R E G U L A I.

Divinum, & Eccleſiaſticum Præceptum de Eucharistiæ ſumptione parvulos non ſpectat: qui præcepti per ætatem ſunt incapaces, & qui ſe ipſos ante Communionem probare non poſſunt, ſecundum præceptum divinum, ab Apoſtolo promulgatum, I. ad Cor. XI. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*: nulloque devotionis ſenſu erga hoc Sacramentum poſſunt affici; neque Chriſtum in eo præſentem adorare, cujus Carnem nemo ſumere debet, niſi prius adoraverit..

R E G U L A II.

Mortale peccatum committit, quicumque Fidelis Eucharistiã tempore Paſchatis non ſumit: atque Excommunicatione plecti debet. Chriſtianaque ſepultura privari, niſi præceptum illud Eccleſiæ impleverit. Ita quippe ſtatuit Canon *Omnis utriusque ſexus*, & Conc. Tridentinum. Tempus autem Paſchali Communioni præſinitum eſt quindena intercurrentes a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive..

R E G U L A III.

Præceptum Communionis Paſchalis extra propriam Parochiam non impletur: eaque a proprio Sacerdote, vel ab eo, cui vices ſuas commiſerit, ſuſcipienda eſt.

Ita ſtatuit Canon *Omnis utriusque ſexus*. Ita Con. Bituricenſe anno MDLXXXIV. Tit. XXII. can. IX. *Nemo* (inquit) *ad diem Paſchæ Eucharistiã ab alio quam a proprio Parocho, ſeu Curato ſumere præſumat: qui contra fecerit, excommunicetur. Sacerdos, qui contra hoc Decretum adminiſtravit, cujuſcumque gradus, & ordinis fuerit, extraordinarie puniatur.* Ita Conc. Burdigalenſe anno MDLXXXIII. cap. XI. *Quemadmodum corporibus, ſic & animis ſua ſunt alimenta tribuenda, ne ſi multo tempore jejunii, languidique permanserint, in laborioſa vitæ humanæ peregrinatione, & via deſciant. Idcirco Pane vitæ, qui de Cælo deſcendit, nimirum Sacroſancto Chriſti Corpore, quod in Eucharistiã vere continetur, Parochi populos ſibi commiſſos paſcere ſatagant, & aſſiduis cohortationibus ad hunc cœleſtem Panem invitent. Eos autem, qui ſemel ſaltem quotannis, idque ſolemniſus Paſchæ diebus*

vel

vel circiter, ad hoc Sacramentum, præmissa peccatorum Confessione, non accesserint, cuiuscumque tandem sint conditionis, ad Episcopum proxima post Pascha Synodo deferant. In eos vero Episcopi Censuris, aliisque pœnis acriter animadvertant. Hac de causa statumus, ut prædicto tempore Paschæ, nemo extra suam Parochiam, absque Rectoris sui facultate alio se conferat, hoc Sacramentum percepturus. Sed & quibus dabitur ea facultas, Parochum certiore faciant, quo loco S. Eucharistiæ sumpserint.

Ita Conc. Aquense anno MDLXXXV. Tit. de his, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ pertinent: Fideles omnes juxta Canon. Omnis utriusque sexus, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Paschate a proprio Parocho sumere ne omittant: nec ulli liceat illud sumere ab alio quam a proprio Parocho, vel de ejus licentia. Quod si quis contra fecerit, præter grave peccatum mortale, quod incurrit, volumus etiam illi ingressum Ecclesiæ interdici, & Sepulturam Ecclesiasticam. Religiosi vero, qui illud absque Parochi consensu administrarint, juxta Clementinam primam de privilegiis, sciant se Excommunicationis pœna innodatos. Ita Conc. Tololanum anno MDXC. cap. v. §. III. Communicantium in Paschate Parochi nomina describent: quos Communioni defuisse perceperint, notatos ad Episcopum deferent, quasque defectus rationes contra Confessionem cognoverint, eidem significabunt. Et §. v. Qui Paschatis tempore abfuerint, sumptæ Communionis testimonium Parocho amplissimum dabunt; ni fecerint, iterata Sacramenti sumptione, peccati suspicionem auferent.

Ita S. Carolus Borromæus cum in Concil. Provinciali Mediolanensi 1. tum in Instructionibus de Sacramento Eucharistiæ: In Paschali Celebritate, ut nemo Parochialium legitime ætatis, quemadmodum est S. Matris Ecclesiæ præceptum, omittat hoc Sacramentum percipere in sua Parochiali Ecclesia; sæpe numero Parochus in Quadragesima populo promulgabit, atque adeo explanabit Constitutionem illam ab Innoc. III. Pontifice editam, cujus initium est, Omnis utriusque sexus; Censuramque in ea sancitam diligentissime proponet.

Quæ Constitutio, ut perfecte servetur, in Quadragesima item per familias, ut Concilio Provinciali cautum est, nomina eorum describet, qui per ætatem rationis usum adepti, in Pascha S. Communionem confessi sumere debent.

Hortabitur autem eos, ut qui in Pascha Sacram Communionem sumere debent, ipso die Paschæ Resurrectionis id præstent.

Quo Paschæ tempore ipse, non alius Sacerdos ministrabit: si vero frequentem populum habet, alium quoque Sacerdotem adhibeat tunc licet.

Parochiæ suæ Fidelibus in Pascha ministrabit: aliene autem Parochiæ nullo modo, nisi ut infra. Proinde quod antiquis Canonibus cautum est, ad populum conversus antequam ministret de Altari enunciabit, aliene Parochiæ Fideles ad proprium Parochum remitti, a quo Sacram Communionem in Paschali Celebritate sumant.

Iis etiam ministrabit, qui maiorem anni partem in Parochia habitaverint: illis quoque, qui saltem sex menses.

Peregrinis item, qui paucis ante diebus advenerint animo constituendi domicilii.

Et vero illis quoque, qui facultatem ab Archiepiscopo litteris concessam habuerint.

Ægrotis etiam Parochialibus, etiamsi Communionem sumpserint, in Pascha quoque afferet, & ministrabit.

Qui Parochiales Paschæ tempore a Parochia abfuerint, nisi se Communionem sum-

Præceptum
Communionis Paschalis.

sumpsisse testatum fecerint, in eos ad præscriptum Conciliorum Provincialium agat.

Qui autem præstituto Paschæ tempore non communicaverint, eos ex præscripta formula ad Altare altero ex diebus festis Pascha proxime sequentibus monebit, & in contumacia perseverantes ad Archiepiscopale forum deferet.

R E G U L A IV.

Paschalis Communio de consilio proprii Sacerdotis, ob rationabilem causam, ad tempus differri potest.

An differri possit Communio Paschalis, & cujus consilio?

Ita statuit Conc. Lateranense, Canone Omnis utriusque sexus. Ita Synodus Carnotensis anno MDXXVI. Quilibet Fidelis ex Constitutione Ecclesiæ, postquam ad annos discretionis pervenerit, videlicet pueri ad quatuordecim, & puelle ad duodecim, aut pauciores annos, si discretio supplet ætatem, ad minus semel in anno, videlicet in die Paschæ, tenetur cum multa reverentia, & devotione hoc Sacramentum sumere: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, & ob rationabilem causam, ad tempus duxerit abstinendum: ut puta propter debilitatem stomachi sumptum cibum retinere non valentis, vel etiam propter nondum factam sufficientem peccatorum Confessionem, seu aliam debitam præparationem, quam peragere non poterat, aut etiam negligenter omiserat faciendam. Qui vero hujusmodi Ecclesiæ præcepti contempiores effecti, idem saluberrimum quotannis (legitimo cessante impedimento) non receperint Sacramentum, ab Ecclesia expellendi sunt, & eis Ecclesiastica, si pertinaces decedant, deneganda est sepultura.

Præceptum Communions Paschalis.

Sane sicut immunditia faciendo Phasæ cum reliquo cætu filiorum Israel exclusi sunt, & in secundum mensẽ dilati (Numer. ix.) ita si qui, ut par est, parati non sunt ad Eucharistiam suscipiendam: utpote quia in proximis peccandi occasionibus, vel in affectu peccati adhuc versantur, vel quorum dubia conversio est, propter inveteratum peccati lethalis, publici maxime, & cum aliorum scandalo commissi habitum, ac frequentes in eadem crimina relapsus; vel anno solido a Confessione Sacramentali abstinuerunt, & postremis Paschalis quindenæ diebus se sistunt Sacerdoti, nulla, aut exigua præparatione, eorum Communio ad tempus differenda est, secundum prudentis judicium proprii Sacerdotis; penes quem, & non penes alium (salvo Episcopi jure) potestas est Communions Paschalis tempus prorogandi. Unde si quis alteri a Parocho, de illius, aut Episcopi licentia peccata confessus fuerit, ipsique Absolutionis beneficium distulerit Confessarius, aut illius Communionem ultra quindenam Paschalem differendam judicaverit, debet nihilominus Pœnitens proprium Parochum adire, ipsique exponere conscientiæ suæ statum; aut certe Sacerdotis, apud quem peccata deposuit, judicium, ut illius consilio, & licentia Paschalem Communionem ad tempus differat. Alioqui Parochus jure suo utetur, & penas Constitutionis, Omnis utriusque sexus, ipsum incurrisse declarabit. Quamobrem consultius erit, si Confessarii hujusmodi homines ad proprium Sacerdotem remittant.

Quemadmodum autem de proprii Sacerdotis consilio ob rationabilem causam differri potest Communio Paschalis, ita anticipari potest, & debet, si quis prævideat se, & in Paschate, & multis post Pascha mensibus impotentem futurum ad Eucharistiam sumendam propter impedimentum extrinsecum. Ecclesia enim sic jubet Communionem in Paschate, ut velit ad minus tunc fieri, & non ultra differri: si autem differretur ad plures menses post Pascha, non fieret ad minus semel in anno. Sicut si cui injunctum esset solvere centum nummos ad minus semel in anno, idque in Paschate; is, si præ-

videret, se solvendo non futurum in Paschate, solutionem anticipare deberet, si posset.

R E G U L A V.

Qui apud privilegiatos, sive in Ecclesiis Regularium Eucharistiam sumpserit in Hebdomada Sancta, debet nihilominus intra quindenam Paschalem semel in Ecclesia Parochiali sumere, ut satisfaciatur præcepto Communionis Paschalis. Communio Paschalis in propria parochia.

Ita respondit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

R E G U L A VI.

Qui præcepto Communionis Paschalis satisfecit Eucharistiam in propria Parochia sumendo, die ipso Paschatis Eucharistiam sumere non potest in Ecclesiis Regularium, aut quorumvis Privilegiatorum, sive Exemptorum.

Leo enim Decimus Pontifex Maximus concedens, ut Privilegiati Eucharistiam quovis anni die ministrare possint, excipit diem Paschatis. Privilegia autem, quæ Juri communi derogant, restringi debent, non ampliari. Idem confirmat Responsum Congregationis Cardinalium, datum die xxiii. Januarii MDLXXXVI. Eamque sententiam Navarrus, Azorius & Sylvius probabiliores censent.

R E G U L A VII.

Qui Communionem Paschalem prætermisit, tenetur ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto pro illo anno communicare.

Ita censent Jo. Major, Petrus a Palude, Navarrus, & Sylvius. Duplex affertur hujus obligationis ratio. Primo quia non conceditur terminus annuus, ut tunc cesset obligatio, sed ut adimpletio præcepti ulterius differri non possit: sicut in contractibus, quando statuitur tempus ultra quod non possit differri solutio; si tunc non fiat, debitum non extinguitur, sed perseverat. Secundo quia Communio est id, quod Ecclesia præcipue præcipere intendit: temporis autem determinatio est aliquid secundarium. Cum ergo possit adhuc impleri Ecclesiæ præceptum secundum substantiam, & quantum ad id, quod in eo præcipuum est, obligatio perseverat.

At (inquiunt alii magni etiam nominis Theologi, S. Antoninus, Sylvester Prieras, Dominicus Soto, Toletus) dum aliquid præcipitur cum determinatione temporis, eo elapso cessat obligatio, ut patet in Missa Festi, Jejunio Vigiliæ, &c.

Id verum esse respondent alii, cum opus, quod præcipitur, annexum est tempori, & quasi pensum; & onus diei præcipitur, ita ut ratio obligationis sit talis dies, qualia sunt auditio Missæ in die Festo, Jejunium in Quadragesima, Quatuor Temporibus, statisque Vigiliis, & Breviarii recitatio. At Confessio, & Communio annua non præcipiuntur, ut annexæ tempori, utq; certæ diei pensa, & onera; nec ratio obligationis earum est Paschale tempus, sed jus divinum, cui ut satisfiat, Ecclesia Paschatis tempus ita determinavit, ut obligationem faciendi satis divino illi juri, ac præcepto de cælesti cibo animabus nostris procurando, quo spiritualis vita sustentetur, propterea non remiserit. Atque hæc longe probabilior, & tutior sententia, quamvis magna nomina contrariam opinionem defendant.

R E G U L A VIII.

Mortale peccatum incurrit, quisquis gravi morbo correptus, & in mortis periculo constitutus, Eucharistiæ Viaticum recipere renuit, aut negligit.

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

Tt

Ecclesiæ

Sacre Communionis per modum Viatici præceptum.

Ecclesiæ scilicet præceptum in re gravi violare non metuit. Eiusdem peccati rei sunt illi, ad quos infirmi cura pertinet, præcipueque Medicus, si ipsum ea de re monere, utque isto Christiani hominis officio defungatur, urgere negligant. Id colligitur ex can. XXI. Conc. Lateranensis sub *Innoc. III.* cujus verba alia occasione referemus, cum nimirum de Confessione sermo erit.

R E G U L A IX.

Præcepto Communionis annuæ non fit satis per sacrilegam Domini manducationem.

Ecclesiæ
præceptum
non imple-
tur indigna
Communione.

Præceptum enim Ecclesiæ est determinatio divini præcepti ad certum tempus, adeoque illud non implent, qui divinum de sumptione Eucharistiæ præceptum violant, Corpus Domini non dijudicantes, secundum illud Apost. I. ad Cor. XI. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Præterea Conc. Oecumenicum Lateranense IV. Canone, *Omnis utriusque sexus, præcipit omnibus, & singulis Fidelibus, ut Suscipiant reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.* At suscipi, qua par est reverentia nemo dixerit per Communionem sacrilegam: *Ignoras (inquit S. Jo: Chrysostomus Hom. V. in Epist. I. ad Timotheum) quoniam indigne accedere, etiamsi semel fiat, te supplicio tradit. At nos adeo stolidi, adeo insensati sumus, ut cum innumera per totum annum scelera perpetremus, nihil ea curemus exuere, satis esse arbitrati, si non assidue præsumamus, atque contumeliose Corpus Christi attingere. Neque intelligimus, quod hi, qui Cruci Christum affixerunt, semel tantum id fecerunt. Non igitur quia semel crucifixerunt, minus idcirco delictum est: & qui Christum prodidit, semel tantum prodidit: numquid ergo hoc illum supplicio eripuit?*

Hinc *Philippus* Lingoniensis Episcopus in Synodo anno MCCCCLII. ita statuit: *Quia nonnulli temerarie magis populum, quam Deum timentes, non verentur, prout experti sumus, nulla de commissis Confessione præhabita accedere irreverenter ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, statuimus, quod nullus deinceps ad præfatum Eucharistiæ Sacramentum teneatur aliquem admittere, nisi prius illum audierit in Confessione, aut prius sibi fide facta, quod more Fidelium Pœnitentiæ receperit Sacramentum: nisi qualitate personæ pensata, aliud duxerit faciendum.*

Hinc Synodus Parisiensis anno MDLVII. *Nullus Parochus ad hujus Sacramenti sumptionem quempiam, præcipue in Paschate, admittat, cujus conscientiam non noverit, aut ipse, aut ab eo ei negotio præfectus. Et rursum: Admonendi sunt accurate Christiani, ne indigne ad venerandum hoc, & divinum accedant Sacramentum, neve in peccato, aut proposito deinceps peccandi audeant accedere: sed cum religione, & timore, ne forte imitantes vestigia Judæ, locum Diabolo potius, quam Deo præparent, pœnam quam merentur, brevi suscepturi.*

Ita Conc. Burdigalense anno MDLXXXIII. *Illud Christiane plebi assiduc culcandum est, divinissimum hoc Sacramentum, sicut expurgatis ab omni culpa, & puris animis copiosam gratiam, salutemque confert, sic peccatorum adhuc illuvie squallentibus, & inquinatis, suo ipsorum vitio, atque pravitate plurimum obesse, non secus ac salutare cibi stomacho languenti, & male affecto detrimentum afferunt. Constat enim Apostoli doctrina, tales, qui indigne id sumpserint, iudicium sibi manducare, & bibere. Ideoque Parochi, & Concionatores, necnon quicumque audiendis Confessionibus præficiuntur, mo-
neant cum publice omnes, tum privatim singulos, ne ad hæc tremenda*

Myste-

De Sacramento Eucharistiæ. Cap. I. Art. V. 659

Mysteria, nisi prius integre probata conscientia, & omnium, quorum meminisse operam sedulo dederint, peccatorum facta Confessione accedant.

Ita Conc. Bituricensis anno MDLXXXIV. *Nemo sine contritione, confessione, & satisfactoriis operibus digne præmunitus ad Eucharistiam sumendam accedat.*

Denique inter Propositiones, quas Innocentius XI. Pontifex Maximus damnavit *Ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas*, Decreto edito die Jovis II. Martii MDCLXXIX. quinquagesima quinta his verbis expressa est: *Præcepto Communionis annuæ satis fit per sacrilegam Domini manducationem.* Quæ doctrina Cleri Gallicani iudicio in generali conventu anni 1700. *temeraria est, scandalosa, erronea, impietati, & sacrilegio favens, & præceptis Ecclesiæ illudens.* Quamobrem, qui Eucharistiam in statu, & affectu peccati mortalis recepit in Paschate, Penitentiam agere, & confiteri quamprimum debet cum immane illud sacrilegium, tum reliqua peccata Sacerdoti, & Christi Corpus cum debita reverentia, & pietate suscipere, ut præcepto Communionis Paschalis satisfaciatur. Idem esto iudicium de illo, qui Viaticum in statu, aut affectu peccati mortalis recepisset: iterum enim acta sacrilegii penitentia S. Communionem percipere deberet, cum ad Ecclesiæ præceptum implendum, tum ad refarciendam injuriam, & vim illatam Corpori Domini.

Propositio
damnata.

Frustra vero quis objiciat, Ecclesiam actus internos præcipere non posse. Esto enim ipsos præcipere non possit directe, ut nec de iis in exteriori foro judicare; indirecte tamen ipsos præcipere potest, quatenus externi religiose fieri non possunt, nisi cum internis sint conjuncti. Præterea non ex vi Præcepti Ecclesiastici, sed ex vi Præcepti Divini tenemur ad orandum, cum attentione, reverentia, & religione debitis; ad sumendam Eucharistiam pura, & integra conscientia quoties ipsam sumimus: ne de illorum simus numero, de quibus Deus per Prophetam ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: ne simus hypocritæ, quibus Væ toties imprecatus est Christus; ne Veri adorantes non simus, qui Deum adorant in spiritu, & veritate: ne indigne manducando, & non dijudicando Corpus Domini, iudicium nobis manducemus, & bibamus; animæque nostræ mortem consciscamus Panem vitæ sumendo, & recipiendo Sacramentum, quod Christus instituit, ut æternum vivamus: ne denique falso profiteamur sumendo Corpus Christi, nos ad Corpus Christi mysticum pertinere, & esse membra illius Spiritu vegetata.*

Objectio
diluitur.

Isai. 29. 13:

Joan. 4. 23.

R E G U L A X.

Venerabile Sacramentum summa cum Religione Parochus superpelliceo, & stola indutus, præeuntibus, qui faces ardentes, aut cereos accensos gestent, & tintinnabulum, cujus sonitu Fideles ad reverentiam Corporis Christi exhibendam moneantur, ferre debet sub umbella, si fieri potest, ipso Sacerdote septem Psalmos Pœnitentiales, aut quindecim Graduales recitante. Excitandi sunt Fideles Indulgentiis Episcopali Auctoritate propositis, ut SS. Sacramentum, cum deferretur ad ægrotos, pia veneratione prosequantur, & comitentur. Instituentæ ad id pietatis opus Confraternitates, ubi nondum sunt institutæ, accendenda publicis adhortationibus Fidelium erga SS. Christi Corpus reverentia, & devotio. Noctu non est deferendum, nisi periculo mortis imminente. Particulas duas ferat in pixide, nisi cum noctu defert, vel certus est necesse esse, ut statim post Communionem Extremam etiam Unctionem ministret. Curandum, ut ægrotantis, ad quem deferretur, cubiculum ab omni sorde, & inquinamento purgetur, amotaque omni re profana, exornetur, ubi potest, pio apparatu, & sa-

Qua reverentia, & solemnitate Corpus Christi ad infirmos deferendum.

cris imaginibus: tum præterea mensa confertatur mappa nitida, appareaturque cruce, aliave effigie sacra, candelabris, & candelis saltem binis. In qua mensa super Corporali Pixis cum SS. Sacramento collocabitur. Sit præterea vas vitreum ad ablutionis usum. Qui ob egestatem id minus præstare possent, curet Parochus juvari a Confratribus SS. Sacramenti. Cum Parochus accessit ad ægrotum, diligenter videat (siquidem graviter laborat) an integro sensu sit; an item periculum tussis, aut vomitus: si tunc non potest sumere, necessitate, vique repentina morbi impeditus; aliquantulum morabitur Parochus, dumque in mora est, ipse, & reliqui Fideles genibus flexis coram SS. Sacramento orabunt. At vero si perseveret impedimentum, illud proponet ei adorandum, si modo ægrotus ita desideret: & impertita ei figura crucis benedictione, cum ipso Sacramento discedet. Eodem modo oret, proponat, & benedicat, si, cum venerit, ab initio viderit fieri non posse, ut ægrotus sumat: sed ne deferat tamen unquam ad eum, quem sumere non posse ante noverit. Si autem sumere potest, Parochus illum suaviter alloquetur, & quæret an aliquid sit reliquum, quod confiteri velit: tuncque libenter eum audiet, & absolvet: interrogabitque etiam, an SS. Corpus Domini sumere velit; & si pro Viatico dandum sit, id quoque exprimet: ad quod pie, devoteque sumendum paucis verbis inflammabit.

Si quando sine Sacra Hostia redibit, Parochus antequam domo ægroti abscedat, lumina extinguere jubebit, stolam, tintinnabulum, umbellam non adhibebit, pixidem palam non deferet.

Cohortabitur ægrotum, ut S. Communionem sumat, etiamsi graviter non ægrotet; maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat: neque ipse ministrare recusabit sæpius in eadem infirmitate pro devotione, & desiderio ægroti; præsertim si ille cum valet, solet frequentare; ut in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. statutum est.

Pro Viatico ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit: cavebit autem, ne ita cunctetur, ut periculum adeat ægrotus moriendi prius quam sumat.

Cum præterea postea quam Viaticum, Extremamque etiam Unctionem æger suscepit, aliquot dies superstes sibi S. Communionem ministrari petit, ejus pio desiderio Parochus non deerit: sed pro Viatico illam iterum in eodem morbo non ministrabit, nisi periculum mortis post octo vel decem dies idem perseveret, aut morbus paulisper imminutus deinde ingravescat.

Prælato alicujus Ecclesiæ, qui in lecto ægrotans frequentissime S. Eucharistiæ pabulo salutariter se reficiet, eam, & cum primo in ægrotatione, & cum pro Viatico sumet, Sacerdos, qui post illum in ipsa Ecclesia primariam dignitatem, locumve obtinet, deferet, ac ministrabit, univèro Clero ejusdem Ecclesiæ prosequente, & Societate etiam SS. Corporis Domini. Si vero sæpius Sac. Communionem sumet, alius inferior Sacerdos, vel Parochus ministrabit, Societate tantummodo Corporis Domini comitante. Aliis Sacerdotibus eodem modo deferetur, ejusdem ordinis saltem Sacerdotibus, aliisque Clericis comitantibus.

Ægrotus, si per valetudinem potest, e lecto surget: decoreque vestitus, & si est Sacerdos, superpelliceo, stolaque indutus, genibus flexis erit, dum sumet.

Facta Communione, Sacerdos hortetur ægrotum ad sancte meditando, & ad gratias Deo agendas de tanto beneficio, moneatque domesticos, qui ægroti curam habent, ne per dimidiam saltem horam illum visitari permittant, ne a munere gratiarum Deo agendarum avertatur.

Hæ Regulæ de Sacramento Eucharistiæ ægrotis administrando sumptæ sunt ex cap. *Sane*, Extra, *De Celebratione Missarum*, quod est *Honorii III.* ex Instru-

Instructionibus S. Caroli De Visitatione Infirmorum , ex Synodo Senonensi
MDXXIV. Rothomagenfi MDLXXXI. Burdigalensi MDLXXXIII. Aquensi MDLXXXV.

C A P U T II.

DE CONVERSIONE PANIS, ET VINI IN CORPUS,
ET SANGUINEM CHRISTI.

A R T I C U L U S I.

*Utrum Christi Domini Corpus, & Sanguis vere, ac realiter in Eucharistiæ
Sacramento contineantur?*

P R O P O S I T I O C A T H O L I C A.

*Verum Christi Domini Corpus, verus item Sanguis in Eucharistia reipsa
presentia sunt, non presentia tantum virtutis, & efficacæ,
sed substantiæ.*

HÆc Propositio contra Zuinglianos, & Calvinianos Hæreticos invictissimi-
mis argumentis probatur; quorum alia ex Scripturæ Sacræ testimo-
niis, alia ex Traditione, alia ex Ecclesiæ auctoritate, & judicio petita
sunt. Tria præsertim suppeditat Scriptura. Primum ex verbis promissio-
nis, alterum ex verbis institutionis, tertium ex verbis usum hujus admi-
rabilis Sacramenti explicantibus depromptum est.

Quod primum spectat, Sacramenti hujus institutionem promisit Christus, cum miraculum multiplicationis quinque panum edidisset, & sequentem se plebem, ac Discipulos in primis docuisset, Panem se esse vivum, qui de cælo descendit, ex quo si quis manducaverit, vivet in æternum, ut refert S. Joannes Evangelii sui cap. vi. Subjunxit enim: *Et panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Quorum occasione verborum contentio inter Judæos orta est. *Quomodo (inquirebant) potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Jesus vero respondit, *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.* Id cum audissent multi ex Discipulis ejus, dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Quorum murmurationem Christus agnoscens, dixit: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Ex hoc, inquit S. Joannes, multi Discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Respondit Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vite æternæ habes; & nos credidimus, & cognovimus, quia Tu es Christus Filius Dei.*

De Eucharistiæ Sacramento hunc locum intellexerunt SS. Patres a primis Christiani nominis sæculis, eumque sensum, ut proprium, ac litteralem spectaverunt, ac tradiderunt; scilicet S. Irenæus Lib. iv. cap. LXXIV. Origenes Hom. xvi. in Numeros, S. Cyprianus Lib. De Oratione Dominica, S. Hilarius Lib. ix. De Trinitate, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi iv. S. Ambrosius Lib. De iis, qui Mysteriis initiantur, cap. viii. S. Jo: Chryso-
stomus, S. Augustinus, & S. Cyrillus Alexandrinus in cap. vi. S. Joannis, Concilium Alexandrinum in Epistola ad Nestorium, S. Leo Serm. vi. De Jejunio septimi mensis, &c. Jam vero posito, quod de Eucha-

Realis præ-
sentia Cor-
poris, & San-
guinis Chri-
sti in Eucha-
ristia proba-
tur ex verbis
promissio-
nis.

flia Joan. vi. cap. agatur, præsentia realis Corporis, & Sanguinis Christi in hoc Sacramento luculenter ex eo loco probatur. Primo, Christus Panem, quem daturum se pro Mundi vita tam amanter pollicetur, idest, Carnem suam, Mannæ opponit, quo qui cibati sunt in deserto, mortui sunt: qui autem hunc Panem, idest, Carnem Christi manducaturus est, vivet in æternum. At si Eucharistia mera figura est Corporis, & Sanguinis Christi, quamvis paulo expressior ipso Manna, frustra ipsi antepositur, quoad vim illam vivificam. Siquidem & veteres Justi ex Israelitis, qui in fide Christi venturi Manna manducabant, Carnem ejus, & Sanguinem fide pariter percipiebant, quemadmodum se percipere Calvinistæ gloriantur.

Secundo, verba illa Christi dubium excitarunt gravissimum in Judæorum animis. *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* At dubium hujusmodi non excitasset figurata locutio, qua Christus Panem se daturum significasset ad præsentandum Carnem suam, & ad sui memoriam dumtaxat excitandam.

Tertio, Judæorum opinionem illam de vera Christi Carne ipsis in cibum danda, Salvator minime correxit, imo confirmavit, & dubitationem eorum reprehendit, carnem suam daturum se asserens, quasi interposito jurejurando: *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Homines (inquit Apostolus ad Hebr. vi.) *per majorem sui jurant; & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jus jurandum; ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus: & ut obstinatio res Infidelium animi ad credendum flectantur: O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O nos miserimos, si nec juranti Domino credimus!* (inquit Tertullianus Lib. De Pœnitentia.)

Quarto, Responsio Christi in re tanti momenti, ubi nimirum legem condebat, ac præceptum dabat, ambagibus, figuris inusitatis, ac omni prorsus æquivocatione carere debuit, ne summæ Veritatis verba ad fallendos potius quam ad erudiendos homines destinata viderentur. Cum igitur planissime dixerit: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* vera, & realis manducatio carnis Christi his verbis imperata censei debet. Solemne fuit Christo, etiã cum de rebus minoris momenti ageret, ut si quid figurate, & obscure dixisset, aliquando rogatus, interdum sponte explicaret. Dixerat Discipulis (Joan. xvi.) *Modicum & jam non videbitis me, & iterum, modicum & videbitis, quia vado ad Patrem:* illorum interrogationem prævenit, ac mysticum locutionis genus ultro ipsis exponit. Cum dixisset Nicodemo: *Amen, Amen dico tibi. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei:* Interroganti, quomodo posset Homo nasci, cum sit senex: Mysterium exposuit his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Proposuerat apud Matthæum parabolam seminantis; non intellexerunt Discipuli; interrogantibus copiose, & particulatim explicavit. Proposuerat aliam parabolam de zizaniis: Apostoli rogant, ut parabolam illam edisserat; eorum votis annuit. Id vero si præstitit in his occasionibus, quis sibi persuadeat, id minime facturum optimum Præceptorem, ac Redemptorem in re gravissima, dubitantibus Discipulis, si alius fuisset verborum sensus, quam præse ferebant, & de spiritali dumtaxat manducatione fuissent intelligenda?

Quinto, Carnem suam vere cibum, & Sanguinem suum vere potum esse

Realis præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia. Joan. 3.

Matth. 13.

esse affirmat. *Caro enim mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Scripturam igitur adulterant & in alienum sensum Christi detorquent verba Calviniani, cum ejus carnem spiritualiter dumtaxat, improprie, & figurate manducari contendunt, quatenus fide apprehenditur.

Sexto, subdit Christus, *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quod non solum de inhabitatione spirituali per fidem, & charitatem, sed de mansione naturali, qua Carnem suam nobis commiscet, SS. Patres *Hilarius, Jo: Chrysostomus, & Cyrillus Alexandrinus* explicant.

Septimo, cum Discipuli dicerent, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* sciens Jesus, quia murmurarent, dixit eis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* Ex futura in cælum Ascensione sua carnem suam ad manducandum se dare posse confirmat. An, quæso, ad spiritualis manducationis fidem adstruendam Mysterium adeo admirabile proferre fuisset opus? Sane qui ex Ascensionis Mysterio probat se carnem suam daturum ad manducandum, & qui manducabunt, in ipso mansuros, æternumque victuros, probat se tam vere, ac proprie carnem suam daturum manducandam, quam vere, ac proprie in cælum ascensus est. Quemadmodum igitur Christus in cælos reipsa ascendit, non figurate, nec spiritualiter dumtaxat; ita carnem suam non figurate, & spiritualiter tantum, sed vere, proprie, & reipsa manducandam Fidelibus dedit.

Octavo, *Ex hoc multi Discipulorum ejus abierunt retro,* rei insolentia offensi. Quis credat Pastorem optimum, qui ovem errantem quæsiturus e cælo descenderat, passurum fuisse, ut oves tam multæ ex suo grege discederent, quas unico verbo revocare, ac retinere potuisset, aperiendo illis sermonis sui sensum, & declarando se loqui de manducatione spirituali corporis sui per apprehensionem fidei, aut de manducatione panis materialis, & vulgaris, qui carnis suæ figura esset, illiusque virtutem dumtaxat contineret?

Tandem Christus, Discipulis illis abeuntibus, dixit duodecim Apostolis, *Numquid & vos vultis abire?* significans se jam fecisse quicquid in seipso erat, ut eos retineret, & hoc Mysterium amplius explicare non posse: proinde illis optionem dari, ut vel credant, vel abeant. Suo & aliorum nomine respondit Simon Petrus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Quibus verbis se, & Condiscipulos omnia credere, quæ Christus proposuerat, & ipsam Carnis ejus sacratissimæ veram, realem, ac naturalem manducationem in Sacramento, cujus institutionem promiserat, profitetur.

II. Altera Catholicæ Propositionis probatio sumitur ex verbis Christi Domini Sacramentum instituentis. Accipit enim panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis, & ait: *Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ita referunt S. Matthæus cap. xxvi. S. Marcus cap. xiv. S. Lucas cap. xxii. & S. Paulus I. ad Corinth. cap. xi. Verba porro Christi Sacramentum instituentis; dogma fidei tradentis, legem Ecclesiæ suæ in perpetuum tempus dantis, testamentum condentis, fœdus sancientis, proprio sensu, non metaphorico; perspicuo, non obscuro; naturali, & cuique obvio, non contorto, & qui non nisi post diuturnam meditationem detegatur, accipi debent, & explicari. Si enim unquam homines proprie, & clare loquuntur, maxime cum fœdus ineunt, cum leges ferant, cum testamentum condunt, cum non externos, sed amicos, sed filios alloquuntur, eis animi sui sensa aperiunt, & voluntatem

Realis Corporis, & Sanguinis Christi præsentia in Eucharistia probatur ex verbis institutionis.

significant suam, cum denique ipsis tradunt amicitiae perenne pignus. At Christus dicens Apostolis. *Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum* .: *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus*: Sacramentum instituit, dogma Fidei tradidit, legem Ecclesiae suae dedit in perpetuum tempus duraturam, foedus sancivit, testamentum condidit; non exteros, sed amicos, sed filios his verbis compellavit, æternum amoris pignus ipsis daturus pridie quam pateretur; illos, de quibus S. Joannes cap. XIII. ait: *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*. Illos alloquebatur, quibus tum dixit: *Vos amici mei estis. Jam non dicam vos servos: vos autem dixi amicos; quia omnia, quaecumq; audiivi a Patre meo, nota feci vobis* .: *In proverbii locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbii loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis*. Quod & ipsi agnovere: *Ecce nunc palam loqueris* (inquiunt) *& proverbium nullum dicis*. *Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus, quia a Deo existi*. Hæc itaque verba, *Hoc est Corpus meum* .: *Hic est Sanguis meus* .: in sensu proprio, non metaphorico, & figurato intelligenda sunt; adeoque non figuram tantum Corporis, & Sanguinis Christi, sive efficacem, sive inefficacem in Eucharistia nobis traditam credere debemus, sed verum Christi Corpus, & Sanguinem. Si *Hominis testamentum confirmatum nemo spernit, aut superordinat*, ut ait Apostolus ad Gal. III. quanto minus testamentum Christi derogandum est? Testamenta verbis propriis, simplicibus, & perspicuis conduntur: nec ullus Calvinista est, aut Zuinglianus, cui si pater, avus, patruus, aliufve ex cognatis, aut amicis, domum, vel agrum supremæ voluntatis tabulis reliquerit, adisse se putet hæreditatem, & impletam erga se Testatoris voluntatem arbitretur, cum tabella domum, vel agrum repræsentans ab executoribus testamenti data fuerit. Christus Eucharistiam instituens, quam S. Gaudentius Tract. II. in Exodum, appellat *Hæreditarium Munus Novi Testamenti*, ait: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*. Et figuram dumtaxat Corporis, & Sanguinis Christi esse Sacramentarii impie contendunt? Nonne hoc est Salvatoris nostri testamentum violare? Nonne hoc est umbraticum testamentum pro vero, ac reali supponere? Nonne hoc est Scripturæ Sacræ verba corrumpere, verba Christi in alienum sensum detorquere? Si figuram dumtaxat Corporis sui dare voluisset, cur æquivocatione, quæ hominum partem maximam conijcere poterat in errorem, usus fuisset? Cur mentem suam non expressisset simplicibus, apertisq; verbis? *Forte, qui Verbum est, & qui veritas est, loqui vera nescivit? Et qui Sapientia est, in stultiloquio erravit? Et qui Virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi?* (inquit S. Hilarius Lib. VIII. De Trinitate.) *Num mentis, & lingue Artifex diserte loqui non posset? Immo vero summa Providentia fuco carere voluit quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur*. Quibus, quæso, verbis Christus usus esset magis aptis, magisq; perspicuis, ad significandum se veri, propriiq; Corporis sui substantiam tradere? An opus erat, ut diceret, *Hoc est vere, & proprie Corpus meum?* Nequaquam. Sicut enim cum Æternus Pater Christum designando, dixit: *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite*; non dixit, *Hic est vere, & proprie Filius meus*: & cum Evangelista Verbi Æterni Incarnationem explicuit, non dixit, *Verbum vere, & proprie Caro factum est*, carne in unitatem personæ assumpta; sed simpliciter dixit: *Verbum caro factum est*: & cum Angelus Deiparæ Virgini admirabile illud Mysterium annuntiavit, non dixit, *Vere in utero concipies proprium Filium Dei*, sed simpliciter: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius*

Realis præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia.

Filius Dei : & nihilominus credere tenemur , Christum esse vere , & proprie Dei Filium , & Verbum vere , & proprie incarnatum fuisse , & omnia quæ Incarnatio involvit , aut quæ ex ea consequuntur : ita quamvis Christus non dixerit accepto pane , & benedicto , *Hoc est vera* , & propria substantia Corporis mei ; sive , *Hic panis in substantiam Corporis mei proprie convertitur* ; sed simpliciter , *Hoc est Corpus meum* : nihilominus credere tenemur Christi Corpus vere , proprie , ac substantialiter in Eucharistia nobis dari : maxime cum addiderit Christus , *Quod pro vobis datur* , sive , *Quod pro vobis tradetur* ; & de Sanguine suo , *Qui pro multis effundetur* . Quibus verbis idem Corpus , eundemque Sanguinem in Eucharistia comedendum , ac bibendum se dare significavit , quod pro nobis morti tradendum , & qui pro multis effundendus erat . Verum autem , ac proprium Corpus pro nobis ad mortem obtulit , non figuram Corporis ; verum propriumque Sanguinem pro nobis fudit , non figuram Sanguinis : verum igitur , ac proprium Corpus suum ; verum ; ac proprium Sanguinem , secundum substantiam , comedendum , ac bibendum in Eucharistia nobis dedit , non figuram Corporis , & Sanguinis . Accedit trium Evangelistarum in iisdem Christi Eucharistiam instituentis verbis referendis summus consensus , ac *S. Pauli* cum iisdem concordia . Cum enim quatuor illi Auctores institutionem hujus Sacramenti narraverint , diversis temporibus scripserint ; alii audiverint ab ipso Christo , ut *S. Matth.* alii a Domino postea acceperint , ut *S. Paulus* ; alii didicerint ab iis , qui Christum Sacramentum instituentem viderant , & audiverant , ut *SS. Marcus* , & *Lucas* ; omnes tamen iisdem verbis Christum dixisse commemorant , *Hoc est Corpus meum* , & *Hic est Sanguis meus* , aut *Calix Sanguinis mei* : nemo explicavit dictum esse per figuram , nemo ullum verbum addidit , ex quo id intelligere possemus . At incredibile est , neminem Evangelistarum , nec Apostolum *Paulum* , hunc sensum expressurum fuisse , si Christus solam Corporis , & Sanguinis sui figuram dare , idque a nobis credi voluisset .

Calvinianos itaque Hæreticos his *S. Augustini* verbis Catholicus quisque merito compellabit : *Fratres sumus , quare litigamus ? Non intestatus mortuus est Pater . Fecit testamentum , & sic mortuus est : mortuus est , & resurrexit . Tamdiu contenditur de hereditate mortuorum , quamdiu testamentum proferatur in publicum ; & cum testamentum prolatum fuerit in publicum , tacent omnes , ut tabule aperiuntur , & recitentur . Iudex intentus audit , Advocati silent , Præcones silentium faciunt , universus populus suspensus est , ut legantur verba mortui non sentientis in monumento . Ille sine sensu jacet in monumento , & valent verba ipsius : sedet Christus in Cælo , & contradicitur testamento ejus ? Aperi , legamus . Fratres sumus , quare contendimus ? Placetur animus noster , non sine testamento nos dimisit Pater . Qui fecit testamentum , vivit in æternum , audit voces nostras , agnoscit suam . Legamus , quid litigamus ? Ubi inventa fuerit hereditas , ipsam teneamus .* Christus Jesus Dominus noster testamentum condidit , nobis Corpus , & Sanguinem suum legavit , dicens : *Hoc est Corpus meum . Hic est Sanguis meus* : quid pro Corpore , & Sanguine Christi figuras Corporis , & Sanguinis ipsius nobis supponere conaris ?

III Tertia Catholicæ Propositionis probatio sumitur ex verbis Apostoli usum Eucharistiæ spectantibus Epist. 1. ad Corinthios cap. x. ubi per interrogationem quasi de re confessa , & certissima loquens , ait : *Calix benedictionis , cui benedicimus , nonne communicatio Sanguinis Christi est ? Et panis , quem frangimus , nonne participatio Corporis Domini est ?* Quasi diceret , ita in Ecclesia instituti estis , ut nemo vestrum hoc ignoret . Vere ergo , & realiter in hoc Sacramento participant Fideles Corpus , & Sanguinem Domini .

Realis præsentia Corporis , & Sanguinis Christi in Eucharistia confirmatur ex verbis hujus Sacramenti usum spectantibus .

Non

Non enim figuræ, non virtutis, & efficacix Corporis, & Sanguinis Domini, non Spiritus Domini, sed Corporis ipsius, & Sanguinis communicationem & participationem Apostolus appellat. Subdit illius communicationis admirabilem effectum: *Quoniam (inquit) unus panis , unum corpus multi sumus , omnes , qui de uno pane participamus .* Si autem non vere in Eucharistia fumitur Corpus Christi, sed panis communis, falsum erit, omnes Christianos de uno pane participare: quin potius fatendum erit a diversis hominibus diversos panes manducari, & tot panes sumi, quot sunt manducantes: sicut in Veteri Lege non unum Agnum Paschalem omnes manducabant, quamvis Agnus ille unum Christum significaret, sed tot comedebantur Agni, quot erant familiæ. At vero si Christi Corpus reipsa, & secundum substantiam in Eucharistia præsens esse credamus, manifestum est, omnes Fideles ubique terrarum de uno pane, qui Corpus est Christi participare, sive unum eundemque illum panem comedere. Et c. xi. de præparatione adsumptionem Eucharistix adhibenda sic loquitur: *Quicumque manducaverit Panem hunc , vel biberit Calicem Domini indigne , reus erit Corporis , & Sanguinis Domini . Probet autem seipsum homo , & sic de Pane illo edat , & de Calice bibat . Qui enim manducat , & bibit indigne , iudicium sibi manducat & bibit , non dijudicans Corpus Domini .*, Quod, si ut Hæretici dicunt, nihil aliud in Sacramento venerandum esset præter memoriam, & signum Passionis Christi; quid opus erat, tam gravibus verbis Fideles hortari, ut se ipsos probarent? Gravi enim illa, *iudicii* voce declaravit Apostolus nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impure sumens Corpus Domini, quod in Eucharistia latet, ab alio ciborum genere non distinguit (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

Realis Corporis, & Sanguinis Christi præsentia in Eucharistia probatur ex summo Patrum consensu.

IV. Quarta Catholici Dogmatis probatio petitur ex Ecclesiæ sententia de sensu Scripturarum jam allatarum, & veritate Corporis Domini in Eucharistia. Ad cuius sententiæ cognitionem duplici via pervenire possumus. Prima est summus Patrum, & Doctorum Ecclesiæ consensus: altera contrariæ doctrinæ, & opinionis in Conciliis damnatio.

S. Ignat. Ep. ad Smyr.

S. Just. Ap. 2.

S. Iren. l. 4 c. 54 & l. 5. c. 2

S. Cypr. Ep. 54 & 63. lib. de Lapsis, & De Or. Dom. S. Hilar. l. 8. De Trin. S. Chryf. Hom. 83. in Matth. & Hom. 24. in Epist. ad Coriath.

Patres omnes, qui diversis temporibus, & locis floruerunt, Eucharistiam esse Christi Corpus, & Sanguinem docuerunt, & scripserunt *aperte, frequenter, perseveranter*. S. Ignatius Martyr *Eucharistiam carnem esse asserit Salvatoris nostri Jesu Christi, que pro peccatis nostris passa est, quamque Pater sua benignitate excitavit*. S. Justinus Martyr *Eucharistiam Incarnati Jesu Carnem, & Sanguinem esse scribit, ad eundem modum, quo Verbum Dei Caro factum est, & Carnem, & Sanguinem salutis nostræ causa habuit*. S. Irenæus Lugdunensis Episcopus, & Martyr, *Panem in quo gratiæ actæ sunt, Corpus esse Domini, & Calicem Sanguinis ejus*, affirmat; ex eoque probat, Christum Dei Creatoris Mundi esse Filium, & corpora nostra aliquando resurrectione Panem verbo Dei consecratum, non esse communem panem, sed *Eucharistiam ex duabus rebus constantem, terrena, & cælesti*; id est, speciebus panis, & vini, & Corpore, ac Sanguine Christi. S. Cyprianus *Eucharistiam Corpus, & Sanguinem Domini non semel vocat*. S. Hilarius asserit *Nos vere Verbum Carnem Cibo Dominico sumere*; ideoque Christum *naturaliter manere in nobis*: indeque probat, Dei Filium esse unum cum Patre, non sola concordix unitate, sed naturæ. S. Jo: Chrysostomus ait, nos in S. Communione Eucharistix idem Christi Corpus recipere, quod Judæi trucidarunt. *Neque fide solum, sed re ipsa Christum nos suum efficere Corpus*; linguam nostram illius sanguine cruentari: ea re nos ali, quam Angeli trementes vident: nos cum illo in unam massam reduci, fierique corpus unum, & unam carnem: Christum Pastorem optimum membris suis oves suas nutrire, *Proprio corpore nos, alere, sibi que conjungere, & conglutinare. Id quod est in Calice, esse id quod*

quod fluxit ex latere, & illius nos esse participes. Nos recipere Corpus Christi, quod clavis confixum, quod lancea percussum est. Idem Corpus esse in Eucharistia, Quod jacens in præsepiti reveriti sunt Magi. Non Angelos, sed Ipsum eorum Dominum tangi, & comedi. S. Ambrosius Eucharistiam non solum vocat Christi Carnem, & Sanguinem, sed ei postponit Manna, ut umbram luci, ut figuram veritati, ut Panem Angelorum corpori Auctoris, corpori Vitæ. Potior est enim (inquit) lux quam umbra, veritas quam figura, Corpus Auctoris, quam Manna de Cælo. Tum dubium, quod suboriri posset, expugnat: Forte dicas, Aliud video: quomodo tu mihi assevis quod Christi Corpus accipiam? Et hoc (inquit) nobis adhuc superest, ut probemus, &c. Asserit, Hoc, quod conficimus, Corpus ex Virgine esse. Ante consecrationem verborum celestium panem esse; ubi verba consecrationis accesserint, esse Corpus Christi. Ante verba Christi, Calicem esse vini & aquæ plenum; Ubi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguinem effici, qui plebem redemit. Dominum Jesum testificari, quod Corpus ejus accipiamus, & Sanguinem, proindeque nefas esse ea de re dubitare: ideo post verba consecrationis Fideles, qui Sacrificio adsunt respondere, Amen, hoc est, Verum est. S. Hieronymus Eucharistiam Christi Corpus non semel appellat, eamque oblationi Melchisedech, & panibus propositionis opponit, ut veritatem figuris. S. Augustinus Christum Corpus suum in manibus suis portasse asserit, quando ipsum Corpus suum commendans, ait, Hoc est corpus meum: cum tamen manibus suis portari nemo possit. In Eucharistia participes nos esse docet Corporis Christi, quod est Veritas promissa per Sacrificia Veteris Testamenti, & in Novo exhibita; quod Filio suo Deus aptavit, de quo per Prophetam ait Christus, Sacrificium, & oblationem noluiti, Corpus autem perfecisti mihi. Ait, in Altari dispensari Victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra. S. Cyrillus Alexandrinus docet, per Mysticam Eulogiam, seu Eucharistiam nos Ipsum in nobis suscipere Filium; & cum ejus carnem degustamus, tunc vitam habere in nobis, eique uniri, Quemadmodum ipsa Verbo inhabitanti. Hanc ob causam etiam in suscitandis mortuis, non verbis tantum, & nutu Deo convenienti Salvatorem operatum esse, sed Carnem suam, quasi cooperatricem ad hoc adhibuisse, Ut ostenderet illam vivificare posse, ac velut unum quid cum ipso jam factam esse Quod si solo tactu Sanctæ Carnis id quod corruptum est vivificatur, quomodo vivificam illam Eulogiam non uberiolem consequemur, cum eam degustabimus? In suum enim ipsius bonum, hoc est immortalitatem, nos qui participes fuerimus, omnino transformabit. Pluribus Patrum testimoniis referendis, vel indicandis superledeo, ut consulam brevitati.

V. Altera via, qua Ecclesiæ sententiam de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento exploratam habemus, est contrariæ doctrinæ damnatio in Conciliis. Cum enim ante sexcentos annos Berengarius Andegavensis Archidiaconus id negare ausus esset, signumque tantummodo Corporis Christi in Eucharistia esse assereret, in Romano primum Concilio sub Leone IX. hæc hæresis damnata est, ipseque Communionem privatus anno quinquagesimo supra millesimum. Secundo in Concilio Vercellensi eodem anno, in quo & Joannis Scoti Erigenæ Liber, quo patrono Berengarius gloriabatur, lectus, & proscribitus est. Tertio, in Conc. Parisiensi ab Henrico I. Rege Christianissimo congregato, eodem anno. Quarto, in Conc. Florentino sub Victore II. Pontifice Maximo, anno millesimo quinquagesimo quinto. Quinto, in Conc. Turonensi, præsentibus ejusdem Pontificis Legatis celebrato eodem anno: qua in Synodo Berengarius errorem suum ejuravit subscri-

S. Ambr. lib.
De his, qui
Myst. in. c. 9.

S. Hieron. in
Ep. ad Mar-
cellam, ad
Heliodorum
ad Rusticum,
ad Eusto-
chium, Epist
62. ad Theo-
philum in
c. 1. Epist.
ad Titum.

S. August. in
Ps. 33. & 39.
& l. 9. Con-
fess. cap. 13.

S. Cyrillus
Alex. lib. 4.
in Joann.

Contrariæ
doctrinæ
damnatio in
Conciliis.

scriptione data, & juramento firmata . Sexto, a Synodo Romana sub *Nicolao II.* anno millesimo quinquagesimo nono, in qua hæresim ejuravit, Fidemque Catholicam de Eucharistiæ veritate professus est ea forma, quæ habetur cap. *Ego Berengarius*, dist. 11. *De Consecratione*. Septimo, in Conc. Rothomagensi, sub *Maurilio* Archiepiscopo, anno millesimo sexagesimo tertio, cum *Berengarius* ad errorem redisset. Octavo, in Conc. Pictaviensi, præside *Giraudo* Episcopo Engolismensi, Sedis Apostolicæ Legato, anno millesimo septuagesimo quinto. Nono, a duabus Romanis Synodis sub *Gregorio VII.* Pontifice Maximo, annis millesimo septuagesimo octavo, & millesimo septuagesimo nono. Decimo, a Conc. Burdigalensi anno millesimo octogesimo, præside *Hugone* Diensi primum Episcopo, deinde Archiepiscopo Lugdunensi, Sedis Apostolicæ Legato. Eundem errorem a Vvaldensibus, & Albigenibus renovatum damnavit *Innoc. III.* in Conc. Oecumenica Lateranensi can. 1. Ejusdemque veritatis fidem Tridentina Synodus contra Zuinglianos, & Calvinianos confirmavit, sess. XIIII. cap. 1. & can. 1. cujus hæc sunt verba: *Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; Anathema sit.*

Conc. Trid. „ VI. Fidelibus itaque dubitare non licet, quin inter ceteros fidei Arti-
 Catechif- „ culos, hujus etiam dogmatis fides comprehendatur. Nam cum *Deum om-*
 mus ipsum- „ nipotentem credunt, & confitentur, credant etiam necesse est, potestatem
 que Conci- „ ei non defuisse maximi hujus operis efficiendi, quod in Eucharistiæ Sacra-
 lium sess. „ mento admiramur, & colimus. Deinde cum credunt *Sanc̄tam Ecclesiam*
 XIII. c. 1. „ *Catholicam*, necessario sequitur, ut simul credant eam esse, quam expli-
 „ cuimus hujus Sacramenti veritatem. Indignissimum namque flagitium est,
 „ Christi hoc Sacramentum instituentis verba a sanctis Evangelistis comme-
 „ morata, & a S. Paulo postea repetita, cum propriam illam, & apertis-
 „ simam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intelle-
 „ cta sunt, ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis, &
 1. Tim. 3. „ Sanguinis Christi negatur, contra universæ Ecclesiæ sensum detorqueri:
 „ quæ tamquam *Columna, & firmamentum veritatis*, hæc ab impiis homi-
 „ nibus excogitata commenta, velut Satanica detestata est.

Dogma Ca- „ VII. Rationes Catholicæ istius Veritatis convenientissimas affert *S. Tho-*
 tholicum „ *mas* III. p. q. LXXV. art. 1. Prima petitur ex perfectione Novæ Legis.
 de præsen- „ Sacrificia enim Veteris Legis illud verum Sacrificium Passionis Christi
 tia reali „ continebant solum in figura, secundum illud Hebr. x. *Umbram habens*
 Corporis, „ *Lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem*. Et ideo oportuit,
 & Sangui- „ ut aliquid plus haberet Sacrificium Novæ Legis a Christo institutum, ut
 nis Christi „ scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione,
 in Euchari- „ vel figura, sed etiam in rei veritate. Quare apposite dictum est a *S. Dio-*
 stia con- „ *nyso*, Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. v. Ecclesiam nostram mediam
 gruis ratio- „ esse inter Synagogam, ac supernam Jerusalem, ac propterea utriusque
 nibus expli- „ participem. Ac profecto (inquit Conc. Tridentini Catechismus) satis mi-
 catur. „ rari Fideles nunquam poterunt Sanctæ Ecclesiæ perfectionem, ejusque
 „ gloriæ altitudinem, cum inter eam, & celestem Beatitudinem unus tan-
 „ tum gradus interesse videatur. Hoc enim nobis cum Cœlitibus commune
 „ est, ut utrique Christum Deum, & hominem præsentem habeamus; sed,
 „ quo uno gradu ab illis distamus, illi præsentis beata visione perfruun-
 „ tur, nos præsentem, & tamen ab oculorum sensu remotum, & sacrorum
 „ Mysteriorum admirabili integumento se occultantem firma, & constanti
 „ fide veneramus. Quamobrem.

Rationem alteram hujus veritatis petit S. Thomas ex perfectione Fidei; quæ sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illa Salvatoris verba Joan. xiv. *Creditis in Deum: & in me credite*. Et quia Fides est invisibile, sicut Divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita & in hoc Sacramento Carnem suam nobis exhibet in visibili modo.

„ Tertia ratio petitur a charitate Christi, ex qua pro salute nostra Corpus verum nostræ naturæ assumpsit. Cum enim maxime proprium sit amicitie convivere amicis, amantissimus Salvator præsentiam suam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens (Matt. xxiv.) *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Interim tamen, nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem Corporis, & Sanguinis sui nos conjungit in hoc Sacramento. Unde ipse dicit Joan. vi. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Unde hoc Sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei sublevamentum ex tam familiari conjunctione Christi ad nos, qua fit, ut illud omni tempore vere, & proprie dictum ab Æterna Sapientia videatur: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*,

VIII. Objiciunt Hæretici hæc Christi verba, Joan. vi. 63. *Spiritus est, qui vivificat; Caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt*. Quæ verba S. Augustinus ita commentatur Enarratione in Ps. xcviij. *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem futuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum, quod vobis commendavi spiritualiter intellectum vivificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi*. Ex quibus colligunt, Christi Corpus ore corporis non manducari in Eucharistia, sed ore dumtaxat cordis, sive Fidei, nec ibi realiter præsens esse, sed spiritualiter tantum; denique non esse idem Corpus, quod natum est de Virgine, & quod Apostoli videbant, quando cum illis versabatur; nec eundem Sanguinem, qui pro nobis fusus est in cruce; sed ejus signum cælesti virtute, & efficacia repletum.

Resp. illam Christi sententiam sic esse intelligendam: caro secundum se, & absque spiritu spectata non prodest quidquam; sed tamen caro spiritu vivificata multum prodest. Esto igitur, ipsa Christi Caro absque Verbo nihil profit, quatenus tamen personæ Verbi divini est conjuncta, plurimum prodest, & vivificandi vim habet. Significat etiam Christus verba illa sua, *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, non esse intelligenda carnali sensu, ut intellexerunt Capharnaitæ, & rudiores quidam Discipuli, quasi particulas quasdam de corpore suo præcisurus esset Dominus, illisque daturus, ut S. Aug. explicat loco mox laudato. Spiritualiter autem intelligi jubet, quod locutus est, idest, quod supernaturali modo, & invisibili, & per virtutem Sp. Sancti, Carnem suam daturus esset, non quidem passibilem, & sub visibili specie, sed immortalem, impassibilem, gloriosam. Unde Corpus idem secundum substantiam erant manducaturi, quod videbant, & Sanguinem eundem secundum substantiam bibituri, quem futuri erant carnifices, sed non eundem secundum statum, & qualitatem. Non significat denique Christus Corpus, & sanguinem suum eo sensu cibum, & potum spiritalem esse, quod sola fidei apprehensione manducetur; sed quod a vulgari, & naturali cibo longe differat, quo corpora nostra aluntur ad hanc vitam mortalem sustentandam: quod carnale non sit, & corruptibile alimentum, sed spirituale, & incorruptibile: quod ad vitam spiritualem, & immortalem alat: quod

Prov. 8.
Hæreticorū
objectioni-
bus respon-
detur.

Realis Cor-
poris Chri-
sti præsentia
in Eucharis-
tia.

tandem non terreno, & naturali, vulgarique modo percipiatur, & vulgarium instar ciborum dentibus prematur, dividatur, concoquatur, in fecessum emittatur: sed modo Sacramentali, miraculoso, ineffabili manducetur. Ita hunc locum explicat S. Augustinus Tract. xxvii. in Joannem. *O Domine, inquit, Magister bone, quomodo Caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, Nisi quis manducaverit Carnem meam, & biberit Sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus, quod sumus, nisi, ut habeamus vitam æternam quam tua carne promittis? Quid est ergo, Non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.*

1. Cor. 8. Proinde sic dictum est, Caro non prodest quidquam, quomodo dictum est, Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, Scientia inflat? Sola sine charitate. Ideo adjunxit, Charitas vero ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc Caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per Carnem Spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit: quod habebat, attende, non quod erat. Apostoli missi sunt, numquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit, Caro Domini potuit nihil prodesse? Unde enim ad nos sonus verbi, nisi per vocem carnis? Unde stilus, unde conscriptio? Ista omnia opera carnis sunt, sed agitante Spiritu, tamquam organum suum. Spiritus ergo est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam: sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.

IX. Objiunt S. Augustini sententiam Tract. xxvi. in Joannem, illa Domini verba exponentis: *Hic est panis, qui de cælo descendit, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur.* Sic enim illa interpretatur: *Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non qui manducat foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.* Ex quibus colligunt, Christi Corpus ore Corporis non recipi, ac manducari, adeoque in Eucharistia realiter præsens non esse.

Resp. S. Augustinum non negare, quod Christi Corpus ore corporis manducetur, & sumatur, sed quod æternæ vitæ promissio iis facta sit, quidēte dumtaxat premunt, non vero corde manducant; qui manducant foris, non intus, in Ecclesiæ unitate, & societate membrorum Christi, nec sunt membra ejus per fidem, & charitatem divino Capiti conjuncta, & compaginata. Non excludit (inquam) manducationem Sacramentalem, quæ fit ore corporis; sed, ut ea salutifera sit, necessariam esse docet manducationem spiritualem, & intellectualem. Utrumque illum manducationis modum explicat S. Augustinus Tract. xxvii. in Joannem. *Hoc ergo totum (inquit) ad hoc nobis valeat, ut Carnem Christi, & Sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali; sed usque ad Spiritus participationem manducemus, & bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus Spiritu vegetemur, & non scandalizemur, etiamsi multi modo nobiscum manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.*

Cum porro S. Augustinus Tract. xxvi. in Joannem, ait, *Credere in eum, hoc est manducare panem vivum*; moralem quidem sensum explicat illorum verborum: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; sed sensum litte-

litteralem manducationis sacramentalis Carnis Christi, quæ ore corporis exercetur, non excludit: sicut cum in eodem Tractatu ait de muliere Hemorrhoida, quæ fimbriam vestimenti ejus tetigit: *Quid est tetigit, nisi credidit?* Non excludit, sed supponit realem fimbriæ contactum, de quo Luc. VIII. 44. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Et sicut Christum corporali fame, & siti laborasse non negat, cum ipsius famem, & sitim de Fidei nostræ desiderio exponit Concione II. in Psal. LXXVIII. ita cum ait: *Credere in eum, hoc est manducare panem vivum:* non negat, quin ore corporis Caro Christi manducetur.

X. Objiciunt hæc verba ex Tract. xxv. in Joannem: *Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti.*

Resp. S. Augustinum ibi nullatenus loqui de Eucharistia, sed de Fide in Christum Salvatorem. Versatur enim in istius loci explicatione: *Queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Dixerunt ergo ad eum: Quid facimus, ut operemur opera Dei? Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Hoc est ergo (inquit S. Augustinus) manducare cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede & manducasti.* Quod autem manducationem Corporis, & potationem Sanguinis Christi, non spiritualem tantum, quæ fit ore cordis, & per fidem vivam; sed & corporalem, atque sacramentalem, quæ ore corporis exercetur, in Eucharistiæ usu S. August. agnoverit, atque distinxerit, probat inter aliacelebris ille locus Libri II. *Contra Adversarium Legis, & Prophetarum, cap. IX. Mediatorem (inquit) Dei, & hominum hominem Christum Jesum, Carnem suam nobis manducandam, bibendumque Sanguinem dantem, fidei corde, atque ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere; & humanum sanguinem potare, quam fundere.*

Joan. 6:

Triplex modus Eucharistiæ accipiendi.

Duplex illa manducationis ratio ab aliis etiam Patribus tradita est: immo tres rationes hoc Sanctum Sacramentum accipiendi ipsos recte, & sapienter distinxisse, Tridentina Synodus observat sess. XIII. cap. VIII. *Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem Panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul, & spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc Mensam accedant.*

XI. Objiciunt Hæretici hæc verba Christi Sacramentum instituentis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quibus colligunt, Christum non esse realiter in Eucharistia præsentem. Si quidem memoria rerum tantum absentium, ac præteritarum est, non præsentium.

Luc. 22.

Respondetur, memoriam rerum omnium, quarum memores sumus, absentiam non supponere. Circa res enim omnes versatur, quarum possumus oblivisci. Porro non rerum dumtaxat absentium, sed & præsentium possumus oblivisci, cum sensus nostros non afficiunt. Dei enim obliviscimur, in quo vivimus, movemur, & sumus: animæ nostræ obliviscimur, cujus non miseremur: Angelorum obliviscimur, qui nobis adsunt, ut custodiant nos in omnibus viis nostris: Dæmonum obliviscimur, qui nos circumdant, ac salutem nostram continuo insidiantur. Nonne populus Israeliticus jubetur recordari Domini Dei sui, & reprehenditur hoc nomine quod oblitus sit Dei Creatoris sui? *Deut. VIII. & Jud. VIII.* Nonne Deus *Exodi XX.* ait: *In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam*

Memoria Christi, quam in nobis excitat Eucharistia, non pugnat cum ejus reali presentia in hoc Sacramento

Realis Corporis Christi presentia in Eucharistia.

cam tibi? Nonne Arca fœderis, columna nubis, & ignis in deserto, erant memoriale Dei non absentis, sed vere præsentis? Unde Deut. 4. 7. dicitur: *Nec est alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantés sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Nonne David Rex ait, *Memor fui Dei, & delectatus sum?* Nonne Apostoli ipsi in prima Eucharistiæ sumptione impleverunt, aut certe implere potuerunt, quod Christianis omnibus Apostolus præcipit: *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis?* Qua in recordatione mortis Christi posita est illa commemoratio, quam Salvator ipse præscripsit his verbis, *Hec facite in meam commemorationem.* Christi igitur absentiam ab Eucharistia hæc verba non probant, alioqui & ejus ab ultima Cœna absentiam probarent. Cum itaque Eucharistia secundum externam speciem, quæ oculis obversatur, non sit Corpus, & Sanguis Christi, sed secundum partem internam; quia Corpus, & Sanguis Domini speciebus panis, & vini obvelata sunt: eorum memoriam, etsi reipsa præsentium, latentium tamen, & a sensibus remotorum, solique Fidei perceptorum, sacra illa symbola possunt in nobis excitare: & multo magis Passionis, & mortis Christi memoriam; ut explicat Apostolus. Qua de re *Algerus* Lib. 1. ita scribit: *Non enim frustra dixit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem: Sacramentum exhibens sicut verum fidei, sic vere visibile excitandæ commemorationi: ut quod fidei certum est, mentem pascat; quod visui certum est, devotionem accendat. Quia enim illum secundum carnem celos oportuit penetrare, ut illuc confidentius tenderemus, reliquit nobis carnalibus huius Sacramenti visibilem figuram, & characterem Carnis, & Sanguinis sui, ut suæ Passionis memoria incitati, constantius hoc faceremus.* Hinc etiam canit Ecclesia: *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti.*

Quo sensu Eucharistia ab antiquis Patribus vocetur figura, signum, typus?

XII. Objiciunt Hæretici, Eucharistiam ab antiquis Patribus vocari *Figuram, signum, typum, antitypum, similitudinem, speciem, Mysterium, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi*; scilicet a *Tertulliano* Lib. IV. *Contra Marcionem*, cap. XL. & Lib. I. cap. XIV. *Origene* Tom. II. in *Matthæum*, pag. 253. *Huetianæ* Editionis, *S. Basilio* in *Liturgia: S. Cyrillo Hierosolymitano* in *Catechesibus*, *S. Ambrosio* Lib. IV. *De Sacramentis*, cap. I. *S. Hieronymo* Lib. II. *Adversus Jovinianum*, in cap. XXXI. *Jeremiæ*, & in cap. XLII. *Ezechielis*, *S. Aug.* Lib. contra *Adimantum Manichæum*, cap. XII. *Enarratione* in *Psal. III.* & Lib. III. *De Doctrina Christiana*, cap. XVI. & aliis. Ex quorum testimoniis colligunt, Christi Corpus, & Sanguinem non esse vere, & realiter præsentia in Eucharistia, sed figuram dumtaxat Corporis, & Sanguinis.

Respond. Eucharistiam ab antiquis vocari figuram, signum, typum, &c. quatenus spectatur secundum externam dumtaxat sui partem, quæ sensibus obvia est; non quatenus consideratur secundum id, quod in ea internum est, præcipuum, & invisibile. Itaque secundum externam speciem, quæ corporis oculis obversatur, figura est, signum est, Mysterium, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi: secundum rem in ea latentem, veritas est Corporis, & Sanguinis Christi. Sub hoc duplici respectu semper Eucharistiam spectarunt Orthodoxi, adeoque & figuram, & Corpus, ac Sanguinem Christi recte appellarunt, sicut & modo Sacramentum, ac Mysterium appellamus, licet Christi Corpus vere, ac realiter esse credamus. Unde *Paschasius Ratbertus* Lib. *De Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi*, ait: *Est autem figura vel character hoc, quod exterius sentitur, sed totum veritas; & nulla adumbratio, quod intrinsecus percipitur. Veritas est, dum Corpus Christi, & Sanguis, virtute Spiritus, in verbo ipsius, ex panis, vini-*
que

Realis Corporis Christi presentia in Eucharistia.

que substantia efficitur: figura vero, dum Sacerdos, quasi aliud exterius gerens, ob recordationem sacræ Passionis ad Aram venit, & quod semel gestum est, quotidie immolatur Agnus. Hoc sensu Guitmundus Aversanus Episcopus docet, Eucharistiam & Mysterium esse; quia aliquid mysticum portat; & Sacramentum, quia sacrum aliquid intelligendum intra se occultat: & figuram, quia excepto hoc, quod corporaliter agitur, spirituale aliud valde necessarium figurat. Hoc sensu Algerus Lib. I. cap VIII. ait: „ Cetera Sacramenta Novi Testamenti, & Veteris figuræ tantum fuerunt ::: Solum Sacramentum panis, & vini ita mutatur, ut substantialiter non sit, quod ante fuerat, sed substantia ejus Corpus Christi fiat, forma vero remanens ipsum significet, & contineat. Et infra observat, quod In Veteri Testamento dedit Deus tantum figuræ umbram; in Novo veritatem cum figura; in futuro dabit veritatem non cum figura, sed manifestam: ut tali profectu temporum nos perfectæ veritati viciniore ostenderet, quibus post umbratam veritatem, nihil nisi eandem manifestam dari restaret. Vetus enim Testamentum veritatem promisit, non dedit. Novum dedit, sed non ostendit: quid restat, nisi ut eadem veritas in alia vita manifestetur? “ Ex quibus evidens est, Eucharistiam ab his etiam, qui Berengarium impugnaverunt, & qui realem Christi præsentiam in hoc Sacramento, ut fidei dogma propugnarunt, figuram, Mysterium, Sacramentum fuisse appellatam; huncque esse Ecclesiasticum loquendi modum cum fide præsentia realis Corporis, & Sanguinis Christi optime convenientem.

Veteres itaque Eucharistiam interdum figuram vocarunt, non vacuum, & inanem, sed plenam, non virtutis tantum, & efficaciam, sed ipsius substantiæ Corporis, & Sanguinis Christi: figuram veritati conjunctam, eamque includentem; quemadmodum Arca Ecclesiæ figura includebat Noë, & ejus filios, qui temporis illius Ecclesia erant: & Tempora nostra materialia continent Ecclesiam, cujus figuræ sunt, & cujus appellantur nomine, societatem scilicet Fidelium: & sicut columba, linguæque igneæ, quæ figuræ erant Spiritus Sancti, eidem realiter conjunctæ erant: & ablutio exterior, quæ fit in Baptismo, interiori, quam significat, ablutioni conjuncta est. Eucharistiam figuram, signum, antitypum vocarunt, non rei absentis, sed præsentis: quemadmodum sanguis est signum animæ & anima vocatur in Scriptura, eo solemniori loquendi more, quo rerum significatarum nomina signis tribuuntur: sanguis enim animæ signum est præsentis, non absentis. Atque hoc sensu S. Augustinus Lib. Contra Adimantum Manichæum cap. XII. scripsit: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret Corporis sui.*

Præterea Corpus ipsum & Sanguis Christi Domini, ut speciebus panis, & vini velata, figuræ sunt ejusdem Corporis in cruce immolati, & Sanguinis, ut in Passione effusi. Idem enim sui ipsius, secundum aliam rationem, seu alium statum, figura esse potest. Id egregie explicat Lantfranchus acerri- mus Berengarii Impugnator Lib. De Corpore, & Sanguine Domini, cap. XIV. *Sacramentum (inquit) Corporis Christi, quantum ad id spectat, quod in Cruce immolatus est ipse Dominus Christus, caro ejus est, quam forma panis operam in Sacramento accipimus, & Sanguis ejus, quem sub vini specie, ac sapore potamus. Caro videlicet Carnis, & Sanguis Sacramentum est Sanguinis. Carne, & Sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatur Redemptoris Corpus visibile, palpabile, manifeste plenum gratia omnium virtutum, & divina Majestate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi salutem dividitur; alterum vero effusum de Calice ab ore Fidelium sumitur; mors ejus in Cruce, & Sanguinis ejus de latere emanatio figuratur. Utrumque*

Realis Cor-
poris Chri-
sti præsentia
in Eucharis-
tia.

Rom. 6. 9.

B. Gregorius & solerter attendit, & enucleate in iv. Dialogi Libro exponit, dicens: Ejus quippe Caro ibi sumitur, ejus Sanguis non jam in manus Infidelium, sed in ora Fidelium funditur. Pensandum ergo est, quale sit hoc Sacrificium, quod pro absolutione nostra mortem unigeniti Filii semper imitatur, *Imitatur, dixit, non operatur*. Quia resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Caro ergo, & Sanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis nostris Dei misericordiam, quotidie alimur, Christi Corpus, ac Sanguis vocantur, non solum quia essentialiter idem sunt, qualitatibus plurimum discrepantes, verum etiam eo locutionis modo, quo res significans significatæ rei solet vocabulo nuncupari. Nec juste quisquam movebitur, si eadem Caro, idemque Sanguis sui ipsorum Sacramenta existant secundum aliud, atque aliud accepta: cum ipse Dominus Jesus post Resurrectionem suam sui ipse, diversa temporum ratione, typum gesserit, & figuram. Apparens enim duobus Discipulis, locutusque eis, quantum satis esse judicavit, dum finxit se longius ire, sicut B. Augustinus dicit, significavit se post paucos dies in cælum ascensurum esse. Quod iter longe remotum est a communi hominum vita, quæ ipsis est duobus Discipulis evidentissime figurata. Christus ergo Christi est Sacramentum: longius videlicet ire se fingens, longius suo tempore ascendens in cælum; idem ejusdem, nec tamen usquequaque ejusdem. Verus namque Deus, & verus homo, & fingens, & ascendens. Veruntamen aliud est figmentum terreni itineris, aliud in cælum veritas ascendens. Nec aliquis ita despuerit, ut propterea abnegare præsumat fingentem se longius ire, esse Christum verum, quia ipso figmento longioris itineris significavit verum Christum ascensurum in cælum.

Hoc sensu S. Augustinus Lib. III. De Doctrina Christiana, cap. xvi. ait, hanc sententiam, *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, &c. quæ facinus, vel flagitium videtur jubere*, si secundum ideam Capharnaitarum intelligatur, figuratam esse locutionem. *Figura ergo est [inquit] præcipiens Passionem Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod caro ejus pro nobis crucifixa, & vulnerata sit*. Vera scilicet manducatio Carnis Christi, & vera Sanguinis ejus sumptio incruento, invisibili, & impassibili modo, non cruento illo, & barbaro, quem Capharnaitæ intelligebant, rei alterius figura est, scilicet Passionis Christi, cui manducando communicamus, & mortis ejus, quam recolimus.

Realis Corporis Christi præsentia in Eucharistia.

Cap. 22.

Tertio, Eucharistia figura est Corporis Christi, prout in cælo a Beati post Resurrectionem generalem corporeis oculis manifeste videbitur. Hoc sensu S. Ambrosius Lib. I. De Officiis, cap. XLVIII. ait: *Hic umbra, hi imago, illic (scilicet in cælis) veritas. Umbra in Lege, imago in Evangelio veritas in cælestibus. Ante Agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens Passionem, & offert ipse quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis, quasi Advocatus intervenit*. Eodem sensu Ecclesia in Oratione post Communionem in quadam Missa Deo ita supplicat: *Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua Sacramenta, quod continent, ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus*. Rogat quippe Sacerdos [Lantfranco interprete] *Ut Corpus Christi, quod sub specie panis, xinique geritur, manifesta visione, sicuti revera est, quandoque capiat*. Hoc sensu S. Jo: Damascenus Lib. IV. Fidei Orthodoxæ, cap. XIV. Sacra hæc Mysteria vocat *Figuras rerum futurarum: non quod (inquit) non vere Corpus, ac Sanguis Christi sint, sed quod nunc quidem Divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per solum aspectum*.

Quar-

Quarto, Eucharistia figura est mystica Corporis, & Sanguinis Christi, quæ est confociatio, & colligatio Christianorum ad invicem, velut membrorum sub uno capite. Hoc sensu S. August. Tract. xxvi. in Jonnem: *Norunt (inquit) Fideles Corpus Christi, si Corpus Christi esse non negligant. Fiant Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi Corpus Christi. Inde est, quod exponens nobis Apostolus hunc panem, Unus panis (inquit) unum corpus multi sumus, O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet, ubi vivat, habet, unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum, quod refecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori: vivat Deo de Deo: nunc laboret in terra, ut postea regnet in cælo. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. Hanc ergo non habet, qui istum Panem non manducat, nec istum Sanguinem bibit: nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt, æternam vero omnino non possunt. Hunc itaq; cibum, & potum societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est S. Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & justificatis, & glorificatis Sanctis, & Fidelibus ejus. Hujus rei Sacramentum, idest, unitatis Corporis, & Sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica Mensa preparatur, & de Mensa Dominica sumitur; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res vero ipsa, cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.*

1. Cor. 10. 17.

1. Cor. 10. 17.

Hinc Lantfrancus Lib. De Corpore, & Sanguine Domini, cap. v. ait: *Ecclesia Christi sic panem in Carnem, vinum credit converti in Sanguinem: ut tamen salubriter credat, & veraciter recognoscat Sacramentum esse Dominicæ Passionis, divinæ propitiationis; concordie, & unitatis, postremo assumptæ de Virgine Carnis, & Sanguinis. At Eucharistiam figuram exclusivam Corporis, & Sanguinis Christi nemo Patrum vocavit, ut declarat Synodus Oecumenica Septima, quæ est Nicæna secunda, Actione sexta, ubi Epiphanius Diaconus Pseudo-Synodum Iconomacorum nomine sanctæ Synodi refellens, ait: Nullus aliquando tubarum Spiritus, Sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum Sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem Corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino sic dicere, vel confiteri. Tum prolatis verbis Christi promittentis hoc Sacramentum Joannis vi. illudque instituentis Matth. xxvi. Marc. xiv. & Luc. xxii. & verbis Apostoli referentis, quod a Domino acceperat; 1. ad Cor. xi. colligit, quod Nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres, imaginem dixerint Sacrificium incruentum, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum Corpus: & ipsum Sanguinem. Addit, quosdam Patres panem, & vinum ante Consecrationem Typos nominasse, scilicet S. Eustachium Antiochenum, & S. Basilium: sed Post sanctificationem (inquit) Corpus proprie, ac Sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur. Iconomachi vero volentes venerabilium imaginum demoliri visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed Corpus, & Sanguis. Subdit, illos dimisso mendacio, tangere paululum veritatem, Divinum Corpus dicentes fieri; & si imago Corporis est, non potest esse hoc Divinum Corpus.*

Realis Corporis, Christi presentia in Eucharistia.

Quamvis Christus sit in cælo, re ipsa tamen & substantialiter presentia est in Eucharistiæ Sacramento.

XIII. Objiciunt Hæretici verba Christi Matth. xxvi. *Semper pauperes habetis vobiscum, Me autem non semper habetis. Et Joan. xvi. Relinquo Mundum; & vado ad Patrem. Nec non Articulum Symboli Apostolici, quo Christum Dominum In cælos ascendisse, & ad dexteram Patris sedere,*

profitemur. Ex quibus colligunt, Christi Corpus non esse revera præsens in Eucharistia, cum idem Corpus esse non possit in pluribus locis.

Luc. 23. Resp. Christum quidem reliquisse Mundum, nec semper cum hominibus versari præsentia sensibili, sed realiter esse præsentem in Eucharistia præsentia invisibili: sicut Discipulis post Resurrectionem suam agebat: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, dum adhuc essem vobiscum*. Et tamen cum ipsis erat, dum illos alloquebatur; sed non erat eo modo, quo fuerat antea, more hominum mortalium. Ita cum ait, *Relinquo Mundum*, significat tantum se modo visibili deinceps in Mundo non futurum, nec familiariter ipsis convicturum: at non negat se invisibili, sacramentali, & ineffabili modo semper in mundo mansurum: immo eisdem de suo discessu consolatur verbis illis amantissimis: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Se etiam semper futurum negavit cum hominibus, eo modo, quo pauperes semper apud nos erunt, in eo scilicet statu, quo ipsi visibiliter præsentia pietatis, & charitatis officia exhibere possimus; sed non negat se semper futurum nobiscum præsentia invisibili in Sacramento Eucharistiæ. Atque hunc esse verborum Christi sensum evidentius patet ex S. Marco ita illa exprimente c. xiv. *Semper pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere; me autem non semper habetis*. Quamvis autem idem corpus in pluribus locis esse non possit modo naturali, qui corporum proprius est, spectatis naturæ legibus; non repugnat tamen esse in pluribus locis præter naturæ leges, spectata omnipotentia Creatoris, & modo sacramentali, atque ineffabili. Ut enim ait S. Augustinus Libro *De Cura pro Mortuis agenda*, cap. cix. *Alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum: alia quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt*. Christum sibi apparuisse S. Paulus testatur, idque ex Apostolorum Actis perspicuum est; nec tamen in cælis esse desiit, Patrisque dexteram reliquit, secundum illud Act. iii. *Quem oportet quidem Cælum recipere usque in tempora restitutionis omnium*. Nihil ergo repugnat, ut in Cælo manens, tamquam in loco suæ Majestati, gloriæque debito, per miraculum præsens fiat in terra, pluribus in Altaribus, & sub infinitis prope speciebus præsentia sacramentali, virtute ineffabili omnipotentia Dei multiplicata. Id S. Gregorius Nissenus agnoscit Oratione de Paschate: *Sicut (inquit) Divinitas replet Mundum, & tamen una est: ita innumerabilibus locis consecratur, & tamen unum Corpus est*.

Id agnoscit S. Jo: Chrysostomus Hom. ii. ad Populum Antiochenum: *Helias (inquit) Meloten Discipulo reliquit; Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem reliquit: sed Helias quidem exutus; Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit*. Ne igitur animo concidamus: qui enim Sanguinem suum pro omnibus effundere non recusavit, & carnem suam, & rursus ipsum Sanguinem nobis communicavit, quid pro salute nostra facere recusabit? Et lib. i. de Sacerdotio, Deum (inquit) *conspicis Dominum immolatum, & illic situm Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pretioso illo Sanguine intingi, ac rubefieri, etiam ne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? An non potius & vestigio in cælos transferri? O miraculum! o Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere, ac complecti*.

Id & alii Patres agnoverunt. Unde Tridentina Synodus sess. xiii. cap. i. docet, hæc inter se non pugnare, *Ut Salvator noster semper ad dexteram Patris in Cælis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut mul-*

vis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per Fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus.

A R T I C U L U S II.

Utrum substantia panis, & vini post consecrationem in Eucharistia remaneat?

P R O P O S I T I O C A T H O L I C A .

Panis, & vini substantia in Eucharistiæ Sacramento post consecrationem non remanet; sed tota panis substantia divina virtute in totam Corporis Christi substantiam, totaque vini substantia in totam Sanguinis Christi substantiam convertitur.

I. **C**atholicum istud dogma Scripturæ Sacræ testimoniis contra Lutheranos Transubstantiationem impugnantes in primis statuitur. In hujus namque institutione Sacramenti Christus Dominus dixit, Matth. xxvi. Marci xiv. Luc. xxii. *Hoc est Corpus meum.* Istius vero pronominis, *Hoc* ea vis est, ut omnem rei præsentis substantiam demonstret: quod si panis substantia remaneret, vere non diceretur, *Hoc est Corpus meum*; sed dicendum potius esset, *Hic est Corpus meum.* Quamvis enim pronomen, *Hoc* demonstrare possit, tam rem contentam, quam continentem, si ea sit vel ex natura sua, vel ex usu hominum instituta ad continentum; sicut demonstrato vini dolio vere dicitur, *Hoc est vinum*; & demonstrata crumena auro plena vere dicitur, *Hoc est aurum*: non tamen ea potestas est hujus pronominis, cum res aliqua non est ad alteram continentem constituta; unde si sub pane conderetur aurum, non recte diceretur demonstrato pane, *Hoc est aurum.* Præterea, Christus Dominus Joan. vi. ait: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro Mundi vita*; panem videlicet Carnem suam vocans. Ac paulo post subiecit: *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et rursus: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Cum ergo tam claris, & perspicuis verbis Carnem suam panem, & verum cibum, Sanguinem item verum potum nominaverit; satis videtur declarasse, nullam in Sacramento substantiam panis, & vini remanere.

Transubstantiationis fides ex Scriptura Sacra stabilitur.

Fides Transubstantiationis.

II. Idem probat consentiens SS. Patrum doctrina. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi iv. Mystagogica Transubstantiationis dogma luculenter adstruit, clareque explicat. *Cum igitur (inquit) Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, HOC est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, & dicente, HIC est Sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius Sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est Sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinem suum transmutasset? Si enim ad Nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est, an non multo magis Corpus, & Sanguinem suum filiis Sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus, & Sanguinem Christi sumamus. Nam sub typo (id est specie) panis datur tibi Corpus, & sub typo vini datur Sanguis, ut sumpto Corpore, & Sanguine Christi efficiaris ei comparticeps Corporis, & Sanguinis. Sic Christiferi erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus Corpus, & Sanguinem in membra nostra receperimus, atque*

Patrum consensus in dogmate Transubstantiationis.

ita, ut B. Petrus dicit, *divinæ naturæ consortes efficiemur* :. Ne ergo consideres tamquam panem nudum, & vinum nudum; Corpus enim est, & Sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen Fides te confirmet, ne ex gustu rem judices; quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata Corpus, & Sanguinem.

S. Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica, cap. xxxvii. Panem in Corpus Christi transelementari asserit per verbum Dei, sicut panis, quo Christus in terris degens alebatur, transibat in naturam ipsius Corporis: eamque transmutationem fide credendam docet.

S. Ambrosius Lib. De his, qui Mysteriis initiantur, cap. ix. probat, Eucharistiam esse Christi Corpus, quia panis in illud consecratione transmutatum est: & hanc unius substantiæ in alteram mutationem non esse incredibilem plurimis exemplis persuadet. Quantis (inquit) utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit. Vides ergo prophetica gratia his mutatam esse naturam & serpentis, & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis; rursus ad Prophetæ preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus undiq; erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde Mari clausus. Virgam levavit Moyses, separavit se aqua, & in murorum speciem congelavit, atq; inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus, contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne claret, naturam vel maritimum fluctuum, vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiēbat populus Hebræorum. Tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Numquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fons amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit :. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Elie, ut ignem de Cælo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum. De totius Mundi operibus legisti. „ Quia ipse „ dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, Incarnationisq; exemplo adstruamus Mysterii veritatem. Numquid naturæ usus præcessit, cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta femina generare consuevit. Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem Virgo generavit: & hoc quod conficimus Corpus, ex Virgine est. Aliorum Patrum referendis testimoniis supersedeo.

III. Idem probat omnium Christianarum Societatum in hujus dogmatis professionem, & assertionem conspiratio, ac præsertim Ecclesiæ Græcæ cum Latina consensus certissimis documentis probatus: item Liturgiæ omnes, in quibus orat Sacerdos, ut panis, & vinum fiant Corpus, & sanguis Christi. Missale Gothicum, seu Gallicanum perantiquum * Parisiis nuper editum, in Missa Dominicali, Orationem post Secreta his conceptam verbis habet:

Fides
Transub-
stantiatio-
nis.

Pf alm. 32.
9.

Catholica
veritas ex
antiquis
Liturgiis
confirma-
tur.

* Scriptum
septimo sæ-
culo.

habet: *Expletes sacrosancta cæremoniæ solennia, ritu Melchisedech Summi Sacerdotis oblata, precamur mente devota te, Majestas æterna: ut operante virtute, panem mutatum in Carne, poculum versum in Sanguine, illum sumamus in Calice qui de te fluxit in Cruce ex latere.*

Item Missa in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis: *Descendat, Domine, in his Sacrificiis tuæ Benedictionis coæternus, & cooperator Paraclitus Spiritus: ut Oblationem, quam tibi de tua terra fructificante porrigimus, cælesti permuneratione, * te sanctificante, sumamus: ut translata fruge in Corpore, calice in Cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis.*

* Forte, per mutatione.

Item in Missa Epiphaniæ: *Venerabilem, ac primitivum in mirabilibus Epiphaniæ diem, in quo noster Redemptor, & Dominus virtutis suæ documenta præterdens, ab annis infantie paternam protulit potestatem, veneremur, pia obsecratione poscentes: ut qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in Sanguinem suum oblationum nostrarum vina convertat.*

IV. Confirmatur Catholica Propositio Conc. Oecumenicorum oraculis, scilicet Con. Lateranensis sub Innoc. III. can. 1. qui refertur Extra, Tit. De Summa Trinitate, & Fide Catholica, cap. Firmiter, cujus hæc sunt verba. *Una vero est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur: in qua idem ipse Sacerdos est, & Sacrificium Jesus Christus, cujus Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem potestate divina: ut ad perficiendum Mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.*

Conciliorum oraculis Transubstantiationis confirmatur Fides.

Inter Articulos Joannis Uviclesia Conc. Londinensi Provinciali an. MCCCCLXXXII. Præsidi Guillelmo De Courtenay, & ab altero Conc. Londinensi an. MCCCXCVI. Præsidi Thoma Arundellio, Cantuariensibus Archiepiscopis, ac demum in Conc. Constantiensi damnatos, hic legitur. *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manent in Altari post consecrationem.*

Conc. Tridentinum Catholicam Transubstantiationis Doctrinam confirmat sess. XIII. can. II. *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; Anathema sit.* In qua quidem voce consecranda potissimum eo spectasse Patres videntur, ut hujusmodi voce, sub qua non posset hæresis venenum latere, tamquam symbolo quodam a Sacramentariis Catholici distinguerentur. Nec vero quemquam offendere merito potest hujus vocabuli novitas, cum res per ipsum significata sit antiquissima, utpote in Sacris Litteris, & Traditione fundata. Quid enim aliud significat *Transselementationis* nomen, quo Patres interdum usi sunt, quam transubstantiationem? Quid est *mutari* in Corpus, & Sanguinem Christi; fieri Corpus, & Sanguinem; *transformari*, *transire*, *transferri* in Corpus, & Sanguinem (quibus loquendi modis alii Patres, & Auctores Ecclesiastici usi sunt) nisi *transubstantiari*? Nihil autem prohibet quominus Ecclesia ad profligandas hæreses, & Catholicam doctrinam explicandam novum aliquod vocabulum excogitet, atque usurpet, quando in re ipsa nihil est novum. Ita enim olim fecit in his vocabulis *Consubstantiale*, *Ingenitum*, *Trinitas*, *Persona*, *Deipara*: quibus voluit, & tuam fidem manifestius profiteri, & occultis, atque insidiosis Hæreticorum sensibus, ac subterfugiis viam præcludere. Hinc Auctor Disputationis cum *Ario* sub *S. Athanasii* nomine delitescens, ait: *No-*

minime offenderis novitate, an etiam rei ipsius veritatem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novo nova rei veritas accessit. Hinc Vincentius Lirinensis in Commonitorio, Ecclesia, inquit, plerumque propter intelligentiæ lucem non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate signat. Nec ad profanas vocum novitates hujus, & similibus nominum consecratio pertinere intelligenda est. Profanas enim vocum novitates, quas Apostolus vitare jubet, Vincentius Lirinensis interpretatur Dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt veritati, & antiquitati contrariæ.

V. Dogma denique Catholicum Transubstantiationis consecrarium esse præsentis realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, probat Conc. Tridentini Catechismus hac ratione: „ Si est verum Christi Corpus sub „ panis, & vini specie post consecrationem, omnino necesse est, cum ibi „ antea non esset, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in „ ipsum conversione factum esse. At vero fieri non posse constat, ut Cor- „ pus Christi in Sacramento sit, quod ex uno in alium locum venerit, „ ita enim fieret, ut a cæli sedibus abesset: quoniam nihil movetur, nisi „ locum deserat, a quo movetur. Creari autem Corpus Christi minus cre- „ dibile est, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc potest. Relinquitur „ ergo, ut in Sacramento sit Corpus Domini, quod panis in ipsum conver- „ tatur. Quare nulla panis substantia remaneat necesse est.

Modus
Transub-
stantiatio-
nis non est
curiosius
inquiren-
dus.

VI. Verum modus Transubstantiationis curiosius non est inquirendus: nec enim percipi a nobis potest, nec in naturalibus mutationibus, aut in ipsa rerum creatione ejus rei exemplum aliquod habemus (inquit Catechismus Concilii) ideo Concilium ipsum hanc conversionem *mirabilem, & singularem* appellat. Quid hoc igitur sit, fide cognoscendum est; quomodo fiat, non curiosius inquirendum, Judæorum instar, de quibus *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. iv. in *Joannem* sic loquitur: *Illud, Quomodo? stulte de Deo proferunt, quasi nescirent hoc loquendi genus omni scotere blasphemia. Cuncta enim citra laborem perficiendi potestas in Deo est. Cum animales essent, non percipiebant ea, quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitiam esse putabant sapientissimum illud Mysterium. Hinc igitur utilitatem capientes, in susceptione divinarum Mysteriorum fidem habere quidem nos oportet curiositatis expertem, neque cum aliquid dicitur, subjicere illud, Quomodo? Judaicum est enim illud vocabulum, & extremi proinde causa supplicii. Nam & Princeps ille Synagoga Judæorum Nicodemus, cum auditis sermonibus divinis diceret, Quomodo possunt hæc fieri? jure derisus est his verbis, Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? Aliorum igitur stultitia sapientiores facti, de iis, quæ Deus operatur, illud, Quomodo? usurpare caveamus; sed ei potius operum suorum viam perspectam esse fateri studeamus. Quemadmodum enim nemo novit, quid sit natura Deus, sed justificatur credens eum esse, & quærentes eum mercedem accipere: ita rursus modum, quo ab ipso quæque fiunt, ignorabit quidem, sed utcumq; res cadat, fidei permittendo, & supremum Deum cuncta posse fatendo, tam recti judicii non leve præmium reportabit. Qui inter nos machinalem scientiam exercent, magnum quiddam sepe facturos profitentur, & cujus faciendi ratio mentes nostras fugit, priusquam illam spectaverimus: sed artem ipsam considerantes, etiam ante experimentum ipsum fidem adhibemus, pudetq; iis oblectari. Quomodo igitur non gravissimorum criminum rei jure tenebuntur, qui præstantissimum rerum omnium artificem Deum incredulitate sua elevare audent, qui de iis, quæ operatur, Quomodo? quærere non verentur; quamvis universæ sapientiæ largitorem eum esse noverint, & ex omni Divina Scri-
ptura*

*ptura cunctipotentem esse didicerint? Quod si perstas, o Judæe, usurpare illud, Quomodo? ego vicissim tuam imperitiam imitans, tibi reponam: Quomodo egressus es ex Aegypto? Quomodo in serpentem versa est virga Mosaica? Quomodo in sanguinis naturam versa est aqua? Quomodo per medium Mare sicco pede transisti? Quomodo amara illa aqua de Marba per lignum versa est in dulcem? Quomodo tibi aqua de petrarum uberibus effluxit? Quomodo propter te Manna decedit? Quomodo Jordanis immotus stetit? Quomodo solo clamore Hierichuntis inexpugnabiles muri corruerunt? Ne te loquentem deficiat illud, Quomodo: Multis enim deprehenderis jam antea attonitus esse miraculis, de quibus sit tuum illud, Quomodo? subinde inferas, omni plane Scripturæ Divinæ fidem derogabis, & omnia Sanctorum Prophetarum Scripta, adeoque ipse Mosis ante omnia Sacros Libros evertes. Decebat itaque Christo credentes, ejusque dictis incunctanter assentientes, ad discendum potius Eulogiæ modum eniti, quam temere, & inconsiderate temulentorum more dicere: Quomodo potest? &c. Præsentia igitur realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, panisque & vini in idem Sac. Corpus, & pretiosum Sanguinem Transubstantiatio humili, & simplici fide credenda est, omnis disputatio de hoc Sacramento fugienda, in quo stultam fecit Deus sapientiam hujus Mundi. Nusquam enim Dei major est tentatio, quam in hoc Sacramento, in quo tentat nos Deus, utrum credamus illi. Noluit Adam credere dicenti: *In quocumque die comederis ex ligno scientiæ boni, & mali, morte morieris.* Credidit serpenti decipienti, cum diceret, *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum, & malum.* Credidit quod non videbat: nam in illo fructu ligni virtutem tantæ rei effectivam, quam Serpens promisit, oculis non cernebat. Credidit serpenti Diabolo, non credidit Creatori suo Deo; quo illius peccato facti sumus omnes rei mortis æternæ. Sacrilegium illud per Eucharistiæ Sacramentum emendari Deus voluit, ut sine ulla dubitatione crederemus Filio dicenti, *Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum:* non autem crederemus Serpenti dicenti, *Hoc non est Corpus Christi, sed panis, ejusdem corporis figura.* Sicut cibum a Deo vetitum Adam gustando e vita beata excidit: sic nos quem Christus præcepit cibum manducantes, & verbo ejus credentes, ad vitam per illum amissam redire oportet. Quamobrem non quærat homo Christianus cum Capharnaitis: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Sed captivet intellectum suum in obsequium Christi. Dicat quicquid velit omnis homo mendax: nos credamus ei, qui solus est verax, Deo. *Ipse dixit, & facta sunt.* Ipse dixit, *Hoc est Corpus meum.* Ipse dixit, *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Credamus Veritati de veritate sui Corporis nos admonenti, nec deinceps quæramus, Quomodo? Non est impossibile apud Deum omne verbum. Etiam si Angelus de Cælo nobis aliud annuntiaret, quam quod Christum Dei Filium dicentem audimus, Anathema sit. Non ei credamus. Non potest mentiri Veritas. *Verbum Domini manet in æternum.* Sensus nostri falli possunt: Christus, qui est Veritas, neque falli potest, neque fallere. Viderat Petrus Christum in Monte transfiguratum, audiverat vocem de Cælo allatam: *Hic est Filius meus dilectus, in quem mihi complacui, ipsum audite:* & tamen *Habemus,* inquit *firmiorem propheticum sermonem.* Certius illi visum est, & firmiter, quod a Propheta scriptum legerat, quam vox de Cælo allata, quam auribus audiverat. Si propheticus sermo tam certus illi visus est, quanto nobis certior videri debet sermo Christi, qui Prophetas inspiravit:*

Hinc S. Joannes Damascenus Lib. III. Fidei Orthodoxæ cap. XIV. *Quod si (inquit) quo pacto id fiat, requiris, sat tibi sit audire, quod per Sp. Sanctum id fiat, quemadmodum & ex Sancta Dei Matre per Sp. Sanctum Dominus si-*

bi ipsi, & in se ipso carnem condidit. Nec quicquam amplius nobis perspectum, & exploratum est, quam quod verbum Dei verum est, & efficax, atque omnipotens. Nam modus ejusmodi est, ut nulla ratione indagari queat.

Fides Tran-
substantia-
tionis.

Joan. 6.
I. Cor. 10.
Act. 2.

Heretico-
rum obje-
ctionibus re-
spondetur.

Objiciunt Hæretici, Eucharistiam a Scripturis, & a SS. Patribus, etiam post consecrationem, interdum panem vocari; indeque colligunt substantiam panis, & vini in hoc Sacramento manere.

Resp. Eucharistiam post consecrationem panem, & vinum appellari, non quod substantia panis in hoc Sacramento permaneat, sed alia ratione, ea-que multiplici: tum quia ex pane facta, seu consecrata est Eucharistia: tum quia panis speciem habet, tum quia naturalem alendi, & nutriendi corporis vim, quæ panis propria est, adhuc retinet. Ea autem est Sacramentorum Litterarum consuetudo, ut res ex aliis factas earum rerum nominibus appellent, ex quibus factæ sunt. Sic Exodi vii. Virga Aaron in serpentem versa virgæ nomen post substantialem mutationem retinet: *Devoravit virga Aaron virgas eorum*. Sic Eva ex costa Adami formata dicitur os, & caro de carne, & ossibus ejus, Gen. 11. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Sic homo ex terra compactus dicitur pulvis terræ, Gen. 111. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Et superbo homini dicitur Eccl. x. *Quid superbis terra, & cinis?* Sic aquam in vinum mutatam S. Joannes aquam appellat: *Ut (inquit) gustavit Architrictlinus aquam vinum factam*. Scriptura etiam res ita appellare consuevit, cujusmodi esse videntur. Sic Angeli viri, & juvenes vocantur Gen. viii. *Judicum xiii. Tobie ix. Act. 1. Tertio, Eucharistia vocatur panis propter analogiam: sicut enim panis nutrit corpus, ita Christi Caro animam vegetat; & sicut vinum exhilarat, & inebriat hominem, ita Christi Sanguis spirituales parit lætitiæ, ac ebrietatem. Hac ratione Christus Joannis vi. se panem vivum prædicat, qui de cælo descendit, ex quo si quis manducaverit, vivet in æternum. Quarto, Scriptura, & Patres Corpus Christi panem vocant, adjecto plerumque pronomine, aut nomine, vel locutione determinante, quibus significetur, non vulgarem, ac proprie dictum, sed eximium quemdam panem intelligi, cui nomen illud ob rationes mox allatas tribuatur. Panem vocant, sed qui factus sit Corpus Christi. Sic Tertullianus, Lib. *Adversus Judæos*, cap. 11. *Panem (inquit) Corpus suum appellans*. Sic Origenes, Homil. xxxv. in Matthæum: *Panis iste, quem Deus Corpus suum esse fateatur*. Sic S. Cyprianus, Epist. lvi. *Dominus Corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum*. Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi iv. *Mystagogica: Dominus pronunciat, & dicit de pane: Hoc est Corpus meum*. Ita S. Jo: Chrysostomus Hom. xxiv. in 1. ad Corinthios: *Quid est panis? Corpus Christi*. Ita S. Hieronymus in Epistola ad Hebræos: *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque Discipulis, esse Corpus Salvatoris*. Ita S. August. in Sermone ad Infantes: *Panis est Corpus, Calix Sanguis Christi*. Ita Theodoretus Dialogo 1. *In Mysteriorum Traditione Dominus panem Corpus suum appellavit, & vinum Sanguinem*. Quibus Patrum locutionibus significatur Christi Corpus ex pane confectum esse, & sub panis speciebus dari, non autem panis substantiam in Sacramento post consecrationem remanere. Sicut igitur nemo dixerit, *Paschasium credidisse, quod panis, & vini substantia post consecrationem permaneat, quamvis de Eucharistia scripserit: Mysterium hoc in pane celebratur*: In eadem substantia jure celebratur: Caro, vel Corpus in pane: ita nec antiqui Patres id crediderunt, quamvis Eucharistiam panem appellaverint: sed cum Christi Corpus, & Sanguis substantiæ panis, & vini sub iisdem accidentibus succedant, de pane, & Corpore Christi*

Fides Tran-
substantia-
tionis.

De Sacramento Eucharistiæ. Cap. II. Art. II. 683

si eo modo locuti sunt, ac si idem subjectum esset, quod panis sit, & Christi Corpus simul appelletur. Qui loquendi modus cum fide Transubstantiationis adeo conciliatur, ut Scriptores Ecclesiastici, quos Transubstantiationis assertores fuisse constat, illum usurpaverint.

Confirmatur nostra Responsio ex Lanfranco Lib. De Corpore, & Sanguine Domini: *Solemus (inquit) aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur, nominibus appellare, quamvis in aliam naturam translatae, jam non possint esse illud, quod sunt res illæ, ex quibus probantur effectæ. Sicut B. Augustinus in extremo Psalmerum explanationis Opere crystallum vocat nivem multorum annorum duratam tempore, & serie sæculorum, cum nix sit liquida, & humida, crystalli vero natura existat dura, & sicca. Ac per hoc cum tam diverse nature sint in utrisque, non recte quis crystallum nivem vocaverit, nisi eo locutionis modo, quo res effecta materiali solet nomine appellari. Et Creator ex terra creato primo homini in Genesi dicit, Terra es, & in terram ibis: quasi diceret, Quia factus es ex terra, quandoque sis terra, & reverteris in terram. Et inf. Sicut qui dicit, Christus est lapis angularis, non revera Christum lapidem esse constituit, sed propter aliquam similitudinem, quam ad se invicem gerunt, ei nomen imponit; eodem modo cum Divina Pagina Corpus Domini panem vocat, sacrata, ac mystica locutione id agit: seu quoniam ex pane conficitur, ejusque nonnullas retinet qualitates: seu quia animam incomprehensibiliter pascendo satiat, eique eterne vite substantiam subministrat: vel quod Corpus est Filii Dei, qui est Panis Angelorum.*

In Ps. 147

Objiciunt locum Theodoretii Dialogo 1. ubi de Christo Domino ait: *Qui Corpus naturale frumentum, & panem appellavit, & vitæ rursus se ipsum nominavit, is visibili symbola Corporis, & Sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed nature gratiam addens. Et Dialogo 11. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri, tangique possunt, sicut & prius. Ex quibus colligunt, panis, & vini substantiam in Eucharistia post Consecrationem remanere.*

Resp. naturæ, formæque nomina substantiam semper non significare, sed communia esse substantiis, & accidentibus, & ad rei cujuslibet essentiam significandam usurpari, sive illa proprie substantia sit, sive accidens. Proprietates, & facultates naturales rei plerumque substantiæ nomine significari compertum est. Hoc sensu Sapiens ait, *Sapientiam sibi aedisse, ut sciret naturas animalium, & iras bestiarum.* Hoc sensu Scriptura alibi de aqua dixit: *Extinguentis nature suæ obliviscetur.* Hoc sensu de malis dicitur in Lib. Esther: *Ex sua natura alias æstimantes.* Hoc sensu Tertullianus Lib. De Anima, cap. xxxii. *Aliud est (inquit) substantia, aliud natura substantiæ: substantia est lapis, & ferrum: duritia lapidis, & ferri natura substantiæ.* Hoc sensu S. Hilarius Lib. x. De Trinitate, ait de igne, & corporibus trium puerorum in fornacem Babylonicam conjectorum, *Naturam suam amiserunt.* Et capite x. in Matthæum, ait: *In Resurrectione futurum ut caro nostra refundatur in substantiam spiritualis animæ: quia virtus animæ, ejusque doctes, subtilitas, agilitas, impassibilitas cum corpore glorioso communicabuntur.* Sic profanos etiam Scriptores substantiæ nomen usurpasse, facile probari potest. Sic Medici ajunt, herbarum substantiam in pharmaco manere. Sic Theodoretus naturæ, substantiæ, & formæ nomen usurpavit, cum dixit, *Mysticorum symbolorum naturam non mutari, neque post sanctificationem illa recedere a sua natura: & manere in priori substantia, & forma, & figura.* Id verba immediate sequentia demonstrant: *Et videri, & tangi possunt, sicut prius.* Hæc enim ad qualitates relativa sunt, non ad substantiam, que

Theodoretus
celeber lo-
cus expli-
catur.

Sap. 7. 20.

Sap 19. 19.

Esther 16.
6.

Fides
Transub-
stantiatio-
nis.

per se, & immediate nec videri, nec tangi potest. Significat itaque *Theodoretus*, manere post consecrationem naturam accidentium panis, magnitudinem, figuram, colorem, saporem: eorumque naturæ *Gratiam addi*, subsistentem utique, id est, Christum ipsum, ejusque Corpus, & Sanguinem, quæ res est Sacramenti. Id confirmatur ex Dialogo 11. ubi *Eranistes*, Hæreticus scilicet Eutychianus, eo nomine, quod *Menaicum* significat, appellatus quærit: *Post sanctificationem quomodo hæc appellas?* Orthodoxus vero respondet: *Corpus, & Sanguinem Christi*. Tum *Eranistes*: *Et credis te Corpus Christi, & Sanguinem percipere?* Orthodoxus: *Ita credo*. *Eranistes* hæresim suam hoc principio apud Catholicos, & Eutychianos recepto stabilire conatur, colligitque Corpus Christi post Ascensionem in divinam substantiam mutatum esse, sicut symbola Dominici Corporis, & Sanguinis, panis scilicet, & vinum, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia fiunt. Huic respondet *Theodoretus* Orthodoxi nomine, suis ipsum rebus implicari, & institutam ab eo comparisonem contrarium ejus probare, quod prætendebat: quia sicut symbola panis, & vini figuram servant, omnesque panis, & vini proprietates retinent: ita Corpus Christi formam, figuram, proprietatesque corporis servare colligendum est. Ceterum sicut symbola *Intelliguntur ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur*, id est, intelliguntur, & creduntur facta Corpus Christi, & ut talia adorantur: ita (inquit) Christi Corpus *immortale post Resurrectionem, & immune a corruptione factum est, sedemque a dextris adeptum, & ab omni creatura adoratur, quia Domini naturæ Corpus appellatur*. Eo autem minus mirandum est, *Theodoretum* dixisse, manere symbolorum naturam, & essentiam, licet Transubstantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi cum tota Ecclesia crederet, quod Ecclesiastici Scriptores longe recentiores, quos istius propugnatores dogmatis Calviniani, & Lutherani agnoscunt, iisdem pene loquendi modis innoxie uti sint. Nam Cardinalis *Pullus* P. VIII. Cap. III. *De Eucharistia* sic loquitur: *Transit itaque substantia, sed remanet forma. Quamobrem non est sensuum delusio, sed vera Dei comprehensio, quod cum in Dominica Mensa sit solum Caro, & Sanguis, nihilominus vini natura percipiatur*. Et *Innocentius III.* Lib. III. *De Mysteriis Missæ*, Cap. IX. ait: *Naturales proprietates manent, ut panetas*. Ex his facile diluetur Objectio ex *Gelasio* petita, qui similem pene loquendi modum hac in materia usurpavit, quem *Theodoretus*.

Objiciunt, sensus bene dispositos, & omnibus ad agendum requisitis instructos, visum scilicet, tactum, gustum, odoratum, uniformiter, & in omnibus, & perpetuo testari, Eucharistiam post Consecrationem esse panem & vinum. Cum igitur circa proprium objectum falli non possint, fatendum est, panem, & vinum in Eucharistia manere.

Objectioni ex sensuum testimonio petita respondetur.

Respondetur, sensuum quidem testimonio esse credendum in judicio de re sensibili, quæ illorum objectum est, sive de qualitatibus sensum efficientibus, non in judicio de natura, & substantia rei, quod proprium est mentis. Quamvis enim sensus non fallantur, cum objectum sensibile percipiunt secundum impressionem ab hujusmodi objecto in illis factam; fallitur tamen intellectus, si recta ratione, vel divina auctoritate repugnante, & prohibente, juxta relationem sensuum de objectis judicium ferat. Hæc Responsio *S. August.* verbis confirmatur Lib. XI. *De Civitate Dei*, Cap. XXVII. dicentis: *Hæc omnia corporalia latentes in natura causas habent, sed formas suas, quibus mundi hujus visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus præbent, ut pro eo, quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nos ea sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis judicemus.*

De Sacramento Eucharistiæ . Cap. II. Art. II. 689

Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe præstantiorem . Quamvis igitur sensus a deceptione sint immunes, cum in Eucharistia speciem panis, ac vini, figuram, ac ceteras qualitates sensibiles percipiunt; falleretur tamen intellectus, & erraret, si ex perceptione qualitatatum panis, & vini a sensibus facta, & ad se relata, panis, ac vini substantiam post Consecrationem superstitem esse judicaret, quia iudicium huiusmodi fides prohibet, Christo dicente, *Hoc est Corpus meum : Hic est Sanguis meus*. Qua de re audiendus est *Guitmundus Averfanus* Episcopus Lib. 1. De Corporis, & Sanguinis Christi veritate in Eucharistia ., Numquid (*inquit*) si hoc capere non potest oculus carnis, extinguendus ideo est oculus mentis? Cum enim Maria Magdalene ad monumentum Domini plorans ipsum Dominum cerneret; numquid non ipse revera Jesus erat, quia illa secundum oculos decepta, hortulanum se videre putabat? Aut cum ipse die Resurrectionis suæ duobus Discipulis ambulans in via Scripturas, tamquam peregrinus, exponeret, numquid aliud, quam ipse erat, quia scriptum est: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent?* Aut cum Discipuli in Mari laborantes eum super undas cernerent ambulantem, quis audeat dicere non ipsum vere fuisse, quia ipsi deceptis oculis phantasma esse putaverunt? Sed & secum in navi jam positum videntes, & miraculum ejus in sedato mari admirantes, sicut ex Evangelio potest conjici, non cognoverunt eum, donec ad terram venirent Quid igitur? Numquid putandus est eos joculariter delusisse? Absit. Ipse enim ubique idem erat, ipse ubique Veritas erat, ipse ubique Sapiencia erat. Sed nobis per hæc oportebat ostendi, quoniam quamdiu cum Maria flente, velut ad monumentum Domini stamus, nosmetipsos mortificando, & mortem Domini, donec veniat, annunciando; quamdiu in via positi peregrinamur a Domino, quamdiu in mari hujus sæculi laboramus, & ventus nobis tentationum contrarius est, quamdiu ambulamus per fidem, & non per speciem: quamvis plorantes ad monumentum suum semper Dominus consoletur; quamvis in via positis semper Scripturas exponat; quamvis turbatos in mari tranquillet; quamvis præsens nobiscum sit semper in navi Sanctæ Ecclesiæ, usque ad consummationem sæculi; non tamen habemus eum cernere, nisi in peregrina specie, maxime oculis carnis, licet non aliud, quam ipsum habeamus in his Sacramentis. Et merito: nam quia fructus mortiferæ arboris antiquis hominibus spirituales, veracesque oculos clauserat, carnales, fallacesque aperuerat; justum est, ut fructus vivificæ crucis novis hominibus ipsos carnis oculos claudat, & veraces mentis oculos, quibus Veritas videtur, aperiat. Quemadmodum igitur ægrotanti palato, amara censenti, quæ sano dulcia sunt, nemo sanus credit: ita infirmis carnalibus oculis contra sanatos mentis oculos de ipsa medicina interioris luminis judicantibus, nemo nisi insanus consentit. Nam & res hæc tanta est, ut infirmo visu non valeat comprehendi; & fidem nostram ita utilius est interim exerceri, ut per hoc videlicet, quod contra visum carnis in hoc tam necessario Sacramento agitur, discamus visibilia transcendere, ad invisibilia festinare; & tenere certius occulta, quæ nunquam mentiens Veritas docuit, quam quæ coram nobis fallax oculus pandit.

De reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, & de Transubstantiatione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, plura volentibus, legenda est Dissertatio nostra XII. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi XI. & XII.

LUC. 24. 15

ARTICULUS III.

Quo Realis Præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia Consecraria explicantur.

CONSECTARIUM I.

Christi Corpus, & Sanguis in Eucharistia sunt extra usum hujus Sacramenti.

Dogma fidei est contra Bucerum, Lutheranos, & Protestantés Anglos: cujus probatio sumitur ex verbis Christi: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, &c.* antequam singuli Discipuli hoc Sacramentum sumpsissent, a Salvatore prolatis. Item ex verbis Apostoli I. ad Corinthios x. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Hinc enim colligitur, panem prius consecrari, & mutari in Corpus Domini, quam frangatur, & distribuatur. Non enim ait, futurum esse Corpus Domini quod frangitur, sed jam esse Corpus Domini. Præterea, Propositionis operatoria, quales sunt istæ, *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, ea natura est, ut prolatis verbis absque mora existat, quod enunciatur. Sicut enim cum dixit Deus, *Fiat lux*, statim absque mora facta est lux; cum dixit Christus Leproso, *Volo mundare*; statim mundatus est a lepra; cum dixit Paralytico, *Tolle grabatum tuum, & ambula*, statim sanatus est, cum dixit Lazaro mortuo, *Lazare, veni foras*, statim e sepulchro prodiit redivivus: ita statim atque panem benedixit, dicens, *Hoc est Corpus meum*; & simul atque idem in ejus commemorationem faciunt, eademque verba in ejus persona proferunt Sacerdotes, panis fit Corpus Christi; vinum fit ejus Sanguis; ut Ecclesiæ Patres, & Doctores agnoverunt, & asseruerunt. Hæreticorum error, vel uno S. Cyrilli Alexandrini testimonio Epist. ad Calosyrium refellitur. Porro (inquit) alios etiam esse audio, qui Mysticam Benedictionem nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero, qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque Sanctum ejus Corpus immutatur, sed Benedictionis vis, ac facultas, & vivificans gratia perpetua in ipso existit. Sed & Optatus Milevitanus Episcopus Christi Corpus, & Sanguinem in Altari, & in sacris Calicibus, non in ore tantum manducantium, & bibentium esse profitetur Lib. vi. Contra Parmenianum: *Quid est (inquit) Altare, nisi sedes Corporis, & Sanguinis Christi?* Et infra: *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam Calices Christi Sanguinis portitores.*

Christi
Corpus, &
Sanguis
sunt in Eu-
charistia
extra usum.

Lutherano-
rum error.

Lutheranorum errorem, negantium Christi Corpus, & Sanguinem esse in Eucharistia extra usum, seu sumptionem actualem, Synodus Tridentina damnavit Sessione XIII. Canone IV. *Si quis dixerit, peracta Consecratione, in admirabilis Eucharistia Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi: sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; Anathema sit.* Differt igitur Eucharistia a reliquis Sacramentis, quod cetera materiæ usu perficiantur, dum scilicet alicui administrari ea contingit: Baptismus enim Sacramenti naturam tunc adipiscitur, cum re ipsa homo aqua abluitur: at vero ad Eucharistia perfectionem satis sit ipsius materiæ consecratio. Verum enim Sacramentum esse non desinit, quamvis in pixide asservetur (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

C O N S E C T A R I U M II.

Eucharistiam in Sacratio reservare, & ad infirmos deferre licet, expedit-
que.

Hanc enim fuisse veteris Ecclesiæ consuetudinem ad hæc usque tempora firmatam, ostendunt Patrum testimonia, & antiquorum Conciliorum Decreta. S. Justinus Martyr Apologia pro Christianis, quæ secunda inscribitur. Præsides (inquit) postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione letitiam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri distribuunt unicuique presentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.

Eucharistic
reservatio.

S. Irenæus Lugdunensis Episcopus, & Martyr in Epistola ad Victorem Pontificem Maximum, qua ipsum hortatur, ne Asiaticos ob diversum Paschatis celebrandi morem ab unitate Ecclesiæ, & Communione abscindat, scribit, ejus Decessores a Communione sua non rejecisse Episcopos, qui Luna XIV. Pascha celebrabant, & ad ipsos Eucharistiam misisse. (Apud Eusebium Lib. v. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. xxiv.) Nec ulli unquam, (inquit) ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Verum illi ipsi, qui te præcesserunt, Presbyteri, quamvis id minime observarent, Ecclesiarum Presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt.

Tertullianus Lib. II. Ad Uxorem, Cap. v. Latebisnetu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum etiam per noctem exurgis oratum, & non Magiæ aliquid videberis operari? Non sciet Maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur? Et Lib. De Oratione Cap. xiv. Accepto Corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio officii.

S. Cyprianus Lib. De Lapsis, Eucharistiam a Fidelibus domum ferri solitam, ac reservari testatur, miraculumque narrat factum ad detegendum, puniendumque sacrilegium mulieris cujusdam, quæ cum Arcam suam, in qua Sanctum Domini fuit (id est Eucharistia) manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. S. Gregorius Nazianzenus Oratione in funere sororis suæ Gorgoniæ, narrat, eam apud se in cubiculo reconditum habuisse Corpus Christi, & fusa ante ipsum oratione, a gravi morbo fuisse sanatum.

S. Basilius Epist. CCLXXXIX. Ad Cæsariam Patriciam, Quoniam (inquit) per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario, Sacerdote, vel Ministro non presente, propriis manibus percipere Communionem, non est nisi supervacuum, ut demonstram illam ipsam rem non esse graviter, & inique ferendam; eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per eremos vitam Monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cum habeant domi Communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandria autem, & per Egyptum unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi suæ Communionem. Nam cum semel Sacerdos Sacrificium peragat, & distribuat, qui susceperit illud integrum simul, & quotidie de illa sumpserit, quam a dante acceperant Sacerdote, credere debet, & tenetur, nec injuria, se eandem suscipere, & percipere.

Eucharistic
reservatio

S. Joannes Chrysostomus Epistola ad Innocentium I. Pontificem Maximum, Nam & Sanctuaria (inquit) ingressi sunt Milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos Mysteriorum, & viderunt omnia, quæ intus erant: quin, & Sanctissimus Christi Sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in predictorum
Mi-

Militum vestes effusus est, siebantque quasi in barbarica captivitate omnia. Ex his perspicuum est, Christi Corpus, & Sanguinem in sacrario fuisse asservata S. Jo: Chrysostomi tempore in Ecclesia Constantinopolitana.

S. Ambrosius, Oratione De Obitu Satyri fratris: ejus pietatem laudat, quod in periculo naufragii constitutus, Eucharistiam orario involutam collo alligaverit. *Non mortem metuens, inquit, sed ne vacuus Mysterii exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, divinum illud Fidelium Sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, atque ita se dejecit in Mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæserat.* S. Hieronymus Epist. IV. ad Rusticum ita de S. Exuperio Tolosano Episcopo scribit: *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, Sanguinem portat in vitro.* Viaticum Eucharistiæ dari moribundis statuunt antiqui Canones jam laudati. Ad usum Eucharistiæ pro infirmis asservandæ suspensas olim in Altari turres aureas, testantur Venantius Fortunatus Lib. III. Carmine xxv. ad Felicem Bituricensem Episcopum, & Gregorius Turonensis Lib. I. De Gloria Martyrum, Cap. LXXXVI. Ad eundem usum suspensas in Altari aureas, & argenteas columbas legimus in Vita S. Basilii Amphilochio adscripta. Eas autem sublatas a Severo hæretico conquesti sunt Clerici, & Monachi Antiocheni, oblato Constantinopolitanæ Synodo sub Menna supplici Libello,

Recte itaque Tridentina Synodus Sess. XIII. Cap. VI. *Consuetudo (inquit) asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa equitate, & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare Sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc, & necessarium morem statuit.*

Et Canone VII. *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari; sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; Anathema sit.* Hujus Canonis doctrina dogma fidei est contra Calvinianos, & Lutheranos a Sacra Synodo explicatum, & confirmatum.

Disciplina
servanda
circa Ho-
stiarum
consecrati-
onem con-
servatio-
nem.

Hostiæ consecratæ pro Parochiæ magnitudine, & communicantium multitudinem, in Pixide, & Tabernaculo asservandæ sunt, sed quinque saltem perpetuo custodiendæ. Eas autem octavo quoque die, vel saltem decimoquinto Sacerdos renovabit, præsertim quinta quaque feria, si commodum erit, in qua Christus Dominus hoc tantum Sacramentum instituit. Hostiæ autem adhibeantur recentes, & a viginti diebus ad summum confectæ. Id vero etiam præstabit, ut ubi recentes consecraverit, veteres primo ministret. Ita S. Carolus in Instructionibus Eucharistiæ, & pleræque Synodi cum Provinciales, tum Diocesanæ.

C O N S E C T A R I U M III.

Realis præ-
sentie Chri-
sti in Eu-
charistia
consecrati-
onem.

COrpus Christi est sub specie panis, & Sanguis sub specie vini, vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis: animaque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantie, quæ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitas porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.

Ver.

Verba sunt Concilii Tridentini Sessione XIII. cap. III. Quædam igitur sunt in Sacramento Eucharistiæ ex vi, & efficientia Consecrationis: nam cum verba illa efficiant quicquid significant, id esse in Sacramento vi Sacramenti divinarum rerum Scriptores dixerunt, quod verborum forma exprimitur: ita ut si contingeret aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esse, sicut in triduo mortis Anima separata erat a Corpore Christi; id solum quod forma significat, in Sacramento esset; cetera non item in eo extarent. Quædam vero in Sacramento continentur, quod illis rebus conjuncta sint, quæ forma exprimitur. Nam cum forma, quæ ad panem consecrandum adhibetur, Corpus Domini significet, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, ipsum Christi Domini Corpus vi verborum in Eucharistia erit. At quia Corpus, Sanguis, Anima, & Divinitas, Personaque Verbi Divini junguntur, hæc quoque in Sacramento erunt omnia, non quidem ex Consecrationis virtute, sed ex necessaria concomitantia, ut ea, quæ Corpori conjuncta sunt. Si enim duo aliqua inter se reipsa conjunguntur, ubi unum sit, alterum etiam esse necesse est. Ita hoc fidei dogma explicat Concilii Tridentini Catechismus, post *S. Thomam* III. Par. Quæst. LXXXVI. Art. I.

Confirmatur ex Cap. *Necessario*, Dist. II. *De Consecratione*, quod ex Epistola *S. Cyrilli*, & Synodi Alexandrinæ ad Nestorium desumptum est, cujus hæc sunt verba: *Annunciantes secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est, Jesu Christi, & Resurrectionem ejus, & in Celos Ascensionem pariter confitentis, incruentam celebramus in Ecclesiis Sacrificii servitutem. Sic etiam ad Mysticas Benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes Sancti Corporis, & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes (quod absit) nec ut viri sanctificati, & Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Caro autem vivifica, & ipsius Verbi divini propria facta per naturæ nostræ assumptionem in Eucharistiæ Sacramento non esset, nisi ipsa etiam Divinitas, & Persona Verbi eidem conjuncta esset, in eodemque Sacramento concomitanter existeret. Totum igitur Christum sub unaquaque specie contineri dogma fidei est, Concilii Tridentini definitione firmatum, Sess. III. Canone III.*

Realis presentie Christi in Eucharistia consecraria.

CONSECTARIUM IV.

NON solum in utraque specie, sed in quavis utriusque speciei particula totum Christum contineri, dogma Fidei est.

Id facile colligitur ex Evangelistis. Neque enim credendum est (inquit Catechismus Concilii) singula panis frustra propria verborum forma a Domino consecrata esse, sed eadem simul omnem panem, qui ad sacra Mystera conficienda, atque Apostolis distribuenda satis futurus esset: id quod de Calice factum esse apparet, cum ipse dixit: *Accipite, & dividite inter vos.* Hinc Cap. *Singuli*, Dist. II. *De Consecratione*, sumptum ex Præfatione Dominicæ v. post Epiphaniam in Missali Ambrosiano, & in Sacramentario *S. Gregorii*, *Singuli*, inquit, *accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Et Cap. *Ubi*, eadem Distinctione: *Ubi pars est Corporis, est & totum. Eadem ratio est in Corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præcessit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit minus. Non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda Mystero, sed virtus Sacramenti spiritualis.*

Luc. 22. 17.

Exod. 14.

Confirmatur ex Concilio Tridentino, Sessione III. Canone III. *Si quis*

negaverit, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; Anathema sit.

Ratione etiam confirmatur hæc Propositio, Christus Dominus in hoc Sacramento non est, ut in loco: locus enim res ipsas consequitur, ut magnitudine aliqua præditæ sunt: Christus autem Dominus non est in Sacramento, ut magnus, aut parvus est, quod ad quantitatem attinet, sed ut substantia est: substantia enim panis in Christi substantiam, non in magnitudinem, aut quantitatem convertitur: nemo vero dubitat substantiam æque in parvo, atque in magno spatio contineri: nam & aeris substantia, totaque ejus natura sic in parva, ut in magna aeris parte; itemque tota aquæ natura non minus in urnula quam in flumine insit necesse est. Cum igitur panis substantiæ Corpus Domini nostri succedat, fateri oportet, ad eundem plane modum in Sacramento esse, quo panis substantia ante consecrationem: ea vero utrum sub magna vel sub parva quantitate elset, nihil ad rem omnino pertinebat. Ita Catechismus Concilii post *S. Thomam* III. P. Q. LXXVI. Art. III. Id explicat rursus *S. Thomas* Opusculo LVIII. Cap. XIII. exemplo speculi. Nam si faciei tuæ plura proponas specula, in omnibus æqualiter, & integre una apparebit facies, & si speculum confringas, in quolibet fragmento facies etiam integra repræsentabitur, & una erit in singulis fragmentis absque ulla mutatione. Sic in Sacramento Eucharistiæ, quod est *Speculum, & imago bonitatis* Christi, licet species panis in plures partes dividantur, in singulis totus, & integer est Christus.

CONSECTARIUM V.

Realis præsentie Christi in Eucharistia consecratoria.

Quamvis totus Christus sit sub utraque specie, & sub singulis cujusque speciei portionibus, separatione facta, optimo tamen jure institutum est, ut separatim duæ consecrationes fierent.

Duplicem rationem affert Catechismus Concilii ex *S. Thoma* sumptam III. P. Q. LXXVI. A. II. ad primum. Id enim a Christo Domino institutum est, primo ut Passio Domini, in qua Sanguis a Corpore divisus est, magis referatur: cujus rei causa in Consecratione Sanguinis effusionem exprimimus, & commemoramus. Secundo, quia maxime consentaneum fuit, ut, quoniam Sacramento ad alendam animam utendum nobis erat, tamquam cibus, & potus institueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum constare perspicuum est.

CONSECTARIUM VI.

Christum Dominum in Eucharistiæ Sacramento cultu latriæ, etiam externo, adorandum esse, Dogma Fidei est.

Hebr. 1.
Matth. 2.
Matth. 28.
Lucæ 24.

Christi Eucharisticæ adoratio.

Nam illum eundem Deum præsentem in Eucharistia adesse credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum Scriptura testatur* (inquit Tridentina Synodus Sessione XIIII. Cap. V.) Et Canone VI. *Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum: atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus, secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ Sanctæ Ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatrias; Anathema sit.*

Una certe adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne ado-

adorandum, sicut ab initio Ecclesiæ traditum est, S. Cyrillus Alexandrinus Anathematismo VIII. contra Nestorium, ab Ephesina Synodo approbato, & Quinta Synodus Oecumenica, Constantinopolitana II. Can. IX. declarant. Cum igitur totus Christus sit vere, & realiter præsens in Eucharistiæ Sacramento sub utraque specie, idque fide credendum sit; consequens est, ut patriæ cultum interno, cum externo, in eo adoretur.

Idem probatur ex S. Jo. Chrysofomo asserente Angelos tremendo Sacrificio adesse, Sacram Mensam cum reverentia circumvallare, & instar Militum Regem stipantium Dominum præsentem pronos venerari, & supplicare pro his, pro quibus Corpus suum immolavit. Ita loquitur Homilia III. De incomprehensibili Dei natura, Homilia I. in hæc Isaïæ verba, *Vidi Dominum*, Lib. VI. De Sacerdotio, Cap. IV. Homilia XXI. in Acta, & Homilia III. in Epistolam ad Ephesios.

Idem probatur ex S. Ambrosio Lib. III. De Spiritu Sancto, cap. XII. *Adoravit Christum Maria (inquit) adoraverunt Apostoli : adoraverunt & Angeli, de quibus scriptum est: Et adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non solum Divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus, quia sanctum est ... Per scabellum terra intelligitur, per terram autem Caro Christi, quam hodie quoque in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adoraverunt. Neque enim divisus Christus, sed unus.*

Hebr. 1. 6.

Idem probatur ex S. Augustino Enarratione in Psalmum XCVIII. *Quomodo (inquit) adorabimus terram, cum dicit aperte Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis; & hic dicit, Adorate scabellum pedum ejus? Quæro, quid sit scabellum pedum ejus. Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum ejus, dicit: Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum. Timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum, & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum ejus... Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini; & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Matt. 4. 10.

Psal. 98. 5.

Isai. 66. 1.

Christum in Eucharistia adorandum, si vere, & realiter in ea præsens credatur, Theodorus Beza Calvinianæ Sectæ columen alterum, Lib. De Cæna Domini contra Vestphalum Lutheranum, diserte asserit. *Illud (inquit) præ ceteris demiror, qui adorationem istam liberam relinquit, qui tamen Christum re ipsa corporaliter, ut in cælis, cum pane adesse, dari, & sumi fatearis. Id enim si ita crederem. adorationem illius profecto non modo tolerabilem, & religiosam, sed etiam necessariam arbitrarer.* Porro Calviniani cum Lutheranis concordiam, & communionem iniverunt in Pseudo-Synodo sua Carentonica, anno MDCXXXI. non obstante eorum opinione de præsentia reali Corporis Christi in Eucharistia: quam quidem opinionem *Nullum habere venenum, nulla re nos implicare, quæ sit opposita pietati, seu charitati, seu honori Dei, aut bono hominum,* asserit Dallæus Carentonicus Minister Apologetico pro Decreto Synodi Carentonicæ, quem edidit anno MDCXXXIII. & cui Ministri omnes Carentonici pariter subscripserunt. Cum igitur adoratio Christi in Eucharistia sit necessaria, supposita fide præsentia realis ejusdem Salvatoris in hoc Sacramento; nullum venenum hujusmodi adorationi subest, nec est contraria pietati, honori Dei, aut bono hominum: adeoque idololatriæ, aut superstitionis accusari non possunt Catholici, qui Christum in Sacramento

Christi in Eucharistia adoratio, realis præsentia consecrarium.

adorant. Non enim ad species panis, & vini adoratio illa, sive supremus honos uni Deo debitus refertur, sed ad Christum unigenitum Dei Filium speciebus involutum; sicut honos, qui Regi exhibetur, non defertur ejus pallio: & tamen nemo mentiscompotem existimaret illum, qui Regem venerari nollet, nisi pallio, & vestibus exutum, ne forte vestes ejus, & pallium eodem honore quo ejus Majestatem prosequi censeretur: næ igitur inlaniunt homines, qui Christum in Eucharistia nolunt adorare, ne species quibus circumvelatur, adorare pariter videantur. Symbola autem externa, sive species panis & vini Christum velantes, *Si per se spectentur, proprie esse adorandas cultu latriæ, nullus Catholicus asserit, sed solum cultu quodam minore, qui omnibus convenit Sacramentis, venerandas* (inquit Cardinalis Bellarminus Lib. 14. De Sacramento Eucharistiæ, cap. xxix.)

CONSECTARIUM VII.

PIE & religiose admodum hic inductus mos est, ut singulis annis peculiari quodam, & Festo Die præcellsum, & venerabile Eucharistiæ Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur. utque in Processionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur.

Quas ob causas instituta sit solemnitas Corporis Christi?

Ita Sacra Synodus Tridentina Sessione XIII, Cap. v. & Canone vi. *Æquissimum enim est* (inquit) *sacros aliquos statutos esse dies, quibus Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus representatur. Atque sic quidem oportuit videlicet veritatem de mendacio, & heresi triumphum agere; ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ letitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando respiscant.*

Tribus itaque de causis Solemnitas Corporis Christi ab Urbano IV. Pontifice Maximo instituta est, Diplomate dato Urbeveteri VIII. Septembris, anno MCLXIV. & a Clemente V. in Concilio Oecumenico Viennensi anno MCCCXI. confirmata. Primo in memoriam beneficii a Christo Domino, & Salvatore nostro in Christianos collati hujus admirabilis institutione Sacramenti, & ad publicam grati animi significationem ob tam pretiosum, tam suave, tam delectabile divini in nos amoris pignus. Secundo, ad confundendam Hæreticorum perfidiam, & insaniam, qui tanti Mysterii veritatem impugnare ausi sunt, vel etiamnum audent. Tertio, ad supplendum, & refarciendum publica, privataque devotione quicquid toto anni decursu in Missarum solemnibus, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene ad tanti Sacramenti venerationem gestum est. Hæ rationes exponuntur Clementina, *Si Dominum*, Tit. *De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*. Porro si licuit Synagogæ ad recolendam memoriam beneficiorum Israelitico Populo a Deo collatorum, festos, ac solemnes dies instituere: quis Ecclesiæ Christi Sponsæ, quæ Spiritu Sancto regitur, jus negare audeat instituendi solemnitates ad perennem beneficiorum in Christianos a Domino Jesu Christo collatorum memoriam celebrandam; qualis est Sacratissima Solemnitas Corporis Christi?

Supplicationes solemnes, seu Processiones in quibus Eucharistia religiose circumfertur.

Quod Processiones spectat sive Supplicationes solemnes, quibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum religiose circumfertur, nihil etiam est in ipsarum institutione, quod pietatem non sapiat, & quod Arce circumgestatione solemnibus in Veteri Testamento facta vindicari non possit ab Hæreticorum calumniis. Ex quo enim Arca fœderis jussu Dei constructa fuit, Israelitæ de Monte Sinai per desertum Arca præeunte, ac Levitis ipsam

De Sacramento Eucharistiæ. Cap. II. Art. III. 693

ipsam gestantibus processerunt, donec ad Terram promissam pervenissent : Cumque elevaretur Arca, dicebat Moyses : *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te a facie tua.* Cum autem deponeretur, ajebat : *Revertere, Domine, ad multitudinem Exercitus Israel.* Ipsa præsentem Jordanis exsiccatus facilem transitum populo Dei præbuit. Ritu quoque solemni circumgestata est Arca in circuitu murorum Jericho septem diebus : quam cum die septimo gestarent Sacerdotes, aliis buccinis clangentibus, quarum usus erat anno Jubilæi, & omni populo vociferante, muri Jericho corruerunt, & Israelitæ divino muniti præsidio civitatem funditus deleverunt. Postquam autem collocata fuit in loco, quem elegerat Dominus, Israelitæ memores miraculorum, quæ Deus in eorum gratiam operatus fuerat, cum illa per Sacerdotes olim circumgestaretur *Mosis, & Josue* temporibus, idem exemplum sub *Heli* Pontificatu sunt imitati, & Arcam Domini in Castra deferri jusserunt, ut adversus Philistæos ipsis præsidio esset *1. Regum* cap. iv. Idem secutus & David, cum accepisset, *Deum benedixisse Obededom, & omnem domum ejus propter Arcam Domini,* quæ apud eum deposita fuerat, jussit eam solemni pompa, lætitiæque incredibili Jerusalem transferri, contemptis *Michol* uxoris suæ lannis, quæ ipsi improperebat, quod ante ancillas servorum suorum disco opertus, coram Arca saltasset, scurilique habitu, & gestu Majestatem Regiam ludibrio exposuisset. Cui respondit Rex pius : *Ante Dominum, qui elegit me potius quam Patrem tuum, & quam omnem domum ejus, & præcepit mihi, ut essem Dux super populum Domini in Israel, & Judam, & vilior sum plusquam factus sum; & ero humilis in oculis meis; & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Cum igitur in Eucharistia Christum ipsum Dominum, a quo omnia nobis bonaveniunt, præsentem habeamus, quo duce per desertum hujus Mundi ad cælestem patriam peregrinamur, cujus virtute Jordanis aquæ siccantur, id est, calamitates, tentationes, pericula in hujus mortalis vitæ curriculo nos circumdantia evadimus; cujus auxilio perditæ illius civitatis munitiones corruunt, cujus Princeps Diabolus, cives homines impii, propugnacula, superbia, vitiorumque omne genus : quidni Sanctissimum illud Sacramentum Arca longe præstantius per Parochias, & domicilia nostra circumferre liceat, ut eis Christus in ipsa Eucharistia realiter præsens benedicat : præsertim cum id Christi gestis, beneficiisque commemorandis plurimum serviat ? Cum enim hic mortalis ageret, nostramque salutem operaretur in medio populi conversatus, peccatores, & pauperes non despiciens totam Judæam, & Galilæam circumibat *Prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.* Superbæ igitur *Michol*, id est, hereticæ factionis contradictione, irrisioneque contempta, Eucharistiam, cum triumphali veluti pompa circumgestatur, cultu religioso prosequamur; Christum adoremus sacris symbolis circumvelatum; Ducem itineris nostri, qui & via est, qua ad Deum pervenimus, sequi, Regem nostrum stipare, Salvatori nostro adhærere gestiamus : Fide, spe, charitate, humilitate, quibus interior adoratio constat, ipsum colamus; internamque illam adorationem externis etiam signis, nudatione scilicet capitis, genuflexionibus, accensione cereorum, thuris fragrantia, totiusque corporis habitu ad pietatem, & modestiam composito, significemus : Auctorem salutis nostræ, & consummatorem Jesum, qui Tabernaculum suum in Sole posuit, Corpore, Sanguine, Anima, Divinitate, in admirabili Sacramento præsentem oculis fidei aspicientes, orantesque, ut qui sese dedit pro nobis in pretium, tribuitque se nobis in pabulum, tandem post hujus vitæ curriculum se nobis in præmium largiatur.

Num. 10.
Josue 3.
Josue 6.

11. Reg. 6

Matth. 24.

Pastores porro Christianum populum salutaribus monitis hortari debent

ad Festum Corporis Christi qua par est religione colendum, utque *P. veram, & puram Confessionem, elemosynarum largitionem, attentas, & sedulas orationes & alia devotionis, & pietatis opera ita se studeant preparare ut hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverenter, ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum* (ut habet Clementina, *Si Dominam*.) Ipsorum etiam pietatem accendant ad consequendas Indulgentias, quas Summi Pontifices *Urbanus IV. Clemens V. Martinus V. & Eugenius IV.* impertierunt iis, qui Ecclesiasticis Officiis, & solemnibus Missæ in hujusmodi Festo, & per Octavas interfuerint qui in ipsius Solemnitatis pervigilio jejunaverint, & ipso die Sanctissimum Sacramentum in publica supplicatione, seu Processione circumgestatum pie secuti fuerint, & ad sacram Communionem accesserint. Processionem illam solemnem *Divina inspiratione introductam*, ait Concilium Senonense anno MCCCXX. celebratum. De his & Concilium Mediolanense IV. sub S. *Carolo Borromæo*.

In tam sacra porro supplicatione, aliisque Processionibus, ludos, choreas, spectacula, aliasque ridiculas actiones, aut personas, quæ scenam potius deceant, quam Ecclesiam, quicquid denique pompam sæcularem sapit, immiseri ne patiantur Episcopi, & Parochialium Ecclesiarum Rectores: ne plebs Spectaculorum avida in vicis, & plateas inanis curiositatis impulsu magis, quam pietatis affectu confluat, & viri promiscue cum mulieribus ad pompam intuendam, velut in theatrum congregentur, aut ex ædium fenestris prospectent. Observeturque Decretum Concilii Rhemensis anni MDLXXXIII. cujus hæc sunt verba: *In solemnibus Festis, supplicationeque Corporis Christi, observetur exacte Canon de ludicris prohibendis diebus festis, neque larvæ, & personati homines adesse permittantur, qui populum a religiosa contemplatione, & adoratione tanti Mysterii avocent.* Abusus autem quacumque consuetudine firmatos monitionibus primum, & adhortationibus, tum intantata, si opus sit, Anathematis pœna, refecare debent Episcopi.

In solemnibus illa Processione *Ne Reliquiæ uliæ, sed Sanctissimum dumtaxat Domini Corpus, ut veteris instituti, Ecclesiæque Romane Matris consuetudinis est, feratur.* Ita statuit Concilium Mediolanense IV. sub S. *Carolo*.

C O N S E C T A R I U M VIII.

Regula circa Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositionem.

Christus Dominus in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento publice ut adoretur, populo pie proponitur ab Ecclesia.

Regulares exponere non possunt venerabile Sacramentum, nec fundationes recipere eum in finem, ut exponatur sine licentia Episcopi.

Id constat ex Concilio Tridentino Sess. XIII. Can. VI. & ex Ecclesiæ universæ consuetudine. *Si quid autem tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insanie est* (inquit S. Augustinus Epist. IIV. alias CXVIII. ad Januarium.) Proponi autem decet primo in Festo Corporis Christi, & per Octavas: deinde, quoties Episcopus permiserit gravibus de causis, Religionis, Regniue utilitatem spectantibus: quoties denique publicam Venerabilis Sacramenti expositionem opportunam, ac utilem esse judicaverit ad Fidelium pietatem excitandam, vel fovendam. Absque singulari porro Episcopi licentia, in quibuscumque Ecclesiis, etiam Regularium, quavis immunitate, & privilegio gaudentium exponi publice non potest, ut respondit non semel Romana Congregatio Concilii Tridentini,

ni, Clerusque Gallicanus declaravit anno 1655. Ita statuit Concilium Provinciale Colonienſe a Nicolao de Cusa S. R. E. Cardinali, & Romani Pontificis per Germaniam a Latere Legato congregatum anno MCCCCLII. *Ad majorem (inquit) honorem Sanctiſſimi Sacramenti ſtatuiſmus, quod deinceps ipſum Sanctiſſimum Sacramentum, nullatenus viſibiliter in quibuſque Monſtrantiis ponatur, aut referatur, niſi in Sanctiſſimo Feſto Corporis Chriſti cum ſuis Octavis, & extra huiuſmodi Feſta cum ſuis Octavis, ſemel in anno, in qualibet civitate, aut oppido. ſeu Parochia, vel ex ſingulari indulto Ordinarii, aut alias pro pace, vel alia neceſſitate imminente ex indiſpoſitione Rempublicam pregravante: & tunc cum ſumma reverentia, atque devotione: præmiſſis tamen laudabilibus conſuetudinibus huius Metropolitanæ, & Cathedralium Eccleſiarum Suffraganeorum ejuſdem ſemper ſalvis.*

Cavendum ne nimia frequentia expoſitionis SS. Sacramenti reverentiã minuat.

Ita Concilium Mechlinienſe anno MDCVII. Tit. VII. cap. VIII. *Sacroſancta Euchariftia pie, & utiliter ad populi devotionem, interdum in publicis Supplicationibus defertur; potiſſimum vero in Feſto Sacro Chriſti Corpori conſecrato ejuſque Octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & nonniſi in arduis cauſis pacis, & publicæ neceſſitatis, vel utilitatis. Quod quidem Concilium a Paulo V. Pontifice Maximo laudatum, & approbatum eſt.*

Concilium Provinciale III. Mediolanenſe, Tit. De iis, quæ ad ſacram Euchariftiam pertinent, vetat, *Ne cum nimbi, procelle, turbines, aut grandines impendent, Sacerdos ad tempeſtatis procellam arcendam vaſculum adhibeat, in quo Sanctiſſimum Euchariftiæ Sacramentum aſſervatur: ſed Tabernaculum ubi illud in Altari reconditur, patefaciat licet: tumque in ejuſ conſpectu Litanias, aliasque religioſas preces ejuſ rei cauſa inſtitutas pie, ſancteque pronunciet.*

Concilium Provinciale Mediolanenſe IV. P. II. ſub eodem Titulo, de Sanctiſſimi Sacramenti Expoſitione ita ſtatuit: *Oratio Quadrageſima Horarum religioſe inſtituta, ut perpetuo ſanctiſſime, cum ſalutarique animarum fructuretineatur, conſtituimus, & decernimus: primo ut in iis ſolum Eccleſiis ſive ſecularibus, ſive regularibus fiat, celebreturve, in quibus Sanctiſſimum Sacramentum aſſervatur: nec vero in iis omnibus, ſed in illis tantummodo, quas Episcopus ſtatuerit.*

Pia praxis Orationis quadrageſime Horarum.

Fiat autem in conſpectu Sanctiſſimi Sacramenti, quod e Tabernaculo expoſitum, in majori, aliove, ſi Episcopus ita cenſuerit, Altari propalam collocetur.

Quod ut cum dignitate, decore, religioſeque agatur, Altaris, vel Capelle, ubi exponetur, collocabiturve, ornatus decens ſit, ac religioſus. Cerei præterea in Altari accenſi ad ſummum decem, minimum vero ſex decenti craſſitudine, ac longitudine colluceant.

Orationis initio cum Sanctiſſimum Sacramentum palam proponendum eſt, primum datis ſolemniter de more pridie illius diei, vespere, & iterum eo die paulo ante campanarum ſignis, præſens adſit cum Sacerdos pluviâli indutus, qui illud religioſe proponat, tum illius Eccleſiæ, ubi Oratio futura eſt, aut totiùs Parochiæ, ſi Eccleſia Parochialis eſt, Clerus ſuperpelliceo veſtitus, qui in hac functione illum adjuvet. Si vero qui convenerint Clerici, vel Parochiæ, vel Eccleſiæ pauciores ſunt quam ſex, alii aliunde evocentur, ut ne eo numero pauciores adſint; hique cum luminibus accenſis; tum homines itidem Parochiæ in cuius Eccleſia, ſinibuſve Oratio exponitur, præſertim Sanctiſſimi Sacramenti Sodalitati adſcripti.

Proceſſio in exponendo Sanctiſſimo Sacramente per Eccleſiam agatur Litanis, ſtatique Antiphoniſ, precibus, & orationibus, tum cereis accenſis: itidemque in eo reponendo ſervetur.

Dum illud in Altari propoſitum eſt, interdum Clerici duo, ſuperpelliceo induti,

duti, capite aperto ad Altare semper assistant; quorum alter Diaconus saltem sit; noctu vero saltem unus, isque in sacro Ordine constitutus.

Ad excitandam vero populi in stata hac Oratione versantis pietatem, curetur, ut aliquando, quo presertim tempore, quave hora, frequens est Fidelium ad eam concursus, Sermo, isque brevis, ad piæ meditationis studium inflammandum apposite habeatur.

Per horam antequam in una Ecclesia Oratio hæc terminetur, in altera ubi proxime futura est, de more rite inchoetur.

Addit S. Carolus in Instructionibus: Ne quavis causa tamen Eucharistia palam, & aperte exponatur, sed publica tantum, eaque gravi.

Reliquiæ
vel Imagines Sancto-
rum non
exponendæ
in Altari, in
quo Sanctis-
simum Eu-
charistiæ Sa-
cramentum
expositum
est.

In Altari, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice exponitur, Sanctorum Reliquias, vel Imagines exponere non decet. Id enim Canone III. Concilii II. Turonensis prohibitum videtur, his verbis concepto: *Ut Corpus Domini in Altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Refert S. Odo Cluniacensis Abbas Lib. II. *Collationum*, cap. XXVIII. cum olim sancta Gualburgis, seu Vvalburgis Miracula in quadam Ecclesia Deo in ejus memoriam dicata patraret, contigisse, ut ejus Reliquiæ super Altare per aliquot dies manerent: sed mox Miracula cessavisse. Tandem vero ipsa Virgo cuidam ex infirmis apparens, *Idcirco*, inquit, *non sanamini, quia Reliquiæ meæ sunt super Altare Domini, ubi majestas divini Mysterii debet solummodo celebrari.* Probavit quidem Leo IV. Pontifex Maximus, ut Sanctorum Reliquiæ super Altare collocarentur: sic enim habet in Homilia quadam: *Super Altare nihil ponatur, nisi capsæ, & Reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia, & buxida cum Corpore Domini ad Viaticum infirmis: cetera in nitido loco recondantur.* Sed nescio an probaturus id fuisset, si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum palam exponendi tunc viguisset disciplina. Ut ut est, in Romana Ecclesia, & Metropolitanis, atque Cathedralibus exponi Reliquiæ Sanctorum, vel eorum Imagines collocari non solent in Altari, in quo Sanctissimum Christi corpus publice expositum est. Ea de re Synodus Carnotensis anno MDXXVI. *Inhibemus*, inquit, *ne in loco, in quo recondi, & adorari debet Sacrosancta Eucharistia, & ubi ciborium reponitur videlicet in medio majoris Altaris Parochialis, ponantur imagines, etiamsi esset imago Patroni, ut major pretiosissimo Christi Corpori reverentia tribuatur.*

CONSECTARIUM. IX.

Accidentia panis, & vini, ut color, sapor, figura, quantitas, &c. in Eucharistiæ Sacramento sine subjecto remanent.

Miraculum istud consecrarium est Transubstantiationis panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi. Ea enim accidentia manere, sensu notum est: & aliunde constat ea Corpori, & Sanguini Christi, quod alterationis, & corruptionis in statu gloriæ est incapax, inhærere non posse: sequitur ergo, ut supra omnem naturæ ordinem divina virtute extra quodvis subjectum subsistententur. Hæc perpetua fuit, & constans Catholicæ Ecclesiæ doctrina, quæ inter *Vviclef* Articulos hunc in Concilio Constantiensi damnavit: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.*

Idem probatur ex cap. Nos autem, Dist. II. De Consecratione, quod S. Augustini nomine in Lib. *Sententiarum* Prosperi Gratianus refert: *Nos autem in specie panis, & vini, quam videmus, res invisibiles, idest, Christi Carnem, & Sanguinem honoramus: nec similiter comprehendimus has duas species, ex quibus consecratur Dominicum Corpus, quemadmodum ante Consecrationem comprehendebamus: cum fideliter fateamur ante Consecrationem esse*

Panis acci-
dentia ma-
nent in Eu-
charistiæ Sa-
cramento.

De Sacramento Eucharistiæ. Cap.II. Art.III. 697

esse panem, & vinum, quod natura formavit: post Consecrationem vero Christi Carnem, & Sanguinem, quod benedictio consecravit.

Confirmatur ex Lantfranco, Lib. De Corpore, & Sanguine Domini, cap. XVIII. ubi Fidem Ecclesiæ Catholicæ de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento his verbis exprimit contra Berengarianam Hæresim: *Credimus terrenas substantias, quæ in Mensa Dominica per Sacerdotale Ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia, converti in essentiam Dominici Corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda, & cruenta horrerent, & ut credentes Fidei præmia ampliora perciperent; ipso tamen Dominico Corpore existente in celestibus ad dexteram Patris, immortalis, inviolato, integro, incontaminato, illaeso; ut vere dici possit, & ipsum Corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere, & tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam, veræque naturæ proprietatem, atque virtutem; non ipsum autem, si species panis, vini que speciem, ceteraque superius comprehensa. Hanc Fidem tenuit a priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur.*

Hinc Concilium Provinciale Bituricense ann. 1584. celebratum, & a Sixto V. Pontifice Max. confirmatum, asserta realis præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia veritate, & Transubstantiationis fide Canonibus primo, & secundo, sic de accidentibus superstitibus pronunciat: *Negantes accidentia panis, & vini in Sacramento Eucharistiæ sine substantia panis, & vini manere, Anathemate feriantur, & Hæretici censeantur.*

Divina autem omnipotentia fieri posse, ut accidentia sine subjecto sustententur, ostenditur ex S. Basilio Homilia VI. in Hexaëmeron, ubi lucem prima die creatam triduo abique subjecto inhæSIONIS mansisse scribit, quarta vero die in Sole collectam, atque constitutam. *Tunc enim (inquit) ipsa natura lucis producta est; nunc autem hoc Solis corpus eo conditum est, ut illi primogenitæ luci vehiculum esset. Atqui incredibile nemini videatur, & a Fide abhorrens, quod dictum mihi est, aliud nimirum quoddam esse a luce splendorem, aliud item corpus subsidens luci, ac subjectum. Primum enim res omnes compositæ sic a nobis dividi solent in ipsam essentiam susceptricem, & in eam quæ ipsi accidit, qualitatem. Ut igitur diversa sunt hæc natura, albedo, & corpus dealbatum: sic & ea, quæ modo diximus, differunt quidem, unita tamen sunt potentia Creatoris. Itaque ne dixeris mihi, fieri hæc non posse, ut lux a corpore Solis separetur. Neque enim ego lucis a Solis corpore separationem mihi, ac tibi possibilem esse dico: sed asserendum censeo, quæ mentis sola cogitatione disparari a se possunt, ea re ipsa sejungi facultate Creatoris utriusque naturæ posse.*

Triplicem autem rationem affert S. Thomas, & ex eo Concilii Tridentini Catechismus, cur Corpus, & Sanguinem suum sub alienis speciebus nobis dare Christus voluerit, idque convenientissime factum probat. „ Primo quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile, carnem hominis comedere, & sanguinem bibere: & ideo proponuntur nobis Caro, & Sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis, & vini. Secundo, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus. Tertio, ut dum invisibiliter Corpus, & Sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum Fidei. Quæ quidem, ut S. Gregorii sententia pervulgatum est, *Ibi non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Unde Doctor idem Angelicus in Officio Sanctissimi Sacramenti ait: *Accidentia sine subjecto in eodem existunt, ut Fides locum*

Divina omnipotentia fieri potest ut accidentia maneant sine subjecto.

Cur Christus Corpus & Sanguinem suum sub alienis speciebus nobis dare voluit?

Sensus proprie loquendo non falluntur circa Eucharistiæ Sacramentum.

habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub aliena specie occultatum: & sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis.

Sensus quidem decipi Auctores aliqui Ecclesiastici dicunt, non quod accidentia panis, & vini dijudicando fallantur, sed quod eorum relatio erroris occasionem præbere possit rationi caliganti, & fidei lumine non illustratæ. Sic *Odo Cameracensis* Episcopus in Canon. Missæ. Dist. III. *Intus est verus Sanguis vera fide, exterius est falsum vinum vera specie. Sentitur vinum, & non est; non apparet Sanguis, & est: sensus decipitur qualitate; certa tenetur fides rei veritate: ideoque Sanguis dicitur Fidei Mysterium, quia Sanguinem Fides credit intus occultum.* Ita *Joannes Vitalis* in Speculo Morali: *Vox quidem vox Jacob est, sed manus manus sunt Esau: sicut tactus Isaac deceptus fuit, & non auditus; sic in isto Sacramento visus, gustus, olfactus decipitur; quia secundum judicium istorum sensuum nihil ibi videtur esse nisi panis, & vinum; sed auditus non decipitur. Audis enim: Hoc est Corpus meum: Et veraciter est.* Ita ante hos Auctores *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi VI. *Mytagogica: Nam etsi sensus aliud tibi renuntiat, Fides tamen te confirmet: ne judices rem ex gustu, sed te citra ullam dubitationem Fides certum reddat ... Qui videtur panis, non panis est, quamvis gustui videatur: & quod videtur vinum, non vinum est, quamvis ita gustus censeat.* Ita *Rithmus, Adoro te, S. Thomæ* adscriptus: *Visus, gustus, tactus in te fallitur, sed auditu solo tuto creditur.*

Ita ipse *S. Thomas* Opusculo LVIII. De Sacramento Altaris (si tamen ipsius est) cap. VII. *Sicut (inquit) primorum parentum incredulitas incepit ex auditu verbi diaboli, suadentis cibum habentem mortem velatam, & in eo sunt sensus eorum vane delectati; sic congruit, ut fides salvandorum incipiat ex auditu verbi Salvatoris, suadentis cibum habentem veram vitam absconditam, & in quo nostri sensus pie sunt decepti, præter auditum, ut sit fides ex auditu tantum, & non ex visu, vel aliis sensibus; auditus autem per verbum Christi. Id Genes. 27. ,, adumbratum ait in benedictione Jacob, ubi sensus ,, Isaac sunt decepti, putantis se sentire Esau, dum sensit similitudinem ejus, ,, nempe Jacob, qui vestibus Esau velatus erat. Isaac & Rebecca, quasi masculus, & fœmina, significant duas naturas in nobis, corpus, & animam; ,, masculus, qui magis solet esse manifestus, & exterioribus plus intendit, ,, significat exteriorem hominem, id est corpus cum suis sensibus: fœmina, ,, quæ domi residet, & familiam regit, interiorem hominem, id est animam, quæ salutis suæ, & aliorum curam gerit. Jacob bonus & formosus, habitans in tabernaculis, quem diligit Rebecca, id est fidelis Anima, significat, verum Corpus Christi. Esau, quem amat Isaac, id est corpus, eo quod de cibis illis vescatur, significat substantiam panis cum ejus ,, accidentibus. Dum itaque Isaac, quasi homo exterior, id est Sacerdos, benedicit, substantia panis recedit: sed similitudo Esau, scilicet accidentia panis, quasi vestes manent circa Jacob, id est circa Corpus Christi; & sensus nostri falluntur. Ibi fallitur visus Isaac caligans, id est, debilis corporis nostri, quia putat præ oculis habere se Esau, id est panem; & tantum videt vestes ejus, scilicet speciem panis, sub qua latet Jacob velatus, id est Corpus Christi. Ibi fallitur gustus, quia putat se comedere cibum Esau, id est panem; & gustat tantum similitudinem ejus. Ibi fallitur olfactus, quia putat se sentire odorem Esau, id est panis, qui vere non est ibi; sed sentit odorem vestimentorum ejus, id est specierum panis, quibus velatum est Corpus Christi. Sapiens erat Isaac, sed in cognitione Esau fallebatur: sic exterior homo noster in judicio de pane Altaris fallitur, præterquam ,, auditu. Unde ait: Vox quidem vox Jacob est; manus autem manus sunt*

„ sunt Esau . Manus quas tango , sunt Esau : nihil falsius : vox dicentis ,
 „ Ego sum , vox est Jacob : nihil verius . Similiter , Sacramentum quod tan-
 „ go , substantia panis est : nihil falsius : vox Christi dicentis , Hoc est Cor-
 „ pus meum : nihil verius .

Verumtamen si proprie loqui amamus , dicendum est , sensus non falli , cum percipiunt accidentia sensibilia subjecto suo destituta . *Sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia , quæ sensibus dijudicantur . Intellectus autem , cuius proprium objectum est substantia , per fidem a deceptione preservatur . Fides vero non est contra sensum , sed est de eo , ad quod sensus non attingit .* Verba sunt S. Thomæ III. P. Q. LXXV. A. v. In Responsione ad secundam , & tertiam Objectionem . Quæ Responsio magis dogmatica est , & doctrinæ S. Augustini plane consentanea , docentis , munus esse sensuum renunciare menti , quæ percipiunt ; mentis vero munus esse de sensuum perceptionibus , objectisque sensibilibus iudicare . *Non solum autem rationalis vita de sensibilibus , sed de ipsis quoque sensibus iudicat : cur in aqua remum infraclum oporteat apparere , cum rectus sit , & cur ita per oculos sentire necesse sit : nam ipse aspectus oculorum renunciare id potest , iudicare autem nullo modo .* Verba sunt S. Augustini Libro De vera Religione , cap. xxix .

Factum est grande miraculum (inquit Scriptura Numer. xxvi.) ut Core pereunte , filii illius non perirent . Majus in Eucharistia miraculum contigit , ut substantia panis , & vini pereunte , seu potius in substantiam Corporis , & Sanguinis Christi transmutata , filii ejus , id est , accidentia , quæ ex ea quodammodo producuntur , & per eam sustentantur , non pereant sed maneat , omnipotentis Dei manu , qui *Appendit terram super nihilum , & extendit Aquilonem super vacuum* , sustentata , ut Christo Regi gloriæ sint instar conopæi ; vel instar nubis , quæ Tabernaculum fœderis , & Arcam Domini obumbrabat . Job. 26

Verumtamen si qui novæ Philosophiæ placitis addicti , quam videmus in Hostia consecrata figuram , albedinem , quem gustamus saporem , quam tangimus extensionem , nominare accidentia refugiant ; quamvis Ecclesiæ usu id nomen receptum sit , cum illis tamen non adeo contendemus , modo realis præsentia Corporis , & Sanguinis Christi in Eucharistia , & transubstantiationis fidem absolute confiteantur , nec panem , & vinum , vel eorum materiam , quæ terrenæ panis substantiæ pars est , in Sanctissimo Sacramento manere ullo modo sentiant (quod si ita esset , transubstantiatio , & transelementatio perfecta , & omnimoda non esset) solasque Species panis , & vini superesse credant , & Corpus Christi sub his speciebus , & sacris signis vere , ac re ipsa , & substantialiter existere , etiam extra usum , modoque permanenti , cum in pixide , & in Sacratio asservatur . Nam si species illæ meræ essent impressiones a Deo in sensibus factæ , cum videtur , tangitur , sumitur Eucharistia , Sacramentum non esset , nisi cum exponitur oculis , aut tactu , gustuve percipitur : quod Ecclesiæ Catholicæ sensui , ac doctrinæ , fideique repugnat . Ceterum specierum illarum mysticus apparatus non minus tribuendus est miraculo a novæ Philosophiæ sectatoribus Catholicis , quam accidentium sine subjecto existentia miraculo tribuatur a scholarum omnium Theologis , qui Peripateticæ Philosophiæ a S. Thoma Religionis obsequiis mancipatæ , principiis imbuti sunt . Sicut enim miraculum fuit , quod in columbæ specie Spiritus Sanctus super Christum descendit , & super Apostolos in specie linguarum ignearum ; & quod Christus a mortuis redivivus in specie Hortulani , & duobus Discipulis in castellum Emmaus euntibus in peregrini specie visibilem se præbuit : ita miraculum est divinæ omnipotentis , quod Christus Dominus sub panis , vinique spe-

speciebus Corpus, ac Sanguinem suum vere, realiter, substantialiter hominibus videndum, tangendum, adorandum, fumendum exhibeat. Hoc autem specierum nomine Sacra Synodus Tridentina uti maluit, quam accidentium.

C O N S E C T A R I U M X.

Christi Corpus non frangitur, nec dividitur.

FRactis, divisisque speciebus, Corpus Christi non frangitur, nec dividitur, sed integrum sub quacumque particula perseverat.

Ita canit Ecclesia in Prosa, *Lauda Sion Salvatorem*, quam, ut & reliquum Officium Sanctissimi Sacramenti, S. Thomas edidit: *A sumente non concisus, non contractus, non divisus, integer accipitur. Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur.*

Confirmatur ex *Floro* Diacono Ecclesiæ Lugdunensis, in Opusculo De Actione Missarum: *Quando Christus manducatur (inquit) Vita manducatur: nec occiditur, ut manducetur, sed mortuos vivificat, quando manducatur: reficit, sed non deficit. Manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexerat occisus; ne quando manducamus, partes de illo faciamus. Et quidem in Sacramento sic fit. Per partes manducatur in Sacramento, & manet totus integer in cælo, manet integer totus in corde tuo.*

, Sane dici non potest, quod ipsum Christi Corpus verum frangatur; tum quia incorruptibile est, & impassibile, tum quia est totum sub qualibet parte. Unde fractio in symbolis, sive speciebus panis, & vini exercetur. Et sicut species sacramentales sunt Sacramentum Corporis Christi veri: ita fractio hujusmodi specierum est Sacramentum Domini, cę Passionis, quę fuit in Corpore Christi vero (inquit S. Thom. III. P. Q. LXXVII. A. VII.) *Ipsam itaque Corpus Christi non frangitur nisi secundum speciem sacramentalem, & hoc modo intelligenda est Confessio Berengarii, relata cap. Berengarius, Dist. II. De Consecratione, cujus hæc sunt verba: Consentio sanctę Romanę, & Apostolicę Sedi, & ore, & corde profiteor, Panem, & vinum, quę in Altari ponuntur, post Consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solum Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atteri. Sic (inquam) intelligenda est illa Confessio, Ut fractio, & attritio referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est Corpus Christi (inquit S. Thomas.) Quemadmodum scilicet per Incarnationem, & unionem personalem Filii Dei cum humana natura factum est, ut omnes nature humanę affectiones, & proprietates Deo tribuantur; ita per Consecrationem panis, & vini, & unionem sacramentalem specierum panis, & vini cum Corpore, & Sanguine Christi, motus quidam, & operationes, quę in hujusmodi speciebus, vel circa eas fiunt, Corpori, & Sanguini Christi, minus quidem proprie, sed vere tamen tribuuntur. Hoc sensu Apostolus I. ad Corinthios X. ait: *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Christi est?* Et cap. XI. secundum vim Gręci Textus, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Quę verba Gręcorum Liturgię in forma Consecrationis retinent: & Ambrosiana Liturgia: *Quod pro multis confringetur.**

Hoc sensu S. Jo. Chrysostomus Homil. XXIV. in I. ad Corinthios, *Cur, inquit, addidit. Quem frangimus? Hoc enim licet videre fieri in Eucharistia: in cruce autem non itidem, sed utique ei contrarium. Os enim, inquit, ejus non conteretur. Sed quod non passus est in cruce, hoc in Oblatione patitur propter te: & patitur frangi, ut omnes impleat.*

Hoc sensu *S. Ambrosius* Lib. VI. in *Lucam*, ad cap. IX. loquens de Apostolorum ministerio quinque panes a Christo miraculo multiplicatos turbis discumbentibus distribuentium, ait: *In Apostolorum ministerio futura divisio Dominici Corporis, Sanguisque præmittitur.*

Hoc sensu *S. Gregorius* Lib. IV. Dialogorum, cap. LVIII. „ Hæc singulariter
 „ victima (*inquit*) ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mor-
 „ tem Unigeniti per Mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam
 „ non moritur, & mors ei ultra non dominabitur; ramen in semetipso immor-
 „ taliter, atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc Mysterio sacræ
 „ Oblationis immolatur. Ejus quippe ibi Corpus sumitur, ejus Caro in populi
 „ salutem partitur, ejus Sanguis non jam in manus Infidelium, sed in ora Fide-
 „ lium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc Sacrificium, quod
 „ pro absolutione nostra passionem Unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim
 „ Fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem
 „ cœlos aperiri, in illo Jesu Christi Mysterio Angelorum choros adesse, summis
 „ ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus, atque invisi-
 „ bilibus fieri.

Hoc sensu *Odo Cameracensis* Episcopus in Expositione Canonis Missæ, Dist. IIII.
 „ O miraculum, *inquit*, frangebatur inter digitos, sedens incolumis inter Disci-
 „ pulos. Erat integer, & dividebatur in partes: in manibus tenebat se ipsum, &
 „ de manibus Discipulis se porrigebat edendum. Hoc signabat David, qui, se-
 „ cundum aliam translationem, *Coram Achis Rege in suis manibus, ferebatur.* Sic
 „ nos quotidie Christum in Altari consumimus, & permanet; manducamus, &
 „ vivit; atterimus dentibus, & integer est. Consumimus autem, manducamus,
 „ & atterimus non tantum specie, sed & re; non solum forma, sed & substan-
 „ tia. Et miro modo consumitur permanens, atteritur incorruptus, distribuitur
 „ indivisus, sicut post Resurrectionem palpandum præbuit spirituale Corpus;
 „ cum simili contrarietate non sit palpabile, quod spirituale est, nec sic spiritua-
 „ le, quod sit palpabile. In specie enim, & sapore panis, & vini manducamus,
 „ & bibimus ipsam substantiam Corporis, & Sanguinis, sub eisdem qualitati-
 „ bus mutata substantia: ut figura, & sapor substantiæ prioris facta sit vera
 „ substantia Christi Corporis, & Sanguinis.

C O N S E C T A R I U M XI.

Corpus Christi non est ubique: sed in cœlo est ad dexteram Patris, ut in loco; in
 Eucharistia vero sub speciebus ubivis locorum consecratis, ut in Sacramento.

Christus quidem, quatenus Deus, est ubique; sed illum quatenus homo est,
 ubique esse, soli asserunt Hæretici, Ubiquitæ ab hoc errore appellati, *Luthe-
 rus* scilicet, *Brentius*, *Illyricus*, & eorum Sectatores. Quæ Hæresis retellitur
 Scripturæ sacræ verbis expressis. *Joannis* VI. *Cum vidisset turba, quia Jesus non
 esset ibi.* Et cap. XI. Christus ipse ait: *Non eram ibi.* Cap. XVI. *Relinquo Mun-
 dum, & vado ad Patrem.* *Marci* XVI. *Surrexit, non est hic.* Retellitur secundo
 idem error Conciliorum oraculis, scilicet Lateranensis sub *Martino I.* Consulta-
 tione V. Can. IV. Synodi Sextæ Oecumenicæ Actione VII. Synodi septimæ Actio-
 ne VI. declarantium, *Christum circumscriptum esse, & incircumscriptum; cir-
 cumscriptum Corpore, incircumscriptum Deitate.* Tertio Hypothesis ubiquitatis
 Corporis Christi evertit Eucharistiæ Sacramentum. Sacramenta enim Novi Te-
 stamenti a Christi institutione pendent, & a ritu, & verbis, quæ ille præscripsit:
 at posita Corporis Christi ubiquitate, quod in Eucharistia præcipuum est, ab in-
 stitutione, & verbis Christi non penderet; ejus enim Corpus esset in pane ante
 verba Consecrationis, immo ante institutionem Eucharistiæ. Siquidem id haberet
 vi unionis suæ cum persona Verbi. Sequeretur præterea ex ista hypothesi, Christi
 Corpus ore corporis vere manducari non posse, sed solum ore spirituali, per fidem, &

Heretica hy-
 pothesis ubi-
 quitatis Cor-
 poris Chri-
 sti evertit
 Eucharistiæ
 Sacramen-
 tum.

gratiam, seu energiam, & effectum, adeoque manducari non posse nisi a piis. Quicquid enim manducatur, id moveri necesse est, a manu in os, ab ore in stomachum trajici. At si Corpus Domini esset ubique, moveri nullo modo posset, aut a manu in os, ab ore in stomachum trajici: in ore enim esset, ac in stomacho antequam panis eo perveniret: vere igitur non manducaretur: sicut Deus, quia ubique est, non movetur cum rebus, in quibus est, & ideo licet sit in pane, non tamen manducatur cum pane: & licet sit in aere, non tamen attrahitur cum aere intra pectus, neque ejicitur, cum respiramus. Denique si Christi Corpus esset ubique, non egeremus Eucharistia, ut Christi Corpus haberemus: siquidem illud haberemus in pane, & vino, & in quolibet cibo, quo ad refectioem utimur: adeoque falsa esset illa S. Augustini Sententia Lib. xx. *Contra Faustum*, cap. XIII. *Noster autem Panis, & Calix non quilibet ... sed certa Consecratione mysticus fit nobis Corpus Christi, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis, & calix, alimentum est refectiois, non Sacramentum Religionis.* Perspicuum igitur est, Lutheranam Hypothesim ubiquitatis Corporis Christi evertere Eucharistiæ Sacramentum.

Corpus Christi est sub speciebus abivis locorum consecratis in Sacramento. non per immensitatem, sed per potentiam.

In Eucharistia tamen est Christi Corpus sub speciebus ubivis locorum consecratis, ut in Sacramento. Quod incredibile videri non debet. Si enim humano verbo Deus tantum præstitit, ut non tantum ipsum, sed etiam vox, qua quodammodo vestitur, ad mille homines eadem simul, totaque pertingere valeat: nemo hoc ipsum de omnipotentis Dei unico, & omnipotente, & coæterno Verbo, & de carne ejus, quam similiter, ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, etsi capere non possit, habere incredibile debet, quod de fragilissimo, & transitorio verbo hominis, & momentaneis vocibus, vixque existentibus, & nunquam prævalet capere, & tamen pene semper experimento habet Ipsam certe Animam nostram corpore, quod corrumpitur, aggravatam, non particulatim per singula membra dividi, sed in singulis portiunculis totamque integram contineri. B. Augustinus validissime probat. Qui ergo hanc Animæ nostræ potentiam præbuit, ut una eademque, & indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat; quare suæ propriæ carni id dignitatis, si vult, dare non valeat, ut ipsa in diversis sui cujusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus, tota simul & indivisa possit haberi: cum sicut Anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiæ, immo multo melius per Dei gratiam, vita Caro Salvatoris? Per Animam quippe fit, ut corpus utcumque temporaliter vivat; per Carnem vero Salvatoris agitur, ut Ecclesia non quomodocumque, sed beate in æternum vivat. Ita Guitmundus Lib. 1. *De Eucharistiæ Veritate*. Sicut ergo una mentis nostræ cogitatio voce foris sonante induta, ad innumerabiles audientium aures integra perlabitur; & Anima una omnibus partibus Corporis tota præsto est: ita una Verbi Dei Caro, tamquam vox, tamquam Corpus ejus, & quantislibet interesse valet locis, & singulis tota interesse præsentia Sacramentali. Id autem non ex immensitate, sed ex gloria, & potestate humanitati Christi post ejus Resurrectionem collata, derivatur. Carnem enim Christi (inquit Algerus Lib. 1. cap. iv.) *substantialiter quidem eadem cum Deo non dicimus: sed profecto cum Apostolus dicat, Quia omnia subjecta sunt ei, præter eum, qui subjecit sibi omnia, & ipse Filius Dei testetur, Quia omnis potestas ei data est; sic in unitate personæ Deo conjunctam credimus ut quod habet Deus per naturam, hoc ipsa per gratiam.* Cum ergo nos habituri simus, & Angeli modo habeant, ut quantacumque intervallo locorum, nullo fere temporis intervallo, nimia sua celeritate pertranseant, non tamen hoc habent, ut unde recedunt, ibi remaneant. Quo privilegio sola Caro Christi, quæ super omnem creaturam a Deo exaltata est, super omnem, & præter omnem naturam insignita est, ut per omnipotentiam, quæ ei data est in cælo, & in terra, ubi-

1. Cor. 15.
27.
Matth. 28.
18.

ubicumque, quomodocumque sibi placuerit, non de loco ad locum transeundo, sed ibi, ubi est remanendo, & alibi ubicumque voluerit existendo, tota, integra, & substantialiter fit in celo, & in terra.

C O N S E C T A R I U M XII.

Quamvis species Sacramentales interdum corrumpantur, corruptio tamen illa in Corpus Christi non redundat.

*Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (ut ait Apostolus.) Sicut igitur in ipsius Divinitatem, propter unionem personalem cum natura humana, injuriæ illius naturæ, sive corporis infirmitates, ac passiones minime redundabant: ita nec specierum immutatio, & corruptio in Christi Corpus jam immortale, & incorruptibile refunditur: propter unionem illius Sacramentalem cum speciebus. Sic Sol in luto sine sordibus volutatur, nullam inde contrahens fæditatem. Sic in medio Rubi ardentis Angelus Dei personam gerens sine læsione versabatur: sic in os, & stomachum impiorum se trajici patitur, quorum anima qualibet sentina fætidior est. Tantum igitur abest, ut præsentia realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia neganda sit ex hoc quod species mutationi, & corruptioni sint obnoxix, non vero Corpus, & Sanguis Christi; ut potius agnoscere debeamus, quod fides docet, Sanctum Dei non videre corruptionem; sed tamen ex miraculo, quo species post consecrationem conservantur, sequi ut corrumpi possint, si talis in iis fiat immutatio, quæ ad corruptionem panis, & vini ante consecrationem suffecisset. In iis autem esse desinunt Corpus, & Sanguis Christi, non quidem cum primum ad corruptionem tendunt, sed cum consummata corruptio est. Unde S. Cyprianus, Tractatu De Lapsis, ait: *Et alius, quia & ipse maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum ceteris ausus est latenter accipere: Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando Gratia salutaris in cinerem, Sanctitate fugiente (id est, Christo præsentiam Sacramentalem subtrahente) mutetur.**

Rom. 6. 9.

Corpus Christi in Eucharistia non corrumpitur.

Si vero a muribus corrodere, aut a brutis quibuslibet animalibus devorari Hostiam consecratam contingeret, substantia tamen Corporis Christi sub illa esse non desineret quamdiu species illa maneret. In contraria quidem sententia fuerunt Guitmundus Lib. II. De Veritate Eucharistiæ, Magister Sententiarum Lib. IV. Dist. XIII. §. I. Innocentius III. Lib. IV. De Mysteriis Missæ, cap. XI. Verum opinionem illam improbat S. Thom. III. P. Q. LXXX. A. III. *Derogat enim (inquit) veritati hujus Sacramenti, ad quam pertinet, ut manentibus speciebus Corpus Christi sub eis esse non desinat. Nec tamen dicendum est, quod animal brutum sacramentaliter Corpus Christi manducet, quia illi non convenit uti eo ut Sacramento.*

C A P U T III.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

P R O P O S I T I O I.

Per Eucharistiæ Sacramentum gratia confertur eis qui illud pure, & sancte accipiunt.

Christus enim vere in hoc Sacramento continetur: qui sicut in mundum visibiliter veniens, vitam gratiæ hominibus contulit, secundum illud Joannis I. *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est:* ita in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, secundum illud Joannis VI. *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro Mundi vita ... Et qui*

Effectus Sacramenti Eucharistiæ.

manducat me, & ipse vivet propter me. Unde S. Cyrillus Lib. iv. in Joannem ait: *Quoniam vivifica facta est Caro Salvatoris, utpote Vitæ secundum naturam, Verbo nimirum divino unita, cum illam degustabimus, tunc vitam habebimus in nobis, ei quoque simul uniti, quemadmodum ipsa Verbo inhabitanti.* Qui igitur pietatis, & religionis studio affecti hoc Sacramentum sumunt, nemini dubium esse debet, quin ita Filium Dei in se admittant, ut ejus Corpori tamquam viva membra inferantur, inquit Concilii Tridentini Catechismus.

Præterea, cum ex Christi Passione fructus omnis spiritualis, seu gratia nobis proveniat, consentaneum est in hoc Sacramento tanto copiosorem nobis gratiam conferri, quanto magis præ ceteris Sacramentis hic Passio Christi recolitur, & repræsentatur. Nam alia quidem Sacramenta ad certum aliquem effectum Passionis Christi consequendum sunt instituta; istud autem præcipue ad hoc, ut perenniter in memoriam passionis ejus & offeratur, & sumatur. Unde Dominus Matthæi xxvi. ait: *Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Apostolus I. ad Corinthios xi. 26. *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Hinc S. Jo: Chrysostomus Homilia lxxxiv. in Joannem, ad hæc verba, *Et continuo exivit Sanguis, & aqua,* ait: *Hinc Mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum Calicem accedis, tamquam ab ipso latere hauriens, accedas.* Quamobrem publica voce testatur Ecclesia, quod in hoc Sacro Christi Convivio Recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia. Et in Canone Miisæ orat, *Ut quotquot ex hac Altaris participatione sumperimus, omni benedictione celesti, & gratia repleamur:* id est, omni genere celestium donorum, quibus in Deum tenditur. Et S. Augustinus Lib. II. Contra Epistolam Parmeniani, cap. vi. ait: *Unum, atque idem Sacrificium propter nomen Domini, quod invocatur, & semper sanctum est, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit.* Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit... Qui ergo manducat digne, gratiam sibi manducat, & bibit.

1. Cor. 11.
19.

Tertio, cum hoc Sacramentum tradatur per modum cibi, & potus; omnem effectum, quem cibus, & potus naturalis producit quantum ad vitam corporalem (quo scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat) hoc Sacramentum operatur quantum ad vitam spiritualem. Unde Christus Joannis vi. ait, *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Hinc Clemens Alexandrinus Lib. I. Pedagogi cap. vi. *Verbum, inquit, est omnia infanti & pater, & mater, & pædagogus, & altor.* Comedite, inquit, Carnem meam, & bibite meum Sanguinem... *Ipse itaque, qui est dilectus, & altor noster Verbum, effudit pro nobis suum Sanguinem, salutem humanæ nature afferens, per quem, qui in Deum credimus, ad mamillam Patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum confugimus. Illi sunt vere beati, qui hanc lactant mamillam... Si in Christo regenerati sumus, qui nos regeneravit, proprio lacte nutrit, nempe Verbo. Quidquid enim generavit, ei, quod generatur, protinus alimentum præbere est consentaneum.* Hinc S. Ambrosius Lib. v. De Sacramentis, cap. iv. *Ille, inquit, Panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Hanc rationem usurpat Concilii Tridentini Catechismus., *Quemadmodum, inquit, corpus cibo naturali non conservatur modo, sed etiam augetur, gustusque novam quotidie ex eo voluptatem, & iuavitate percipit: ita etiam sacræ Eucharistiæ cibus non solum animam sustentat, sed vires illi addit, efficitque, ut Spiritus divinarum rerum delectatione magis commoveatur: ob eam causam fit, ut gratiam hoc Sacramento tribui, recte, & verissime dicatur. Jure enim Mannæ comparari potest,*
de

Effectus Eucharistiæ.

de quo scriptum est Sapientiæ vi. 20. *Angelorum esca nutritivisti populum tuum, & paratum panem de celo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suavitatem.*

Quarto, effectus hujus Sacramenti speciebus ipsis, in quibus traditur, significatur. Unde *S. August.* Tractatu xxvi. in *Joannem*, ait: „ Dominus noster Jesus Christus Corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confluit: aliud in unum ex multis acinis confluit. *Et paulo superius:* O Sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis! “ Hujus itaque perceptione Sacramenti Fideles Christo junguntur, & cum eo unum fiunt, tam secundum spiritum, juxta illud Apostoli i. ad Corinthios vi. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est;* quam secundum carnem, juxta illud ad Ephesios v. *Membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus.* Hinc *S. Leo* Serm. xiv. De Passione Domini ait: *Non aliud agit participatio Corporis, & Sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus.* Ex intima conjunctione cum Christo sequitur unio cum universis ejus membris. Hinc idem Apostolus i. ad Corinthios x. *Unus Panis, inquit, & unum Corpus multi sumus, omnes, qui de uno Pane participamus.* Hinc *Cyrillus Alexandrinus* Lib. iii. in *Joannem*: „ Ut ergo, inquit, ad unitatem cum Deo & inter nos contenderemus, atque nos una commisceremur, rationem quamdam excogitavit. Uno enim corpore suo nimirum Fideles benedicens, per Mysticam Communionem tum ipsos inter se, tum secum concorporales effecit. Quis enim eos, qui per illud unum Sanctum Corpus ad unitatem cum Christo conjuncti sunt, diviserit, & a naturali inter se unione removerit? Nam omnes de uno Pane participamus, unum omnes Corpus effici-mur, Christus enim dividi nequit. “ Cum igitur Christus, qui in Eucharistia totus continetur, & ejus Passio, cujus memoria hoc Sacramento recolitur, causæ sint gratiæ, & spiritualis refectio, & charitas, ob quas institutum est, sine gratia esse non possint: manifestum est hoc Sacramento gratiam conferri. Sic ratiocinatur *S. Thomas* III. P. Q. LXXIX. A. i.

Confirmatur ex *Eugenii IV.* Decreto Florentiæ pro Armenis edito, cujus hæc sunt verba: „ Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, sequitur, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt temporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem, & per hoc Sacramentum operatur.

Confirmatur secundo ex Concilio Tridentino, Sessione XIII. c. II. „ Sumi autem voluit *Salvator noster* Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis. Adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tamquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis conjunctione adstrictos esse voluit. Et Canone v. „ Siquis dixerit, vel præcipuum fructum Sanctiss. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire; Anathema sit.

P R O P O S I T I O II.

Sacramentum Eucharistiæ non confert primam gratiam, adeoque nec remissionem peccatorum mortalium per se operatur.

Quemadmodum enim mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest; ita etiam animæ, quæ Spiritu non vivit, sacra Mysteria non prodesse

constat: ac propterea panis, & vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vita conservandæ causa, instituta esse (inquit Concilii Tridentini Catechismus.) Quicumque enim lethalis peccati reus est, habet in se impedimentum percipiendi effectum hujus Sacramenti: tum quia non vivit spiritualiter, & ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi viventis: tum quia non potest uniri Christo, dum est in affectu peccandi mortaliter. Unde S. Augustinus Tractatu xxvi. in Joannem, ait: *De Spiritu Christi non vivit nisi Corpus Christi ... Vis ergo & tu vivere de Spiritu Christi, in Corpore esto Christi.* Hujus ergo Sacramenti effectum non accipiunt, quicumque ad illud accedunt. *Quicumque enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini* (inquit Apostolus.) Hinc S. Augustinus, Lib. v. *De Baptismo*, cap. viii. *Sicut enim* (inquit) *Judas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se Diabolo præbuit; sic indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit; aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & Sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Verum ergo Christi Corpus, & Sanguinem in Sacramento accipiunt etiam illi, qui cum peccati mortalis conscientia, & affectu ad Sacramentum Mensam accedunt: sed hujus Sacramenti effectum, scilicet gratiæ augmentum, non consequuntur. Ut quis igitur Eucharistiam digne recipiat, in statu gratiæ sit oportet habeatque charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

1. Cor. II.

Refertur
Cap. Sicut
Judas, Dist.
14. De Consecratione.

Confirmatur ex cap. *Qui scelerate*, Dist. II. *De Consecratione*, quod ex S. Isidoro Hispalensi sumptum est Lib. I. *De summo bono*, cap. xxiv. *Qui scelerate vivunt in Ecclesia, inquit, & communicare non desunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem sibi proficere, dicente Propheta: Quid est, quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas?* Et Apostolus: *Probet, inquit, se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat.*

Jerem. II.
15.

Effectus Eucharistiæ.

Eucharistiæ igitur Sacramentum remissionem peccati non operatur in eo, qui ipsum percipit, cum peccati mortalis conscientia. *Potest tamen operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto; sicut cum quis primo justificatur a peccato.* (Prima enim gratia nemini tribuitur, nisi Eucharistiam desiderio, & voto percipiat.) *Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus. sed devote, & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, que contritionem perficiet, & remissionem peccati* (inquit S. Thomas III. P. Q. LXXIX. A. III.) *Hoc sensu Ecclesia in Postcommunione pro vivis, & defunctis orat: Præsta, ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, &c.*

P R O P O S I T I O III.

Per Eucharistiam peccata venialia condonantur.

Effectus Eucharistiæ
peccatorum

Istud enim Sacramentum sumitur sub specie alimenti: porro alimentum naturale corpori necessarium est ad restaurandum id, quod innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit. Unde quicquid etiam ardore cupiditatis in dies amittit anima, dum levi aliqua in re parum offendit, totum Eucharistia, eas ipsas veniales culpas, quæ minuunt fervorem charitatis, abstergens, restituit. Unde S. Ambrosius Lib. IV. *De Sacramentis*, cap. VI. *Si quotiescumque effunditur Sanguis, in remissionem peccatorum funditur; debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper*

„ *semper debeo habere medicinam*. Res autem, sive effectus hujus Sacramenti, ut *S. Thomas* loquitur, est charitas non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento: quo fit, ut per illud venialia peccata solvantur. Ita *S. Doctor Q. LXXIX. III. P. A. IV.* Cujus Doctrinam suam fecit Concilii Tridentini Catechismus. *Verum hæc de iis peccatis intelligenda esse monet, quorum sensu, & delectatione animus non permovetur.*

Confirmatur ex *S. Bernardo*, Sermone De Baptismo, & De Sacramento Altaris: *Duo (inquit) Sacramentum hoc operatur in nobis: ut videlicet, & sensum minuat in minimis, & in gravibus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

Sed & multis ante *S. Bernardum* sæculis *S. Cyrillus Alexandrinus*, Lib. IV. in Joannem, *Eulogiæ*, inquit, *particeps fias, credens eam non mortis solum, verum etiam morborum nostrorum depellendorum vi pollere. Christus enim existens in nobis sopit servientem in nostris membris carnis legem, & pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta, in quibus sumus, nobis non imputans, sed potius ut egrotos sanans. Confractum enim alligat, erigit lapsum, ceu Pastor bonus, & qui animam suam ponit pro ovibus suis.*

Merito itaque *Innocentius III.* Lib. IV. De Missa, cap. XLIV. De Eucharistia ait: *Venialia delet, & cavet mortalia.* Merito Concilium Tridentinum hoc Sacramentum vocat *Antidotum*, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Idem profitetur Ecclesia Græca, quæ in suis Euchologiis hunc Ritus præscribit Eucharistiam administrandi: *Sumis, Serve Dei N. pretiosum, & sanctum Corpus, & Sanguinem Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, & vitam æternam.*

P R O P O S I T I O IV.

Tota pœna peccati per Sacramentum Eucharistiæ non remittitur.

Hanc propositionem ut demonstret *S. Thomas III. P. Q. LXXIX. A. V.* obiervat, Eucharistiam duplici respectu spectari posse; primo quatenus Sacrificium est, secundo quatenus Sacramentum. Rationem habet Sacrificii, in quantum offertur; rationem autem Sacramenti, in quantum sumitur: & ideo effectum habet Sacramenti in eo, qui sumit: effectum autem Sacrificii in eo, qui offert, vel in his pro quibus offertur. Si consideretur ergo, ut Sacramentum per se, & ex vi suæ institutionis, nullam omnino pœnam remittit, quia *Non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra ejus.* Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cujus fervore homo non solum remissionem culpæ consequitur, sed & pœnæ: *Ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis, & fervoris.*

Si vero spectetur Eucharistia ut Sacrificium, vim quidem habet satisfaciendi; *Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis:* Unde Dominus ait *Lucæ XXI.* de Vidua, quæ duo græ minuta obtulit: *Plus quam omnes misit.* Quamvis igitur hujus oblationis virtus sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna peccatis eorum, qui offerunt, vel pro quibus offertur, debita; *Tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis; & non pro tota pœna.* Quod autem pars pœnæ dumtaxat, non tota pœna condonetur, *Non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanæ* (inquit *S. Thomas.*) Quamvis autem Eucharistia sit excellentius Baptismo Sacramentum, tota propterea pœnam non condonat, ut Baptismus. Ratio discrimi-

venialium
condonatio;
quibus non
adheret
communi-
cantium af-
fectus.

Effectus Eu-
charistiæ.

nis est, *Quod Sacramentum Baptismi directe ordinetur ad remissionem culpæ, & pœnæ, non autem Eucharistia; quia Baptismus datur homini quasi commorienti Christo, Eucharistia autem quasi nutriendo, & perficiendo per Christum. Ita S. Thomas in Responsione ad primum.*

P R O P O S I T I O V.

Effectus Eu-
charistiæ.

Eucharistiæ Sacramentum Antidotum est, quo a peccatis futuris præservamur.
HÆc Propositio est Concilii Tridentini, Sessione xiiii. cap. ii. & nititur Christi Domini verbis, Joannis vi. 50. *Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Quod certe de morte corporis intelligi non potest, qua moriuntur & qui cœlestem illum Panem manducant; sed de morte animæ, quæ est peccatum, intelligi debet. Sicut enim hominis corpus duplici medio a morte servatur: primo, quatenus interius munitur, & roboratur contra corruptionis principia, quod fit cibi, & medicinæ subsidio; secundo, quatenus munitur contra externas hostium impugnationes, quod fit armorum præsidio: ita Eucharistiæ Sacramentum nos a criminibus puros, & integros, atque a tentationum impetu incolumes servat, ut tamquam cœleste medicamentum animam præparat, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno facile infici, ac corrumpi queat. Quia enim hominem Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis tamquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina, secundum illud Psalmi ciiii. 14. *Et panis cor hominis confirmet.* Quatenus vero signum est Passionis Christi per quam victi sunt dæmones, dæmonum impetus repellit. Antidotum quidem est contra interiora, & domestica peccati incentiva, quatenus auget charitatem; quia (ut *S. Augustinus* ait Lib. *Quæstionum Octoginta trium*, Q. xxxvi.) *Charitatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis. Perfectio, nulla cupiditas.* Hinc *Canticorum* i. dicit Sponsa: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi.* Sicut enim Myrrha servat corpora a vermibus incorrupta, sic Corpus Christi corda Fidelium a pravis cogitationibus illæsa: quia cum dilectum Dominum suscipimus, si fasciculum Myrrhæ, id est, amaritudinem Passionis ejus pia mente cogitamus, vermes malarum cogitationum a nobis repellimus. Hinc *Zachariæ* ix. vocatur *Vinum germinans Virgines*, id est, virginales, & castas in nobis affectiones suscitans. Clypeus vero cordis est contra tentationum impetus, quatenus Corpore, & Sanguine Christi nos protegit. Hinc *Isaiæ* xxi. 5. dicitur: *Pone Mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes: surgite Principes, arripite clypeum.* Quem locum explicans *S. Hieronymus*, id credentibus omnibus per Prophetam dictum ait: *Ut comedentes, & bibentes Corpus, & Sanguinem Domini vertantur in Principes Ecclesiæ; & cum Apostolis audiant, Surgite: arripiantque clypeum fidei, in quo possint ignita diaboli jacula extinguere, & dicant cum Propheta: Domine, ut scuto bonæ voluntatis tue coronasti nos.*

Psalm. 5. 13.

Eucharistiæ
effectus im-
minutio cu-
piditatis.

Primum illum Eucharistiæ effectum, scilicet, cupiditatis imminutionem spectant præclara illa verba *Arnoldi*, Abbatis Bonævalis, seu Auctoris alterius Sermonis *De Cæna Domini*, inter Opera *S. Cypriani*: „ Quam præclarus est (inquit) „ Calix iste, quam religiosa est hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo) „ & quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum, „ hujus mundi, sed divitiis purpurati delicias contemnentes, cruci hæremus, „ Sanguinem fugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus lin- „ guam. *Et infra*: Vident hæc Sacramenta pauperes spiritu, & hoc uno „ contenti ferculo, omnes Mundi hujus delicias aspernantur: & possiden- „ tes; Christum aliquam hujus Mundi possidere suppellectilem dedignantur. Esurientes, & sitientes justitiam cum saturati fuerint, vide, quid agant, „ intellige, quæ loquantur, quam sancti odoris sit, quicquid illa „ eructat

eruat plenitudo ; verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos ; sensus pacificos illa interior sinceritas ubique diffundit.

Alterum hujus Sacramenti effectum, scilicet tentationum victoriam, & robur contra Dæmonum impugnationes, spectat præclarus ille *S. Cypriani* locus Epistola LIV. „ At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione Corporis, & Sanguinis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra Adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? *Et infra*: Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit.

Tentationum victoria, Eucharistiæ effectus.

Vim illam sacrorum Mysteriorum egregie quoque *Sandus Jo: Chrysostomus* exponit Homilia XLV. in Joannem: „ Ab illa (*inquit*) Mensa tamquam leones ignem spirantes surgamus, diabolo terribiles effecti Hinc Mysticus Sanguis Dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim cum Dominicum Sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt.... Quod si ejus figura tantam habuit vim in Templo Hebræorum, & in media Ægypto liminibus aspersus, longe magis veritas, &c.

Eucharistiæ effectus.

In eandem sententiam *S. Ambrosius* Ser. VIII. in Psal. CXVIII. *Moyser* (*inquit*) „ Agnum immolavit, ut manducantes eum, & Pascha Domini celebrantes, non occuparentur Exterminatoris insidiis; ne inermes, & vacuos spiritualis alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent. Præveni & tu insidias Tentatoris, instaure prius cælestis convivium. Indictum est jejunium, cave ne negligas .. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cælestis sis vacuus Sacramenti. Differ aliquantulum, non longe finis est diei: immo plerique sunt ejusmodi dies; ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda Oblatio. Tunc utique paratus assiste, ut accipias tibi munimentum; ut Corpus edas Domini Jesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio divinæ reconciliationis, & protectionis æternæ. Suscipe ante Dominum Jesum tuæ mentis hospitio: ubi Corpus ejus, ibi Christus est. Cum hospitium tuum Adversarius viderit occupatum cælestis fulgore præsentis, intelligens locum tentamenti suis interclusum esse per Christum, fugiet, ac recedet: & tu mediam noctem sine ulla offensione transibis.

Victoriæ de diabolo, mundo, & carne per Eucharistiâ reportandæ insignis figura fuit panis ille alicui per somnium visus, quo subversa sunt Madianitarum castra, Judicum VII. 13. *Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, & in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit ... Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis: tradidit enim Dominus in manu ejus Madian, & omnia castra ejus.*

P R O P O S I T I O VI.

Sacræ Eucharistiæ summa vis est ad æternam gloriam comparandam.

Scriptum est enim Joannis VI. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Præterea Christus in Eucharistia reipsa præsens, per suam Passionem hoc Sacramento representatam aperuit nobis aditum ad vitam æternam, secundum illud ad Hebræos IX. *Novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, qui*

vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hereditatis. Et in forma hujus Sacramenti dicitur: *Hic est Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti.*

Refectio etiam spiritualis, & unitas per species panis, & vini significata, habentur quidem in presenti, sed imperfecte: perfecte autem in statu gloriæ. Unde S. Augustinus Tractatu xxvi. in Joannem, ait: *Cum cibo, & potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant; hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit, id est societas ipsa Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta.*

Eucharisticæ
affectus.

Verum sicut Passio Christi, in cujus virtute hoc Sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ, non tamen ita ut statim per ipsam introducamur in gloriam; sed oportet, ut prius compatiamur, ut postea simul glorificemur (ut dicitur ad Rom. viii.) ita hoc Sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam; & ideo *Viaticum* dicitur: in cujus figuram legitur *111. Regum xix.* quod *Elias comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad Montem Dei Oreb.* Ita S. Thomas *111. P. Q. LXXIX. A. 11.*

Hos omnes Eucharistiæ fructus S. Carolus paucis complectitur in Instructionibus De Sacramento Eucharistiæ. *Gratiam* (inquit) *in animam influit, cum pure, & sancte sumitur: Qui manducat, inquit Dominus, meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui enim pietatis, & religionis studio affecti hoc Sacramentum sumunt, Christi Corpori; tamquam viva membra inseruntur; siquidem scriptum est: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Joan. 6.

- „ Animam alit, atque sustentat: quosque usus corpori panis, & vinum
- „ affert, eos omnes animæ saluti, & jucunditati, ac meliori quidem, ac perfectiori ratione, Eucharistiæ Sacramentum præbet.
- „ Vires animæ addit, efficitque, ut spiritus divinarum rerum delectatione magis commoveatur, virtutibus augeatur, ac divine corroboretur.
- „ Venialia peccata hoc etiam Sacramento remittuntur: ut merito dicat S. Ambrosius, Panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis.
- „ Vires præbet, ut a criminibus Fideles puros, & integros, atque a temptationum impetu incolumes se conservent. Ac præterea tamquam cœlesti medicamento animam præparat, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno facile infici, & corrumpi queat.
- „ Concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos Fidelium vehementer inflamat.
- „ Postremo, ut uno verbo dicatur, summam vim habet ad æternam gloriam comparandam: ejus videlicet gratia, dum hanc vitam Fideles degunt, conscientiæ pace, & tranquillitate perfruuntur. Deinde ejus virtute re-creati, non secus atque Elias, qui subcinericii panis fortitudine ambulavit usque ad montem Dei Oreb, cum ex vita emigrandi tempus advenit, ad æternam gloriam, & beatitudinem ascendunt.

2. Reg. 19.

P R O P O S I T I O VII.

Eucharistia sumentibus prodest, non solum quatenus est Sacramentum, sed etiam ut Sacrificium; non sumentibus vero, ut Sacrificium dumtaxat spiritualem utilitatem affert.

Effectus Eucharistiæ quatenus Sacramentum est, & quatenus Sacrificium.

Prima pars Propositionis liquet: Sacrificium enim Eucharistiæ pro omnibus sumentibus offertur. Unde dicitur in Canone Missæ: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.*

Pars altera Propositionis patet ex aliis verbis ejusdem Canonis: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum Pro quibus tibi*

offer

offerimus, vel, qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ.

Utrumque porro proficiendi modum Christus expressit *Matth. xxvi. & Luc. xxi.* dicens: *Qui pro vobis (scilicet sumentibus) & pro multis (scilicet aliis) effundetur in remissionem peccatorum.*

Non æque tamen omnibus prodest. Sic enim Passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adaptionem gratiæ, & gloriæ; sed effectum non habet nisi in illis, qui Passioni Christi conjunguntur per fidem, & charitatem: ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ Passionis, non habet effectum nisi illis, qui conjunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem. Unde *S. Augustinus* ait: *Quis offerat Corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi? Et in Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam. Illis autem, pro quibus offertur, Prodest plus, vel minus, secundum modum devotionis eorum (inquit S. Thomas III. P. Q. lxxxix. A. vii.)*

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Eucharistiam pro aliis sumere, devotio recens, nec auctoritate, nec ratione fulta.

ID enim priscis Patribus, & Vitæ Spiritualis Magistris incognitum. Præterea, Christus hoc Sacramentum instituit per modum cibi, & potus: cibum autem, & potus alteri non prodest a sumente. Quis enim alterum rogat, ut pro se manducet, & bibat? Tertio, *Sumptio pertinet ad rationem Sacramenti, sed Oblatio pertinet ad rationem Sacrificii: & ideo ex hoc, quod aliquis sumit Corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod juvamentum (inquit S. Thomas Quæstione, & Articulo mox laudatis, in Responsione ad III. Objectionem.)* Nec dici potest, Communionem ab uno factam alteri prodesse per modum satisfactionis: quia hoc Sacramentum *Non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra ejus, sicut & nutrimentum unitur nutrito, ut loquitur S. Thomas Articulo v. ejusdem Quæstionis.*

Fatendum est tamen, cum hujus Sacramenti virtute gratia, & charitas in iis, qui Corpus Domini digne manducant, augeatur, preces ipso Communionis die factas, aliaque opera satisfactoria, ut jejunia, eleemosynas, &c. præcipuam quamdam vim habere ex Communione præcedente impetrandi divina beneficia, & satisfaciendi tum pro ipsis, tum pro aliis. Hoc solum sensu Communionis unius alteri prodest. Hoc enim commune est Eucharistiæ cum aliis Sacramentis, ut sub ratione Sacramenti non prodest nisi sumentibus. Unde sicut Baptismi, Confirmationis, Penitentia, Extremæ Unctionis fructus ad eos dumtaxat pertinent, qui hæc Sacramenta suscipiunt; ita ut unum pro alio Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Extremam Unctionem suscipere, peccata confiteri, & absolvi, res sit plane inaudita, & Christi institutioni, Ecclesiæ moribus, ac rectæ rationi repugnans: ita & Communionis fructus ad eum dumtaxat pertinet, qui Christi Corpus digne recipit, non ad alios. Hoc ratiocinium auctoritate *S. Thomæ* confirmatur. Articulo enim *vii.* supra laudato hanc sibi primo loco proponit objectionem: *Hoc Sacramentum est unius generis cum aliis Sacramentis: sed alia Sacramenta non prosunt nisi sumentibus; sicut effectum Baptismi non suscipit nisi baptizatus: ergo nec hoc Sacramentum prodest nisi sumenti.* Ad eam autem Objectionem sic respondet: *Dicendum, quod hoc Sacramentum præ aliis habet, quod est Sacrificium: & ideo non est similis ratio.* Constans igitur *S. Thomæ* doctrina est, Eucharistiam a-

Devotio recens, nec probata.

illis a fumentibus non prodesse, ut Sacramentum, sicut nec alia Sacramenta profunt aliis, quam suscipientibus; sed tantum, ut Sacrificium. Quamvis indirecte (ut loquimur) aliis tum Vivis tum Defunctis profit, quia fervorem charitatis excitat, ratione cujus orationes, & eleemosynæ ab homine Christiano, & iusto pro aliis Deo oblatae, illis impensius suffragantur.

R E G U L A II.

Devotio
propostera. **P**ropostera devotio est, plures Hostias consecratas in Sacra Communione sumere: nec Sacerdotes huic superstitioni decretarum quarundam muliercularum connivere debent.

Exod. 16. 18. Nam ex hoc, quod Sacerdos plures Hostias consecrat in una Missa, non multiplicatur effectus hujus Sacramenti: quia non est nisi unum Sacrificium: nihil enim plus est virtutis in multis hostiis consecratis, quam in una, cum sub omnibus, & sub una non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una Missa multas Hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum Sacramenti (inquit S. Thomas A. VII. supra laudato, in Responsione ad III. Objectionem.) Quæ doctrina confirmatur cap. Ubi pars, Distinct. II. De Consecratione, cujus hæc sunt verba: Ubi pars est Corporis, est & totum: eadem ratio est in Corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præcessit: de quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit minus. Non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda Mystério, sed virtus Sacramenti spiritualis.

Idem confirmat Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Innocentii XI. Pontificis Auctoritate probatum; & roboratum die 12. Febr. MDCLXXIX. Episcopi (inquit) Parochi. seu Confessarii insuper admonent, nulli tradendas plures Eucharistice formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.

P R O P O S I T I O VII.

Peccata venialia effectum omnem Sacramenti Eucharistice non impediunt.

An peccata
venialia ef-
fectum Eu-
charistice
impediant? **S**pectari namque possunt vel ut præterita, vel ut actu commissa. Si spectentur quatenus transierunt actu, manent autem habitu, & reatu, id est, secundum maculam, & debitum pænæ, Nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti; potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissa, devote accedat ad hoc Sacramentum, & plenarie hujus Sacramenti consequatur effectum (inquit S. Thom. III. P. Q. lxxix. A. VIII.) Cum enim Eucharistia vim habeat peccata venialia remittendi, ut supra ostensum est, neque pugnent cum habitu charitatis; hujus Sacramenti effectum omnem, scilicet incrementum gratiæ, & charitatis impedire non possunt. Unde Conc. Trid. Sess. XII. c. VII. significat eum, Qui nullius sibi conscius est mortalis peccati, paratum esse, quantum necesse est, ut Sacram Eucharistiam digne percipiat. Et cap. VIII. declarat, Illos sacramentaliter simul, & spiritualiter Eucharistiam sumere, Qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induiti ad divinam hanc Mensam accedant. Quicumque vero lethalis peccati purus est, vestem nuptialem est indutus: quamobrem ipsi salutaris est Corporis Domini manducatio, etiamsi peccatis venialibus sit implicatus.

Si vero secundo modo spectentur peccata venialia, ut nimirum actu committuntur, vel placent, Non ex toto quidem impediunt hujus Sacramenti effectum, propter easdem rationes; sed ex parte. Dicitur enim, quod effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis (inquit S. Thomas III. P. Qu. lxxix. A. VIII.) Emendat priorem sententiam Doctor Angelicus, quam his verbis expresserat Commentario in IV. Sentent. Dist,

Dist. XII. Qu. II. A. I. Quæstiunc. III. *Quia omnis perfectio acquirenda im-*
editur per remotionem propriæ dispositionis, actus autem se habent ad perfe-
ctionem finis consequendam, sicut se habent materiales dispositiones ad conse-
quendam perfectionem formæ: cum Sacramentum Eucharistiæ perficiat suscipien-
tem, prout conjungit eum fini; ad hoc, quod effectum suum plene habeat in su-
mente oportet, quod adsit actualis devotio: & quia absque mortali peccato in-
terdum actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impe-
diant, & peccata venialia virtutum actum tollant; absque peccato mortali po-
test effectus hujus Sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ
non consequatur: nec tamen reatum peccati mortalis incurret, sed forte venia-
lis peccati, ex hoc quod imparatus accedit. Hanc Opinionem merito retra-
ctavit S. Thomas: cum enim peccatum veniale non repugnet habitui cha-
ritatis, sed ejus dumtaxat fervori, hunc tantum fervorem impedit, non ip-
sius charitatis incrementum. Proinde qui cum affectu peccati venialis ad
Communionem accedit, non manducat indigne Corpus Domini, nec judicium
sibi manducat. Mundus est enim, & non indiget, nisi ut pedes lavet, id est,
labeculas illas, quæ ex terrena conversatione adhærent, & nimium ad res
creatas affectum exuat, quibus tamen Creatorem præponit, ita comparatus,
ut illas penitus abjiceret, si animam a Deo separarent.

Joan. 13:
10.

C A P U T IV.

DE MINISTRO SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum solus Sacerdos sit Minister Eucharistiæ?

PROPOSITIO I.

Solus Sacerdos Eucharistiæ consecrandæ Minister est.

Solis enim Apostolis, & in eorum persona Sacerdotibus collata est a Chri-
 sto Domino potestas faciendi, quod ipse fecerat, consecrandi scilicet si-
 mul, & manducandi, bibendique Corpus, & Sanguinem suum sub hoc San-
 ctissimo Sacramento, ut constat ex *Luc. xxii. cap. Et accepto pane, gratias*
egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis
datur: hoc facite in meam commemorationem. Quæ nisi ad actionem Consecra-
 tionis referantur, nullum de consecranda Eucharistia divinum mandatum in
 Scriptura sacra expressum erit: quod ne Lutherani quid, & Calvinistæ admittent.

Eucharistiæ
consecran-
de Minister

Propositionem nostram Traditio confirmat, cujus testes SS. Patres. *Atha-*
nasius Apologia II. sive Synodus Alexandrina ab eo relata, calumniam de
 calice a *Macario* contracto diluens, nullum esse Sacerdotem docet, qui ab
 Ecclesia non fuerit ordinatus. *Presbyter autem, qui fingitur adfuisse, est ille*
toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia ordinatus est Presby-
ter, neque cum a Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam reci-
piebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus: quo pacto igitur
Presbyter Ischyras, aut quo tandem Auctore constitutus? ... Quomodo igitur
homo privatus, & privatas ædes inhabitans, poculum mysticum sibi con-
creditum habuit?

S. Epiphanius Hæresi LXXXIX. quæ est Collyridianorum. *Mulieres quedam*
(inquit) currum, seu sellam quadratam adornantes, ac linteo desuper extento
solemni tempore, per aliquot dies panem proponunt, & in Mariæ nomen offerunt.
Hæreticam illam superstitionem sic refellit Sanctus Antistes: Si Sacerdotium
mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia li-

seret, nulli potius, quam Mariæ illud in Novo Testamento committi Sacerdotis Officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio, sinuque suo Regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique Filium exciperet... Verum longe Deo aliter est visum: ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta: cum alioqui tingi ab illa Christus potius, quam a Joanne potuisset.

Idem Epistola ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum. „ Cum (inquit)
 „ vidissem, quia multitudo Sanctorum Fratrum in Monasterio consisteret,
 „ & Sancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam, &
 „ humilitatem nollent debita nomini suo exercere Sacrificia, & laborare in
 „ hac parte Ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est; invenire au-
 „ tem & comprehendere servum Dei non posses, qui te, eo quod grave o-
 „ nus Sacerdotii nollet suscipere, sæpe fugiebat... Cum celebraretur Collecta
 „ in Ecclesia villæ, quæ est juxta Monasterium nostrum ignorantem eum,
 „ & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi
 „ jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens adjuraret nos per
 „ nomen Christi: & primum Diaconum ordinavimus... Et cum ministraret
 „ in sanctis Sacrificiis, rursus eum, ingenti difficultate, tento ore ejus, or-
 „ dinavimus Presbyterum: & iisdem verbis, quibus antea suaseram, im-
 „ pulimus, ut sederet in ordine Presbyterii. Post hæc scripsimus ad Sanctos
 „ Presbyteros Monasterii, & ceteros Fratres: & increpavimus eos, quare non
 „ scripsissent super eo, cum ante annum multos eorum queri audissem, cur
 „ non haberent, qui sibi Domini Sacramenta conficerent, &c.

S. Jo: Chrysostomus Lib. II. De Sacerdotio, cap. III. „ Cum conspicis Domi-
 „ num immolatum, & illic situm Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac
 „ preces fundentem; tum vero turbam circumfusam pretioso illo Sanguine in-
 „ tingi, ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, atque in terra con-
 „ sistere censes? An non potius e vestigio in cœlos transferri? An non carnis
 „ cogitationem abjiciens, nudo animo, mente pura circumspicis, quæ in Cœlo
 „ sunt? Etenim Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum
 „ cœlestium classem, ordinemque referendum est. Atque id perquam merito:
 „ quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia
 „ quævis creata potentia, sed ipse Paracletus Ordinem hujusmodi disposuit,
 „ qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus auctor fuit, ut
 „ Angelorum Ministerium animo conciperent. Et Homilia De Proditione
 „ Judæ: Sacerdotis ore verba proferuntur, virtute autem Dei consecrantur.

Eucharistiæ
 consecrandæ
 Minister.

S. Ambrosius Lib. IV. De Sacramentis, cap. III. Cum venit, inquit, ad
 Sacramentum Venerabile conficiendum, jam non suis, sed Christi sermonibus
 utitur, qui conficit Sacerdos.

S. Hieronymus Epist. ad Paulinum: Absit (inquit) ut quidquam sinistrum
 de illis loquar, qui sacrum Christi Corpus ore proprio conficiunt.

Idem Fidei dogma confirmatur Conciliorum oraculis. Concilium scilicet
 Nicænum Canone XIV. Diaconos arguit Eucharistiam Sacerdotibus ministran-
 tes, quia Neque Regula, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi Sacrificiis
 non habent potestatem, his qui offerunt, Corpus Christi porrigant.

Concilium Oecumenicum Lateranense sub Innocentio III. ut habetur cap.
 Firmiter, Extra, De Summa Trinitate, & Fide Catholica, de Eucharistia sic
 loquitur: Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui
 vite fuerit ordinatus.

Concilium Tridentinum Sessione XXII. cap. I. Christus, inquit, Sacerdotem
 secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus,
 & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit: ac sub
 earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes

constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: HOC facite in meam commemorationem; uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Et Can. 11. Si quis dixerit, illis verbis, HOC facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes: aut ordinasse, ut ipsi, alique offerrent Corpus, & Sanguinem suum; Anathema sit.

Denique S. Thomas 111. P. Q. lxxx. A. 1. eandem veritatem sic probat: Eucharistia conficitur in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam: sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc Sacramentum; ita Sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino: *Hoc facite in meam commemorationem*: igitur proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum. Quamvis autem Laicus baptizare possit, non propterea Eucharistiam consecrare potest: perceptio enim Eucharistiæ non est tantæ necessitatis, ac Baptismus; & ideo licet in necessitatis articulo Laicus possit baptizare, non tamen potest hoc Sacramentum conficere.

At (inquies) Sacerdos hoc Sacramentum conficit in persona Christi: sed homo sanctus, etsi Laicus, Christo conjunctus est per charitatem: videtur ergo Eucharistiam consecrare posse. Unde Auctor Operis Imperfecti in Evangelium S. Matthæi, sub nomine S. Jo: Chrysostomi editi, explicans hæc verba cap. xxiii. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribe, & Pharisei*, ait: *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: multi nomine, pauci opere: quia Cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis Sacerdos Sanctus est, sed omnis Sanctus Sacerdos.*

Respondetur, Laicum iustum conjunctum esse Christo unione spirituali per fidem, & charitatem, non autem per sacramentalem potestatem... Et ideo spiritale quidem Sacerdotium habet ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur Psal. l. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*: & ad Romanos xi r. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*. Et I. Petri ii. dicitur: *Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias*: sed non habet Sacerdotium proprie dictum & hierarchicum, atque potestatem offerendi, & consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi.

Relegantur, quæ diximus Tractatu *De Sacramentis in genere*, c. vii. Ar. i.

P R O P O S I T I O II.

Quamvis Eucharistiæ dispensatio ad Sacerdotes jure pertineat, Diaconis tamen, urgente necessitate, ab Episcopo committi potest ut Ministris extraordinariis.

Eucharistiæ dispensandæ Minister.

Prima pars propositionis probatur ex S. Paulo I. ad Cor. iv. Apostolos, & eorum Successores vocante *Ministros Christi*, & dispensatores *Mysteriorum Dei*.

Item ex Tertulliano Lib. De Corona, cap. iii. Eucharistiæ (inquit) Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu, quam Presidentium sumimus.

Tertio ex Concilio Tridentino Sess. xiiii. cap. viii. In sacramentali autem sumptione (inquit) semper in Ecclesia mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent. Qui mos tamquam a Traditione Apostolica descendens jure, ac merito retineri debet. Et Sessione xxiiii. cap. i. Hæc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi, Sacræ Litteræ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ Traditio semper docuit.

Quarto ex cap. Pervenis, Dist. ii. De Consecratione, quod ex Concilii Rhemensis

sis Canone II. sumptum est. & sic habet: *Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant Divina Mystera, ut Laico, vel fœminæ sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur, ne Sacrarium ingrediantur, nec ad Altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur. Quod quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat: sed omnimodis Presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.*

Sed alia multo turpior corruptela nono sæculo in quibusdam Galliæ locis invaluerat; ut mulieres ad Altaria impudenter irrumperent, & Eucharistiam populis ministrarent. Quem abusum Synodus Parisiensis anno DCCCXIX. execrata est, & emendavit Lib. I. cap. XLV. „ Quidam (*inquit*) nostrorum ve-
 „ terum virorum relatu, quidam etiam visu didicimus, in quibusdam Pro-
 „ vinciis contra legem divinam, canonicamque institutionem, fœminas sanctis
 „ Altaribus se ultro ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere, &
 „ indumenta Sacerdotalia administrare; & quod his majus, indecentius, ine-
 „ ptiusque est, Corpus, & Sanguinem Domini populis porrigere, & alia quæq;
 „ quæ ipso dictu turpia sunt, exercere. Miranda sane res est, unde is illicitus
 „ in Christiana Religione irrepsit usus, ut quod viris sæcularibus illi-
 „ citum est, fœminæ, quarum sexui nullatenus competit, aliquando contra
 „ fas sibi licitum facere potuerint. Inhibet Synodus, ne id ulterius fiat, ju-
 „ betque Episcopis, ut huic abusui refecando invigilent.

Quinto, Sacerdos consecrat in persona Christi: Christus autem Corpus suum in Cœna consecravit, & aliis sumendum dedit: unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio Corporis Christi; ita ad eum pertinet ejusdem Sacratissimi Corporis dispensatio.

Sexto, Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum: unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre; ita ad eum pertinet Dona sanctificata divinitus populo tradere. Ita ratiocinatur *S. Thomas III. P. Q. Ixxxii. A. III.*

Verum (*inquit* Catechismus Tridentini Concilii post eundem Angelicum Doctorem) ut quacumque ratione tanti Sacramenti dignitati consuleretur, non modo ejus administrandi potestas solis Sacerdotibus data est, sed Lege etiam Ecclesia vetuit, ne quis, nisi consecratus esset, sacra vasa, lintea, & alia instrumenta, quæ ad illius confectionem necessaria sunt, tractare auderet, modo gravis aliqua necessitas non occurreret. Exolevit itaque mos ille antiquus accipiendi manibus Eucharistiam, & eam domum deferendi, penisque gravissimis in transgressores decretis sancitum est, ne quis eam, sacris Ministris exceptis, attrectaret. Hinc Concilium Toletanum I. anno Christi CCC. Canone XIV. *Si quis*, *inquit*, *acceptam a Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur*: idque primum in Hispania constitutum est propter Priscillianistas Hæreticos, & alios Infideles, ut indicat Concilium Toletanum XI. Can. XI. Et hi quidem Canones id unum præcipiunt, ut statim sumatur, nec reservetur, & domum deferatur: quando vero cœperit a Sacerdote in os communicantium immitti, ut fit hodie, incertum est.

Ordo Romanus VI. de Missa vero Episcopali secundus, ita de Communione decernit: *Presbyteri vero, & Diaconi osculando Episcopum, Corpus Christi ab eo manibus accipiant, in sinistra parte Altaris communicaturi; Subdiaconi autem osculando manum Episcopi, ore accipiant Corpus Christi ab eo.* Hinc autem colligitur, ne Subdiaconis quidem tunc permissum Corpus Dominicum manu attingere, multo minus sæcularibus: sed variæ fuerunt diversarum Ecclesiarum consuetudines, nec omnia ubique uno, eodemque tempore recepta, & immutata sunt. Apud Romanos jam ante *S. Gregorii Magni Pontificatum*

Eucharistiæ
dispensandæ
Minister.

Exolevit
mos anti-
quus acci-
piendi ma-
nibus Eu-
charistiam
& domum
deferendi.

Quando cœ-
perit Eucha-
ristia in os
communi-
cantium a
Sacerdote
immitti?

Eucharistia in os communicantium immittebatur a Sacerdote, ut constat ex Libro III. *Dialogorum* ipsius, cap. III. ubi *Agapitum* Papam cuidam muto, & claudo *Corpus Dominicum in os misisse* commemorat.

Pars altera Propositionis, scilicet, quod Diaconis Eucharistiæ dispensatio ab Episcopo urgente necessitate committi possit, probatur Veterum testimoniis, & antiqua Ecclesiæ consuetudine. De qua *S. Justinus* Martyr Apologia, quæ vulgo secunda inscribitur. *Diaconi*, inquit, *atque Ministri distribuunt unicuique presentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam; & ad absentes perferunt.*

S. Cyprianus Martyr Tractatu De Lapsis: *Ubi vero solemnibus adimpletis, Calicem Diaconus offerre presentibus cepit, & accipientibus ceteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit: tunc sequitur singultus, & vomitus: in corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.*

S. Ambrosius Lib. I. *Officiorum* cap. XLI. *S. Laurentium* dixisse refert *S. Sixto* Pontifici, & Martyri: *Cui commisisti Domini Sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Et *S. Leo* Serm. lxxxiii. de eodem *S. Levita*, & Martyre sic loquitur: *Non solum in ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.*

Concilium Carthaginense IV. cui *S. Augustinus* intererat, Canone xxxviii. statuit, *Ut Diaconus presente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus erogat.*

Confirmatur ex *S. Thoma* III. P. Q. lxxxii. A. iii. ad primum, *Diaconus*, inquit, *quasi propinquus Ordini Sacerdotali, aliquid participat de ejus Officio; ut scilicet dispenset Sanguinem, non autem Corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo vel Presbytero. Primo quidem, quia Sanguis Christi continetur in vase; unde non oportet, quod tangatur a dispensante, sicut tangitur Corpus Christi. Secundo, quia Sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam; unde & Sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum. Et quia Diaconi sunt inter Sacerdotem, & populum, magis convenit Diaconis dispensatio Sanguinis, quam dispensatio Corporis.*

Verum etsi congruæ sint *S. Thomæ* rationes, olim Corporis, non minus quam Sanguinis Christi dispensatio commissa est Diaconis, ut ex *S. Justino* Martyre probatum est, & ex *S. Cypriano* colligitur, qui pacem absentibus Episcopis, & Presbyteris a Diaconis datam testis est.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

CUM plures Sacerdotes unam, & eandem Hostiam simul consecrant, ut fit in Sacra Ordinatione, verba consecrationis ita proferre debent, ut ea cum Episcopo ordinante, qui in celebratione Sacrificii primas habet, simul absolvant; eaque debet esse ipsorum intentio, ut simul cum illo consecrent, nihil confecturi, si prius, vel posterius prolationem verborum absolverent.

Nisi enim intentionem ita dirigerent suam, & recens Ordinatorum aliquis Episcopum præveniret, solus ille consecraret, atque ita contingeret Episcopum, qui principaliter celebrat, non consecrare; quod Ecclesiæ intentioni omnino repugnat. Id colligitur ex *Innocentio III.* Lib. IV. De *Mysteriis Missæ*, cap. xxv. *Cum interdum uni Pontifici multi Sacerdotes concelebrent, si forte non omnes simul consecratoria verba pronunciant, queritur, an ille solus conficiat, qui primus pronunciat: quid ergo ceteri faciunt? An iterant Sacramentum? Poterit*

ergo

Eucharistiæ dispensatio Diaconis olim ab Episcopis commissa, & nunc urgente necessitate, committi potest.

De Eucharistiæ consecratione a pluribus Sacerdotibus.

ergo contingere, quod ille non conficit, qui celebrat principaliter, & ille conficiet, qui secundario celebravit, & sic pia celebrantis intentio frustrabitur. Sane dici, & responderi probabiliter potest, quod, sive prius, sive posterius proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad instans prolationis Episcopi, cui concelebrant. Hanc doctrinam sequitur S. Thomas III. P. Q. lxxxii. Art. II.

R E G U L A II.

De sumptione Eucharisticæ a Sacerdote consecrante.

Sacerdos consecrans Eucharistiam, hoc Sacramentum integre sumere tenetur, quotiescumque consecrat.

Ut enim habetur Cap. Relatum, Dist. II. De Consecratione, ex Concilio Toletano XII. Can. v. Modis omnibus tenendum est, ut quotiescumque Sacrificans Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi in Altari immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Christi participem se præbeat. Eucharistia quippe non solum est Sacramentum, sed etiam Sacrificium. Quicumque autem Sacrificium offert, debet Sacrificii fieri particeps; quia exterius Sacrificium, quod offertur, signum est interioris Sacrificii, quo quis se ipsum offert Deo; secundum illud S. Augustini, Lib. x. De Civitate Dei, cap. v. Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est. Unde per hoc, quod participat Sacrificio, ostendit ad se Sacrificium interius pertinere. Similiter etiam per hoc, quod Sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem Divinorum, quorum ipse primo debet esse particeps, ut ait S. Dionysius Libro De Ecclesiastica Hierarchia: ideo ipse ante sumere debet, quam populo dispenset. Unde cap. supra laudato, seu Canone v. Concilii Toletani XII. dicitur: Quale est Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse dignoscitur? Per hoc autem fit particeps, quod de Sacrificio sumit, secundum illud Apostoli I. ad Corinth. x. Nonne, qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Et ideo necesse est, ut Sacerdos, quotiescumque consecrat,umat integre hoc Sacramentum. Ita differit S. Thomas III. P. Q. lxxxii. A. IV. Certum est itaque, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum divino Altari Sacrificium oblaturus accesserit, & se a Communionem suspendarit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia Communionis anno uno repulsum se noverit. Ita statuit Concilium Toletanum XII. supra laudatum. Ita etiam Capitulare Aquigranense Caroli Magni Regis Francorum, editum anno dclxxxix. cap. vi. Auditum est, aliquos Presbyteros Missam celebrare, & non communicare: quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur. Vel quomodo dicere recte potest, si non communicaverit, Sumpsimus, Domine, Sacramenta? Hæc vero per singula Capitula in Statutis Niceni Concilii legere potestis, seu & in aliis Sanctorum Patrum Synodalibus Edictis.

Quamvis autem nemo alia sibi ipsi Sacramenta administret, non sequitur, quod se ipsum communicare non possit. Alia enim Sacramenta ipso usu materiæ perficiuntur: & ideo nullus se ipsum baptizare, confirmare, absolvere, vel ordinare potest, quia in Sacramento non potest esse idem agens, & patiens: unde nec in hoc Sacramento Sacerdos consecrat se ipsum, sed panem, & vinum. In qua consecratione perficitur Sacramentum: usus autem Sacramenti est consequenter se habens ad hoc Sacramentum (inquit S. Thomas in Responsione ad secundam objectionem.) Hinc Sacra Synodus Tridentina Sess. XIII. Canone x. damnat eos, qui dixerint, non licere Sacerdoti celebranti Eucharistiam a se consecratam de manibus suis sumere: Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti se ipsum communicare; Anathema sit.

R E G U L A III.

Si miraculose Corpus Christi in Altari sub specie carnis appareret, aut Sanguis sub specie sanguinis non esset sumendum.

Ita S. Thomas in responsione ad tertiam objectionem, idque verbis Origenis

Homilia VIII. in Leviticum, sub S. Hieronymi nomine a Gratiano laudatis cap. De hac, Dist. II. De consecratione, confirmat: De hac quidem Hostia, que in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illa vero, quam Christus in ara Crucis obtulit, secundum se nulli edere licet. Nec propter hoc Sacerdos transgressor efficitur (inquit S. Thomas) Quia ea, quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset Sacerdoti, ut iterato Corpus, & Sanguinem Domini consecraret, & sumeret. Quod autem sub specie carnis, aut sanguinis appareret, in Sacrario Reliquiarum instar includendum, ac reservandum esset; si talis species ab omnibus, diuque videretur. Ita censuisse plures Italiæ Episcopos, cum huiusmodi miraculum contigisset, refert Guitmundus Lib. II. Satis, inquit, mihi placeret, ut quando Miraculum novum de tantis Mysteriis accidit, id inde ferret, quod mihi Magister meus vireximus sine dubitatione credendum D. Lantfrancus se puero in Italia factum esse narravit. Nam cum Presbyter quidam Missam celebrans, inventam super Altare veram Carnem, & verum in Calice Sanguinem secundum propriam carnis, & sanguinis speciem sumere trepidaret, rem protinus Episcopo suo consilium quesiturus aperuit: Episcopus autem cum multis Coepiscopis ad hoc convocatis, Calicem illum cum eadem carne, & sanguine Domini diligenter opertum, ac sigillatum in medio Altaris includit, pro summis Reliquiis perpetuo reservandum. Verum si quibusdam sub specie carnis, & sanguinis, aliis vero, & ipsi in primis Sacerdoti sub specie panis, & vini Sacramentum, ut prius videatur; vel eidem per aliquod temporis intervallum appareat sub specie carnis, & sanguinis, & postmodum sub specie panis ante Communionem, a Sacerdote celebrante sumi debet: siquidem nulla immutatio facta est in Sacramento, sed solum in oculis videntium, in quibus species illa divinitus formata est ad ostendendam manifesto Corporis, & Sanguinis Christi sub hoc Sacramento veritatem. Ita docet S. Thomas III. P. Q. lxxvi. Art. VIII.

R E G U L A IV.

Sacerdoti non licet a consecratione Eucharistiæ, sive a celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii omnino cessare, etiamsi curam non habeat Animarum.

Ita S. Thomas III. P. Q. lxxi. A. x. Quidam (inquit) dixerunt, quod Sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere; nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, & populo Sacramenta præbere: sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud II. ad Corinthios v. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem Sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius Sacramenti Sacrificium offertur: unde Sacerdoti, etiamsi non habeat omnino curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Festis, & maxime illis diebus, quibus Fideles communicare consueverunt.

Quamvis ergo non teneatur Sacerdos alia Sacramenta administrare nisi propter curam Animarum susceptam, non eadem est Eucharistiæ consecrandæ ratio. Alia enim Sacramenta perficiuntur in usu Fidelium; & ideo in illis ministrare non tenetur nisi ille, qui super Fideles suscipit curam: sed hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur, ad quod Sacerdos obligatur Deo ex Ordine jam suscepto (inquit S. Thomas in Responsione ad primum.) Sacerdotem ex Ordine suscepto ad Sacrificium Deo frequenter offerendum obligari, merito asserit S. Thomas. Id enim nititur S. Irenæi verbis Lib. IV. adversus Hæreses, cap. xxxiv. Ipsum (inquit) Verbum dedit populo præceptum faciendarum Oblationum, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire. Sic & ideo nos quoque offerre vult Munus ad Altarè frequenter sine intermissione.

Hinc

Sacerdotum obligatio respectu celebrationis S. Missæ Sacrificii.

Episcopi, & Presbyteri diebus saltem Dominicis, & Festis Missam celebrare debent.

Hinc Innocentius III. in Concilio Lateranensi Oecumenico, Can. xvii. inter alios, quos emendare operæ pretium ducit, Sacerdotum abusus, hunc recenset: *Sunt & alii, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno: & (quod deterius est) interesse contemnunt: & si quando, dum hæc celebrantur, intersint, Chori silentium fugientes, intendunt exterius colloquutionibus: Laicorum dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & similia sub pœna Suspensionis penitus inbibemus.*

Hinc Tridentinum Concilium Sess. xxiii. cap. xiv. De Presbyterorum dotibus, & munere statuens, hæc habet: *Curet Episcopus, ut ii, saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*

Hebr. 5.

Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo, P. II. Tit. De frequenti divini Sacrificii oblatione ita statuit: *Cum Pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti, pro hominibus constituentur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerant dona, & Sacrificia pro peccatis; Episcopus Dominicis, & reliquis Festis diebus, nisi jure impediatur, Missam celebret.*

Tridentini etiam Concilii auctoritatem secuti, præcipimus Sacerdotibus reliquis, cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis illi sint, ut iisdem diebus Missam celebrare ne omittant.

Curatis vero, ut præterea ter in hebdomada, aut eo etiam sæpius, quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini Sacrificii usum postulabit.

Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. Sacerdotes (inquit) non diebus tantum solemnibus, sed etiam Dominicis, sæpiusque, si fieri potest, sacrificent.

Concilium Burdigalense anno MDLXXXIII. Sacerdotes quosdam, usque adeo nominis, & officii sui crassa quadam socordia oblitos esse dolemus, ut vix semel in annos singulos, aut certe rarissime Sacrificium Missæ faciant. Unde una cum ceteris tales ad Episcopum deferri præcipimus, ut ille pro suo jure, eos omni ratione cogat suum rite munus explere, ac nulli penitus Sacerdotii officio deesse.

Conc. Aquense MDLXXXV. Curati ter in hebdomada sacrum faciant, aut eo etiam sæpius, si vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini Sacrificii usum postulabit.

Sacerdotum obligatio respectu celebrationis SS. Sacrificii Missæ.

Sacrificii oblationem Sacerdotis officium esse, adeoque ad Sacrificium frequenter Deo offerendum omnes, & singulos Sacerdotes, curam etiam animarum non habentes, teneri, probat egregius S. Cypriani locus Epist. lxxiii. *Si Jesus Christus Dominus, & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & se ipsum primum sacrificium Patri obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur.*

Præterea, Sacrificium Missæ in Ecclesia celebratur (inquit Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ) *Ut memoria Passionis ad imitationem inculcetur, ut scilicet Christiani, qui intersunt incruento illi Sacrificio, & Sacerdotes, qui illud peragunt, acerbissimam Christi mortem recordati, ardentissimo ejus amore teneantur, & ejus mortificationem in suo corpore pro virium suarum modulo circumferant, atque ita nimie charitati, qua dilexit nos, quodammodo respondeant. Ad id autem obligari Sacerdotes omnes quis negaverit?*

Denique nota est illa, quæ sub Venerabilis Bedæ nomine circumfertur, Sententia: *Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, privat Sanctam Trinitatem laude, & gloria, Angelos letitia, peccatores venia, justos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam speciali Christi beneficio, seipsum medicina, & remedio.*

R E G U L A V.

Sacerdotes, qui Festis Solemnioribus, & Diebus Dominicis non celebrant, impedimento legitimo cessante, mortalis peccati rei videntur.

Id colligitur ex Concilio Lateranensi, & Tridentino, aliisque supra laudatis. Præterea, cum præceptum de die Dominicæ, Festorumque Sanctificatione a Fidelibus non impleatur, nisi Missæ Sacrificio, qua par est devotione, intersint: Sacerdotes non videntur Dominicam diem, aliosque dies Solemnes sanctificare, nisi Sacris operentur, cum legitimo non detinentur impedimento. Id ex Innoc. I Ep. 11. ad Victoricium Rothomagensis Episcopum confirmatur, cap. 19. ubi Sacerdotes ab uxoribus suis abstinere, & pudicitiam ex die Ordinationis suæ servare debere ostendit, quia nulla ipsis præterit dies, qua vel a Sacrificiis divinis, vel a Baptismatis officio vacent. Nam si B. Paulus ad Corinthios scribit: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi; & hoc utiq; Laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi jugè officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Quod repetit Ep. 111. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, cap. 1. Multo evidentius rei sunt mortalis peccati, qui nunquam, aut raro Missam celebrant. Nam Etiam si nulli homini teneantur, tamen tenentur Deo, ut reddant ei Sacrificium acceptum: Sacerdotibus enim præceptum est: Hoc facite in meam Commemorationem (inquit S. Thomas in iv. Sententiarum, dist. xiiii. qu. 1. art. 11. qu. 1.) Et rursus: Quia (inquit) secundum Gregorium, cum crescunt, sive augentur dona, rationes crescunt donorum; cum Sacerdoti data sit nobilissima potestas, reus negligentie erit, nisi illa utatur ad honorem Dei & salutem suam, & aliorum vivorum, & mortuorum, secundum illud 1. Petri cap. 111. „Unusquisque gratiam, quam accepit, in alterutrum illam administrantes. &c.“ Nisi forte aliquis ex familiari Spiritus Sancti instinctu dimittat: sicut legitur de quodam S. Patre in Vitis Patrum, qui ordinatus, nunquam postea celebravit. Et in ipso Quæstionis limine ita ratiocinatur S. Thomas: Sed contra est, quod Ambrosius dicit: „Grave est, quod ad Mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; sed gravius est, si dum peccatum metuimus, etiam Sacrificium non reddamus:“ Sed primum est mortale, ergo & secundum. Quam ob rem Cajetani sententiam a peccato mortali excusantem Sacerdotes nusquam, aut raro celebrantes, ex ejus Commentariis expungi jussit Pius V. Pontifex Sanctissimus.

1. Cor. 7.

R E G U L A VI.

Eucharistiam extra Missam, aut initio, vel post finem Missæ, citra necessitatem administrari minus decet.

Ut enim S. Dionysius Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, §. xiv. ait, Ipsa Mysteriorum perceptio mysticam eorumdem distributionem antecedit. Hic enim rerum divinarum ordo est, ut prius ipse sacer Antistes communicet, ac iis Donis, quæ per ipsum ceteris divinitus distribuenda sunt, satiatur; ac deinde aliis ea tradat. Veterem hanc fuisse Ecclesiæ Disciplinam, ut post Sacerdotis celebrantis Communionem, Eucharistia Clericis primum, secundum Ordinum gradus, deinde Monachis, Diaconissis, sacris Virginibus; novissime iis ex populo, qui parati erant, administraretur, constat ex Ordine Romano, & ex Veteribus Sacramentariis, ac Liturgicis Libris, ubi Oratio, quæ post Communionem dicitur, pro iis nominatim funditur, qui in Missa communicarunt. Optaret autem Ecclesia, ut Fideles omnes, ac singuli, qui Missæ Sacrificio interfunt, Non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberius proveniret (inquit Synodus Tridentina sess. xxii. cap. vi.)

S. Eucharistiam in Missa post Communionem Celebrantis Fidelibus administrari magis decet.

De hoc Ritu S. Carolus in Conc. Mediolanensi v. p. 1. Tit. IX. ita statuit. *Hoc institutum, quod antiquissimi Ritus est, Sacerdos religiose servet, ut intra Missarum solemniam, postquam scilicet Sanguinem ipse sumpserit, Fidelibus S. Communionem ministret.*

Et Rituale Romanum Pauli V. Titulo De Sacramento Eucharistiæ, hæc præscribit: *Communio autem populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis fieri debet (nisi quando ex rationabili causa post Missam sit accipienda) cum Orationes, quæ in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.*

Ut igitur Ecclesiæ spiritui se accommodent Sacerdotes, S. Communionem, citra necessitatem, populo administrare non debent ante Missam, aut post finem Missæ; sed in Missa ipsa, postquam Christi Corpus, & Sanguinem ipsi sumpserunt. Hinc Radulfus De Rivo Decanus Tungrensis, Lib. De Canonum Observantia, Propositione XXIII. *Postquam, inquit, omnes communicaverunt, dicit Sacerdos sub silentio hanc Orationem juxta Romanum Ordinem: Quod ore sumpsimus mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Qua finita, sequitur Oratio sive Orationes post Communionem, quæ eodem numero, & ordine Orationibus ante lectionem, sive Secretis ante Præfationem dictis debent respondere. Quæ utique Orationes non pro his, qui communicaturi sunt, sed qui jam communicaverunt, juxta proprietatem sui nominis agunt: ergo & ante ipsas communicare non negligant, quicumque earumdem Orationum benedictione fovendi desiderant.*

Denique mos antiquus canendi Antiphonam illam, quæ Communio dicitur, non post ipsam Communionem, ut fit modo in multis Ecclesiis, sed dum populus Communionem perciperet, probat, Eucharistiam intra Missarum solemniam, non ante initium, aut post finem Missæ, citra necessitatem fuisse administratam. Hunc Africanæ Ecclesiæ morem contra maledicam reprehensionem Hilarii cujusdam Viri Tribunitii, edito Libro, qui excidit, vindicavit S. August. ut ipse testatur Lib. II. Retractionum, cap. XI.

R E G U L A VII.

Improbi Sacerdotes consecrandi potestatem non amittunt.

Improbi Sacerdotes Eucharistiam consecrare, & administrare possunt: sed potestate sua male, & indigne utuntur.

Id diserte docet S. August. Lib. v. De Baptismo, cap. XX. *Quomodo (inquit) Deus exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas, id est, per eos, qui oderunt fratres in ipsa intus Ecclesia.*

Idem confirmat cap. Intra Catholicam, qui a Gratiano causa I. qu. I. S. August. tribuitur, cum sit Paschasi Corbejensis Abbatis Lib. de Corpore Domini. *Intra Catholicam Ecclesiam (inquit) in Mystero Corporis, & Sanguinis Domini nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito Consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Sp. Sancti.*

Ne tamen sibi Sacerdotes improbi blandiantur; & se digne, ac fructuose Eucharistiam consecrare posse confidant ex hoc quod Sacerdotes sunt. Ab Altari enim suo Dominus removit maculosos Ministros: Sacrificium tamen verum, ac ratum fore non negavit, quod offerrent, si ad Altare temere, & contra Legem accessissent. Ita intelligenda sunt S. Hieronymi verba in Sophoniæ cap. III. v. 4. *relata can. Sacerdotes causa I. qu. I. Sacerdotes (inquit) qui Eucharistiæ serviant, & Sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi; putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam, & necessariam esse tantum orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur:*

aitur: Et Sacerdos in quo fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domini. Lev. 21.
 no. Id unum docuit S. Hieronymus, vitæ sanctimoniam cum dignitate Sacerdotali conjungendam, ut Sacerdotes Eucharistiam digne, ac fructuose confecerent, ac dispenserent; alioquin ex illorum numero futuros, de quibus Propheta dixit: Sacerdotes eius polluerunt Sanctum, injuste egerunt contra Legem. Sop. 3. 4.

Hanc fuisse S. Hieronymi mentem, hæc ejus verba ibidem ostendunt: Sacerdotes, qui dant Baptismum, & ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt Oleum Chrismatis, manus imponunt, Catechumenos erudiunt, Levitas & alios constituunt Sacerdotes; non tam indignentur nobis hæc exponentibus, & Prophetis vaticinantibus, quam Dominum deprecantur, & studiose agant, ne de Sacerdotibus, qui violant Sancta Domini esse mereantur. Non enim dignitas, & nomina dignitatum, sed opus dignitatis, & Principes, & Judices, & Prophetas, & Sacerdotes salvare consuevit.

Idem S. Doctor, Dialogo Adversus Luciferianos, Consecrationem Eucharistiæ ab impio Sacerdote, non minus ratam esse asserit, quam Baptismum ab eo collatum. Quamobrem (inquit) oro te ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas, cujus Baptisma probas, aut reprobas ejus Baptisma, quem non existimas Sacerdotem? neque enim fieri potest, ut qui in Baptismate sanctus est, sit apud Altare peccator. Refertur can. Sicut Christus, causa i. qu. v.

Sic etiam explicandus est canon Sacrosancta, qui Gelasio Papæ tribuitur ibidem, quamvis nec in Gelasii I. nec in Gelasii II. Epistolis habeatur. Quomodo (inquit) ad Divini Mysterii Consecrationem cœlestis Spiritus invocatus adveniet, si Sacerdos, qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobetur? Sensus est, scilicet Sp. Sanctum non advenire ex merito Sacerdotis, sed ex virtute Christi, cujus verba profert: non advenire ut Sacrificium, & Sacramentum fructuosum sit indigne celebranti, & fumentis; licet adveniat ut ratum, & perfectum sit. Nihil aliud eo capite significatur, quam Sacerdotes criminosos Eucharistiam consecrare, & administrare non debere, ut patet ex his verbis: „ Sacrosancta Religio, quæ Catholicam continet Disciplinam, tantam sibi „ reverentiam vindicat, ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat „ pervenire. Si tamen consecret improbus Sacerdos, rata erit consecratio. Nam „ sicut eadem actio, in quantum fit ex prava intentione ministri, potest esse „ mala; bona autem, in quantum fit ex bona intentione Domini: ita benedictio „ Sacerdotis peccatoris, in quantum ab ipso indigne fit, est maledictione „ ne digna, & quasi infamia, sive blasphemia, & non oratio reputatur: in „ quantum autem profertur ex persona Christi, est sancta, & efficax ad sanctificandum: “ (inquit S. Thomas III. p. qu. LXXXII. A. v. in Resp. ad III.)

R E G U L A VIII.

Sacerdotes Heretici, Schismatici, Excommunicati, Degradati, modo rite sint ordinati, Eucharistiam consecrare possunt.

Sicut enim Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra, cum utrumque Sacramentum quadam Consecratione homini detur: Et quamvis Honores suos administrare, seu functiones Ordinum exercere ipsis non liceat: Non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos (inquit S. Augustinus Lib. II. Contra Epistolam Parmeniani, cap. XIII.)

Quamquam vero canon Arianos, causa i. qu. i. sive Innoc. I. ex cujus Epist. XVIII. sumptus est, dicat, solum Baptisma ab Arianis, & hujusmodi pestibus collatum ratum esse. Quibus (inquit) solum Baptismum ratum esse permittimus. Non sequitur, Eucharistiam ab iis consecratam ratam non esse; sed solum ipsos licite baptizare posse in articulo necessitatis: in nullo autem casu licite posse Eucharistiam consecrare, vel alia Sacramenta con-

Sacerdotes Heretici, Schismatici, degradati, non amittunt potestatem consecrandi Eucharistiam.

ferre. Vel solum Baptismum ratum esse, quoad effectum vel fructum, five cum illud administrant parvulis, five adultis in vitæ discrimine constitutis, & ab eorum heresi schismate, vel criminis societate alienis: non vero solum Baptismum ratum esse, quoad substantiam, veritatem, & perfectionem Sacramenti.

Eucharistie
Sacrificium
fructuose
ab illis non
offertur.

Eodem sensu intelligendum est, quod canone *Extra*, eadem Causa, & Quæstione refertur velut ex Lib. *Sententiarum S. Augustini* apud S. Prosperum, *Extra Ecclesiam Catholicam non est locus veri Sacrificii*. Et quod ait S. Leo, Epistola ad Anatolium: *Aliter quam in Ecclesia, quæ Corpus Christi est, nec rata esse Sacerdotia, nec vera Sacrificia*. Vera quidem Sacrificia non sunt veritate fructus; vera tamen sunt veritate Sacramenti (inquit S. Thomas.) *Extra Ecclesiam igitur non est locus veri Sacrificii, ubi scilicet recte, convenienter, fructuose possit offerri: quia Sacrificium spirituale, quod externo, & visibili Sacrificio adjunctum esse debet, ut illud fructuosum fiat, absq; vera fide, & charitate nullum est. Nec etiam S. Leo simpliciter ait, Sacrificia non aliter vera esse quam in Ecclesia Dei: sed non esse vera, Nisi nos verus immaculati Agni Sanguis emundet: quod fructum solummodo spectat, non Consecrationis veritatem, ac firmitatem.*

„ Quamvis porro Sacerdos orationes fundens in Missa loquatur in persona
„ Ecclesiæ, in cujus unitate consistit; in Consecratione tamen Sacramenti lo-
„ quitur in persona Christi, cujus vicem in hoc gerit per Ordinis potesta-
„ tem: & ideo si Sacerdos ab unitate Ecclesiæ præcisus Missam celebret,
„ quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum Corpus, & Sanguinem
„ Christi: sed quia est ab Ecclesiæ unitate separatus, orationes ejus effica-
„ ciam non habent (inquit S. Thomas in Resp. ad III.)

R E G U L A IX.

Ab illis Eu-
charistiam
accipere
non licet,
nec illo-
rum Mis-
sam audire.

AB Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, Degradatis, Suspensis, vel Irregularibus Sacerdotibus Eucharistiam accipere, aut eorum Missam audire non licet.

Consecrandi scilicet, ac administrandi potestatem absq; gravi peccato, & sacrilegio exercere non possunt, cujus executione per Ecclesiæ Sententiam sunt prohibiti. Quicumq; autem communicat alteri in peccato, fit particeps peccati. Unde S. Joannes Epist. II. de Hæretico homine scribit: *Nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis*. Quam ob rem S. Hermenegildus Martyrium pati maluit, quam Sacrilegæ Consecrationis Communionem ab Episcopo Ariano jussu patris percipere; ut refert S. Gregorius Magnus Lib. III. *Dialogorum*, cap. xxxi.

R E G U L A X.

Sacerdo-
tum forni-
catorum
Missam au-
dire li-
ceat, five
Euchari-
stiam ab il-
lis accipe-
re?

SAcerdotum concubinariorum, vel fornicatorum Missam audire, & ab eis Communionem accipere licet, quandiu ab Ecclesia tolerantur; illos tamen ad sacram facendum, aut administrandam Eucharistiam impellere, aut invitare non licet.

Prima pars hujus Regulæ nititur canone *Sciscitantibus*, causa xv. q. viii. quod Nicolai I. Responsum est ad Consulta Bulgarorum, cujus verba descripsimus in Tractatu *De Sacramentis in Genere* cap. vii. art. ii. Regula i. Id confirmat S. Thomas, III. p. q. lxxxii. art. ix. *Hæretici (inquit) Schismatici, & Excommunicati, sunt per sententiam Ecclesiæ executione consecrandi privati; & ideo peccat quicumq; eorum Missam audit, vel ab eis accipit Sacramentum: sed non omnes peccatores sunt per Sententiam Ecclesiæ executione hujus potestatis privati: & sic quamvis sint suspensi, quantum ad se ex Sententia Divina; non tamen quantum ad alios ex Sententia Ecclesiæ: & ideo usque ad Sententiam Ecclesiæ licet ab eis Communionem accipere, & eorum Missam audire*. Hinc S. Augustinus Serm. cccli. *De Penitentia*, alias quinquagesima inter Homilias quinquaginta, concilians hæc duo Apostoli loca, scilicet I. ad Cor. v. *Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, &c.* Et illud ad Rom.

ad Rom. XIV. Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Hæc invicem non pugnare ait: Noluit enim (inquit) hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum, atq; convictum. Alioquin illud cur dixit, „ Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, 1. Cor. 5: &c. Nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam, cum Sententia ordine iudiciario, atq; integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quoquam crimine nominantur. 21.

Hoc sensu intelligendus est can. Nullus, dist. xxxii. ex Romana Synodo sub Nicolao II. Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Sic intelligenda Greg. VII. & Urbani II. in Epistola ad Lucium Præpositum Decreta: Prædecessores nostri (inquit) Nicolaus & Gregorius a Missis Sacerdotum, quos tales revera esse constiterit (adulteros nimirum, homicidas, ebriosos) Fideles abstinere decreverunt, ut & peccandi licentiam ceteris auferrent, & huiusmodi ad dignæ pœnitentiæ lamenta revocarent. Quibus consonum est Innoc. II. in Synodo Romana Decretum. Idem est sensus noni canonis Conc. Pictavenfis, relati in prima Collect. Decretalium, Tit. II. De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum, Lib. III. c. II. Nullus Presbyter, Diaconus, Subdiaconus concubinam habeat; sed nec aliam fœminam, unde mala suspicio habeatur, in una domo secum teneat. Et quicumque huiusmodi Sacerdotis Missam scienter audierint, excommunicationi subjacere debeant. Hæc intelligenda sunt De concubinario notorio, vel per Sententiam, quæ fertur in convictum, vel per confessionem injure factam, vel per evidentiam facti, quando non potest peccatum aliqua tergiversatione celari (inquit S. Th. III. p. q. Lxxxii. art. ix. in Resp. ad III.)

Regulæ partem alteram adstruit, simul & primam confirmat S. Thomas, Quodlibeto XI. qu. VIII. art. I., Aliquid (inquit) quantum ad jus naturale est per se „ malum, & aliquid malum est, quantum ad jus positivum. Quicumq; enim Sacerdos in peccato mortali existens celebrat, peccat mortaliter: unde si constaret „ mihi eum esse in peccato mortali, & inducerem eum ad celebrandum, peccarem „ mortaliter; & hoc est secundum Jus naturale; quia hoc est provocare eum ad „ peccatum mortale. Jus autem Positivum addit plus, quod non solum non de- „ beam inducere eum ad celebrandum, sed etiam si audiam ejus Missam, pecco „ mortaliter: quod quidem institutum est in pœnam Sacerdotis fornicarii. Atten- „ dendum tamen est, quod hoc non intelligitur de quolibet Sacerdote fornicario, „ sed de publicis fornicatoribus, qui proprie dicuntur publici, quando Judicio, „ & Sententia Ecclesiæ vocantur publici. Unde quicumque a tali fornicario „ publico audit Missam, peccat mortaliter.

R E G U L A XI.

Missa boni, pique Sacerdotis absolute spectata, ut Sacrificium, non est fructuosior Missa mali Sacerdotis; neque quoad orationes ab eo fusas totius Ecclesiæ nomine: fructuosior tamen est ex pietate, & devotione Sacerdotis offerentis, & orantis.

In Missa scilicet duo spectanda sunt: Ipsum Sacramentum, quod est principale, & orationes, quæ in Missa fiunt pro vivis, & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum, non minus valet Missa Sacerdotis mali, quam boni; quia utrobique idem conficitur Sacramentum. Oratio etiam, quæ fit in Missa, potest considerari dupliciter: uno modo in quantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis; & sic non est dubium, quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa. Unde canon Ipsi, causa I. q. I. sub Alexandri I. nomine vulgatus, sic habet: „ Ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt; quia suis „ precibus, & Oblationibus ea delent, atque consumunt: qui quanto digniores „ fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.

Quo sensu Missa boni Sacerdotis fructuosior sit audientibus?

„ *Alio modo spectari potest oratio, quæ fit in Missa, In quantum profertur a Sacer-*
 „ *dote in persona totius Ecclesiæ, cujus Sacerdos est Minister, quod quidem Mi-*
 „ *nisterium etiam in peccatoribus manet, sicut dictum est de Ministerio Christi.*
 „ *Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio Sacerdotis peccato-*
 „ *ris in Missa, sed etiam omnes ejus orationes, quas facit in Ecclesiasticis Officiis,*
 „ *in quibus gerit personam Ecclesiæ, licet orationes hujus privatæ non sint fructuo-*
 „ *sæ, secundum illud Prov. xxviii. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, ora-*
 „ *tio ejus erit execrabilis.* “ Ita *S. Thomas* III. p. q. LXXXI. art. VI.

C A P U T V.

DE USU SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, SIVE COMMUNIONE.

A R T I C U L U S I.

A quibus Eucharistia sumi possit, & debeat?

Triplex
Communi-
onis ge-
nus.

De S. Com-
munione.

Tria gene-
ra homi-
num sacra-
mentaliter
tantum
communi-
cantium.

Triplex Communionis genus cum Tridentina Synodo distinguendum esse supra monuimus. 1. Sacramentalis tantum. 2. Spiritualis dumtaxat. 3. Sacramentalis, & spiritualis simul. Eucharistiam sacramentaliter tantum sumunt peccatores, qui Corpus quidem Christi in hoc divino Sacramento recipiunt, sed non *Usque ad participationem Spiritus*: unde virtutem, & fructum spirituales, idest, salutem animæ, ex eo non hauriunt. His accommodari potest illud Eccl. vi. i., Est malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines: vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem, ut comedat ex eo. *De his Apost. i. Cor. x.* Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. *Et cap. xi.* Quicumque manducaverit Panem hunc, & biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.: Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. De his *S. Augustinus* Tract. xxvii. in Joannem: „ Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut Carnem Christi, & Sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali, sed usque ad Spiritus participationem manducemus, & bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus Spiritu vegetemur, & non scandalizemur, etiam si multi modo nobiscum manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. “ De his canon, *Qui discordat*, dist. II. *De Consecratione*, sub ejusdem *S. Augustini* nomine vulgatus: „ Qui discordat a Christo, nec manducat Carnem ejus, nec Sanguinem bibit, etiam si tantæ rei Sacramentum ad judicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

Sacramentaliter dumtaxat manducantium tria sunt genera: 1. malevoli; 2. dolosi; 3. præsumptuosi. Primi sunt qui Corpus Domini sumunt in peccandi voluntate. Secundi sunt hypocritæ, qui foris boni videntur, cum occulte sint pravi, & tamquam justi accedunt ad Altare. Tertii sunt, qui maxime sunt mali, & tamen audent ad communionem accedere (inquit *S. Thomas* Opusculo LVIII. cap. xvii.) Malevolis convenit illud *Isaiæ* xxix. *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me.* Ore scilicet ad Deum appropinquant per Sacramenti susceptionem, sed cor eorum longe est per peccandi voluntatem. His etiam convenit illud Christi oraculum, *Matth. xv.* *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare illum canibus.* Dolosis, & hypocritis apprime convenit illud *Apost. ii. ad Tim. iii.* *In novissimis diebus*

diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Speciem pietatis habent, quia Sacramentorum eorundem participes sunt cum hominibus piis; virtutem pietatis, idest charitatem abnegant, gravia peccata clam committentes, & manifesta fallaciter excusantes. De illis dicitur Eccl. i. 36. *Ne sis incredibilis timori Domini: & ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum. Ne forte cadas, & adducas animæ tuæ in honorationem, & revelet Deus absconsa tua, & in medio Synagogæ elidat te: quoniam accessisti maligne ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia.* De præsumptuosis, qui Christi Corpus sumere non verentur, magnis licet criminibus implicati, dicitur Matth. vi. *Nolite Sanctum dare canibus.* His convenit illud Psal. xxxiv. *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Et illud Psal. lv. *Conculcaverunt me inimici mei tota die.* Et ad Heb. x. *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?*

Spiritualiter tantum communicant, qui voto propositum illum celestem Panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt. Triplex est hominum ita manducantium ordo; incipientium scilicet, proficientium, & perfectorum: Matth. xv. 38. *Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres.* In parvulis incipientes, in mulieribus proficientes, in viris perfecti designantur. Incipientes manducant spiritualiter ratione fidei salutaris; proficientes, ratione bonæ conversationis; perfecti, ratione devotæ meditationis. Ad primi ordinis homines pertinet illud Apostoli ad Heb. x. *Justus ex fide vivit.* Item illud S. Augustini: *Crede, & manducasti: Daturus Dominus Sp. Sanctum, dixit se Panem, qui de cælo descendit, hortans ut credamus in eum. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat: invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur: Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur.* Alteri hominum ordini convenit illud Eccl. xxiv. *Qui timet Deum, faciet bona: Cibavit eum Dominus pane vitæ.* Item illud Joannis iv. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Tertio hominum ordini, qui desiderio vehementi hujus Sacramenti, & intimæ cum Christo conjunctionis sunt accensi, convenit illud Job xxxi. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? Item illud Eccl. xxlii. Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Nam, ut ait S. Gregorius, *Augent spirituales delicie desiderium in mente, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius amatur.* Item illud Isai. xx. *Domine, nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte; sed & spiritu meo in precordiis meis de mane vigilabo ad te.* Hi non modo Christum ardentem desiderant, sed Incarnationis ejus Sacramenta, & beneficia devote meditantur. Hi deniq; Christo inhærendo, & beneficia illius meditando, mirum in modum delectantur. Unde hæc Scripturæ Oracula merito ipsis accommodari possunt: Isa. lv. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Sap. viii. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed letitiam, & gaudium: Et in amicitia illius delectatio bona.* Psal. xxx. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti zimentibus te!*

Sacramentaliter simul, & spiritualiter communicant, *Qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc Mensam accedant*

Triplex ordo hominum spiritualiter tantum communicantium.

Tract. 25. in Joannem Tract. 26.

Tract. 27.

Hom. 36. in Evangelium.

Quinam sacramentaliter simul, & spiritualiter communicant?

(inquit Tridentina Synodus sess. XII. cap. VIII.) *Perfectus igitur modus manducandi hoc Sacramentum est, quando aliquis ita hoc Sacramentum suscipit, quod percipit ejus effectum* (inquit S. Thomas III. p. q. LXXX. ar. II.) Hoc modus boni dumtaxat Christiani communicant, non mali, qui propterea æterna morte peribunt. Horum vero tres sunt ordines. Quidam enim ex infidelitate, plures ex negligentia, alii ex contemptu a S. Mensa abstinent. Infideles sunt, quorum corda per malitiam fallente diabolo sic excæcata sunt, ut non credant, & agnoscant divina Sacramenta pro salute Mundi mirabili sapientia Dei instituta: quibus convenit illud Sap. II. *Erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum. & nescierunt Sacramenta Dei.* Item illud Joan. III. 36. *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Negligentes sunt, qui temporalibus lucris, & sæcularibus negotiis ita implicati sunt, & immerfi ut S. Communionem debito tempore sumere negligant. De quibus intelligenda est parabola proposita a Christo Salvatore nostro, Matth. XXII. *Simile est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & volebant venire. Iterum misit alios servos dicens: Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi.: Venite ad Nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius vero adagationem suam.* Homines hujusmodi, qui divini Sacramenti convivium negligunt, quamvis fidem, & quædam charitatis opera habere videantur, tamen nisi penitentiam agant, peribunt, dicente Christo, Joan. VI. *Nisi manaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Horum figura fuerunt illi, de quibus dictum est. Num. IX. *Si vis & mundus est, & in itinere non fuit* (idest, legitimum impedimentum non habuit) *& tamen non fecit Phasem, exterminabitur anima illa de populis suis, quia Sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portavit.* Tertium hominum genus adumbratum fuit in illis, qui piissimum Reem Ezechiam ad celebrandum Pascha Judæos omnes invitantem, & excitantem contempserunt, & Nuncios ejus irriserunt II. Paral. XXX. *Perrexeruntque Censores cum Epistolis ex Regis imperio, & Principum ejus, in universum Israel, & Judam id, quod Rex jusserat, predicantes: Filii Israel, revertimini a Domino Deum.: & venite ad Sanctuarium ejus. Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim, & Manasse usque ad abulon, illis iridentibus, & subsannantibus eos.* Attamen quidam acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem. His præmissis, Propositiones quædam statuentur sunt, quibus proposita Quæstio solvatur.

P R O P O S I T I O I.

De S. Communionem.

Quoniam solummodo justis, sed & peccatoribus Christi Corpus sacramentaliter manducatur: *Quicumque enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat.* (inquit Apost. I. ad Cor. XI.) Peccatores igitur Christi Corpus sacramentaliter manducant, & non solum justis. Hinc S. Augustinus Tract. XXI. in Joannem: *Nam & nos hodie accipimus cibum: sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Unde dicit Apostolus, Judicium sibi manducat, & bibit. Non enim Buccella Dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit.* Id & publica vox Ecclesiæ confirmat: *Sumunt boni, jument mali.*

Objicies. S. Hilarius can. XXX. in Matthæum negat, Judam sumpsisse Corpus Domini. *Dignus* (inquit) *æternorum Sacramentorum Communionem non fuerat, neque sane bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in Regno; cum universum bibentes ex vitis istius fructu bibituros secum polliceretur.*

Respa

Resp. S. *Hilarius* in ea quidem fuisse sententia, Judam institutioni, & distributioni Eucharistiæ non interfuisse, utpote jam ante ecœnaculo egressu m ad perpetrandum scelus traditionis. Nusquam autem docet Judam, aut quemcumque peccatorem, sumendo Eucharistiam non sumere verum Christi Domini Corpus. Opinio autem illa S. *Hilarii* & Evangelicæ Historiæ, & aliis Patribus repugnat, præsertim S. *Jo: Chrysostomo* Hom. LXXXIII. in Matthæum, Hom. XLVI. in Joannem, & Hom. De Proditione Judæ: S. *Ambrosio* Lib. De Tobia, cap. XIV. S. *August.* Enarratione in Ps. x. Tract. LXII. in Joannem, Epist. XLIV. olim CLXIII. ad Glorium, Eleusium, & Felicem; S. *Leoni* Serm. VII. De Passione Domini; quos sequitur S. *Thomas* III. p. q. LXXXI. art. II. ubi ait, quod *Christus, quantum est in se, etiam cum Juda vinum in Regno Dei bibit; sed hoc convivium ipse Judas repudiavit.* Adeoque sententiæ S. *Hilarii* non favere ait illa Christi verba: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.*

Ipsi etiam peccatores verum Christi Corpus communicando sumunt.

Mat. 26. 29

P R O P O S I T I O II.

Nullus sibi conscius peccati mortalis Eucharistiam sumere debet, aut potest absque novo peccato lethali, gravissimoque sacrilegio.

Communio sacrilega.

Eucharistia enim a Christo instituta est, ut cibus fidelis animæ, & panis filiorum Dei; Joan. VI. *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Cibus autem non mortuorum est, sed viventium.

Deinde quomodo sit acturus Deus cum illis, qui vestem nuptialem gratiæ, & charitatis non induti ad cœleste istud convivium accedunt, Christus nobis significavit parabola de Rege, qui fecit nuptias filio suo, Matth. XXI. *Intra- vit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex Ministris: Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Quin & parabola de Filio prodigo, qui ad paternum convivium admissus non fuit, donec Patri reconciliatus esset, ac prima stola indutus, ostendit, neminem peccatorem ad cœleste Eucharistiæ convivium accedere debere, nisi prius sit cum Deo reconciliatus, gratiæque, & charitatis indumento ornatus. Lucæ XV. *Surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipse, & misericordiam motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad servos suos. Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calcamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari.* Id ipsum clarius probant Apostoli verba I. ad Cor. XI. *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quam quidem probationem de sola fide non esse accipiendam, ut volunt Hæretici, hujus loci series ostendit. Non enim Corinthios reprehendit Apostolus, quod non crederent, sed quod irreverenter accederent, & cum aliorum contemptu, vel neglectu, profana convivia post S. Communionem instruente, ad quæ pauperes non vocabant. *Unusquisque enim, inquit, suam cœnam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.* Ita hunc locum intellexit S. *Aug.* Epist. LIV.

alias

Communitio
sacrilega.

alias cxviii. ad *Januarium* cap. III. *Contemptum solum* (inquit) *non vult* *cibus iste, sicut nec Manna fastidium. Inde enim* & *Apostolus indigne dicit acceptum ab eis, qui non discernebant a ceteris cibis veneratione singulariter debita. Continuo quippe cum dixisset, Judicium sibi manducat, & bibit; Addidit ut diceret, Non dijudicans. Corpus Domini: quod satis toto ipso loco in Epistola ad Corinthios prima, si diligenter attendatur, apparet. Intelligenda igitur ea probatio est, quam Ecclesia semper intellexit, & adhibendam esse docuit, qua nimirum Fideles examinant se ipsos, num vere sint Christi amici, induiti vestem nuptialem, idest charitatem, num vere gloriam Christi quærant; num autem vel ex sola consuetudine, vel timore humano, vel cupiditate aliqua terrena ad Sacram illam Mensam accedant; sint ne bonæ voluntatis, peccata ex animo detestentur, atque in omnibus bene conversari statuunt: & an vere justificati ex fide per dilectionem operante pacem habeant ad Deum, ita ut cor eorum non eos reprehendat. Si quis enim Deo nondum reconciliatus, sed adhuc inimicus ad hanc Mensam accedat, sacrilego mendacio se obnoxium reddit. *Quicumque enim hoc Sacramentum sumit, significat se Christo esse unitum, & membrum ejus incorporatum: quod quidem fit per fidem formatam, seu charitatem perfectam, quæ est vita fidei: quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est, quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum sumit, falsitatem in hoc Sacramento committit: & ideo incurrit sacrilegium, tamquam Sacramenti violator: & propter hoc mortaliter peccat* (inquit S. Thomas. III. par. q. LXXX. art. IV.)*

Hanc fuisse semper Ecclesiæ Catholicæ mentem, ac doctrinam, probat Traditio Patrum testimoniis firmata: S. Justini Martyris, Apologia, quæ II. inscribitur: Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia. Quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum, & generationem abluto, & ita ut Christus tradidit, viventi.

Tertulliani Lib. De Idololatria, cap. VII. *Tota die* (inquit) *ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, eas manus ad movere Corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant, quod contaminant, sed etiam ipsi tradunt aliis, quod contaminaverunt. Ad leguntur in Ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie Corpus ejus laceffunt. O manus præcidendæ!*

S. Cypriani Lib. De Lapsis: *A diaboli aris revertentes* (inquit) *ad Sanctum Domini sordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini Corpus invadunt, quando occurrat Scriptura Divina, & clamet, & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque manducaverit ex carne sacrificii salutaris, quod est Domini, & im-*
munditia ejus super ipsam est; peribit anima illa de populo suo. Apostolus item testatur, & dicit: Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem demoniorum. Idem contumacibus, & pervicacibus comminatur, & denunciatur dicens:
Quicumque ederit Panem, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Spretis his omnibus, atque contemptis, vis infertur Corpori ejus, & Sanguini: & plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquant, quam cum Dominum negaverunt.

Lev. 7. 17.

I. Cor. 10. 21.

I. Cor. 11. 27.

Pene indigne communicantibus a Deo vindice illata.

Ibidem penas indigne communicantibus a Deo vindice illatas commemorat: Præsentem, ac teste me ipso, accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus sibi consulunt, sub Nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt: relictam, Nutrix detulit ad Magistratum. Illi ei apud idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere.

„ dere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen, & ipsum de im-
 „ molatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum
 „ mater. Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit,
 „ quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoracione igitur obre-
 „ ptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim
 „ puella mixta cum sanctis, precis nostræ, & orationis impatiens, nunc plo-
 „ ratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tor-
 „ tore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus ad-
 „ huc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero Solemnibus adimpletis Cali-
 „ cem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus ceteris locuse-
 „ jus advenit; faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere,
 „ os labiis obturantibus premere, Calicem recusare. Perstitit tamen Diaco-
 „ nus, & reluctanti licet, de Sacramento Calicis infudit. Tunc sequitur
 „ singultus, & vomitus. In Corpore, atque ore violato Eucharistia permanere
 „ non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus eru-
 „ pit: tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce
 „ detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa in-
 „ fantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit æta-
 „ tem. At vero ea, quæ ætate provesta, & in annis adultioribus constituta
 „ sacrificantibus nobis latenter obrepfit, non cibum, sed gladium sibi sumens,
 „ & velut quædam venena lethalia inter fauces, & pectus sanguinem admit-
 „ tens, angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram
 „ non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans, & tremens concidit.
 „ Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ cri-
 „ men; quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Et cum quædam ar-
 „ cam suam, in qua Sanctum Domini fuit, manibus indignis tentasset ape-
 „ rire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, quia &
 „ ipse maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum ceteris au-
 „ fâs est latenter accipere, Sanctum Domini edere, & contrectare non po-
 „ tuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum
 „ est, Dominum recedere, cum negatur, nec immerentibus ad salutem pro-
 „ desse, quod sumitur, quando Gratia salutaris in cinerem Sanctitate fugien-
 „ te mutetur. Quam multi quotidie Pœnitentiam non agentes, nec delicti sui
 „ conscientiam confitentes, immundis Spiritibus adimplentur? Quam multi us-
 „ que ad insaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec neces-
 „ se est ire per exitus singulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam
 „ delictorum pœna sit varia, quam delinquentium multitudo numerosa. U-
 „ nusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse
 „ mereatur. Nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit, cum
 „ timere plus debeat, quem sibi Dei judicis censura servavit. Plectuntur
 „ interim quidam, quo ceteri corrigantur. Exempla sunt omnium, tormen-
 „ ta paucorum.

*S. Basili Lib. II. De Baptismo q. III. Gravissimum (inquit) supplicium in Lege
 Deus adversus eos decrevit, qui cum sint immundi, Sancta contingere non verentur.
 Scriptum est: Quisquis ad Sancta, quæ filii Israel Domino sanctificant, in im-
 munditia sua constitutus accedit, exterminabitur anima illius a facie mea. Ego
 Dominus. Sitales minæ adversum eos posite sunt, qui temere ad ea Sacra acce-
 dunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo, qui intantum, ac
 tale Mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid hic est templo, secun-
 dum Domini vocem, tanto gravius, & terribilius est, in animæ impuritate consti-
 tutum Corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes, vel tauros,
 dicente Apostolo: Itaque qui edit Panem, aut bibit Poculum Domini indignè,*

Ad anti-
 qua Sacri-
 ficia acce-
 dere non
 licuit im-
 mundis:
 multo mi-
 nus licet
 Eucharis-
 tiam su-
 mere iis,
 qui lethalis
 peccati rei
 sunt.
 Lev. 7. 19.
 1. Cor. 11. 27

reus erit Corporis, & Sanguinis Domini... Quod si in immunditia tantum constitutus tam terribile iudicium habet, quanto magis, qui cum in peccato sit, Corpus Domini contingere audeat, gravius sibi arcessit iudicium? Mundemus itaque nos ab omni inquinamento, atque ita ad Sancta accedamus, ut iudicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus: propterea quod quisquis ederit Panem, & biberit Poculum Domini indigne, reus erit Corporis, ac Sanguinis Domini.

S. Paciani Barcinonensis Episcopi, in Parenæsi ad Pœnitentiam. Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos; qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri; qui cum mala conscientia Dei Sancta contingitis, & Altare Domini non timetis; qui ad manus Sacerdotis, qui in conspectu Angelorum sub fiducia innocentie acceditis; qui divine patientie insultatis; qui tacenti Deo veluti nescienti, pollutam animam, & profanum corpus ingeritis. Audite, quid fecerit Dominus, tum deinde quid dixerit. Cum populus Hebræorum Hierosolymis Arcam Domini reportaret, ex domo Aminadab Israelitis: Oza, qui non explorata conscientia latus Arcæ attigerat, occisus est: & tamen ille non ut aliquid ex ea sumeret, sed ut declinantem, ad lapsum vituli, contineret, accesserit. Tanta infuit cura divine reverentie, ut audaces manus nec ob auxilium sustineret. Clamat idem Dominus, & dicit: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque contigerit de carne sacrificii salutaris, & immunditia super illa est, pereat anima illa de populo. Antiquane ista sunt, & modo non sunt? Quid ergo? Desit Deus nostra curare? An patientia illius ignorantia est? Absit. Videt ergo, quæ facimus, sed utique expectat, & patitur, & pœnitentie tempus indulget, & Christo suo prestat, ut differat, ne cito pereant, quos redemit. Sed antiquum sit istud, quod ad Mensam Dei accedere non licuit immundis, evolvite Apostolos, & novella cognoscite. In prima ad Corinthios Paulus hæc intulit: Quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini, &c. Intremuistis, an non? Humanæ anime reus non posset absolvi: Dominici corporis violator evadit? Qui manducat, inquit, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Evigila, peccator, time in visceribus tuis præsens iudicium, si quid tale fecisti. Propterea, inquit, inter vos multi infirmi, & ægri, & dormiunt multi. Jam si quis futura non metuit, vel præsentem ægritudinem, præsentemque obitum reformidet. Cum judicamur, inquit, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Intellege quantum sceleris admittat, qui ad Altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissolvitur. Quod si vestra vobis vilis est anima, parcite populo, parcite Sacerdotibus. Clamat Apostolus: Exiguam fermentam totam massam fermentat. Quid facies tu, propter quem omnis massa corrumpitur, propter quem laboratura est tota fraternitas? Vives tot animarum reus? Excusaberis, cum tibi communionem suam imputaverint innocentes: cum te Ecclesia dixerit suæ cladis auctorem?

S. Jo: Chrysostomi Hom. LXXXIII. in Matthæum. „ Nullus Judas (inquit) nullus avarus adsit. Qui Discipulus non est, secedat: qui tales non sunt, ab hac Mensa excluduntur. Cum Discipulis (inquit) meis facio Pascha: hæc enim illa, non alia Mensa est; hæc nulla re minor quam illa est: non enim illam Christus, hanc homo quispiam facit; sed utramque ipse. Hoc est illud cœnaculum, ubi tunc Christus cum Discipulis erat, hinc ad Montem Olivarum exivit. Hinc & nos ad manus pauperum exeamus, ibi enim Mons Olivarum est. Olivæ quippe in domo Dei plantatæ, multitudo pauperum est. Adeat nullus crudelis, nullus immisericors, nullus impurus quovis modo. Dico horribile quoddam, atque tremendum: non est ita

„ ma-

Ozæ Arcam tangentis audacia, & pena.

1. Reg. 6. Lev. 7. & 22.

Quam grave scelus indigne communionis.

1. Cor. 5. 6.

Soli Christi Discipuli e- jus Mensa digni.

malum dæmoniacos intus esse, sicut istos, qui peccatorum fordibus polluantur: quos ait Paulus Christum conculcare, & testamenti Sanguinem ducere communem, & Spiritus gratiam contumelia afficere. Multo igitur dæmoniaco peior est, qui peccati sibi conscius accedit: illi enim quoniam a dæmone vexantur, non puniuntur: qui vero indigne adeunt, æternis tradentur tormentis. Omnes igitur simpliciter pellamus, quos indigne accedere videmus: nullus communicet, nisi ex Discipulis sit, nullus impuro animo sicut Judas panem assumat, ne similia patiatur.

Indigne communicantes dæmoniacis peiores sunt.

Et Hom. xxiv. in Epist. 1. ad Corinth. „ Curam, inquit, geramus fratrum, & conservemus eam, quæ est nobis cum ipsis unitatem. Ad hoc enim nos vocat illud terribile, & formidandum Sacrificium, jubens ut cum concordia maxime ad ipsum accedamus, & ardenti charitate, & aquilæ inde effecti ad ipsum cælum evolemus. *Ubi enim cadaver* (inquit) *illic & aquilæ*: cadaver corpus vocans propter mortem. Nisi enim occidisset, nos non furxissimus. Aquilas autem vocat, ostendens, quod oportet eum, qui ad hoc Corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi, & serpere, sed assidue sursum volare, & ad Solem justitiæ aspicere, acutosque, & perspicaces habere mentis oculos; aquilarum enim, non graculorum hæc est Mensa. Ipsi tunc quoque ei occurrere cælis descendenti, qui digne percipiunt; sicut qui indigne, extrema patientur. Nam si quis Regem non temere, nec inconsiderate exceperit: quid dico Regem? Ne vestem quidem regiam immundis manibus contrectaverit quiscquam, etiamsi sit in solitudine, etiamsi nemo adsit :: Quomodo Dei Corpus, qui est super omnia, tanto probro, & contumelia afficiemus? :: Absterge, & munda animam, & præpara mentem ad horum Mysteriorum susceptionem. Nam si tibi Regis filius cum mundo, & purpura, & diademate tibi traditus esset ferendus, quæcumque sunt in terra, abjecisses. Nunc autem non hominis Regis filium accipiens, sed ipsum Unigenitum Dei Filium, dic, rogo, non extimescis, & eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, non omnem expellis amorem? Et quamnam assequeris veniam?

Spirituales aquilæ esse debent, Christi Corpus sumpturi. Mat. 24. 28.

Homilia xxvi. explicans hæc Apostoli verba: *Quicumque manducaverit Panem hunc, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini: Quare?* (inquit) *Quoniam ipsum effudit, & ea res dicit mactationem, non Sacrificium. Quomodo ergo & qui tunc pupugerunt, non ut biberent pupugerunt, sed ut effunderent: ita etiam qui indigne ad id accedit, & nihil fructus inde percipit.*

Indigne communicantes non minus rei carnificibus, qui Christi sanguinem fuderunt.

Homilia III. in Epistolam ad Ephesios: „ Frustra est quotidianum Sacrificium, astamus frustra Altari: nemo est, qui participet. Hæc dico, ut non solum participetis, sed ut vos dignos reddatis. Non es dignus Sacrificio, neque participatione? Ergo nec prece. Audis Præconem stantem, & dicentem: Quicumque estis in Pœnitentia, abite. Omnes, qui non participant, sunt in Pœnitentia. Si es ex iis, qui sunt in Pœnitentia, non debes participare: Qui sunt in peccatis, priores ejiciuntur. Quomodo enim cum Dominus adest in Mensa, non oportet adesse famulos, qui offenderunt, sed procul amandantur: ita hic quoque cum offertur Sacrificium, & Christus sacrificatur, & Ovis Dominica, quando audieris, *Oremus omnes communiter*, quando videris trahi, quæ in ostiis sunt, cortinas, tunc exiltima cælum superne deduci, & descendere Angelos. Quomodo ergo nullum oportet adesse ex iis, qui Mysteriis non sunt initiati, ita nec ex iis, qui sunt initiati, & fordidi.

Pœnitentes olim a Sacris Mysteriis exclusi: multo magis excludendi peccatores, qui Pœnitentiam non agunt.

Homilia de S. Philogonio: „ Multi Christianorum in tantam vecordiam, tantumque venere contemptum, ut cum innumeris scateant malis, nullam

Præparatio ad S. Communionem solemnæ festo imminente.

„ tamen vitæ suæ curam habeant; sed in diebus Festis negligenter, ac te-
 „ mere ad Mensam hanc accedant, haud intelligentes, quod Communionis
 „ tempus non est Festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a pec-
 „ catis repurgata. Quemadmodum enim, qui sibi nullius mali est conscius,
 „ hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec pē-
 „ nitet, eum ne in Festis quidem accedere tutum est. Neq; enim semel in anno
 „ accedere liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus: quin hoc ipsum potius
 „ auget damnationem, quod cum semel tantum accedamus, ne tūm quidem pu-
 „ re accedimus. Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter, veluti Festo
 „ die cogente, ad divina Mysteria accedatis, sed si quando probabitis hujus S.
 „ Hostiæ fieri participes, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per pēnitentiam,
 „ precationem, & eleemosynam, denique per hoc, ut vaceris spiritualibus
 „ nec denuo convertamini cānis in morem ad proprium vomitum. An non e-
 „ nim absurdum, tantam habere curam rerum corporalium, ut appetente Fes-
 „ to multis ante diebus vestem e scriniis depromptam diligenter appares, men-
 „ sa largior splendidiorque paretur, omnibusque modis temetipsum ornes, ni-
 „ tidumque reddas: animæ vero neglectæ, sordentis, squalidæ, fame tabescen-
 „ tis nullum habere respectum, cum sola maneat impura? Atque corpus qui-
 „ dem videt conservus, neque quidquam est detrimenti, quomocumque fue-
 „ rit habitum: illam autem videt Dominus, qui gravissime punit negligenti-
 „ tiam. Et quemadmodum fontes aquæ vim exundant, ita hæc flammam quam-
 „ dam habet arcanam. Ne igitur accesseris stipulam afferens, non ligna, non
 „ fenum, ne augeas incendium, exurasque animam ad Communionem acce-
 „ dentem: sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argentum, quo purio-
 „ rem reddas materiam, multoque cum lucro discedas. Si quid mali est, abigas
 „ animo. Habet quis inimicum, graviter læsus est; solvat simultatem, coer-
 „ ceat animum exardescentem, intumescensque, ne quis sit tumultus, aut
 „ perturbatio. Regem enim excepturus es per Communionem: cum autem
 „ Rex ingreditur animam; oportet magnam esse tranquillitatem, multumque
 „ silentium, profundam cogitationum quietem. Sed atrociter læsus es, nec
 „ potes iram remittere. An igitur te ipsum magis etiam, & gravius lædes?
 „ Ille te contumelia affecit, num tu ideo Deum afficies contumelia? Etenim
 „ non recipere in gratiam eum, qui molestiam attulit, non tam est illum ul-
 „ cisci, quam Deum afficere contumelia, Legis hujus Auctorem, præcipientis,
 „ ut inimicis reconciliemur, priusquam accedamus ad Altare.

Nemo, nisi
 ante sana-
 tus, Christi
 cibum ac-
 cipit.

Innocentia
 ad Altare
 portanda.

„ S. *Ambrosii* Libr. vi. in Lucam: „ Nemo (*inquit*) cibum accipit Christi;
 „ nisi fuerit ante sanatus. Ubique igitur Mysterii ordō servatur, ut prius
 „ per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimo-
 „ nia Mensa cælestis exuberet.

„ S. *Aug.* Tract. xxvi. in Joannem: „ Quam multi de Altari accipiunt, & mo-
 „ riuntur, & accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus, *Judicium sibi man-
 „ ducat, & bibit*. Non enim bucella Dominica venenum fuit Judæ. Et ta-
 „ men accepit, & cum accepit, in eum Inimicus intravit: non quia malum
 „ accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, Fratres, Panem
 „ cælestem spiritualiter manducantes, innocentiam ad Altare apportate. Pecca-
 „ ta etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera.

„ S. *Leonis* Ep. lxxxii. alias xci. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum: „ Me-
 „ diator (*inquit*) Dei, & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ec-
 „ clesiæ tradidit potestatem, ut & consentibus actionem Pœnitentiæ darent,
 „ & eisdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramento-
 „ rum per januam Reconciliationis admitterent.

Merito itaque Sacra Synodus Tridentina sess. xiii. can. xi. Hæreticorum er-
 rorem

rorem confixit, qui solam fidem sufficientem dispositionem esse ad sumptionem Eucharistiæ asserunt. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum SS. Eucharistiæ Sacramentum; Anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Conc. Catechismus præparationis ad S. Communionem necessitatem ostendens, docet, Eos, qui tantum Sacramentum imparati accipiunt, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda, & detrimenta referre. „Optimis enim rebus (inquit) & maxime salutaribus hoc proprium est, ut si congruo tempore iis utamur, vehementer profint; si alieno tempore adhibeantur, perniciem, & exitium afferant. Quare mirandum non est, ingentia quoque & præclarissima Dei dona, cum bene constituto animo accipiuntur, ad cælestem gloriam consequendam maximo nobis adjumento esse: at vero cum iis nos ipsos indignos præbemus, sempiternam mortem afferre. Id vero Arcæ Domini exemplo comprobatur: Arca enim fœderis, qua nihil præstantius Israeliticus populus habuit, cui etiam per illam maxima, & innumera beneficia Dominus tribuerat, a Philistæis ablata, summam illis pestem, & calamitatem cum æterno dedecore conjunctam importavit. Sic etiam cibi, qui ore accepti, in stomachum bene affectum illabuntur, corpora alunt, & sustentant: qui vero in stomachum vitiosis humoribus plenum infundi solent, graves morbos efficiunt.

Objicitur. Non est majoris dignitatis Christum sub Sacramento sumere, quam in specie propria: peccatores porro Christi Corpus sub propria specie tangentes non peccabant, quin etiam veniam peccatorum consequerentur, sicut legitur Luc. vii. de Muliere peccatrice: Et Matt. xiv. *Quicumque tetigerunt simbriam vestimenti ejus, salvi facti sunt.* Peccatores itaque Sacramentum Corporis Christi sumentes non peccant, immo salutem consequuntur.

Resp. cum S. Thoma, maximum esse discrimen inter Christi contactum, dum in terris versaretur, & illius in Eucharistia sumptionem; non ex majori dignitate objecti, sed ex institutione Sacramenti repetendum. Christus enim in propria specie se tangendum hominibus non exhibebat in signum spiritualis unionis cum ipso, sicut in hoc Sacramento sumendus exhibetur: & ideo peccatores eum in propria specie tangentes crimen falsitatis circa divina non committebant, sicut peccatores sumentes hoc Sacramentum, qui se Christo, & membris ejus conjunctos ipsa Communionem significant, cum tamen ab ipso per peccatum mortale sint penitus alieni. Præterea, Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati; & ideo convenienter se peccatoribus tangendum exhibebat: sed remota similitudine carnis peccati per gloriam Resurrectionis, se tangi prohibuit a muliere, quæ defectum fidei circa ipsum patiebatur, secundum illud Joan. xx. *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Scilicet, in corde tuo, ut S. August. exponit Tract. cxxi. in Joannem.) Ideo peccatores, qui defectum fidei per dilectionem operantis patiuntur circa Christum, ab hujus Sacramenti contactu, & sumptione repelluntur.

Objicitur secundo, Eucharistiam spiritualem esse medicinam, adeoque peccatoribus tribuendam: *Non enim est opus valentibus Medicus, sed male habentibus* (inquit Christus Matth. ix.)

Resp. S. Thomas, quamlibet medicinam in quovis ægritudinis statu infirmis non

Sacramentalis confessionis Eucharistiæ sumptioni præmittenda.

I. Reg. 5.

Objectio. num solutio

non esse adhibendam. Nam medicina, quæ congruenter datur liberatis a febre ad sanitatis confirmationem, febricitantibus noceret. Ita etiam Baptismus, & Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatrices, ad tollendam febrem peccati institutæ: Eucharistia vero est medicina sanitatem, viresque confirmans, quæ non debet dari nisi liberatis a peccato.

At (inquies) ob illa solum peccata, quæ Excommunicationem merentur, abstinere debet Christianus ab Eucharistiæ sumptione, ut ait S. Aug. Epist. l. v. alias cxviii. ad Januarium: *Ceterum (inquit) peccata sitientia non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Domini Corporis separare* Cum itaque omnia peccata mortalia non plectantur Excommunicatione; cujuslibet peccati mortalis reus non debet a Communionem abstinere.

Resp. S. August. de Excommunicatione late sumpta, quam Juris Canonici Interpretes, & Theologi minorem vocant, quæ separatio est ab Eucharistiæ Communionem; non de Excommunicatione strictè sumpta, quæ major ab iisdem appellatur, & quæ peccatorem ab omni sancto commercio relegat, & a Fidelium cœtu, ipsaque communionem precum separat esse intelligendum. Prius illud Excommunicationis genus eorum omnium peccatorum pœna est, quæ Legis Decalogo prohibentur, & quæ a Regno Dei excludunt, ut explicat S. Augustinus Serm. cccli. De Pœnitentia, olim Homilia l. inter l. & ab ipso peccatore, vel etiam a Sacerdote in foro interiori fertur hæc in reum sententia; qua etiam solvitur Pœnitens in eodem foro per Ecclesiæ Claves: quandoque etiam in foro exteriori ab Antistite in graviorum criminum reos, aut sponte confessos, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatos, atque convictos: quibus & publica Pœnitentia indicitur. „ Tertia (inquit) actio Pœnitentiæ, quæ „ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus „ Apostolus ait: *Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt*. In hac „ ergo Pœnitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere; ut a se i- „ pso judicatus, non judicetur a Domino, sicut idem Apostolus ait: *Si nos „ ipsos judicavimus, a Domino non judicavimus*. Ascendat itaque homo ad- „ versum se tribunal mentis suæ. ∴ Constituat se ante faciem suam, ne hoc „ ei postea fiat. ∴ Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatri cogi- „ tatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confiten- „ tis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia profera- „ tur, ut se indignum homo judicet participationem Corporis, & Sanguinis Domini: ut qui separari a Regno cœlorum timet per ultimam Sententiam „ Summi Judicis, per Ecclesiasticam Disciplinam a Sacramento cœlestis Panis „ interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri Judicii: ut cum alii ac- „ cedunt ad Altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet, quam sit contremi- „ scenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem „ præcipitantur æternam. Ad hoc enim Altare, quod nunc in Ecclesia est in „ terra positum, terrenis oculis expositum, ad Mysteriorum divinorum signa- „ cula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere: quoniam Deus com- „ mendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exerat severitatem „ suam. Illi autem secundum duritiam cordis sui, & cor impœnitens, the- „ saurizant sibi iram in die iræ, & justis iudicii Dei, qui reddet unicuique se- „ cundum opera sua. Ad illud autem Altare, quo præcursor pro nobis in- „ troiit Jesus, quo Caput Ecclesiæ præcessit, membris ceteris secuturis, nul- „ lus eorum accedere poterit, de quibus dixit Apostolus: *Quoniam qui talia „ agunt, Regnum Dei non possidebunt*. Quomodo ergo in interiora veli, & „ in illa invisibilia Sancta Sanctorum intrare audebit, aut poterit, qui me- „ dicinam cœlestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper a visibilibus separari? „ Qui enim noluit humiliari, ut exaltaretur, cum exaltari voluerit, dejicie-

1. Cor. 11.
31.

Gal. 5. 21.

„ tur;

73 tur, & in æternum sejungetur ab æternis Sanctis quisquis hoc tempore per
 74 merita obedientiæ, & per satisfactionem Penitentiæ non sibi providit locum
 75 in corpore Sacerdotis. Qua enim fronte impudentiæ tunc volet averti fa-
 76 ciem Dei a peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit: Quoniam facinus
 77 meum ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper? Quo pacto,
 78 quæso, Deus dignatur agnoscere, quod in se ipse homo dedignatur agnoscere?

P salm. 50:

Objicitur tertio; Maximis bonis nemo male utitur, ut docet S. Augustinus Lib. II. De Libero Arbitrio, cap. XIX. Cum igitur Corpus Christi maximum sit bonum, eo male uti peccator non potest: quamobrem ab ejus sumptione non est prohibendus.

Resp. S. Augustinum eo loco distinguentem bona maxima, media, & minima, de iis loqui bonis, quæ in ipso sunt homine: in quo minima bona sunt, sine quibus potest recte vivi, ut sanitas, & robur, & forma corporis; media, sine quibus non potest recte vivi, ut facultates animi; maxima, quibus non nisi recte vivi, quia iis nemo male utitur, ut virtutes animi. Quod ita intelligendum esse respondet S. Thomas, quia nemo iis male utitur quasi principiis mali usus: quamvis possit iis male uti, ut objectis; ut patet in his, qui de virtutibus superbiunt. Idem de Corpore Christi dicendum est, quod cum sit per se maximum bonum, fit malum ei, qui male accipit. *Multum quippe interest* (inquit S. Augustinus Tract. LXII. in Joannem) *non quid accipiat, sed quis accipiat: nec quale sit, quod datur, sed qualis sit ipse, cui datur. Nam & bona obsunt, & mala profunt, sicut fuerint, quibus dantur... Quid ergo miraris, si datus est Judæ Panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas e contrario datum Paulo Angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? Ita & malo bonum obsuit, & malum bono profuit. Recordamini, unde sit scriptum, Quicumque manducaverit Panem, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Et de his erat sermo, cum*

I. Cor. 11.
27.

Objicitur quarto. Peccator non peccat videndo Corpus Christi, cum Ecclesia illud omnibus videndum, & adorandum proponat: neque ergo peccat sumendo.

Resp. S. Thomas, disparem esse visum, & manducationis rationem: quia per visum non accipitur ipsum Corpus Christi, sed solum Sacramentum ejus cernitur: sed qui manducat, non solum sumit species sacramentales, sed ipsum Christum sub eis latentem, & ideo a visione Eucharistiæ nemo prohibetur, qui Baptismo sit initiatus, sed ad manducationem non sunt admittendi nisi illi, qui non solum sacramentaliter, sed etiam realiter sunt Christo conjuncti. *Ea enim vero, quæ in Sacramentis geruntur exterius debent respondere his, quæ interius geruntur. Unde secundum quod homo ad Christum accedit interius mente, ita ad ejus Sacramentum debet accedere corpore. Quidam autem non accedunt neque fide, neque charitate: unde tales arceri sunt ab inspectione Sacramenti, & ab ejusdem sumptione: quidam autem accedunt fide sine charitate: & tales possunt videre, sed non sumere; quia per charitatem aliquis Christo incorporatur, sed per fidem accedens adhuc longius stat* (inquit S. Thomas in IV. Sententiarum dist. IX. q. I. art. III. qu. VI.) *Quamquam vero ex veteri disciplina Ecclesiæ illi soli a videndo Corpore Domini arcerentur, qui non erant baptizati, vel qui Penitentiæ publicæ subditi erant ob graviora peccata, & cum Catechumenis ab Ecclesia dimittebantur post Evangelium, &*

Lethalis
peccati rei,
vel ipso SS.
Sacramenti
aspectu in-
digni sunt.

Exod. 19.

Concionem; quoslibet tamen lethalis peccati reos, vel ipso Domini Corporis aspectu indignos esse, S. Jo: Chrysoſtomus docet Hom. III. in Epist. ad Ephesios. *Dic mihi (inquit) si quis ad convivium invitatus manus laverit, & accubuerit, & ad Mensam paratus fuerit, & deinde non fuerit ejus particeps, an non contumelia afficit eum, qui invitavit? An non esset melius, ne adfuisse quidem? Ita tu quoque adfuisse, hymnum cantasti, cum dignis omnibus tu es professus, eo quod cum indignis non recesseris. Quomodo mansisti, & Mensæ non es particeps? Sum (inquis) indignus. Ergo illa quoque Communionem, & societatem, quæ est in precibus, es indignus. Non enim solum per Proposita, sed etiam per Cantica undique descendit Spiritus ... Sunt & oculi indigni his spectaculis, & aures indignæ. Et si bestia, inquit, montem tangat, obruetur lapidibus. Ad eo nec digni quidem erant, qui accederent. Atqui postea accesserunt, & viderunt, ubi steterat. Licet postea accedere & videre: sed quando adfuerit, abi. Non enim tibi magis licet quam Catechumeno. Non sunt enim paria, Sacramenta nondum esse assecutum, & postquam fueris assecutus, & offenderis, despicere, & ea re te indignum reddere. Hinc publice Pœnitentes ab ipso Eucharistiæ conspectu olim arcebantur.*

Objicitur quinto. Contingit ut peccator non habeat peccati conscientiam, qui si peccaret sumendo Eucharistiam, nemini non periculosum esset ad S. Communionem accedere; quia merito quisque metuit etiam post accuratum examen conscientiam, ne aliquid adhuc lateat in corde suo, propter quod Deo displiceat, secundum illud Apostoli I. ad Cor. IV. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.*

Resp. S. Thomas, bifariam contingere, ut aliquis non habeat conscientiam peccati: primo ex ejus culpa, vel quia *per ignorantiam juris, quæ non excusat*, censet non esse peccatum, quod revera peccatum est (ut si fornicator existimet simplicem fornicationem non esse peccatum mortale;) Vel quia negligenter conscientiam examinavit, contra mandatum Christi ab Apostolo promulgatum I. ad Cor. XI. *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat.* Et qui hoc modo non habens conscientiam peccati sumens Corpus Christi, nihilominus peccat, *Quia ipsa ignorantia est ei peccatum.* Alio modo potest contingere sine culpa ipsius; sicut *cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo Corpus Christi: quia homo certo scire non potest, utrum sit vere contritus. Sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, nempe si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris.* Si vero ignorat, id quod fecit, esse peccatum, *Ignorantia facti, quæ excusat;* v. gr. si ad alienam conjugem accessit, quam credebatur esse suam, non ex hoc dicendus est peccator. Similiter si peccatum omnino ex memoria excidit, sufficit ad ejus remissionem obtinendam generalis contritio.

P R O P O S I T I O III.

Pueris, aliisque rationis usu penitus destitutis hominibus Eucharistiam administrare non licet.

Quibus administrare Eucharistiam non licet?

HI enim neque S. Eucharistiam a communi, & profano pane discernere valent, neque ad eam accipiendam pietatem animi, & religionem afferre possunt. Atque id etiam a Christi Domini institutione alienissimum videtur; ait enim: *Accipite, & comedite:* Infantes autem idoneos non esse, qui accipiant, & comedant, satis constat (inquit Trid. Conc. Catechismus.) Cum vero pueri hujus admirabilis Sacramenti cognitionem, & gustum habent, quod ex parentum, & Parochi, vel Sacerdotis, cui eorum in Doctrina Christiana institutio commissa est, & cui peccata confitentur, iudicio pendet, ad Communionem pos-

possunt admitti, circa decimum, vel undecimum annum, Si in eis signa discretionis appareant, & devotionis, ut docet S. Thomas in iv. Sententiarum dist. ix. q. i. art. v. qu. iv. id ut rite fiat: Parochus in Quadragesima per singulas Parochiales familias delectum habeat puerorum, & adolescentum, qui primum in Paschali Celebritate proxima S. Communionem sumpturi sunt. Ac præterea his ipsis omnibus in singulas Quadragesimæ hebdomadas certos præstituat scrutiniis dies quibus illos non solum accurate examinet, sed instruat quam diligentissime. Ita S. Carolus in Instructionibus. De prima item puerorum Communionem in Synodo Diœcesana ix. ita statuit: Parochi singulis mensibus semel certa constituta die, pueros, qui annos novem attingunt, ad Ecclesiam evocent, sigillatimque ad rectam confitendi rationem instruant Regulis in Sacramentali Libro traditis: illos autem, qui decennium attigerint, hebdomadæ Septuagesimæ initio accersant, & sigillatim instruant, atque erudiant ad cognitionem cultumque SS. Sacramenti Eucharistiæ, doceantq; quam humiliter, & religiose, reverenterque ad eam sumendam accedant.

Cum de pueris deliberatur, qui ad S. Communionem accedunt, Parochus perquirat etiam a parentibus de eorum pietate, & ingenii præstantia, usuque rationis.

Qui primo ad S. Communionem accedunt, de manu Parochi sui sumere studeant: si vero visitationis occasio, aliave occasio tulerit, ut ab Episcopo sumere possint, paterna charitate illis ministrabit, quicumque Parochi testimonio idonei erunt, quibus ministret.

Adultæ vero ætatis hominibus qui nullum unquam rationis usum habuerunt, & nullo pietatis sensu erga divinum illud Sacramentum affecti sunt, Eucharistia porrigi non debet. Si vero aliquem usum rationis habeant, sed debilem, & aliquo pietatis, & reverentiæ sensu erga istud Sacramentum afficiantur, illis non est denegandum. Iis vero, qui rationis usu non fuere semper a nativitate destituti, si quando mentis suæ compotes fuerunt, piam, & religiosam animi voluntatem, atque devotionem erga SS. Sacramentum præ se tulerint, debet eis in articulo mortis Eucharistia administrari, nisi forte periculum vomitus, expuitionis, vel alterius incommodi timendum sit. Ita statuit Conc. Carthaginense iv. can. LXXVI. & refertur causa XXVI. q. VI. cap. Qui per pœnitentiam, cujus hæc sunt verba: Is, qui in infirmitate Pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Et Conc. Arausicanum i. can. XIII. ex quo sumptum est cap. Qui recedunt, ibidem, Amentibus, inquit, quæcumque pietatis sunt conferenda. Ita etiam S. Thomas II. p. q. LXXX. art. ix. S. Carolus in Instructionibus; & Catechismus Conc. Tridentini.

P R O P O S I T I O IV.

Energumenis baptizatis administrari potest Eucharistia, eo temporis intervallo, quo a demone non vexantur, si id Episcopus, vel Sacerdos eorum purgationi ab Episcopo prepositus congruum judicaverit.

EA fuit veteris Ecclesiæ disciplina, ut constat ex Concilio Arausicano i. Can. XIV. cujus hæc sunt verba: Energumeni jam baptizati, si de purgatione sue curant, & se sollicitudini Clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incurso demone, quo infestantur, vel purgandi, cuorum jam ostenditur vita purgatio. In eodem in supremo vitæ discrimine constitutis dandam esse Communionem, Concilium Illiberritanum longe antea decreverat Canone XXXVIII. Cassianus etiam Collatione VII. C. xxx. seu apud illum Serenus Abbas ait: Eis, qui ab immundis vexantur Spiritibus, Communionem sacrosanctam a Senioribus nostris

nunquam meminimus interdictam. Denique S. Thomas hanc difficultatem ita solvit: *De baptizatis, qui corporaliter ab immundis Spiritibus vexantur, est eadem ratio ac de aliis amentibus.*

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Quibus Eu-
charistia
non est ad-
ministran-
d

Peccatoribus manifestis, sive per evidentiam facti, ut publicis concubinariis; adulteris, usurariis, raptoribus, meretricibus, histrionibus, aleatoribus; vel aliquo Judicio Ecclesiastico, aut seculari convictis, atque damnatis, Sacra Communio dari non debet, quantumvis illam enixe petant.

Præceptum enim Christi est Matt. vii. *Nolite sanctum dare canibus; & Matt. xv. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus:* quo nomine manifesti præsertim peccatores designantur, propter impudentiam, qua in omnium oculis, & cum gravi Ecclesiæ scandalo peccare non verentur.

Histrioni-
bus, & co-
medis ne-
ganda com-
municio.

Id etiam docet S. Cyprianus Epistola lxi. ad *Euchratium*, ex qua refertur C. *Pro dilectione*, Dist. ii. *De Consecratione*, cujus hæc sunt verba: *Pro dilectione tua, & verecundia mutua consulendum me existimasti, Frater charissime, quid mihi videatur de Histrione quodam, qui apud vos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, & magister, & doctor non eruditorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, ceteris quoque insinuat; an talis debeat communicare nobiscum. Puto nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ Disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fedetur.*

Idem colligitur ex Concilio Arelatensi i. Canone v. *De Theatricis, & ipsos placuit, quamdiu agunt, a Communione separari.*

Publicis
peccatori-
bus negan-
da Com-
municio.

Idem docet S. Joannes Chrysostomus Homilia lxxxiii. in Matthæum, Sacerdotes ita compellans: „ Magno (inquit) studio, & diligenti cura Dona hæc distribuatis. Non parva vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus Mensæ participationem permittatis. Sanguis enim ejus ex manibus requiretur vestris. Si Dux igitur quispiam, si Consul ipse, si qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe, accoerce: majorem tu illo habes potestatem. Ita si limpidiſſimus aquæ fons, ut intactum gregi servares, tibi commissus esset, cum petulcos fues, ac sordidissimos venire aspiceres, non patereris in fluentia illos descendere, nec fontem ab his perturbari. Nunc vero, cum non aquæ, sed Sanguinis, & Spiritus sacratissimus fons commissus tibi sit, si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque prohibebis? Et quam veniam hujus contemptus consequeris? Sed unde, inquires, ego illum, atque illum, qualis sit cognoscere possum? Non de ignotis, sed de notis hæc disputo... Corpus Christi etiam hæc multitudo est: quare cavendum tibi est, qui hæc Myſteria ministras, ne Dominum irrites, corpus hoc non purgando, ne acutum gladium pro cibo præbeas. Sed si quidem aliquis prævecordia, & amentia Mensam adiverit, nullo timore territus abjice: Deum, non hominem timeas... Quod si ipse pellere non audes, mihi dicas, non permittam ista fieri: animam prius tradam meam, quam Dominicum alicui Corpus indigne: sanguinemque meum effundi potius patiar, quam sacratissimum illum Sanguinem præterquam digno concedam. Quod si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est, si multam prius adhibueritis diligentiam. Nam hæc mihi de notis, ac manifestis disputata sunt, quibus emendatis, cito nobis Deus etiam ignotos notificabit. Idem docet S. Augustinus Serm. cccxcii. alias xlix. inter Hom. l. *A Communione (inquit) se cohibeant, qui sciunt, quia novi peccata ipsorum, ne de cancellis projiciantur.*

Secundum hæc Provinciale Conc. Mechliniense anno 1607. Tit. 7. c. 7. decrevit, ut

ut Concubinarij publici, antequam concubinas suas actu dimiserint, ad S. Communionem non admittantur: neque etiam publici usurarii, vel palam inimicitias exercentes, nisi illis usuris renunciauerint, & iniusta lucra restituerint, aut de iis restituendis cautionem dederint; & hi reipsa pacem composuerint, vel sese ad reconciliationem debite obtulerint.

Et S. Carolus Borromæus in Instructionibus Pastorum pro administranda in suis Ecclesijs Eucharistia, Neminem, inquit, peccatis publicis irretitum ad Communionem excipiet, nisi prius scandalo publico satisfecerit, etiamsi absolutionis a Pœnitentiarijs, aut Confessoribus, etiam Regularibus, acceptæ testimonium produxerit.

R E G U L A II.

Peccatoribus occultis S. Communionem publice petentibus non debet denegari. Cum enim quilibet Christianus, hoc ipso quod baptizatus est, sit admittus ad Dominicam Mensam, non potest ejus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta (inquit S. Thomas III. p. q. lxxx. art. vi.)

Confirmatur ex S. Jo: Chrysostomo loco mox laudato, & ex S. Augustino Serm. cccli. alias Hom. L. inter quinquaginta. Nos vero (inquit) a communiōe prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico Judicio nominatum, atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & Accusator, & Judex ?

Idem exemplo suo Christus docuit, cum Judam Iscariotem traditionis scelus agitantem, ac furem, ad Corporis & Sanguinis sui Communionem admisit. Unde S. August. Epist. xliiii. alias clxii. ad Eleusium, Glorium, &c. cap. viii. Tolerat ipse Dominus Judam, diabolum furem, & venditorem suum: sinit accipere inter innocentes Discipulos, quod Fideles noverunt, Pretium nostrum, Et Epist. seq. ad eosdem: Traditorem enim suum, qui jam pretium ejus acceperat, usque ad ultimum pacis osculum inter innocentes secum esse passus est. Quibus non tacuit inter illos esse tanti sceleris hominem; & tamen primum Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui, nondum illo excluso, communiter omnibus dedit. Privari quidem Communiōe Judas merebatur, spectata ejus malitia. Sed quia Christus nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum peccatorem, sine accusatore, & evidenti probatione ab aliorum Communiōe separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælati Ecclesiæ similia faciendi, & ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, quod Judas cum alijs Discipulis Corpus Domini, & Sanguinem suscepit. Christo quidem nota erat Judæ iniquitas, & perfidia, ut Deo; sed non erat ei nota per modum, quo hominibus innotescit: Ideo Christus Judam non repulit a Communiōe, ut daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab alijs Sacerdotibus expellendos (inquit S. Thomas III. p. q. lxxxvi. art. ii.)

Denique charitas jubet, ut famæ proximi consulatur, & scandalum alijs non creetur: at proximi famâ læderetur, & scandalum alijs crearetur, si proderetur crimen occultum; quamobrem illi, cujus crimen occultum est, negari communiō non debet, cum publice petit. Ita S. Thomas in iv. Sententiarum. dist. ix. q. i. art. v.

Licet porro pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo Corpus Christi, quam infamari; pejus est tamen Sacerdoti Communionem administranti peccare mortaliter, infamando injuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet (inquit S. Thomas qu. & art. iii. p. laudatis, ad ii.) Quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato. Non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona: & Periculosissime admittitur compensatio flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat (inquit S. Augustinus Quæstione xlii. in Genesim.) Unde & Innocentius III. Lib. iv. De Mysteriis Missæ, C. xlii. Cum

Sacra Communiō peccatoribus occultis publice petentibus non neganda.

nemo (inquit) debeat unum mortale committere , ut proximus aliud non committat , eligendum est potius Sacerdoti non prodere peccatorem , quam ut ille non peccet : sed peccator debet potius eligere , ut abstinendo reddatur suspectus , quam ut communicando manducet indignus .

Nec vero par est ratio pharmaci mortiferi , quod Medicus ægroto , etiam volenti , & petenti , dare non debet , & Sacramenti Eucharistiæ , excujusindigna sumptione Sacerdos novit mortem inferendam homini peccatori . Nam pharmacum per se , & naturaliter operatur : hoc autem Sacramentum non per se , sed culpa indigne sumentis ipsi mors est . Deinde jus non habet æger ad pharmacum sibi nociturum ; immo vero jus habet ad vitam , quæ hoc pharmaco extinguitur : at peccator occultus jus habet ad sumptionem Eucharistiæ , cum in facie Ecclesiæ non constet , ipsum amisisse jus suum . Adde , quod *Potius deberet eligere Medicus medicinam esse mortiferam infirmo , quam sibi , si alterutrum oporteret , & similiter Sacerdos potius deberet eligere , quod peccator sumat ad perditionem suam , quam ipse deneget in perditionem propriam , scandalizando , & peccatum occultum revelando . Et præterea non est certum , utrum sit ei mortifera , quia Spiritus ubi vult spirat . Unde subito potest esse compunctus , & divinitus a peccato purgatus , & divina inspiratione ad Sacramentum accedere* (inquit S. Thomas in IV. Sententiarum , Dist. IX. Qu. I. A. V.)

Joan. 1.

Nec etiam par est ratio gladii , qui reddi non debet homini furioso petenti , ut sibi , vel alteri mortem inferat . Primo , quia subtractione gladii vitatur homicidium : subtractione autem Sacramenti non vitatur peccatum illud indigne sumere volentis , sed solum actus exterior : Ita si quidem *petitione peccavit mortaliter in peccatum mortale consentiens* , ut ait S. Thomas Secundo , quia negando gladium , nulla infamiæ labe aspergitur proximus : at negando Sacramentum grave vulnus infertur famæ proximi . Tertio , quia vita corporis reparari non potest : at damnum animæ refarciri potest a Deo peccatoris voluntatem mutante : ut ejus misericordia sæpe contingit . Quarto , quia Sacerdos agit ut publicus bonorum communium dispensator : ille autem , apud quem alter gladium deposuit , privata persona est , cujus proinde actio scientia privata dirigi debet . Sicut autem parere teneretur homo sententiæ Judicis gladium homini reddere jubentis , quem furiosum quidem nosset ille , sed certis documentis probare non posset : ita peccatori quem talem esse publicis testimoniis , aut Judicis sententia , vel propria confessione in aliquo Judicio sive sæculari , sive Ecclesiastico facta , non constat , jus suum reddendum est circa sumptionem Sacramenti , quod ei in foro exteriori debetur .

Confirmatur hoc disciplinæ caput ex C. *Si tantum* , *Causa VI. Qu. II. ex Concilio Vasensi I. Canone VIII. cujus hæc sunt verba : Si tantum Episcopus alieni sceleris se conscium novit , quamdiu probare non potest , nihil proferat , sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret , &c. Item c. Placuit* , ibidem , quod ex Canonibus Africanis * *cxxxii. & cxxxiii. conflatum est , quorum hæc sunt verba : Placuit , ut si quando Episcopus dixit , aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum , atque ille neget , & pœnitere noluerit : non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere , quod illi soli non creditur , et si scrupulo propriæ conscientie se dicit neganti nolle communicare . . . Quandiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus , eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis : ut magis caveat Episcopus , ne dicat in quemquam , quod aliis documentis convincere non potest . Item ex cap. Si Sacerdos , Extra , De Officio Judicis ordinarii , ubi Eugenius Pontifex ita statuit . Si Sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus criminis ; vel si confessus fuerit , & emendare noluerit ; nisi judiciario ordine quis probare possit ,*

* In Codice
Ecclesiæ A-
fricanæ .

non debet eum arguere nominatim , sed indeterminate : sicut dixit Christus : Unus vestrum me traditurus est : Sed si ille , cui damnum illatum est , petierit justitiam , potest excommunicare Auctorem damni , licet etiam ei confessus sit ; sed tamen non nominatim potest eum remove a Communionem , licet sciat eum esse reum : quia non ut Judex scit , sed ut Deus : sed debet eum admonere , ne se ingerat : quia nec Christus Judam a Communionem removet .

R E G U L A III.

SI peccator occultus, cujus crimen Sacerdoti notum est, Eucharistiam in occulto petat, *Debet ei denegare, & monere, ne publice petat.*

Ita S. Thomas in iv. Sententiarum, Dist. ix. Q. i. A. v. Nullum enim est scandali, vel infamiæ periculum, si eo in casu negetur. Atque hanc fuisse constantem Angelici Doctoris sententiam, colligitur ex A. III. Partis supra laudato in Responione ad primum, ubi ait : *Sancta prohibentur dari canibus, id est, peccatoribus manifestis : sed occulta non possunt publice puniri, sed sunt divino judicio reservanda.* Quibus verbis innuit, posse aliquo modo puniri occulte, Communionem negando privatim, & in occulto petentibus.

Quest. lxxx.
Art. vi.

R E G U L A IV.

Peccatori vehementissima suspicione criminis ex fama publica laboranti, negari debet Eucharistia.

Ita docet S. Thomas in iv. Sententiarum, Dist. lx. Q. i. A. v. Quæstiuncula II. Triplex (inquit) est suspicio quedam violenta, ad cujus contrarium non admittitur probatio; sicut si inveniatur solus cum sola nudus in lecto, loco secreto, & tempore apto ad commixtionem: alia est probabilis; sicut si inveniatur solus cum sola colloquens in locis suspectis, & frequenter: tertia est præsumptuosa, quæ ex levi conjectura ortum habet. Hæc autem ultima deponenda est; in secunda non debet denegari; quia pœna non infligitur, ubi culpa ignoratur: sed de prima est idem judicium, quod de peccato. Unde si sit suspicio procedens ex fama publica, non debet ei dari neque in occulto, neque in manifesto. Si autem sit singularis ipsius Sacerdotis suspicio; quantumvis violenta, Debet dari in publico, sed non in occulto.

R E G U L A V.

Post pœnitentiam, & reconciliatorem, etiam publicis peccatoribus non est Communio deneganda, præcipue in articulo mortis (inquit S. Thomas III. P. Q. lxxx. A. vi.) Idque colligitur ex Concilio Carthaginensi III. Canone xxxv. cujus hæc sunt verba: *Scenicis, atque histrionibus, ceterisque hujusmodi personis, vel Apostaticis, conversis, vel reversis ad Dominum, gratia, vel reconciliatio non negatur.*

R E G U L A VI.

Hostiam non consecratam loco consecratæ dare peccatori non licet. In Sacramento enim veritatis nulla fictio esse debet. Præterea, cum nemo Carnem Christi manducet, nisi prius adoraverit, ut ait S. August. exponens versum illum Psal. xxi. *Manducaverunt, & adoraverunt;* necnon illum Psal. xcvi. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est:* Sacerdos occasionem idololatriæ daret tum sumentibus, cum aliis præsentibus. Unde Innocentius III. C. De homine, Extra, De Celebratione Missarum, ait: *Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora, licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulentè illud præsumpserit simulare: cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se adstringat.* Ita & S. Thomas III. P. Q. lxxx. A. vi. ad secundum, & Quodlibeto v. Quæst. vi. A. II. ubi & ad III. ait: „ Stultus esset Medicus, qui cum majori suo periculo minus pericu-

„ lum infirmis vellet impedire; puta si vellet ipse venenum bibere, ne infirmus biberet vinum: multo autem magis peccat Sacerdos fictionem faciens in Sacramento Christi, quam peccator indigne sumens: unde stultus esset Sacerdos, si, ut vitaret peccatum subditi, ipse gravius peccaret, fictionem faciens in Sacramento veritatis.

R E G U L A VII.

Corpus Christi suspectis de crimine dare non licet ad illius manifestationem. Non enim is est divini Sacramenti finis, neque ideo institutum est a Christo, ut alicujus peccatum manifestetur. Denique, id fieri non potest sine tentatione Dei, adeoque nec sine peccato: *Et gravius videretur* (inquit *S. Thomas* in Responsione ad 111.) *si in hoc Sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret judicium mortis.* Tertio, daretur occasio indignæ Communionis, dum ille, qui crimen commississet, nolens se prodere, cum aliis ad S. Communionem accederet. Nec vero ulla est id faciendi necessitas, cum occulta peccata sint Dei judicio reservanda. Et quamvis nonnulli Canones hujusmodi probationem per Corpus Christi permiserint, ut Conc. Vormatiensis can. xv. relatus causa 11. qu. iv. cap. *Sæpe contingit*, qui hoc medio furta in Monasteriis commissa jubet explorari; hi tamen Canones sunt abrogati contrariis Romanorum Pontificum Decretis, ut constat ex cap. *Consulvisti*, dist. 11. *De Consecratione, &c. Ex tuarum, Extra, De Purgatione Canonica.*

R E G U L A VIII.

Si publici peccatores, manifestoque infames, ad Penitentiam, & Communionem admissi, postea in eisdem peccatorum fordibus versabuntur; ad hujus Sacramenti perceptionem rursus ne facile admittantur, quoad ipse Parochus, qui illorum curam gerit, eos vitam, & mores reipsa emendasse perspexerit. Ita *S. Carolus in Instructionibus.*

A R T I C U L U S II.
PRAXIM OMNINO SPECTANS.

De Præparatione Animi, & Corporis ad Sacram Communionem necessariam.

§. I.

De Præparatione Animi.

DE Animi præparatione hæc potissimum populo Christiano tradenda, & explicanda docent Conc. Trid. Catechismus, & *S. Carolus in Instructionibus.*

Actis Fidei dispositiones sunt ad Sac. Communionem necessariæ. 1. Cor. 2. 29.

I. Primum Fidelis unusquisque ita paratus, & instructus esse debet, ut discernat mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, cælestem hunc Panem a communi: atque hoc fit, cum hujus SS. Sacramenti fidem integram tenemus, & certo credimus, in eo præsens esse verum Corpus, & Sanguinem Domini, quem in Cælo Angeli adorant, ad cujus nutum columnæ Cæli contremiscunt, & pavent, cujus gloria plenum est cælum, & terra. Hoc nimirum est, *Dijudicare Corpus Domini*; quod Apostolus admonuit: cujus tamen Mysterii magnitudinem venerari potius oportet, quam in disputationibus ejus veritatem curiosius perquirere. Sciat etiam necesse est, qui ad hujus Sacramenti participationem admittitur, in Communionem, quæ sub una tantum specie a Laicis sumitur, integrum Corpus Domini etiam cum Sanguine sumi; & cum frangitur hostia consecrata, totum Christi Corpus in qualibet parte fracta contineri. Primum itaque præparandus ad S. Communionem animus est per fidei plenitudinem, secundum illud ad Heb. x. *Accedamus cum vero corde in Fidei plenitudine*: Cum vero corde, idest, cum vero intellectu sine errore. In plenitudine fidei, idest, plena fide credentes quæ non videmus, scilicet sub specie panis esse totum Christum, verum hominem, & verum Deum. Propter hujus fidei meritum dicitur 1. Pet. 1. *Credentes in Christum, quem non videtis, exultabitis letitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.*

II. Secundo conscientiam nostram scrutari diligenter debemus, ne forte exi-
tiali aliquo peccato contaminati simus, ut prius Contritionis, & Confessionis me-
dicamento illud eluatur, secundum divinum illud *Præceptum*, ab Apostolo pro-
mulgatum: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice
bibat.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse,
ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque
præmissa Sacramentali Confessione ad Sac. Eucharistiam accedere debeat (inquit
Synodus Tridentina sess. XIII. cap. VII.) *Quod a Christianis omnibus, etiam ab
iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus per-
petuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris: quod si, ne-
cessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum
confiteatur.* Idem statuit Synodus Rothomagensis anni 1581. Burdigalensis 1583.
cap. v. Bituricensis 1584. Aquensis 1585. Necessitatem urgentem intellige,
cum Parocho ratione sui officii necessario celebrandum est, ut populus Ec-
clesiæ præcepto de Missa diebus Dominicis, & Festis audienda satisfaciat: vel
ut Hostias ad infirmorum Communionem consecret; vel cum Missam celebrans
alicujus peccati mortalis meminit post Consecrationem, aut etiam ante, nec
Sacerdotem a quo absolvatur, absque scandalo vocare potest: deesse etiam
censetur Confessarius, cum ex Confessione alicujus peccati, vel circumstan-
tiæ necessariæ, probabiliter timet Pœnitens sibi, vel Confessario, vel alteri,
grave damnum animæ, vitæ, vel famæ: ut docet S. Thomas in IV. *Senten-
tiarum*, dist. XVII. qu. III. art. III. quæst. IV. ad quintum.

Conscien-
tiæ puritas
dispositio
ad S. Com-
munionem
necessaria.

Dispositio-
nes ad Sacr.
Communi-
onem,

Eandem Regulam tradit, & explicat Liber Synodicus Ecclesiæ Nemausensis
anno 1284. editus., Illud (inquit) districtissime prohibemus, ne aliquis in mor-
tali peccato constitutus Missam celebret, nisi prius confessus fuerit expresse,
& nominatim de illo peccato, si Sacerdotem inveniatur, cui valeat confiteri.
Si vero non possit alium Sacerdotem habere, cui confiteatur, non celebret,
nisi necessitas immineat, quæ sine gravi scandalo nequeat præteriri, ut si
dies festivus advenerit, & populus jam convenerit ad Divina, vel Corpus
alicujus Parochiani defuncti præfens sit in Ecclesia, vel Nubentes ad Ec-
clesiam convenerint Matrimonium contracturi; propter quæ, ut scandalum
evitetur, ipsum oporteat celebrare. In ipsis vero casibus si veram contritio-
nem habeat Sacerdos de illo peccato mortali, in quo est constitutus, &
proponat, quam cito poterit, confiteri alii Sacerdoti: credimus, Magistro-
rum nostrorum sententiis inhærendo, quod valeat celebrare: sed si eam
contritionem non haberet, nec propositum confitendi, celebrare in his casibus
non præsumat, quantamcumque necessitatem, vel scandalum videat imminere.

Quamvis porro casum illum necessitatis urgentis, & defectus Confessarii, in
quo Tridentinum Conc. Sacerdotem absque prævia Confessione licite celebrare
posse significat, Theologi plerique ad alios Fideles ad Sacram Communionem acce-
dere volentes etiam pertinere asserant: ut pari jure absque prævia Confessione Eu-
charistiam sumere possint in similibus angustiis constituti: cavendum est nihilomi-
nus ne facultas illa nimium extendatur. Nam si desit copia Confessarii Laico ul-
timo die Quindenæ Paschalis potius abstinendum est a S. Communionem, quam
ad eam accedendum absque Confessione lethalis alicujus peccati. Ab observa-
tione enim Ecclesiastici præcepti excusat impotentia, vel necessitas: nec prop-
ter illius observantiam præceptum divinum violare usquam licet. Præcep-
tum autem de Communionem Paschali Ecclesiasticum est, quoad temporis de-
terminationem: ab ejus igitur observatione statim excusat impotentia,
vel necessitas: cum autem aliquis mortali peccato contaminatus est, nec præ-
sentem habet Confessarium nec absentem adire potest, censetur impotens in
illis angustiis ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto de Communionem Paschali:
potest

Dispositio-
nes ad Sacr.
Communi-
onem.

potest ergo illam differre, donec habeat copiam Confessarii, vel absentem adire possit. Cum vero divinum sit præceptum de peccato mortali eluendo iis mediis, quæ Christus instituit, antequam Eucharistiæ Sacramentum sumamus; non est illud prætermittendum, ac violandum, ut Communio percipiatur intra Quindenam Paschalem. Metus etiam imminutionis famæ non est sufficiens ratio, ut Clericus, Monachus, vel Monialis, absque Confessione prævia communicent iis diebus, quibus generalis Communio Clericis, Monachis, vel Monialibus secundum Ordinis, vel Seminarii Statuta, aut consuetudinem indicta est, si mortalis peccati conscientiam habeant, quod tunc confiteri non possint: quia (ut ait *Innoc. III. Lib. IV. De Mysteriis Missæ, c. 13.*) *Peccator debet potius eligere, ut abstinendo reddatur suspectus, quam ut communicando manducet indignus.* Et (ut ait *S. Thomas, III. p. q. LXXX. art. VI.*) *Pejus est peccatori occulto peccare mortaliter sumendo Corpus Christi, quam infamari.* Unde *Peccator occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad Mensam Domini accedere.* Nec satis est, ut actum contritionis elicere conetur: cum enim in Eucharistia contineatur Sanctus Sanctorum, qui ad eam accedit, curare debet, ut sit sanctificatus: unde Diaconus olim ante Communionem clamabat, *Sancta Sanctis.* At quamvis per contritionem aliquando contingat hominem Deo reconciliari, & peccatorum remissionem obtinere ante Sacramentalem Absolutionem, id tamen semper non accidit, cum non omnis contritio sit *Charitate perfecta.* Quæ autem charitate perfecta non est, *Sine Sacramento Penitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequit* (ut docet Concilium Trident. Sessioe XIV. cap. IV.)

Solutio dubiorum aliquot circa Confessionem sacre Communionis præmittendam.

Rogabis primo, quæ dispositio necessaria sit Sacerdoti absque prævia Confessione celebranti, cum urget necessitas, & copia Confessarii deest, si peccati mortalis conscientiam habeat?

Respondeo, necessariam esse veram contritionem, sincerum scilicet de peccatis dolorem ob Deum offensum, & ex Dei super omnia dilectione conceptum. Non minor enim præparatio necessaria est ad sumendam Eucharistiam ei, qui Confessionem præmittere Communioni non potest, urgente necessitate, & non habita copia Confessarii, quam adulto ad Baptisimum accedenti. Necesse porro est ut adultus ad Baptisimum accedens *Deum tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiat, ac propterea moveatur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem* (ut docet Concilium Tridentinum, Sessioe VI. Cap. VI.) Eadem itaque præparatio necessaria est ei, qui peccato mortali contaminatus est, quod confiteri non potest urgente celebrandi, & communicandi necessitate: immo eo major, quod Eucharistia non est Sacramentum mortuorum, ut Baptismus, sed viventium, ideoque per se exigit, ut suscipiens sit in statu gratiæ constitutus.

Rogabis secundo, utrum ille, cujus memoriæ occurrit mortale peccatum, cujus in Confessione oblitus est, illud ante Communionem confiteri teneatur, cum *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelligantur*, eademque Absolutione Sacramentali condonata (ut docet Concilium Tridentinum Sessioe XIV. Cap. V.)

Dispositio- nes ad sacram Communionem.

Respondeo, ad illius peccati Confessionem teneri prius quam Eucharistiam suscipiat: quia non solum præcipitur Confessio ante sacram Communionem, sed ut fiat integre de omnibus, quorum habetur memoria. Peccata vero, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, & generali contritione delentur; ea tamen lege, ut paratus sit penitens ad ea, quæ subinde in memoriam revocata fuerint, sigillatim confitenda Sacerdoti.

Rogabis tertio, quid factu sit opus ei, qui solam opinionem, vel probabile dubium habet de peccato mortali non confesso?

Respondeo, peccati illius Confessionem Sacramentalem ab ipso præmitti oportere

tere sacrę Communioni, alioqui sacrilegę Communionis periculo se exponit

Rogabis quarto, utrum Sacerdos, qui absque prævia Confessione in casu necessitatis celebravit cum peccati mortalis conscientia, quamprimum confiteri debeat ex præcepto; an solum congruat ipsum confiteri ex consilio; nec debeat querere Confessarium, & adire; sed expectare satis sit opportunitatem?

Respondeo, præceptum esse quantocius implendum, ut probant Concilii Tridentini verba, *Quamprimum confiteatur*. Accedit Decretum Concilii Burdigalensis anno 1583. celebrati, Cap. v. *Celebraturi Sacerdotes, conscientiam suam prius diligenter excutiant, atque examinent, & ipsam aliquam meditationem præmittant. Peccatorum vero Confessionem octavo quoque die, aut sæpius faciant, quoties aliquo se peccato gravatos senserint. Sibi autem consciū mortalis peccati, quantumvis sibi contriti videantur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacrum Altaris Mysterium non accedant. etiamsi ex officio incumbat celebrare, modo non d sit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente Sacerdos aliquis absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Idem constat ex Decreto *Alexandri VII.* Pontificis Maximi, qui inter plures Articulos Moralis corruptæ, duos istos damnavit die decima-octava Martii anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto.

Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

Propositio
damnata.

Illā particula, Quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

His dubiis discussis, pergamus in explicanda præparatione Animi ad dignam Communionem necessaria. Manna in urna aurea conservatum testatur Apostolus ad *Hebræos ix.* quo significatum est, animam Christum, qui panis est vivus, suscepturam, instar auri purissimi mundam esse debere. *Pura autem conscientia est* (inquit Hugo a S. Victore) *quando non habet de præterito justam accusationem, de præsentī injustam delectationem, sed de futuro justam voluntatem*. In hujus rei typum *Joseph petiit a Pilato Corpus Jesu. Et accepto corpore, involvit illud in sindone munda*. Unde Sacramentum Eucharistiæ, secundum Ecclesiæ morem, in puro linteo celebratur. In tribus vero, quæ corporale linteum ad candorem perducunt, tria designantur, quæ ad animarum nostrarum purgationem, & munditiam conferunt, ut observat *S. Thomas*, Opusculo *LVI. De Sacramento Altaris*, c. xv. Primo enim lavatur, deinde torquetur, tertio efficitur: ita ut animæ munditia necessaria ad dignam Communionem procuretur, debet primum Christianus aqua lachrymarum ablui; deinde Pœnitentiæ operibus torqueri; tertio, fervore divini amoris a carnalium desideriorum humore sicari.

Matth. 27.

III. Tertio, omnem distractionem mentis, animique somnolentiam depellere studeat Christianus sacram Eucharistiam sumpturus.

Animi At-
tentio.

IV. Quarto, exquirat tacitus a se ipso cum timore, an illud *S. Petri* sibi usurpare liceat: *Domine, tuis, quia amote*. Nihil enim æquius est, quam ut eximio Christi in nos amoris, qui se totum nobis dedit, nascens socium, convalescens in edulium, moriens in pretium, regnans in præmium, nos ipsos totos rependamus. Ergo *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat eum, qui Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos; eisque incomparabile dedit amoris pignus, Corpus, & Sanguinem suum, se ipsum, totum quantum est.*

Joan. 21. 25.
Amor Dei

V. Quinto, unusquisque a se ipso querat, num pacem cum aliis habeat, num proximos vere, atque ex animo diligat. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*. Verba sunt Christi, Matth. v. 23. 24. Quæ *S. Joannes Chryostomus* Homilia *xvi.* in *Matth.* præclare edisserit. *O ineffabilem erga homines amorem Dei! Interrumpatur, inquit, cultus meus, ut tua charitas integretur.*

Concordia
cum Proxi-
mo.

Sacri-

Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Quam proposito palam Sacrificio fieri jubet, ostendere volens, quod honoret maxime charitatem, & hanc acceptissimum esse sacrificium ducat; absque ista vero nec illud suscipiat, & ut irretractabilem quamdam reconciliationis necessitatem imponat.

Hinc S. Augustinus Tractatu xxvi. in Joannem, *Antequam*, inquit, *ad Altare accedatis, attendite, quid dicatis: Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Sed vide, si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid agat. Intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus judicat, intus aut damnat, aut coronat.*

Et Sermone cclxxii. Ad infantes ante Altare, de Sacramento: *Dominus Christus Mysterium pacis, & unitatis nostræ in sua Mensa consecravit. Qui accipit Mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non Mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.*

Merito itaque Synodus Augustana anno Christi MDXLVIII. Othone Cardinali & Episcopo Augustano Præsidente, Dilingæ celebrata, statuit, ut *Qui erga proximum inimicitias, aut invidentiam ulcisci meditantem animum gerunt, aut qui proximos inique opprimunt, aut eorum existimationi, & honori falso derogant, ii omnes ad Venerabilis Sacramenti perceptionem non admittantur, donec vel pacem conciliando, vel aliena damna restituendo satisfaciant, & irrogatam Penitentiae multam persolverint.*

Pii desiderii fervor.

VI. Sexto, ab omni desiderio, delectatione, omnique sensus amore, quo divinæ charitatis studium languescit, purum, integrumque animum conservare studeat Christianus Eucharistiam sumpturus, sensusque omnes severitate quadam moderata cohibere, etiam in rebus licitis.

VII. Sanctis item meditationibus ad Dei amorem inflammet animi sui voluntatem, quam pietatis operibus etiam, atque etiam sæpe confirmet.

Dispositiones ad sacram Communionem. Enarr. in Psal. 131.

Desiderium celestis hujus cibi sumendi excitet duplici consideratione: quarum una est, ut altissimi hujus Sacramenti excellentiam, admirabilesque fructus meditetur: altera est, ut tacitus etiam cogitet spirituales inopiam suam spiritualesque suas necessitates. Hinc S. August. explicans illa verba Psal. xxi. *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ, ait: Adorant Christum, supplicant Christo, sed non saturantur sapientia, & justitia illius. Quare? Quia non pauperes. Pauperes autem, id est humiles corde, tanto plus esuriunt, quanto plus manducant, tanto plus autem esuriunt, quanto a sæculo inanes sunt ... Hæc saturitas qualis est? Deus panis est. Panis, ut lac fieret, descendit.*

Matt. 8. 10.

VIII. Præterea tacitus cogitet, quam indignus sit, cui divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud Centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israel, ex animo dicendum est: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: & cum summa humilitate ad sacram Mentam hujus pabuli celestis accedendum.*

Humilitas, dispositio ad sacram Communionem necessaria.

IX. Humilitatem Christus nos docuit in Incarnationis Mysterio, cum exinanivit semetipsum formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo: docet & in Eucharistia sub forma peregrina latens: illic Deus absconditus sub veritate carnis; hic sub specie panis: illic obediens Patri usque ad mortem crucis; hic obediens quodammodo Sacerdoti usque ad mortem mysticam, & typicam effusionem sui Sanguinis: illic cum peccatoribus manducans; hic peccatoribus se manducandum præbens: hic, & illic factus victima pro peccatis nostris immolata: illic cruento, hic incruento sacrificio: illic expositus injuriis Judæorum; hic injuriis, & sacrilegiis improborum: utrobique humilitate sua superbiam nostram curans. *Caput omnium mortuorum superbia est quia caput omnium peccatorum*

Superbia. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet, quod per aliquam causam factum est, & ipsam causam, qua factum est, non curet, ad tempus videtur mederi. Causa manente morbus repetitur. Verbi gratia, expressius hoc dicam, humor in corpore scabiem, vel ulcera gignit: in corpore fit magna febris, & non parvus dolor: exhibentur quedam medicamenta, quæ scabiem compeſcant, & fervorem illum ulceris sedent, & adhibentur, & proficiunt: vides hominem, qui fuit ulcerosus, & scabiosus, sanatum; sed quia humor ille non eiectus est, rursus ad ulcus reditur. Cognoscens hoc Medicus, purgat humorem, detrahât causam, & nulla erunt ulcera. Unde abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit, & humilis factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Paderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, & humilis factus est: præcipitur tibi, ut sis humilis, non præcipitur tibi ut ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce, quia es homo: tota humilitas tua, ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit: „ Non „ veni facere voluntatem meam, sed ejus voluntatem, qui misit me. Hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideo „ Qui ad me venerit, non ejiciam foras. Quare? Quia non „ veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Humilis veni, humilitatem docere veni, Magister humilitatis veni: qui ad me venit, incorporatur mihi; qui ad me venit, humilis fit: qui mihi adheret, humilis erit, quia non facit voluntatem suam sed Dei: & ideo non ejicietur foras, quia cum superbus esset, projectus est foras... Doctor itaq; humilitatis venit non facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit illum. Veniamus ad eum, intremus ad eum, incorporemur ei, ut nec nos faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei: & non nos ejiciet foras, quia membra ejus sumus, quia Caput nostrum esse voluit docendo humilitatem. Ad extremum ipsum audite concionantem: „ Venite ad me, qui laboratis, „ & onerati estis: tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis „ sum, & humilis corde: & cum hoc didiceritis, invenietis requiem animabus „ vestris, unde non ejiciamini foras. Quia descendi de cælo, non ut faciam „ voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me: humilitatem doceo, „ ad me venire non potest, nisi humilis. Non mittit foras, nisi superbia: quomo- „ do exit foras, qui servat humilitatem, & non labitur a veritate?... Hæc est „ autem voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non „ perdam ex eo. Ipse illi datus est, qui servat humilitatem; hunc accipit: qui „ non servat humilitatem, longe est a Magistro humilitatis. Ut omne, quod de- „ dit mihi, non perdam ex eo. Sic non est voluntas in conspectu Patris vestri, „ ut pereat unus de pusillis istis. De tumentibus potest perire, de pusillis nihil per- „ it; quia, nisi fueritis sicut pusillus iste, non intrabitis in Regnum cælorum. Verba sunt S. Augustini Tractatu xxv. in Joannem.

Dispositio-
nes ad S.
Communi-
onem.
Matt. 11.

Joan. 6. 38.

Matt. 18. 14.

Matt. 18. 5.

Joan. 1.

Idem propius ad nostrum argumentum Enarratione in Psalmum xxxiii. Dominus noster Jesus Christus in Corpore, & Sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit Corpus, & Sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, non manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus; sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cælestes Spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet, quod eos satiat, & letificat. Quis autem homo possit ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut Mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trahatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans; sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem

mamil-

mamilla & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pascit nos Sapiencia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Saginantur illo Angeli; sed semetipsum exinanivit, ut manducaret Panem Angelorum homo: humiliavit se factus obediens usque ad mortem crucis, ut jam de cruce commendaretur nobis Caro, & Sanguis Domini.

Et lib. Annotationum in Job: Præcipiens nubi, ut sit super terram, Carni suæ, ut per Sacramentum accipiatur in memoriam ejus, ad imitationem humilitatis, & formationem charitatis.

Id confirmat Auctor Sermonis De Ecclesiæ Dedicatione inter Ambrosianos editi. O fides Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consuevisti! Ecce religiosus Centurio ad accipiendam humilitatem fit dignior, cum se profitetur indignum; & dum ædes suas injuriosas putat, magis eas honorificas fecit, & gratas. Magnæ enim, & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum cælorum esse Deum, verebatur ne hospitii sui eum angustie non reciperent. Ergo contradicente Centurione non pergit ad domum Dominus: non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina: non visitat ægrum Salvator, sed visitat charitas Salvatoris.

§. II.

De præparatione corporis.

Jeunos esse
necesse est,
qui ad sa-
cræ Eucha-
ristiæ Com-
munionem
accedunt.

NEquè vero animi solum, sed etiam corporis præparatione opus est. I. Primo necesse est, ut Fideles ad sacram Mensam jejuni accedant; ita ut saltem a media antecedentis diei nocte usque ad illud temporis punctum, quo Eucharistiam accipiunt, nihil comederint, aut biberint. Id Divino quidem Jure non est præceptum, sed Ecclesiastico, cujus triplicem rationem affert S. Thomas III. P. Q. LXXX. A. VIII. Prima petitur ex reverentia Sacramenti, ut scilicet Corpus Domini in os hominis intret nondum aliquo cibo, aut potu infectum, & Virgine adhuc saliva (ut loquitur Tertullianus) in stomachum trajiciatur. Altera petitur ex significatione; ut intelligamus, Christum, & charitatem ejus debere primo fundari in cordibus nostris, secundum illud Matt. VI. *Querite primum Regnum Dei*. Tertia, ex periculo vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex inordinato cibi, & potus appetitu, sicut & Apostolus ait I. ad Cor. XI. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

Perpetua hæc fuit ab Apostolicis temporibus Ecclesiæ praxis, & disciplina, cujus testes sunt Tertullianus L. II. *Ad Uxorem*, C. V. *Non sciet, inquit, Maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes. Et si sciverit Panem, non illum credit esse, qui dicitur.* Quod ad Eucharistiam spectat etiam domi tempore persecutionum olim sumi solitam.

S. Cyprianus Epistola LXIII. *Non mane (inquit) sed post cœnam mixtum Calicem obtulit Dominus. Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum Calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa Sacrificii ostenderet occasum, & vespera Mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occident illum omne vulgus Synagoge filiorum Israel ad Vesperam: Nos autem Resurrectionem Domini mane celebramus.*

S. Joannes Chrysostomus Homilia XXVII. in I. Epistolam ad Corinthios: *Tu prius quam communices, jejunas, ut quomodocumque dignus appareas.*

S. Augustinus Epistola LIV. alias CXIII. ad Januarium. *Liquido (inquit) apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus, & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui-Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur*

Neque

Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cenati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent; aut, sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Nanique Salvator quo vehementius commendaret Mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius insingere cordibus, & memorie discipulorum, a quibus ad Passionem digressurus erat; & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositorus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod cum morem nemo variasset.

„ Cum vero ait Apostolus de hoc Sacramento loquens: „ Propter quod, fratres, 1. Cor. 11,
 „ cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: si quis esurit, 20.

„ domi manducet, ut non ad iudicium conveniatis: statim subtexuit; Cetera autem, cum venero, ordinabo. Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur. Olim quidem toleravit Ecclesia, ut anniversario die Cœnæ Domini Eucharistia post cibum, & potum; a Fidelibus sumeretur, teste S. Augustino ibidem, & Concilio Carthagenensi III. Canone xxix Sed mos ille nec universalis fuit, nec diuturnus, & Concilium illud, necnon Matisconense II. Canone sexto statuerunt, ut hac una die excepta, Sacramentum altaris a jejunis hominibus sumeretur.

Denique Concilium Constantiense Sessione XIII. decrevit, ut secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam, & consuetudinem Eucharistia non nisi a jejunis sumeretur, solo infirmitatis, aut alterius necessitatis ab Ecclesia probatæ casu excepto. Concilium sacrum generale Constantiense in Spiritu-Sancto legitime congregatum declarat, ac definit, quod licet Christus post cenam instituerit, & Discipulis administraverit hoc Venerabile Sacramentum: tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas, & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit, & servat, quod huiusmodi Sacramentum nec post cenam conficiatur, nec sumatur a non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a Jure, vel Ecclesia concessio, vel admissio. Verbi gratia, cum Sacerdotem mori contingit post Consecrationem, & ante Communionem: tunc enim ab alio Sacerdote, etiam non jejuno, perfici debet Sacrificium, si nemo inveniatur jejunos: ut sanctum est in Concilio Toletano VII. Canone II. ex quo refertur VII. Quæst. I. C. Nihil contra. Item cum aquam pro vino infusam fuisse in calice animadvertit in ipsa Communione: vinum enim infundere, consecrare, & sumere debet, quamvis aquam illam biberit: quia præceptum divinum de integritate Sacrificii, legi Ecclesiæ de Communione a jejunis dumtaxat sumenda præponderat.

Dispositio-
nes ad sa-
cræ Com-
munionem

II. Si quis ergo non est jejunos post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, etiam per modum medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate, Missam celebrare, aut sacram Communionem percipere non potest: alioquin lethalis peccati reus erit.

III. Si ante mediam noctem cibum, vel potum sumperit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat; sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, aliquando abstinere conveniens est. Sacerdos autem ille, de quo extat *Alexandri III. Rescriptum C. Si constiterit, Extra, De accusationibus*, non est amovus a Regimine Ecclesiæ, quam habebat commendatam, quod nulla post cenam præmissa dormitione Missam celebrasset, sed quod totam noctem calicibus epotandis in popina contumpisset, indeque perrexisset ad Altare, & Sacris fuisset operatus: unde præsumptio juris erat, quod non jejunos celebraverat.

IV. Si reliquiæ cibi in ore remanentes casu transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non trajiciantur in stomachum per modum cibi, sed per modum

modum salivæ. Idem esto iudicium de guttulis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, si præter intentionem deglutiantur, secundum *S. Thomam* & Rubricas Missalis Romani. At si faccarum, aut bellaria in ore posita fuerint, nec ante somnum sint consumpta, dubiumque sit, an post mediam noctem trajecta fuerint in stomachum, a Celebratione, & Communionem abstinetur.

Dispositio-
nes ad sa-
cræ Com-
munionem.

V. Sacerdos celebrans, Hostiæ a se consecratæ particulas, seu grandiores, seu minimas, in calice, vel corporali, etiam post haustam ablutioem apertas, statim sumere potest: quia illarum sumptio ad unius, & ejusdem sacrificii consummationem pertinet. Immo & hostiam integram vel plures sumere potest, si absque irreverentiæ periculo conservari non possint, si verberata illas ab Infidelibus, aut Hæreticis conculcandas, aut comburendas provideat, vel merito vereatur.

VI. Sacerdos qui inter ipsa Missæ initia se aliquid per modum cibi, vel potus in stomachum post mediam noctem trajecisse meminit, debet ab Altari recedere, & a Missæ celebratione ea die abstinere, si id absque scandalo fieri potest: si vero post consecrationem se jejunum non esse meminit, perficere nihilominus Sacrificium, & Christi Corpus, ac Sanguinem sumere debet. Ita docet *S. Thomas III. P. Q. LXXXIII. A. VI. ad secundum.*, Ubi (*inquit*) difficultas occurrit, „ semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maxime autem „ periculosum circa hoc Sacramentum est, quod est contra perfectionem hujus „ Sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud quod „ pertinet ad qualitatem sumentis: & ideo si Sacerdos post consecrationem ince- „ ptam recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perfi- „ cere Sacrificium, & sumere Sacramentum. Similiter si recordetur pecca- „ tum aliquod commississe, debet penitere cum proposito confitendi & satisfi- „ faciendi; & sic non indigne, sed fructuose sumet Sacramentum. Eadem „ ratio est, si meminerit se excommunicationi cuicumque subiacere: debet e- „ nim assumere propositum humiliter absolutionem petendi; & sic per invisibi- „ bilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequetur, quantum ad „ hunc actum, quod peragat divina Mysteria. Si vero ante consecrationem ali- „ cujus prædictorum sit memor, tutius reputarem (maxime in casu induc- „ tionis, & excommunicationis) quod Missam inceptam deferret, nisi grave „ scandalum timeretur.

Communionem
per modum
Viatici in-
firmo non
jejuno
multoties
administra-
ri potest.

VII. Infirmus periculose laborans communicare potest non jejunos, per modum Viatici, secundum Constantiensis Concilii declarationem, & Ecclesiæ consuetudinem. Unde non tenetur cum gravi incommodo differre medicinæ, aut communis cibi sumptionem, ut jejunos communicet. Nec tenetur curare ut sibi prima, aut altera hora noctis Eucharistia deferatur, eam ut jejunos sumere possit. Cum enim illam ad infirmos honorifice deferendam Tridentina Synodus sanxerit, non est conveniens, ut horis intempestivis deferatur nisi gravis, & improvisa id postulet necessitas. Nec semel tantum, sed multoties potest in non jejuno sacra Communionem administrari, perseverante ad plures dies, vel ingrescente mortis periculo, modo inter utramque Communionem octo, vel decem dies interfluxerint: etiamsi Extrema-Untione fuerit procuratus. Idem dicendum, si ex imminente mortis periculo emerferit, & in illud denuo post dies etiam duces dies incidit. Ita vulgo Theologi. Decem dies inter utramque Communionem per modum Viatici Rituale Parisiense præscribit.

Dispositio-
nes ad sa-
cræ Com-
munionem.

VIII. Præstantissimi hujus Sacramenti dignitas postulat, maximeque conveniens est, ut Fideles pridie illius diei quo ad Sacram Communionem accedere creverunt, jejunium celebrent, aut saltem parcius cænent: & quod pii homines quando facere consueverunt, in orationibus, piisque meditationibus partem noctis vigilent, aut saltem prolixius, & ferventius orent, quam alias soliti sunt. Ita *S. Carolus in Instructionibus*.

IX. Dispositio altera ex parte corporis ad sacram Communionem afferenda, est puritas, & castimonia. In huius rei figuram Israelitæ Agnum Paschalem accinctis renibus manducare jubebantur. Hinc Achimelech Sacerdos Panes Propositionis *Davidi*, & ejus comitatu manducandos dare noluit, priusquam de illorum continentia certior factus esset. *1. Regum XXI. Non habeo (inquit) laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri, maxime & mulieribus? Et respondit David Sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta Dedit ergo eis Sacerdos sanctificatum panem.* Cum descendisset Dominus super Montem Sinai in igne, & nubis caligine, coram omni plebe, Moyses illam ad adventum Domini præparaturus (*Exod. XIX.*) ait: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* Si talis continentia servata est propter figuram, quanto magis propter Corporis Christi veritatem? Hinc *S. Hieronymus* Epist. *I.* quæ est Apologia pro *Libris adversus Jovinianum*, illud Apostoli *I. ad Corinth. VII.* expendens: *No-*
lite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi,
ait: Quid est majus, orare, an Corpus Christi accipere? Utique accipere
Corpus Christi. Si per coitum, quod minus est, impeditur: multo magis,
quod majus est. Diximus in eodem Volumine, Panes Propositionis ex Lege
non potuisse comedere David, & Socios ejus, nisi se triduo mundos a mu-
lieribus respondissent: non utique a meretricibus, quod damnabatur a Lege;
sed ab uxoribus, quibus licite jungebantur. Populum quoque quando acce-
pturus erat Legem in Monte Sina, tribus diebus jussim esse ab uxoribus ab-
stinere. Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christi Cor-
pus accipiant: quod nec reprehendo, nec probo: unusquisque enim in suo sensu
abundet; sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum com-
ire non audent? Quare non ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, a-
lius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Ni-
hil Deo clausum est, & tenebræ quoque lucent apud eum. Probet se unus-
quisque, & sic ad Corpus Christi accedat, non quod dilatae Communionis unus
dies, aut biduum sanctiorem efficiat Christianum, ut quod hodie non merui,
cras, vel perendie merear: sed quod, dum doleo me non communicasse Cor-
pori Christi, abstineam me paulisper ab uxoris amplexu; ut amori conjugis
amorem Christi præferam. Durum est, & non ferendum: quis hoc sæcularium su-
stinere potest? Qui potest sustinere, sustineat: qui non potest, ipse viderit. Nobis cu-
re est, non quid unusquisque possit, aut velit, sed quid Scripturæ præcipiant, dicere.

Idem confirmatur ex *Can. Vir cum propria, Causa XXXIII. Quæst. IV. & Can. Omnis homo, Dist. II. de Consecratione.* Item ex *Conc. Trid. Catechismo, & S. Caroli Instructionibus, nec non ex Conc. Bituricensi anni 1584. Titulo De Eucharistia.*

X. Coitus conjugalis, si sit sine peccato, si fiat nempe causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum, non impedit Communionem ex necessitate, sed solum ex congruitate, & decore, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Ita *S. Thomas III. P. Q. Ixxx. A. VII.* sultus *S. Gregorii* Responsione ad Interrogationes *Augustini* Anglorum Episcopi. *Oportet, inquit, legitima carnis copula, ut causa prolis sit, non voluptatis; & carnis commixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis ergo sua conjugæ, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Corporis Dominici, Sanguinisque Mysterio, suo est relinquendus iudicio: quia a nobis pro-*
non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis,

Continen-
tia disposi-
tio ad sa-
cram Com-
munionem.

Conjugale
commerci-
um, si sit
sine pecca-
to, Commu-
nionem
non impe-
dit ex ne-
cessitate,
sed ex con-
gruitate.

habent conjuges etiam de sua commixtione quod desleant.

Qua ratio-
ne pollutio
nocturna
Commu-
nionem im-
pedit?

XI. Pollutio nocturna, quæ mortale peccatum est propter consensum, vel ratione suæ causæ, ex necessitate impedit Eucharistiæ sumptionem, nisi peccatum Penitentia eluatur: postquam autem sincera Contritione, & Sacramentali Confessione expiatum est, impedit nihilominus eadem die ex congruitate, & decore, propter feditatem corporis, & evagationem mentis cum quibus ad sacram Communionem ne accedamus, postulat reverentia tanto Sacramento debita. Idem dicendum, si pollutionis causa, vel pollutio ipsa cum peccato veniali conjuncta sit, verbi gratia, si ex superfluitate cibi, aut potus leviuscula, aut ex turpibus cogitationibus, quibus plenus consensus datus non fuerit, immunditia illa contigerit. Si autem ex naturæ debilitate, vel humoris redundantia, vel ex cogitationibus de rebus obscenis, sed ob finem honestum, scilicet necessariæ lectionis, vel disputationis causa, absque delectatione carnali contigerit, ad Communionem accedere potest, qui illam passus est. Decet quidem quam maxime, ut a sacra Mensa abstineat, si pollutio illa ex turpibus phantasmatis provenerit; sed tamen accedere potest ad Altare, & Sacris operari, vel communicare, si Solemnitas occurrat, aut necessitas urgeat. Idem esto iudicium de illo, cui venialis crapula subrepsit, ex qua pollutio præter voluntatem procurata est. Ita *S. Thomas III. P. Q. lxxx. A. vii.* ex *S. Gregorio Epist. xxxi. Libri XII.* quæ Responsiones continet ad Quæstiones propositas ab *Augustino* Anglorum Episcopo, cujus hæc sunt verba. „ In eadem (*inquit*) illusione valde necessaria est discretio, quia valde sub-
„ tiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex
„ crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex co-
„ gitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate, vel infirmitate
„ evenerit, omnino hæc illusio non est timenda: quia hanc animus nesciens per-
„ tulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ
„ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur,
„ habet exinde animus aliquem reatum: non tamen usque ad prohibitionem per-
„ cipiendi Sacri Mysterii, vel Missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut
„ festus dies exigit, aut exhiberi Mysterium, pro eo quod Sacerdos alius in loco
„ deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii, qui implere Mysterium va-
„ leant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri Mysterii prohibere non
„ debet: sed ab immolatione sacri Mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si
„ tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt, qui-
„ bus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis
„ positus turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re unum ibi ostenditur,
„ quod ipsa mens rea non sit tunc, sed suo iudicio penitus libera, cum se et si dor-
„ miente corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in inglu-
„ viem incidisse. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dor-
„ mientis, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa pro-
„ cesserit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est,
„ ipsa cogitatio utrum in suggestione, an delectatione, vel quod majus est peccati
„ consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum: videlicet sug-
„ gessione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio
„ per carnem, consensus per spiritum... Cum malignus Spiritus peccatum suggerit
„ in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omni modo perpetratum non est. Cum vero caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. Et sæpe contingit, ut hoc, quod malignus Spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invit us, ut

Dispositio-
nes ad Sacra-
Commu-
nionem.

„ ei ratione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit; sed
 „ ligatum se vehementer ingemiscat. Qui sic est affectus, ad sacram Commu-
 „ nionem accedere potest, si nocturna pollutio ipsi contigerit, sive dormienti, sive
 „ vigili, modo certus sit, se nullam huiusmodi immunditiei præbuisse causam,
 „ sed ex mera demonis illusione, & nequitia procuratam fuisse. Unde apud Cassia-
 „ num Collatione xxii. Germano inquirenti, *An somnii illusionem pollutio vitanda sit,*
an præsumenda sacrosanctæ, ac salutaris Escæ perceptio? Thomas respondet Cap. v.
Omni quidem industria quantum in nobis est studere debemus, ut immaculatam ca-
stimonie puritatem illo vel maxime tempore teneamus, quo venerandis assistere opta-
mus Altaribus, & vigilantissima circumspectione præcavendum est, ne carnis in-
tegritas in eo præcipue, in quo nos ad salutaris Convivii Communionem præpa-
remus, defraudetur. Verum si hostis ille nequissimus, ut nobis cælestis remedia sub-
trahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita dumtaxat, ut nullo re-
prehensibili interveniente pruritu, nullo contaminetur oblectationis assensu... possu-
mus, & debemus ad gratiam cibi salutaris confidenter accedere. Et C. vi. Verum
ut manifestius approbetur, quod etiam Inimici factione nonnunquam hæc eliciatur
impuritas, novimus Fratrem, qui cum castimoniam cordis, & corporis summa cir-
cumspectione, atque humilitate promeritam jugiter possideret, ac nequaquam no-
cturnis ludificationibus tentaretur; quoties tamen se ad percipiendam Communionem
Dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens tentabatur. Qui cum multo se
tempore a sacrosanctis Mysteriis trepidus abstineret, eandem hanc ad Seniores detulit
questionem, remedium impugnationis, ac doloris sub medicabili eorum consilio con-
secuturam confidens. Addit, quod cum alias causas pollutionis diligenter ab eo
inquisitas non invenissent; Occultas diabolicæ factionis insidias confestim pervi-
derunt: probantesque nec animæ culpam esse, nec carnis, sacrosanctis eum Epu-
lis debere misceri confidentissime censuerunt, ne scilicet si in hac abstinence du-
rasset, versutis maligni hostis laqueis obligatus, sanctificationis, & Corporis Christi
particeps esse non posset, & per hanc fraudem medicina remedia salutaris in per-
petuum fraudaretur. Quo pacto ita omnis diabolicæ factionis scena detecta est,
ut mox virtute Dominici Corporis protegente, illa præterita illusionis consuetudo
cessaret. In quo Inimici dolus evidenter apparuit, & probata pariter sententia
Seniorum, quæ plerumque hunc impurissimum fluxum nec carnis, nec animæ
vicio, sed Adversarii factiosa docuit ludificatione propelli.

Dispositio-
nes ad Com-
munionem.

„ Si quis pollutionem passus, ad causam recurrens, dubitet de consensu, a
 „ sacra Communionem omnino abstinere debet: si autem expressè inveniat
 „ consensum non præcessisse (addiderim, nec fuisse comitatum, vel subse-
 „ cutum) & necessitas urgeat, aut aliqua causa potior tollat obligationem,
 „ qua teneretur alioquin non accedere, potest accedere, aut etiam celebrare,
 „ non obstante corporis immunditia, aut hebetatione mentis. *Alias si neces-*
sitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento; non
tamen si celebrat, mortaliter peccat, sed venialiter: sicut cum quis quandoque e-
vagationem mentis patitur. Quando autem ex illusionem accidit, si illusionis causa
in nobis præcessit: puta cum quis indevotus ad dormiendum accesserit, idem est
judicium ac de pollutione, quæ ex cogitatione præcedenti causatur, idest, potest esse &
mortale, & veniale peccatum. Et quia non ita de facili potest percipi, ex qua
causa contingat, ideo tutius est semper abstinere, nisi necessitas incumbat. Ita S.
Thomas, in iv. Sententiarum, Dist. ix. Q. i. A. iv. Quæstiuncula ii.

XII. Probari diutius, Penitentia operibus expiari, & salutari continentia exer-
 „ ceri debent, qui in peccata carnis prolasi sunt, antequam ad sacram Com-
 „ munionem admittantur. Hinc *Algerus Lib. i. De Sacramento Corporis, & San-*
guinis Domini, C. xxii. scribit Videndum, cum ad edendum Agnum Lex dederit
incalceamentis cautelam, ne a vitiis fallamur; in baculo disciplinam, qua perpetrata

Probari, &
expiari diu-
tius debent,
qui in pec-
cata carnis
prolapsi
sunt, prius
quam ad sa-
cram Men-
sam accede-
re permit-
tantur.

corrigamus; in lacrimis compunctionem, ut non solum exterius, sed interius penitentiam agamus; in festinatione desiderii ardorem, quo ad celestia suspiremus: cur accinctis renibus abstinentiam libidinis expressius indixerit, cum de ceteris vitiis nihil nominatum, sed communiter omnium vel cautelam, vel disciplinam figuraverit. Unde sciendum, quia Agnum Dei sine macula, qui Virginis est filius, luxuriosi, & incesti sumunt periculosius: quia cum in Sacramento Christi ei unire debeamus conformitate passionis, & munditiæ, nihil sic adversatur passioni crucis, ut voluptas; nihil sic munditiæ, ut feditas: nihil sic ejus unitati ut fornicariæ societatis unitas. Libido enim appetitu suo allicit, & incendit, actu suo fœdat, & exervat, usu lubricat & illaqueat: adeo ut placendo displicens, displicendo placens, difficilem, aut nullam sui pœnitentiam admittat: & nisi valida manu misericordiæ Dei subventum fuerit, miserabili fine suo amatores suos sine fine perdat. Hæc enim pestis, quo præ ceteris vitiis est naturæ familiarior, eo ad cavendum difficilior: quia cum repellitur, nolenti se ingerit importuna; cum admittitur, volenti incumbit blande onerosa; & dum sic sensim infundit amorem suum, prorsus extirpat amorem celestium. Sed quid e contra faciendum est, ne pereamus? Quia ad vitam non pervenitur, nisi per angustam viam, difficilem, sed cooperante Deo non impossibilem, ingrediamur semitam: ut quia humana non proficimus, angelicam in terris vitam ducamus, quatenus castitatis munditia, corde, & corpore Christi munditiæ conformes, ne cœlesti alimonia indigne reficiamur, simus spe, & conversatione cœlestes, quia Panis Angelorum non nisi angelicæ vitæ est stipendium. Unde etiam pravi, dum communicare præsumunt cibo, qui incommunicabilis est

1. Cor. XI. „ pravitati (ut ait Apostolus) Imbecilles fiunt, & dormiunt multi, quia non „ dijudicant Corpus Domini: ut vel corporalis infirmitatis molestia corrigantur per Dei misericordiam; vel dormitione mortis corporalis vitam amittant temporalem, & æternam. Ad quod periculum vitandum consulens Apostolus „ ait: Probet se homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat: Quia revera solicite debet perpendere, cujus sit actionis, vel saltem intentionis, quæ tantæ vult fieri particeps Communionis.

Quo habitu corporis ad sacram Communionem accedendum?

„ XIII. Quod ad corporis habitum pertinet, Parochus Fideles curæ suæ commissos moneat, satagatque, ut summa reverentia, omnique humilitate „ ad sacram Communionem accedant, & sumant. Oculis non vagis, sed in „ Christi Corpus pie coniectis: barbæ pilis circa os bene præcis: ore supra panum lineum suppositum modeste porrecto, capite non demisso: lingua paululum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente: in qua „ particulam suscipiant: neque linguam ipsam retrahant, priusquam Presbyter „ manum removerit: tum vero caput humiliter demittat. Ita etiam, ut suspiriis absterneant, quibus particulæ possint excuti. Manibus pectori admotis, instar crucis, ex veteri Fidelium disciplina, aut supplicibus, iisdemque nudis: „ pallio, quantum fieri poterit adhibito: non birretis, pileisve pluma inaniter „ ornatis: armis depositis: toto denique corporis habitu decenti, humili, & modesto, non sordido. Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco, aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; sed ita vestitæ, ut ne præter faciem quicquam nudum cernatur: velo denso bene super faciem demisso. Omnes autem genibus „ flexis: non pectore, brachiisve scabello innixi. Nihil præterea dabunt. Omni „ modestia surgent, & a Mensa discedent. Ita S. Carolus in Instructionibus. Videat autem Sacerdos Eucharistiam ministrans, ut cum dixit, Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat Animam tuam in vitam æternam: antequam Sacramentum præbeat ei, qui accepturus est, satis spatii relinquat ad respondendum, Amen, secundum Ecclesiæ primæ Ritum; ut rursus monet S. Carolus.

ARTICULUS III.

Quid in ipsa Communionem, & post Communionem præstandum?

I. IN Communionem ipsa, ut sancte religioseque Fideles animo versentur, hæc Parochus opportune præmonebit, ac docebit.

„ In primis, quo ardentius sanctum amorem, qui in sacra Communionem requiritur, Fideles in se excitent, illos docebit, quo modo eo temporis momento, quo sacram Eucharistiam sumunt, Passionem Christi Domini, ex cuius vulneribus pius ille a mor hauritur, religiose meditentur: tum etiam considerent præsens illud beneficium in quo tanta cum dignatione, immensaque charitate Christus Jesus se communicat, & intime illis se coniungit: Deinde, ut spem eorum inflammet, demonstrabit, tunc temporis illis considerandum, in Christo Domino esse quicquid piam Christianorum fiduciam, spemque excitare potest; cum ipse sit & omnipotens, qui omne bonum conferre potest; & summe benignus, qui magis desiderat conferre nobis sua dona, quam nos recipere; & sapiens, qui bene novit, quæ nobis & expediunt, & opus sunt ad salutem.

„ Ac præterea, ad hoc illos instruet, ut in ipsa sanctissima Communionem, toto corde, omnique intima animi pietate Deo gratias agant de tanto beneficio, infinitaque charitate, qua erga Populum Christianum usus est. Ita S. Carolus in Instructionibus.

Pia meditatio, & amoris erga Deum excitatio.

„ II. Fideles etiam monebit, ut ne postquam sacram Communionem sumperint, ab Ecclesia statim discedant, sed permaneant in oratione, quantum fieri possit, quieto, & remoto loco.

Gratiarum actio.

Monebit etiam, ne statim spuant, sed per quartam saltem horæ partem a sputatione abstineant. Si vero necessitas coget prius spuere, id in loco saltem fiat a pedibus conculcantium remoto, seu potius in linteo mundo. Sacerdotes, & Fideles a spuendo aliquandiu post Communionem abstinere solitos, eoque nomine reprehensum olim *Amalarium*, quod a spuendo post Dominici Corporis sumptionem satis diu non abstineret, constat ex ejus ad *Guntardum* Epistola, qua se excusat, Tom. VII. *Spicilegii*, p. 168. Ait autem non ex irreverentia erga Corpus Christi, sed ex redundantia humoris phlegmatici, quem cohibere non poterat, se paulo post Communionem spuere.

Ne præterea statim cibum capiant, sed dimidia post sumptam sacram Communionem, aut saltem quarta horæ parte, Parochus admoneat.

Ut animæ cogitationes, sensus omnes, & linguam cohibeant: abstineantque præcipue ea die a verbis otiosis, cogitationibus inanibus; sed in sanctis meditationibus, precibus, Divinorum Officiorum frequentia, Ecclesiis etiam frequentandis, aliisque pietatis officiis, atque operibus versentur.

„ Ut denique assistant Christo hospiti sanctissimis exercitationibus, atque actionibus: a profanis autem negotiis, & sæcularibus abstineant: quod si non omnino possunt, curent tamen a sancta Communionis sumptæ meditatione, & a sui intima custodia non alienari. Ita S. Carolus in Instructionibus.

Sacræ Communionis diebus elemosynæ pauperibus largius eroganda.

Diebus autem sacræ Communionis, charitas, & beneficentia in pauperes effusius est exercenda, & cum Christus Corpore suo nos cibaverit, pane certe nostro, aliisque cibis terrenis, quos dat nobis Deus, ipsum in membris suis esurientem pascere debemus. Christianos etiam post sacram Communionem immisericordes graviter increpat S. Joannes Chrysostomus, Homilia xxvii. in Epistolam I. ad Corinthios. „ Si tu (*inquit*) accedas propter Eucharistiam, id est gratiarum actionem, tu quoque nihil facias indignum Eucharistia, seu gratiarum actione: neque fratrem pudore afficias, neque esurientem despicias . . . Christus omnibus Corpus ex æquo dedit: tu autem ne panem quidem communem das ex æquo . . . Christi facis commemorationem, & pauperes despicias, & non exhorrescis? Sed si filii quidem, aut fratris

„ defuncti memoriam ageres, pungereris a conscientia, si non morem implevis-
 „ ses, & pauperes vocasses. Tu autem Domini tui faciens memoriam, ne
 „ mensam quidem solum impertis Talis mensę fuisti particeps: & cum
 „ omnibus deberes esse mitior, & clementior, & par Angelis, fuisti omnium
 „ crudelissimus. Gustavisti Sanguinem Dominicum, & ne sic quidem fra-
 „ trem agnoscis? Et quamnam mereberis veniam? Quamquam etsi antea i-
 „ gnorares, a Mensa eum oportebat agnoscere, Nunc autem etiam ipsam
 „ Mensam ignominia afficis, eum, qui dignus fuit habitus, ut illius esset
 „ particeps, tuis cibus non dignum esse existimans Non cogitas quis-
 „ nam cum esses, quis factus sis? Non in memoriam revocas, quod hoc pau-
 „ pere in pecuniis, longe eras egentior in bonis operationibus, cum esses
 „ plenus peccatis; sed tamen ab his omnibus te liberavit Deus, & te ta-
 „ li Mensa est dignatus. Tu autem ne sic quidem factus es benignior, &
 „ magis misericors. Nihil ergo restat, nisi ut tradaris tortoribus. Hęc ver-
 „ ba nos quoque omnes audiamus, quicumque hic quidem cum pauperibus
 „ ad hanc sacram Mensam accedimus, foras autem egressi, videmur ne eos
 „ quidem vidisse.

1. Tim. 5.

Sacre Com-
 munionis
 diebus a de-
 liciis, & jo-
 cis omnino
 temperan-
 dum est.

Tum ostendit Fidelibus, qua die ad sacram Communionem accesserunt, a
 deliciis, & jocis penitus esse temperandum. „ Nam si nunquam oportet de-
 „ ditum esse deliciis, idque Paulus significavit dicens: *Quæ in deliciis vivit,*
 „ *est mortua:* multo magis tunc morietur. Nam si deliciæ mors sunt mulie-
 „ ri, multo magis viro: & si hoc cum alio tempore fiat, perdit, multo ma-
 „ gis post Sacramentorum Communionem. Tu autem pane vitæ accepto, fa-
 „ cis rem mortis, & non horrescis? Nescis, quam multa mala proficiantur
 „ ex deliciis? Rirus intempestivus, verba insolentia, & incomposita, ur-
 „ banitas, & facetiæ exitio plenæ, nugę inutiles, ea, quæ ne fas quidem est
 „ dicere: & hæc facis Christi Mensa exceptus, eo die, quo dignus es habi-
 „ tus, qui ejus carnes lingua tangeres. Quicumque sis ergo, ne hæc fiant, ma-
 „ num tuam expurga, & castiga linguam, & labia, quæ ingressui Christi fue-
 „ re vestibula: & apposita mensa sensibili ad Mensam illam mentem extende,
 „ ad Cenam Dominicam, ad vigiliam Discipulorum, quæ fuit sacra illa nocte.
 „ Immo vero etiam præsentia sunt nox. Vigilemus ergo cum Domino, com-
 „ pungamur cum Discipulis: precationis tempus est, non ebrietatis, semper qui-
 „ dem, maxime autem in die festo. Propterea enim est dies festus, non ut nos
 „ indecore geramus, non ut peccata congregemus, sed ut quæ sunt tollamus...
 „ Ego te volo explere deliciis, sed quæ vere sunt deliciæ, quæ nunquam mar-
 „ cescunt. Invita Christum ad prandium: eum tuis imperti, vel potius suis.
 „ Hoc infinitam habet voluptatem, & perpetuo vigentem,

A R T I C U L U S IV.

De Frequenti Communione.

P R O P O S I T I O U N I C A .

Frequentior Communio, si nihil obstat, præstat variori.

Eucharistia enim spiritualis est animæ cibus: unde quemadmodum corpori
 in singulos dies alimentum subministrare necessarium putamus; ita etiam
 animæ hoc Sacramento frequenter alendæ, & nutriendæ curam abjicere non
 debemus: neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus in-
 digere, perspicuum est.

Præterea, cum fructus maximos ex Eucharistiæ Sacramentali Communione
 consequamur, gratiæ, & charitatis incrementum, remissionem peccatorum ve-
 nialium immutationem concupiscentiæ, munimen contra tentationes, & an-
 tidotum contra peccata futura, vitam denique, & gloriam æternam: mani-
 festum

festum est, frequentem Communionem, si nihil obstat, præstare rariori.

Tertio, singulis diebus corporis vires reficere oportebat Israelitas per desertum ambulantes, donec ad Terram promissam pervenissent: frequens igitur Eucharistiæ susceptio cujus Manna figura erat, per se anteposenda est rariori.

Quarto, Fideles Apostolicis temporibus Eucharistiam quotidie accepisse, ex Apostolorum Actis intelligimus. (Act. 11. 42.) *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis Panis, & orationibus.* Omnes enim, qui tunc Fidem Christianam profitebantur, vera, & sincera charitate ita ardebant, ut cum sine intermissione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra Dominici Corporis Mysteria sumenda parati invenirentur.

Quinto, SS. Patres frequentem Communionem magnopere commendant, ad eamque vehementer hortantur.

S. Cyprianus Lib. De Oratione Dominica, *Hunc autem Panem (inquit) dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente graviore aliquo delicto, dum absentem, & non communicantes a cælesti Pane prohibemur, a Christi Corpore separemur.*

Eucharistia
Panis Quo-
tidianus.

S. Basilius Epist. cclxxxix. ad Cæsariam Patriciam, *Singulis certe diebus (inquit) communicare, & participem esse Sancti Corporis, & Sanguinis Christi bonum & fructuosum est, cum dixerit ipse, Qui comederit Carnem meam, & biberit Sanguinem meum, vitam habet æternam. Jam vero quis dubitat, quin frequentius participare, non sit aliud omnino quam frequenter vivere? Quater igitur nos singulis septimanis communicamus. Dominico die, Feria quarta, in Parasceve, & in Sabbato: sed & per dies etiam alios, si Martyris alicujus memoria celebretur.*

Joan. 6.

S. Joannes Chrysostomus Homilia v. in Epistolam I. ad Timotheum, penas indigne communicantium recensens, his verbis expressas, *Idco inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, ait: Et quomodo, inquires; ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea Sacramenta sumamus? Hoc nempe est, quod universa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore, constare meritum putas, summamque arbitraris reverentiam, ac religionem esse, si non sæpius cælestem illam adeas Mensam. Ignoras quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit, digne vero, etiamsi sæpe accedas, salutem inde conquiris? Non est audaciæ sæpius accedere ad Dominicam Mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiam toto vitæ tempore accedat... Quid igitur hanc rem temporis lege metimur? Tempustum accedendi tempus munditia conscientie faciat; nihil habet amplius quod in Pascha consummatur Mysterium eo quod continuo celebratur. Unum quippe, atque idem est, eadem est Sancti Spiritus gratia, semper Pascha est.*

1. Cor. 11.

Christiani
quoribus ad
Eucharisti-
am acce-
dunt, Pas-
cha est.

Et Homilia xvii. in Epistolam ad Hebræos, *Multi (inquit) hujus Sacrificii semel toto anno sunt participes, alii autem bis, alii vero sæpe. Ad omnes ergo habetur oratio, non solum ad eos, qui hic sunt, sed ad eos etiam qui sedent in deserto. Nam illi semel in anno sunt participes, sæpe etiam post duos annos. Quid vero, quinam erunt nobis magis accepti, an qui semel, an qui sæpe, an qui raro? Nec hi, nec illi: sed ii qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, qui cum vita irreprehensibili. Qui sunt hujusmodi, semper accedant: qui non sunt hujusmodi, ne semel quidem. Quamobrem? Quoniam sibi sumunt iudicium, & condemnationem, & penam, & supplicium. Nec mireris: sicut enim nutrimentum, quod natura vim habet nutriendi, si in eum inciderit, qui malis humoribus est pleus, omnia perdit, & corrumpit, & morbi fit occasio; ita etiam hæc veneranda Mysteria. Frueris Mensa spiritali, Mensa regali, & iterum os tuum luto inquinat? Ungis unguento, & rursus implet fæto? Dic mihi, eum post annum es particeps Communionis, existimasne quadraginta dies tibi suf-*

Eorum negli-
gentia
arguitur, qui
semel dum-
taxat in an-
no, & ne
tunc qui-
dem cum
debita præ-
paratione
ad Sacram
Communi-
onem ac-
cedunt.

ficere ad emundationem peccatorum totius temporis: & cum rursus præterierit hebdomada, te dedis prioribus? Dic mihi, si cum quadraginta diebus a longo morbo convalesceris, rursus te dedas cibus illis, qui morbos procreant, non etiam priorem perdis laborem? Nam si mutantur, quæ sunt naturalia, multo magis, quæ nostri sunt instituti, & liberi arbitrii: Hec dico, non ab uno, eodemque annuo accessu vos arcens, sed volens vos perpetuo ad Sancta accedere.

Psal. 33.

S. Hieronymus, Epist. xxviii. ad Lucinium, Utinam (inquit) omni tempore jejunare possimus! Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri, & pungente conscientia semper accipere, & Psalmistam audire dicentem: Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Et Epistola I. Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christi Corpus accipiant: quod nec reprehendo, nec probo: unusquisque enim in suo sensu abundet.

Sic vivendum, ut quotidie Eucharistiam sumere mereamur.

S. Ambrosius Lib. v. De Sacramentis, Cap. iv. Si quotidianus est Panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prodest. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere: quomodo Job sanctus pro filiis suis offerēbat quotidie Sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quod quotiescumque offertur Sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, & remissio peccatorum: & Panem istum vitæ quotidianum non assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est coeleste, & venerabile Sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est.

S. Augustini de frequentia Communionis sententia.

S. Augustinus Epistola LIV. alias cxviii. ad Januarium, „Alia vero (inquit) quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant Sabbato, alii non: alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico: alibi tantum Dominico: & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam forte devenerit ... Dixit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim munducaverit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Alius contra. Immo, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab Altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam; non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se Communioni, vel reddat. Ceterum peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipue in Christi pace permaneant: faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim exhonorat Corpus, & Sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum, alter dixerit, Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: ambo Salvatorem honorificantes diverso, & quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo Po-

Luc. 19. 6.
Matt. 8. 8.

„pulo

„pulo unicuique Manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat,
 „sic uniuscujusque in corde Christiani Sacramentum illud, quo subjugatus
 „est Mundus. Nam & ille honorando non audet quotidie fumere, &
 „ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non
 „vult cibus iste, sicut nec Manna fastidium.

„S. *Cyrillus Alexandrinus* Lib. 3. in Joannem p. 324., Vivificat Sanctum Christi
 „Corpus, & in incorruptione conservat, nostris commixtum corporibus.: Que
 „cum ita sint, intelligant demum quicumque baptizati sunt, divinamque gra-
 „tiam gustarunt, si cunctanter, & vix Ecclesias adeant, & longo temporum
 „spatio Eulogiam, quæ per Christum, frequentare desinunt, & ex eo,
 „quod nolunt ei mystice communicare, damnosum metum, ac religionem
 „prætexit, æterna vita se ipsos excludere, dum vivificari renunt: & re-
 „cusationem illam, tametsi a metu, & religione profecta videatur, in laqueum
 „cedere, & scandalum. Eniti quippe magis eos omni studio, ac viribus dece-
 „ret, ut a peccato statim mudentur, honestumque, ac probum vitæ insti-
 „tutum amplexi, ad vitæ participationem demum magna cum fiducia pro-
 „perent. Sed cum Satanæ variæ ad decipiendum sint artes, ad sanio-
 „rem eos revocari non sinit; verum postquam malis eos inquinavit, ipsam quo-
 „que gratiam cogit exhorrescere, per quam a voluptate, quæ ad vitium in-
 „ducit, tamquam a vino, & crapula ad sobrietatem revocati, quid utile sit,
 „perspicere queant. Ruptis igitur illius vinculis, & excusso jugo tyrannico,
 „in timore Domino serviamus, ut scriptum est, & carnis voluptatibus per-
 „temperantiam superatis, ad divinam, ac cælestem Gratiam accedamus, &
 „ad sanctam Christi participationem ascendamus.

„S. *Isidorus* Lib. *De Ecclesiasticis Officiis*, C. xviii. Dicunt aliqui, nisi aliquo in-
 „terveniente peccato, Eucharistiam quotidie accipiendam: hunc enim Panem dari, ju-
 „bente Domino quotidie nobis postulamus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da
 „nobis hodie. Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione, & devotione, & humi-
 „litate suscipiunt: ne fidendo de justitia, superba præsumptione id faciant. Ceterum si
 „talia sunt peccata, quæ quasi mortuum removeant ab Altari, prius agenda Peni-
 „tentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum.: Manifestum
 „est enim, vivere eos, qui Corpus ejus attingunt. Unde timendum est, ne dum diu
 „quisque separatur a Christi Corpore, alienus permaneat a salute, ipso dicente. Nisi
 „manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non ha-
 „bebitis vitam in vobis. Qui enim peccare jam quievit, communicare non desinat.

„*Ratherius* Veronensis Episcopus, qui decimo sæculo florebat, in Epistola Sy-
 „nodica ad Presbyteros suos, Omnis, inquit, dies Dominicus ideo est Paschalis,
 „quia Resurrectione Domini decoratus: Pascha vero nostrum ideo est Christus, quia
 „pro nobis immolatus. Omni ergo Dominica clamat nobis Apostolus: Itaque epule-
 „mur; id est, Carnem Domini manducemus, & Sanguinem ipsius bibamus.

„*Petrus Cellensis* Abbas S. Remigii Rhemensis, postmodum Carnotensis Epif-
 „scopus, qui floruit duodecimo sæculo ad exitum vergente, Libro *De Disciplina*
 „*Claustrali*, C. xxv. de eodem argumento hæc habet: „Eucharistia locum tenet
 „in corpore Ecclesiæ, quem humanum cor in homine: integro, & sano corde
 „vivitur, & corrupto, & vulnerato, homo moritur. Unde Salomon: *Omni*
 „*custodia serva cor tuum; quoniam ex ipso vita procedit: & Dominus de Cor-*
 „*pore suo in Evangelio: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Vita
 „est Angeli, in quem desiderant Angeli prospicere: vita est Christiani, per
 „quam possit proficere. Hanc vitam aliter accipit, qui in carne, & secun-
 „dum carnem vivit; aliter ille, qui seminat in spiritu, ubi de spiritu metat vitam
 „æternam, & qui dicit: *Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus: quem*
 „*diligio ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute. Cor tale Deum solum cogitat,*

„amat,

Recessus a.
 Sacra Com-
 munionem,
 quamvis e-
 metu, & rex-
 ligione vi-
 deatur profi-
 ficisci, sæpius
 in laqueum,
 & in scanda-
 lum cedit.

Quibus salu-
 taris sit fre-
 quens Com-
 munionis?

Joan. 6.

Omnis dies
 Dominica
 est Pascha
 Christiano-
 rum.

Eucharistia
 cor Ecclesiæ,
 vita Chri-
 stiani.
 Prov. 4 23.

Joann. 6. 58.

Galat. 2. 20.

Quando, &
quomodo
ad Corpus
Christi ac-
cedendum?

„ amat, & desiderat; anima singulis spiraculis Deum annunciat, & semper ad
 „ Deum spirat, & suspirat... Qui sic Deo, & a Deo occupatur horis matutinali-
 „ bus fame sancta urgente, Dominici Corporis, & Sanguinis Communionem quo-
 „ tidie reficitur. Sed, secundum Apostolum, dijudicandum inter hunc spiritua-
 „ lem cibum, & corporalem quotidianum. Nam summa discretione attenden-
 „ dum, quando ad Corpus Christi sit accedendum, quando cedendum, & quan-
 „ do recedendum. Accedere ad Christum, accedere est ad Dominum, accedere
 „ ad Regem, accedere ad lucem, ad ignem, ad panem, ad vitam, immo ad vitem.
 „ Quæris libertatem? accede ad Dominum: quæris securitatem? accede ad Re-
 „ gem: quæris claritatem? accede ad lucem, quæris calorem? accede ad ignem:
 „ quæris refectioem? accede ad panem? quæris potum? accede ad vitem: quæris
 „ resurrectionem? accede ad vitam. Offendisti Dominum? cede: fecisti contra
 „ Regem? cede: cæcus, aut lippus es? cede a luce: portas in lumbis, aut in ma-
 „ nibus tuis ignem alienum? cede, ne exurat te ignis de Altari: esne plenus mur-
 „ murio, & saturatus de contradictionibus? cede, & noli accedere ad Panem An-
 „ gelorum: esne inebriatus de vinea Sodomorum, & Gomorrhæ? cede, & noli
 „ accedere ad vinum de vinea Sorech: esne mortuus criminalibus, & sepultus in
 „ inferno? cede. Distat autem plurimum inter cedere, & recedere: nam cedere,
 „ reverentiæ est; recedere, irreverentiæ. Cedit qui dicit: *Domine non sum di-*
 „ *gnus, ut intres sub tectum meum.* Recedit, qui dicit: *Ecce ejicis me a facie tua.*
 „ Et, *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Et Psalmista: *Discedite a*
 „ *me omnes, qui operamini iniquitatem.* Quis autem finis recedentibus a Deo?
 „ *Omnes, qui elongant se a te, peribunt.* Cedo itaque cum peccavero: non rece-
 „ do, si confessus errorem fuero, & emendavero.

Luc. 7.
Genes. 4.
Psal. 6.

Psal. 72.

„ Sed adhuc diligentius advertendum, quando, quomodo, & quare ad Com-
 „ munionem sit accedendum: habet enim utilitas hujus refectioem temporis di-
 „ scretionem, modi determinationem, causæ etiam rationem. In tempore con-
 „ siderantur tria, opportunitas, consuetudo, & solemnitas. In modo purgatio,
 „ intentio, & devotio. In causa institutio, utilitas, & necessitas. Opportu-
 „ nitas fugit, & fugat occupationem: liberis enim mentibus hoc exequendum of-
 „ ficiam, & Deo obsequendum. Consuetudo removet laicam negligentiam, &
 „ erga salutem suam nimium torporem. Istans quoque solemnitas admonet nos
 „ accedere ad Communionem. Quæ enim solemnitas, ubi fames, & egestas?
 „ Ubi autem non est cibus, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam,
 „ egestas est, & exitialis inopia. Modus habet purgationem, intentionem, &
 „ devotionem. Purgandæ itaque prius sunt sordes nostræ aqua compunctionis,
 „ igne fraternæ compassionis, hyssopo fidei, & humillimæ confessionis, cinere
 „ saluberrimæ subjectionis, & mortificationis. De hac purgatione Apostolus ad
 „ Hebræos: *Habentes (inquit) fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi,*
 „ *quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam,*
 „ *& Sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudi-*
 „ *ne fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus*
 „ *spei nostræ confessionem indeclinabilem: & consideremus invicem in provocationem*
 „ *charitatis, & bonorum operum.* „ Securus introeat ad Altare Dei, certus accedat
 „ ad Communionem Dominici Corporis, qui habet cor aspersum, id est munda-
 „ tum a conscientia mala, & corpus ablutum tam sanctificatione Baptismatis
 „ quam compunctione devotionis; & qui tenet indeclinabilem spei confessionem.
 „ Intentio triplex, alia bona, alia mala, alia pessima. Bona est, si Corpus
 „ Christi cum fide vera, & pura ab omni crimine conscientia sumitur; ut Sanguis
 „ Christi justum justificet amplius, hic accipit, ut bonus fiat. Mala est, cum in
 „ vase per odium arido, per luxuriam immundo, & per malitiam corrupto mit-
 „ titur, non ut qui est malus, fiat bonus, sed ut qui est malus, appareat bonus:

Hebr. 10.

„ hic

„ hic est hypocrita. Pessima est, quando irreverenter quasi canis validus cor-
 „ de pessimo accedit aliquis ad Sacramentum Dominicum, non ut fiat bo-
 „ nus, sed ut sub Christo lateat Antichristus: hic est lupus rapax, qui sub
 „ pelle ovina devorat Agnum,

„ Triplex est devotio: alia compunctiva, alia suspiriosa, alia lacrymosa.
 „ Compunctiva est fons scaturiens, suspiriosa est fons saliens, lacrymosa fons su-
 „ perebuliens. Pungit compunctiva, elicit suspiriosa, fundit, & pluit lachry-
 „ mosa. Timor pungit, spes elicit, amor pluit. Venam stringit timor, spes
 „ aperit, amor humorem cum impetu spiritus educit.

Ecclesia sententiam suam de frequenti Communione in Synodo Tridenti-
 na expressit his verbis Sessione xxii. C. vi. *Optaret quidem Sacrosancta Sy-
 nodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed
 sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctis-
 simi hujus Sacramenti fructus uberius proveniret.*

Ecclesiæ
 sententia de
 frequenti
 Commu-
 nione.

De eadem Concilii Catechismus hæc habet: *Neque tamen Fideles satis ha-
 beant semel tantummodo Corpus Domini quotannis accipere, verum sæpius ite-
 randam Eucharistiæ Communionem existiment. Utrum autem singulis mensibus, vel
 hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest:
 verumtamen illa est S. Augustini * norma certissima: Sic vive, ut quotidie pos-
 sis lumere.*

S. Carolus in Instructionibus de Sacramento Eucharistiæ: *Ad saluberrimum
 (inquit) hujus Sacramenti frequenter sumendi usum Parochus Fideles cohort-
 abitur atque excitabit, Ecclesiæ institutis, ac exemplis, & Sanctorum omnium
 consentiente Doctrina, ut ex Catechismo Romano discere poterit, & Sententia
 Oecumenicæ Synodi Tridentinæ: quæ optaret quidem Fideles in singulis Mis-
 sis non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione
 communicare. Curabit certe, ut præter Paschatis Communionem, quæ Ecclesiæ
 præcepto necessaria est, saltem in præcipuis solemnitatibus, veluti die Natali
 Domini, Epiphania, Pentecoste, in diebus item festis majoribus B. Mariæ Vir-
 ginis, communicent.*

* Sermo
 alias 28. De
 Verb. Domi-
 ni, nunc 84.
 in Appendi-
 ce, qui totus
 exscriptus
 est ex S. Am-
 brosii Lib.
 5. De Sacra-
 mentis Cap.
 4^o

Crebris præterea monitis, illud, quod Beatissimus Silverius Pontifex statuit,
 in consuetudinem revocare studebit; ut qui sæpius non communicant, in Qua-
 dragesima saltem Dominicis diebus Corpus Domini sumant, & die item Cœnæ
 Domini, ex antiquo instituto; ac præterea in Adventu itidem præsent.

Eam præterea consuetudinem in Parochia sua introducere curabit, ut quo-
 zies quis iter longum, aut infestum, remque arduam, & difficilem, etiam in
 qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggredietur; qui item gra-
 vi aliqua perturbatione, vel ex filiorum, conjugisve obitu, vel bonorum amissio-
 ne, vel ex alia re adversa affligitur, Sacram Communionem confessus suscipiat.
 Idemque faciat, itinere, vel negotio difficili, quod susceperit, confecto, vel quo-
 cumque beneficio accepto; gratias Deo acturus hujus Sacramenti sumptione: in
 quo præcipua quadam ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis benefi-
 ciis aliquam gratiam pie referamus.

Curabit item, ut Mulieres proxime parituræ hoc ipsum præsent, ac præte-
 rea cum primum a puerperio ad Ecclesiam accedent.

De eadem Concilium Rhemense anni MDLXXXIII. Cum nihil habeat Chri-
 stiana Religio Sacramento Eucharistiæ præstantius, & augustius, nihilque ad
 sancte, & inculpate vivendum efficacius ejusdem frequentissima participatione,
 dolemus tantam esse Christianorum hujus temporis incuriam, ut semel tantum
 in anno sumant tam salutaris Sacramenti subsidia. Quare Parochi, & qui ad
 divini verbi prædicationem adsciscuntur, deinceps de frequentis Communionis antiquo
 usu, ejusdemque miris fructibus, & utilitate disserant, & Fidelibus persuadere ni-
 tantur,

tantur, nullum esse modum aptiorem, & compendiosiore, quo sopitis, & extinctis hæresibus, Ecclesiæ Apostolicæ facies nostro sæculo redeat. Nos quoque Fideles omnes hortamur, & per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus, ut quam sæpissime, saltem vero diebus solemnibus communicent, & quotiescumque postulaverit ingruens aliqua necessitas, quæ vitam humanam in discrimen, & periculum adducat.

S. Thomæ
sententia
de frequen-
ti Commu-
nionem,

Quæstionem de frequenti Communionem ita dirimit S. Thomas III. P. Q. lxxx. A. x. Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde S. Ambrosius dicit Lib. v. De Sacramentis, C. vi. Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur: qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat ... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ; non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit preparatum.

Luc. 5. 8.

Et in Responsione ad tertium, Reverentia (inquit) hujus Sacramenti habet timorem amori conjunctum: unde timor reverentiæ ad Deum, dicitur timor filialis: ex amore enim provocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reverendi: & ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti; & quod quotidie sumatur, & quod aliquando abstinence. Amor tamen, & spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori. Unde cum Petrus dixisset, Exi a me, Domine, quia homo peccator sum; respondit Jesus, Noli timere.

Et in IV. Sententiarum, Dist. XII. Q. II. A. I. Quæstiuncula I. In hoc Sacramento (inquit) duo requiruntur ex parte recipientis; scilicet desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit amor; & reverentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet: primum autem incitat ad frequentationem hujus Sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit: unde si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. Si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia, & devotione postmodum accederet. Unde quantum ad hoc unusquisque relinquendus est judicio suo.

Et Articulo II. Quæstiuncula III. Si autem hæc duo ad invicem comparemus, adhuc invenitur prævalere sumptio Sacramenti abstinence a Sacramento, tum ratione effectus Sacramenti; tum ratione præparationis, quantumcumque sit; ut etiam ratione virtutis elicientis actum: quia sumere videtur esse charitatis, in qua radix meriti consistit; abstinere autem timoris: amor autem timori prævalet. Et in Responsione ad secundam objectionem, In hoc (inquit) maxime est gloria Dei, & bonitas, quod se creaturis pro earum captu communicat; unde magis videtur ad Dei gloriam pertinere, quod aliquis ad Communionem accedat, quam quod ablineat.

De frequenti Communionem, & rationibus ad illam moventibus, legatur & piissimus Spiritualis Vitæ Magister Joannes Taulerus, Sermonibus I. & II. in Dominicam VII. post Octavam Trinitatis.

De Sacramento Eucharistiæ. Cap. V. Art. IV. 765
CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

I. **F**requens Communio non est iis permittenda, qui vel in peccata mortalia sepe labuntur, vel ab affectu venialium peccatorum non sunt liberi, & immunés.

Frequens Communio quibus permittenda?

Id colligitur ex C. *Quotidie*, Dist. II. De *Consecratione*, quod ex libro *Genadii De Ecclesiasticis Dogmatibus*, C. XXIII. excerptum est, cujus hæc sunt verba: *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cetero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis, & orationibus; & confitens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiæ intrepidus, & securus: sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non gravant: nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica penitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum Communioni sociari, si vult non ad iudicium, & condemnationem sui Eucharistiæ percipere.*

Confirmatur ex S. *Isidoro* Lib. I. *Sententiarum* C. XXIV. *Qui scelerate vivunt in Ecclesia (inquit) & communicare non desinunt, putantes se tali Communionemundari discant nihil ad emundationem sibi proficere, dicente Propheta: Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes Sanctæ auferent a te malitias tuas?*

Jerem. II. II.

Quod spectat alteram partem Regulæ; aliud est veniale peccatum, aliud eius affectum non habere. Abique veniali peccato ne ipsi quidem viri justi, & perfecti vivunt; sed absque peccati venialis affectu esse possunt, & plerique felicem illum statum attigerunt, dum ipsis ex animo displicent quotidiana illa fragilitatis humanæ peccata; dum illa pro virili cavent, atque emendare nituntur; dum ex iis humiliores, & ferventiores evadunt, quia dolent de superbia naturæ corruptæ veluti congenita, & de concupiscentiæ motibus non regnantibus quidem in mortali illorum corpore sed tamen tumultum moventibus, & charitatis fervorem minuentibus, cordisque sabbatum turbantibus, dum ad Deum jugiter ingemiscunt, & per gratiam Domini nostri Jesu Christi liberari supplices postulant; dum peccato, & mundo mortui, non sibi ipsis vivunt, sed Christo, & quotidie proficere satagunt de virtute in virtutem, novos ex iterata sæpius Communionem spirituales fructus referentes. His dumtaxat frequens Communio permittenda est, ut scilicet, vel singulis diebus, aut pluries in hebdomada, aut singulis etiam Dominicis Eucharistiæ sumant; alioqui parum fructuosa est Communio frequens, valdeque timendum est, ne Deus huiusmodi hominibus non quidem indigne omnino, sed otiose, & inutiliter (ut ita loquamur) Corpus Christi sumentibus, gratiam suam tandem subtrahat potius, quam augeat. Ut enim ait S. *Basilii* Lib. I. De *Baptismo*, C. III. *Qui edit, ac bibit in memoriam indelebilem eius, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, Jesu Christi Domini nostri, rationem vero memoriæ, obedientiæque Dominicæ ad mortem usque, juxta doctrinam*
„ *Apostoli non adimplet, qui dicit: Constringit enim nos charitas Dei, judican-*
„ *tes hoc, quod si unus pro omnibus est mortuus, omnes itaque mortuos*
„ *esse. (Quod in baptisate professi sumus.) Et pro omnibus mortuus est,*
„ *ut qui vivunt, jam non amplius sibi ipsis vivant, sed ei, qui pro ipsis*
„ *mortuus est, ac resurrexit: nihil habet utilitatis, juxta sententiam Domini*
„ *dicentis: Caro non prodest quidquam. Accersit autem sibi ipsi, qui talis est,*

Frequens Communio quibus permittenda?

2. Cor. 5. 14. 15.

1. Cor. 11.

Qui otiose
& inutiliter
edit
Corpus
Christi,
contristat
Spiritus
Sanctum.

Ephes. 4.

Sancti esse
debent, qui
ad Eucharis-
tiam frequen-
tius ac-
cedunt.

judicium quoque, dicente Apostolo: Qui edit, ac bibit indigne, judicium sibi, manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Non enim terribile tantum judicium habet, qui in carnis, & spiritus inquinamento ad Sancta accedit indigne: accedens vero reus fit Corporis, ac Sanguinis Domini: sed & otiose, & inutiliter edens, ac bibens. in eo quod non per memoriam ejus, qui pro nobis est mortuus, & excitatus, videlicet Jesu Christi Domini nostri, custodit illud Apostoli, quod dictum est supra. Nam veluti sine conscientia, & inutiliter tantum ac tale bonum irritum facit: & sicut absque gratiarum actione accedens ad tale Mysterium, judicium habet segnitiei; cum Dominus nec eos innocios esse sinat, qui verbum aliquod otiosum proferunt, & vehementius quoque otiositatis judicium declarat in eo, qui talentum acceptum in otio, & desidia integrum servaverat; Apostolus vero tradiderit nobis, quod & is, qui bonum verbum prolatum non ad edificationem fidei dispersat, contristet Spiritum-Sanctum: ita debemus etiam attendere, quod sit judicium ejus, qui indigne edit, ac bibit. Nam si qui fratrem quoque per cibum contristat, a charitate excidit, sine qua magna quoque charismata, & justificationes quoque operantia nihil profunt; quid de eo dicendum est, qui otiose, & inutiliter edere audet Corpus, & bibere Sanguinem Jesu Christi Domini nostri, & hac ratione plus aliquando contristat, & infestat Spiritum-Sanctum; dum sine charitate vescitur, que urget, ut aestimet se sibi ipsi non vivere, sed ei qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, Christo Jesu Domino nostro, edere, ac bibere? Oportet igitur accedentem ad Corpus, ac Sanguinem Domini, ad rememorationem ejus, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, non solum purum esse a quavis inquinamento carnis, ac spiritus, ne ad judicium edat, & bibat, sed & evidenter ostendere, & exprimere memoriam ejus, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, in eo, quod & mortificatus est peccato, mundo, ac sibi ipsi; ac Deo vivit in Christo Jesu Domino nostro.

Id significabat olim Ecclesia Diaconi voce tanquam præconis ad communicaturos Fideles inclamans: Sancta Sanctis: id est, ut S. Joannes Chrysostomus explicat Homilia xvii. in Epistolam ad Hebræos: Si quis non est Sanctus, non accedat: non solum (inquit) a peccatis purus, sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, & bonarum operum copia. Non solum, inquit, volo vos a peccatis liberatos, sed albos esse, & speciosos. Nam si Rex Babylonius Juvenis eligens ex captivitate, elegit pulchros specie, & vultu deceros, multo magis eos, qui astanti Mense Regie, pulchros esse oportet specie anime, mundum habentes aurum, mundum vestimentum, regales calceos, formosum anime vultum, cingulum veritatis. Qui talis est, accedat, & pocula tangat regia Eunuchos maxime oportet Regis adstare. Eunuchos dico, qui mente sunt candida, qui nullam habent sordem, nec maculam, qui mente sunt excelsa, animi oculo placido, & mansueto, acrisque, & perspicaci, agilique, sereno, ac volubili, non autem somnolento, & supino, multa libertate pleno, remoto autem ab omni impudentia, & confidentia, vigilantia, sano, nec admodum mesto, & tristi, nec nimis diffuso, & hilari.

Hinc S. Ambrosius Libro viii. in Lucam, explicans illa Christi verba, Ubi fuerit corpus, congregabimur & aquile, ait: Iustorum anime aquilis comparantur, quod alta petant, humilia derelinquant, longævam ducere ferantur ætatem. Unde & David anime sue dicit: Renovabitur sicut aquilæ juvenus tua Est etiam Corpus, de quo dictum est: Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. Circa hoc Corpus aquile sunt, que aliis circumvolant spiritalibus.

Psal. 102. 5.

Tom. xviii.
Biblioth.
Pætrum.
F. d. Lug-
dun. Can-
tic. 3.

Michael Psellus in Canticum Cantorum, Cap. v. Christus Sponsus ipsis Virginitis filii dat Corpus suum. Sic enim illos, sed dignos tantum, quos & propinquos suos dixit, alloquitur: Comedite propinqui mei, & bibite, & inebria-

briamini fratres mei. *Quicumque eslis* (inquit) *operibus fratres mei, Corpus meum comedite, & Sanguinem bibite. Deinde inebriamini, inquit, præ letitia, & propter ebrietatem stupore percussis, omnino mundi felicitudinem obliviscimini.*

Quæ dispositio ad frequentem Communionem:

Hanc dispositionem in Sacerdotibus, ut frequenter celebrent, & in reliquis Fidelibus, ut frequenter ad sacram Communionem accedere possint, postulat S. Bonaventura in Tractatu De Præparatione ad Missam Cap. v. Postulat & S. Antoninus III. P. Tit. XIII. Cap. vi. aitque, totam vitam ejus, qui frequenter communicat, esse debere præparationem ad susceptionem tantæ rei, & præcipue mortificando vitia, fugiendo vanitates, & occasiones peccatorum etiam levium, & venialium, occupationes non necessarias, quibus homo potest averti a serâ custodia cordis sui; exercendo se in virtutibus, excitando se per meditationem ad profundam humilitatem, amorem ardentem, fervens desiderium supernorum; inferendo se vulneribus Jesu Christi; non de suis meritis, sed de ejus pietate vehementer confidendo, &c.

Hanc dispositionem in iis, qui singulis diebus Dominicis, aut frequentius communicant, postulat & S. Franciscus Salesius, *Philothææ* P. II. Cap. xx. *Venialia peccata inhærentia*, id est, quorum affectus in nobis perseverat, Eucharistiæ fructum in nobis impedire, adeoque impedimenta esse frequentis Communionis, ostendit quoque Vir unctio Spiritus-Sancti excellenter illuminatus *Joannes Taulerus*, Sermone IV. *In Fæsto Venerabilis Sacramenti.*

„ Soli, inquit, exteriori significationi, seu signo inhærentes, ad ipsum fundum minime pertingunt: cum multis etiam venialibus culpis tepide accedunt, & ideo nihil reportant gratiæ, quippe cui ob multa, magnaque ipsorum impedimenta nullus patet ad eos accessus, sicque vani, dissoluti, inanes, frigidi perseverant, nec aliquem referunt fructum, immo deficient potius. Sed quærat fortasse aliquis, quænam sint illa impedimenta proprie, quæ tanta eis damna irrogant, pretiosissimosque divinæ gratiæ thesauros cælum, & terram locupletantes, ac divitiis implentes, ab eis excludunt, ita ut quamlibet sæpe communicent, vacui tamen semper, & inanes permanent, sicut in multis quotidie videre pronum est. Cui respondetur, impedimenta hæc venialia esse peccata, quæ nimirum charitatis actualem fervorem diminuunt, infrigidantque, cor distrahunt, devotionem expellunt, sanctam labefaciunt, vel etiam extinguunt strenuitatem. Dei familiaritatem auferunt: & quamvis gratiam, charitatemque non enecent penitus, hæc ipsa tamen damna inferunt, multumque disponunt ad mortalia peccata, & gratiæ amissionem. Porro venialia peccata, sive impedimenta quotidiana duplicia sunt, & utraque effluxum divinæ gratiæ in hoc Sacramento præpediunt. Alia namque perseverantia sunt, & inhærentia, alia fluxa. Inhærentia sunt ea, quando verbi gratia aliquis volens, & sciens a creaturarum affectibus, & amore captivus detinetur, atque in illis delectationem, & voluptatem quærit Quoties enim aliquis in creaturis sensuale gaudium, & delectationem principaliter quærit, toties ad minus peccat venialiter ... Hoc autem in se ipso quisque non negligenter observare debet, studiose perscrutando ubinam creaturæ in se lateant. Et fortassis ipsemet est, aut aliqua propria inordinatio, vel quia de amicis suis, aut divitiis non nihil extollitur, aut forsitan vere in propriis institutis, & exercitiis complacet sibi. Est etiam vitium quoddam, heu! nimis hodie vulgatum, & usitatum, quod omnes, & singuli, tam Religiosi, quam Ecclesiastici, & sæculares, privatis lucris inhiant, divitias cumulare, & recondere satagunt, adeoque tenaces sunt, & avari, ut satis dici nequeat. Nemo forte sua, rebusque contentus est: omnium hoc unum studium, una cura est, ut divitias sibi, quantas possunt, congerant. Hinc multa, & sumptuosa construunt ædificia, eademque ineptissimis,

„ ac

ac levissimis picturis exornant, nihil in eis nisi sensuum suorum oblectamenta
 quærentes. Ad hæc, argentea, & aurea sibi pocula cumulant, ornatus va-
 rios exquirunt, vestes pretiosas multiplicant, cibo, & potu lautissimo, &
 pretioso ventrem sarciunt, & onerant, atque in omnibus voluptatem quærunt,
 & delectationem, sciri, haberique in pretio appetunt: hisque, & aliis modis,
 & sensuum delectationibus peccata hujusmodi inhærentia coram se,
 & intra se instar muri consolidant, corroborantque. Interdum dolent etiam se
 istis non magis abundare. Unde hominum amicitias, superfluas, ac vanas a-
 nimi recreationes, & levitates expetunt, cum tamen in eis nec intendant, nec
 quærant, & multo minus inveniant Dominum Creatorem suum. Isti nimirum
 in mortalium peccatorum velut præcipitio sunt constituti, jamque prope est,
 ut vel intus, vel foris incomparabile eorumdem peccatorum damnum incurrant.
 Immo frequenter, antequam advertant ipsi, in multa, & gravia collabuntur...
 Fluxa vero, & non inhærentia peccata sunt, si quis nullius creaturæ inordi-
 nato amore captus detineatur, semperque se paratum inveniat ad relinquen-
 dum omnia, quæ certo sciret, Deum velle ab ipso relinqui, qualiacumque il-
 la forent, vel homines amici, vel bona temporalia: interim tamen non tam
 studiosè se ipsum custodit, ut merito deberet, facileque a natura, & vitiis
 naturalibus vincitur, ut ab ira, superbia, a torpore, & ignavia, a verbo-
 rum levitate, quorum omnium, necnon & aliorum vitiorum dum se illi of-
 fert occasio, in his ipsis excedit, estque vel loquax nimium, vel cibi, po-
 tusque intemperantior, aut plus satis hilaris, aut demum immodice sollicitus,
 & occupatus. Quamvis autem interdum ex his vitiis, interdum aliqua priori-
 bus inhærentibus queant esse graviora, dum tamen ex infirmitate, vel su-
 breptione fiunt, multo quam illa minus impediunt: quandoquidem fundus ipse
 purus est, & tantum accidens malum.

R E G U L A II.

Commutio quævis adversus proximum, vel leviuscula, qua sabbatum cordis
 turbatur, impedimentum est ex decentia, & decore Sacerdotem a sacrosancti
 Sacrificii oblatione, Fideles reliquos a sacra Communione prohibens, quo die id ipsis
 contigit, nisi gravis urgeat necessitas.

Id exemplo suo docuit S. Joannes Chrysostomus, qui in quodam Episcoporum
 Conventu non nihil commotus, justa licet de causa, Pansophium Pisidiæ Epi-
 scopum rogavit, ut ipsius vice Sacrificium offerret, ipse vero cum Episcopis re-
 liquis exiit. Cavebat enim animo turbido, juxta Evangelium, Sacrificium offerre
 (inquit Palladius in ejus Vita.)

Dispositio-
 nes ad fre-
 quentem
 Commu-
 nionem.

Idem docet S. Bernardus Lib. De Præcepto, & Dispensatione, Cap. xix. Interro-
 gatis (inquit) quid consulam homini, qui adversus quempiam commotus fuerit, sed
 non adeo, ut ledere ipse velit, adeo tamen ut libenter accipiat, si quo modo aliunde le-
 di contigerit: sit ne videlicet tutum ita commoto accedere ad Altare, an se subtrahere in-
 terim debeat donec compestatur commotio. Nunquam mihi contingat turbatum ad pa-
 cis accedere Sacrificium: cum ira, & disceptatione contingere Sacramentum, in quo
 Deus indubitanter est Mundum reconcilians sibi. Certe non recipitur munus quodcum-
 que meum quod defero ad Altare, nisi ante placato fratre, quem me læsisse memine-
 ro, quanto minus si me ipsum non pacavero prius.

R E G U L A III.

Communio frequens iis tantum permittenda est, qui vehementi desiderio Corpus
 Christi percipiendi, & eo quidem ex charitate profecto sunt incensi.

Qui scilicet ex animo dicant: Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aqua-
 rum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Hinc S. Joannes Chrysostomus Homilia
 LXXXIII. in Matthæum, Singulis (inquit) Fidelibus per hoc Mysterium se con-
 jungit: & quos peperit, non aliis nutriendos tradit, sed ipse studiosissime alit:
 hac

hac etiam re tibi persuadens, carnem illam tuam assumpsisse . Tanta igitur charitate , atque honore affecti , non torpeamus . Non videtis , quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt ? Quæ pressione papillis insigunt labia ? Non minori nos quoque cupiditate ad hanc Mensam , & ad hujus Calicis spirituales accedamus papillam : immo vero majore desiderio quasi lactentes pueri gratiam Spiritus

Et S. Jo: Damascenus Lib. VI. Fidei Orthodoxæ , cap. XIV. Ardentem (inquit) cupiditate ad eum adeamus , manibusque in crucis formam compositis Crucifixi Corpus suscipiamus , atque & oculis , & labiis , & frontibus impositis , divini carbonis participes efficiamur , ut ignis desiderii in nobis insiti , assumpta ea , quæ ex carbone oritur inflammatione peccata nostra exurat , ac pectora nostra collustret : demusque operam , ut per divini ignis perceptionem inardescamus , Diique efficiamur . Carbo non simplex lignum est , sed igni unitum : sic Panis Communionis non simplex panis est , sed Divinitati unitus .

Id Confirmat S. Bonaventura in IV. Sentent. P. II. Q. II. Si queritur (inquit) utrum expediat frequentare alicui , dicendum , quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ , laudandum est quotidie communicare . Si autem in statu Ecclesiæ finalis , utpote frigidum , & tardum , laudandum est , quod raro . Si autem medio modo , medio modo se debet habere , & aliquando debet cessare , ut addiscat revereri ; aliquando accedere , ut inflammetur amore ; quia tali Hospiti debetur honor , debetur & amor : & tunc secundum illam partem , secundum quam viderit se melius proficere , ad illam magis declinet , quod homo solum experientia discit .

Ita docet S. Franciscus Salesius , Philothææ cap. xx. Sed ne quis hac in parte decipiatur , duplicem esse animadvertit esuriam , five famem ; unam ex optima ciborum concoctione , rectaque stomachi dispositione , ac naturalis calor temperamento ; alteram ex stomachi male affecti vitio , & facultatis attractricis immoderatione : ita Eucharistiæ sumendæ desiderium , seu divini illius cibi esuriam , vel ex divini amoris ardore vehementi proficisci , vel ex adventitia quæpiam causa , seu vitiosa quadam habitudine oriri . Primum dumtaxat desiderium legitimum , & sanctum ; secundum fallax , insidiosum , & pravum est : primum a Spiritu Sancto ; secundum a Dæmonio meridiano . Dignosci autem potest quali desiderio feratur aliquis ad frequentem Communionem , ex illius vita , & ex fructibus , quos ex Communionem percipit .

Id egregie explicat Auctor Commentarii in I. Regum inter S. Gregorii Opera editi , exponens illa verba Cantici Annæ : Repleti prius pro panibus se locaverunt , & famelici saturati sunt . Famelicos enim respectu spiritualium ciborum illos esse ait , qui A cibis vitiorum vacui , a tumore jejuni sunt ... Non saturantur ergo nisi famelici , quia a vitiis perfecte jejunantes divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis . Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt , quid restat , nisi ut a peccatis , quibus eos humana fragilitas maculare non desinit , evacuari quotidie conentur ? Nam qui quotidie non exhaurit , quod delinquit , etsi minima sunt peccata , quæ congerit , paulatim anima repletur , atque ei merito auferunt fructum internæ suavitatis . Hac repletionem nos evacuare Paulus insinuans , ait : Probet se ipsum homo , & sic de Pane illo edat , & de Calice bibat . Quid enim est hoc loco probare , nisi evacuata peccatorum nequitia , se probatum ad Dominicam Mensam , & purum exhibere ? De repletis etiam subdit : Qui enim manducat , & bibit indigne , iudicium sibi manducat , & bibit . Qui ergo quotidie delinquimus , quotidie ad Pœnitentiæ lamenta curramus : quia ipsa sola virtus est , quæ evacuat , quod in ventre animæ culpa coadunat . Et tunc vere famelici saturantur , quia quo studiosus mundamur lamento Pœnitentiæ , eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spiritali refectioe .

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

Ccc

R E.

Frequens
Communionem
quibus per-
mittenda
Fervor cha-
ritatis , &
sancti desi-
derii ad fre-
quentem
Communionem
requiritur .

1. Reg. 2. 5.

Dispositio-
nes ad S.
Communionem .

R E G U L A . IV.

Quamvis actualis devotio ad Communionem plene fructuosam sit necessaria, non tamen ad frequentem Communionem opus est devotione sensibili.

Actualis devotio.

„ Actualement devotionem esse necessariam inde probatur, quod sacramentalis
 „ Communio fructuosa non sit absque spiritali Communionem, quæ in hoc
 „ posita est, ut vita æterna, quæ est Christus, spiritali desiderio appetatur,
 „ ut recordatio mandatorum ejus super mel, & favum dulcior in mente ha-
 „ beatur; ut fraterna Charitas, cujus hoc Sacramentum signum est, pro Chri-
 „ sti amore diligatur; ut dulciter, atque salubriter in memoria recondatur,
 „ quod pro hominum salute contumeliis sit affectus, cruce suspensus, lancea
 „ vulneratus (inquit *Lantfrancus* Lib. *De Corpore, & Sanguine Domini.*) Hinc
 „ *S. August.* Lib. x. *Confessionum* cap. xliii. *Non calumnientur mihi superbi* (inquit)
 „ *quoniam cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo, & semper cupio*
 „ *saturari ex eo inter illos, qui edunt, & saturantur, & laudant Dominum,*
 „ *qui requirunt eum.* Hinc *S. Thomas* in *iv. Sententiarum*, Dist. xii. Q. ii. A. i.
 „ *Quæstiuncula* iii. *Cum hoc*, inquit, *Sacramentum perficiat jungendo fini, ad*
 „ *hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod adsit actualis de-*
 „ *votio.* Actualis autem illa devotio, & pius affectus in actibus Fidei, Spei, &
 „ Charitatis potissimum consistit, hisque *S. August.* verbis exprimi potest. *Quomodo*
 „ *nos amasti, Pater bone! qui Filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis im-*
 „ *piis tradidisti eum? Quomodo nos amasti, pro quibus ille non rapinam arbitra-*
 „ *tus esse equalis tibi, factus est subditus usque ad mortem Crucis, unus ille in*
 „ *mortuis liber, potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens i-*
 „ *terum sumendi eam; pro nobis tibi victor, & victima; & ideo victor, quia vi-*
 „ *ctima: pro nobis tibi Sacerdos, & Sacrificium; & ideo Sacerdos, quia Sacri-*
 „ *ficiam: faciens tibi nos de servis filios de te nascendo, nobis serviendo.* Merito
 „ *mibi spes valida in illo est, quod sanabit omnes languores meos per eum, qui*
 „ *sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis; alioquin desperarem.* Mal-
 „ *ti enim, & magni sunt iidem languores mei, multi sunt, & magni; sed am-*
 „ *prior est medicina tua. Potuimus putare Verbum tuum remotum esse a conjun-*
 „ *ctione hominis, & desperare de nobis, nisi caro fieret, & habitaret in nobis.*
 „ *Conterritus peccatis meis, & mole miseriæ meæ, agitaveram in corde, medita-*
 „ *tusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti me, & confirmasti me di-*
 „ *cens: Ideo pro nobis Christus mortuus est ut qui vivunt, jam non sibi vi-*
 „ *vant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Ecce, Domine, jacto in te curam*
 „ *meam, ut vivam, & considerabo mirabilia de lege tua. Tu scis imperitiam*
 „ *meam, & infirmitatem meam: doce me, & sana me. Ille tuus Unicus, in*
 „ *quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, redemit me Sanguine*
 „ *suo.*

1. Cor. 5. 15.

Sensibilis devotio ad frequentem Communionem minime necessaria.

Quod autem sensibilis devotio ad frequentem Communionem non sit necessaria, & quod absque devotione hujusmodi sensibili fructuosa esse possit, immo sit sæpe fructuosior, docet *S. Antoninus* iii. P. Tit. xlii. cap. vi., Aliud est enim desiderium, aliud sensibilis desiderii perceptio... Sine desiderio nemo debet accedere. Cum autem Christianum sic vivere deceat, ut semper mereatur accipere, nunquam esse debet sine desiderio tunc, & toties sumendi, quando, & quoties convenienter poterit, & crediderit expedire. Si quis autem illam dispositionem in se judicare voluerit ex sensibili cordis compunctione, fervore mentis, profusione lachrymarum, ita quod tunc credat se dispositum, quando tale quid sentit; & quando non percipit, indispositum; incaute valde ambulat, & sæpissime decipitur. Multoties qui nihil talium habent, sunt in magno statu gratiæ, & qui habent, sunt omnino extra gratiam. Deinde sensibilis hu-

hujus suavitatis privationem ad multa utilem esse docet. Primo, ut tribulatione gaudium temperetur. Secundo, ut tam delectabili bono privari timeat homo, & ardentius ad æternam patriam suspiret, ubi Deo semper adhærendum est, & de torrente voluptatis ejus bibendum. Tertio, ut per fidem ambulantes magis mereamur. Quarto, ad humilitatem conservandam. Quinto, ut gratiæ Dei, non viribus nostris adscribere discamus, quoties ad ferendum Deo promptam, & fervidam voluntatem sentimus.

Idem docet insignis Vitæ Spiritualis Magister Joannes Thaulerus, Institutionum cap. xxxviii. *Inter omnia (inquit) Exercitia, quæ quidem haberi possint, nullum tam excellens, tam divinum, tamque ad summum bonum consequendum, & intimam cum eodem obtinendam unionem, certum, securumque esse arbitror, quam sæpius Dominici Corporis Sacramentum devoto corde percipere. Unde desiderabat quidam instrui a Deo, quis, & quando, & qua ratione ad tanta Mysteria accedere deberet; & responsum est illi a Domino hoc pacto: Qui non habet, quod suum est, & appetit, quod suum non est, & cui satis placent omnia, quæ a me fiunt, is me, quando volet percipere poterit. Attendat autem, & diligenter observet quantus erga Deum amor, quanta voluntas, quanta intentio sua sit. Sane, inquam, non multum curet, quid sentiat, quid velit, quid intendat. Quisquis ergo secure accedere cupit, ante omnia munda illi a peccatis conscientia habenda est. Dehinc voluntatem, & affectum illius sive desiderium ad Deum ex toto corde converti oportet, ita ut nihil omnino nisi solum Deum, & gratiam illius ex toto corde desideret, velit, intendat. Postremo omnibus illis, quæ Deo displicent, cum humili voluntatis suæ in gratissimam Dei voluntatem resignatione valefaciet, renuntiabitque. Hinc vero advertere quisque potest, quam prope, quamque longe sit a Deo. Sentiet etiam intra sese ex frequenti Communione, & amorem, ac reverentiam erga tantum Sacramentum augeri, & timorem filialem in nullo deficere, minuive. Quisquis hæc jam dicta in se ipso deprehendit, ille quo sæpius accedit, eo melius: nec facile tantam sibi gratiam subtrahi permittet. Deliciæ namque Dei sunt omnipotentis esse cum filiis hominum. Sed & quando frigidum, pigrumque, & absque devotione erga dignissimum hunc cibum se sentit aliquis, non ideo abstinere debet, tantum si peccati conscientia non mordeatur.*

Proverb. 8.
21.

Et Sermonem II. De Venerabili Sacramento, *Sunt præterea, (inquit) spiritalia quædam divini influxus impedimenta, ut quod homines se ipsos dumtaxat in hujus dignissimi cibi sumptione quærunt, sui videlicet consolationem, devotionem sensibilem, & bonam pacem, quibus si frustrarentur, haudquaquam accederent. Hi ergo se ipsos potius, licet occulte, quam Deum quærunt Sic etiam aliqui boni homines adeo cæco timore tenentur, ut si non sensibilem amoris ardorem, aut grandia opera intra se sentiant, quamvis notabile aliquod nesciant impedimentum, accedere non ausint: qui & ipsi ad altiora non proficiunt. Illi vero præclarissimos Sacramenti hujus fructus, & effectus uberius assequuntur, qui fundum, & intentionem puram habentes, super Dei misericordia accedunt, illius relinquentes arbitrio, utrum dare, vel auferre velit: nec ideo abstinere, si nullam devotionem sensibilem percipiant, sed Deo suo tam in inopia quam abundantia spiritali, plena cum fiducia se totos credunt, & inherere eidem.*

Et Sermonem III. *Sicut si alimentum corporeum in solo stomacho hæreat, nec ad ceteras corporis partes, ad caput videlicet, ad cor, & ad cetera quæque membra dirigatur, naturam corrumpi, ac deficere necesse est: ita etiam quicumque Deum in viribus inferioribus, in sensibus, & cogitationibus dumtaxat accipiunt, nec ad perfectiora aspirant, nunquam ad præclarissimum illud pertingunt bonum, quo nos Deus omnipotens per hunc excellentissimum cibum vocare, & invitare dignatus est, donec mentem cum omnibus tam supremis quam infimis viribus suis Deo accommodent, applicentque.*

R E G U L A V.

Mundanis curis occupati, rarius ad sacram Communionem accedere debent, quam illi, qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti.

Frequens
Communicio
quibus per-
mittenda?

Rarius enim se ad divinum illud Sacramentum recipiendum expedire, atque, ut par est, præparare possunt, inquit S. Bonaventura, Lib. II. De Profectu Religiosorum, C. LXX. subditque: *Vix aliquis ita religiosus videtur, & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitas superveniens, vel singulariter Festivitas solemnis, vel inusitata devotionis fervor, & intemperata desiderii sitis pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetu non nisi Spiritus-Sanctus, ut creditur, infunditur, ideo legibus humanæ consuetudinis, & statutis mortalium non arctatur.*

Hinc & Taulerus Sermone III. in Festo Venerabilis Sacramenti, ejus divitias assequi cupientibus cum primis necessarium esse ait, *Ut abstracte vivant, cum Magdalena otio sancto vacent, solitarie degant, & in interioribus suis commorentur: hoc est, necessaria est illis abstractio, otium sanctum, solitudo, & interioris hominis sedula inhabitatio.* Eximium tamen illud bonum obtinere posse Christianum hominem in quocumque vitæ genere, & instituto, ait, modo in operibus quibuscumque, & exercitiis externis præsentem Dominum Deum suum aspiciat, & oculos cordis in ipsum defigat, *Ita ut major illius pars introversa sit, atque intro ad Deum suspiret, aspiciat, ipsique magis, ac magis propinquare conetur. Ubi vero ab externis exercitiis præstatur otium, tunc totum se cum omni sui parte, cum viribus, & sensibus omnibus intro recipiat, recolligat, uniat, & in animæ suæ fundum immergatur, absorbeaturque.* Si vero rerum secularium curis, & sollicitudinibus immersa sit anima, nullum, vel exiguum fructum ex Communionem refert. Si enim, ut ait Christus, *Sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocet verbum, & sine fructu efficitur: multo magis fructum Communionis impedit.*

Matth. 23.

R E G U L A VI.

An peccato-
ribus omni-
bus vere
contritis, &
confessis sta-
tim sit per-
mittenda
Communi-
o?

Qui in mortale aliquod peccatum lapsi sunt, statim ad sacram Communionem accedere non debent, quamvis contriti, & confessi: sed per aliquod tempus Penitentiam agere, antequam ad sacram Mensam accedant, & cibari pane lachrymarum prius quam Panem degustent Angelorum.

Ita S. Thomas in IV. Sententiarum, Dist. IX. Quæst. I. A. IV. Quæstiuncula II. ad secundum. Idemque colligitur ex C. Nonnulli, Dist. I. De Penitentia, quod ex S. Ambrosio sumptum est. Nonnulli (inquit) ideo postulant Penitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt. Ut enim ait S. August. Epistola LIV. alias CXVIII. ad Januarium: *Hoc est indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere Penitentiam.*

Id confirmat S. Isidorus Hispalensis Lib. I. De Officiis Ecclesiasticis, Cap. XVII. *Si talia (inquit) sunt peccata, quæ quasi mortuum removeant ab Altari, prius agenda Penitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum Medicamentum suscipiendum. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere Penitentiam.*

Maxime vero, qui lapsi sunt in peccata carnis, diuturnis Penitentia operibus, & continentia salutaris expiandi, ac probandi sunt, prius quam Sacram Communionem accipiant, ut confirmat Venerabilis Algerus Libro I. De Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, Cap. XXI. Id ut significaretur, *Lex ad edendum Agnum dedit in calceamentis cautelam, ne a vitiis fallamur; in baculo*

culo disciplinam, qua perpetrata corrigamus; in lacrymis compunctionem, ut non solum interius, sed exterius pœnitentiam agamus; in festinatione desiderii ardorem, quo ad cœlestia suspiremus. Sed cur accinctis renibus abstinentiam libidinis expressus indixit? ... Agnum Dei sine macula, qui Virginis est Filius, luxuriosi sumunt periculosius. Quia cum in Sacramento Christi ei uniri debeamus conformitate Passionis, & munditiæ; nihil sic adversatur Passioni Crucis, ut voluptas; nihil sic munditiæ, ut fœditas: nihil sic ejus unitati, ut fornicariæ societatis unitas.

R E G U L A VII.

Frequens Communio in iis, qui meliores propterea non evadunt, & nullum ex ea referunt fructum spirituale, & in iis, qui seculariter vivunt, & Mundi pompas, voluptates, & spectacula consecantur, non est signum prædestinationis.

Illi enim indigne manducant, & bibunt Corpus, & Sanguinem Domini, vereque ipsis convenit illud S. Joannis Chrysostomi, Homilia vii. in Matthæum. Cave, ne Herodi efficiaris similis, & dicas: Ut & ego veniens adorem eum; cumque veneris, interimere coneris. Hujus etenim similes sunt, qui indigne abutuntur Communionem Mysterii. Reus est enim, inquit, ille Corporis, & Sanguinis Domini. Qui enim ejusmodi sunt, habent in se Tyrannum, & Regno Christi jugiter invidentem, longe sane Herode illo nequiores, Mammonam scilicet. Hic enim in homines tenere imperium gestit, suosque cultores simulat, & mittit ad Christum, ut specie quidem adorare videantur, quantum vero in ipsis est, interimunt eum, quem adorare se simulant. Timeamus igitur, ne quando speciem supplicum, atque adorantium geramus, opere vero existamus inimici.

Frequens Communio quibus permittenda, vel non?

Ibidem, „ Ex hac Mensa, (inquit) spiritualium fons emanat bonorum, & „ hanc tu statim relinquens, curris ad Theatrum, ut natantes fœminas, & se- „ xum illum publicis oculis intuearis expositum: ut, inquam, istud accipias, „ sedentem juxta donorum cœlestium fontem Christum relinquis. Nam & mo- „ do super fontem sedet, non unam Samaritanam, sed universam alloquens ci- „ vitem. Forfan vero etiam nunc Samaritanæ tantum loquitur. Nam & nunc „ nullus ei assistit: nisi quod alii quidem solis adiunt corporibus, alii vero nec „ ipsis quidem profecto corporibus. Attamen ipse non recedit, sed manet, & a „ nobis postulat potum, non aquam, sed sanctimoniam. Sanctis enim Christus „ Sancta distribuit. Non enim aquam de hoc fonte nobis largitur, sed Sanguinem „ vivum, qui quamquam ad mortis Dominicæ testimonium sumitur, nobis ta- „ men causa fit vitæ. Tu vero relinquis hujus Sanguinis fontem, Calicemque „ reverendum, & ad diabolicum illum fontem festinus accurris, ut scilicet spe- „ ctes meretricem natantem, & naufragium animæ patiaris ... Sin vero hæc „ aspiciendo nihil pateris, culpæ nihilominus teneris obnoxius, factus scanda- „ lum ceterorum.

Joann. 4.

Quamobrem hanc Propositionem inter alias Moralis Christianæ puritati ad- versas merito damnavit Innocentius XI. Pontifex Maximus die secunda Martii MDCLXXIX. *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.* Hanc propositionem damnavit & Clerus Gallicanus in Comitibus generalibus anni 1700. ut temerariam, scandalosam, erroneam, impiam, & sacris Litteris contrariam.

Propositio damnata.

Propositionem nostram confirmant S. Franciscus Salesius in *Philothea*, seu *Manuductione ad Vitam Spiritualem*, & Epistola xvi. Lib. i. & Joannes Avila insignis etiam Vitæ Spiritualis Magister i. Parte Epistolarum, Epistola lxxiv. ubi ait, iis qui amore Dei flagraverint, & quorum profectus in Vita Spirituali, & Christiana perfectione conscientia Moderatori perspectus fuerit, concedi posse ut qualibet hebdomada ad sacram Communionem accedant. Paucos inveniri, quibus expediat ad hoc sacrum Mysterium frequentius accedere, quod S. Bonaventuræ testimonio confirmat. Christianorum vulgo satis esse, ut ter, aut qua-

ter per annum divinæ Mensæ se sistat, & Christi Corpus sumat: aliis novies, aut decies permittendam Communionem: Religiosis personis qualibet quindena: conjugatos post tres septimanas, aut mensem expectare posse. Non esse permittendum Fidelibus, ut toties Eucharistiam sumant, quoties voluerint, quia plures ex levitate potiusquam ex reverentia, & pietatis ardore tantum Sacramentum frequentant: quo fit, ut nullum ex sacra Communione referant fructum, nec meliores evadant.

A R T I C U L U S V.

De Communionem sub utraque specie.

De Com-
munionem
sub utraque
specie.

Solemne primis sæculis, immo duodecim, & amplius sæculorum spatium, Communionis Fidelium sub utraque specie fuisse morem, inter omnes convenit: sed utrum divino jure, Christi præcepto Communio sub panis, & vini speciebus unicuique Fidelium sit necessaria; & an Communio sub una tantum specie vetita fuerit universim, & nunquam primis Ecclesiæ sæculis usitata, Quæstio est inter Hæreticos, & Catholicos controversa. Hanc primi omnium excitarunt *Petrus Dresdensis*, & *Jacobellus Misnensis*, quibus *Joannes Hus* assensit, totamque Bohemicam Nationem in partes traxerunt, Communionem sub utraque specie a Christo præceptam, ideoque ad salutem esse necessariam asserentes. *Lutherus*, hac in re admodum varius, Ecclesiam tamen Calicis usum subtrahere non potuisse pervicaciter asseruit. Idem docuit *Calvinus*: in eademque assertionem Lutheranorum omne, & Calvinianum nomen conspiravit, scilicet usum Calicis omnibus necessarium esse ex præcepto Christi, quod violare, & contra quod aliquid statuere nemini fas sit. Huic errori sequentes Propositiones opponimus.

P R O P O S I T I O I.

Communio sub utraque specie Laicis a Christo non est præcepta, nec ad salutem necessaria.

Probatur primo ex Christi verbis, Joannis vi. ubi manducantibus carnem suam sub specie panis vitam æternam pollicetur: *Si quis (inquit) manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum: & Panis, quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vita: & qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*

Præterea, Christus duobus Discipulis euntibus Emmaus Panem benedictione sua sanctificatum dedit: illi vero *Cogoverunt eum in fractione panis*, ut refert *S. Lucas* Evangel. C. xxiv. Et quamvis non sit omnino certum panem illum Eucharistiam fuisse, certum est tamen Eucharistiæ fuisse typum, ex *S. Aug.* Lib. III. *De Consensu Evangelistarum*, Cap. xxv. Et Epistola cXLIX. alias LIX. ad *Paulinum*, C. III. *Et quod ab illis duobus in fractione panis est agnitus, Sacramentum esse, quod nos in agnitionem suam congregat, nullus debet ambigere.* Benedictione igitur, & distributione panis duobus illis Discipulis facta demonstravit effectum Communionis sub una specie: siquidem statim aperti sunt oculi eorum, & cogoverunt eum.

Idem confirmatur ex Actibus Apostolorum C. II. ubi de Fidelibus dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina, Apostolorum, & Communionem fractionis Panis, & orationibus.* Quem locum de Eucharistiæ Communionem intelligendum *Calvinus* ipse fatetur Lib. IV. *Institutionum* C. xvii. ubi cum nulla fiat mentio Calicis, colligitur Apostolos Eucharistiam primis Christianis sub sola specie panis administrasse. Et certe cum plerique illorum Nazaræatus voto obstricti essent, eoque nomine a bibendo vino abstinere, credibile est, ideo *S. Lucam* fractionis Panis dumtaxat meminisse, quod ab Eucharistia sub ea saltem specie sumenda nulli abstinere. Unde cum *S. Paulus* I. ad Corinthios x. 16. de Calice loquens, ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communica-*

tio;

tio Sanguinis Christi est? Non ait, Calix benedictionis, quem distribuimus; sed, Calix benedictionis, quem benedicimus: Calicem quidem a Sacerdotibus Sacrificium offerentibus consecrari debere significans, non autem singulis Fidelibus communicantibus necessario distribui. De Corpore vero Christi loquens, quod sub specie panis continetur, ait: Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Corpus Christi sub specie panis manducandum Christianis semper exhiberi annuens. Unde paulo post subdit: Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane participamus.

Confirmatur secundo: Christus non suspendit, aut retardavit effectum manducationis Corporis sui Apostolis, donec Sanguinem suum bibissent: sed Christo sunt incorporati, & ex ejus substantia nutriti, statim atque Corpus ejus sumpserunt: idque manifeste supponit Apostolus I. ad Corinthios XI. scribens: *Itaque quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* Porro si unum, aut alterum indigne sumens, utrumque violare censetur, & utriusque reus est: alterutrum digne sumens, gratiæ ex utroque derivatæ, & utriusque sumptioni adnexæ, particeps est.

De Communionem sub utraque specie.

Probatum secundo ex antiqua Ecclesiæ Disciplina, quæ Communionem sub una tantum specie Fidelibus liberam esse voluit, hanc nusquam permittitur, si Communionem sub utraque specie a Christo præcepta esset. Plurima veteris istius Disciplina exempla in Historia Ecclesiastica legimus, Unum refert *Sozomenus*, Mulieris cujusdam Macedonianæ, Lib. VIII. Historiæ, C. V. *Vir quidam (inquit) ex Secta Macedonianorum uxorem habebat ejusdem Sectæ. Hic cum Joannem (Chrysostrum) aliquando docentem audiisset, quomodo de Divinitate sentiendum sit, fidem ejus amplexus est: uxoremque hortari cœpit, ut idem secum sentire vellet. Sed cum illa priori consuetudine, & familiarium sibi mulierum congressibus quasi captiva teneretur, nec maritus crebris admonitionibus quidquam proficeret, tandem ille: Nisi, inquit, in Divinis Mysteriis mecum communicaveris, nec vitæ consors mihi eris in posterum. Tum mulier id se facturam pollicita, consilium aperit ancillæ, quam sibi fidam esse judicabat; eamque sibi sociam adjungit ad fallendum maritum. Allapso igitur tempore Mysteriorum, mulier id, quod acceperat, retinens, quasi Deum oratura, caput submitit. Ancilla vero, quæ ei adstabat, id quod domo attulerat, clanculum ei tradidit. Quod cum mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit. Tum mulier, verita, ne quid sibi gravius eveniret, tanto erga se patrato miraculo, confestim ad Episcopum pergens, se ipsam accusavit, simulque lapidem ostendit, qui morsus vestigia retinebat, materia quadam prorsus ignota, & colore inusitato præditum. Cumque effusis lacrymis veniam postulasset, ejusdem fidei cum viro deinceps permansit. Quod si cui forte hæc minus credibilia videntur, testis est lapis ipse, qui in thesauro Ecclesiæ Constantinopolitanæ etiamnum servatur.* Si Communionem sub una, vel sub utraque specie in Ecclesia libera non fuisset, mulier illa Eucharistiæ sumptionem simulare non potuisset. Non enim pro Calice Domini aliquid aliud sumere ipsi licuisset: si quidem Calix non dabatur in manus, sed manu Diaconi admovebatur ori communicantium.

Communionem sub unica specie in veteri Ecclesia libera, & usitata fuit.

Idem colligitur ex *S. Leonis* Decreto adversus Manichæos, qui cum a vino velut a genimine Diaboli abhorrent, & Filium Dei Sanguinem suum pro nobis fudisse, immo verum Corpus, & Sanguinem assumpsisse negarent, propterea Sanguinem pretiosum Domini nostri Jesu Christi in S. Mysteriis bibere, & sub specie vini communicare declinabant: atque ad hæresim suam tegendam, ad Communionem irrepebant cum Catholicis, & Corpus Christi sub una panis specie sumebant. Quos hoc indicio manifestos *S. Leo* a Fidelium societate pelli

Communio
sub una, vel
utraq; specie
ante Gelasii
1. Decretum
libera.

iussit, ut constat ex ipsius Serm. iv. de Quadragesima. *Cumque, inquit, ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse Mysteriis, ita in Sacramentorum Communionem se temperant, ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno Christi Corpus accipiant; Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quid ideo vestræ notum facimus Sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indicis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, a Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellantur.* Si Romæ libera non fuisset Communio sub una, vel sub utraque specie, non potuissent ullo modo latere Manichæi, qui Sanguinem Domini nunquam bibissent. Quamobrem S. Leo non jubet observari eos, qui aliquando Sanguinem redemptionis nostræ non hauriebant, aliquando illum hauriebant, sed qui illum haurire omnino declinabant affectata fraude. Tam pertinax Manichæorum superstitio Gelasium I. impulit, ut Communionem sub utraque specie pro tempore imperaret ad eorum fraudem detegendam, ut constat ex illius Decreto, quod legitur can. *Comperimus, dist. III. De Consecratione, cujus hæc sunt verba: Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo Corporis portione, a Calice sacri cruoris abstineant: qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ex quibus colligitur, Communionem sub una, vel sub utraque specie ante Gelasii I. Decretum in Ecclesia fuisse liberam.

Usus veteris
Ecclesiæ
admini-
strandi Fi-
delibus S.
Eucharis-
tiam sub
una quan-
doque spe-
cie, probat
infirmorum
Communi-
o.

Probatur tertio usus ille veteris Ecclesiæ, Eucharistiam Fidelibus sub una specie interdum administrandi, ex Communionem infirmorum, quibus vulgo sub una specie S. Viaticum præbatur. Id manifestum est Serapionis senis exemplo, de quo S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. vi. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. xlv. ita scribit: *Puer ad Presbyterum concurret. Jam noxerat: Presbyter autem ægrotabat. Sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris, si peterent, & maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quæ bonæ spei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam Seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam afferens; & cum appropinquaret, prius quam ingrederetur, recreatus iterum Senex, Venisti, inquit, fili. Ac Presbyter quidem ipse venire non potuit. Tu vero fac citius, quod imperatum est: & dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, & in os Senis insudit. Qui ea paulatim absorpta, continuo animam exhalavit.*

Idem confirmatur ex suprema S. Ambrosii Communionem, de quo scribit Paulinus, in ejus Vita. *Ambrosius, morte imminente, ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit. Honoratus autem Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cum in superiori domo se ad quietem composuisset, tertio vocem vocantis se audit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens, obtulit Sancto Domini Corpus. Quo accepto, abi glutivit, emisit spiritum.* Eucharistiam sub sola specie panis Sanctum Ambrosium morti proximum sumpsisse, manifestum est ex Paulini narratione. Idque confirmat omnino communis Ecclesiæ usus. Quæcumque enim Antiquitatis monumenta Eucharistiam ad Infirmorum Communionem servatam fuisse testantur, solius Corporis Christi, non Sanguinis, sive Calicis meminerunt, ut patet ex Leonis IV. Decreto, ex RATHERII Veronensis Epistola Synodica ad Presbyteros suæ Diœceseos, & ex Conc. Aurelianensi sub Roberto Rege. (Tom. II. Spicilegii.) Ad hunc usum destinatæ columbæ aureæ, vel argenteæ in Altari suspensæ, quarum meminere Vita S. Basilii, Testamentum Perpetui Turonensis Episcopi, (Tom. v. Spicilegii) & Libellus Supplex Clericorum, & Monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham, & ad Synodum Con-

Constantinopolitanam sub *Menna* congregatam contra *Severum* Acephalorum antesignanum. Ex antiquis item Consuetudinibus Cœnobii Cluniacensis, quas *S. Udalricus* ab annis quingentis inscriptum rededit ad memoriam sempiternam, Lib. III. cap. XXVIII. certum est, Cluniacensibus Monachis infirmis Eucharistiam sub sola specie panis vino non consecrato intincti fuisse administratam.

Quarto antiquus usus Communionis sub una specie probatur ex Communione infantium, quibus sub sola specie vini Eucharistiam administrari solitam constat ex miraculo, quod patratum est in puella, quæ panem vino mixtum, ex reliquiis Sacrificii Idolis oblatis comederat, & a Matre ignara facti ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacrificium illata, divinorum quoque Mysteriorum pro more particeps facta est. Refert *S. Cyprianus* Lib. *De Lapsis*, quod ipso præsentente contigit. Ubi vero, inquit, solemnibus adimpletis Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divine Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, Calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In Corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus, de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Non minus admirabiles effectus Christi Corpus sub specie panis porrectum produxisset. Cum igitur *S. Cyprianus* hanc parvulæ tam stupendam commotionem contigisse narret, cum facer ipsi Calix propinatus est, argumento est, ipsi traditam non fuisse Eucharistiam sub specie alimenti parum ejus ætati convenientis, scilicet sub specie panis, sed tantum sub specie vini.

Usus ille Eucharistiæ sub sola vini specie parvulis administrandæ sequentibus Sæculis perseveravit. Hunc Sæculo v. aut vi. obtinuisse morem in Ecclesia Orientali, colligitur ex *Jobio* Monacho Lib. III. De Verbi Incarnatione, cap. xviii. apud *Photium* Cod. ccxxii. Biblioth. Eumque morem ad hæc usque tempora permansisse apud Græcos, *Arcudius*, & *Allatius* probant. In Ecclesia pariter Latina, undecimo, & duodecimo etiam Sæculo, morem illum viguisse, liquet ex *Paschalis II.* Pontificis Maximi Decretis; ex *Hugone a S. Victore* Eruditionis Theologicæ Lib. III. cap. xx. item ex *Guillelmo De Campellis*, cujus testimonium ex Libro MS. qui dicitur *Pancrisis*, refert *D. Jo: Mabillonius* Præfatione I. ad Sæculum III. Benedictinum. Sciendum, inquit quod qui alteram speciem accipit, totum Christum accipit. Non enim accipitur Christus membratim, vel paulatim: sed totus, vel in utraque specie, vel in altera. Unde & infantulis mox baptizatis solus Calix datur, quia Pane uti non possunt, & in Calice totum Christum accipiunt. Dandus autem est Calix eis: quia sicut non potest ad vitam quis ingredi sine Baptismo; ita nec sine hoc vitali Viatico. Quod ergo dicitur, utramque speciem oportere accipi, hæresis plane est.

Pueris paulo majoribus, nondum tamen rationis usu pollentibus, Communio sub sola panis specie administrata olim est. Illis scilicet Corporis Christi reliquias consumendas dederunt Ecclesia Constantinopolitana, & Gallicana. De prima id testatur *Evagrius* Lib. iv. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. xxvi. De secunda Synodus Matisconensis II. anno DLXXXV. celebrata can. vi.

Quinto, mos antiquus Communionis sub una specie probatur ex Communione Fidelium extra Sacrificium, & Conventum sacrum Populi Christiani. Cum enim dabatur illis Eucharistia in proprias ædes deferenda, ut quotidie, vel opportunitate data communicarent, sola illis species panis præbebatur, non vini, quod acidum evasisset. Illius moris testes sunt *Tertullianus* Lib. *de Oratione*, cap. xiv. Et Lib. vi. *ad uxorem*, cap. v. *S. Cyprianus* Lib. *De Lapsis*, *S. Basilius*

Eandem
disciplinam
probat
Communio
infantium.

Eundem
morem sub
unica specie
interdum
communi-
candi pro-
bat Commu-
nio Fide-
lium extra
Synaxes.

Epist.

Epist. cclxxix. S. *Ambrosius* Oratione De Obitu *Satyri* fratris, & *Jo: Moschus* in Prato Spirituali, cap. lxxix.

Idem probatur ex Missis Præsanctificatorum.

Sexto, antiquus usus Communionis sub sola specie panis probatur ex Missis Præsanctificatorum, in quibus Corpus, & Sanguis Christi non consecrabantur, sed Eucharistia antea consecrata sub sola specie panis proponebatur, & sumebatur, præmissis Psalmis quibusdam, Canticis, Lectionibus, & Orationibus. Hujus Ritus origo refertur ad Synodum Laodicænam, cujus can. xlix. decretum est, *Non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominicis tantum.* De eodem Ritu Conc. Trullanum can. lxi. *In omnibus (inquit) S. Quadragesimæ Jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat Sac. Præsanctificatorum Ministerium.* Hunc morem adhuc servat Orientalis Ecclesia, ut constat ex Euchologiis. Ecclesia autem Latina eum Ritum olim servavit, & servat etiamnum die S. Parasceves, quo memoria Passionis, & Mortis Domini recolitur. Missæ Præsanctificatorum ea die celebratæ meminerunt Ordo Romanus, Auctor Libri De Divinis Officiis *Aleuino* adscripti, *Amalarius*, *Rupertus Abbas*, *Hugo Victorinus*. Ea die Sacerdos celebrans, Clerus, Populusque in Ecclesia Gallicana Eucharistiam fumebat. Sabbato etiam Sancto Communionem sacra reficiebantur Fideles, quo tamen die Missa non celebrabatur, uti nec die præcedenti, ut testatur *Innoc. I.* in Epistola ad *Decentium*. Sumebatur itaque Communio, ut nunc die S. Parasceves a Sacerdote celebrante sumitur, ex Præsanctificatis, sub specie scilicet panis antea consecrati. Idque ex Lib. I. *Consuetudinum Cluniacensium*, cap. xlii. confirmatur.

Objectionibus Hereticorum contra legem, & morem Ecclesiæ de Communionem sub unica specie respondetur.

Objicitur Sententia Christi, præceptum continens de Carne illius manducanda, & bibendo Sanguine, Joan. vi. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Resp. Præceptum illud ad solam sumptionem referri, non ad modum sumendi. Sumuntur autem vere tam Corpus, quam Sanguis sub qualibet specie. Secundo, Præceptum illud Christi hunc sensum patitur: *Si neque manducaveritis Carnem Filii hominis, neque biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Conjunctio copulans in Scriptura Sacra pro disjuncte sæpe ponitur, ut Joan. xv. *Si non venissem, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent.* Et Act. iii. *Argentum, & Aurum non est mihi.* Atque hoc sensu sumenda esse Christi verba, *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; sequentia illa probant: Et qui manducat me, & ipse vivet propter me: & Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Unde Conc. Tridentinum sess. xxi. cap. i. *Ecclesiæ judicium, & consuetudinem secutum*, declarat, ac docet, *Nullo divino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat.* Nam etsi Christus Dominus in ultima Cæna Venerabile hoc Sacramentum sub panis, & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit; non tamen illa institutio, & traditio eo tendunt, ut omnes Christi Fideles Statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex Sermone illo, apud Joannem ca. vi. recte intelligitur utriusque speciei Communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias SS. Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: *Nisi manducaveritis*
 „ *Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam*
 „ *in vobis; dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æ-*
 „ *ternum. Et qui dixit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum San-*
 „ *guinem, habet vitam æternam; dixit etiam: Panis, quem ego dabo, Caro*
 „ *mea*

„ mea est pro mundi vita. *Is denique qui dixit: Qui manducat meam Car-*
 „ nem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo; *dixit nubi-*
 „ *lominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Objiciuntur Christi verba Matth. xxvi. 27. *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim*
Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Respond. Hæc verba, *Bibite ex hoc omnes*, ad solos Apostolos, non ad Fi-
 deles universos referri, ut ex antecedentibus, & consequentibus compertum
 est. *Vespere autem facto* (inquit Evangelista) *discumbebat cum duodecim Di-*
scipulis suis. Et edentibus illis, dixit, &c. Cœnantibus autem eis accepit Jesus
panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, &
comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit
illis dicens: Bibite ex hoc omnes.... Et hymno dicto exierunt in Montem Oli-
veti. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte.
 Præterea S. Marcus præceptum illud Christi, *Bibite ex hoc omnes*, in supre-
 ma ipsa Cœna impletum fuisse docet, cap. xiv. 23. *Et accepto* (inquit) *Ca-*
lice gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Denique cum Christus
 aliquid præcipit Apostolis, quod non ipsis solum, sed omnibus Fidelibus fa-
 ciendum incumbit, illud ad omnes pertinere significat; aut certe ex ipsa rei,
 de qua loquitur, natura, ex circumstantiis, vel ex locis parallelis, aut ex
 Traditione Scripturæ interprete colligitur id omnes spectare. Ita cum Chri-
 stus selectis quatuor Discipulis dixisset (Marci xiii.) *Vigilate, & orate:* sub-
 junxit: *Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate.*

Objiciuntur hæc Apostoli verba I. ad Cor. xi. *Ego enim accepi a Domino,*
quod & tradidi vobis. Cum itaque Corinthii sub utraque specie communica-
 rent, idque ipsis tradidisset Apostolus, id proculdubio a Domino acceperat.

Resp. S. Paulum nec a Domino accepisse præceptum de Calice ab omnibus,
 & singulis Fidelibus fumendo, nec id Corinthiis tradidisse. Cum enim de sum-
 ptione Corporis Christi sub specie panis loquitur, scribit, eum dixisse: *Hoc fa-*
cite in meam commemorationem: quæ verba absolutum præceptum exprimunt,
 & faciendi, quod in Cœna fiebat, & hoc ipsum in Christi memoriam faciendi.
 At cum de Calice loquitur, dictum refert a Salvatore nostro, *Hoc facite, quo-*
tiescumque bibetis, in meam commemorationem: Quæ verba præceptum absolutum
 non exprimunt hoc faciendi, idest, de Calice bibendi; sed quotiescumque, &
 quandocumque biberent, id in memoriam Domini faciendi.

Objiciuntur hæc Apostoli verba: *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pa-*
ne illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judi-
cium sibi manducat, & bibit.

Resp. Apostolum ibi non præcipere, aut a Domino præceptum innuere, ut
 Fideles singuli Panem cœlestem, quod est ejus Corpus, edant, & Sanguinem
 de Calice bibant; sed modum præscribere, quo se ad Communionem Corpo-
 ris, & Sanguinis Christi, sive sub una specie, sive sub utraque præparare de-
 bent, ne judicium sibi manducant, & bibant Corpus Domini non dijudicantes.
 Unde hæc verba, *Quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bi-*
betis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat; in sensu disjunctivo intelli-
 genda sunt, ut ex sequenti sententia perspicuum est: *Itaque quicumque man-*
ducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis,
& Sanguinis Domini. Sicut enim cum Christus ait Matth. xv. & Marc. vii.
Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur, non significat necesse esse
 ut patri simul, & matri quis maledicat, ut reus sit violatæ legis, sed reum
 esse, qui alterutri maledixerit: ita cum Apostolus ait: *Quicumque mandu-*
caverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis,
& Sanguinis Domini; non significat esse reos violati Corporis, & Sanguinis

Domini illos dumtaxat, qui utramque speciem, sed qui alterutram indigne sum-
pserint: adeoque Corpus, & Sanguinem Domini sub alterutra specie totum;
integrumque contineri; & gratiæ totius, quæ Eucharistiæ fructus est, parti-
cipes esse, qui sub una specie communicaverint.

P R O P O S I T I O II.

Ecclesia Calicis usum Laicis subtrahere potuit, justisque de causis subtraxit.

Commu-
nio sub una
specie.

1. Cor. 4.
2. Cor. 6.

Prima pars inde probatur, quod secundum Tridentinam Synodum sess. xxxi.
cap. ii. certum sit, *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacra-
mentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ
susipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, tem-
porum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus
non obscure visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo, ut Ministros
Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. Atque ipsum quidem hac potestate
usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum
ordinatis nonnullis circa ejus usum, Cetera (inquit) cum venero, disponam.*
Sic trinæ immersionis in Baptismo veterem usum abrogavit Ecclesia in Conc.
Toletano iv. quia trinæ immersionis ritus ad Baptismi substantiam non per-
tinet: tum quia Hæretici quidam trinam immersionem necessariam esse per-
tinaciter contendebant, eoque ritu errorem suum de Divinitatis in tribus Per-
sonis divisione confirmari; tum quia Sacerdotibus quibusdam in Hispaniis tri-
nam immersionem, aliis unica usurpantibus, periculum erat, ne schisma fieret,
fideique unitas scinderetur, ut constat ex can. vi. Conc. Toletani iv. & ex
Epistola S. Gregorii ad Leandrum Hispalensem Episcopum. Hanc in Ecclesia
auctoritatem agnoscere tenentur Calviniani, qui in Synodis suis potestatem
agnoscunt permittendi abstemiis, ut sub sola specie panis Sacramentum su-
mant. Calicem vero non sumant, sed labris tantum contingant, propter vi-
randum scandalum. Ita enim sancitum est cap. xxi. Calvinianæ Disciplinæ, art.
vii. Porro si Calix ad substantiam Sacramenti pertinet, dispensare cum ab-
stemiis non potuerunt, sicut dispensari non potest, de usu aquæ in Baptismo;
si vero non pertinet, ideoque dispensationis hujus auctoritatem illorum Synodi
sibi arrogarunt, immerito eam negant Ecclesiæ Catholicæ. Observare nihilo-
minus juvat, Calvinisticam Disciplinam cum ejusdem Sectæ Catechismo pugnare,
*Dominica LIII. in quò usum Calicis omnibus, & singulis indiscriminatim a
Christo Domino præceptum profitentur: neminemque de hoc præcepto dispen-
sare posse. Lutherus etiam Lib. De Captivitate Babylonica agnoscit, Fideles ne-
cessitate præcepti ad Communionem sub utraque specie non cogi. Itaque (in-
quit) non hoc ago, ut vi rapiatur utraque species, quasi necessitate præcepti ad
eam cogamur, &c.* Potuit igitur Ecclesia gravibus, & justis de causis subtra-
here Laicis Calicis usum, & consuetudinem sub altera specie communicandi ap-
probare, & pro lege habendam decernere, quam reprobare, aut sine ipsius Ec-
clesiæ auctoritate pro libito mutare non liceat. Id autem fecit in Conc. Con-
stantiensi sess. xiii. in Basileensi sess. xxx. & in Tridentino sess. xxi. capituli-
bus i. ii. & iii. & Canonibus i. ii. & iii. quorum hæc sunt verba.

1. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singu-
los Christi Fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere
debere; Anathema sit.*

2. *Si quis dixerit, S. Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus ad-
ductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tan-
tummodo specie communicaret; aut in eo errasse: Anathema sit.*

3. *Si quis negaverit, totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem,
& auctorem, sub una panis specie sumi, quia (ut quidam falso asserunt) non
secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; Anathema sit.*

Rationes autem, quibus adducta est Ecclesia, ut hanc sub altera specie communicandi consuetudinem non solum approbaret, sed etiam Decreti auctoritate firmaret, Conc. Tridentini Catechismus hunc in modum exponit.

Prima est periculum irreverentiæ erga SS. Sacramentum. Maxime enim cavendum erat, ne Sanguis Domini in terram funderetur: quod quidem difficile vitari posse videbatur, si in magna Populi multitudine eum ministrare oportuisset. Ob istud irreverentiæ periculum Rodolphus Abbas S. Trudonis, qui vivebat Sæculo duodecimo ineunte, Calicem Laicis removeri suadet his Versibus.

*Hic, & ibi cautele fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat Laicis de Sanguine Christi:
Nam fundi posset leviter: simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus JESUS utraque.*

Hic usus prævalere cœperat circa medium Sæculi duodecimi, ut constat ex Roberto Pullo S. R. E. Cardinali: *Sententiarum* par. VIII. cap. III. *Primo Corpus* (inquit) *postea Sanguis a Presbyteris est sumendus . Institutio Christi mutanda non est . . . Verum qualiter a Laicis Eucharistia sumi deberet , Sponse sue commisit judicio : hujus consilio , & usu pulchre fit , ut Caro Christi Laicis distribuatur . Nimirum periculose feret , ut Sanguis sub liquida specie multitudini Fidelium in Ecclesia divideretur ; longe periculosius , si infirmis per Parochiam deferretur . Mos iste passim receptus erat Sæculo decimotertio , teste Alexandro Alensi : Dicendum (inquit) quod quia Christus integre sumitur sub utraque specie , bene licet sumere Corpus Christi sub specie panis tantum , sicut fere ubique fit a Laicis in Ecclesia . Et ex S. Thoma III. p. q. lxxx. art. xxii. Circa usum (inquit) hujus Sacramenti duo possunt considerari : unum ex parte ipsius Sacramenti , aliud ex parte sumentium . Ex parte quidem ipsius Sacramenti convenit , quod utrumque sumatur scilicet Corpus , & Sanguis , quia in utroque consistit perfectio Sacramenti : & ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum consecrare , & perficere , nullo modo debet Corpus Christi sumere sine Sanguine . Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia , & cautela , ne aliquid accidat , quod vergat ad injuriam tanti Mysteriorum . Quod præcipue posset accidere in Sanguinis sumptione : qui quidem , si incaute sumeretur , de facili posset effundi . Et quia crevit multitudo Populi Christiani , in qua continentur senes , & juvenes , & parvuli , quorum quidam non sunt tantæ discretionis , ut cautelam debitam circa usum hujus Sacramenti adhibeant ; ideo provide in quibusdam Ecclesiis observatur , ut populo Sanguis sumendus non detur , sed solum a Sacerdote sumatur .*

Ratio altera, qua adducta est Ecclesia, ut Communionem sub una tantum specie Laicis permitteret, ex Communionem infirmorum petita est. Cum enim Eucharistia ægrotis præsto esse debeat, magnopere timendum erat ne si diutius vini species asservaretur, acesceret.

Tertia ratio, ex Abstemiorum multitudine. Permulti enim sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem perferre ullo modo possint: quare ne, quod spiritualis salutis causa dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissime sancitum est ab Ecclesia, ut panis tantummodo speciem Fideles acciperent.

Quarta ratio, ex summa vini pluribus in Provinciis penuria: in quas aliunde sine maximis impensis, ac nonnisi longissimis, ac difficillimis itineribus convehi posset.

Quinta ratio, ex hæresi eorum, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse, sed Corpus tantum ex angue sub specie panis, Sanguinem autem sub vini specie contineri asserebant. Ad quam hæresim convellendam, & Fidei Catholicæ veritatem ante omnium oculos magis ponendam, sapientissimo consilio Decretum de Communionem Laicorum, & Clericorum non conficiendum ab Ecclesia editum est.

Rationes
Ecclesiastici
Decreti de
Communionem
sub
unica specie.

Communionem
sub unica
specie.

Objectioni. Objicitur, Calicem Sanguinis Christi Testamentum quoddam esse Christianis omnibus a Christo relictum, ut significant illa ejus verba, *Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine*: atqui, ut Apostolus scribit ad Gal. III. *Confirmatum semel hominis Testamentum nemo spernit, aut superordinat*: Calix igitur subtrahi non potuit Laicis absque injuria, & sacrilegio in Christum, ejusque Testamentum.

Respondetur, Calicem pro legato quodam testamentario relictum Ecclesiæ, verum non ea conditione, ut omnibus omnino distribueretur, sed illis, & eo modo, quo ipsa expedire judicaret. Præterea Calix ad Christi Testamentum pertinet, non ratione modi, quo sumitur Sanguis sub specie vini, sed ratione rei contentæ, ac sumptæ, scilicet ipsius Sanguinis: quem re ipsa percipiunt qui sub sola specie panis communicant, sub qua Christus totus, & integer continetur, & sumitur.

Objicitur secundo, ad perfectionem Sacramenti Eucharistiæ concurrere & manducationem Corporis, & bibitionem Sanguinis Christi: si ergo sumatur sub una tantum specie, sacramentum erit imperfectum: quod ad sacrilegium pertinere videtur, secundum illud *Gelasi Pontificis Maximi: Divisio unius, ejusdemque Mysterii sine grandi sacrilegio provenire non potest*.

Respondet *S. Thomas*, perfectionem hujus Sacramenti non esse in usu Fidelium, sed in consecratione materiæ: *Et ideo nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti, si populus sumat Corpus sine Sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque*: Maxime cum nihil amplius accipiat, quoad rem contentam, is, cui utraque specie porrigitur, quam is, cui altera tantum: uterque enim unum, & integrum Christum sumit: licet quoad speciem externam plus aliquid accipiat, qui sub utraque specie communicat. Verumtamen cum uterque Sacrificii sit æque particeps, in quo Christus sub utraque specie offertur, qui unam speciem sumit, totius Sacramenti etiam secundum externam formam spectati particeps esse censetur: sicut in veteri Lege, qui partem de Sacrificio edebat, totius Sacrificii particeps habebatur.

Objicitur tertio: Prohibere non potest Ecclesia, ne hoc Sacramentum celebretur in memoriam Dominicæ Passionis, cum id Christus jusserit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: sed Passio Christi per unicam speciem non repræsentatur: non potuit igitur Ecclesia Communionem sub una specie præcipere.

Respondetur, Passionem Christi non repræsentari unius speciei consecratione; non repræsentari etiam ita expresse, & perfecte unius speciei sumptione; sed nego, quod nullatenus significetur Communionem sub una specie: sicut mors, & sepultura ejusdem Salvatoris expressius, & perfectius quidem significatur trina immersione, quam unica, in Baptismo; sed tamen una etiam immersione significatur. Eo ipso enim, quo una species ab altera separata est, revocatur in memoriam Corporis, & Sanguinis separatio in Passione. Hinc *S. Thomas* in Resp. ad tertium, ait: *Repræsentatio Dominicæ Passionis agitur in ipsa Consecratione hujus Sacramenti, in qua non debet Corpus sine Sanguine consecrari: potest autem a populo Corpus sine Sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum; quia Sacerdos in persona omnium Sanguinem offert, & sumit, & sub utraque specie totus Christus continetur*.

Objicitur quarto, gratiam ampliorem conferri sumentibus utramque speciem, quam unicam: non potuisse ergo alteram speciem subtrahi Fidelibus sine manifesta ipsorum injuria.

Respondetur, quod etsi uberior gratia conferretur communicantibus sub utraque specie, potuit tamen Ecclesia Communionem sub unica tantum præcipere: quia major habenda est ratio divini honoris, & reverentiæ Sacramento debitæ, atque victoriæ fidei de Hæreticorum erroribus, quam privati boni, etiam spiritualis, Fidelium; maxime cum nulla gratia privantur ad salutem

necessaria. Unde non solum alteram speciem infantibus subtraxit Ecclesia Occidentalis, sed Eucharistiam ipsis administrare desiit, quod olim faciebat continenter post Baptismum, & Confirmationem, statim a nativitate; quamvis certum sit, novam gratiam recepturos, si Eucharistia secundum morem antiquum donarentur. Porro quicumque S. Communionem sub una specie digne recipiunt, *Quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem defraudantur*, ut docet Conc. Tridentinum sess. XXI. c. III. propterea quod sub illa totus Christus continetur, verumque Sacramentum sumitur. Sed tamen probabilius videtur, communicantibus sub utraque specie gratiam amplio-rem per se non conferri: eadem enim gratia unius & ambarum specierum sumptioni promissa est. Sicut enim dicit Christus Joan. VI. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam: ita ait, Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum: & Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*

Communi-
o sub una
specie.

Eadem itaque gratia confertur, seu speciem utramque, seu unicam sumentibus. Id confirmat S. Thomas Opusculi LVIII. cap. XIII. *Quantacumque (inquit) parva sit species Panis, ibi est totum Corpus Christi per conversionem. Sanguis per connexionem, Anima per conjunctionem, & Divinitas integra per unionem: unde certum est, quod habet plenam rationem cibandi spiritualiter, & confortandi animam.* Et cap. XXIX. *Sicut sumit Sacerdos Sanguinem Christi sacramentaliter de Calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie Panis de ipso Corpore Christi: & est tam utilis, & dulcis, ut Sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de Calice.*

ARTICULI CONSECTARIA

REGULA I.

Presbyteri, qui Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie nunc administrarent, mortaliter peccarent, & Excommunicationem incurrerent.

Præceptum enim Ecclesiæ violarent in re gravi, in cujus transgressores lata est a Conc. Constantiensi Excommunicationis Sententia.

REGULA II.

Lex Ecclesiæ de Communionem Laicorum sub una specie non est perpetua, & immutabilis.

Potest enim Ecclesia justis de causis eam revocare, vel temperare, atque de illa dispensare, si id expedire judicaret. Ita Basileense Concilium dispensare decreverat cum Bohemis, & Moravis ab Hussitarum hæresi ad fidem, & unitatem Ecclesiæ Catholicæ redeuntibus, ut Nationum illarum Sacerdotes Communionem sub utraque specie personis sibi subjectis administrarent, si id reverenter postularent; ea conditione adjuncta, ut inter communicandum plebem publice instruerent, non sub specie panis Carnem Christi tantum, nec sub specie vini solum Sanguinem, sed sub qualibet specie totum, & integrum contineri Christum. Tridentina Synodus sess. XXI. duos Articulos de concessione Calicis, videlicet, *An rationes, quibus S. Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus? & An, si honestis, & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi, vel Regno, Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam illæ sint?* ad Summum Pontificem retulit, qui pro sua singulari prudentia id faceret, quod utile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis fore judicaret. Pius IV. anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, rogante Ferdinando Imperatore, quibusdam Episcopis Germaniæ facultatem dedit Communionem sub utraque specie permittendi in locis, ubi causas allatas veras esse cognoscerent, quibusdam certis conditionibus a se præscriptis. Hæc concessio Viennæ in Austria summa lætitia excepta est, maximaque inde spes conversionis Hæreticorum affulsit. Sed brevi compertum est, id esse

Communi-
o sub una
specie.

esse instar brevissimi levamenti, quod interdum ex nocentis poculi delectatione experitur ægrotus, ut refert *Palavicinus* Lib. xxiv. Historiæ Conc. Tridentini, cap. viii. Cum igitur nec petentium salutem, nec deviorum reductionem id proderet, multique statim irrepsissent abusus, *S. Pius V.* anno xiv. elapso revocavit quicquid ea de re *Pius IV.* permiserat; præcipiens sub pena Excommunicationis, ut Decretum de Communionem sub una specie ab omnibus inviolabiliter observaretur.

Quibusdam tamen Communionem sub utraque specie ab Ecclesia singulari Privilegio concessa est, ut Christianissimis Regibus in eorum Inauguratione; Diacono, & Subdiacono Ecclesiæ *S. Dionysii* prope Parisios Dominicis, & diebus solemnibus; & Ministris Altaris apud Cluniacum singulis Dominicis, & Festis;

R E G U L A III.

Hæreticis nostri temporis Communionem sub utraque specie permittere non expedit. Primo, quia non moventur ad Calicis usum postulandum iusta aliqua ratione, sed ex pertinaci dumtaxat existimatione, qua sentiunt eum esse a Christo præceptum; & ut captent occasionem carpendi Romanam Ecclesiam, quasi institutioni Christi repugnantem. Horum ergo votis annuere, quid aliud esset, quam hæresim fovere? Secundo, ex huiusmodi concessione facile sequeretur aliorum Hæreticorum in suis erroribus confirmatio, & rudium, simpliciumque Catholicorum deceptio, dum Hæretici jactarent, Ecclesiam suam tandem errorem agnovisse, sibi que de victoria blandirentur. Tertio, Fideles plerique inde scandalum paterentur, & Calicis usum pariter postularent. Quarto, tolleretur consuetudinis uniformitas, quam in Eucharistiæ usu servari decet.

R E G U L A IV.

Communio Laica, & Communio Peregrina, quarum in antiquis Canonibus fit mentio, quid aliud fuerunt a sumptione Eucharistiæ sub unica specie, aut extra cancellos Altaris, more Laicorum.

Quid Communio Laica?

Quid Communio Peregrina?

Clericos enim ad Laicam Communionem detrusos legimus eo tempore, quo ipsi etiam Laici sub utraque specie communicabant. Est itaque Communio Laica jus societatis, & communicationis cum ceteris Fidelibus in rebus tam sacris quam civilibus more Laicorum. Unde Clerici gradu Clericali ob aliquod crimen dejecti, & in ordinem plebis redacti, ad Communionem Laicam damnati dicebantur. Ex eo autem, quod perpetua depositione a sui gradus honore, & functionibus remoti, & inter Laicos relegati essent, consequens erat, ut in sumptione Eucharistiæ instar Laicorum se gererent, eam sumentes extra septa Altaris, aut sub una, vel utraque specie, sicut ex usu Ecclesiæ tunc Laicis sumere consueverant. Laicam tantum Communionem Photio concedit *Hadrianus II.* si Conciliabuli sui gesta damnaverit, & Sedis Apostolicæ Decretis morem gesserit, ut constat ex Synodo Romana, quæ Act. viii. Synodi Oecumenicæ Octavæ inserta est. Laicam tantum Communionem Clericis, qui viduam, aut secundam uxorem duxerant, tribuit *Siricius* Epist. i. Redeuntibus ab Hæresi & ab Hæreticis baptizatis, *Innoc. I.* Epistola xxii. Diaconis capitalium criminum ante Ordinationem reis, si sponte deinde confessi fuissent, post triennium; si ab alio detecti, post quinquennium, acta legitima Penitentia, Communionem Laicam indulget *Illiberitana Synodus* can. lxxvi. Episcopo, Presbytero, Diacono capitalis criminis reis, falsariis, aut qui falsum testimonium dixerint, ab Officii honore depositis, & in Monasterium detrusis, Laicam tantum Communionem permittit *Conc. Agathense*, can. l. Subdiaconos, ceterosque Clericos Majores, qui Matrimonii ante Ordinationem contracti jure post ipsam ordinationem usi fuerint, ab Officio depositos, Laica Communionem contentos esse jubet *Conc. Aurelianense* iii. can. ii. Item Clericos, qui superbia elati, Officium suum implere noluerint (Canone xix.) Priscæ Disciplinæ se-

veri-

veritate Clericis, gravissimorum criminum reis, ne in exitu quidem vitæ, Laica Communio concessa est a Synodo Illiberitana, Canone xviii. & Sardicensi can. 11. Clericos capitalis criminis reos a gradu quidem deponendos esse; a Laicorum autem Communionem non arcendos, S. *Basilio* visum est in Epistola ad *Amphilochium*. Episcopis, Presbyteris, Diaconis, qui seu sponte, seu coacti rebaptizati fuissent, Communionem Laicam in morte tantum reddendam edixit Synodus Romana sub *Felice* 111. Pontifice Maximo. Presbytero cui-dam deposito, Subdiaconis item quibusdam depositis, facultatem communi-candi inter Laicos concessit S. *Gregorius* Lib. iv. Epist. v. & Epistola xvi.

Quod *Peregrinam Communionem* ipestat, obscurum est, ac incertum, quid eo nomine intellexerit Antiquitas. Probabilis non videtur eorum opinio, qui ad Communionem Peregrinam redactos fuisse Clericos crediderunt, cum in eo loco, & statu collocabantur, quo poni solebant Clerici peregrini, qui sine literis commendatitiis Episcoporum suorum, quas *Formatas* vocabant, extra propriam Diœcesim peregrinabantur. Qui benigne excipi, & Ecclesiæ sumptibus ali consuevissent, nullo prætermisso humanitatis officio: nemo tamen cum illis tamquam cum Clericis communicabat, nec ullis Ordinis sui muneribus fungi sinebantur; sed ab Eucharistiæ sumptione non arcebantur. Hujus Communionis ut penæ meminerunt Conc. Agathense can. 111. & v. & Ilerdense can. xvi. Verum ex iis Conciliis colligitur, Peregrinam Communionem relationem ad Eucharistiam non dixisse. Quis enim credat, sacrilegis Ecclesiæ furibus Eucharistiam administratam fuisse? Quis credat prolixiori Anathemate damnatos, ad S. Mensam admissos fuisse? His tamen Peregrinam Communionem tribuunt duo illa Concilia. Peregrinam Communionem nihil aliud fuisse existimo, quam expunctionem Clericorum ex Cleri corpore, & matricula, servato jure commercii, & societatis cum ceteris Fidelibus: idque Peregrinæ Communionis a Laica fuisse discrimen, quod Laica Communionem damnati e gradibus, Ordinibusque suis in perpetuum dejecti, & depositi essent: ad Communionem vero Peregrinam redacti, Ordinum suorum functionibus ad tempus prohiberentur, & peracta Penitentia in gradus suos, & in matriculam Ecclesiæ restitui possent. Id patet ex canone 11. Conc. Agathensis. *Contumaces* (inquit) *Clerici ab Episcopis corrigantur, & si qui prioris gradus elati superbia Communionem* (idest, consortium ceterorum) *fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel Officium suum implere neglexerint; Peregrina eis Communio tribuatur, ita ut cum eos Penitentia correxerit, rescripti in Matricula Gradum suum, Dignitatemque suscipiant.*

Quid Communio Peregrina.

C A P U T VI.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

Eucharistiam duabus de causis institutam docet Conc. Tridentini Catechismus. Altera est, ut cœlestis animæ nostræ alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri, & conservare possemus: altera, ut Ecclesia perpetuum Sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, & cœlestis Patris sceleribus nostris sæpe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traduceretur. Hujus rei figuram, & similitudinem in Agno Paschali licet animadvertere, qui, ut Sacrificium, & Sacramentum, a filiis Israel offerri, & comedi consueverat. An autem Eucharistiæ Oblatio, & Consecratio sit verum, & proprie dictum Sacrificium, Quæstio est inter Catholicos, & Hæreticos nostri temporis, Lutheranos scilicet, & Calvinistas, controversa; de qua, ut Ecclesiæ doctrinam, & fidem exponamus.

Observandum est, Sacrificium ex eo vocatum, quod homo facit aliquid sacrum, vel generatim, & improprie sumi; vel stricte, & proprie. Primo

modo omne bonum opus propter Dei gloriam factum Sacrificium est. Hinc Eccl. xxv. 2. dicitur: *Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate... Et, qui facit misericordiam, offert Sacrificium.* Hinc S. Augustinus Lib. x. De Civitate Dei, cap. vi. *Verum Sacrificium (inquit) est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est Sacrificium. Etsi enim ab homine fit, vel offertur, tamen Sacrificium res divina est... Unde ipse homo Dei nomine consecratus, & Deo votus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, Sacrificium est... Corpus etiam nostrum, cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, sacrificium est.*

Ad quod exhortans Apostolus ait: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus, & reclus usus ad Deum refertur, sacrificium est, quanto magis anima ipsa, cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulcritudine acceperit, sacrificium est.*

Sacrificium secundo modo, idest stricte, & proprie dictum, ab actionibus misericordiæ distinctum esse, Scriptura Sacra docet *Osee VI.* ubi Deus ait: *Quia misericordiam volo, & non Sacrificium, & scientiam Dei plus, quam holocausta.* Et *1. Reg. xv.* dicitur: *Melior est obedientia quam victimæ.* Sic acceptum Sacrificium definitur: *Oblatio externa soli Deo facta, qua in recognitionem supremi ejus dominii, a legitimo Ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & mutatur.* Nomine Oblationis, non intelligitur res oblata, sed actio ipsa Ministri, victimam offerentis. Hinc Scriptura docet, præcipuum Sacerdotum munus esse Sacrificii Oblationem, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Oblatio illa externa esse debet: *Sacrificium enim visibile (inquit S. Augustinus Lib. x. De Civit. Dei, cap. v.) invisibilis Sacrificii Sacramentum, idest, Sacrum signum est.* Additur, *Soli Deo facta.* Naturalis enim ratio dicit homini, quod alicui Superiori subdatur, propter defectus, quos in se ipso sentit: in quibus ab alio superiori eget adjuvari, & dirigi. Et quicquid illud sit, hoc est, quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur; ita etiam naturalis ratio dicit homini secundum naturalem inclinationem, ut ei, quod est supra hominem, subjectionem, & honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda: & ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis, & honoris, in similitudinem eorum, qui Dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem Sacrificii. Præterea Oblatio Sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem Sacrificium, quod offertur exterius, spirituale Sacrificium interius, quo anima seipsam offert Deo secundum illud Psalmistæ: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Anima autem se offert Deo in Sacrificium, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis. Secundum autem veram fidem solus Deus est Creator animarum nostrarum. In solo etiam eo animæ nostræ beatitudo consistit. Et ideo sicut soli Deo summo debemus Sacrificium spirituale offerre, ita etiam

, soli

Notio Sacri-
ficii genera-
tim, & im-
proprie
sumpti.

Rom. 12.

Quid sit Sa-
crificium
proprie di-
ctum?

Hebr. 5.

Sacrificium
soli Deo de-
bicum.
Psalm. 50.

„foli Deo debemus offerre exteriora Sacrificia. Sicut etiam Orantes, atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus (ut S. Aug. dicit Lib. x. De Civ. Dei, c. xix.) ita sacrificantes non alteri visibile Sacrificium offerendum esse noverimus, quam illi, cujus in cordibus nostris invisibile Sacrificium nos ipsi esse debemus. Hoc etiam videmus in omni „Republica observari, quod summum Rectorem aliquo signo singulari hono- „rant; quod cuicumque alteri deferretur, esset crimen læsæ Majestatis. Et „ideo in Lege divina statuitur pena mortis in eos, qui divinum honorem „aliis exhibent. *Qui immolat Diis* (inquit) *occidetur, præterquam Domino soli*, Ita differit S. Thomas 2. 2. qu. lxxxv. art. 1. & 11. Hinc S. Augustinus Lib. x. De Civitate Dei cap. iv. *Sacrificium certe* (inquit) *nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo*. Et paulo post: *Quis sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et Lib. I. Contra Adversarium Legis, & Prophetarum. cap. xviii. *Demon sibi Sacrificium non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Falsus enim Deus, sic se vult honorari ab eis, quos decipit, quomodo verus Deus ab eis, quibus consulit: & maxime Sacrificium est, quod præcipue debetur Deo: nam obsequia cetera, quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbicæ fastu homines arrogare. Rarissimi autem commemorantur, qui sibi, ut sacrificaretur, cum Regia Potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicumque tamen ausi sunt, per hoc se deos haberi voluerunt.* Oblationis finis exprimitur, cum dicitur, *facta in recognitionem supremi domini Dei*. Externo quippe Sacrificio servitutem suam, infirmitatem, indigentiam, ac reverentiam erga summam Dei Majestatem homo profitetur, atque contestatur ipsum, ut bonis nostris, ita nec Sacrificiis quidem egere. Non solum igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili, atque terrena, sed ne ipsa quidem justitia hominis Deus egere credendus est, totumque, quo recte colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit; aut luci, si viderit. Fieri dicitur hæc Oblatio a legitimo Ministro; ad hoc enim Religionis officium non omnes promiscue destinati sunt, sed qui a Deo tamquam Aaron vocantur, & ex populo assumpti pro hominibus constituuntur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerant dona, & Sacrificia pro peccatis, ut loquitur Apostolus ad Hebræos v. Atque hinc excluduntur a ratione Sacrificii proprie dicti privatorum hominum Oblationes soli Deo factæ. Dicitur *Oblatio rer sensibilibus, & permanentis*; ut a precibus, genuflexionibus, & aliis, quæ fiunt a Sacerdotibus actu externo in reverentiam Dei, & tamen Sacrificia proprie non sunt, distinguatur. Res illa *Consecrari* debet *Ritu mystico*; ex profana enim fieri debet sacra: & per hoc distinguitur ab Oblationibus, Primitiis, & Decimis. Nam (ut ait S. Thomas 2. 2. qu. lxxxv. art. 111. ad tertium) *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur: quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur: & hoc ipsum nomen sonat: nam Sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat: sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in Altari, circa quos nihil fit. Unde omne Sacrificium est oblatio, sed omnis oblatio non est Sacrificium. Primitiæ autem oblationes erant, quia Deo offerebantur, non erant autem Sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat. Decimæ autem proprie loquendo non sunt Sacrificia, neque Oblationes; quia non immediate Deo, sed Ministris divini cultus exhibentur. Res denique oblata mutari debet, ac re ipsa, seu modo quodam mystico destrui, ut ratio Sacrificii constet, quo Deum supremum vitæ nostræ Dominum profiteamur, & colamus.*

Exod. 20.

ARTICULUS I.

Utrum Eucharistia sit verum, & proprie dictum Sacrificium?

PROPOSITIO I.

Eucharistiam esse verum, proprieque dictum Sacrificium, dogma fidei est. Id probat in primis Prophetæ Regis oraculum Pſal. cix. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Sacerdotium enim Christi Sacerdotio Melchisedech, assimilari docent Patres, ratione rei in Melchisedech Sacrificio oblatae, scilicet panis, & vini. Gen. xiv. 18. *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.* Matth. xxvi. *Accipit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Christus itaque Sacrificium instituit proprie dictum, quod non est aliud ab Eucharistia. Hinc S. Cyr. Epist. lxxiii. ad Cœcilium, ait: *In Sacerdote Melchisedech Sacrificii Domini Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura Divina testatur, & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham: Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Sp. Sanctus ex persona Patris ad Filium, dicens: Ante Luciferum genui te: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, & inde descendens; quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit; & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem, & vinum, suum scilicet Corpus, & Sanguinem? Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad nostrum populum pertinebat: Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Christi, in pane, & vino scilicet constituta, quam rem perficiens, & adimplens Dominus panem, & Calicem vino mixtum obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratae imaginis adimplevit. Ait quoque S. Augustinus Lib. xvi. De Civitate Dei, cap. xxii. in Oblatione Melchisedech primum apparuisse Sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum: impletique illud, quod longe post factum, per Prophetam dicitur ad Christum: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et Lib. i. contra Adversarium Legis, & Prophetarum, c. xx. idem Oraculum Prophetæ Regis explicans, *Noverunt, inquit, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham: & si jam sunt participes ejus, vident tale Sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.**

Idem probatur ex Mal. i. ii. ubi Dominus ait: *Ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus.* De Sacrificio Crucis intelligi vaticinium illud non potest: siquidem Sacrificium, de quo loquitur Deus per Prophetam, non in unodumtaxat, sed in omni loco erat offerendum. Neque de Sacrificiis Hebræorum, siquidem in Gentibus offerendum prædicatur; *Quia magnum est nomen meum in Gentibus.* Neque de precibus, ac votis, ceterisque Religionis officiis, quæ late sumpto nomine Sacrificia nuncupantur: primo quia Scriptura Sacra nomen Sacrificii non usurpat absolute ad Sacrificium late sumptum significandum, sed cum adjuncto, ut *Sacrificium laudis, Sacrificium justitiæ, Hostiam vociferationis.* Secundo, cum ait Dominus, *Munus non suscipiam de manu vestra: in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo obla-*

Ex S. Scriptura probatur Eucharistiam esse verum Sacrificium.

Eucharistia verum Sacrificium.

tio munda : novum aliquod Sacrificium designat, quod successurum sit Judæis : at spiritualia Sacrificia fuisse etiam a Judæis frequentata, minime dubium est. Aliud autem non est in Novo Testamento Sacrificium externum quod in omni loco a Solis ortu usque ad occasum Deo offeratur, præter Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia : quod & Christus in suprema Cæna obtulit, & in sui commemoratorem ab Apostolis, & eorum Successoribus fieri mandavit his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ipsos Novi Testamenti constituens Sacerdotes; *Uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Hæc una oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* Tertio Sacrificium a *Malachia* prædictum, visibile est, quale hominum natura exigit, adeoque a spiritualibus Sacrificiis distinctum. De Sacrificio Eucharistiæ illud *Malachiæ* Oraculum intellexerunt *S. Justinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone, *S. Irenæus* Lib. iv. cap. xxxii. *Eusebius Cæsareensis* Lib. i. Demonstrationis Evangelicæ, cap. x. *S. Jo. Chrysostomus* in Pl. xcv. *S. Augustinus* Lib. xviii. *De Civ. Dei*, cap. xxxv. & *Theodoretus* in c. i. *Malachiæ*.

Eucharistia
verum Sa-
crificium.

Iuc. 22.
Conc. Trid.

Illam Agni Immaculati incruenta Oblatio, per Agni Paschalis immolationem filiis Israel in Exodo præceptam figurata est : & vetus illa figura impleta est a Christo, cum xiv. die primi Mensis ad vesperam se ipsum sub signis visibilibus Patri obtulit, & Apostolis manducandum præbuit, jugiterque se eodem ritu offerendum, atq; comedendum instituit in una domo, id est, in Ecclesia, in memoriam transitus sui ex hoc Mundo ad Patrem, quando per sui Sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, & in Regnum suum transtulit.

Illud Sacrificium non obscure innuit *S. Paulus* 1. ad *Cor.* x. cum ait, non posse eos, qui participatione Mensæ demoniorum polluti sunt, Mensæ Domini participes fieri : per Mensam Altare utrobique intelligens, in quo utrobique Sacrificia offeruntur : in illa quidem idolothyta demoniis : in isto vero Corpus, & Sanguis Christi Deo vero. *Calix benedictionis* (inquit) *cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini est? Et panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini est? ... Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Quid ergo? Dico, quod Idolis immolatum sit aliquid, aut quod Idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, demoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri demoniorum. Non potestis Mensæ Domini participes esse, & Mensæ demoniorum.*

Catholicum istud dogma summo consensu confirmant Græci, Latinique Patres, Concilia, veteresque Liturgiæ Christianorum omnium Gentium; Græcæ *S. Basilii*, *S. Jo. Chrysostomi* necnon ea quæ *S. Jacobi* nomen præfert, quam Trullana Synodus can. xxxii. laudavit, Armenica, Chaldaica, sive Syriaca Maronitarum, Romana, Ambrosiana, seu Mediolanensis, Hispanica, quam secuti sunt apud Hispanos Christiani Arabibus permixti, ob id *Mozarabum* appellata, & Gallicana, quæ ante annos mille in usu erat cujus ritum exhibent varia antiqua Missalia a *Thomasio*, & *D. Joanne Mabillonio* edita, ex quibus evidenter probatur hanc fuisse Ecclesiæ universæ fidem, quod Eucharistia sit verum, & proprie dictum Sacrificium. Unum hic proferre sufficiat Missalis Gallicani veteris locum, in Officio Cænæ Domini, *In qua Dominus noster Jesus Christus in Novo Testamento sacrificandi Ritum instituisse memoratur, dum panem, & vinum, quæ Melchisedech in præfiguratione futuri Mysterii Sacerdos obtulerat, in Sacramentum sui Corporis, & Sanguinis transformavit.*

Patres, Con-
cilia, & ve-
teres Litur-
giæ Eucha-
ristiam esse
verum Sacri-
ficium con-
firmant.

His momentis adducta *S. Synod. Trid.* hos Can. de Sacrif. Missæ condidit sels. xxxii.

Can. i. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum manducandum dari; Anathema sit.*

Canone ii. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi,*

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

Ddd 3

alii-

alique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum; Anathema sit.

Eucharistia
verum Sa-
crificium.]

Objiciunt Ecclesiæ Adversarii, Sacrificium Crucis infinitæ, ac perennis virtutis esse, & Christum una oblatione totius Mundi peccata expiasse, & homine Deo Patri perfecte reconciliasse, ut docet Apostolus ad Heb. x. *Umbram enim inquit, habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedente perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccaticultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens Mundum dicit: Hostiam, & oblationem nolui, corpus autem aptasti mihi; Holocaustumata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite Libri scriptum est de me, ut faciam, Deus; voluntatem tuam aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Injuriam ergo faciunt Sacrificio Crucis, qui aliud Sacrificium proprie dictum in Ecclesia admittunt, & credunt, scilicet Sacrificium Eucharistiæ.*

Eucharistiæ
Sacrificium
non derogat
Sacrificio
Crucis.

Resp. Injuriam quidem fieri Sacrificio Crucis, si aliud Sacrificium redemptionis præter illud admittatur, & credatur, quod ab illo virtutem omnem non habeat, & in quo alia victima offeratur, quasi Sacrificium Crucis fuerit insufficienti, aut per se non valeat ad omnium Sanctificationem. At nullam injuriam fieri Sacrificio Crucis, si aliud Sacrificium Religionis agnoscat, proprie quidem dictum, sed tamen Sacrificii Crucis commemorativum, & ab illo sola offerendi ratione diversum, ab illo dependens, omnemque suam virtutem ex illo hauriens, sive potius virtutem illius applicans ad nostræ sanctificationis consummationem. Tale autem est Eucharistiæ Sacrificium. Deus enim, & Dominus noster, etsi semel seipsum in Ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotum ejus extinguendum non erat, in Cæna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum, representaretur, ejusque memoria in fine sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit: & sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes instituebat, ut sumerent, tradidit: & eisdem, eorumque Successoribus in Sacerdotio, ut offerrent, præcepit, per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Doctrina est Conc. Tridentini, sess. xxii. cap. i. Præterea, Una, eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo

Eucharistia
Sacrificium
est religio-
nis, & com-
memoratio-
nis.

Eucharistia
verum Sa-
crificium.]

derogetur (inquit eadem S. Synodus cap. ii.) Non ergo cruenta, & incruenta Hostia, duæ sunt Hostiæ, sed una tantum: cujus Sacrificium postquam Dominus ita præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*, in Eucharistia quotidie instauratur. Id egregie explicat S. Jo: Chrysostomus Hom. xvii. in Epist. ad Hebræos: „Offerimus quidem, inquit, sed ejus mortem revocamus, in memoriam: & ipsa una est, non multæ. Quomodo una est, non multæ? Quo-

Eadem Ho-
stia in Alta-
ri offertur,
quæ in
Cruce.

„ niam

semel fuit oblata, sicut illata fuit in Sancta Sanctorum. Hoc est figura
 illius, & ipsa illius. Eundem enim semper offerimus : non nunc quidem
 alium, sed semper eundem. Quamobrem unum est Sacrificium propter
 hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Ne-
 quequam: sed unus ubique Christus, qui & hic est plenus, & illic plenus, unum
 Corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus unum est corpus, & non multa
 corpora; ita etiam unum est Sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam
 obtulit Hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc
 oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus,
 quod tunc factum est. *Hoc enim facite*, inquit, *in mei recordationem*. Non
 novam hostiam, inquit, *sicut Pontifex*, sed eandem semper facimus, vel
 potius hostiæ, seu sacrificii facimus recordationem.

Merito itaque S. Synodus Tridentina sess. xxii. can. iv. pronunciavit: *Si
 quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto,
 Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari; Anathema sit.*

Objiciunt locum Apostoli ad Hebræos vii. 23. 24. *Et alii quidem plures facti
 sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem (scilicet
 Christus) eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde
 salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper
 vivens ad interpellandum pro nobis.* Nullus itaque præter Christum Sacerdos
 adeoque nullum Sacrificium præter illud, quod in Cruce obtulit.

Resp. Nullos quidem præter Christum Sacerdotes esse, qui ipsi succedant: suc-
 cessor enim proprie dicitur, qui in locum, officium, & potestatem defuncti sub-
 stituitur; Christus autem nunquam defungitur Sacerdotio, sed manet Sacerdos
 in æternum: sed præter Christum alios esse Sacerdotes illius Ministros, & Vica-
 rios, Apostolus docet, cum ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, &
 dispensatores Mysteriorum Dei; pars autem præcipua Sac. Ministerii in Liturgiæ
 celebratione posita est.* Unde Act. xiii. 2. ubi legimus: *Ministrantibus autem il-
 lis Domino, & jejunantibus, dixit illis Sp. Sanctus: Segregate mihi Saulum, &
 Barnabam in opus, ad quod assumpsit eos:* Erasmus ad Textus Græci vim atten-
 dens, in quo verbum est Liturgiæ oblationem significans, vertit *Sacrificantibus au-
 tem illis.* In hoc autem Sacrificio, Christus se ipsum offert, Sacerdotium suum
 exercens, idemque Sacerdotum ministerio offertur. Hinc S. Jo: Chrysostomus Hom.
 xxxiiii. in Matthæum, *Non sunt*, inquit, *humanæ virtutis hæc opera, quæ
 tunc in cæna confecit: ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, Ministrorum nos ordi-
 nem tenemus: qui vero hæc sanctificat, & transmutat, ipse est.*

Nullus præ-
 ter Chri-
 stum Sacer-
 dos, qui illi
 succedat: alii
 tamen Sa-
 cerdotes e-
 jus Ministri.

Eucharistia
 verum Sa-
 crificium.

Objiciunt: Mutatio victimæ, immo occisio intercedere debet in Sacrificio pro-
 prie dicto: Christus autem in Eucharistia non mutatur, multo minus occiditur.

Resp. Occisionem quidem victimæ in Sacrificio cruento intercedere de-
 bere, non in Sacrificio incruento. Nam & Sacrificia farrea, quæ incruenta
 erant, in Veteri Lege oblata fuisse nemo nescit, & tale fuisse Sacrificium
 Melchisedech: Eucharistia autem incruentum Sacrificium est, in qua Chri-
 stus sub specie cibi, & potus offertur. Quamobrem necesse non est ipsum
 vere, & re ipsa occidi, ut vere, & proprie censeatur offerri, & sacrificari;
 sed sufficit ut mystice moriatur, quatenus consecratione panis, & vini Cor-
 pus ejus, & Sanguis sub eorum symbolis, & speciebus sistuntur, & exhi-
 bentur, & gladio verborum (ut ita loquamur) separantur, siquidem vi
 verborum solum Corpus sub specie panis, solus Sanguis sub specie vini, ef-
 fe incipiunt sacramentaliter (quamvis & Sanguis sub specie panis, & Cor-
 pus sub specie vini sit per necessariam concomitantiam, quia Christus ex
 mortuis resurgens jam non moritur.) Hæc autem non solum mutatio est
 Corporis, & Sanguinis Christi, sed & immolatio, morsque mystica, suffi-

Mystica
 mors victi-
 mæ in Sacri-
 ficio incru-
 ento.

- ciens ad Sacrificium commemorationis, quo Passio Domini nostri Jesu Christi representatur, ejusque fructus Fidelibus applicatur. Neque tamen nuda est Passionis Christi commemoratio, & representatio: siquidem ibi exhibetur realiter sub Sacris Symbolis *Agnus occisus ab origine Mundi*, & hoc ipso, quod per consecrationem Corpus ejus, & Sanguis sistuntur, Divinæ Majestati offeruntur. Sicut enim Christus Mundum ingrediens, & Deo Patri se sistens, dicensque: *Hos-tiam, & oblationem noluisti: Corpus autem aptasti mihi: Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*: se jam tunc in Sacrificium obtulit, quamvis nondum sit occisus, sed tantum morti destinatus: & sicut cum Christus non in manufacta sancta, sed in cœlum ingressus. Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, Sacrificium Patri representat, quo *Semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per ostiam suam apparuit*, seque jam non cruento quidem modo, quod fecit semel, sed incruento, Patri offerre pergit, *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*; & tamen jam non moritur: ita in Eucharistia, quæ Sacrificii in Cruce oblatis commemoratio est, Christus Corpus & Sanguinem suum exhibens, offertur ministerio Sacerdotum, & mystice immolatur, quamvis revera non occidatur. Hinc S. Cyprianus Ep. LXIII. ait: *Passio est Domini Sacrificium quod offerimus*, Hinc S. Jo: Chrys. Hom. III. in Epist. ad Ephesios, *Dum (inquit) offertur hostia, & Christus occiditur Ovis Dominica*. Et Hom. xv. ad Populum Antiochenum: *Quid agis, o homo? Juras super S. Mensam, ubi & Christus occisus jacet*. Et Homil. de Pœnitentia, in Enceniis: *Mensa mystica parata, Agno Dei pro te mactato*: Sanguine ex immaculato latere in Calice ad purificationem tuam evacuato, non times? Hinc S. Ambrosius Lib. I. in Lucam, Num. 28. *Atque utinam nobis quoque adolentibus Altaria, Sacrificium deferentibus adsistat Angelus, immo præbeat se videndum. Non enim dubites adsistere Angelum, quando Christus adsistit, quando Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*.
- Objiciunt, repugnare rationi Sacrificii, præsertim ejus, quod novam Testamentum continet, ut sit incruentum; *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*, ut ait Apostolus ad Hebræos ix. 16. Cum igitur Christus non moriatur, quoties Eucharistia consecratur; non est illa verum, & proprie dictum Sacrificium.
- Resp. repugnare quidem rationi Sacrificii, quo Novum Testamentum primo conditum, & institutum est, ut sit incruentum. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. *Lecto enim mandato Legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & byssopo, ipsum quoque Librum, & omnem populum asperxit, dicens: Hic Sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*. Sed non repugnat rationi Sacrificii, quod Novi Testamenti jam conditi repetitio, & commemoratio est, ut sit incruentum. Eucharistiæ porro celebratio non est Novi Testamenti institutio, sed ejus repetitio, & commemoratio, quod olim a Christo institutum, & morte illius confirmatum est. Quemadmodum ergo inter homines, cum testamentum morte testatoris interveniente confirmatum sæpius in judicio exhibetur, & recitatur, aut etiam describitur, ad hereditatem huic, aut illi applicandam, non est opus, ut testator iterum moriatur; sed satis est, si constet testatorem esse mortuum, nec ante mortem revocasse, aut immutasse suum testamentum: ita cum offertur Eucharistiæ Sacrificium, Sanguinem Christi continens, quo novum, & æternum testamentum dedicatum est, illiusque in Cruce pro omnibus hominibus profusi virtutem applicans, *Ut repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis*, non est necesse, ut Christus iterum moriatur, sed solum, ut mortis ejus memoria recolatur, & Corpus pro nobis olim traditum, Sanguisq; pro nobis effusus, vere, & realiter exhibeatur, mystice, & in Sacramento fundatur in remissionem peccatorum, Deoque offeratur.

Obji-

Objiciunt Oraculum Christi, Joan. iv. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Ubi adorare idem est, quod sacrificare. Quæstio enimerat inter Judæos, & Samaritanos, quo in loco deberet offerri Sacrificium, & ita sumitur adorare Gen. xxii. *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Et Act. viii. *Venerat adorare in Jerusalem.* Si ergo veri adoratores tempore Novæ Legis debent sacrificare in spiritu, & veritate, nullum est in Nova Lege Sacrificium visibile externum, sed solum spirituale.

Resp. Christum Dominum his verbis cultum, & Sacrificium externum minime tollere, sed internum præcipue statuere; & simul significare, Sacrificium externum deinceps neque in monte Garizim, neque Hierosolymis, sed per omnes gentes, & regiones, in locis ad hoc deputandis, & consecrandis offerendum, sicut prædixit *Malachias*. Significat itaque Christus his verbis, tempore Novæ Legis Dei cultum, & Sacrificium futurum in spiritu, & veritate, sublata sacrificiorum umbra, quæ Hierosolymis offerebantur: cultum tamen, & sacrificium externum, quod spiritualis cultus, & Sacrificii sacrum signum est, non excludit. Nam sicut spiritualis cultus necessarius est, quia *Deus spiritus est*; ita corporalis nobis convenit, quia non animo tantum, verum etiam corpore constat. Unde *S. Basilius* Lib. ii. *De Baptismo*, qu. viii. *Nobis (inquit) periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime si Sacerdotii Mystera in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res judicium haberet contemptus in celebrante; offendiculum quoque generaret pro varietate actionum multifaria, propter variam multorum in rerum divinarum scientia infirmitatem. Si vero quisquam objiciat: Quid igitur est, quod Apostolus dixit, Volo viros precari in quovis loco, ob id, quod Dominus ipse potestatem dedit adorandi Deum in omni loco, ubi dixit, Neque Hierosolymis posthac, neque in Monte isto adorabitur Pater? Hoc dicendum est, quod illud, In omni loco, non comprehendit eos locos, qui humanis usibus, rebusque immundis, & profanis deputati sunt; sed dilatat, & deducit adorationem Dei ab arcto Hierosolymæ ambitu in omnem totius orbis locum, secundum Sacrificii prophetiam, qui studiosè videlicet Deo dicatus sit ad gloriosi Mysteriorum Sacrificium celebrandum.*

Adoratio in spiritu, & veritate sacrificium externum non excludit.

Plura dabit Dissertatio nostra xiii. in I list. Ecclesiast. Sæculorum xiii. & xiv.

P R O P O S I T I O II.

Essentia Sacrificii Eucharistiæ in Consecratione, & Oblatione posita est: sumptio vero etsi non ad essentiam, ad integritatem tamen Sacrificii pertinet.

Prima pars Propositionis ex eo probatur, quod Christus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit: ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit (ut habet Concilium Tridentinum Sess. xxi. cap. i. & Canone ii.)* Consecratione igitur, & oblatione, quam præcipue Christus Apostolis, & eorum in Sacerdotio Successoribus præcepit: quam præcipue illi in persona Christi per eos offerentis operantur; quæ potissima præsentatio est Passionis Dominicæ, qua fit res excellentissime sacra, ex pane scilicet, ac vino Corpus, & Sanguis Christi; qua summæ Dei Majestatis, ac Domini, nostræque infirmitatis, dependentiæ, ac servitutis publica, & solemnis professio fit, atque contestatio; qua gratissima Deo victima, nempe Corpus, & Sanguis Christi, præsens re ipsa exhibetur, Deoque sistitur, & offertur; Sacrificium peragitur.

Essentia sacrificii Eucharistiæ.

Confirmatur ex *S. Irenæo* Lib. iv. cap. xxxii. *Eum (inquit) qui ex creatura panis est,*

est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est Corpus meum: & Calicem similiter, qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum Sanguinem confessus est: & Novi Testamenti novam docuit Oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo. De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit, &c.

Item ex S. Jo: Chrysofomo Homilia De Proditione Judæ: Vox illa (inquit) HOC est Corpus meum, usque ad ejus adventum præstat Sacrificio firmitatem.

Quæ ad essentiam, quæ ad integritatem sacrificii Eucharisticæ pertineant?

Denique ex S. Thoma III. P. Q. LXXXII. A. IV. ad I. Consecratio (inquit) Chrifti, vel cujuscumque alterius materie, non est Sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ. Et Art. X. Opportunitas Sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad Fideles Chrifti, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui Consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur. Et in Respons. ad I. Alia Sacramenta perficiuntur in usu Fidelium ... Sed hoc Sacramentum perficitur in Consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur.

Oblatio porro panis, & vini consecrationem præcedens, ad integritatem quidem Sacrificii pertinet, ut probat summus omnium Liturgiæ consensus, non tamen ad essentiam. Nam oblatio vocalis non est ad Sacrificium necessaria. Satis enim Deo se demonstrat aliquid offerre, qui re ipsa offert. Non alia igitur Oblatio ad essentiam Sacrificii pertinet, quam quæ Consecratione ex instituto Chrifti peragitur, qua victima, & pretium salutis nostræ, Corpus nempe illius, & Sanguis in Altari sistuntur. Similiter Oblatio, quæ sequitur consecrationem, non est essentialis Sacrificio; sed solemnis quædam contestatio est, quod tota Ecclesia, quæ Chrifti Summi Sacerdotis, & Capitis nostri Corpus est, seipsam per ipsum Deo offerat. Hinc S. Thomas III. P. Q. LXXXIII. A. IV. Missæ ritum, ac ordinem exponens, ait: Sacerdos petit hoc Sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit: Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, &c.

Communio Sacerdotis celebrantis pertinet ad integritatem sacrificii.

Pars altera Propositionis ex eo probatur, quod Chrifti Corpus, & Sanguis per Consecrationem exhibeantur, & sistantur sub specie cibi, & potus: ideoque ad manducationem, & bibitionem ordinentur. Quamobrem Communio Sacerdotis sacrificantis sub utraque specie, pertinet ad integritatem, & perfectionem Sacrificii jure divino; non tamen ad essentiam. Unde in Missa Epiphaniæ sumptio ab immolatione distinguitur, ut quid subsequens, cum dicitur in Secreta: Quod iisdem Muneribus declaratur, immolatur, & sumitur Jesus Chriftus Filius tuus Dominus noster.

Confirmatur ex Capite Relatum est, Dist. II. De Consecratione, quod ex Conc. Toletani XI. Canone V. desumptum est. Relatum est nobis, quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis Sanctæ gratiam sumere, quot Sacrificia in uno die videntur offerre: sed si in uno die plurima per se offerant Sacrificia, in omnibus se Oblationibus a Communione suspendant, & in sola tantum extrema Sacrificii Oblatione Communionis sanctæ gratiam sumant: quasi non sit toties illi vero, & singulari Sacrificio participandum, quoties Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Chrifti immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit, Nonne, qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum deinceps divino Altari Sacrificium oblaturus accesserit, & se a Communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia Communionis anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque sacrificans Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Chrifti in Altari immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Chrifti participem se præbeat.

Obj-

Objicitur: Ratio Sacrificii posita est in vera, & reali mutatione, & destructione victimæ: sed Christi Corpus, & Sanguis non destruuntur per Consecrationem, imo vero sistuntur sub speciebus; nec sub iis esse desinunt, nisi per illarum consumptionem: ratio igitur essentialis Sacrificii non est posita in Consecratione.

Respondetur, Corpus, & Sanguinem Christi non destrui quidem per Consecrationem, sed mutari modo sibi conveniente, quatenus sacramentaliter esse incipiunt sub panis, & vini speciebus, & Corpus vi verborum quasi exanguè sistitur, Sanguis item vi verborum mystice effunditur. Præterea Christi Corpus, & Sanguis per Consecrationem accipiunt formam cibi, & potus: cibus autem, & potus ad manducationem, & bibitionem, adeoque ad mutationem, & destructionem ordinantur. Quamvis porro non destruuntur Christi Corpus, & Sanguis secundum naturam suam, destruuntur tamen secundum modum illum admirabilem existendi sub his panis, yinique speciebus, desinunt esse in Altari, desinunt esse cibus, & potus sensibilis, cum sumuntur a Sacerdote sacrificante. Sufficit autem, ut ita destruantur, & desinant per actionem pertinentem ad integritatem Sacrificii: sic enim ipso Sacrificio destrui censentur mystico modo, ipsisque pro hoc statu conveniente.

Objicitur, Christum, cum Eucharistiam instituit, Apostolis dixisse, *Accipite, & comedite, Hoc est Corpus meum ... Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus.* Adeoque hujus essentiam Sacrificii in Communione positam esse.

Respondetur, id non sequi: Christus enim Eucharistiam instituit, ut Sacramentum, & ut Sacrificium; nec solum dixit, *Accipite, & comedite*, quod ad Sacramentum pertinet; sed etiam, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod spectat ad rationem Sacrificii. *Corpus, & Sanguinem suum* (inquit Tridentina Synodus) *sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes instituebat, ut sumerent, tradidit: & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.*

P R O P O S I T I O III.

Eucharistia non tantum est Sacrificium laudis, & gratiarum actionis, sed propitiatorium, & impetratorium.

IDut intelligatur, observandum est, triplex, immo quadruplex in Scripturâ Sacra distingui Sacrificii genus; primum *Latreuticum*, cuius finis est solus Dei cultus & honor. Hujus generis *Holocaustum* erat, quo tota victima in Dei honorem igne consumebatur. Alterum dicebatur Sacrificium *pro peccato*, quod etiam *Propitiatorium* appellatur, cuius finis, præter Dei cultum, est placatio irati Dei, & peccatorum remissio. Tertium in Scriptura nominatur *Pacificum*, quod duplex est: alterum *Eucharisticum*, id est, oblatum in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: alterum *Impetratorium*, cuius finis novorum impetratio beneficiorum est. Hoc posito, facile probatur Eucharistiam omnibus his modis Sacrificium esse, ac de illa vere dictum a S. Jo. Chrysostomo in Psalm. xcvi. *Omnia veterum Sacrificia nova superveniens gratia uno complectitur Sacrificio.* Nec minus vere a S. Augustino Lib. xvii. *De Civitate Dei*, cap. xx. *Id Sacrificium successit omnibus illis Sacrificiis Veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri ... Pro illis omnibus Sacrificiis, & Oblationibus Corpus eius offertur, & participantibus ministratur.*

Primo, *Latreuticum* Sacrificium est; id enim Christus instituit, ut supremus patriæ cultus Deo usque ad consummationem sæculi jugiter exhiberetur, non ab hominibus dumtaxat, sed ab ipso met homine Deo: qui in Eucharistiæ Sacrificio adorat pro nobis, adorat in nobis, & adoratur a nobis. Adorat in nobis, ut Caput nostrum: adorat pro nobis, ut Sacerdos noster: adoratur a nobis,

Eucharistia
sacrificium
adorationis.

bis,

bis, ut Deus noster. Quod enim de oratione S. *Augustinus* dixit, cur de adoratione, quæ perfectissimum est orationis genus, ulurpare non liceat?

Secundo, Eucharistia Sacrificium est Gratiarum actionis; quod nomen ipsum sonat, confirmantque solemnes illæ Præfationis voces in omnibus Liturgiis usurpatæ: *Gratias agamus Domino Deo nostro*: ad quas respondetur, *Dignum, & justum est*. De quibus S. *Jo. Chrysostomus*, Homilia xviii. in secundam Epistolam ad Corinthios, *In tremendis, inquit, Mysteriis, ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id juste, ac digne fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur. Et S. Augustinus* Epist. cii. alias cxx. ad Honoratum, cap. xix. *Hæc est, ait, gratia, quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in Sacrificio Novi Testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies.*

Eucharistia
Sacrificium
propitiato-
rium.

Tertio, Eucharistia Sacrificium Propitiatorium est, quia in ea idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruenta obtulit: qui est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Idem Sanguis, qui fluxit e Christi latere, continetur in Calice, & mystice funditur pro nobis in remissionem peccatorum, ut ex ipsa Consecrationis forma compertum est. Hoc autem salutis nostræ pretium Deo repræsentatum, nobis ipsum propitium reddit, secundum illud Apostoli ad Hebræos ix. *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi*. Proinde SS. Patres Corpus, & Sanguinem Christi in Altari præsentia non dubitarunt appellare, Propitiationis Hostiam, pro toto mundopiaculum, pro anima cunctorum Sacrificium, pro omni macula, & peccato purissimam Hostiam; Hostiam salutarem, illibatam victimam pro peccatis, Sacrificium pretii nostri, Victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est Hostis computans delicta nostra: unicum Sacrificium pro salute nostra. Hinc S. *Augustinus* Q. LVII. in Leviticum ait: *Sed cum Dominus dicat, Nisi manducaveritis Carnem meam, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, quid sibi vult, quod a Sanguine Sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis Sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum, a cujus tamen Sacrificii Sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam?*

S. Cyrill.
Hieros.
Catech. 5.
Mystag. Eu-
feb. l. i. De
monst. E-
vang. c. 10.
S. Chryf.
Hom. 3. in
Epist. ad
Ephes.
S. Hieron.
in cap. 1.
Epist. ad
Titum S.
August. l. 9.
Confess. c.
12. & 15. l.
1. Contra
Crescon.
cap. 25.

Denique cum præcipuum Sacerdotum munus sit offerre Sacrificia pro peccatis, ut docet Apostolus ad Hebr. v. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis: & certum sit perenne in Ecclesia Sacrificium esse Corporis, & Sanguinis Christi, ab ipsomet æterno Sacerdote per Ministros ex hominibus assumptos oblatum, illud esse propitiatorium consequens est. Verum enim Sacrificium (inquit S. *Augustinus* Lib. iv. De Trinitate, cap. xiv.) rite offerri non potest, nisi uni vero Deo per Sacerdotem sanctum, & justum; nec nisi ab eis accipiatur, quod offertur, pro quibus offertur, atque id sine vitio sit, ut pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certe omnes cupiunt, qui pro se offerri Sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam justus, & sanctus Sacerdos, quam unicus Filius Dei, qui non opus haberet per Sacrificium sua purgare peccata, nec originale, nec ex humana vita, quæ addunt? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi quam caro mortalitatis? Et quid tam mundum promundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, & ex utero virginali? Et quid tam*

Hebr. 7.

tam grate offerri, & suscipi posset, quam caro Sacrificii nostri, Corpus effectum Sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni Sacrificio: cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus, verusque Mediator, per Sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat. Unde purgata per iudicium novissimum Ecclesia, eis quoque igne mandatis, quibus talis mundatio necessaria est, Nullus omnino erit, qui offerat Sacrificium pro peccatis suis. Omnes enim, qui sic offerunt, profecto in peccatis sunt, pro quibus dimittendis offerunt, ut cum obtulerint, acceptumque Deo fuerit, tunc dimittantur (inquit S. Augustinus Lib. xx. De Civitate Dei, cap. xxv.)

Eucharistiam esse Sacrificium pro peccatis, & ignorantibus oblatum, Liturgiæ confirmant omnes, & præcipue solemnitas illa Precatio, quæ fit in Missa Dominicæ nonæ post Pentecosten: *Concede nobis quesumus, hæc digne frequentare Mysteria, quia quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.* Item Oratio post Mysterium, in Veteri Missali Gothico, edito a Thomasio, & P. Mabillonio, Missa XII. qua postulat Ecclesia, *Ut translata fruge in Corpore, Calice in Cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis.*

Confirmat & S. Gregorius Homil. xxxvii. in Evangelia, ubi de Christo sic loquitur: *Mittamus ad hunc legationem nostram, stendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitate mentis sacri Altaris Hostia suffragatur: quia is, qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo Mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei Hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram Passionem illius reparamus.* Tum historiam captivi cujusdam narrat, quem uxor defunctum putans, pro eo Sacrificium Altaris hebdomadibus singulis curabat offerri: quibus autem diebus offerebatur, ejus vincula solvebantur. *Hinc ergo (inquit) certa consideratione colligite, oblata a nobis Hostia sacra quantum in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solvere vincula corporis.*

Optimo itaque jure sacra Synodus Tridentina Sessione xxii. hunc adversus Hæreticos Canonem condidit: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; Anathema sit.*

Non ita vero Missam propitiatorium Sacrificium dicimus, quasi mereatur remissionem culpæ Celebranti, & aliis, idque ex opere operato, sine bono motu utentis; aut quod gravissimorum peccatorum rei uno Missæ Sacrificio tamquam soluto pretio, absque vitæ emendatione, & Pœnitentia, Deo satisfacturos confidamus, ut nobis impropertant Hæretici: sed quod, *Per ipsum fiat, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac Pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim, eademque est Hostia: idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Ita docet sacra Synodus Tridentina, cap. ii.

Cum igitur ajunt Theologi Scholastici, Missam ex opere operato valere ad remissionem peccatorum, nihil aliud volunt, quam non esse personam, aut actionem Sacerdotis attendendam, verum ipsam, quæ præsens est in Altari, Victimam salutarem: ipsum verum Corpus Christi, quod pro nobis traditum est: ipsum verum Sanguinem Christi, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum nostrorum. Hujus enim virtute, non autem merito Sacerdotis, aut actione fieri, ut cum Deo reconciliationem, peccatorum remissionem, & ea, quæ petimus, omnia con-

Quo sensu Missæ Sacrificium ex opere operato valeat ad remissionem peccatorum?

sequa-

sequamur. Hoc, inquam, Sacrificium non valet ex opere operato, eo modo, quo Sacramenta, infallibiliter operando illum effectum, cujus causa offertur; sed impetrando eum tunc dandum, quando, & quomodo visum Deo fuerit. Ac nihilominus aliter valet, quam orationes, & alia bona opera: quamvis enim Sacerdos sit malus, valet tamen Sacrificium, sive ad satisfaciendum, sive ad impetrandum, ex vi sua, id est, ratione operis, quod agitur, & ratione dignitatis, & excellentiæ tum Victimæ, quæ offertur, tum principalis offerentis, scilicet Christi Jesu Domini nostri. Quamquam non negemus, quemdam hujus Sacrificii effectum infallibiliter sequi in subjectis bene dispositis, ut remissionem pænæ in Justis, consecutionem misericordiæ in illis, qui vere contriti, & penitentes ad Deum accedunt: sed totum fieri credimus virtute Passionis Christi, cujus in recordationem Corpus ejus, & Sanguinem in Eucharistia offerimus, quæ non in merito Sacerdotis, sed in verbo conficitur Creatoris. Nam cum Deus Christum nobis donaverit, quemadmodum scriptum est: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: utique propterea nobis donatus est, ut hunc iræ Dei tanquam reconciliatorem nostrum opponamus, & diffusi de nostris viribus, salutarem hanc, & infiniti pretii victimam Patri repræsentemus. *Cum defecerit virtus mea* (inquit S. Bernardus) *non conturbor, non diffido, scio, quid faciam: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Et alibi: *Totum, quod dare possum, miserum corpus istud est: illud si dedero, satis est. Si quominus, addo & Corpus ipse; nam illud de meo est, & meum est. De te, Domine, suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! o satisfactio suavissima!*

Serm. 22. in
Cant. Serm.
1. de Epiph.

Eucharistia
Sacrificium
impetrato-
rium.

Postremo, Eucharistia Sacrificium impetratorium est, idque probat insignis ille Apostoli locus 1. ad Timotheum cap. 11. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus cum omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quem locum ad sacram Liturgiam refert S. Augustinus Epist. cxlix. alias LIX. Ad Paulinum, cap. 11. Multa (inquit) hinc dici possunt, quæ improbanda non sint. Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut Precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini Mensa, incipiat benedici: Orationes, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit Vocem Græcam, προσευχάς, quam Latinus Interpres reddit Orationes, proprie significare orationes, quæ fiunt ad votum, S. Augustinus observat. *Voventur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maxime sancti Altaris Oblatio, quo Sacramento prædicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage Corporis Christi. Cuius rei Sacramentum est, quod unus panis, unum corpus multi sumus. Interpellationes autem fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt Potestati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis, atque**

significatis, non putaretur negligendum esse, quod sequitur, Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & charitate: ne quisquam, sicut se habet humane cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda.

Idem Confirmatur ex Tertul. Lib. ad Scapulam, c. 11. *Sacrificamus (inquit) pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipse, sed quomodo præcepit Deus, pura prece ...*

Ita

Ita nos magis oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.

Ex Eusebio Cesarensi Lib. IV. De vita Constantini, cap. XLV. ubi Episcoporum, qui ad Dedicacionem Ecclesiæ Hierosolymorum convenerant, pias exercitationes commemorat. *Incruentis (inquit) Sacrificiis, & mysticis immolationibus Deum placabant; pro pace communi, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore tot bonorum auctore, ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes.*

Ex S. Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi V. Myltagogica. *Deinde vero (inquit) postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiacionis Hostia, obsecramus Deum pro omni Ecclesiarum pace, pro tranquillitate Mundi, pro Regibus, pro Militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, & in summa pro omnibus, qui egent auxilio.*

Ex omnibus denique Liturgiis, & inter alias, ex Missali Gothico veteri, edito a Thomasio, & P. Mabillonio, Missa xxxvi. in quo hæc habetur Oratio: *Respice ad hanc Oblationem, omnipotens Deus, quam tibi offerimus in honorem nominis tui, pro salute Regum, & Exercitu eorum, & omnium circumstantium, & præsta, ut qui ex ea sumpserint, accipiant sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, intellectum sensus Christi, securitatem spei, corroboracionem fidei, æternitatem Spiritus Sancti.*

A R T I C U L U S II.

Cui Sacrificium Eucharistiæ offeratur?

P R O P O S I T I O U N I C A.

Soli Deo Eucharistiæ Sacrificium offertur, non Angelis, aut sanctis hominibus.

ID enim exequitur Ecclesia, quod Fide profitetur, uni Deo Sacrificium esse faciendum; idque Liturgiæ contestantur universæ; id Canon Missæ palam probat, atque Hæreticos Ecclesiæ calumniam impingentes refellit his verbis: *Te igitur, Clementissime Pater, supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata, in primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta, &c.* Quamvis ergo Ecclesia in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas celebrare consueverit; *Non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium, Petre, & Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Ita Conc. Trid. Sess. XXI. cap. III.

Hæc veteris Ecclesiæ Doctrina, quam expressit S. August. Lib. XX. *Contra Faustum*, cap. XXI., Populus (inquit) Christianus Memorias Martyrum religiosam solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum confocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, constituamus Altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens Altari, aliquando dixit, *Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane?* Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit; apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adjuvante possumus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate Passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in vita felicioris victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qui Græce *Latria* dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam Idolis exhibent; nullo modo tale ali-

Eucharistiæ Sacrificium soli Deo, non sanctis Angelis, aut hominibus offertur.

„ quid

quid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur. *Et infra*: Longe quippe minoris peccati est ebrium redire a Martyribus, quam vel jejunum sacrificare Martyribus. Sacrificare Martyribus dixi. Non dixi, sacrificare Deo in Memoriis Martyrum; quod frequentissime facimus, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari Novi Testamenti manifestatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, & uni Deo debetur. Idem confirmat Lib. VIII. *De Civitate Dei*, cap. XXVII.

Commemorations
Martyrum
in Sacrificio
Missæ.

Commemorations Martyrum inter Sacrificia Deo oblata primis Ecclesiæ sæculis fieri solitas, *S. Cyprianus* testis est Epist. XXXVII. *Dies* (inquit) *eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus scripserit, & scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic a nobis Oblationes, & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.*

Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum memoriam fieri in Sacrificio Eucharistiæ, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras, testatur & *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi Mystagogica v. & *S. Jo. Chrysostomus*, Homilia XXI. in Acta, testis est Eucharistiæ Sacrificium & in Martyrum memoriam, & pro defunctis offerri. *Sicut quando Regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem, & quicumque victoriæ socii fuerunt; dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus. Et Pro Martyribus* (inquit) *magnus honor nominari Domino præsentem, dum mors illa perficitur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia Sacramenta. Idipsum ex Liturgiis omnibus confirmatur. Martyres in Sacrificio, quod uni Deo Martyrum, & nostro immolamus, suo loco, & ordine nominari, non autem invocari eo invocationis genere, quod Sacrificium est, iterum docet S. August. Lib. XXI. De Civitate Dei, cap. x. Nontamen* (inquit) *a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur, Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in Memoria sacrificet eorum: quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum vero Sacrificium Corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Sed non negat S. August. invocari Sanctos eo invocationis genere, quæ simplex est intercessionis eorum apud Deum postulatio. Quo modo Deum oramus, Ut ipsorum meritis, precibusque concedat, ut in omnibus protectionis ejus muniamur auxilio, per Christum Dominum nostrum: cujus scilicet meritis quicquid meriti est in Sanctis innititur, & ab illo derivatur.*

Invocatio
Sanctorum
in Sacrificio,
simplex est intercessionis
eorum apud Deum
postulatio.

Si quis igitur dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honore Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; Anathema sit. Cum Tridentino Concilio loquimur, Sess. XXI. Can. v.

A R T I C U L U S III. Pro quibus offeratur Eucharistiæ Sacrificium?

P R O P O S I T I O I.

Sacrificium Eucharistiæ pro omnibus hominibus mortalem vitam agentibus, etiam Paganis, Judeis, Hæreticis, Catechumenis, & Excommunicatis offerri potest; maxime tamen pro Fidelibus Ecclesiæ Communionem fruuntibus offertur.

PRima pars Propositionis probatur ex Apostolo Epistolæ I. ad *Timotheum* cap. II. ubi *Obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* fieri jubet *pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt: Quia Hoc bonum, & acceptum est coram Salvatore nostro Deo: qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Cum autem*

tem

temait, *pro omnibus*; Fideles solos ipsum non intellexisse certum est: si quidem Reges tunc temporis Christiani non erant, ut observat *S. Joannes Chryso- stomus* Hom. vi. in Epist. i. ad Titum.

Hinc *Tertullianus* Apologetici cap. xxx. *In Cælum* (inquit) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, Imperium securum, Domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt.*

Confirmatur ex *S. August.* Epist. cckvii. alias cvii. ad Vitalem, qui fidei initium non esse donum Dei docebat. „ Dic ergo apertissime (inquit) nos pro „ iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare, ut credant, sed eis „ tantummodo prædicare. Exere contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, „ & quando audis Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem populum Dei, ora- „ re pro incredulis ut eos Deus convertat ad fidem; & pro Catechumenis, ut eis „ desiderium Regenerationis inspiret; & pro Fidelibus, ut in eo, quod esse cœpe- „ runt, ejus munere perseverent; subanna pias voces, & dic te non facere, quod „ hortatur, id est, Deum pro Infidelibus, ut eos Fideles faciat, non rogare, eo „ quod non sint ista divinæ miserationis beneficia, sed humana officia voluntatis.

Quidni vero pro illis offeratur Sacrificium, quos Deus vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Pro quibus in Cruce pendens Dominus dignatus est orare? Nec vero dubitandum est, quin pro Excommunicatis etiam offerri possit, ut deposita animi contumacia convertantur, & ad gremium Ecclesiæ redeant; licet tam eorum, quam aliorum Ecclesiæ hostium nomina exprimi a Sacerdote sacrificante non debeant, secundum veterem Ecclesiæ disciplinam; nec eorum meminisse fas sit inter Ecclesiæ membra. Hinc *S. Thomas* in iv. Sententiarum, Dist. xviii. Q. ii. Art. i. Quæstione i. ad primum, ait: *Pro infidelibus oratur; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter & pro Excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt; & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur. Et ad tertium: Ecclesia (inquit) per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab universitate Fidelium, pro quibus suffragia facit: unde suffragia Ecclesiæ eis non profunt, quæ pro sola Ecclesia fiunt: nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.*

Pro quibus offertur Missæ Sacrificium?

Objicitur *S. Augustini* Sententia Lib. i. *De origine Animæ*, c. ix. *Quis*, inquit, *offerat Sacrificium Corporis Christi, nisi pro iis, qui sunt membra Christi?*

Respondetur, Sacrificium Corporis Christi non posse offerri nisi pro iis, qui sunt membra Christi actu, vel potentia: & intelligendum est pro membris Christi offerri, quando pro aliquibus offertur, ut sint membra (inquit *S. Tb.* in iv. Sententiarum, Dist. xii. Q. ii. Art. ii. Quæstiunc. ii. ad quartum.) Præterea, loquitur ibi *S. August.* de defunctis, non de vivis: & quia defuncti aut actu, aut nullo modo sunt membra Christi; ideo absolute dicere potuit non offerri Sacrificium Corporis Christi pro defunctis, nisi sint membra Christi?

P R O P O S I T I O II.

Sacrificium pro Sanctis in Cælo regnantibus in gratiarum actionem offertur, non in remissionem culpæ, vel pœnæ, vel ad gratiam, aut gloriam essentialem ipsis impetrandam.

Cum enim nihil in Sanctis, qui Deo fruuntur, supersit expiandum: siquidem *Nihil coinquinatum in Regnum Cælorum intrat: & viatores amplius non sint, nec*

Missæ Sacrificium non offertur pro sanctis cum Christo regnantibus.

peregrinentur a Domino, sed in termino cœlestis patriæ constituti, atque æternæ beatitudinis bravium apprehenderint, nec gratia ipsorum augeri, nec essentialis gloria, visio scilicet intuitiva Dei, ut in se est, pro ipsis postulari potest. Hinc S. Augustinus in Enchiridio, cap. cx. *Cum ergo, inquit, Sacrificia sive Altaris, sive quarumcumque elemosynarum, pro Baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt.* Et Sermone CLIX. alias XVII. De Verbis Apostoli: *Incipitur (inquit) a fide, ut perveniat ad speciem: via curritur, patria quæritur. In peregrinatione dicit anima non-
Psal. 37. 10. fra, Quoniam ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. In patria vero nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi locus nullus erit? Quia nihil deest. Quod hic creditur, ibi videtur; quod hic speratur, ibi tenetur; quod hic petitur, ibi accipitur. Perfectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quam Sancti Martyres pervenerunt. Ideoque habet Ecclesiastica Disciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oratur: pro ceteris autem commemorationis defunctis oratur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Objicitur Oratio Secreta in Festo S. Leonis, prout legitur in antiquis Codicibus: *Annue nobis, Domine, ut Animæ famuli tui Leonis hæc profit Oblatio.*

Respondetur, hac Oratione postulari a Deo, ut Sacrificium S. Leoni profit ad honorem, & gloriam externam, ut scilicet magis a Fidelibus glorificetur, non ad glorię essentialis augmentum. Ita explicat Innocentius III. Cap. Cum Marthæ, extra, De Celebratione Missarum, cujus hæc sunt verba: *Quod in plerisque orationibus continetur: „ Prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi talis Oblatio ad gloriam, & honorem; ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quo magis, ac magis a Fidelibus glorificetur in terris: licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari: & ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare. Nam, ut ait S. Thomas in xv. Sententiarum, Quæst. II. A. I. Quæstiunc. III. Gloria comprehendit Sanctorum præmium: quod quidem est duplex; scilicet essentielle gaudium, quod de Divinitate habent, & accidentale, id est, gaudium, quod habent de quocumque bono creato: quantum autem ad præmium essentielle, secundum probabiliorem opinionem eorum gloria augeri non potest: sed quantum ad præmium accidentale usque ad diem Judicii augeri potest; alioquin tunc non auferetur gaudium de gloria corporis: unde de omnibus benefactis eis gloria accrescit, quia Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente; & ita etiam de omnibus, quæ in Dei honorem fiunt, gaudent; & maxime de his, in quibus de eorum gloria Deo gratias agimus: unde simpliciter loquendo (hoc est, quantum ad essentialiam gloriæ) hoc Sacramentum non auget in Beatis gloriam, sed secundum quid (scilicet quantum ad accidentale præmium) auget.*
Lucæ 15.

Objicitur, in Missa secundum Ritus Mozarabum, id est, Hispanorum Arabibus permixtorum, præmissa commemoratione B. Virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium, Petri, & Pauli, & reliquorum Apostolorum, atque Evangelistarum, & omnium Martyrum, dicere Sacerdotem: *Item pro Spiritibus Pausantium: & recitare nomina Hilarii, Athanasii, Martini, & aliorum plurimorum, ex quibus nonnulli in Sanctorum album relati sunt, alii non item: quibus recitatis, ait Chorus: Et omnium Pausantium.* Pro Sanctis igitur non minus, quam pro aliis in Christiana fide, & pietate defunctis Sacrificium offerri potest.

Respondet pius, & eruditus Cardinalis Bona, Lib. II. Rerum Liturgicarum, cap. XIV. Tempora distinguenda esse, ut omnis offensionis occasio præcudatur. Quamvis enim (inquit) tempus præcisum ignoremus, quo a Sanctis Hispaniæ Episcopis Ordo ille Missę institutus fuit, credimus tamen ejus originem

ginem illiævo adscribendam, quo solis Martyribus publicus, & solemnis cultus concedi solebat: reliqui autem, præsertim Episcopi, qui in pace Ecclesiæ, etiam cum opinione sanctitatis decedebant, sacris defunctorum tabulis inscribi, eorumque nomina promiscue legi consueverant; ita ut nullum discrimen esset inter illos, qui postea Sancti nuncupati sunt, quales fuerunt Hilarius, Athanasius, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Leander, Isidorus, & ceteros quibus hic titulus nunquam tributus fuit. Cum igitur eotempore utrorumque par causa esset, nec ulla Ecclesiæ declaratione constaret, quemquam ex illis Dei visione perfrui, & consequenter vivorum non indigere suffragiis, pro omnibus indiscriminatim preces, & Sacrificia offerebantur: eadem prorsus ratione, qua nunc solemus pro singulis defunctis orare, tametsi aliqui ex illis cum opinione sanctitatis decesserint.

P R O P O S I T I O III.

Eucharistiæ Sacrificium pro damnatis offerri non potest.

Illi enim a Christi corpore in æternum segregati, Communionis Sanctorum participes esse non possunt: nec ad remissionem peccatorum illis obtinendam, sacrificia, & orationes possunt offerri, cum extra viam constitutis nullus supersit pœnitentiæ locus; & ira Dei maneat super eos: nec ad condonationem penarum, quæ ex Dei decreto immutabili, & justissimo sunt æternæ, ut constat ex Christi sententia Matthæi xxv. 41. & 46. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus... Et ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam.* Et Marci ix. *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Hinc S. Augustinus Lib. III. *De Origine Animæ*, cap. XII. *Noli (inquit) credere, nec dicere, nec docere, Sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus.* Et in *Enchiridio*, cap. cx. *Sacrificia Altaris, sive quarumcumque elemosynarum pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt.* Et Lib. XXI. *De Civ. Dei*, cap. xxiv. *Nunc (inquit) propterea pro eis orat Ecclesia, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maxime pro eis orat, nisi, Ut det illis Deus, sicut dicit Apostolus, stolus, pœnitentiam, & resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem? Denique si de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso.* Et paulo post: *Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, idest, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Quid ita, nisi quia jam in parte diaboli computatur, qui dum esset in corpore, non est translatus ad Christum? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ causa est, ut neque nunc, neq; tunc oretur pro Angelis malis: quæ itidem causa est, ut quamvis pro hominibus, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis.*

2. Tim. 1.
16.

Quamobrem nec pro mitigandis damnatorum penis Sacrificium offerri potest, nec ea in re probandum est Floriacensium Monachorum factum, quos *Adrevaldus* Lib. *De Miraculis S. Benedicti* cap. XXI. refert pro animabus prædonum in acie cælorum preces ad Dominum fudisse; *Quatenus etsi perpetuis non mereantur absolvi cruciatibus, saltem minoribus multarentur a stricto Iudice penis.* Nec etiam ab Ecclesia probata est Missa, quæ in Gellonensi Codice pervetusto extat inscripta, *Missa pro cuius Anima dubitatur*, in qua hæc legitur Oratio: *Omnipotens, & misericors Deus, qui habes potestatem mortificare, & iterum vivificare; deducere ad inferos, & iterum reducere; & vocas ea, quæ non sunt*

Pro damnatis offerri Missæ Sacrificium non potest.

tamquam ea, quæ sunt; cujus potestas & in cælo, & in terra, & in mari, & in inferis plena adsistit: te humiles, trementesque deprecamur pro Anima famulitui, quam traxisti de præsentis sæculo absque pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hæc S. Oblationis libamina, vel tolerabilia fiant ipsa tormenta.

Erroris occasio fuere S. Augustini verba male intellecta, *Enchiridii* cap. cx. *Quibus autem profunt, aut ad hoc profunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Quæ de punitione damnatorum quorundam, qui nunquam liberandi sint, sed tamen per Ecclesiæ preces sublevandi, perperam intellexerunt, & contra perspicuum S. Augustini sensum, qui damnationem hic usurpavit pro punitione eorum, qui post Purgatorii penas salvandi sunt: ut ex antecedentibus, & adjunctis patet. Quamquam vero illi errori favere visi sint *Petrus Lombardus* in *iv. Sententiarum*, dist. *xlv. cap. Neque negandum est, & Præpositivus*, referente *Alberto Magno, Gilbertus Porretanus, & Guillelmus Anrihodorensis*, referente S. Thoma in *iv. Sententiarum*, dist. *xlv. q. 11. art. 11.* necnon *Glossa can. Tempus*, causa *11. qu. xlii.* Nihilominus error est Ecclesiæ fidei, doctrinæque contrarius, ut constat ex *Conc. Bracarensi* *i. can. xvii.* cujus hæc sunt verba: *Placuit, ut Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis simili modo neque Oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. Nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.* Sic agi decrevit & cum baptizatis hominibus, qui sibi mortem conticivissent. Item ex *Conc. Triburiensi*, *can. xxxi.* cujus hæc sunt verba: *Si inventus fuerit quis furtum, aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare, & eleemosyna pro eo data in memoriam nec Clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat.*

Opinionem prædictam hac censura configit S. Thomas in *iv. Sententiarum* dist. *xlv. q. 11. art. 11.* *Est prædicta opinio præsumptuosa, utpote Sanctorum dictis contraria, & vana, nulla auctoritate fulta, & nihilominus irrationalis: tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum continentur defunctis: tum quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem.*

Objicitur, Judæos in prælio cæcos, sub quorum tunicis inventa sunt donaria Idolorum, *11. Mach. cap. xii.* violatæ Legis, adeoque mortalis peccati reos fuisse, & ob id in infernum detrusos, & pro ipsis nihilominus Judam Machabæum Sacrificium Hierosolymis offerri curasse.

Respondet S. Thomas, hæc donaria non fuisse a Militibus Judæis ablata in reverentiam Idolorum, sed ut prædam victoribus debitam jure belli; illos tamen per avaritiam venialiter peccasse: unde non fuerunt omnes propterea in inferno damnati, sed eo in statu multos eorum esse credidit Judas, in quo Sacrificia illis prodesse possent. Vel, qualecumque fuerit ipsorum peccatum, quosdam penitentiam egisse imminente periculo, pie Judas æstimare potuit, & ideo Sacrificia pro ipsis offerri curavit.

P R O P O S I T I O IV.

Eucharistiæ Sacrificium pro Fidelibus in Domino mortuis nondum tamen plene expiatis, sed in Purgatorio detentis, rite juxta Apostolorum Traditionem offertur.

ITa *Conc. Tridentinum* sess. *xxii. cap. 11.* ejusdemque Concilii *Catechismus.* *Quod Fidei Catholicæ dogma probant in primis Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, teste S. Augustino* *Lib. xviii. De Civ. Dei, cap. xxxvii.* *Quod Innoc. I.* in *Epistola ad Exuperium, Conc. Carthagenense 111. can. xlvii.* &c. tandemque *Conc. Tridentinum* confirmant. Sic enim *Mach. 11. cap. xii.* legitur: *Fortissimus Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis*

Mortuorum Sacrificium, bene & religiose de Resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

Ad quem locum attendens *S. Augustinus Lib. De Cura pro Mortuis gerenda, c. 1. In Machabeorum Libris, inquit, legimus oblatum pro Mortuis Sacrificium: sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, Auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio Mortuorum.*

Ejusdem consuetudinis in Ecclesia ab Apostolicis temporibus religiose observatæ meminerunt *Tertullianus Lib. De Corona Militis, cap. 111. Oblationes pro Defunctis, pro Natalitiis annua die facimus: Horum, & aliarum ejusmodi disciplinarum Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

S. Cyprianus Epist. LXVI. ubi suo, & Carthaginensis Concilii nomine in memoriam Episcoporum revocat Decretum, quo si quis Clericum tutorem nominasset, eo defuncto piaculare pro ejus anima Sacrificium non offerretur. Quod
„ Episcopi (inquit) Antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter
„ providentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam
„ Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sa-
„ crificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei
„ meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Mi-
„ nistros voluit avocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in Con-
„ cilio a Sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tu-
„ torem constituere, non est, quod pro dormitione ejus apud nos fiat Oblatio,
„ aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur, ut Sacerdotum De-
„ cretum religiose, & necessarie factum servetur a nobis, simul & ceteris fra-
„ tribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes, & Ministros Dei, Altari ejus,
„ & Ecclesiæ vacantes ad sæculares molestias devocet.

Eusebius Lib. IV. De Vita Constantini, c. LXXI. ubi pium Principem in Basilica Apostolorum, quod in votis maxime habuerat, sepultum fuisse scribit, Ut beatissimæ illius Animæ tabernaculum Apostolici nominis, atque honoris consortio fruere- tur, & Populo Dei in Ecclesia sociaretur, divinisque cæremoniis, ac Mysti- co Sacrificio, & sanctarum precum communionem potiri mereretur.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi Mystagoga v. Deinde (inquit) pro defunctis SS. Patribus, & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes Animarum iuvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius, & tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii.

S. Epiphanius Hæresi LXXV. ubi Aerii errores recensens inter hæretica illius dogmata illud refellit, quod vivorum preces, Sacrificia, eleemosynas defun- ctis prodesse negaret. Quod vero spectat (inquit) ad Ritus illum, quo
„ Mortuorum nomina pronunciantur, quid eo esse potest utilius, quid op-
„ portunius, aut vero admiratione dignius? Nempe ut qui adluat, certissime si-
„ bi persuadeant, Mortuos vivere, nec in nihilum redactos esse: sed existere ad-
„ huc, atque apud Dominum vivere, tum ut religiosissimum illud dogma prædi-
„ cetur; quo qui pro fratribus precantur, bene de illis sperare constat, quasi per-
„ egre profectis. Ceterum quæ pro Mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt,
„ tametsi non omnes culpas (mortales scilicet) extinguant. Verum ex eo profunt,
„ quod plerumque dum adhuc in terra degimus, sponte, aut invito titubemus, ut
„ id, quod perfectius est, significetur. Nam Justorum pariter, & peccatorum
„ mentionem facimus: peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam im-

Missæ Sacri-
 ficium pro
 fidelibus de-
 functis ab
 Apostoli cis
 temporibus
 semper ob-
 latum.

Missæ Sacri-
 ficium pro
 fidelibus
 defunctis
 semper ob-
 latum.

„ ploremus: Justorum autem, & Patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, A-
 „ postolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Anacho-
 „ retarum, ac cætus illius universi, ut Dominum Jesum Christum singulari quo-
 „ dam honore prosequentes a ceterorum hominum ordine segregemus, debitum-
 „ que cultum illius Majestati tribuamus. *Et paulo post*: Necessario facere illud Ec-
 „ clesiam dico, quæ traditum sibi Ritum illum a Majoribus acceperit. Potest vero
 „ quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere? Quemadmodum a
 „ Salomone scriptum est: *Audi, fili, sermones Patris tui, & ne repellas leges Ma-*
 „ *tris tuæ*. Quibus Patrem, hoc est Unigenitum Deum cum Spiritu Sancto decla-
 „ rat partim scripto, partim sine scripto docuisse; Matrem vero nostram Ecclesiam
 „ Decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi, evertique nequeunt. Quæ qui-
 „ dem cum in Ecclesia constituta sint, præclara quidem, ac penitus admiranda,
 „ ex hoc ipso capite Veterator ille convincitur.
 „ S. Jo: Chrysostomus *Hom. VII. in Epistolam ad Philip.* Non frustra, inquit, hæc
 „ ab Apostolicis sunt legibus constituta, ut in venerandis, atque horribicis My-
 „ steriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverant hinc multum ad illos lu-
 „ cri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus
 „ stat manibus passis, ac cætus Sacerdotalis, & illum horrorem venerationis ple-
 „ num incutiens Sacrificium: quomodo Deum non placabimus pro illis orantes?
 „ Atq; id quidem de iis, qui in fide discesserunt.
 „ S. Ambrosius *Lib. XI. Epist. VIII. ad Faustinum de sororis obitu consolatoria.*
 „ Itaque non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec mœ-
 „ stificandam lacrymis tuis, sed magis Oblationibus Animam ejus Domino com-
 „ mendandam arbitror.
 „ S. Augustinus *Lib. IX. Confessionum, cap. XII. & XIII. ubi funus S. Matris*
 „ *Monicæ commemorat*, Cum ecce corpus elatum est, inquit, imus, redimus sine
 „ lacrymis. Nam neq; in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea
 „ Sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam
 „ deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi, &c. . . .
 „ Nunc pro peccatis Matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vul-
 „ nerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te
 „ interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse
 „ debita debitoribus suis; dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contra-
 „ xit per tot annos post Aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte obsecro, ne
 „ intres cum ea in judicium. Et credo jam feceris, quod te rogo, sed volunta-
 „ ria oris mei approba, Domine. Namque illa imminente die resolutio-
 „ nis suæ non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromati-
 „ bus, aut monumentam electum concupivit, aut curavit sepulcrum patrum.
 „ Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad Altare tuum fieri
 „ desideravit, cui nullius diei prætermessione servierat, unde sciret dispensari Vi-
 „ ctimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis,
 „ qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid objiciat,
 „ & nihil inveniens in illo, in quo vincimus. . . Inspira, Domine meus, Deus
 „ meus, inspira servis tuis fratribus meis, filiis tuis dominis meis, quibus & vo-
 „ ce, & corde, & litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad
 „ Altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam ejus conjuge,
 „ per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio.
 „ Et *Enchiridii cap. CIX. & CX. Neque negandum est defunctorum Animas pie-*
 „ *tate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel*
 „ *elemosynæ in Ecclesia sunt. Sed eis hæc profunt, qui cum viverent, ut hæc*
 „ *sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus,*
 „ *nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut non*
 „ *profint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut ista non requirat, & est*
 „ *rursus*

Missæ sacri-
 ficium pro
 fidelibus de-
 functis sem-
 per obla-
 tum.

rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum ex hac vita transferit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est, „ Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat uniuersusque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Quia etiam hoc meritum sibi quisque, dum in corpore viveret, comparavit, ut si possint ista prodesse. Non enim omnibus profunt: & quare non omnibus profunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Cum ergo Sacrificia, siue Altaris, siue quarumcumque elemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis etiam si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem profunt, aut ad hoc profunt, ut sit plena remissio, aut certe, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Idem confirmat Lib. De Cura gerenda pro Mortuis, cap. xviii.

Rom. 14.
10. 2. Cor.
5. 10.

Aliorum Patrum testimonia proferre minime necesse est, cum hanc Fidei veritatem satis probet Ecclesiarum omnium consensus, omnes Liturgiæ testentur; ut hic maxime locum habeat præclara illa S. Augustini Sententia Lib. iv. De Baptismo contra Donatistas, cap. xxiv. Quod uniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Auctoritate Apostolica traditum certissime creditur.

Merito igitur Concilium Cabilonense 11. Can. xxxix. cuius verba referuntur Dist. 1. De Consecratione, cap. Visum, 72 ita statuit: Visum præterea nobis est, ut in omnibus Missarum solemnibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viventibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro Animabus Fidelium preces Domino in Missarum solemnibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem Sancta tenet Ecclesia, ut & in Missarum solemnibus, & in aliis precibus, Domino spiritus quiescentium commendat. Subjungitque S. Augustini verba Lib. De Cura gerenda pro Mortuis, cap. iv.

Merito Concilium Tridentinum, Sess. xxii. Can. iiii. Anathemate ferit eos, qui dixerint, Missæ Sacrificium soli prodesse sumentibus: neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus offerri debere.

Obficiunt Hæretici, nec peccata post hanc vitam remitti; & quibus in hoc mundo remissa sunt, nullam superesse pœnam in altero sæculo luendam: cum Deo per Pœnitentiam placato condonata sit: adeoque frustra Sacrificiū offerri pro defunctis.

Respondetur, peccata mortalia in alio quidem sæculo non remitti, quia sine Pœnitentia remitti non possunt, cuius peragendæ spatium, & facultas ad mortem usque a Deo conceditur, post mortem negatur: sed leviora peccata, quæ venialia vocamus, in futuro sæculo dimittuntur iis, qui in iustitia, & charitate; quam peccata huiusmodi non extinguunt, defuncti, meruerunt dum viverent, ut hæc sibi vel post mortem aliquando dimitterentur. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittantur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro (inquit S. Augustinus Lib. xxi. De Civitate Dei, cap. xxiv.) Quod ex eodem Evangelii loco S. Gregorius confirmat, Lib. iv. Dialogorum, cap. xxxix.

Falsum etiam est, quod remisso peccato nulla supersit pœna luenda. Solum enim æternæ pœnæ reatum, qui cum amicitia, & gratia Dei consistere non potest, vere pœnitentibus semper Deus remittit; sed pœnam æternam cum temporali commutat, ut iustitiæ suæ jura resarciantur: quæ pœna vel in hac vita, congruis satisfactionis operibus, vel in altera, pœnis purgatorii luenda est. Pœnæ omnis debitum non semper cum culpa remitti, probat illud Nathanis Prophetæ ad

Objectionibus Hæreticorum contra salutarem Sacrificii Missæ pro defunctis oblationem responderetur. Matth. 12. 13.

Job. 7.

Vide, &
Sefs. 25.
Decreto
De Purga-
torio.Missæ Sacri-
ficium pro
Fidelibus
defunctis.

Davidem, II. Reg. XII. *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Hinc S. Augustinus Tractatu cxxiv. in Joannem, *Hanc itaque vitam, inquit, de qua scriptum est, Numquid non tentatio est vita hominis super terram? In qua quotidie clamamus ad Dominum, Libera nos a malo, cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis: quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Produciior est enim pena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pena. Ac per hoc vel ad demonstrationem debite miserie, vel ad emendationem labilis vite, vel ad exercitationem necessarie patientie, temporaliter hominem detinet pena, & quemjam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Unde Conc. Trid. Sefs. vi. Can. xxx. *Si quis, inquit, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori penitenti ita culpam remitti, & reatum eterne pene deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pene temporalis exsolvendæ vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regnum celorum aditus patere possit; Anathema sit.*

Cui Trid. Conc. definitioni præiverat Conc. Floren. declarans: *Si vere Penitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorii post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, & elemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta.*

Objicitur: Si Eucharistiæ Sacrificium defunctis prodest, potest etiam offerri pro damnatis. Nam Sacerdos in Offertorio Missæ pro defunctis ita orat suo, & Ecclesiæ totius nomine: *Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera Animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Orat etiam Ecclesia, ut liberentur de morte eterna in die illa tremenda, quando celi movendi sunt, & terra, dum venerit CHRISTUS judicare seculum per ignem.

Respondetur, falsum esse consequens. Preces illas pro damnatis non fundit Ecclesia, quos extra statum consequendæ misericordiæ constitutos, nec ullis suffragiis juvari posse, utpote extra sanctorum Communionem positos, & a Christi corpore in æternum præcisos credit, & docet; sed pro Fidelibus, qui in gratia, & charitate obierunt, & quibus tamen aliquid expiandum, ac luendum superest, quo justitiæ divinæ satisfiat. Cum autem orat Ecclesia, ut ipsorum Animæ de pœnis inferni solvantur, ne absorbeat eas tartarus, & ut de morte æterna liberentur; his nominibus pœnas, quas in subterraneis locis justus iudex Deus Animabus infligit, quamvis temporarias significat: vel liberationem a pœnis inferni pro ipsis postulat, non quidem absolute, sed quantum ad appendices, & bona ex hac liberatione consequentia. Remissio enim, vel mitigatio pœnarum, quas in Purgatorio patiuntur, beneficium est prius illud consequens, quo ipsas divina misericordia, conferendo eis perseverantiæ donum servavit, ne in damnationem æternam incurrerent. Porro cum perfecta, & consummata liberatio de morte æterna, & de pœnis inferni non censeatur, nisi Anima peccatorum omnium, ac pœnarum vinculis soluta, Deo fruatur, & illum videat ut in se est, illudque liberationis complementum Sacrificiis, precibus, aliisque bonis operibus, quæ pro illis ab Ecclesia, & Fidelibus vitam adhuc mortalem agentibus offeruntur, se concessurum decreverit, Ecclesiæ suggestit per Spiritum Sanctum, ut preces pro hujusmodi liberatione funderet.

Addi potest, istas Orationes Ecclesiæ ad illud instans referri, quo Animæ e corporibus migrarunt, quæ migratio tunc in memoriam revocatur, cum illas fundit Ecclesia, non quidem ut eorum liberationem ex inferorum pœnis obtineat; sed ut ipsis fructum, & complementum istius liberationis impetret, nimirum plenam remissionem, vel certe mitigationem pœnarum Purgatorii. Sic Ecclesia My-

steria.

steria Christi celebrans, tempus illud revocat in memoriam Fidelium, quo nondum erant completa, sed a Patriarchis, Prophetis, vel Apostolis, & Justis illorum temporum Viris desiderabantur, vel expectabantur, & eorum voces mutuata, illorum consummationem postulat, non quidem in se, & absolute spectatorum; sed quoad illorum fructum, & gratias ex illis scaturientes, quas membris Christi filiis suis postulat applicari. Hic precum illarum sensus est, quæ Adventus tempore sunt: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & similia*, quæ in Solemnitatibus Nativitatis Domini, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis canuntur; quæ Mytheria illa ita celebrari, ac recoli supponunt, quasi adhuc adimplenda essent, vel ipsa die adimpleta. Hinc S. August. Epist. xcvi. alias xxiii. ad Bonifacium Episcopum scribit: *Nempe sæpe ita loquimur, ut Pascha propinquante dicamus, crastinam, vel perendinam Passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa Passio facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus, Hodie Dominus resurrexit; cum ex quo resurrexit, tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, & dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus: & dicatur illo die fieri, propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim factum est?* Eadem Ecclesiæ mens est, cum Altaris Sacrificium, & piaculares preces pro Defunctis offerens Deo, velut Anima fideli tunc e corpore migrante, Dominum Jesum Christum orat, ut eam liberet de pœnis inferni, & de morte æterna.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

REGULA I.

Episcopi sanam de Purgatorio doctrinam, a Sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam, a Christi Fidelibus credi, teneri, doceri, & ubiq; prædicari diligenter studeant (ex Concilii Tridentini Mandato, Sessione xxv.)

Sana de Purgatorio doctrina Christianæ plebi exponenda.

REGULA II.

Apud rudem plebem difficiliore, ac subtiliore Quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus Concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, qualia sunt pleræq; Visiones, & Miracula Ecclesiæ auctoritate non probata, evulgari, ac tractari non permittant. Ea vero quæ ad curiositatem quædam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala, & Fidelium offendicula prohibeant. Ita decernit Trid. Synodus ibidem.

REGULA III.

Curent Episcopi, ut Fidelium vivorum suffragia, Missarum Sacrificia, orationes, elemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ Instituta pie, & devote fiant; & quæ pro illis ex testatorum foundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie; sed a Sacerdotibus, & Ecclesiæ Ministris, & aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter, & accurate observentur. Ita jubet eadem Synod.

De foundationibus, & celebratione Missarum.

REGULA IV.

IN Ecclesiis ubi tam magnus est Missarum celebrandarum numerus ex variis Defunctorum legatis, ut illis pro singulis diebus a testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel elemosyna hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuis est, ut non facile inveniatur, qui hoc onus subire velit, possunt Episcopi in Synodo Diocesana, itemq; Abbates, & Generales Ordinum in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, pro sua conscientia, in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, *quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atq; Ecclesiarum utilitatem viderint expedire*, Missarum numerum reducendo: ita tamen ut eorum semper Defunctorum commemoratio fiat,

De potestate Anniverfaria, & Missas ad minorem numerum reducendi.

810 Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Liber II-

In ea reductione Dei honor, & cultus, atq; utilitas, Ecclesiarum, non privata commoda spectanda sunt.

fiat, qui pro suarum animarum salute legata illa ad pios usus reliquerunt. Hanc facultatem concedit sacra Synodus Trid. sess. xxv. c. 1 v. *De Reformatione*. Debitæ autem commemorationi satisfiet per intentionem applicationis Missarum, per preces in secundo *Memento*, & per Collectas faciendas in illis Missis, in quibus Collectæ fieri possunt (inquit Conc. Mediolan. vi. P. III. cap. *De his, quæ ad Missam pertinent.*)

R E G U L A V.

AD moderandum numerum Missarum justa causa necessaria est, cum defunctorum voluntates alias violari non possint. Quamobrem Prælati, quibus ea facultas concessa est a Synodo, eo in negotio maxima cum prudentia, cautione, & timore lædendi conscientiam suam, gerere se debent.

R E G U L A VI.

EPiscopi, & Generales Ordinum onera Missarum celebrandarum post Conc. Trident. imposita, aut in Ecclesiæ, Capellæ, vel Beneficii fundatione, moderari non possunt; sed pro his reducendis, moderandis, vel commutandis, ad Sedem Apostolicam recurrendum est: alioqui reductiones illæ nullæ, & inanes erunt.

De fundationibus, & Celebratione Missarum.

Ita sanxit Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, auctoritate *Urbanus VIII.* anno MDCXXV. Ita etiam Conc. Mediolan. vi. P. III. cap. *De his, quæ ad Missam pertinent.*, Episcopus (inquit) De Capellarum oneribus, deque Missarum numero, fundationis jure, aliove nomine illis adjuncto, ne Concilii Trid. (quod piarum voluntatum relictis legatis solum prospexit) auctoritate quidquam statuatur; sed eo de genere, quod jure cautum est, id plane seruet, atq; decernat.

R E G U L A VII.

NE in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, & legniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, eadem Congregatio decrevit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus; atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis, statim deponantur pœnes eadem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, pariter deponatur, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione convertatur.

R E G U L A VIII.

EAdem Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, ac Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam Sæcularium, quam Regularium Superioribus; vel aliis, ad quos pertinet, prohibuit, ne in posterum onera perpetua Missarum celebrandarum susciperent, Sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis; Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis vero pœnam privationis omnium Officiorum: quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: aut certe infra modicum tempus possint omnibus satisfacere:

De fundationibus, & Celebratione Missarum.

aut.

aut tribuens eleemosynam sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur cum susceptis oneribus satisfactum fuerit. Alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, *Eleemosynæ pro Missis*, vel alia simili, sub eisdem penis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur. Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec ante assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ; intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Istud sacræ Congregationis Decretum refert *Barbosa*, Lib. *De Officio, & Potestate Episcopi*, P. II. Allegatione XXIIX. Habetur & Tom. IV. Bullarii Romani p. 88.

R E G U L A IX.

Numerum Missarum Votivarum, vel pro Defunctis, quæ justis stipendiis sigillatim a particularibus personis petuntur, Episcopi, & Prælati Regulares moderari, & reducere non possunt absque consensu eorum, quibus illæ debentur.

Id enim est contra Regulam Juris: *Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.*

R E G U L A X.

Intelligendum est, fructuosiores esse, magisque prodesse preces, & orationes ab Ecclesia pro Defunctis institutas, cum applicatione Sacrificii, quam applicationem solam; licet compensari possit per majorem devotionem Celebrantis, aut ejus, qui celebrari curat, vel per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.

De foundationibus, & celebratione Missarum.

Ita docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum* Dist. XLV. Q. II. A. II. ad 5. & Concilium Mediolanense VI. sub *S. Carolo*, P. III. cap. *De his, quæ ad Missam pertinent.*

R E G U L A XI.

Illud plane reprobandum est, si qui certo numero, præscriptaque Missarum forma aliqua, aut precum affirmant certas, designatasque Animas e Purgatorio semper liberari.

Reprobatus error.

Ita Concilium Cameracense anno 1565. Tit. *De Sanctis*, cap. VI.

R E G U L A XII.

Sifundatoris, aut Testatoris voluntate constitutum sit, ut Missa pro Defunctis, aut in honorem alicujus Sancti, in certo quodam Altari, & in tali Ecclesia celebretur, tenetur Sacerdos, cui hoc onus impositum est, in Ecclesia, & Altari ab illis designatis celebrare, graviter alioqui peccaturus, nisi ex legitima, justaque causa alibi celebret: quia aliter non adimpler voluntatem, & intentionem Fundatoris, aut Testatoris, nec obligationi suæ satisfacit in re gravi. Nec ea solvitur obligatione, etsi consentiant hæredes, ut alibi celebret: potior enim esse debet voluntas Testatoris, cui non possunt hæredes derogare, quam ipsorum hæredum. Hinc Mediolanense Concilium IV. statuit, ut *Quicumque Sacerdos in Altari certo Missam celebrare debet, si in alio celebrarit, ne, quod debet, præstitisse censeatur, nisi Episcopi, alteriusve, cui ille id curæ commiserit, jussu, concessu, permissu, vel aliquando fecerit.*

A R T I C U L U S IV.

De Nominibus, quibus Eucharistiæ Sacrificium designatur.

I. Variis nominibus divinum istud Christianæ Religionis Sacrificium a Patribus appellatum est. Ipsum Græci Patres *Liturgiam, Mystagogiam, Simaxim, Ana-*

Anaphoram, *Prosporphoram* nuncupant. Græca vox *Liturgia*, Apud Grammaticos quodcumque publicum munus, seu ministerium significat. Apud Christianos autem jam inde ab Ecclesiæ exordiis hoc nomen consecratum est ad significandum Corporis, & Sanguinis Christi Sacrificium; quia nullum in Ecclesia Ministerium magis publicum est, quam actio Sacerdotis Deo Sacrificium offerentis. *Mystagogiam* appellant, id est, secretam actionem, introductionem ad Mysteria. Hoc nomen usurpant *S. Dionysius* Lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. 1. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione xvii. & *S. Cyrillus Hierosolymitanus*, qui Catecheses, in quibus de Sacrificio differit, *Mystagogicas* vocat. *Synaxim* nominat idem *Dionysius* cap. iiii. id est, Collectionem, quia nos in Christo simul colligit, Deoque conjungit. Quamquam alii Patres hac voce uti soleant, ut quamcumque Fidelium congregationem, sive ad Orationem, sive ad Psalmodiam, sive ad audiendum verbum Dei significant, ut ex *Cassiano* constat. *Anaphoram* dixerunt, id est, sursum elationem, quia Sacrificium sursum ad Deum fertur; vel quia Sacerdotis, & adstantium corda ad Deum attollit. Istud nomen ipsi tribuunt *S. Basilii* in Liturgia, & *Anastasius Sinaita* Oratione De Synaxi. *Prosporphoram* appellarunt, hoc est, Oblationem. Ita *Eusebius Cesarensis* Lib. vi. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. xliii. ubi agit de juramento, quod *Novatianus* Antipapa Sacrum faciens, & sacram Communionem erogans, a suis extorquebat, ne ad *Cornelium* redirent. Ab iisdem *Telete* dicta est, id est, perfectio, & consummatio; quia in hoc Sacrificio Christianus offertur, non solum perfectionis: vel quia functio perfectissima est Christianæ Religionis, vim habens Fidelium perfectricem. Sic vocatur a *S. Dionysio*. A nonnullis dicitur *Oeconomia*, scilicet a *S. Epiphano* Heresi lxxv. & *Eusebio* Libro viii. Demonstrationis Evangelicæ, ubi scribit, Christum Discipulis suis *Symbola divine Oeconomie* tradidisse. Hanc vocem ad exprimendum Incarnationis Mysterium frequenter usurparunt Græci Patres, sed ob summam Eucharistiæ cum Incarnatione connexionem, non incongrue ad Eucharistiam quoque significandam adhibetur. Est autem *Oeconomia* provida rei administratio, ad aliorum commodum, & utilitatem ordinata, quæ tam in Incarnatione, quam in Eucharistiæ institutione mirabiliter eluxit.

S. Sacrificii
Eucharistiæ
nomina.

S. Sacrificii
Eucharistiæ
nomina.

II. A Latinis vero Eucharistiæ Sacrificium appellatum est. *Collecta*, *Dominicum*, *Agenda*, *Oblatio*, *Communio*, *Missa*. Primo quidem *Collectam* vocarunt, quia colligitur in unum Populus Christianus, ut Sacrificio intersit. Sic in Actis Sanctorum Saturnini, & Sociorum, apud *Bollandum* die xi. Februarii, oblato illi fuisse Proconsuli dicuntur, quia contra interdictum Imperatorum *Collectam*, sive *Dominicum* celebrassent. Sic *S. Augustinus* in Breviculo Collationum cum Donatistis, in Collatione tertiæ diei, *Confitebantur*, inquit, *se Collectam. & Dominicum egisse*. Porro *Dominicum* dixere, quia maxima, & præcipua functio est, quæ ex Domini institutione, & præcepto in Ecclesia peragitur. Hanc vocem usurpat *S. Cyprianus* Ep. lxi. ad Cæcilium: *Numquid* (inquit) *Dominicum post Cænam celebrare debemus, ut sic mysticum Calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Item *S. Augustinus* Epist. 36. alias 86. loquens de Sermone *S. Pauli* in Troade, *Per diem*, inquit, *hora Domini fuerant congregati*; id est, hora celebrandi Sacrificii. *Agendam* vocant Concilium Carthaginense II. Can. ix. & Regum nostrorum Capitularia Lib. vi. cap. 306. & Lib. vii. cap. 165. *Si quis Presbyter* (inquiunt) *inconsulto Episcopo Agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius exitit*. Ritus quoque Sacrificii *Ordinem agendi* *S. Augustinus* vocat, Epist. 54. alias 118. ad Januarium, cap. vi. Inde origo nominis, quod *Facere*, apud sacros, profanosque Scriptores, *Sacrificare* significet. *Communio* appellatur, quia inseparabilis est a Sacrificio ejusdem participatio, & olim extra ipsum nemo communicabat. Id nominis ipsi tribuunt *SS. Gregorius Nazianzenus*, Oratione iiii. *Isidorus Pelusiota* Lib. i. Epist. 228. *Joannes Damascenus*

masceus Lib. iv. Fidei Orthodoxæ, c. xiv. Oblationem vocant, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, & immolatur. Sic *Tertul.* Lib. ii. ad Uxorem, cap. iv. *Quis enarrare sufficeret felicitatem illius Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio, & obsignat Benedictio? Simul orant, simul jejunia transigunt: in Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei: eleemosynæ sine tormento, Sacrificia sine scrupulo.* Sic *Ennodius Ticinensis* in Apologetico loquentem inducit Ecclesiam: *Me, quam Dei summi Tempia, repudiatis Fanorum cultibus, & novæ lucis nitore gaudentem fecerunt esse conspicuam, quam a victimis liberavit Oblatio.* Ita offerendi verbum pro Sacrificii Oblatione usurpat *S. August.* Epist. LIV. alias cxviii. ad Januarium: *Alibi nullus dies omittitur, quo non offeratur, alibi Sabato tantum, & die Dominico.*

Missam appellant *S. Ambrosius* in Epist. ad *Marcellinam Sororem*: Ego (inquit) mansi in Munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quemdam, quem Presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere, & orare in ipsa Oblatione Deum cœpi, ut subveniret, nec hujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret, certe ut meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur.

Lib. v.
Epist. 33.

S. August. Serm. 49. alias De Tempore 233. Ecce post Sermonem fit Missa Catechumenis: manebunt Fideles, venietur ad locum Orationis. Scitis, quo accessuri sumus, quid prius Deo dicturi sumus? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Agite, ut dimittatis, agite.

S. Leo Epist. xi. alias lxxxii. ad *Dioscorum Alexandrinum Episcopum*, cap. ii. Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior quæque Festivitas conventum Populi numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cum plenum pietatis, atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo Dilectionem tuam, & familiariter admonemus; ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ Traditionis insedit, tua quoque cura non negligat: ut per omnia nobis & fide, & actibus congruamus.

S. Cæsarius Arelatensis Episcopus Serm. 80. Si diligenter, inquit, attenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ, quando divinæ Lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando Munera offeruntur, & Corpus, vel Sanguis Domini consecratur... Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare usquequo Oratio Dominica dicatur, & Benedictio Populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde se debet in Ecclesia continere.

Victor Vitenfis Lib. ii. De Persecutione Vandalica: Liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere. Idem nomen Eucharistiæ Sacrificio tribuunt *S. Gregorius*, aliique Patres Latini, & antiqua Concilia, Agathense Can. xlvi. Aurelianense i. Can. xxvi. Aurelianense iii. Can. xxix. &c.

Missæ autem nomen origine Latinum est, a verbo Mitto derivatum, sive quod Populus per ministerium Sacerdotis preces, & oblationes ad Deum transmittat: vel quia nos ad Deum mittit: vel quod Angelus a Deo mittatur, ut assistat Sacrificio: vel tandem, quod est probabilius, a Populi missione, seu dimissione, quæ fit peracto Sacrificio, hac formula: *Ite, Missa est.* Ita exponunt *Avitus Viennensis Episcopus* Epist. i. *S. Isidorus*, Lib. vi. *Originum*, cap. xix. *Rabanus* Lib. De Institutione Clericorum cap. xxxii. *Florus Magister*, & *Remigius Antissiodorensis* in Expositione Missæ, &c. Cum autem primis Ecclesiæ sæculis Missio duplex

plex esset, una post Evangelium, & Sermonem, quando Catechumeni, infideles, Pœnitentes, & alii, quibus vetitum erat Sacrificii Oblationi, & participationi interesse, a Diacono dimittebantur hac voce: *Siquis est Catechumenus, exeat foras*: vel, ut refert S. Gregorius Lib. 1.º. *Dialogorum*, cap. XXI. *Si quis non communicat, det locum*: altera vero cum initiati Sacrificio peracto dimittebantur: hinc Missæ duplicis apud Veteres distinctio, scilicet *Missæ Catechumenorum*, & *Missæ Fidelium*. Sed tamen *Missæ* nomen pro tota Divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit, Catechumenorum, & Fidelium, frequenter usurpatum est; & ea solum acceptione a multis sæculis usurpatur.

A R T I C U L U S V.

De Missis Privatis.

ET si nullæ proprie loquendo Missæ privatæ sint, siquidem & ipsum Sacrificium munus publicum est, & publico totius Ecclesiæ nomine offertur in commemorationem mortis Christi, quæ est publicum beneficium, & Sacerdos Ministri publici officium gerit, nullumque qui velit, & dignus sit, repellit a Communione: usus tamen obtinuit, ut Missæ aliæ publicæ, ac solemnes, aliæ privatæ dicerentur.

Quæ Missæ
solemnis,
quæ priva-
ta?

Missæ solemnis, & publica ea est, quæ cum cantu, & solemnibus ceremoniarum apparatu, Ministris, & Clero assistentibus, suorumque Ordinum munia exercentibus celebrari consuevit; cui pompæ addebant antiqui frequentiam Populi offerentis, & communicantis. *Avvalafrido Strabone* cap. XXI. *Legitima* nuncupatur, quod hæc potissimum Ecclesiastica Lege olim comprobata sit. Hinc omnes Orationes, atque ipsa Canonis verba in plurali numero tamquam plurimum nomine proferuntur. Hinc Sacerdos Populum invitat ad Orationem, dicens, *Oremus*: & cum eundem salutatur, ait: *Dominus vobiscum*. Tum moniti Fideles, ut corda erigant ad Deum, respondent: *Habemus ad Dominum*. Hinc etiam in Canone collectæ plebis nomine semper oratur, ut cum dicit: *Supplices rogamus, ac petimus*. *Hanc oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familie tuæ ... Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis*. *Ut quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus; & alia hujusmodi plurima, quæ ostendunt Missam nihil aliud esse, quam Sacerdotis, & totius cætus Actionem, cui plures adfuisse indicant illa verba: Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*. Ad adstantium vero Communionem ea spectant, quibus Sacerdos Deum precatur, ut fiat Corpus, & Sanguis Domini omnibus sumentibus in vitam æternam: & post Communionem ait: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: Satiasti, Domine, familiam tuam Muneribus sacris*: suntque fere omnes ejusdem tenoris Orationes, quæ peracta Communionem recitantur; quia nimirum illi dumtaxat intererant Missæ, qui possent offerre, & sacram Communionem percipere.

Missæ privata dicitur, quæ sine cantu, sine Diacono, & Subdiacono, uno dumtaxat ministrante celebratur, sive in Ecclesia, sive in Oratorio; sive plurimi Fideles ei interfint, sive nullus adfit: sive solus Celebrans communicet, sive sint aliqui communicantes. Hinc etiam *quotidianæ* nomen tributum fuit, quia singulis diebus a Sacerdotibus frequentari consuevit. Hinc S. Gregorius Lib. IV. *Dialogorum*, c. LV. *Cassius* (inquit) *Narniensis Episcopus quotidianum offerre consueverat Deo Sacrificium, seque in lachrymis inter ipsa Sacrificiorum arcana mactabat*.

Missæ publicæ
Ritus a S. Justino
Martyre descriptus.

Missæ publicæ Ritus describit S. Justinus Martyr Apologia, quæ I. I. inscribitur. „ A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus „ præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis, laudem, & „ gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & „ Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis suis hisce digna-

tus sit, prolixè exequitur. Atque ubi illæ preces, & gratiarum actiones ab-
 solvit, populus, qui adest, omnis fausta approbatione acclamat, dicens, A-
 men. Amen autem voce Hebræa, Fiat, significat. Præsident vero postquam
 gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione læta eam com-
 probavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri distribuunt, unicui-
 que præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum,
 & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appella-
 tur Eucharistia. Quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse do-
 ctinam nostram credenti, & Lavacro propter remissionem peccatorum abluto,
 & ita ut Christus tradidit, viventi. Non enim ut communem panem, neque ut
 communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei Caro factus
 Jesus Christus Servator noster, & Carnem, & Sanguinem salutis nostræ
 causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab
 ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis, & caro nostra per
 mutationem aluntur, Incarnati illius Jesu Carnem, & Sanguinem esse edocti
 sumus. Nam Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur,
 ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cum gratias e-
 gisset, dixisse: *Hoc facite in mei recordationem: Hoc est Corpus meum*. Et poculo
 similiter accepto, & gratias actis dixisse: *Hic est Sanguis meus*: ac solis ipsis tra-
 didisse ... Nos autem post hæc deinceps nobis invicem ista in memoriam revoca-
 mus ... Et Solis qui dicitur die, omnium, qui vel in oppidis, vel ruri degunt,
 in eundem locum conventus sit: & Commentaria Apostolorum, aut Scripta
 Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Præ-
 sident Orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulcrarum re-
 rum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes, & precatio-
 nes profundimus: & sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur, & vi-
 num, & aqua: & Præpositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces,
 & gratiarum actiones fundit; & populus fauste acclamat, dicens, Amen. Et
 distributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique
 præsentis, absentibus autem per Diaconos mittitur. Ceterum, qui copiosiores
 sunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo quod visum est, contribuunt; &
 quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur: atque ille inde opitulatur
 pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam causam egent,
 quique in vinculis sunt, & peregre advenientibus hospitibus: &, ut simplici-
 ter dicam, indigentium omnium curator est.

Obscurius quidem *Tertullianus* in Apolog. c. xxxix. utpote nihil ibi de Eucharis-
 tia dicens, ob religionem arcani in Mysteriis servari solitam, his tamen verbis
 Missam publicam describit. *Corpus sumus de conscientia Religionis, & Discipline
 unitate, & spei fœdere. Coimus ad Deum, quasi manufacta precationibus ambiamus.
 Hæc vis Deograta est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Ministris eorum, ac
 Potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad Littera-
 rum Divinarum commemorationem; si quid præsentium temporum qualitas aut præ-
 monere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus,
 fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus.
 Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur
 magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præ-
 judicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, &
 omnis sancti commercii relegatur. Præsident probati quique Seniores, honorem istum
 non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiam si quod
 arcægenus est, non de honoraria summa quasi redemptæ religionis congregatur. Modi-
 cam unusquisque stipem mensura die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo pos-
 sit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis
 sunt.*

§16 Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Liber II.

sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alondis, humandisque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei Sectæ alumni Confessionis suæ sunt. Sed in publicis illis Christianorum conventibus Sacrificium offerri solitum, alibi diserte exprimit *Tertullianus*: Sic enim Lib. 11. *De cultu fœminarum*, cap. 21. *Vobis nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut Sacrificium offertur, aut sermo Dei administratur. Quodlibet horum gravitatis, & sanctuatis negotium est.*

Missas publicas in Cœnobiis Monachorum per Episcopum celebrari *S. Gregorius* prohibuit Lib. 1v. Epistola 43. *Ne in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat; frequentior quoque introitus mulieribus arceatur.* Idem prohibet Epistola 46. ejusdem Libri.

Lutheri
error.

Adversus Missas privatas *Lutherus*, aliique Hæretici debachantur. Hinclibrum edidit *De abroganda Missa privata*, Diabolo usus Præceptore, ut ipsemet testatur Lib. *De Missa privata, & Unctione Sacerdotum*, Tom. VII. pag. 228. Editionis Vvitembergensis. Spiritui tenebrarum, & Patrimendacii credere maluit, quam Spiritui Sancto per Ecclesiam loquenti, & Ecclesiæ Patribus antiquum, & legitimum Missarum privatarum usum testimonio suo comprobantibus.

PROPOSITIO UNICA.

Missæ Privatæ legitimæ, ac licitæ sunt.

Christus enim nunquam præcepit, ut Sacerdos non nisi in solemni, & publico Populi conventu Sacrificium offerat, vel nisi cum populo communicet. Neque etiam Apostolos tale aliquid præcepisse legimus. Liberum igitur fuit Sacerdotibus Sacrificium quotidie offerre, etiam absque cœtu, & Communione Populi fidelis.

Præterea, quod in Ecclesia perpetuo usu frequentatum est, legitimum, ac licitum censei debet: sed Missæ privatæ perpetuo usu in Ecclesia frequentatæ sunt, sive Missa privata dicatur, quæ fit in privatis locis, sive quæ extra frequentem Christiani populi conventum, sive in qua solus Sacerdos communicat: sunt igitur legitimæ, ac licitæ.

Missarum
Privatarum
usus in Ec-
clesia per-
petuus.

Missæ autem privatæ perpetuus usus testimoniis Veterum, & exemplis probatur. *Tertullianus* noctu, & privatim celebrari potuisse indicat, cum fervente persecutione interdium non liceret. Lib. *De Fuga in Persecutione*, cap. XIV. *Si colligere interdium non potes, habes noctem. Non potes discurrere per singulos, sit tibi & in tribus Ecclesiis.* Constantinum Imperatorem statim post *Baptismum* Oratorium in Palatio extruxisse, quin & portabile templum habuisse, cum in Castra proficiscebatur, ejusque exemplum nobiles Palatinos secutos, ne Missæ Sacrificio, etiam in Castris carerent, referunt *Eusebius* Lib. 1v. *De Vita Constantini*, cap. XVII. & *Sozomenus* Lib. 1. cap. VIII. Episcopos, qui ex omnibus Provinciis ad Dedicacionem Ecclesiæ Hierosolymorum convenerant, incruenta Sacrificia sæpius obtulisse, testatur *Eusebius* c. XLV. ejusdem Libri. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione XIX. in laudem Patris, eum in cubiculo suo Sacris operatum: & Oratione in laudem Sororis suæ *Gorgoniæ*, domesticum ei Altare fuisse testatur. *S. Paulinus Nolanus* ante lectulum suum parari sibi Altare jussit, ibique Sacrificium obtulit paucis ante obitum horis, teste *Uranio* in ejus Vita. Cum *S. Ambrosius* trans Tyberim apud clarissimam quamdam fœminam invitaretur, *Ut Sacrificium in domo offerret*, quædam Balneatrix, quæ paralytica in lecto jacebat, scellula ad eandem domum portari se fecit, & Sancti Viri vestimenta ibidem osculata, sanitatem recepit, ut refert *Paulinus* in ejus Vita. Unum ex Presbyteris suis perrexisse in domum cujusdam Hesperii a malignis Spiritibus vexatam, ibique oblatum

oblato Sacrificio Corporis Christi, cessasse vexationem, testis est *S. Augustinus* Lib. 22. *De Civitate Dei*, cap. VIII. Idem Lib. III. *Contra Cresconium Donatistam*, cap. XXIX. Acta publica refert, quibus *Sylvanus* plures cujusdam Ecclesiæ Calices tradidisse convincebatur, ex quo non leve indicium sumitur plures Missas in ea privatim celebratas. Quotidianam Sacrificii Oblationem suis temporibus fieri solitam, testes sunt *S. Cyprianus* Epist. LIV. *Amphilochius* in Vita *S. Basilii*, *S. Jo: Chrysostomus* Hom. III. in Epistolam ad Ephesios, & XVII. in Epistolam ad Hebræos, *S. Hieronymus* in cap. I. Epistolæ ad Titum, *S. Augustinus* Epist. XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium Episcopum. *Innocentius I.* Epistola ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum, *S. Petrus Chrysologus* Serm. V. *Gregorius Turon.* Lib. I. *De Gloria Confessorum*, cap. XXII. Concilium Agathense Can. XI. privata Oratoria in agris permittit, in quibus Missa celebrari posset, majoribus Solemnitatibus exceptis, *S. Gregorius Magnus* Lib. V. Epist. XLIII. *Joanni* Syracusano Episcopo præcipit, ut Missas celebrari permittat in domo *Venantii* Patricii. Et Hom. 37. in Evangelia, morem fuisse ait *Cassio* Narniensi Episcopo quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Tunc eundem morti proximum in Domus Episcopalis Oratorio Missas celebrasse testatur.

Idem tredecim Altaria in aliqua Ecclesia fuisse scribit Lib. V. Epist. I. ad *Palladium* Santonensem Episcopum: quod non leve indicium est Missæ privatæ in iis celebratæ. *Theodulfus* Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari decrevit, ut Missæ, quæ Dominicis diebus peculiare a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis Missarum Solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur. In Chronico Centulensi Tom. IV. *Spicilegii*, Lib. II. cap. XI. habetur Constitutio *Angelberti* Abbatis, quæ præcipit singulis diebus triginta saltem Missas in diversis Altaribus a Monachis celebrari, in quibus memoria fieret *Adriani Papæ*, & *Caroli Magni*, qui tunc vivebant. *Crodogandus* Mettensis Episcopus, qui tempore *Pipini* vixit, in Regula Canonicorum Tom. I. *Spicilegii* edita, cap. XLII. meminit eleemosynæ datæ Sacerdotibus pro Missis privatis. *Jonas Aurelianensis* Lib. I. *Institutionum Laicalium*, cap. XI. Tom. I. *Spicilegii*, testatur Sacerdotes tunc solitos fuisse Sacrificium Deo offerre in ædiculis extra Templum ædificatis.

Missas etiam nemine præter Sacerdotem celebrantem communicante, priscis temporibus in usu fuisse, testis est *S. Jo: Chrysostomus* Hom. III. in Epistolam ad Ephesios. *Frustra est* (inquit) *quotidianum Sacrificium, frustra adstantes Altari, nemo est, qui participet.* Fidelem populum Dominicis saltem diebus Eucharistiam sumere *S. Augustinus* optat, & eos, qui frequenter, vel raro Communionem sacram percipiunt, modo pari pietatis affectu ad eam accedant, vel ab ea abstineant, pariter laudat Epist. LIV. ad *Januarium*: & tamen Sacrificium Eucharistiæ quotidie immolari testatur Epistola ad *Bonifacium* superius laudata. *Gennadius Massiliensis* Lib. *De Ecclesiast. Dogmatibus*, cap. LIII. Fideles hortatur ad communicandum omnibus Dominicis diebus, si tamen animo fuerint ab omni affectu peccandi libero. Concilium Agathense præcipit Sæcularibus, ut die Dominico Missam audiant: Eucharistiam vero sumere non jubet, nisi diebus Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes. Concilium Toletanum XII. Can. V. statuit quidem, ut Sacerdos communicet, quoties Sacrificium offert; sed Communionem plebi non imperat.

Denique Conc. Trident. Sess. XXI. cap. VI. Propositionem nostram Fidei Catholicæ dogma esse confirmat. *Optaret quidem* (inquit) *sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ participatione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberius proveniret; nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in*

quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat: siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim, quod in iis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

Et Can. VIII. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; Anathema sit.

Hæreticorum contra Missas privatas argumenta solvantur.

Objiciunt Hæretici, Christum, cum Cœnam Dominicam instituit, Eucharistiam omnibus, qui aderant distribuisse, idque deinceps fieri mandasse his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: Missas igitur privatas, in quibus solus Sacerdos communicat, Institutioni Christi repugnare.

Missæ privatæ.

Respondetur, non quicquid Christus instituendo Eucharistiæ Sacramentum, & Sacrificium fecit, a Sacerdotibus fieri debere; alioqui non nisi sub noctem post cœnam, duodecim tantum præsentibus, ac mensæ assidentibus, mulieribusque exclusis celebrari deberet: sed sic instituisse Christum, ut Sacerdos consecrans primus de Sacrificio participet, ac deinde aliis, si qui præsentibus sint, & petant, exemplo Christi eroget. Non autem iussit Christus, ut si præter Ministrum nemo alius adsit, aut si adstantium nemo Communionem petat, Sacerdos a Sacrificii oblatione absteineat. Quædam enim ad Sacrificii substantiam pertinent, quæ Dominus noster perpetua imitatione observanda Ecclesiæ suæ tradidit: scilicet gratias agere, benedicere, consecrare, offerre, Sacerdotem sacrificantem Corpus, & Sanguinem Christi sumere, atque hæc in memoriam Passionis ejus peragere. Alia, quæ pro temporis, & loci tantum circumstantiis ab eo facta sunt, ut dispensare aliis præsentibus, iisque sedentibus, post cœnam, & sub utraque specie, a Fidelibus fieri non mandavit; immo quædam non esse imitanda per Ecclesiam suam declaravit.

Objiciunt secundo, Apostolum I. ad Corinthios XI. cœnam Dominicam privatæ opponere, cum ait: *Hoc non est Cœnam Dominicam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum*. In quem locum S. Jo: Chrysoströmus ita scribit: *Quod Dominicum est, privatum fecerant. Cœna enim Domini debet esse communis*.

Respondetur, Apostolum, & S. Jo: Chrysoströmum hic Cœnæ Dominicæ nomine celebrationem, aut sumptionem Eucharistiæ non intellexisse, quæ pauperibus æque ac divitibus a Ministris Ecclesiæ dispensabatur: sed convivium ad imitationem Cœnæ Domini post sacra Mysteria celebrari solitum a primis Christianis, quod vocabant *Agapen*, quasi symbolum Charitatis. Ad hujusmodi convivii Communionem, cum divites amicos dumtaxat ejusdem sortis, non autem pauperes invitarent, merito illos reprehendit Apostolus, quod Dominicam Cœnam non imitarentur, quam Christus cum Discipulis pauperibus communem habuit; sed privatam facerent, exclusis, aut non expectatis pauperibus. Atque de hujusmodi conviviis agi, ex Apostoli verbis evidens est. *Unusquisque (inquit) præsumit cœnam suam ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.*

Objiciunt tertio, Canonem nonum Apostolorum, & Canonem II. Antiocheni Concilii, & Can. *Peracta* Dist. II. *De Consecratione*, necnon verba Diaconi intra Missarum solemnias olim clamare soliti, *Si quis non communicat, det locum*, ut legitur apud S. Gregorium Lib. II. *Dialogorum*, cap. 22. Ex his enim constat, sacris Mysteriis exclusos fuisse omnes, qui non communicarent, ac proinde nullam Missam absque Communionem circumstantium fuisse celebratam.

Respondetur, ex his nihil colligi posse adversus Missas privatas; siquidem illi Canones, etsi Communionem Fidelibus, qui adsunt Sacrificio, præcipere suppo-

nantur, non tamen præcipiunt Sacerdotibus, ut a Sacrificii Oblatione abstineant cum nullus adest communicaturus. Canon nonus ex iis, qui falso Apostolici nuncupantur, eos perstringit, *Qui Ecclesiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque in prece, & sacra Communionem permanent;* id est, qui dum celebratur Sacrificium, ad finem usque sacræ Liturgiæ non permanent, ut explicant *Balsamon, Zonaras, & Aristæus.*

Præterea, Canon VIII. Clericos adstantes Oblationi a communione dispensari posse ob causam legitimam significat: Communionem itaque Cleri, & multo minus populi adstantis, necessariam non esse agnoverunt horum Canonum Auctores ad substantiam sacrificii. En verba Canonis: *Si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel ex Sacerdotali catalogo, facta Oblatione, non communicaverit, causam dicat, & si probabilis fuerit, veniam consequatur: si vero minus, segregetur, ut qui populo offensionis causa sit, & suspicionem dederit adversus eum, qui obtulit, tamquam non digne obtulerit.*

Missæ privatae.

Canon. II. Concilii Antiocheni damnat eos dumtaxat, *Qui sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam averfantur, sive Qui pro quadam intemperantia se a perceptione Sanctæ Communionis avertunt* (ut vertit Dionysius Exiguus.) Non autem eos, qui ob causam legitimam a Communionem abstinere, quamvis sacris Mysteriis interessent. Volebat enim Ecclesia, ut saltem graviore aliquo crimine sese indignos Communionem non præberent Fideles.

Canon *Peraçta*, de Laicis non loquitur, sed de Clericis, qui Episcopo majorum Solemnitatum diebus celebranti ministrant ad Altare. Ita vulgo explicant Juris Canonici Interpretes: & huic Capiti præfixa legitur hæc epigrapha, *Ecclesiasticis liminibus careat Minister, qui post Consecrationem communicare contemnit.* Sic Apostolos statuisse, & Sanctam Romanam tenere Ecclesiam, ait Canon, octavum Apostolorum Canonem mox laudatum indicans, qui de Clericis est, non de Laicis. Denique ex supposititia Epistola *Anacleti* Pape sumptum est istud Caput.

Solemnia Diaconi verba clamantis, *Si quis non communicat, det locum, Catechumenis, Infidelibus, Excommunicatis, publice Pœnitentibus, omnibus, quibus Eucharistiam sumere non licebat, denunciabant, ut ex Ecclesia post Evangelium, & Sermonem ante Missam Fidelium exirent: non vero omnes Fideles, qui ad Communionem accessuri non essent, ejiciebant ab Ecclesia. Primis certe Ecclesiæ Sæculis, Pœnitentes, qui publicæ Pœnitentiæ gradus omnes, sive stationes percurrerant, laboresque subierant Flentium, Audientium, Substratorum; cum ad quartam, & postremam pervenerant, cui *Consistentiæ* nomen, permiscebantur cum Fidelibus, nec tamen statim Eucharistiæ Communionem donabantur. In ea statione mulieres occulti adulterii reas stare permisit Ecclesia, ne scelus illarum vulgaretur, si ad inferiores luctuosæ Pœnitentiæ gradus viderentur detrusæ, aut gravissima suspicio maritos impatientes infamiæ ad mortem illis inferendam compelleret. Liberum igitur erat Fidelibus ceteris, quibuscum in Ecclesia orabant, ad Communionem accedere, vel ab ea abstinere.*

Objiciunt hæc *S. Jo: Chrysoptomi* verba, *Frustra habetur Oblatio, frustra adflamus ad Altare, nemo est, qui participet.*

Respondetur; frustra fuisse celebratum Sacrificium spectato fine secundo cum nullus participaret, siquidem ex Ecclesiæ intentione, ac desiderio consecratur Eucharistia non solum ut Sacrificium, sed ut Sacramentum; non ad celebrantis dumtaxat Sacerdotis, sed etiam Fidelis populi spiritualem refectionem: verum non frustra fuisse, spectato fine primario, qui est Dei cultus, honor, laus, & erga peccatores propitiatio. Hunc namque finem obtineri posse agnovit *S. Jo: Chrysoptomus*, quamvis nemo præter Celebrantem communicaret. Unde a Liturgiæ celebratione propterea non abstinuit, adeoque Missas privatas inutiles non existimavit.

Missæ pri-
vatæ.

Apud FF.
Minores, &
Carthusia-
nos, in San-
ctorum isto-
rum Ordini-
um exor-
diis una tan-
tum Missa
per dies sin-
gulos cele-
bratur, cui
Fratres
omnes inte-
rerant.

Objiciunt, *S. Franciscum* in Epistola ad sui Ordinis Sacerdotes, ipsos monuisse, & hortatum fuisse, *Ut una tantum Missa celebretur in die: secundum formam Romanæ Ecclesiæ: si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius.*

Respondetur, *S. Franciscum*, qua humilitate a Sacerdotii susceptione ipse abstinuit, eadem hortari suos, ne quotidie celebrent. Quod vero ait, secundum formam Romanæ Ecclesiæ, ad unicam celebrationem trahendum non est: optime enim noverat plures Missas Romæ quotidie in Ecclesiis, quibus plures adscripti erant Sacerdotes, celebrari: sed intelligi debet de Ritu in ipsa celebratione servando. Sicut enim in Regula præcepit ut Fratres Officium secundum morem Ecclesiæ Romanæ recitarent: ita hic monet, ut secundum formam ejusdem Ecclesiæ Missas celebrent. Tum humilitatis causa, & ne Sacerdotes ex frequenti celebratione tepidiores forte fiant, minorique reverentia, ac præparatione quam par est, Ministerium exerceant Angelis ipsis formidandum, hortatur, ut unica Missa, cui omnes intersint, contenti, a Sacro faciendo reliqui abstineant. Quia vero sciebat id esse contra communem, & receptum in Ecclesia morem, sola exhortatione usus est, non præcepto. Ob eamdem rationem Carthusiani, & alii quidam Monachi, unam tantum Missam, ad quam omnes conveniebant, solis diebus Dominicis, & Festis antiquitus celebrabant: quod de Carthusianis quidem testantur *Petrus Cluniacensis Abbas* lib. II. *De Miraculis*, cap. XXVIII. *Guibertus Abbas Novigentinus* Lib. I. *De Vita sua*, cap. XI. & *Petrus Blesensis* Epist. 86. Hunc tamen usum Romanæ Ecclesiæ fuisse, nullibi legimus: immo ex Epistola *Innocentii I.* ad *Exuperium Tolosanum* Episcopum contrarium colligitur. Ideo enim a Sacerdotibus servandam pudicitiam docet, quia non præterit dies, qua a Sacrificiis Divinis vacent. Ravennæ eamdem viguisse, ac Romæ disciplinam, verisimile est: at quotidie oblatum fuisse in Ecclesia Ravennate incruentum Sacrificium, *S. Petrus Chrysologus* testis est Serm. V. *Hic est* (inquit) *vitulus, qui in epulum nostrum quotidie, ac jugiter immolatur.* Quamvis variam fuisse consuetudinem Ecclesiarum in hoc disciplinæ capite *S. Augustinus* testatur Tractatu XXVI. in Joannem, & Epist. LIV. alias CXVII. ad *Januarium*; alicubi scilicet nullum diem intermitteri, quo non offeratur; alicubi Sabbato tantum, & Dominico, alibi tantum Dominico: in Africa tamen Sacrificium Corporis Christi quotidie fuisse oblatum, colligitur ex Epistola illius ad *Bonifacium* Episcopum supra laudata. *Nonne* (inquit) *semel immolatus est Christus in se ipso: Et tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ Solemnitates, sed omnī die populis immolatur.* Ac *S. Cypriani* tempore jam in more erat quotidiani Sacrificii Oblatio, ut constat ex ejus Epist. LIV. ad *S. Cornelium*, in qua ita scribit: *Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, & victimas præparemus.*

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Missam nemine adstante, & respondente celebrare non licet, sed unus saltem Minister adesse debet, qui Sacerdoti respondeat.

De Missæ
Ministris,

Missas enim hujusmodi Concilia prohibuerant, scilicet Concilium Moguntinum sub *Leone III.* Can. XLIII. *Nullus* (inquit) *Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, & sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?*

Missæ solita-
riæ impro-
batæ ab Ec-
clesia.

Synodus Parisiensis sub *Gregorio IV.* Lib. I. cap. XLVII. *Irrepfit in plerisque locis partim incuria, partim avaritia reprehensibilis usus, & congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli Presbyterorum sine Ministris Missarum solemnia frequentent. Unde conveniendus, immo interrogandus nobis videtur hujusmodi Corporis, & Sanguinis Domini solitarius Consecrator, quibus dicit, Dominus vobiscum,*

cum, & a quo illi respondetur, Et cum spiritu tuo: vel pro quibus supplicando Domino inter cetera, Memento, Domine, & omnium circumstantium, cum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo quia Apostolica, & Ecclesiasticæ Auctoritati refragatur, & tanto Mystério quamdam debonationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inibeatur, provideatque unusquisque Episcoporum, ne in sua Parochia quisquam Presbyterorum Missam solus celebrare præsumat.

Concilium Nannetense, apud Ivonem Carnotensem P. III. cap. LXX. eundem abusum prohibet. *Definivit sanctum Concilium, ut nullus Presbyter solus præsumat Missam celebrare. Cui etenim dicit, Dominus vobiscum, Sursum corda, aut, Gratiarum agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit, qui respondeat? Aut in Canone, Et omnium circumstantium, cum nemo adsit? Aut quem invitat ad orationem, cum dicit, Oremus, cum nullus sit, qui secum oret? Aut ergo ista penitus reticenda sunt, & non solum non erit perfectum Sacrificium, verum etiam incurret, quisque est ille, illam terribilem sententiam, Si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de Libro vitæ: Aut si hæc muris, & parietibus insurraverit, ridiculosum erit. Quapropter illa periculosa superstitio maxime a Monasteriis Monachorum exterminanda est. Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cenobiis, & in aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Si quis hæc transgressus fuerit, ab Officio suspendatur.*

De Missæ Ministris.

R E G U L A I I.

Præter Clericum, aut idoneum Laicum ministrantem, plures adesse Sacrificio minime necesse est.

Fuerunt aliqui plus æquo meticulosi, qui ne mendacii rei fierent, si ad unum solum præsentem plurales salutationes dirigerent, a Sacrificii Oblatione abstinabant, nisi præter Clericum ministrantem unus saltem præsens adesset, ut vere posset Celebrans duobus adstantibus dicere, *Dominus vobiscum, & Orate fratres.* Extat ea de re Canon apud Gratianum Dist. I. De Consecratione cap. LXI. sub Soteris Papæ nomine, qui ab aliis Anacleto tribuitur. *Hoc quoque statutum est (inquit) ut nullus Presbyterorum Missarum solemniter celebrare præsumat, nisi duobus presentibus, sibi que respondentibus ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur Dominus vobiscum, & illud in Secretis, Orate pro me, aptissime convenit, ut illius respondeatur salutationi.* Idem sancitum fuit in Conc. Coloniensi, p. II. cap. XVI II. Verum hi Canones, quid sit conveniens, declarant, non quid necessarium: & nullius roboris est cap. *Hoc quoque, ex supposita Soteris, vel Anacleti Epistola compactum.*

R E G U L A I I I.

Eremitis perpetuo inclusis permitti potest, ut soli sine respondente Missam celebrent.

ID aliquando concessum a Romano Pontifice, refert doctissimus Cardinalis Bona, Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, cap. XII. idque confirmat Glossa ad laudatum Gratiani Caput. Id apud Monachos olim toleratum, vel ipsis ex indulgentia concessum, scribunt Odo Cameracensis in Expositione Canonis, & Stephanus Eduensis Lib. De Sacramento Altaris, cap. XII. Nec id a ratione videbatur alienum, ut quis solus diceret, *Dominus vobiscum*: nam his verbis se Ecclesiam salutare aiebant, quæ est una in multis, & tota in singulis, ut ostendit etiam Petrus Damiani in Opusculo ad Leonem Inclusum, quod inscripsit, *Dominus vobiscum.* Quod si Sacerdos, cum solus recitat nocturnas, & diurnas preces, omnia pluraliter profert, quæ plurali numero enunciantur in Divinis Officiis, dicit enim, *Venite, adoremus, Oremus, Benedicamus,* cum nemo illic sit, qui cum ipso adoret, precetur, benedicat; non repugnat rationi, ut Sacerdos absque Ministro, & circumstantibus celebrans dicat, *Dominus vobiscum,* aut omnes circumstantes Deo commendat, quia hæc verba Fideles omnes spectant, *Qui adsunt quasi presentes, fide, & charitate Sacra-*

De Ministris Missæ respondentibus.

mentis communicantes, ut loquitur Stephanus Eduensis. Veruntamen id ne In-
clusis quidem Eremitis licet absque Sedis Apostolicæ licentia. Ut enim decrevit
Alexander III. cap. Proposuit, Extra, De Filiis Presbyterorum, solus Presbyter
Missarum solemniam sine Ministri suffragio celebrare non potest.

R E G U L A I V.

Missæ Minister vir esse debet, non femina, etiam Sanctimonialis.

ID enim Canonibus vetitum est. Ita Laodicenum Concilium, Can. XLIV. *Non*
oportet mulierem ad Altare ingredi. Ita Gelasius I. Epist. IX. ad Episcopos
Lucaniæ, cap. 26. Impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse de-
spectum, ut feminae sacris Altaribus ministrare ferantur; & cuncta, quæ non nisi
virorum famulatu deputata sunt, sexum, cui non competit, exhibere. Concilium
Parisiense VI. Lib. I. cap. XLV. Quædam nostrorum virorum relatu, quædam etiam
visu didicimus, in quibusdam Provinciis contra legem divinam, canonicamque
institutionem, feminas sanctis Altaribus se ultro ingerere; sacrataque vasa impu-
denter contingere, & indumenta Sacerdotalia Presbyteris administrare. . . . Hoc
ergo tam illicitum factum, quia ex toto a Christiana Religione abhorret, ne ul-
terius fiat, inhibendum est.

Concilium Nannetense, Can. III. *Hoc secundum auctoritatem Canonum mo-*
dis omnibus est prohibendum, ut nulla femina ad Altare presumat accedere,
aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, aut sedere.

R E G U L A V.

Maxime decet, omninoque servandum est, cum fieri potest, ut Missæ Mini-
ster Clericus sit, superpelliceo indutus, & talari veste.

ITa decreverunt Concilium Mediolanense IV. Aquense anni 1585. Tolosanum
 1590. c. VI. Avenionense anni 1594. c. XXII. Narbonense anni 1609. cap. XXIX.
 S. Carolus in Concilio Mediolanensi VI. Tit. *Quæ ad Missam pertinent,*
addit: Clericus, qui in Missæ Sacrificio ministrat, dum eam functionem obit,
ne preces horarias, neque aliud quidquam de libro, aliove Officio recitet: sed
toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc pie religiose-
que exequi debet.

Synodus Tridentina non vult a Sacerdote Missam celebrari, *Nisi prius,*
qui intersint, decenter compositò corporis habitu declaraverint se mente, ac de-
voto mentis affectu, non solum corpore adesse.

S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. p. II. cap. 10. statuit ut *Cum Sacerdos*
ad Altare accesserit, sacrificium Missæ facturus, Clericus, qui tunc illi ministra-
turus est, ubi alius non sit, qui tunc hoc officium præstare possit, circumspiciat ad-
stantes, & si quempiam animadverterit marem, vel feminam incomposito corporis
habitu, vel alias cum injuria, vel irreverentia sanctissimi illius sacrificii interes-
se, moneat graviter. . . . Missa vero inchoata si quid hujusmodi fiat, hoc idem offi-
cium admonendi itidem ille Minister Clericus præstet modeste, & graviter.

Ex his patet quanta emendatione indigeat ille abusus, quo ad Missæ Ministe-
 rium passim admitti solent pueri, aut viliores homines, qui sine ullo pietatis sen-
 su, aut cordis affectu, sine ulla tam sublimis, & sanctæ functionis intelligentia,
 non attendentes ad ea, quæ dicunt, aut agunt, & quæ a Sacerdote dicuntur, &
 aguntur, velut psittaci Missæ respondent, velut simiæ ministrant. Sane cum Mi-
 nister sacrificii Sacerdoti respondens, vices totius populi suppleat, & publici Ec-
 clesiæ Ministri partes agat, indecens, & indignum est tanti Mysterii sanctitate, ut
 pueri, aut vilissimi homines, habitu sordido, & incomposito, in illius functione mi-
 nisterii non satis instructi, immodesti, & immorigeri, ad illam admittantur; & quod,
 ubi Clerici deficiunt, honestiores Laici Missæ celebrationi, quod totius Ecclesiæ
 summum, & facerrimum negotium est, ministrare, & Sacerdoti respondere refu-
 giant, & erubescant: quasi ea functio puerorum tantum, aut servorum esset.

R E G U L A VI.

Missarum siccarum celebratio, quamvis aliquando tolerata, permitti tamen non debet.

Missa sicca dicta est, quæ a Sacerdote sacris vestibus induto, absque Oblatione, Secretis, Canone, Consecratione, & Communione, absque Calice, & hostia celebratur. *Nautica* etiam vocata est, quod in mari, & fluminibus celebrari soleret, in quibus propter motum, & agitationem fluctuum vix potest Sacrificium offerri absque periculo effusionis. In usu erat tempore S. Ludovici Regis, quem, cum e transmarina Expeditione in Galliam rediret, Corpus Christi in navi decentissime collocari, atque ibi Officia divina, & Missam, excepto Canone, quotidie celebrari iussisse, refert *Guillelmus De Nangiaco* in ejus Vita. Eiusdem Missæ Ritum describit *Durandus* in Rationali Divinorum Officiorum, Lib. IV. cap. I. Hanc revera siccam esse, sine gratia, & humore confectionis Eucharistiæ, & nihil Fidelibus prodesse, ait *Petrus Cantor* in Verbo Abbreviato, cap. XXIX. Adversus illam acriter declamat *Estius* magni nominis Theologus Oratione XIII. Theologica. *Joannes Ecbius* vocat irrisionem Dei, & illusionem Christi. Illius usum esse prorsus illicitum, quia continet falsitatem in facto, & in verbo, scribit *Silvius*: in facto, quia Sacerdos simulat omnia, quæ sunt celebrantis; nec tamen celebrat, aut Sacrificium offert: in verbo, quia recitantur Orationes, quæ promittunt Sacrificium, & aguntur postea gratiæ, quasi illud oblatum, ac sumptum esset. De ipsa scribit pius, & eruditus Cardinalis *Bona* Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, cap. XV. *Missa sicca ab indiscreta, & privata quorundam devotione duxit originem, cui nimium indulgentes fuerunt Sacerdotes. Larva est, & simulatio quædam veræ Missæ, sicca procul dubio, & jejuna, utpote carens non solum Consecratione, sed etiam sumptione Corporis Christi, similis cœnæ lignæ, & lapideæ, quam Lampridius, & alii referunt convivis suis Heliogabalum exhibuisse. Has in Belgio abrogavit Synodus Cameracensis II. Tit. III. c. VII. & Synodus Yprensis Martini Rythovii Tit. XV. cap. X. alibi Episcoporum vigilantia. Sed multo ante vitæ fuerant a Concilio Parisiensi anno 1212. Canone XI.*

Missæ sicce.

R E G U L A VII.

Missæ Sacrificium privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab Ordinariis designanda, & visitanda, a secularibus, aut Regularibus Sacerdotibus quibuscumque peragi non debet.

ITa statuit Concilium Tridentinum Sess. XXII. A *Constantini* tamen temporibus obtinuit consuetudo, ut in Castris rite, ac licite celebretur in Altari portatili. Possunt etiam Episcopi licentiam concedere celebrandi Missam in Capellis, & Oratoriis domus privatæ, ob gravem necessitatem, vel justam causam: neque hanc ipsis potestatem Can. *Concedimus*, & Can. *Missarum*, Dist. *De Consecratione*, olim attributam, sacra Synodus abstulit, cum solos abusus in celebratione Missarum occurrentes prohibere voluerit, & de communi dumtaxat celebrandi modo statuerit, neque excluderet exceptiones jure communiticas, ut probat *Barbosa* Lib. *De Officio, & Potestate Episcopi*, P. II. Allegatione 23. Causæ justitiam explicat Concilium Londinense anni 1342. Can. I. hanc licentiam aliis concedi vetans, quam Magnatibus, seu Nobilibus moram facientibus in locis ab Ecclesia Parochiali notabiliter distantibus, aut notorie debilibus, vel infirmis, alias irritam decernens, & inanem.

Missæ ubi celebranda?

Ea de re ita statuit Concilium Mediolanense I. sub S. *Carolo Borromeo*, P. II. *Oratoriorum autem ædificationem, aut usum, ne facile, sed magna de causa permittant Episcopi. In eis autem designandis, vel probandis hæc servant. Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus Domini, vel familia frequentius versentur; sed commode, & honesto loco, a cubiculis, tricliniis, & aula separato, ad templi formam,*

Quibus conditionibus concedi possit ab Episcopis facultas celebrandi in domesticis Oratoriis?

formam , & regulam propius accedant . Nec ita angusta sint , ut qui Missam audierint ad ostium , aut fenestram stare cogantur , aut denique ibi sacris interesse , ubi profanum aliquod exerceatur : quod fieri omnino prohibemus . Cum autem id permissum fuerit , is eo rarius utatur , ne distracti homines illa commoditate , Ecclesiam Dei minus frequentent ; quod exemplo etiam noceat aliis .

Missæ ubi
celebranda?

Concilium Mediolanense IV. P. II. Episcopus omnibus Missam in Oratorio privato celebrandi facultatibus hætenus concessis certos limites , modumque præfinit ; ita ut præter causas , quas magnas , & urgentes is judicaverit , in ipsis privatis Oratoriis Missam celebrare ex facultatibus illis deinceps non liceat , nisi hoc fuerit a Sede Apostolica indultum .

Excipiendæ sunt in hujusmodi concessionibus Majores Solemnitates , secundum Canonem XXI. Concilii Agathensis : ex quo desumptus est Can. *Si quis* , Dist. I. De Consecratione , cujus hæc sunt verba : *Si quis etiam extra Parochias , in quibus legitimus est , ordinariusque conventus , Oratorium in agro habere voluerit ; reliquis Festivitatibus , ut ibi Missas teneat , propter fatigationem familiæ , justa ordinatione permittimus : Pascha vero , Natale Domini , Epiphaniam , Ascensionem Domini , Pentecosten , & Natale S. Jo: Baptistæ , vel si qui maximi dies in Festivitatibus habentur , non nisi in Civitatibus , aut in Parochiis teneant . Clerici vero , si qui in Festivitatibus , quas supra diximus , nisi jubente , aut permittente Episcopo , Missas facere , aut tenere voluerint , a Communionem pellantur .* Excipienda quoque Solemnitas Corporis Christi , Assumptio Beatæ Mariæ Virginis , & Festum omnium Sanctorum . Hæc denique conditio in hujusmodi concessionibus apponitur , ut alii , præterquam servitio personæ , cujus intuitu Oratorium conceditur , necessarii , ibidem audientes Missam , ab obligatione audiendi eam in Ecclesia per hoc non liberentur . Quod in his facultatibus construendi Oratoria , ex stylo Romanæ Curie apponi consuevit (inquit *Barbosa*) vel his verbis exprimi solet , *Salvo jure Parochiali* , ut habent Statuta *Hugonis* Parisiensis Episcopi , anno MCCCXXVI. edita , & Concilium Mediolanense IV. Concilium apud Castrum Gonterii anno 1336. Canone x. sex Dominicas excipit , in quibus per nullum poterit in Capellis hujusmodi celebrari , nisi per Rectorem Parochialis Ecclesiæ , vel ejus Capellanum .

R E G U L A VIII.

Missas in Capellis , & Oratoriis privatis ex Dispensatione Sedis Apostolicæ non licet celebrare , nisi Dispensationis Litteris ab Episcopo visis , recognitis , & approbatis .

Dispensationes enim contra Ecclesiæ ordinem , & Episcoporum jura Sedes Apostolica concedere non solet , nec intendit , ut constat ex cap. *Cum Capella* , Extra De Privilegiis , ex cap. *Cum plantare* , ibidem , ex cap. *Venerabili* , Extra . De Verborum significatione , & ex Concilio Tridentino Sess. XXIV. De Reformatione cap. XI. Eamque semper conditionem supponit Summus Pontifex in gratiarum hujusmodi concessione , *Si preces veritate nitantur* . Hinc Synodus Carnotensis anno 1526. ea de re ita statuit : *Antiquum a nostris Prædecessoribus editum Statutum innovantes , interdiciamus omnes , & singulas Capellas nostræ Diœcesis , quæ non habent Capellanum fundatum , & in eis Beneficiatum . Et in his scriptis suspendimus omnes , & singulos Presbyteros , qui in dictis Capellis celebraverint , nisi de assensu nostro , aut super hoc sint privilegiati a Sede Apostolica . Privilegiati autem super hoc Nobis , vel Officiali nostro exhibeant Privilegia sua infra mensem a tempore notitiæ hujus renovari Statuti .*

Concilium Senonense sub Antonio Cardinali A Prato , 1528. ita decrevit : *Non liceat in Oratoriis privatis quæ in domibus privatorum interdum habentur , Missas celebrare prætextu Dispensationis Sedis Apostolicæ , nisi prius visis ab Episcopo , recognitis , & approbatis dictis litteris Dispensationis ,*

Synodus Parisiensis anno 1557. Nullus in privatis ædibus, vel Oratoriis, Dispensationis cujusdam prætextu Sacra celebrare præsumat, absque dicta Dispensatione visa, & approbata per Nos, vel commissos nostros.

R E G U L A IX.

Missis privatis celebrandis hic modus, & ordo ab Episcopis, Ecclesiarum Rectoribus, aliisque Superioribus statui debet diebus Dominicis, Festivisque Majoribus, ut earum celebratione, & auditione Populus Christianus a Missa Parochiali audienda non distrahatur.

ITa sanxerunt Synodus Lingonensis sub Joanne d' Amboise anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo; Senonensis, anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto; Carnotensis anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto; Parisiensis anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo; Concilium Rothomagense anno millesimo quingentesimo octogesimo primo; Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo; Bituricense anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto.

R E G U L A X.

Fideles diebus Dominicis, & Majoribus Festivis Parochiam frequentare, Solemne Sacrum, & verbum Dei in ea audire tenentur.

Sic enim statuit Concilium Tridentinum Sess. XXI. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ: Ordinarii locorum Episcopi moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & Majoribus Festivis accedant. Et Sess. XXIV. De Reformatione, cap. IV. Moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochie sue interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Et cap. VII. Episcopi curabunt, ut Parochi inter Missarum solemnias, aut Divinorum Celebrationem, sacra Eloquia, & salutis Monita vernacula lingua, singulis diebus festis, vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus postpositis inutilibus questionibus, inserere, atque eos in Lege Domini erudire studeant.

Sixtus IV. cap. Vices illius, Tit. De Tregua, & Pace, Extravag. Commun. Lib. I. vetat, Ne Fratres Mendicantes prædicent, Populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus Festivis, & Dominicis, cum Jure sit cavium, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia: nisi forsitan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.

Ea obligatio ex antiquioribus Canonibus, & Statutis Synodalibus confirmatur; scilicet Concilio Sardicensi Can. XIV. Memini (inquit Osius) in superiore Concilio Fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur, Civitate, tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas, non celebrasset conventum, Communionem privaretur. Si ergo hæc circa Laicos constituta sunt, multo magis Episcopo nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas, quæ detineat, ut amplius a superscripto tempore absens sit ab Ecclesia sua.

Ex Concilio Nannetensi Can. I. decernente, Ut Dominicis, & Festivis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant. Et Can. II. Nullus Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel Placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

Ex Theodulfo Aurelianensi Episcopo in Capitulari ad Diœcesis suæ Presbyteros, cap. XLVI. Admonendus est Populus, ut ante publicum peractum Officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam Matrem Ecclesiam Missarum solemnias, & prædicationem audituri conveniant, & Sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas nisi tam cito ante secundam horam celebrent, ut populus a publicis Solemnitatibus non abstrahatur; sed sive Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe

sunt,

Missæ Parochialis.

sunt, sive populus, in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant, exceptis Deo sacratis feminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris Monasterii contineri.

Ex Galonis S. R. E. Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legati Constitutionibus anno MCCXI. Præcipitur, quod Presbyteri Parochianos suos, qui tribus Dominicis continuis se ab Ecclesia absentaverint sine causa justa, & necessaria, interdican, & ad Episcopum mittant interdictos.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Rothomagensis anno MCCCXLIV. Parochianus existens in Parochia, si tribus diebus Dominicis continuis ad Missam non venerit, excommunicetur, & sic frequenter in Ecclesiis publicetur. Item inquiret specialiter a Penitentibus Parochianis, si venerint diebus Dominicis, & festivis ad suam Matrem Ecclesiam Parochialem, cum ad hoc teneantur tam de jure divino, quam humano, tam naturali, quam positivo: & quod non sint deterioris devotionis, quam Judæi, & Saraceni, qui in suis Solemnitatibus Sabbatinis in suis conveniunt Sinagogis. Quod si non venerint, prout tenentur, ipsam taliter in prosperitate contemnendo, debent merito formidare, ne ipsa sua Parochialis Ecclesia ipsos, vel suos liberos despiciat in adversitate, utpote in suis infirmitatibus, vel in morte.

Ex Synodo Senonensi anni millesimi quingentesimi vigesimi quarti; Carnotensi anni millesimi quingentesimi vigesimi sexti; Parisiensi anni millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi, quæ Promotoribus Episcopalis Fori denunciari jubent Parochianos, qui tribus diebus Dominicis continuis sine causa justa, & legitimo impedimento Missæ Parochiali defuerint.

Ex Concilio Narbonensi anni 1551. Can. xxxvi. Præcipimus (inquit) Parochis omnibus, eorumque vicem gerentibus, e suggestu, sive Trono Parochianos mone, Excommunicationis penam illis minitantes, ut unusquisque ad Missam Parochialem veniat, diebus præsertim Dominicis; & domesticos omnes ducat.

Ex Concilio Rotomagensi anno 1581. Tit. De Curatorum, & Parochianorum Officiis, Num. xxiii. Quoniam (inquit) videmus multos adduci ad præceptorum Ecclesiæ, & Ministrorum ejusdem contemptum, non facile admittantur fundationes, & erectiones Capellarum, & Fraternalitatum in quibus ordinatur celebratio Missæ Dominico die, ea potissimum hora, qua populus universus convenire debet ad audienda divina præcepta Dei, & Ecclesiæ. In Missis vero Charitatum, atque aliarum Fraternalitatum ab antiquo eodæ constitutarum, nec Aqua, nec Panis benedicantur: & inter illarum Missarum solemnia moneantur non esse prætermittendas Missas Parochiales propter assistentiam in ea Missa, quæ ex devotione, & consilio celebratur. Quisquis vero Presbyter in alia Missa, quam Parochiali, Aquam, & Panem benedixerit, sit suspensus a Divinis.

Ex Concilio Burdigalensi anni MDLXXXIII. cap. v. Vetus etiam illud Decretum identidem denuntient, quo proposita Excommunicationis pena præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis a Parochialis Missæ celebratione absit. Quod ut accuratius adhuc observetur, sciscitentur Confessarii a Penitentibus, an huic officio satisfecerint: & peccati gravitatem, ut ab eo in posterum arceantur, ipsis proponant.

Missæ Parochialis.

Ex Concilio Turonensi anni MDLXXXIII. cap. xv. Sanctorum Patrum (inquit) antiqua Decreta renovantes, omnibus, & singulis Christi Fidelibus, suis Missis Parochialibus, & aliis suarum Parochiarum Divinis Officiis, singulis diebus Dominicis, & festivis interesse, districte præcipimus: a quibus si per tres dies Dominicos continue sequentes illos abesse contingat, nisi legitimo impedimento retineantur, penas a sacris Canonibus indictas incurrere declaramus quod illis sit Rectoris, & Confessarii sæpius inculcare non omittant. Et ne prætextu Divinorum Officiorum, quæ in aliis Ecclesiis, quam Parochialibus celebrari solent, revocari aut distrahi possint, Majorem Missam, & Vesperas in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Mo-

Monasteriis, post Paræciale Officium peractum, tantum debere inchoari decernimus: quod ut fiat commodius, Episcopi, seu eorum Officiales, ipsis Rectoribus, seu Paræcis certas horas, quibus Majorem Missam, & Vesperas in suis Ecclesiis celebrare teneantur, ita præscribant, ut Paræcialibus Divinis peractis, ipsi Paræciani ad Cathedralē, & Collegiatas, aliasque Monasteriorum Ecclesias, ad Divina in his audienda, pro sua devotione se transferre valeant.

Ex Concilio Mediolanensi VI. in quo S. Carolus Decreti a Concilio Tridentino editi de Parochiæ frequentatione a Fidelibus, diebus saltem Dominicis, aliisque majorum Solemnitatum, executionem Monitoriis Litteris urget, & ad Missam Parochialem his diebus audiendam amantissime adhortatur, gravissima incommoda, & mala ex hujus officii neglectu oriri docens. Hinc (inquit) in plerisque sepe fidei Articulorum, & Dei, sanctæque Matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet, imperitia; festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non ex-culta; non cognita Christiana familiarum institutio; languescens Sacerdotum Parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus; sanctissimorum Institutorum, & sacrorum Canonum violatus usus; hinc denique in Ecclesiis Parochialibus instaurandis, ornandis, sartis tectisque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illisque nulla, aut pene exigua Ecclesiastica ad Divina Officia obeunda supellex.

Nec vero quemquam aliquod, quod, vel ex Parochialis Ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluvia, frigore, æstu, temporumve vicissitudine existit incommodum, ab hoc officio deterreat: immo vero ad illud diligentius exequendum, prout in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est, qui salutis suæ memores, hujus rei gravitatem, eorum, quæ commemorata sunt, ratione perpendent; quique aliquando secum animo reputabunt, non solum Parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua primum Baptismo suscepto, Christo Domino renati, aliis Sacramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed Parochum etiam Sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colant, atque observent; hoc sibi proponentes, illum pro Fidelibus sibi commissis apud Deum internuncium, ac deprecatorem esse, divinæ Legis interpretem, Dispensatorem Mysteriorum Dei, Christianæ vitæ, & morum disciplinæ Magistrum, a quo omne petant pie, recteque agendi consilium, ac denique Ministrum omnium fere, quæ ad salutem eis necessaria sunt.

Huic autem nostræ Monitioni, etsi omnes pro præcipua salutis suæ cura audientes esse debent, in primis tamen patresfamilias, tutores, curatores, ludimagistros, ceterosque aliorum moderationi, curationive præfectos cohortamur, divinaque contestatione admonemus, ut de sua, & aliorum, quorum curam gerunt, salute solliciti, primum ipsi hæc paterna Monita amplectantur, tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inflamment, idque curent, ut non solum Missæ, & divinorum Officiorum tempore illi in Parochialem Ecclesiam convenient; verum etiam, ut institutas in ea Doctrinæ Christianæ scholas statim illis diebus frequentent.

Ex Comitibus Generalibus Cleri Gallicani habitis annis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, trigesimo quinto, & quadragesimo quinto, quæ Fideles una saltem ex tribus Dominicis Missæ Parochiali adesse teneri, & a Prælatibus Ecclesiasticis, ut id officium impleant, cogi posse, declarant: Regularibus prohibitum, ne Fideles concionibus, doctrina, consiliis a Missa Parochiali avertant: & ne Conciones habeant, Supplicationes, solemnes Congregationes, aut publicos Conventus in suis Cœnobiis, quo tempore Missa Parochialis celebratur.

Ex Judicio Censorio Sacræ Facultatis Parisiensis, quæ plurimas inter Propositiones die tertia Febr. 1665, ad se delatas, & damnatas, hanc quoque confixit, ut Falsam, & Decreto Concilii Tridentini contrariam, quæ his verbis expressa erat: *Populus Christianus vi Tridentini Concilii cogi non potest per Censuram,*

Missæ Parochialis.

Propositiones damnatæ.

ram, & pœnam Ecclesiasticam, ut Dominicis diebus Missam Parochialem audiat. Clerus etiam Gallicanus in generali Conventu anni 1700. sequentes Propositiones damnavit.

Nullus in foro conscientie Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad audiendum verbum Dei, divinam Legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annunciantur, & docentur.

Talem Legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis Censuris mulctare possunt.

Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non potest Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam ad audiendam Missam (Parochialem scilicet.)

De his autem Propositionibus Reverendissimus, & Illustrissimus Ordo ita judicavit: *Harum Propositionum doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ Traditioni contraria, dicente Apostolo (Hebr. x. 25.) Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.*

R E G U L A XI.

Fideles audientes Missam Dominicis Festisque diebus in Ecclesiis Regularium, Ecclesiæ præcepto de audienda Missa satisfaciunt.

Missæ Parochialis.

ITa declaravit Leo X. Pontifex Maximus Diplomate dato Romæ die 13. Novembris, anno MDXVII. *Intelleximus (inquit) quosdam in dubium revocare, & perinde timoratis conscientis scrupulum injicere, si Christi Fideles, qui Dominicis, & Festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales, Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia Fideles quique Deo Creatori suo serviant, Auctoritate Apostolica, tenore presentium notum facimus, omnes Christi Fideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, & Festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve incurrere.*

Hanc Declarationem confirmavit Sanctus Pontifex Pius V. Diplomate dato Romæ xvii. Kal. Septembris anno MDLXVII. *Christi Fideles (inquit) audiendo Missas, & alia Divina Officia in Ecclesia Fratrum hujusmodi diebus Dominicis, aut Festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur.*

Potest tamen fieri aliunde, ut quis peccet, etiam lethaliter, non audiendo Missam in propria Parochia, ut si quis nolit eam audire ex contemptu, aut quando Parochus declarat ea, quæ Parochiani scire tenentur (inquit *Barbosa Lib. De Potestate, & Officio Episcopi, P. II. Allegatione xxiv. Navarrum, aliosque secutus.*) Porro Parochus singulis Dominicis in Missa Parochiali declarat ea, quæ Parochiani scire tenentur: & ex contemptu transgredi censetur Concilii Tridentini, veterumque Synodorum Decreta de Missa Parochiali audienda Dominicis diebus, qui tribus Dominicis continuis ab ea abest, absque legitima causa, nec Censuras timet hujus Decreti violatoribus a Prælatibus intentatas. Perperam vero, & imperite colligeret aliquis ex laudato *S. Pii V. Diplomate, ipsum ab audiendæ Missæ Parochialis obligatione absolvisse sæculares, qui Missam in Fratrum Mendicantium Ecclesiis, aut Oratoriis audivissent: cum Tridentini Concilii Decretum salvum, & inviolatum manere Sanctus Pontifex voluerit. Et si quid aliud intenderit, ejus Diploma, necnon similes Constitutiones de Regularium Privilegiis, Gregorius XIII. ejus Successor ad terminos Juris communis, & Sacri Conc. Tridentini revocavit, constitutione, quæ incipit, In tanta.*

R E G U L A X I I.

Paroshi, cujusquam gratia, aut metu, Missam Parochialem anticipare non debent, aut differre; sed ea hora celebrare, quæ populo magis commoda sit.

ITa decrevit Conc. Mediolanense i. cap. De his, quæ pertinent ad celebrationem Missæ. Quod si forte quispiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, ut Sacerdos quidquam contra quam hoc Decreto sancitum est, faciat: si Clericus sit, & Beneficium obtineat, eo privetur; si non habet Beneficium, ne habere quidem ad quinquennium possit; si Laicus, re ipsa jam tunc Excommunicationis pœnam subeat.

Concilium Turonense anni 1583. cap. viii. Missas Parœciales hora conveniente, non prius, aut tardius, celebrent hi, quibus incumbit, Potentum quorumvis, etiam Nobilium, aut aliarum personarum favore, precibus, minis, seu comminationibus in contrarium non prevalituris.

Concilium Bituricense anni MDLXXXIV. Tit. xxiii. canone viii. Non celebretur Missa Parœcialis ad nutum Nobilium, aut Laicorum, sed consuetæ, & opportuna hora.

A R T I C U L U S V I.

De valore Sacrificii Missæ.

VAlor Sacrificii Missæ, seu vis illius, & dignitas, ratione rei oblatæ, & principalis offerentis, infinita est. Eadem enim victima est, quæ in Cruce pro nostris, & totius Mundi peccatis est oblata: idem Sacerdos; unum, & idem proinde Sacrificium, sola offerendi ratione diversum, ut docet Sacra Synodus Tridentina. Cum itaque Christus idem sui Sacrificii Sacerdos, & victima, sit infinitæ dignitatis, & virtutis, Missæ Sacrificium ea ratione spectatum infiniti pretii, ac virtutis est. Christus enim, qui in eo immolatur, *In se uno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebat effectum, idem scilicet & Sacerdos, & Sacrificium; & idem Deus, & Templum: Sacerdos per quem sumus reconciliati, Sacrificium, quo reconciliati, Templum in quo reconciliati, Deus, cui reconciliati: solus tamen Sacerdos, & Templum, & Sacrificium, & hæc omnia secundum formam servi* (inquit S. Fulgentius Lib. De Fide ad Petrum, cap. 11.) At Sacrificium Missæ spectatum ratione effectus, quem ex Christi institutione habet, quatenus per Ecclesiæ Ministros offertur, finiti valoris, & virtutis est: Oblatio enim, quatenus est actio Sacerdotis, finita est. Deinde, cum hoc Sacrificium Christus instituerit, ut per illud nobis applicaretur virtus Sacrificii, quo se semel in Cruce pro nostra redemptione Deo obtulit, nec cruentum illud Sacrificium fuerit infinitæ virtutis, quoad efficaciam, id est, effectum infinitum non habuerit, sed solum quoad sufficientiam: idem potiori quadam ratione de Sacrificio Eucharistiæ dicendum est; siquidem illud instituit Christus, ut frequentaretur, illud autem, ut semel tantum offerretur. Hinc existit difficultas, utrum Sacrificium pro multis oblatum æque profit singulis, ac si pro uno tantum offerretur.

Vis, & applicatio Sacrificii Missæ.

P R O P O S I T I O I.

Sacrificium Missæ, quatenus intentione, & orationibus Sacerdotis aliis applicatur, non æque prodest singulis, ac si pro uno solum offerretur.

Virtus enim illius secundum hanc rationem spectata, finita est: quod autem est finitum, si dividatur inter plures, non æque prodest singulis, ac si divideretur inter paucos, aut uni tantum applicaretur. Præterea, inter Joannis Vviclefi Articulos, ex quibus plures notorie hereticos, & a SS. Patribus dudum reprobatos; alios non Catholicos, sed erroneos; alios scandalosos, & blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos temerarios, & seditiosos Concilium Constantiense declaravit, & ut tales damnavit, deci-

mus
Vis, & applicatio Sacrificii Missæ.

mus nonus his verbis conceptus est: *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem quam generales, ceteris paribus.* Cum itaque Missæ Sacrificium intentione, & oratione Sacerdotis celebrantis applicetur illis, pro quibus offertur, non ita prodest singulis, ac si pro uno solum offerretur.

Alia quidem fuisse videtur mens *Vvalafridi Strabonis* Lib. *De Rebus Ecclesiasticis*, cap. *xxii*. Sed & in hoc (inquit) error non modicus videtur, quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem facere eorum, pro quibus offerunt, nisi singulas Oblationes pro singulis offerant: vel pro vivis, & defunctis non simul æstimant immolandum: cum simul sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum Panem esse, & Sanguinem, quem universalis tenet Ecclesia. Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine, & Orationum augendarum devotione id faciat; non autem pro stultæ opinione, qua putet unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum. Sed non animadvertit ille Auctor, quod etsi Missa ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, scilicet Christi, sit infinitæ virtutis, & Corpus, Sanguisque illius sint generale medicamentum, quod in se habet, ut omnibus profit; tamen, si non applicatur, non medetur: non autem applicatur infinite per intentionem, & Orationes Sacerdotis: unde nec pro pluribus speciatim oblatum, ita singulis prodest, ac si pro uno singulatim offerretur. Pretium enim solutum pro pluribus, non æque prodest singulis, ac si pro uno solveretur. Cum igitur Missa sit *Sacrificium Pretii nostri* (ut vocat S. Augustinus) non æque singulis prodest, pro quibus offertur, ac si uni tantum applicaretur. Unde Conc. Lambethense, seu Constitutiones Joannis de Peckam Archiepiscopi Cantuariensis, cap. *ii*. *Licet* (inquit) *ipsū Sacrificium, quod est Christus, sit infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio suæ immensitatis summam plenitudinem operatur: alioquin pro uno mortuo numquam oporteret nisi unam Missam dicere: operatur enim in hujusmodi Mysteriis distributione certæ suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili alligavit.* Atque hæc est S. Thomæ doctrina in *iv. Sententiarum*, dist. *xlv. qu. ii. art. iv. quæst. i.* *Alio modo* (inquit) *suffragia valent ex hoc, quod per intentionem unius alteri applicantur, & sic satisfactio unius alteri computatur: & hoc modo non est dubium, quod magis valent ei, pro quo fiunt, immo sic ei soli valent: satisfactio enim proprie ad pœnæ dimissionem ordinatur: unde quantum ad dimissionem pœnæ præcipue valet suffragium ei, pro quo fit.*

Et in Responsione ad primum, *In quantum* (inquit) *suffragia sunt quedam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum, non sunt similia luminibus, sed magis solutioni alicujus debiti: non autem est necesse, ut si debitum pro uno solvitur, quod ex hoc aliorum debitum solvatur.*

Et quæst. *ii* in Responsione ad secundum: *Quamvis virtus Christi, quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur.* Unde non oportet, quod per unum Altaris Sacrificium tota pœnæ eorum, qui sunt in Purgatorio, expietur; sicut etiam nec per unum Sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur a tota satisfactioe debita pro peccatis. Unde & quandoque plures Missæ in satisfactioem unius peccati injunguntur. Credibile tamen est, quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his, pro quibus fiunt (ut scilicet eis non indigeant), aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant.

Denique si Missa pro multis celebrata tantum prodesset singulis, ac si pro uno tantum celebraretur, non instituisset Ecclesia, ut pro aliquo singulatim Missa celebraretur: & pro omnibus Fidelibus defunctis semper offerendum esset Sacrificium, nusquam uni speciatim applicandum: siquidem plures juvare melius est quam unum.

Vis, & applicatio Sacrificii Missæ.

PRQ

P R O P O S I T I O II.

Cum plures pari affectu, & devotione cooperantur Sacerdoti ad Sacrificium offerendum, non minor est Sacrificii fructus uniuscujusque Oblationi respondens, quam si unus tantum cum Celebrante offerret.

CUmenim tot sint oblationes, seu actiones offerentium, quot persone; fructus Sacrificii, quatenus per hujusmodi oblationes unicuique singulatim applicatum, non minor est quam si ab uno tantum Sacerdote per affectum, & devotionem cooperante, offerretur. Ecclesia itaque, & Fideles omnes sive præsentés, sive absentes, qui pium devotionis affectum Sacerdoti Missam celebranti adjungunt, Sacrificium suo modo offerunt. Hinc Sacerdos in Canone Missæ ait: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* Ex quibus verbis, inquit Petrus Damiani, in libro, quem inscripsit, *Domini vobiscum*, cap. viii. manifeste ostenditur, quod *A cunctis Fidelibus, non solum viris, sed & mulieribus Sacrificium illud offertur, licet ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur: quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo Fidelium intenta devotione commendat. Quod illic quoque declaratur, ubi dicitur: „ Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctę „ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias: Quibus verbis luce clarius constat, quia Sacrificium, quod a Sacerdote sacris Altaribus superponitur, a cuncta Dei familia generaliter offeratur.* Idem asserit Innoc. III. Lib. III. *De Mysteriis Missæ*, cap. v. *Non solum (inquit) offerunt Sacerdotes, sed & universi Fideles. Nam quod specialiter adimpletur Ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium.* Sicut igitur Sacerdos intentione quidem generali Sacrificium offerens pro Ecclesia, pro Summo Pontifice, pro Episcopo, pro Rege, pro se ipso, pro vivis, & defunctis, illius virtutem applicat Ecclesiæ universæ, insignioribus illis Ecclesiæ membris, omnibusque Fidelibus, & præsertim, circumstantibus; intentione vero singulari fructum ejusdem Sacrificii illis applicat, pro quibus singulatim offerre decrevit: ita singuli cum Sacerdote offerentes sibi ipsis applicant pro sua virili Sacrificium: nec minorem ex eo fructum capiunt, si pari pietatis studio offerant, pariterque sint ad illum capeffendum dispositi.

Objicitur adversus primam Propositionem Can. *Non mediocriter*, dist. v. *De Consecratione*, cujus hæc sunt verba: *Dum pro cunctis Animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihilominus quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.*

Resp. primo, nihil minus accipi, si spectentur ratione charitatis, quæ omnia Corporis Christi Mystici bona omnibus illius membris facit esse communia; qui enim charitate flagrat, non minus de oblatione Sacrificii pro aliis pluribus delectatur, quam si pro illo singulatim offerretur; sed minus accipitur, si spectentur secundum rationem satisfactionis: ex pretio enim ad plurimorum debita expungenda soluto, non tantum sublevantur singuli, quantum sublevaretur unus pro quo singulatim solveretur. Hæc Resp. est *S. Thomæ* loco supra laudato.

Resp. secundo, nihil minus accipi ab eo, qui Psalmum recitat, aut Missam celebrat, cum puritate cordis & hilaritate spiritali, quæ Sp. Sancti fructus est, quam ab eo, qui totum Psalterium, aut Missam cum anxietate cordis celebraret: hæc enim Canonis hujus, *S. Hier.* nomine falso inscripti, hypothesis est: sed fructum minus uberem in eos derivari non negat, pro quibus communiter offertur, & ipsa Sacerdotis intentione, atque actione applicatur, quam in unum derivaretur, pro quo speciatim offerretur. Hanc esse Canonis illius hypothesis, tenor ejus ostendit. *Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationalis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigiliis præfert sensus integritati, ut propter abstinentiam im-*
mode-

Vis, & applicatio Sacrificii Missæ.

moderatam, atque indiscretam Psalmorum, vel Officiorum decantationem; aut amentie, aut tristitie notam incurrat? Numquid verborum multitudine flecti Deus, ut homo potest? Non enim verbis tantum, sed corde orandus est Deus. Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spiritali hilaritate, quam totius Psalterii modulatio cum anxietate, & cordis tristitia. Dum igitur pro cunctis Animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

R E G U L A I.

Qui pro pluribus celebrare debet, eumque in finem eleemosynam, sive honorarium accepit, Officio suo non satisfacit, celebrando unam Missam pro omnibus: quin immo graviter peccat, & ad restitutionem tenetur.

De celebra-
tione Mis-
sarum.

Illi enim sibi applicari volunt fructum respondentem obligationi Sacerdotis; ut pro aliquo singulatim offerentis: fructus autem ille Sacrificii, ea ratione spectatus, quo in plures dividitur, eo minor ad singulos pervenit: iusta igitur petitione sua, suo jure fraudantur Fideles, qui Sacerdoti stipendium, seu eleemosynam contulerunt, ut Missa pro ipsis singulatim celebraretur, si una, & eadem aliis applicetur, qui eleemosyna pariter data, seu stipendio (ut ita loquar) soluto, Sacrificium pro se offerri pariter postularunt.

Nec obstat, quod stipendia sint incongrua ad alendum una saltem die Sacerdotem, qui Altari ministrans, de Altari vivere debet. Qui enim a Sacerdotibus Missas postulant, diurnam illis sustentationem ex toto non debent, cum Sacerdotes non ad Missæ tantum celebrationem teneantur, sed etiam ad alia Officia obligentur, pro Ecclesiæ membris omnibus persolvenda. Unde Sacra Synodus Tridentina sess. XXI. cap. II. De Reformatione, statuit ne quis deinceps Clericus secularis ad Sac. Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, vel certe Patrimonium, aut Pensionem habere, quæ ipsi ad vitam sustentandam satis sint. Totale itaque diurnæ sustentationis stipendium ex Missarum celebratione Sacerdotibus expectandum non esse existimavit.

Missæ ho-
norum
Decretum
Urbani
VIII.

Confirmatur ex Decreto S. Congregationis Cardinalium Conc. Tridentini interpretum, Urbani VIII. Pontificis Maximi auctoritate edito die XXI. Junii MDCXXV. Ubi (inquit) pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis, quibuscumque, tam Secularibus, quam Regularibus, S. Congregatio sub obtestatione divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Id vero, ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis tam Secularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Missarum
bifaciata-
rum abusus.

Horrendus hoc in genere abusus jam olim in Ordinem Sacerdotalem irrepserat, quem Petrus Cantor in Verbo Abbreviato, cap. XXI. acerrime perstringit. Solebant enim ejus temporibus nonnulli Sacerdotes plures Missas in unum congerere celebrantes Missam diei, vel aliam præcipuam suo ordine, usque ad Offertorium; tum aliam incipientes usque ad eundem locum, deinde tertiam, & quar-

& quartam eodem modo. Postea tot Secretas Orationes dicebant, quot Missas inceperant: tandem sub uno Canone Sacrum perficiebant, totidem additis in fine Collectis, quos initio recitaverant. Originem hujus abusus adscribit *Petrus Cantor* Sacerdotum cupiditati, qui cum illicitum esse scirent pluries in die celebrare, has plurium Missarum institutiones invenerant: ut devotioni multorum petentium pro se offerri Sacrificium unica celebratione satisficientes, plura uno Sacrificio stipendia acciperent. Has autem Missas barbaro vocabulo *Bifaciatas*, & *trifaciatas* nuncupat quia duplicem, vel triplicem faciem habebant: quas veluti monstra, & contrarias institutioni, & consuetudini Ecclesiæ improbat, & detestatur.

Confirmatur secundo Propositio superior ex Decreto *Alexandri VII.* Pontificis Maximi dato Romæ die xxiv. Septembris anni MDCLXV. quo inter alias corruptæ Moralis Propositiones, quas *ut minimum tamquam scandalosas* damnavit, ac prohibuit, docerique, ac defendi, aut de eis etiam disputando tractari, publice, vel privatim, nisi forsan impugnando, penitus vetuit sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, hæc ordine decima proscribitur: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram.*

Propositio damnata, in materia honorarii.

R E G U L A II.

Celebrationem Missæ anticipare non licet pro incertis Missas postulaturis, ac elemosynas in eum finem collaturis.

SIC enim pia Fidelium intentio defraudaretur, qui Sacrificium offerri volunt ad gratiam aliquam, vel auxilium, urgente necessitate, sibi, vel suis a Deo impetrandum. Quamobrem S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum auctoritate *Pauli V.* Pontificis Maximi anticipatam illam Celebrationem prohibuit, ac damnavit die xv. Novembris anni millesimi sexcentissimi quinti, *tamquam pluribus nominibus periculosam, Fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem*: illumque abusum aboleri jussit ab Episcopis, & Superioribus Regularibus; pœna Excommunicationis, aliisque propositis. Decretum illud refert *Barbosa*, Lib. *De Officio, & Potestate Episcopi*, p. 11. alleg. xxiv. sed *Clementi VIII.* tribuit, quod *Paulo V.* tribuendum est teste *Gavanto* in Manuali Episcoporum, verbo, *Missæ*. Obierat enim *Clemens VIII.* die tertia Martii, & post brevem *Leonis XI.* Successoris ejus Pontificatum, creatus est *Paulus V.* die decima sexta Maii. Forte abusus ille, qui in Hispaniis invaluerat, ad *Clementem VIII.* relatus primo fuerat, qui rem Sacram ad Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum Congregationem examinandam remisit: sed *Clem. VIII.* morte intercepto, & *Leone XI.* mense post creationem altero defuncto, *Pauli V.* Auctoritate negotia finita sunt, quæ *Clementis VIII.* Mandato cœpta fuerant. Ut ut est, recte colligit *Barbosa*, consuetudinem anticipate celebrandi non esse in praxi approbandam, nec tolerandam: tum quia redolet nimiam lucri cupiditatem; tum quia par est, ut qui tradit elemosynam, sciat Missam pro se celebrandam, ut melius se disponat ad recipiendum Sacrificii fructum: tum quia homines retrahi possent ab elemosynis in futurum tradendis pro Celebratione Missarum, si Sacerdos offerenti elemosynam responderet: *Applico tibi Sacrificium, quod alias celebravi.* Facile enim sibi persuaderent Sacerdotem accipere stipendium, & non persolvere onus, pro quo stipendium accepit. Casum tamen unum excipiant Casuum Arbitri, in quo Missarum Celebrationem anticipare Sacerdotilicium est, quando scilicet ex obligatione alicujus Capellæ tenetur aliquis tot Missas singulis hebdomadibus celebrare, vel in posterum certa quadam intentione; tunc enim huic oneri satisfacere potest, illas antecedente hebdomada celebrando: nisi forte in litteris fundationis aliud expressum esset, quo prætermisso, Fundatoris voluntas eludi videretur.

De celebratione Missarum.

Missæ honorarium.

Avarorum Sacerdotum praxis damnata.

R E G U L A III.

Sacerdos, qui Missam celebrandam cum certa elemosyna suscepit, Missam alteri celebrandam committere non potest parte ejusdem elemosynæ sibi retenta, etiamsi justum, & consuetum honorarium persolvat Celebranti.

De celebra-
tione Missarum.

Missæ hono-
rarium.

Decretum
S. Congrega-
tionis Conc.

NULLUS enim justus titulus est illi, qui Missam cum certa elemosyna suscipit, alterique celebrandam committit, retinendi sibi partem elemosynæ: illa siquidem tota quanta est, ob Missam celebrandam est erogata, adeoque illi indebita, qui non celebrat. Ab ipso proinde non solum absque turpis lucri nota, sed absque furti crimine retineri pars ejus non potest, & si retineat, ad restitutionem tenebitur. Eique legi non solum privati Sacerdotes, sed Æditui, sive Sacristæ quarumvis Ecclesiarum subjacent. Non possunt enim absque turpi lucro, & furto, partem elemosynæ ipsis collatæ ad celebrationem Missæ, v.g. ex affibus decem sibi quinque retinere, & quinque reliquos dare Sacerdoti iis Provinciis degenti, in quibus consueta pro celebratione Missæ elemosyna est quinque assium dumtaxat. Quamvis enim id cedat in commodum Ecclesiæ, vel Conventus alicujus Parisiensis, nec provinciali Sacerdoti fieri videatur injuria, cui stipendium illud gratum est: nihilominus peccatur contra justitiam, quia elemosyna ob Celebrationem Missarum erogata illi tota debetur, qui Missas celebrat. Quamobrem S. Congregatio Cardinalium Conc. Trident. Interpretum auctoritate *Urbani VIII.* edito ea de re Decr. an. MDCXXV. *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove-re volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem elemosynæ sibi retenta celebrandam committat.* Cumque ab eadem Congregatione postea quæsitum esset, *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur elemosyna major solita pro Celebratione Missæ, debeant dare eandem integram elemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an vero satis sit, ut dent Celebrantibus elemosynam consuetam?* S. Congregatio respondit: *Debere absolute integram elemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

Rector tamen Beneficii, qui Missarum celebrandarum onus Beneficii ipsius ratione sibi impositum ad alterum potest transmittere, non tenetur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii: *Sed satis est, ut ei tribuat elemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit* (ut respondit eadem Congregatio.)

Denique hanc Propositionem inter alias etiam damnavit *Alexander VII.* Pontifex Maximus: *Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii retenta.*

R E G U L A IV.

Nihil retineri debet ab Ædituis, aut administratoribus Ecclesiarum; ex Missarum celebrandarum Elemosynis, pro expensis ornamentorum, cereorum, hostiarum, vini, &c. nisi cum Ecclesiæ alios redditus non habent, quos cum in usum expendere possint.

ID enim omnino vetat laudatæ Congregationis Decretum, quæ ea de re proposito dubio respondit, *Permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex elemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ: & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt ab offerentibus elemosynas.*

R E-

R E G U L A V.

Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, aut stipendii, si Eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

ITa declaravit eadem Congregatio Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum. Unde cum Parochi Dominicis, & Festis diebus ratione Beneficii sui Missam celebrare teneantur, immo ter in hebdomada ex Decreto Concilii Mediolanensis i. sub *S. Carolo*, eleemosynas pro aliis etiam Missis diebus iisdem celebrandis suscipere non possunt, aut eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

De celebratione Missarum.

Quamobrem recte statuit Conc. Mediolanense i. sub *S. Carolo*: ut *Episcopus nosse studeat omnes, qui in quavis Ecclesia Missam celebrare, vel Sacerdotem, qui celebret, quid exhibere debeat, cogatque suo Officio satisfacere.*

Et Conc. Mediolanense iv. decrevit: „ ut Episcopus in facultate quavis Missarum celebrandarum concedenda, prorogandave, videat, ne ab ullo Sacerdote plus muneris, quam ab eo præstari possit, suscipi concedat, aut permittat; tum maxime perpendat, si Parochus est, qui sibi eam facultatem dari petit, an per hebdomadam possit, & suscipiendo novo celebrandarum Missarum muneri, & ei, quod in Ecclesia Parochiali, ex Tridentini, aut primi nostri Provincialis Concilii præscripto, aliave quacumque obligationis causa jam debet, satisfacere, & alia præterea officia obire, quibus diebus aut ad Festorum celebritatem, aut ad funus, exequiasve evocatus, eo convenerit, Missasque celebrare contigerit. Quod si per ipsum hæc omnia, singulaque præstari non posse viderit, ne potestatem ei faciat novi muneris eo nomine suscipiendi, nisi propter inopiam in Ecclesia Parochiali diebus ferialibus rarius aliquando Parochialis Muneris nomine, quam Conc. Provinciali primo iustum est; ideoque in alia, vel in eadem Ecclesia Parochiali, alio nomine per hebdomadam, iis ipsis scilicet ferialibus diebus celebrandi facultatem permitti necessarium Episcopus duxerit, cujus religiosæ conscientiæ id relinquimus.

Missæ honorarium.

„ Quilibet Sacerdos, quod suscepit, muneri Missæ Sacrificii faciendi satisfaciat omnino.

„ Nec vero cuiquam, qui quotidiano eo munere adstrictus quovis modo est, ne semel quidem in hebdomada, ut alibi Missam celebret, id prætermittere ullo prætextu liceat; nisi aliquando ejus, cui id curæ Episcopus dederit, aut si nemini dederit, Rectoris, Præfæctive Ecclesiæ consensu Sacerdotem alium ante in locum suum substituerit, qui id præstet, quod in Ecclesia ipse debet.

„ Quo citius, atque exploratius Episcopus sciat, eorum, qui Sacri faciendi causa aliquid pie vel legarunt, vel dederunt, voluntati per illos, quorum interest, vere satisfactum esse; ac rursus si quid ea in re neglectum, aut omissum, prætermisissumve est, id opportune, ut fiat, prospicere, cavereque possit, hæc decernimus, ac statuimus.

„ In unaquaque Ecclesia liber deinceps singulis annis, vel alio certo tempore renovandus, perpetuo sit; in quo & anno, & mense, & die primum notato, unusquisque sive Parochus, sive Capellanus, sive alius Sacerdos, qui quovis obligationis nomine in ea Ecclesia Missæ Sacrificium fecerit, in singulos dies, ubi id perfecerit, manu sua subscribat: & nominatim breviter exponat, se illud præstitisse, aut Parochialis Ecclesiæ, aut Capellæ, legative pii, aut Anniversarii, aut funeralis officii nomine. Cui præterea Libro singulis diebus subscribat is, quem in qualibet Ecclesia Episcopus statuerit: qui item, si ipse est, qui Missæ Sacrificium eo quovis nomine fecerit, ipse manu sua subscribat, quoties aliquo eo nomine Missam celebraverit. Is liber tuto Sacrificiæ loco asservetur.

De celebratione Missarum.

Missæ honorarium.

„ Nec vero cuiquam Capellano non titulari, qui munus celebrandi certis, stativè diebus, aut ad certum tempus, aut in perpetuum suscepit, quidquam mercedis eleemosynæve ex legatis piis, aliaque quavis ratione a quibusvis solvatur;

„ neque id exigat absque Episcopi, ejusve, cui id curæ ille dederit, mandato,
 „ eoque scripto: quod ne detur, nisi pro ratione præstiti muneris, cujus testi-
 „ monium scriptum re ipsa exhibuerit.

„ Anno autem expleto, vel breviori temporis spatio, quicquid ob præter-
 „ missum celebrandarum Missarum munus Capellano tribui non debet; id omne
 „ Fabricæ Ecclesiæ Præfectis, aut Corporis Domini Confratribus in Ecclesia
 „ constitutis, ubi ille Missarum muneri defuerit, aut aliis Depositariis solvatur
 „ ab Episcopo constitutis: ut quod Missas celebrari ab eo prætermisum est, toti-
 „ dem eo nomine ab alio Sacerdote celebrentur, aut ad ipsum ornamentorum,
 „ quæ eisdem Altaribus, Capellisve usui sunt, apparatus erogetur, prout Epif-
 „ copus expedire existimaverit.

„ Ut autem & hoc diligentius præstetur, & Sacerdotibus consulatur, qui
 „ ob Missæ celebrandæ munus susceptum, ac præstitum, eleemosynas sibi de-
 „ bitas magno cum negotio, sæpeve cum detrimento ab iis, qui tribuere debent,
 „ consequuntur: Episcopus, ubi expedire viderit, certos aliquos, probatos-
 „ que homines depositarios deligat, quorum munus sit illa exigere, custodire,
 „ tum statis temporibus pro ratione suprascripta, Capellanis sine mora solvere.

„ Et quoniam qui Capellas, Altaria, aliave Beneficia Ecclesiastica in titu-
 „ lum obtinent, quibus Missarum munus aliquod incumbit, non ab hæredibus
 „ eorum, qui legata pia reliquerunt, vel ab aliis ejusmodi, sed ipsi per se fructus,
 „ Capellarum Altariumve suorum exigere solent, cum iis sequeltri ratione,
 „ omnique alio modo Episcopus agat, ut si muneri suo illi celebrandis Missis de-
 „ fuerint, fructuum restitutio locum habeat; eaque ad præscriptam, ut supra,
 „ rationem pie utiliterque erogetur. Quam sequeltri, & multæ rationem omnes
 „ adhibere debent, ut opus fuerit, cum Capellanis quoque illis, qui etiam le-
 „ gati nomine, vel alia ejusmodi causa Missas celebrandas ad certum tem-
 „ pus, vel in perpetuum suscipiunt.

R E G U L A VI.

*Sacerdoti pro alio Missam, recepta eleemosyna, celebranti non licet aliam quo-
 que eleemosynam accipere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris
 ejusdem Sacrificii ipsimet Celebranti debitam applicet.*

De celebra-
 tione Missa-
 rum.

Alexandri
 VII. Decre-
 tum.

Quamvis enim specialis ille Sacrificii fructus Sacerdoti a Deo destina-
 tus, beneficium personale non esset, alterique incommunicabile, ta-
 men Sacerdoti non liceret esse ita salutis suæ, & spiritualis profectus incu-
 rioso, ac negligenti, ita turpis lucri cupido, ut propter decem asses aug-
 mento gratiæ, remissioni pœnæ, novis gratiarum auxiliis, quæ per Sacri-
 ficium Corporis, & Sanguinis Christi obtinere a Deo potest, renunciaret.
 Quamobrem S. Congregatio Cardinalium Tridentini Conc. Interpretum *Ale-
 xandri VII.* auctoritate, Assertionem quorundam, qui id licitum asseruerant,
 post maturum examen reprobata, die xxv. Januarii anni millesimi sexcen-
 tesimi quinquagesimi noni declaravit: *Nulli Sacerdoti licitum esse præfata ra-
 tione, sive prætextu, aliam eleemosynam accipere, præter illam, quam accepit
 ab eo, pro quo Missam offerre tenetur: ac proinde casum hunc esse comprehen-
 sum in Decretis alias per eandem S. Congregationem Concilii editis, quibus
 prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur.* Quam Declara-
 tionem Summus Pontifex confirmavit, & Decretum in praxi sequendum
 ad Episcopos, & Summos Ordinum Moderatores transmitti jussit.

R E G U L A VII.

Ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, ab Episcopo præscribenda est eleemosyna congrua, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Item, Si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missæ celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Cum vero Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum tenentur Missas illas ab offerente præscriptas celebrare.

Ita declaravit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, iisdemque verbis ad dubia sibi proposita respondit, cujus responsa Urbani VIII. Auctoritate approbata, Tom. iv. Bullarii Romani p. 90. edita sunt.

R E G U L A VIII.

Cujusvis generis mercedum conditiones, & pacta pro celebratione Missarum, & quicquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibere debent Episcopi.

Ita jubet S. Synodus Tridentina sess. xxii. in Decreto de observandis, & vitandis in celebratione Missæ; & merito quidem: nam *Facere pactiorem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen Sacerdos non habet alios sumptus, & non tenetur ex Officio Missam cantare, potest accipere denarios (sicut conducti Sacerdotes faciunt) non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* Verba sunt S. Thomæ in iv. Sententiarum, dist. xxv. quæst. iii. art. ii. quæst. i. ad iv. Sane turpis quæstus, qui in quosdam Viros Ecclesiasticos irrepit, qui de Missarum celebratione artem fecere lucrandi panem, ut loquitur alicubi Cajetanus, dat locum Ecclesiæ gemitui, quæ hæc S. Bernardi verba usurpare potest: *Ipsa quoque Ecclesiasticæ Dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere, nec in his salus animarum, sed luxuria quæritur divitiarum: propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant.*

Statuit etiam Synodus Mediolanensis i. ut *Tollant Episcopi sumptuosa convivium, ludos, choreas, & omne inanium oblectamentorum genus, ceterosque omnes abusus qui Populi temeritate, aut Sacerdotum avaritia in novæ (ut vocant) Missæ celebrationem irrepserunt; & in eos, qui in hoc genere aliquid peccarint, Episcopus graviter animadvertat.*

Concilium Narbonense anni millesimi sexcentissimi noni, cap. xix. decernit, ut *Quod ex devotione pro Missarum celebratione per Fideles Sacerdoti in eleemosynam erogatur, ipse recipiat; a pluribus idem non petiturus, sub pœna Excommunicationis.*

Statuta Synodalia Henrici Coloniensis Archiepiscopi anno mcccxxi. edita, Sacerdotibus recens ordinatis prohibent, ne lucri extorquendi causa plures Missas, quas primas vocant, in diversis locis publice celebrent: sed unam tantum celebret novus quilibet Sacerdos sub titulo primæ Missæ, nec alibi quam in Ecclesia, in qua Beneficiatus est, vel si Religiosus fuerit, in Monasterio suo: non Beneficiatus vero in Ecclesia Parochiali sui domicilii, vel originis. Nec primæ celebrationis proclamationes in locis, & plateis publicis fieri procuret, vel permittat. Contrarium facientes Excommunicationem ipso facto incursum declarat Archiepiscopus ille Coloniensis.

In hujusmodi etiam primis Missis compadres, & commatres eligere spe munerum, turpis lucri damnanda cupiditas est, nec Ecclesiæ Moribus congruit, ac sanctissimæ Disciplina.

Missæ honorarium.

De celebratione Missarum.

R E G U L A IX.

„ **Q**ui Capellas obtinent, ipsi per se, non alii eorum nomine, Missæ Sacri-
 „ ficiū, divinaque Officia, quæ illarum Rectores præstare debent, in
 „ illis celebrent, si modo vel aliud Ecclesiasticum Beneficiū, quod Resi-
 „ dentia personale munus requirat, non habeant; eoque impediti debita iis
 „ Capellis Officia gerere non queant; vel earumdem institutione, donatione-
 „ ve, aut legato, aut donatione, aut facultate ab Episcopo impetrata, in illis
 „ obeundis Capellani Officiis aliena opera ministeriove uti possint; vel alia qua-
 „ vis ratione, causave impediti sint. Singula vero, ob quæ Capellanus aliquis se
 „ a debito Capellani Officii munere immunem putet, asseratve quominus per se
 „ ipsum præstet, ab Episcopo cognoscantur, ac probentur. Ita statuit Conci-
 „ lium Mediolanense IV. sub *S. Carolo*.

C A P U T VII.

D E C Æ R E M O N I I S M I S S Æ.

A R T I C U L U S I.

De Cæremoniis locum spectantibus.

In Ecclesia, seu loco sacro Missa debet celebrari.

Quamvis Mundus universus templum sit Dei, & in omni loco puras manus ad ipsum attollere liceat, ut docet Apost. I. ad *Tim.* II. Sacrificium tamen in loco rite consecrato decet offerri, scilicet in Ecclesia, & Altari divino cultui dedicatis. Sicut ergo extra Templum Hierosolymitanum nefas erat in Veteri Lege victimas immolare; ita in Ecclesia Christi, certa loca ab Apostolis, eorumque Successoribus designata sunt, extra quæ illicitum foret Sacrificium offerre. Hinc Apost. I. ad *Cor.* XI. ait: *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos :: Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et si enim nomen Ecclesiæ pro Fidelium Congregatione frequenter sumatur; hic tamen ab Apostolo pro ipso loco in quem illi conveniebant, usurpari evidens est; quod & *S. Augustinus* confirmat quæst. LVII. in *Leviticum*. Hinc *Tertullianus* Lib. *De Idololatria*, cap. VIII. *Tota die* (inquit) *ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, de Adversarii officina in domum Dei.* Et Lib. *De Pudicitia*, cap. IV. Nefarios quosdam summos ait, *Non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto.* Sed & *S. Irenæus*, Lib. IV. cap. XX. & XXXIV. & *Origenes* Hom. XI. in *Numeros*, Ecclesiæ, & Altaris meminerunt. *Optatus Milevitanus* Lib. II. ait, Donatistas inter quadraginta, & quod excurrit Basilicas, non habuisse locum Romæ in quo colligerent, id est; ad Sacrificium offerendum congregarentur. Ante *Constantini Magni* tempora Christianos Ecclesias habuisse constat, ex *Eusebio* Lib. VI. cap. XXXIV. narrante quomodo *Philippus* Christianus Imperator in Vigilia Paschæ ab Ecclesiæ aditu ob crimina ab Episcopo exclusus est, & non nisi peracta pœnitentia admissus; & Lib. VIII. cap. II. Edicta Imperatorum *Diocletiani* & *Maximiani* de evertendis Christianorum Ecclesiis promulgata fuisse scribit *S. Basilius*, Lib. *De Baptismo*, cap. VIII. *Nobis periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime si Sacerdotii Mystera in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus incelebrante, offendiculum quoque generaret.* Huic suffragatur *S. Cyrillus Alexandrinus*, Lib. *Adversus Antropomorphitas*, cap. XII. *Donum* (inquit) *sive Oblatio, quam mystice celebramus, in solis orthodoxorum sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi omnino. Qui secus faciunt, aperte Legem violant.*

Quamobrem recte Canonibus constitutum est, ut Sacrificium Eucharistiæ extra loca ab Episcopo consecrata, vel Dei cultui designata non celebretur. Ea de re legi possunt cap. *Hic ergo*, quod *S. Clementi*, cap. *Sicut*, quod *Felici* Papæ, cap.

cap. Nullus, quod S. Silvestro, & cap. Missarum, quod Conc. Tiburienfi tribuitur, dist. I. De Consecratione, & Conc. Tridentinum sess. XXI. cap. tamen Concedimus, indulgetur in itinere positus (longinquo nimirum) ut si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentorio, si tabula Altaris consecrata, ceteraque S. Ministeria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, Missarum solemnia celebrent.

II. Non solum in Æde sacra sive Ecclesia, sed in Altari Missæ Sacrificium offerendum, Scriptura Sacra, & Apostolica Traditio docent. Habemus Altare (inquit Apostolus ad Hebræos cap. XIII.) de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt. De quo Tertullianus Lib. De Oratione cap. XIV. Nonne solemnior erit statio tua, si & ad Aram Dei steteris? De quo S. Cyprianus Epist. LXVI. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Ministros voluit avocare. Egregius est de Altaribus Donatistarum impio furore everfis Optati Milevitani locus Lib. VI. Quid est (inquit) tam sacrilegum, quam Altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, remove? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt: quo Deus omnipotens invocatus sit: quo postulatus descendit Sp. Sanctus: unde a multis pignus salutis eterne, & tutela fidei, & spes Resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit Salvator poni, nisi que essent de pace condita. Depone, inquit, munus tuum ante Altare, & prius concorda cum fratre tuo, ut possit pro te Sacerdos offerre. Quid est enim Altare, nisi sedes & Corporis, & Sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit. . . . Si livoris iudicio nos vobis sordidi videbamus, quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari consueverat? Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta Corpus, & Sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vos ipsi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sancte, ut arbitramini, obtulistis? Dum impie persequimini manus nostras illic, ubi Corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Hoc modo Judæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in Cruce: a vobis percussus est in Altari. Si Catholicos illic insectari voluistis, vel vestris illic antiquis oblationibus parceretis. Et Lib. II. Conferta erat Ecclesia Populis; plena erat Cathedra Episcopalis: erat Altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus, & ceteri.

III. Tam Ecclesiæ, quam Altaris Consecratio ad Sacrificium celebrandum ex Apostolica Traditione manavit. Dicationis Ecclesiæ meminit S. Athanasius Apologia ad Constantium Imperatorem. „ Non Encæniorum (inquit) „ Festum celebravimus, Religiosissime Auguste; id enim celebrare ante „ tuum Decretum profus nefarium fuisset: neque de industria eo deveni- „ mus, neque Episcopus quispiam, aut ullus Clericus eo nomine evocatus „ est: neque ulla denunciatione ad Synaxim coitum est: sed quid actum est, „ norunt omnes. Festum erat Paschæ, & tanta vis Populorum aderat, quan- „ tum Christianorum in Urbe esse Christicolæ Principes optarint. Cum igitur „ Ecclesiæ paucæ, parvæque essent, magnoque tumultu posceretur, ut in Ma- „ gna Ecclesia Conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua salute „ fierent, quod & factum est, egoque reniterer adhortationibus, ut rem ali- „ quousque differrent, & potius quomodocumque liceret, etiam cum com- „ pressionem, & afflictionem in aliis Ecclesiæ cætus agerent; mihi nequam ob- „ temperatum est. Quin potius Urbem egredi parati erant, ut in disertis lo- „ cis & sub dio conventus facerent; melius esse laborem itineris ferre, quam „ cum luctu Festum celebrare. . . . Beatæ memoriæ Alexander, cum alia loca „ angusta essent, in Ecclesia Majore Theonæ nuncupata, quam ædificabat, „ Synaxes celebrari voluit: id enim jubebat hominum frequentia, nec in co-

Ad cele-
brationem
Missæ Alta-
re necessa-
rium est.

Ecclesia-
rum Dedi-
catio, &
Consecra-
tio Alta-
rium ex A-
postolica
Traditione
manavit.

gendo populo respexit, eam nondum exædificatam esse. Hoc & Treviris, & Aquilejæ fieri vidi: nam & illic diebus Festis, ob multitudinem, cum adhuc Templâ ædificarentur, Collectas habebant. Quinimmo Frater tuus beatæ memoriæ, in hujusmodi Templo, cum Aquilejæ Synaxis haberetur, ipse quoque eo se contulit. Ita nimirum & ego quoque feci: nec tamen celebrata sunt a nobis Encænâ, sed tantummodo precationum Synaxis habita est.

Ex hoc S. Athanasii loco certum est, Ecclesiarum Dedicacionem antiquissimæ institutionis esse, & quæ ad Apostolos merito referatur; & tamen antequam dedicatæ essent, licuisse in ipsis offerre Sacrificium, hoc ipso, quod a profanis locis distinctæ, & divino cultui designatæ, ac additæ essent, quas etsi nondum absoluta fabrica, Christiani *Dominicum* appellabant.

De Ecclesiarum Consecratione *Eusebius* Lib. x. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. III. *Post hæc* (inquit) *votivum nobis, ac desideratum spectaculum præbebatur, Dedicacionum scilicet festivitas per singulas Urbes, & Oratoriorum recens structorum consecrationes; ad hæc Episcoporum Conventus, peregrinorum ab externis, & procul disitis regionibus concursus; populorum mutua inter se charitas, ac benevolentia, cum membra corporis Christi in unam compagem coalescerent. . . . Jam vero Antistitum absolutissimæ ceremoniæ, & accurata Sacrificia Sacerdotum, & divini quidam, augustique Ecclesiæ Ritus; hinc Psalmos canentium, & reliquas nobis traditas voces auscultantium, illinc divina, & arcana obeuntium Ministeria. Mystica quoque salutaris Passionis symbola tradebantur.* Et Lib. IV. *De Vita Constantini*, cap. XLIII. & sequentibus, Dedicacionem Ecclesiæ Hierosolymorum Imperiali munificentia extructæ describit.

Consecrationis Altarium per inunctionem olei, & mysticas preces, meminerunt S. Dionysius, Lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. IV. & S. Gregorius Nissenus Oratione *In Baptismum Christi*, cujus hæc sunt verba: *Altare hoc sanctum, cui adsistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur: postquam vero Dei cultui consecratum, atque dedicatum est, ac Benedictionem accepit, Mensa sancta est, Altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiscue tangitur, sed a solis Sacerdotibus, iisque venerantibus correctatur.*

Abque Altari consecrato Missam celebrare nefas.

Altare, sive fixum, sive portatile, ab Episcopo consecratum esse necesse est, ita ut absque Altari sic consecrato Missam celebrare sit nefas, graviterque peccet quisquis aliter celebrat. Id constat ex cap. *Nullus*, & ex cap. *Altaria* 2. dist. 1. *De Consecratione*. Primum, quod *Hormisdæ* Papæ tribuitur, sic habet: *Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud Altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum: ut sit discretio inter sacrum, & non sacrum: nec Dedicacionem fingat, nisi sit: quod si fecerit, si Clericus est, degradetur; si vero Laicus, anathematizetur.* Alterum vero, quod ex Conc. Agathensis can. XIV. sumptum est, sic habet: *Altaria placuit non solum unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.*

IV. Quamvis autem propter necessitatem Missa possit in domibus non consecratis, cum Episcopi licentia celebrari, ut habetur cap. *Missarum*, dist. 1. *De Consecratione*, non tamen sine Altari portatili, ut habetur cap. *Concedimus*. Neque facta singularia *Luciani* Martyris, qui pectore suo pro Altari ad Sacrum faciendum in carcere usus est, aut *Theodoretii*, qui Diaconorum manibus vice Altaris usus est ad Sacrificium, in exemplum trahi debent. Consecrantur porro Ecclesiæ, Altaria, & alia hujusmodi inanimata divini Sacrificii instrumenta, *Non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex Consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui; ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad*

ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde *11. Mach. cap. 11.* dicitur: Vere Dei virtus quædam est in loco; nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator, & adjutor est loci illius: *Et inde est, quod hujusmodi ante Consecrationem emundantur, & exorcizantur, ut exinde virtus Inimici pellatur* (inquit *S. Thomas III. part. quæst. LXXXIII. art. III. ad III.)*

Non ergo propter indigentiam Dei, qui nullius eget, neque ad eum includendum, qui nullo circumscribi loco potest, cum sit immensus: Non enim in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur indigens aliquo; cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia; sed propter indigentiam hominum, ad reverentiam, & pietatem eorum erga Deum, resque divinas excitandam; ad significandam domum Dei, quæ sumus nos; ad significandum Christum, per quem offerimus hostiam laudis Deo; ad exprimendam Christi sanctitatem; ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia per Christi Passionem consecuta est; & sanctitatem Fidelibus Corpus Christi suscipientibus necessariam, extruuntur, eriguntur, & consecrantur Ecclesiæ, & Altaria. Sacra enim Ædes Ecclesiam, sive fideles significat, de qua Ecclesia scribit Apost. I. ad Timoth. III. *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.*

V. Altaria, sive fixa, sive portatilia, sine Sanctorum Reliquiis, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo, consecrari non possunt. Sic enim ab Ecclesia statutum est, usque veteri frequentatum. De Felice I. scribit Anastasius: *Hic constituit supra sepulchra, aut Memorias Martyrum Missas celebrari.* Reliquias ad Ecclesiam dedicandam necessarias esse, S. Paulinus ad Severum scribit Epist. XI. ad eumque mittit hunc in finem particulam ligni Sanctæ Crucis. Et in Natali IX. S. Felicis ita canit.

Altare sine Sanctorum Reliquiis consecrari non potest.

*Spectant de superis Altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem.
Namque & Apostolici cineres sub cœlite Mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.*

S. Ambrosius ad Marcellinam Sororem scribit: *Cum Basilicam dedicare vellem, mihi tamquam uno ore interpellare ceperunt, dicentes: Sicut in Romana, sic Basilicam dedices; respondi: Faciam, si Martyrum Reliquias invenero.* Invenit autem SS. Gervasi, & Protasii corpora, & Basilicam Romano more dedicavit. Idem initio Lib. De Exhortatione ad Virginitatem, de Reliquiis SS. Vitalis, & Agricole sermonem faciens, *Munera (inquit) salutis accipite, quæ nunc sub sacris Altaribus reconduntur.* Super SS. Petri, & Pauli ossa veneranda Romanum Episcopum offerre Domino Sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitrari Altaria, scribit S. Hieronymus, Lib. Adversus Vigilantium. In Memoriis Martyrum Altaria constitui, in quibus Deo Martyrum sacrificemus, scribit S. Augustinus Lib. XX. Contra Faustum Manichæum, cap. XXI. S. Gregorius Magnus Lib. V. Epist. L. Episcopo Santonensi Reliquias pro consecrandis Altaribus se mittere testatur; ejusdemque moris testis est Lib. VII. Indict. II. Epistolis XI. XII. LXXIII. LXXIV. LXXV. Libro IX. Epistola XXVI. Lib. X. Epist. XII. & Lib. I. Dialogorum, cap. X. Gregorius Turonensis in Vita S. Senoch Abbatis ita scribit: *Erecto Altari, & loculo in eo ad recipiendas Sanctorum Reliquias preparato, ad benedicendum invitat Episcopum.* Caput, Placuit, dist. I. De Consecratione, quod sumptum est ex Concilii Africani Canone quinquagesimo, qui in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ octogesimus tertius est, Altaria sine Reliquiis Martyrum erecta jubet everti: *Placuit ut Altaria, quæ passim per agros, & per vias, tamquam Memoriam Martyrum constituuntur in quibus nullum corpus, aut Reliquie martyrum conditæ probantur,*

ab Episcopis, qui locis eisdem præsent, si fieri potest, evertantur: si autem hoc per tumultus populares non finitur, plebes tamen admoncantur ne loca illa frequentent, ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur, & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliqua Reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque conspiciuntur Altaria, omnimoda improbantur. Denique Pontificale Romanum in Altaribus tam fixis, quam portatilibus Reliquias condi jubet, quando consecrantur. Unde Sacerdos ad Altare accedens ante Introitum Missæ orat, secundum Romanæ Ecclesiæ Ritus, *Per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic sunt*, ut Communio Militantis Ecclesiæ cum Triumphante significetur, & ad Sacrificium digne celebrandum implorentur Martyrum suffragia, quorum Animas sub Altari Dei S. Joannes in cælis vidit (*Apocal. vi.*)

Ecclesia consecrari non potest nisi ab Episcopo, nec debet sine dote.

VI. Ecclesia consecrari non potest nisi ab Episcopo, qui Consecrationis hujus Officium alteri committere non potest, qui non sit Episcopus, ut colligitur ex cap. *Nemo*, dist. I. *De Consecratione*, quod ex Conc. Aurelianensi III. sumptum est. Nec sine dote competenti consecrari debet, immo nec ædificari (ad Ecclesiam porro dotandam tenetur Fundator, vel ejus hæres, qui dotis instrumentum in manibus Episcopi deponere debet) ut statuit Concil. Bracarense II. can. v. qui refertur cap. *Placuit*, causa I. qu. II. & *Honorius III. Extra, De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*, cap. *Cum sicut*. Tam *Dominicis diebus*, quam *privatis*, consecrari possunt Ecclesiæ, ut respondet *Innoc. III. Tornacensi Episcopo*, cap. *Tua*, eodem titulo: quamvis decentius fiat hujusmodi Consecratio *Dominicis diebus*, vel in *Sanctorum Solemnitatibus*, ut habent Pontificalis Romani Rubricæ. Idque Conc. Cæsaraugustani III. can. I. olim statutum est. Non tamen sine Celebratione Missæ, ut statuit *Vigilius Pontifex Maximus Epistola ad Eutherium*, & refertur dist. I. *De Consecratione*, cap. *De Fabrica*.

Quibus diebus & an sine Missæ celebratio?

VII. Censetur Ecclesia consecrata, cum aliqua scripturâ, vel dotis instrumento probatur consecratio, sive in libro Ecclesiæ, sive in columna, sive in tabula marmorea, aut simili monumento, fidem faciente, memoria illius habeatur: vel unius etiam testis oculati, aut qui a fide dignis consecratam audierit, assertione. Si autem de Ecclesiæ Consecratione dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes Consecrationis existunt, absque ulla hæsitatione consecranda est: quia *Non monstratur iteratum, quod nescitur factum*; ut habet cap. *Solemnitates*, distinct. I. *De consecratione*, quod *Felici Quarto Epistola I. ad omnes Orthodoxos*, sive omnes Episcopos tribuitur: & Concilium Carthaginense VII. can. VI. quo baptizandos esse statuit eos, de quorum baptismo nullum testimonium legitimum habetur, de Ecclesiis idem decernit, *Quoties super earum Consecratione hesitatur, id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur*.

Quibus casibus iterum consecrari debet Ecclesia?

VIII. Duo præterea sunt casus, in quibus Ecclesia consecrata debet iterum consecrari. Primus est, si combusta fuerit, & parietes incendio consumpti, vel diruti, vel omnino, seu ex majori parte decrustati sint, ut constat ex cap. *Ecclesiis*, dist. I. *De Consecratione*, & ex *S. Antonino*, III. p. tit. X. cap. V. Si autem solum tectum combustum fuerit, iterum consecrari non debet, ut respondet *Innoc. III. cap. Ligneis*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ*. Alter casus est, si tota Ecclesia, vel major pars destructa fuerit: secus si solum tectum, & parietes integri manserint, qui Chrismate delibuti sunt; ut ex eodem Capite colligitur. Si vero parietes successive fuerint restaurati, eadem Ecclesia censetur, ideoque sufficit, ut Aqua benedicta reconcilietur, & Celebratione Missæ; ut habetur cap. *De Fabrica*, dist. I. *De Consecratione*.

IX. In Ecclesia violata, sive polluta, celebrare non licet: id qui fecerit, Episcopo non jubente, gravis peccati reus est, quamvis Irregularitatem, aliamve Censuram non incurrat, ut respondet *Bonifacius VIII.* cap. *Is qui*, in *Sexto*, cujus hæc sunt verba: *Is qui in Ecclesia sanguinis, aut feminis effusione polluta, vel qui presentibus majori Excommunicatione innodatis scienter celebrare presumat, licet in hoc temerarie agat, Irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in Jure, laqueum non incurrit.* Id vero discriminis Glossa constituit inter eos, qui celebrant in loco interdicto, & qui in loco polluto, quod primi contrahant Irregularitatem, non secundi; puniri tamen debeant ad arbitrium Superioris.

In Ecclesia violata celebrare non licet.

Quatuor porro in casibus polluitur, seu violatur Ecclesia. Primo propter *Homicidium* in ea perpetratum, vel enormem *Sanguinis effusionem*, ex percussione gravi, & injuriose ortam, ut constat ex cap. *Ecclesiis*, dist. 1. *De Consecratione*, & ex cap. *Proposuisti*, quod est *Innoc. III.* Compostellano Archiepiscopo respondentis. Si vero ex levi percussione elicitur sanguis, quamvis magna copia, ut in rixis puerorum contingit, non polluitur Ecclesia; nec etiam violatur, cum aliquis lapide fortuito cadente occiditur, vel ex amentie furore seipsum occidit, vel aggressorem ob necessariam, & justam suæ vitæ defensionem necat, quia mors illata non est per contentionem, & malam voluntatem. Item si quis vulnere extra Ecclesiam accepto, in Ecclesiam fugiens moriatur, nulla fit Ecclesiæ contaminatio, quia injuria in ea non est illata: contra vero, si quis in Ecclesia vulneretur, & extra moriatur: aut si quis ex jaculo aut glande ab homicida foras existente missis occidatur. Si vero in Ecclesiæ tecto, aut sub Ecclesia, in cellis, vel cubiculis subterraneis occidatur, Ecclesia propterea non violatur. At si quis graviter percutitur in Ecclesia, nec mors sequitur, aut sanguinis effusio, pollutane censenda est? Pollutam esse negant *Panormitanus*, alique non obscuri nominis Auctores; quamvis (inquiunt) aliquorum consuetudo non improbanda Ecclesiam in hoc etiam casu reconciliet ob aliorum terrorem. Si sententiam roger, violari non dubitanter asseram, si vulnus illatum est, quamvis nulla sanguinis effusio contigerit. Nitor Capitulo *Proposuisti*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ*.

Quibus casibus violare censetur Ecclesia.

Secundo, violatur Ecclesia propter *Adulterium*, & qualemcumque *feminis emissionem* sponte procuratam, ut respondet *Alexander III.* cap. *Significasti*, Extra, *De Adulteriis, & stupro*, idemque constat ex cap. *Ecclesiis*, dist. 1. *De Consecratione*. Conjugalis etiam debiti redditionem casus iste complectitur: per hanc enim etsi nulla proximo, gravis loco sacro fit injuria. Si tamen hæc facinora sint occulta, nulla reconciliatione opus est, cum Ecclesia de occultis non judicet, sed solum cum per se ipsa evidentiâ, & nota sunt, vel reorum confessione, aut probatione juridica.

Tertio, violatur Ecclesia, cum in ea sepelitur *Infidelis*, vel *Excommunicatus*, ut habetur cap. *Ecclesiam*, 27. & 28. dist. 1. *De Consecratione*, quorum primum ex Conc. Aurelianensi III. Alterum ex Conc. Agrippinensi sumptum est, & cap. *Consuluisti*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ*, quod est *Innoc. III.* ad Senonensem Episcopum rescribentis. Infidelium numero, & loco hic censentur infantes non baptizati: quamobrem si extra matris uterum positi sint, & seorsim ab ea sepeliantur, Ecclesia, vel Cæmeterium violatur: secus, si in utero matris mortui simul cum ea sepeliantur, quia non sepeliuntur, ut personæ distinctæ, sed ut partes matrum. Excommunicatum intellige, qui vel sit notorius percussor Clerici, vel nominatim denunciatus: illos enim duntaxat vitandos esse docet Extravagans *Ad vitanda*.

Quarto violari Ecclesiam censent Canonici Juris Interpretes, & Theologi plerique omnes (*Suarezio*, nonnullisque aliis exceptis) cum ab Episcopo ex-

com-

communicato dedicatur, aut benedicatur. Si enim hominis excommunicati cadaver Ecclesiam polluit, multo magis ipsam contaminant Ministri excommunicati non Consecratio, sed Execratio, ut ex Juris analogia colligunt *Hostiensis, Panormitanus, S. Antoninus, Paludanus, Silvester, Tabiena, Navarrus, &c.* Qui & *S. Thomæ* auctoritate nituntur III. p. qu. LXXXIII. art. III. dicentis: *Qui sunt extra Ecclesiam, consecrare non possunt.*

Infidelis, & Excommunicati corpus in Ecclesiam sepultum *exhumari debet*, forasque projici, cum ab aliorum corporibus discerni potest, secundum cap. *Ecclesiam*, dist. I. *De Consecratione*, & cap. *Sacris*, Extra, *De Sepulturis*, quod est *Innoc. III.* Nidrosiensi Archiepiscopo respondentis. Quod si excommunicatorum corpora discerni ab aliis non possint, ibi relinquenda sunt, *Ne cum eorum ossibus corpora extumulentur Fidelium*: & nihilominus Ecclesia reconcilianda est.

Polluta Ecclesia, Cœmeterium pollutum censetur, si sit Ecclesiæ contiguum, non vero si ab ea remotum. Antequam autem reconciliatum fuerit, nemo in eo sepeliri debet. At polluto Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, non propterea polluta censeri debet Ecclesia, *Ne minus dignum, majus, aut accessorium, principale ad se trahere videatur*. Non unum porro, sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio se junguntur: *Ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum*. Hæ regulæ traduntur cap. *Si Ecclesiam*, Tit. *De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*, in Sexto.

X. Cum Ecclesiam consecratam violari contingit, *Per Episcopum reconciliari debet*, non per *Sacerdotes simplices*, ut respondet *Gregorius IX.* Asturicensi Episcopo cap. *Aqua*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris* qui id deinceps fieri prohibet, *Non obstante consuetudine Provinciæ Bracarensis, quæ dicenda est potius corruptela: quia licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt, quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare*. Hinc Ecclesiarum Consecratio Chorepiscopis prohibita can. VII. Conc. Hispalensis, can. XLIV. Conc. Meldensis, can. V. Conc. Metensis. Adhiberi porro debet ad Ecclesiæ consecratæ reconciliationem *Aqua per Episcopum benedicta*, cum vino, & cinere. Si autem Ecclesia consecrata non fuerit, a simplici Sacerdote, de mandato Episcopi reconciliari potest per Aquæ communi ritu benedictæ asperisionem, ut ex cap. *Si Ecclesia*, colligitur: eodem Tit. *Si Ecclesia non consecrata cujuscumque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, Aqua protinus exorcizata lavetur, ne divine laudis organa suspendantur. Est tamen, quam citius fieri poterit, consecranda*. De Cœmeterii reconciliatione idem esto judicium.

Quamvis alia sit Consecratio Ecclesiæ, & Altaris, ideoque una sine altera fieri possit, violata tamen Ecclesia, Altare fixum, quod est pars illius, pollutum est: & polluto vicissim Altari, violata est Ecclesia. Altare tamen Consecrationem suam amittere potest, Ecclesia Consecrationem suam servante: primo, si Mensa frangatur enormiter, præsertim in angulis, ubi sit Consecratio, non autem si modicam fracturam passa fuerit. Secundo, si Mensa mota fuerit, idest, a stipite Altaris, seu lapidibus, aut columnis eam sustentantibus avulsa, vel si aliquis de lapidibus stipitis tangens ipsam mensam sit motus, ut ait *S. Raymundus* Lib III. Summæ. Tertio, si moveatur, aut frangatur sigillum sepulcri, in quo reconditæ sunt Sanctorum Reliquiæ, ubicumque sigillum istud constitutum sit, sive in superiori parte in ipsa mensa lapidea Altaris, sive ante Altare, vel in latere dextro Altaris, sive in ipso Altari sub mensa. Hæc traduntur cap. *Ad hæc*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*, ubi *Alexander III.* ita respondet: *Si Altare motum fuerit, aut lapis*
ille

An polluta Ecclesia pollutum sit cœmeterium, & e contrario?

A quo reconciliari debet Ecclesia violata?

Quibus casibus Altare Consecrationem suam amittit?

ille solummodo supra positus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus debet denuo consecrari. Propter hoc vero nequaquam reiterare suam Consecrationem Ecclesia consuevit; licet id quidam Canones innuere videantur. Et cap. *Quod in dubiis*, quod est Innoc. III. Tornacensi Episcopo rescribentis: *Altare vero* (inquit) *in quo tabula, cui Consecrationis benedictio Pontificali Ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit; debet non immerito consecrari.* Et cap. *Ligneis*, eodem Tit. *Cum parietes in sua integritate permanserint, & tabula Altaris mota, vel enormiter lesa non fuerit: ob causam prædictam nec Ecclesia, nec Altare debet denuo consecrari.*

Quarto Consecrationem suam amittit Altare, si fiat in eo tantum augmentum, ut amittat formam; *Quia forma rei est esse rei.* Ita S. Raymundus & S. Antoninus.

Altare portatile Consecrationem amittit, cum lapis a ligno avellitur, si sepulcrum, seu conditorium Reliquiarum sit in ligno. Secundo, cum sigillum sepulcri in lapide constituti movetur, sive lapis sit insertus ligno, sive non; salvo enim, & integro sigillo, Consecratione non excidit, quamvis a ligno separetur, quia Consecratio non fit in unione lapidis cum ligno, sed solius lapidis est. Additur autem lignum, ut commodius Calicem, & Hostiam capiat. Tertio, ex enormi lapidis fractione, ut colligitur ex cap. *Ligneis*, & ex cap. *Quod dubiis*, utque asserunt Joannes Andreas, Panormitanus, Silvester, & alii.

A R T I C U L U S II.

De Ceremoniis Altarium Ornamenta, Vasque, & Instrumenta Sacrificii Celebrationi necessaria spectantibus.

I. Altaria singula mappis tribus mundis, una oblonga, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabusque reliquis brevioribus vestita esse debent, & pallio item coloris, pro festi diei, feriæve ratione decenter ornata. Optatus Milevitanus Lib. vi. tamquam morem ubique receptum commemorat, quod Altaria linteis operirentur. *Quis* (inquit) *Fidelium nescit, in peragendis Mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Victor Vitenfis Episcopus Lib. i. *De Persecutione Vandalica*, Proculum quemdam ab impio Genferiso in Provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum scribit, qui Ecclesias devastans de pallis Altaris camissas sibi, & femoralia fecit. Concilium quoddam Rhemense ab Ivone Carnotensi II. P. Decreti, cap. cxxxii. relatum, observandum esse statuit, *Ut Mensa Christi, idest Altare, ubi Corpus Dominicum consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi SS. Reliquiæ reconduntur, ubi preces, & vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur: & mundissimis linteis, & pallis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Evangelia.*

Palle, seu mappæ Altaris.

II. In unoquoque Altari, in quo Missa celebranda est, Crux debet collocari, ut statuunt Conc. Mediolanense vi. & S. Carolus in Instructionibus pro celebratione Missæ. Crucis aureæ in Altari meminit Beda Lib. ii. Historiæ cap. xx. S. Bonaventura Lib. *De Mysteriis Missæ*, Sanctos Patres statuisse ait, ne quispiam Missas celebret, nisi in Altari adsit imago Crucifixi: & merito quidem, ut Crucis aspectu Sacerdori celebranti Passio Christi in memoriam revocetur, cujus Passionis hoc Sacrificium viva imago, & repræsentatio est.

Crux in Altari collocanda.

Duo etiam Candelabra cum totidem cereis ardentibus in Altari esse debent, unum in cornu Epistolæ, alterum in cornu Evangelii, dum Missa celebratur, ex S. Carolo in Instructionibus. Quos ea exiguitate adhiberi, quæ in tanto Mysterio dedecet, & adstantibus offensionem afferre possit, vetat Conc. Mediolanense i. Qui sine lumine Missam celebraret, gravis peccati reus esset,

Duo cerei.

ut constat ex cap. *Litteras*, Extra, *De Celebratione Missarum*: quo *Honorius III.* Presbyterum, qui sine lumine sacrificabat, Officio, & Beneficio privandum statuit. Usus Ecclesiæ postulat, ut sit ex cera: tum quia Deo optima quæque offerenda sunt; tum quia Acolythi, quibus luminum cura demandata est, Ceroferarii dicuntur. Unde qui cum alio, quam cereorum lumine, citra summam celebrandi necessitatem, Sacrum faceret, gravis peccati reus esset. Antiquum esse in Ecclesia cereorum usum, Sacrificii, & Divinorum Officiorum tempore, constat ex *S. Athanasio*, in Epistola *Ad Orthodoxos*, de Arianorum persecutione, qui Ethnicos ab illis in Ecclesiam introductos conqueritur, qui Candelabra deposuerunt, & cereos Idolis accenderunt. Et ex *S. Hieronymo* Lib. *Adversus Vigilantium*, ubi morem illum in Oriente universalem fuisse testatur: *Per totas (inquit) Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde & Virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas: & ad Apostolos dicitur: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & de Jo: Baptista: ILLE erat lucerna ardens, & lucens; ut sub typo luminis corporalis lux illa ostendatur, de qua in Psalterio legimus: LUCERNA pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Idem testatur *Prudentius* in Hymno *S. Laurentii*, & *Paulinus* in Natali *III. S. Felicis*. De hoc denique ritu *Micrologus* c. *XI.* ita scribit: *Juxta Romanum Ordinem nunquam Missam absque lumine celebramus; non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius Luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, sine quo & in Meridie palpamus, sicut in nocte.* Morem illum non reprehendit *Lactantius* Lib. *VI. Divinarum Institutionum*, cap. *II.* sed Ethnicorum superstitionem, qui lumina Deo accendebant tamquam in tenebris degenti, & luce indigenti. *Mactant igitur (inquit) optimas, ac pingues Hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tamquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti...* Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui Auctori, & datorum luminis, candelarum, ac cereorum lumen offert pro munere? Aliud vero ille a nobis exigit lumen, mentis scilicet, quod exhibere non potest, nisi qui Deum agnoverit. Illorum autem Dii, quia terreni sunt, egent luminibus, ne in tenebris sint.

Calix ex qua materia esse debeat?

III. Calicis usus in Sacrificio tam antiquus, quam Sacrificium ipsum. Legimus enim in Evangelio, Christum Dominum nostrum in ultima Cœna, postquam tradidit Discipulis suis sub specie panis Corpus suum, accepisse Calicem, & dedisse illis, & dixisse, ut omnes ex eo biberent Sanguinem suum, qui mox pro illis, & pro multis effundendus erat in remissionem peccatorum. Quod Apostolus se accepisse a Domino, & Fidelibus tradidisse testatur. Hinc Feria v. Hebdomadæ Sanctæ, in qua hujus Sacrificii institutio recolitur, *Natalis Calicis* ab antiquis Patribus vocabatur. Ita vocat *S. Eligius* Noviomensis Episcopus Hom. *x.* in Cœna Domini. Aurei, vel argentei Calices esse debent, aut saltem habere cuppam argenteam, intus inauratam, simul cum Patena pariter inaurata, ut docet *S. Carolus* in Instructionibus *De Celebratione Missæ*, & Missalis Romani Rubricæ præscribunt. Quamobrem sicut vitreorum calicum usum abrogavit Ecclesia, quamvis olim toleraverit, vel ob inopiam Ecclesiarum, vel quia vasa aurea, & argentea, ipsique Calices ad redemptionem captivorum, & alimoniam pauperum conflati fuerant: ita nunc stanneorum Calicum usum jam tollit quantum potest, quamvis hujus metalli usum jus antiquum aliquo modo toleret, cap. *Ut Calix*, dist. *1. De Consecratione*. Cujus hæc sunt verba: *Calix Domini cum Patena, si non ex auro omnino, ex argenteo fiat. Si quis autem tam pauper, saltem vel stanneum Calicem habeat. De ære, & aurichalcho non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ*

quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, vel vitreo Calice præsumat Missam cantare. Ex Conc. Rhemenfi nescio quo hoc Decretum referunt Ivo Carnotensis p. II. cap. cxxxI. & Gratianus: at Ricardus Cantuariensis Archiepiscopus, S. Thomæ Martyris immediatus Successor, in Synodo a Rogero De Hovedens relata, statuit, ne consecraretur Eucharistia, nisi in Calice aureo, vel argenteo, & ne stanneum Calicem Episcopus benediceret. Et S. Petrus Damiani Opusculo xxxIII. c. I. acerrime invehitur in Sacerdotes, qui stanneos, vel etiam supparis cujuscunque metalli Calices sordibus inhorrescere patienter aspiciant: *Et quod (inquit) non dignaretur Potens quilibet propriis adhibere labiis, in hoc isti Corpus non verentur imponere Salvatoris.* Veterem Ecclesiam Calicibus aureis, & argenteis usam ad Sacrificium, colligitur ex Optato Milevitano Lib. I. ubi loquens de Mensurio Episcopo ait: *Erant Ecclesie ex auro, & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat.* In his autem priorem locum tenuisse Calices, quis dubitet? Libro enim sexto inter Donatistarum scelera, hoc etiam ipsis exprobrat, quod Calices fregerint, & vendiderint: *Fregistis (inquit) Calices Christi Sanguinis portatores, quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes. Emerunt forsitan in usus suos sordide mulieres, emerunt Pagani, facturi vasa, in quibus incenderent Idolis suis.* Celebris est impii hominis blasphemia, quem cum Julianus Apostata ad Antiochenam Ecclesiam diripiendam misisset, sacrorum vasorum, quæ Constantinus donaverat, magnificentiam admiratus: *En (inquit) cujuscumque vasis Filio Mariæ ministratur.* Ita refert Theodoretus Lib. III. Histor. Eccles. cap. VIII. S. Jo: Chrysostomus aureum Calicem, & gemmis ornatum commemorat Hom. II. in Matthæum. S. Hieronymus Epist. ad Theophilum Alexandrinum, Paschalibus ejusdem Theophili Epistolis ab ipso Latinitate donatis præfixa, S. Calices, aliaque divini Sacrificii instrumenta veneratione digna esse docet. *Mirati sumus (inquit) in Operetuo utilitatem omnium Ecclesiarum, ut discant, qui ignorant, eruditi testimoniis Scripturarum, quæ debeant veneratione Sancta suscipere, & Altaris Christi ministerio deservire, Sacrosque Calices, & sancta velamina, & cetera, quæ ad cultum Dominicæ pertinent Passionis, non quasi inania, & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio Corporis, & Sanguinis Domini, eadem qua Corpus ejus, & Sanguis, majestate veneranda.* De Calicibus aureis, & argenteis in usum celebrandorum Sacramentorum consecratis S. Augustinus Concione II. in Pl. cxIII. explicans hunc Versum, *Simulacra gentium argentum, & aurum,* ita scribit.... *Sed enim & nos pleraque instrumenta, & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata Sancta dicantur, in eas honorem cui pro salute nostra inde servitur.* Refert Gregorius Turonensis Lib. III. Historiæ, cap. x. Childebertum Regem ex Hispania redeuntem, *Inter reliquos thesauros Ministeria pretiosissima detulisse, nimirum sexaginta Calices, quindecim Patenas, viginti Evangeliorum capsas: omnia ex auro puro, & gemmis pretiosis ornata.*

Calix sepulcrum novum significat in quo Christus sepultus est, Patena lapidem advolutum ad ostium monumenti, Corporale sindonem mundam, qua corpus ejus involvit Joseph ab Arimathæa, ut docent Rabanus Lib. I. De Institutione Clericorum, c. xxxIII & Hildebertus Archiepiscopus Turonensis in Carmine de Missæ Mysterio.

Ara Crucis, tumulique Calix, lapidisque Patena;

Sindonis officium candida byssus habet.

IV. Calicis, & Patenæ Consecratio ad Episcopos jure spectat, ut colligitur ex cap. *Cum venisset, Extra, De S. Unctione S. Ungitur,* ex Pontificali Romano & Ecclesiæ usu. Potestatem consecrandi Calices simplici Sacerdoti a Summo

Pon-

Pontifice committi posse, plerique scribunt Canonici Juris Interpretes, & Casuum Arbitri. Privilegio singulari id concessum Joanni Abbati Cisterciensi, & quatuor primis ejus Coabbatibus ab *Innoc. VIII.* anno millesimo quadringentesimo octogesimo nono, referunt, similique Sedis Apostolicæ Privilegio Patres Societatis Jesu Calices in Indiis consecrare.

Quando Calix Consecrationem suam amittit.

Consecrationem suam Calix amittit, cum ita frangitur, ut ad usum Sacrificii sit inutilis, nimirum si cuppa frangatur, vel a pede avellatur: si tamen calix esset tornatilis, ita per artem fabricatus, ut pes a cyatho absque ulla vi separari posset, consecrationem non amitteret separatione facta, siquidem nulla fractio fieret, ut *Barbosa*, aliique censent, licet quidam contrarium teneant. Quamvis enim in cyatho a pede separato fieri consecratio non possit, quia figura calicis non manet; si tamen a Sacro Ministro cyathus tornatilis pedi ante Missæ Consecrationem rursus inseratur, non videtur opus esse nova consecratione, cum eadem figura maneat, nihilque detractum, nihil additum sit. Secundo, nova consecratione pariter indiget Calix argenteus, cum post consecrationem deauratur, vel cum tota deauratio interior deteritur: quia consecratio fit in superficie illa interiori, quæ non manet eadem. Si vero ab aurificibus ita percutitur calix, ut tamen integer maneat, nec interior cuppæ superficies mutetur, nova consecratione non eget.

Corporale.

V. Ad celebrationem Missæ omnino etiam necessarium est Corporale, seu Palla lineæ, in qua Christi Corpus, consecratur. Constituisse dicitur *S. Silvester*, ut Sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto, sed tantum in lineo ex terra procreato consecraretur, sicut Corpus Domini in sindone lineæ, & munda sepultum est. De illo scribit *S. Isidorus Pelusiota Lib. I. Epist. cxxiii. Pura illa Sindon, quæ sub divinorum Donorum ministerio expansa est, Josephi Arimathensis est Ministerium. Ut enim ille Domini Corpus sindone involutum sepulture mandavit, per quod universum mortalium genus Resurrectionem percepit: eodem modo nos Propositionis panem in sindone sacrificantes, Christi Corpus, sine dubitatione reperimus nobis illam fontis in modum immortalitatem, quam Salvator funere elatus a Josepho, postquam resurrexit a mortuis, imperavit. Corporalis Benedictio in Romano Pontificali habetur, qua Antistes Deum precatur, ut hoc linteamen sanctificet Ad tegendum, involvendumque Corpus, & Sanguinem Domini Jesu Christi: & ut Corporis, ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus Sancti gratia efficiatur.*

A quo abluuntur Corporalia?

Corporalia debent abluuntur a Clerico in Sacris Ordinibus constituto, tertio quoque mense, & crebrius, si opus fuerit, ut jubent *S. Carolus* in Instructionibus, Concilium Rothomagensis, MDLXXXI. Aquense MDLXXXV. Synodus Carnotensis MDXXXVI. Turonensis MDLXXXIII. Concilium Mediolanense I. statuit, ut Ornamenta, & instrumenta Altarium pro celebratione Missæ, pura, ac munda sint, præsertim Corporalia, & Purificatoria; quamobrem etiam vino albo, ubi possit, tantummodo ad Missæ Sacrificium Sacerdotes utantur.

Missalia.

VI. Absque Libro Missali non licet Missam celebrare: si desit, a celebratione Missæ abstinendum est, quæcumque necessitas urgeat. Qui sine Missali celebraret, graviter peccaret: tum quia se exponeret periculo errandi in verbis Canonis, immo & Consecrationis, cum & optimæ memoriæ viros aliquando fallat memoria: tum quia violaret generalem Ecclesiæ consuetudinem. Idem esto judicium de illo qui sine Calice, & Patena consecratis, sine Corporali, sine Pallis Altare vestientibus, sine lumine, sine aliqua denique sacrarum vestium celebraret. Hunc, inquam, mortalis peccati reum censent *S.*

S. Ant. III. P. Tit. XIII. Cap. VI. 6.

Antoninus, & alii post ipsum Casuum Arbitri. In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, nos populi Dei, & instituta Majorum

forum pro lege tenenda sunt. Et sicut prævaricatores divinarum Legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt: ut habetur cap. In his, dist. XI. cujus prima pars ex Epistola S. August. ad Casulanum sumpta est.

ARTICULUS II.

De Cæremoniis sacra Sacerdotum Indumenta spectantibus.

Religio divina alterum habitum habet in ministerio Altaris, alterum in usu, vitæque communi (inquit S. Hieronymus, Commentario in cap. XLIV. Ezechielis.) Hunc Ritum ab Apostolis acceptum credere par est, quamvis in vestium sacrarum numero, & forma progressu temporis aliquid immutatum fuerit. Sacerdoti porro Missam celebraturo sex vestes sunt necessariæ, *Amictus*, *Alba*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, *Planeta*, seu *Casula*. Quæ omnes benedictæ esse debent, ut statuitur cap. *Vestimenta*, dist. I. De Consecratione, cujus hæc sunt verba: *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta: quibus, aliis in usibus non debent frui, quam Ecclesiasticis, & Deo dignis Officiis; quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthassar Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes veniat, & corrucere eos faciat ad ima.* Ab Episcopo, vel aliquo Summi Pont. Privilegium habente Sacerdote, benedicta esse oportet. Id autem Privilegium Prælati Regularibus a Leone X. concessum est, ita tamen, ut pro suarum dumtaxat Ecclesiarum usu Ornamenta Ecclesiastica benedicere valeant, ut respondit S. Congregatio Rituum XXIV. Augusti MDCIX. cujus Decretum commemorant *Gavantus* in Commentario ad Rubricas Missalis Tom. I. p. 4. tit. 19. num. 21. & *Barbosa* Lib. De Officio, & Potestate Episcopi, par. I. alleg. XXVII. n. 44. Episcopum hujus benedictionis officium committere non posse simplici Sacerdoti, respondit S. Rituum Congregatio, ut referunt *Possévinus* Lib. De Officio Curati, cap. II. num. 37. & *Barbosa* loco mox laudato, n. 42.

Cum Casula duplicata est, cum possit esse simpla (inquit S. Antoninus Tit. XIII. cap. VI.) super quamlibet partem fit benedictio: unde in celebrando verti potest ex utraque parte. Etsi una pars amoveatur ab alia, remanet benedicta, & potest cum ea celebrari. Idem esto judicium de Stola duplici. E longo manipulo licet facere stolam, & contra de brevi stola manipulum, vel cingulum, quia omnia hæc vera benedictione consecrantur.

Cum sacra vestimenta refarciuntur propter paupertatem, si ita franguntur, ut apta non sint ad usum, ad quem fuerant destinata, aut priorem figuram amplius non retineant, v. g. si ex Alba abscindatur manica, nova benedictione indigent.

II. *Amictus* significat velamen, quo Judæi faciem Christi obduxerunt, dum eum colaphis cæderent, dicentes, *Prophetiza, quis te percussit.* Vel etiam Coronam spineam, quam ejus capiti milites imposuerunt, ut Regiæ ipsius Dignitati illuderent, simulque ipsum doloribus vehementissimis in ipso sensuum omnium fonte cruciarent; Vel significat Christum Caput nostrum abscondisse Divinitatem suam sub amictu naturæ humanæ: & humanitatem simul, ac divinitatem abscondere in Eucharistia sub alienis panis, & vini speciebus. Moraliter vero *Amictus* significat galeam salutis, spem, & fiduciam in Deum, qua omnes spiritualium hostium incurfus expugnamus: necnon fortitudinem ad divina Officia exequenda, ut docet S. Thomas in IV. *Sententiarum*, dist. XXIV. q. III. art. III. Aut etiam, quatenus collum tegit, designat custodiam vocis, quæ per collum, & guttur emittitur; ut veredicere possit Sacerdos: *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* *Amictus*, inquam, de castigatione vocis Sacerdotem admonet. Ut vero per humeros diffunditur suave Domini jugum alacriter ferendum esse docet: ut adstringitur in modum Crucis ante pe-

Vestium sacrarum a profanis discrimen.

Benedictio

A quo benedici possint Ornamenta Ecclesiastica.

Vestes Sacerdoti celebranti necessariæ, illorum significatio. *Amictus.*

Psal. 38. 2.

Aut, notat propositum non admittendi alias cogitationes, quam de Deo.

Alba.

III. *Alba*, seu tunica talaris linea, cujus meminere Conc. Carthaginense sub *Anastasio I.* can. xli. & Narbonense sub *Pelagio II.* quam *Amalarius*, & alii *Camisiam* vocant, a Synagogæ Sacerdotibus ad Sacros Ecclesiæ Ministros transit. Vestem albam significat, qua *Herodes* Christum illudit (*Luc. xxiii.*) Moraliter significat cordis, ac vitæ puritatem, sua longitudine perseverantiam: & beatæ immortalitatis symbolum est.

Cingulum.

IV. *Cingulum* significat funem, quo Christus in horto ligatus est. Moraliter carnis continentiam Sacerdotibus maxime necessariam significat, sive mentis custodiam, qua luxuria restringitur, & cupiditas cohibetur, ne ad carnalia dilabatur, & gressus bonorum operum impediatur: sicut per cingulum, quod circa lumbos præcingitur, Alba ne difluat, & gressum impediatur, adstringitur. Ita *Honorius Augustodunensis* in *Gemma Animæ*, Lib. I. cap. cclii. Quamvis enim ad Christianos omnes pertineat, Sacerdotes tamen præcipue spectat illud Christi monitum: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et illud Apostoli: *State succincti lumbos vestros in veritate.*

Ephes 6.

Manipulus.

V. *Manipulus* erat olim mappula, sive sudarium brachio sinistro alligatum, quo sudor, & sordes abstergebantur, ut illi passim testantur, qui Tractatus de Divinis Officiis scripsere. Vincula significat Christi manibus injecta. Moraliter, extersionem minimarum macularum (inquit *S. Thomas.*) In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tedium nos pati superflui humeris, hoc est, carnalis delectationis (inquit *Amalarius* Lib. II. De Ecclesiasticis Officiis, cap. xxiv.) Secundo, vigilantiam significat, qua Sacerdos torporem animi excutere debet, bonis operibus jugiter incumbendo (inquit *Innoc. III.* Lib. I. De *Mysteriis Missæ*, cap. Lix.) Significat denique cordis compunctionem quam Sacerdos ad Altare deferre debet (inquit *Stephanus Aduensis* Lib. De *Sacramento Altaris*, cap. x.) Multiplicem illam significationem exprimit Oratio, quam fundit Sacerdos, cum manipulum induit: *Merear, Domine, portare manipulum fletus, & doloris, ut cum exultatione percipiam mercedem laboris.* Sacerdotes quippe tot sunt operarii, quos Christus misit in messem suam; quibus illud Psalmi cxxv. apprime convenit, si suo Ministerio digne fungantur: *Euntes ibant, & fiebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos:* Animas scilicet, in quas æternæ vitæ divinum semen Sacramentorum administratione, & divini verbi prædicatione immittunt, Christo Domino Messis ad iudicium venienti cum gaudio repræsentabunt, velut manipulos uberes suo labore collectos, & in horreo ipsius reponendos.

Stola.

VI. *Stola*, sive *Orarium*, significat funem, quo Christus columnæ alligatus, aut in Calvariæ Montem cum onere Crucis tractus est. Moraliter Christianæ obedientiæ jugum significat. A collo per anteriora descendens, dextrum latus ornat, & sinistrum, ut doceat Sacerdotem per arma justitiæ a dextris, & a sinistris, id est, in prosperis, & adversis, fortem, & constantem esse debere. Ita *Yvo Carnotensis* in Sermone De *Sacerdotalibus Indumentis*, & Con. *Bracarense IV.* anno Christi dclxxv. can. iv. cujus hæc sunt verba: *Cum antiqua Ecclesiastica noverimus institutione præfixum, ut omnis Sacerdos, cum ordinatur, Orario utroq; humero ambiatur; scilicet, ut qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & adversa, virtutum semper ornamento utrobique circumseptus appareat: qua ratione tempore Sacrifici non assumat, quod se in Sacramento accepisse non dubitatur? Proinde modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in Consecratione, hoc & retineat in Oblatione, vel perceptione suæ salutis; scilicet, ut cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut pro se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, &*

San-

Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore Ordinationis suæ dignoscitur consecratus; ita ut de uno, eodemque Orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præferat crucis. Si quis autem aliter egerit, Excommunicationi debite subiacebit. Significat denique Stolam immortalitatis in prævaricatione primi Parentis amissam, & virtute Passionis, ac Resurrectionis Christi, necnon divinæ Eucharistiæ, quæ futuræ gloriæ pignus est, nobis aliquando reddendam. Unde Sacerdos Stolam induens, hanc Orationem fundit: *Redde mihi, Domine, obsecro, Stolam immortalitatis, quam amisi in prævaricatione primi Parentis; & quamvis indignus accedo ad tuum Sacrum Mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

VII. *Planeta*, seu *Casula*, vestimentum purpureum significat, quo Christus in Passione sua indutus est. Moraliter, Charitatem; dumque & ante pectus, & post humeros pendet, Deum & proximum, amicum, & inimicum diligendum esse innuit. Ceteris Sacerdotum vestibus superponitur, quia charitas reliquis virtutibus antefertur: id etiam indicat Oratio, quam fundit Sacerdos Casulam induens: *Domine, qui dixisti, Jugum meum suave est, & onus meum leve, fac, ut istud portare sic valeam, ut consequar tuam gratiam*: nam charitas est, quæ Christi jugum suave facit, & onus leve, juxta illud 1. Joan. v. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus; & mandata ejus gravia non sunt*: quia nempe sunt facilia charitati, ut *S. Augustinus* exponit. Significat etiam Mysticum Christi Corpus, quod est Ecclesia, ut censet *Rupertus* Lib. 1. *De Divinis Officiis*, cap. xxii. Integra est, inquit, & undique clausa, ut unitatem, vel integritatem veræ fidei demonstret. Pars anterior, & posterior, antiquæ Ecclesiæ, quæ Passionem Domini præcessit, & novæ, quæ subsequitur, signum est. Quia vero Charitatis simul, & Ecclesiæ symbolum est, admonentur Sacerdotes, ut suam charitatem erga Ecclesiam sedulo exercent, exemplo Christi, qui *Dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata.* Casula dupla est, post tergum, inter humeros, & ante pectus. Per humeros, inquit *Amalarius*, opera exprimuntur: in eis duplex sit vestimentum: *Quia sic debemus bona opera foris proximis ostendere, ut eadem intus coram Domino integra servemus. In pectore duplex, quia in eo utrumque debet esse, & doctrina, & veritas: veritas interiorius, doctrina ad homines.*

VIII. Vestes sacræ ad profanos usus adhiberi absque sacrilegio non possunt, ut habetur cap. *Ad Nuptiarum*, dist. 1. *De Consecratione*, nec ab aliis, nisi a sacratis hominibus in Ecclesiasticis Officiis ferri debent, ex cap. *Vestimenta*, ibidem. Quamobrem, quæ ita detritæ, ac laceræ sunt, ut Sacris Ministeriis amplius servire non possint, comburi debent, eorumque cineres in piscinam, vel in locum mundum ab hominum vestigiis remotum inferri, ex cap. *Altaris*, ibid. Vestes profanas virorum, ac mulierum nobilium in sacros usus converti posse, quamvis neget Glossa Capitis, *Ad Nuptiarum*, censent Theologi insignes, *Angelus de Clavasio, Sylvester, Silvius, &c.* Quæ probabilior sententia est, cum ad Tabernaculi Veteris ornatum, cultumque, & ad vestes sanctas conficiendas, viri cum mulieribus præbuerint armillas, & in aures, annulos & dextralia, hyacinthum, & purpuram, &c. ut refertur *Exodi xxxv.* Ex vestibus itaque pretiosis mulierum illustrium Casulas, aut Altaris ornamenta fieri posse, cum eas Ecclesiæ offerunt, nemo dubitet. Verum gentilitia stemmata Nobilium vestibus sacris intexi, aut Calicibus, aliisque vasis Ecclesiæ oblati insculpi, minime permittere debent Episcopi, & Ecclesiarum Rectores, ne superbia, & ostentatio in Templis ipsis, Arisque triumphare videatur, atque hujusmodi

Planeta, seu
Casula.

Ephes. 5. 25.

Vestes Sa-
cras ad usus
profanos ad-
hibere ne-
fas.

Gentilitia
Nobilium
virorum, aut
mulierum
stemmata in
sacris vesti-
bus, aut va-
sis non fe-
renda.

Matt. 6. 5.

Libr. 21.
De Cain, &
Abel. c. vi.

donaria diabolus cum Christo, quod dictu horrendum est, partiatur. Hunc ir-
 abusum acerrime invehitur egregius Pietatis Magister *Joan. Taulerus*, Sermone
 1. in Dominica VII. post Trinitatem, & de illis, qui stemmata sua vestibus, or-
 namentis, vasis sacris, Altaribus, & Ecclesiis adtexi volunt, aut appingi, ut eo-
 rum munificentia innotescat, vere ait: *Receperunt mercedem suam*. Inanem
 porro eorum excusationem esse docet, qui id unum se quærere profitentur, ut
 pro illis oretur, quod eorum insignia monent. *Multo enim (inquit) utilior eis
 foret eleemosyna aliqua parva, soli Deo in sinu illius oblata, & abscondita pror-
 sus ab omnibus, quam vel celebris Templi constructio, scientibus cunctis, preces-
 que pro eis fundentibus: facile enim supplebit Deus, quicquid omnes orare possent,
 si bona sua opera illi soli relinquere, eique considerare curent. Sola namque elee-
 mosyna resignata, ac pura solius divinitatis intentione facta plus orat, quam
 omnes ad quorum notitiam pervenire posset, orare possent.* Qui igitur ea lege
 Ornamenta, vel Calices Ecclesiis offerunt, aut Capellas, vel Ecclesias eri-
 gunt, ut in iis gentilitia eorum stemmata effulgeant, seipsum quærunt, &
 Cainum imitantur, qui cum pauca, eaque deteriora ex bonis suis Deo mu-
 nera offerret, *Se ipsum sibi retinuit*: quamobrem eum recte obtulisse, sed non
 recte divisisse, ait Scriptura. *Nam si quis debitum solvat (inquit S. Ambro-
 sius) & in referendo injuriam faciat creditori, intolerabilius est utique, quam
 non reddidisse, quod debebat. Non ergo quantitas solutionis, sed animus red-
 dentis, & qualitas consideratur, & affectus. Recte igitur Cain obtulit, quia
 oblatio insigne devotionis, & indicium gratiarum est, sed non recte divisit, quia
 ante omnia Deo debuit deferre primitias, ut a gratia inchoaret Auctoris. Ete-
 nim divisionis hic ordo est, ut prima secundis, non primis secunda præcurrant,
 & cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferantur.* Terrena autem cœle-
 stibus præferunt, & Deo injuriam faciunt, cui offerunt munera, viri & fe-
 minæ nobiles, & divites, cum gentilitia sua stemmata, & insignia in Casu-
 lis Sacerdotum; Ornamentis Altarium, sacris Calicibus, ipsis Altaribus, &
 Ecclesiis, intexi, insculpi, appingi volunt: & ita sunt affecti, ut alias Ec-
 clesias, vel Altaria non erigerent, nec sacra vasa, vel ornamenta Ecclesiis
 conferrent. Indignum sane est, nec omnino ferendum, ut sacra supellex
 iisdem insignibus notetur, ac profana, quæ in eorum abaco ad pompam
 ostentatur, in mensis ad luxum ministratur: ut eorum insignia, quasi au-
 ctoramenta servitutis ferant Sacerdotes, cum Sacris operantur: sicut pedise-
 qui cum famulantur, sicut muli cum sarcinas ferunt; ut eorum stemmata,
 & tituli spectentur in Altaribus, ut in rhedis, & curribus: in Basilicis soli Deo
 dicatis in memoriam Sanctorum, qui terrenos honores contempserunt, illique
 jure Christianæ humilitatis Sacrificium obtulerunt, ut in ædibus profanis.
 Si in Regum Palatiis, aulæis, & peristromatibus, vasis aureis, & argen-
 teis, totaque supellectili, qua eorum Majestas utitur, nulla alia insignia,
 nulli tituli spectantur, nisi Regum, quorum propria sunt; quis æquo ani-
 mo patiat aliena insignia, immo hostilia, mundi scilicet pompam, & dia-
 boli superbiam spectantia, in vasis, ornamentis, Altaribus, Ecclesiis Deo
 dicatis ostentari?

At (inquires) quid facto opus, si vir, aut mulier nobilis, & potens Ec-
 clesiam erigere, sacra vasa, & ornamenta offerre velit, ea conditione, ut
 ejus stemmata in iis opere phrygio elaborata, vel insculpta sint?

Resp. Sacerdotem ipsos de hoc vanitatis consilio piis monitionibus, & adhorta-
 tionibus privatim, dimovere debere: si dimovere non possit, eorum oblationes tam
 indigna conditione factas respuere, ne Sacerdotali auctoritate non ferendus fovea-
 tur abusus. At, inquires, Ecclesia nostra sacris ornamentis, & vasis indiget: si do-
 naria hujusmodi recusemus, ambabus manibus, & cum gratiarum actione accipient
 alii

alii minus scrupulosi; nos vero morosi, difficiles, agrestes audiemus. O indignas Sacerdotibus rationes, quibus nullum studium potius esse debet, quam ut Deo placeant, cui se probaverunt! Christi Corpus in canistro vimineo, Sanguinem in vitro portare, exemplo *S. Exuperii Tolosani Episcopi*, convenientius esset, quam abominationem superbiæ in loco sancto non solum ferre, sed fovere.

A R T I C U L U S IV.

De Ceremoniis tempus spectantibus.

I. **Q**uoad tempus offerendi Sacrificii Missæ, non una fuit olim omnium consuetudo, dum alibi Sabbato tantum, & Dominico, alibi tantum Dominico die offerebatur, ut testis est *S. Augustinus* Epistola *LIV.* olim *CXVII.* ad *Januarium*. Aliarum Ecclesiarum mos fuit quotidie Sacrificium offerre: quem morem ab Apostolis manasse, Acta *S. Andreae* testantur, qui *Aegææ* Proconsuli respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui unus, & verus est, immolo quotidie immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem postea quam omnis Populus credentium, manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, ac vivus.* Hunc morem in Africa *S. Cypriani* tempore viguisse, testatur ipse Epist. *LIV.* *Ut Sacerdotes* (inquit) *qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, & victimas præparemus.* Quod tamen non ita intelligendum est, ut quilibet Sacerdos Sacrificium singulis diebus offerret, aut ut nulli dies sine Sacrificio abirent. Apud Græcos ex veteri disciplina Missa carent dies omnes Quadragesimæ, quibus Missa Præsanctificatorum utuntur; ut nos in Parasceve, exceptis Sabbato, & Dominica, & die Annuntiationis. Diem Sabbati *Alexandriæ*, & *Romæ* olim Missa caruisse, testis est *Socrates* Lib. *v.* *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. *xxi.* Addebant Sabbato *Alexandrini* Ferias quartam, & sextam (ex eodem.) *Ecclesia Mediolanensis* sextas quasque Ferias Quadragesimæ sine Sacrificio transigit. In eadem Quadragesima Officio Missæ caruit Feria quinta usque ad *Greg. II.* ut colligitur ex *Anast.* in ejus vita. In *Ecclesia Latina*, Feria sexta in Parasceve, quæ sola nunc Missa caret, ac Sabbatum Sanctum, Missam non habuerunt. Missa quæ nunc Sabbato Sancto celebratur, ad noctem Resurrectionis spectat.

Olim varia quoad tempus offerendi Ecclesiarum disciplinæ.

II. Sacerdotem quemlibet quotidie celebrare posse, debita præparatione præmissa, certum est. Nemo tamen quotidie celebrare tenetur, nisi forte ratione Capellanix, vel alterius Beneficii. Quo casu is, cui onus istud incumbit, a celebratione interdum abstinere potest, vel ex causa infirmitatis, vel ex alia legitima, reverentiam præsertim Sacramenti spectante. Nec propterea tenetur ad aliquid restituendum, vel ad celebrandum per substitutum, si Charta foundationis simpliciter cautum sit, ut Beneficiarius Missam quotidie celebret. Id enim ita intelligendum, ut teneatur assidue, & quanto frequentius potest, celebrare, salva reverentia Sacramento debita, salva item Sacerdotis honestate, & devotione. Ita censent *Angelus De Clavasio*, *Silvester Prieras*, *Tabiena*, *Navarro Silvius*, & alii: quia (inquiunt) aliter obligare Sacerdotem, ut quotidie celebret, onus esset gravius, quam ut ferri posset. Quapropter si Beneficiarius ille ægritudine detineatur minime diuturna, octo verbi gratia, aut quindecim diebus, non tenetur alium substituere Sacerdotem, qui Missas dierum illorum celebret, nisi forte ad hoc fundatæ essent, aut institutæ, ut Populus Dominicis, ac Festis diebus Missam audiret. Et si absque ægritudine, ex legitima causa, quandoque a Missarum celebratione abstineret, non peccaret neque restitutionis lege teneretur. Secus vero si propter ludum, ebrietatem, venationem, aliasve similes causas, secundum se, vel comparate ad Statum Clericalem, & Sacerdotalem minime honestas, aut legitimas. Hæc Responsio firmatur auctoritate *Alexandri III.* cap. *Significatum*, Extra, *De Præbendis*, & *Dignitatibus*, cujus hæc sunt verba: *Significatum est nobis, quod cuidam Sacerdoti*

Qui quotidie celebrare teneatur.

Præbendam unam in Ecclesia vestra communi voluntate dedistis, ita quod Missam de S. Maria (nisi corporis infirmitate gravatus sit) debeat quotidie celebrare: & Ecclesiam vestram, non nisi communi tam Præpositi, quam Capituli consensu possit dimittere, vel cuiquam Præbendæ illius Anniversarium delegare. Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidue debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & quanto frequentius potest (salva honestate sua, & debita devotione) Missarum solemniam celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo. At si Fundationis tabulis cautum sit, ut quotidie celebretur, nullo Sacerdotis habito delectu, Beneficiarius abstinere legitime non potest, nisi substituatur alium, qui vice ipsius celebret: quia tunc onus impositum non ita grave est, quin ferri possit.

Hora celebrandi.

III. Quod spectat horam celebrandi Missam; olim quidem, etiam S. Thomæ temporibus, celebrabatur ab hora tertia usque ad nonam, sive ab ea, quæ nobis est nona ante meridiem, usque ad tertiam pomeridianam; interdum vero noctu, ut in Festo Nativitatis Domini, & Sabbato Sancto. Postea tamen tempus ad celebrandum statutum est ab Aurora usque ad Meridiem; partim quia Christus offertur, qui est *Candor lucis æternæ*, partim quia Sacrificium est legis gratiæ, qua illucescente umbræ omnes evanuerunt; tum quia ante illud tempus vix homines ad opus illud Religionis exequendum sunt dispositi. Hinc S. Carolus, in Instructionibus pro Celebratione Missæ, *Ante Solis ortum* (inquit) *non celebretur, nisi in Christi Domini Natali die; aut post Meridiem, quod Canones vetant.* Et Conc. Mediolanense 1. sub eodem: *Missæ nec ante Auroram, nec post Meridiem, nisi ex causa jure permissa celebrentur.*

In Ecclesiis, ubi plures Missæ celebrari solent, is ordo servetur, ut pro Populi commoditate prima diluculo, reliquis deinceps debito intervallo distributis; postrema, quo tardius liceat, celebretur. Quod si eodem tempore pluribus locis Missa celebranda sit, rationem ineant Episcopi, ne Sacerdotes inter se alius ab alio perturbentur.

Per Auroram autem intelligitur primum diei crepusculum, ita ut Missam inchoare liceat una, immo hyemali tempestate, duabus horis ante Solis ortum. Si necessitas Eucharistiæ infirmo administrandæ urgeat, nec habeatur Hostia consecrata, amplius anticipare licebit: necnon ex Privilegio, quod ab Episcopo concedi posse iusta de causa, extra dubium est (inquit *Silvius*.) Post Meridiem vero celebrare non licet, nisi ad modicum tempus inchoatio Missæ prorogetur; ita ut ante mediam horam post Meridiem Sacerdos Missam inceperit. Denique Sacra Synodus Tridentina sess. 22. in Decreto De observandis, & evitandis in Celebratione Missæ, *Episcopi* (inquit) *edicto, & pænis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent.*

An Sacerdos plures Missas una die celebrare possit?

IV. Quamvis multi dies fuerint in Ecclesia veteri, quibus ab uno Sacerdote plures Missæ celebrabantur, ut probat Doctissimus Cardinalis *Bona* Lib. 1. *Rerum Liturgicarum*, cap. XVIII. ex præsentis tamen temporis disciplina plures, quam unam celebrare non licet, excepto die Natalis Domini, vel casu necessitatis urgentis, & Episcopi iudicio probandæ, & cum ejus concessione. Id probat *Alexandri II.* Decretum, cap. *Sufficit*, dist. 1. *De Consecratione*, cujus hæc sunt verba: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare; quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus secularium una die præsumunt plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem.* Item Resp. *Innocentii III.* cap. *Consu-*

Consulisti, Extra, De Celebratione Missarum, cujus hæc sunt verba: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Et cap. Te referente, ibid. *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumq; dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat: nam & valde est felix, qui celebrat digne unam: fraternitati tue mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.*

Propter celebrationem Nuptiarum, propter exequias Defunctorum, propter necessitatem infirmorum, & peregrinorum, propter commodum Populi Christiani, qui ex diversis locis nimium distitis ad eandem Ecclesiam convenire non poterat, nec in Ecclesiis, aut Capellis singulis proprium habebat Sacerdotem, olim permissum est, ut idem Sacerdos duas una die Missas celebraret: verum nulla priorum casuum hodie ratio habenda est, ac ne postremi quidem in tanta Sacerdotum frequentia. Unde Conc. Mediolanense I. sub S. Carolo, tit. De his, quæ pertinent ad celebrationem Missæ, ita statuit: *Facultates cuicumque ab Episcopis ad hanc diem concessæ, plures Missas eodem die celebrandi, posthac irritæ, ac nullæ sunt.* Et Mediolanense V. sub eodem: *Gravia pericula offensionis, atque adeo sæpe injurias Sanctissimo Missæ Sacrificio fieri compertum est, quod quidam Sacerdotes non semel tantum, sed pluries in die illud offerant. Quod ne in posterum fiat, præterquam salutari illo die Dominicæ Nativitatis, quod unusquisque Sacerdos non sine magna Mysteriorum significatione ter celebrare debet, Decreti hujus auctoritate vetitum sit, ne ob ullam necessariam causam, neq; etiam ob Parochialis, alteriusve Ecclesiæ egestatem, neque ob Sacerdotum penuriam, nec vero ob locorum distantiam, Episcopus cuiquam Sacerdoti pluries in die divinum illum Missæ Sacrificium offerendi facultatem det, aut permittat: cum beatus admodum sit ille Sacerdos, qui semel tantum in die illud digne obtulerit. Si quæ vero ejus generis facultas antea vel certo loco, vel Sacerdoti data est, eam plane statim rescissam, irritamque, ac nullam omnino esse, jam nunc decernimus.*

Et Conc. Burgundense anno 1383. celebratum, cap. V. *Quia vero Sacerdotum; in quibusdam hujus Provinciæ locis, tanta paucitas, & penuria est, ut quibusdam bis uno die Sacrum faciendi facultatem Episcopi concedere cogantur: ne quod, necessitate cogente, ad populi Christiani solatium, salutemque permittitur, immoderata licentia errori locum det, atque in abusum convertatur, decernimus, ne hujusmodi facultatem Episcopi largiantur, nisi Sacerdoti spectatæ probitatis, idque gravissimis de causis. Quæ facultas brevi etiam tempore circumscribatur, nec ad plures dies, quam ad Dominicos, & Festos, in diversis tantum Ecclesiis protrahatur. Caveant autem illi, qui bis eodem die Missam celebrare debuerint, ne in prima Missa, postquam totum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, vino manus perfundant: perfusione enim accepta, aliam celebrationem noverint impediri.*

V. Missam celebrare non licet, nisi Matutino saltem cum Laudibus absoluto, secundum Rubricas Missalis, & Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis habet, ut constat ex cap. In his, dist. XI. Neque sunt audiendi, qui ajunt consuetudinem illam vim legis perfectæ non habere, neque necessarium esse ordinem inter Matutinum Officium, & Missam privatam. Contrarium enim probatur ex Resp. Innocentii IV. ad Articulos quosdam, circa quos ortam controversiam inter Archiepiscopum Nicosiensem, & ejus Suffraganeos Latinos ex una parte, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, ad Sedem Apostolicam retulerat Otto Cardinalis Episcopus Tusculanus. De undecimo ita pronunciat Pontifex Epist. X. ad eundem Cardinalem: *Sacerdotes autem dicant Horas Canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam Officium Matutinale compleverint, non præsumant.*

Synodi Lin-
gonenses
an. 1404.
1452. 1455.
Petrus de
Palude in
4. Sent. d.
12. q. 1. ar.
4 Silvester
in Summa
1. Missa.

Missam ce-
lebrare non
licet, nisi
Matutino
Officio cum
Laudibus
absoluto.

Idem confirmat Liber Synodalis Ecclesiæ Nemaufensis, editus a *Bertrando* Nemaufensi Episcopo anno circiter *mcclxxxiv*. Tit. De Celebratione Missarum: *Quia* (inquit) *inter Divina Officia Missarum Solemnitates propter excellentiam, & reverentiam Corporis, & Sanguinis Jesu Christi, cum omni humilitate, & devotione sunt ab universis Presbyteris celebrandæ: prohibemus sub pœna Suspensionis, ne quis Sacerdos Missam cantare præsumat, nisi prius plene expleverit Officium Matutinum.*

Idem confirmant variæ Synodi, scilicet *Lingonenfis* anni *mcccciv*. *Sacerdotes volentes celebrare Missam, non præsumant celebrare, nisi de commissis peccatis sint contriti, & confessi, & Matutinas, atque Primam prius pro ipse die dixerint, & sint jejuni.*

Statuta *Siffridi* *Colonienfis* Archiepiscopi: *Statuimus sub pœna Excommunicationis, ne aliquis Sacerdos Missam celebrare audeat, nisi prius dixerit Matutinas, & Primam de die.*

Synodus Sebonensis *mdxxiv*. *Nullus Sacerdos celebret, nisi jejunus & confessus, & Horas Canonicas, & Beatæ Mariæ Virginis, usque ad tertiam exclusivè dixerit.*

Synodus Parisiensis *mdlvii*. *Sacerdotes celebrare caveant, nisi jejuni, & confessi, & Horis tam de die, quam de Beata prius absolutis, saltem ad Tertiam usque, cum devotione, quæ requiritur citra Populi scandalum.*

Odo *Parisiensis* Episcopus in Statutis Synodicis: *Nullus antequam Matutinas dixerit Canonicas, & Primam, præsumat aliqua necessitate celebrare Missam. Ante Primæ tamen recitationem celebrare, nullum peccatum est. An vero celebrans ante Matutini Officii, Laudumque recitationem mortaliter peccet, dissentiunt Theologi: Dominicus Soto, Toletus, & alii, censent mortaliter non peccare, immo ne peccare quidem, si causa aliqua probabili, & legitima id agat. S. Antoninus III. p. tit. xiii. cap. vi. contrarium censet. Missa (inquit) non debet dici ab eo, qui non dixit Matutinum, licet possit audiri; alias dicendo, esset mortale, quia contra consuetudinem generalem Ecclesiæ. Quamvis aliorum opinionem damnare nolim, S. Antonini sententiam tutiorem semper existimabo, & in praxi præponendam. Exceptionem tamen aliquam patitur regula generalis. Si quis enim Sacerdos aliis Sacri Ministerii partibus, ut administrationis Sacramentorum, aut necessariis, & urgentibus charitatis Officiis ita fuisset occupatus, ut Matutinum, & Laudes non potuissent recitare ante horam qua Sacrum celebrandum est, ita celebrando non peccaret: quia divini juris obligatio Ecclesiastici juris obligationi præponenda est.*

An Missam imperfectam relinquere, vel intermittere liceat?

VI. Qui Missam inchoavit, illam absolvere debet, nec imperfectam, sine gravissima causa, relinquere potest: alioqui gravissimi peccati reus erit, & suspensione ab Ordinis executione plectendus, ut constat ex c. *Nihil*, causa vii. q. i. & ex Decreto *Zachariæ*, c. *Nullus*, dist. i. De Consecratione. In quibusdam tamen casibus Sacerdos Missam non absolvens a peccato excusatur.

Primus est impotentia facti subito superveniens, ut deliquium, mentis alienatio, gravis infirmitas, quæ volentem, & conantem Sacerdotem absolvere non finit Sacrificium.

Secundus est, memoria impotentia juris, ad quam ante non advertit Sacerdos, ut si meminerit se non esse jejunum, vel se esse alicujus lethalis peccati reum; aut aliqua Censura Ecclesiastica irretitum: si enim ante Consecrationem aliquod hujusmodi impedimentorum occurrat memoria, nullumque scandalum timeatur, cessare debet: si absque scandalo cessare non possit, contritus, cum proposito quamprimum confitendi, petendi absolutionem, & satisfaciendi, Sacrum perficiat, Auctore *S. Thoma*, & secundum Rubricas Romani Missalis.

Tertius est, si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante inchoationem Canonis, cepto enim Canone Missa in eodem Altari absolvenda est. Idem esto iudicium, si Sacerdote celebrante interdictum, aut Cessatio a Divinis denunciatur: aut notorius Clerici percussor, vel alius Excommunicatus nominatim denunciatus Ecclesiam ingrediatur, nec iubente Sacerdote egredi velit.

Quartus, si hostilis incurfus, alluvionis, incendii, vel ruinæ loci ubi celebratur, proximum periculum immineat. Si enim peracta nondum sit Consecratio, Missa dimittenda est: si peracta, potest accelerari sumptio Sacramenti, omnibus aliis prætermisissis, si extremum periculum urgeat: vel auferri Sacramentum cum Corporali, si sola fuga periculum evadi possit. Si tamen viri infideles, aut impii in Religionis contemptum Sacerdoti minas mortis intendant, eumque occidere, aut ignem Ecclesiæ admovere vellent, nisi Sacrificium imperfectum relinqueret, victimam se Christo devovere, & Martyrium subire potius teneretur, quam a Sacra Actione cessare.

VII. Missæ notabilis interruptio, grave peccatum est, nisi legitima causa subsit, ut Baptismi, aut Sacramenti Penitentiae, infanti, vel adulto in mortis periculo constitutis administratio, Ordinum Collatio, Concio, vel promulgatio Edictorum Ecclesiæ, susceptio votorum solemnum, quæ intra Missarum solemnia fieri solent. An vero Missa possit interrumpi, si Episcopus, aut eo Major, vel Princeps aliquis adveniat, qui Missam die festo audire non poterunt, nisi Sacerdos quiescere inceperit, & Evangelium forte, ac Symbolum recitavit, illam ab Introitu incipiat, Casuum Arbitri dissentiunt. Quamvis non incelebre sit asserentium nomen, sententiæ neganti libentius subscribo: quia ordo Sacrificii potior esse debet, quam hominum quavis dignitate conspicuorum commoda: tum quia via pateret abufui, & Sacerdotes lucri cupiditate, reverentiæ, vel amicitiae causa, sive etiam metu alicujus incommodi, pro Nobilium, aut Potentium quorumvis hominum voluntate, Missam interromperent, & ab Introitu resumerent: tum quia vix id fieri posset absque Christianæ plebis offensione: tum quia Episcopus, aut Vir Princeps, modo necessariam diligentiam adhibuerit, ut Missam integram audiat, Ecclesiæ præcepto satisfaciet audiendo, quod reliquum est, præsertim si nondum facta sit Oblatio. Denique Con. Mediolanense i. vetat, ne Sacerdotes, cum ad Altare accesserint, *Ibi in mora sint Sacrificio cuiusvis expectandi gratia: neve ob eandem causam Missa inchoata subsistant, aut ejus initium repetant.* Non licet etiam ratione solemnis Supplicationis, Missam in una Ecclesia inchoare, & intermittere in alia Ecclesia absolvendam, ad quam Parochus cum Clero, & Plebe solemni Ritu supplicaturus procedit.

A R T I C U L U S V.

De Ceremoniis spectantibus ordinem eorum, quæ in Missa dicuntur.

I. **Q**uamvis per se malum non sit, ut Missa, aliaque Divina Officia lingua vulgari celebrentur, idque aliquando factum sit, cum Lingua Græca in Oriente, Latina Romæ, & in Italia communis erat; id tamen spectatis rerum circumstantiis non expedit; tam quia linguarum varietas in Divinis Officiis, & præsertim Missa, communicationi Ecclesiarum impedimentum afferret, ac Schismatibus, & Hæresibus viam panderet, quas ex unius syllabæ mutatione, ex unius vocis inflexione quandoque exortas nemo nescit: tum quia frequens linguarum viventium mutatio Liturgiæ verbis mutandis occasionem daret; cum tamen id exigat sacrarum rerum dignitas, & majestas, ut nihil in iis immuteretur, nihilque erroneum, aut impurum in eas irrepit; tum quia quorundam idiomatum barbaries, & absona pronuntiatio Sac. Mysteria ludibrio exponeret. Quamobrem tribus dumtaxat linguis, Græca, Chaldaica, & Latina, Missæ primum compositæ sunt, & iisdem semper celebratæ, quamvis ille

Missa Lin-
gua vulgari non ce-
lebranda.

linguæ

linguæ desierint esse vulgares. In Africa Latinæ linguæ usus in Sacris semper viguit, licet eam Populus non intelligeret, sed Punice loqueretur, ut passim testatur *S. August.* Germanos, Gallos, Hispanos, aliasque Occidentis Nationes, ex quo Religionem Christianam sunt amplexæ, Latina lingua, licet apud illas peregrina, Missam celebrasse, antiquæ Liturgiæ probant. Hunc itaque morem Lutherani, & Calviniani impie reprehendunt. *Si quid enim tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insanie est*, ut ait *S. August.* Epist. LIV. olim cxviii. ad *Januarium*. Præcessit exemplum hujus disciplinæ in Veteri Testamento; nam cum Populus Judaicus post Captivitatem Chaldaice loqueretur, Psalmos tamen semper cantavit, & Scripturas legit Hebraice; quem morem Hebræi etiam hodie in Synagogis suis observant: nec enim voluit Deus mutari Scripturam, licet Populus linguam mutasset. Eadem olim Romanis cura fuit servandi in Sacris Ethnicismi sermonis antiquitatem: nam Carmina Saliorum vix Sacerdotibus suis intellecta, ut ait *Quintilianus* Lib. I. *Institutionum Oratoriarum*, cap. vi. nunquam mutarunt, quia vetabat Religio, & consecratis utendum erat.

Frustra obijciunt Hæretici locum Apost. I. ad Cor. xiv. *Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo sciatur id, quod dicitur? ... Et postea: Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est :: Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit.*

Frustra, inquam, hunc locum adversus Ecclesiæ morem obijciunt, cum Apostolus ibi de Missa, & Divinis Officiis non agat, sed de canticis, & precibus, quas Christiani linguarum dono præditi peculiari Sp. Sancti afflatu ex tempore componebant, & ad fratrum solatium in publico cœtu recitabant. Corinthios autem arguit, qui donum linguarum velut ostentantes, preces aut cantica spiritualia edebant, ac recitabant lingua, tam sibi quam adstantibus peregrina, & ignota. Hinc enim fiebat, ut nullum solatium spirituale referrent adstantes ex hujusmodi canticis, & precibus, nec respondere possent, *Amen*, eas approbando. Verum ea ratio linguæ vulgaris usum in Missa, & Divinis Officiis necessarium, aut convenientiorem esse non probat. Qui enim linguarum dono instructi erant, Orationes, & laudes prorsus novas, nec antea auditas proferebant; unde qui ad eas respondebat, *Amen*, prorsus nesciebat, quid approbaret, si quidem nec verba intelligebat, nec preces illæ Ecclesiæ judicio receptæ erant. Nunc autem qui respondet, *Amen*, etsi fortasse verba non intelligat, novit tamen sanctum esse, quod significatur, utpote jam olim ab Ecclesia probatum, & communi illius usu consecratum. Deinde ea ad quæ respondet Minister, pauca admodum sunt, unde propter illa mutari non debet Missæ totius idioma, cum & facile disci possint a Laicis, & Synodus Tridentina præcipiat ea pro Concione a Pastoribus explicari, sess. xxii. cap. viii. *Etsi* (inquit) *Missa magnam contineat Populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique, cujusque Ecclesiæ antiquo, & a S. R. E. omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra probato Ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera Sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & Festis.*

Denique is qui supplet idiotæ, id est, Populi locum, Hebræa voce respondet, *Amen*, teste Apostolo, cujus vocabuli significationem non intelligit nisi doceatur; quidni ergo & pauculorum aliorum verborum, quæ ad Populum

pulum diriguntur, significationem edoceri potest, cuiusmodi sunt, *Dominus vobiscum, Sursum corda, Gratias agamus Domino Deo nostro*; cum autem Orationes ad Deum dirigantur, cui nulla lingua peregrina est, non est necesse, ut lingua vulgari proferantur. Et nihilominus Populus cum Sacerdote simul orans, etsi lingua vulgari non oraret, nullum orationis suæ fructum non referret. Non haberet quidem fructum intelligentiæ verborum, sed fructum orationis haberet, mentis nempe cum Deo conjunctionem, ad quem tanquam ad finem orationis, & Sacrificii attendit, quamvis ad sensum verborum non attendat, quæ non intelligit. Nec tamen propterea detrimentum ullum spirituale patitur, quia spiritualis refectio, & consolatio, quam ex verborum intelligentia capesseret, fidei, & humilitatis Christianæ bonis compensatur.

II. Non est improbandus Romanæ Ecclesiæ Ritus, quo submissa voce pars Canonis, & verba Consecrationis proferuntur. Mosenim ille divinæ legi non adversatur, & ipsa antiquitate venerandus est: quædam enim antiquitas in sacra Liturgia submissa voce pronunciata, *SS. Basilii, & Chrysostomi Liturgiæ, Conciliique Laodicensi Canon* decimus nonus probant. Hinc *Secretarum* nomen quibusdam Orationibus inditum. Hinc ipsum Canonem Veteres *Secretum* interdum appellarunt. Ita Conc. Eboracense tempore Cælestini III. *Quia Secretum Missæ frequenter invenitur, aut scriptorum falsitate, aut librorum vetustate corruptum, ita ut distincte legi non possit, Archidiaconorum sollicitudo provideat, ut in singulis Ecclesiis ad verum, & probatum exemplar Canon Missæ cum omni diligentia corrigatur.* Mysteriis præterea conciliat reverentiam secreta illa pronuntiatio. Tertio, Christi Sacrificium eo etiam ritu Sacerdos repræsentat. Christus enim Jesus se ipsum in Cruce offerens Deo Patri pro salute nostra, septem dumtaxat verba alta voce protulit: numquid vero secreto Patrem non oravit, illique suum Sacrificium in Crucis Altari, trium, quibus ex illa pependit, horarum spatio, non continuo commendavit? Quarto, ut ait Auctor Libri *De Divinis Officiis*, inter *Alcuini Opera* editi, conveniens est, ut in illa hora tam sacræ, & divinæ Actionis, qua Dominici Corporis, & Sanguinis Mysterium consecratur, tota per Dei gratiam a terrenis cogitationibus mente separata, & Ecclesia cum Sacerdote, & Sacerdos cum Ecclesia intret in Sanctuarium Dei æternum: & quoniam Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate adorare oportet, sic eundem Patrem deprecetur, *Te igitur clementissime Pater*, &c. Quæ summissa voce proferri iussit Ecclesia, ne verba tam sacra, & ad tantum Mysterium pertinentia vilescerent, dum pene omnes memoriter ea retinentes, per vicos, & plateas decantarent. Unde fertur, quod antequam hæc consuetudo invaluisset, cum Pastores ea decantarent in agro, divinitus sunt percussi. Quam historiam refert etiam *Jo. Moschus* in *Prato Spirituali*, cap. cxcvi. Denique Tridentina Synodus sess. xxii. can. 9. ita pronuntiat: *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ Ritus, quo submissa voce pars Canonis, & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere: Anathema sit.*

III. *Quia in hoc Sacramento totum Mysterium nostræ salutis comprehenditur* (inquit S. Thomas) *ideo præ ceteris Sacramentis cum majori solemnitate agitur.* Et quia scriptum est Eccl. iv. *Custodi pedem tuum, ingrediens Domum Domini.* Et c. xviii. *Ante orationem præpara animam tuam:* Ideo ante celebrationem huius Mysterii primo quidem præmittitur præparatio quædam ad digne agenda ea, quæ sequuntur. Cujus præparationis prima pars est Confessio, quam tam Sacerdos, quam Ministri peccata sua generalibus verbis Deo confitentur, testibus Dei-para Virgine, & Sanctis, ipsaque Ecclesia. Peccatorum namque Confessio, Contritio, & humiliatio prima præparatio est ad fructum Sacrificii percipiendum. Hinc Sacerdotes, & Prophete Veteris Testamenti ea verba veluti formulam consue-

Ritus submissa voce proferendi partem Canonis.

Ordo Missæ explicatur.

Confessio.

tam

tam suis omnibus Precibus, & Sacrificiis præmittebant, *Peccavimus, Domine, injuste egimus, iniquitatem fecimus*, ut testatur R. Moses Maimonides in *Tractatu De Pœnitentia*, & *Tract. De precibus totius anni*. Confessionem sequitur laus divina, quæ fit in Introitu, secundum illud Psalmi XLIX. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei*. Sumitur ut plurimum de Psalmis, vel saltem cum Psalmo cantatur; quia, ut *S. Dionysius* ait, c. III. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *Psalmi comprehendunt per modum laudis quicquid in S. Scriptura continetur*. Introitus vocatur, quia tunc canitur cum Sacerdos intrat ad Altare. Ejus institutio ab Auctore Libri Pontificalis, ab Amalario, Vvalafrido, Strabone, Micrologo, Vernone Abbate, & Honorio Augustodunensi tribuitur *Celestino I. Pontifici Maximo*, qui *Psalmos ad Introitum Missæ cantari instituit*, de quibus *S. Gregorius Papa postea Antiphonas ad Introitum Missæ modulando composuit* (inquit *Honorius in Gemma Animæ*, cap. lxxxvii.) Testatur *S. Augustinus* Lib. II. *Retractionum*, cap. xi. cœpisse tunc Carthagine hunc morem, ut Hymni ad Altare de Psalmorum Libro canerentur, sive ante Oblationem, sive cum Populo distribueretur Eucharistia: quod cum *Hilarius* Vir Tribunitius acriter reprehenderet, *S. August.* ipsum edito Libro confutavit, cujus meminit *Possidius*, sub hac inscriptione: *Contra Hilarium, De Canticis ad Altare, Liber unus*. Post Introitum, olim integer Psalmus, nunc unus ejusdem Versiculus decantatur, cum *Gloria Patri*, quem antiqui Patres Hymnum glorificationis appellavere, quem ab Apostolis traditum *SS. Athanasius, & Basilius* testantur. Sacerdotis, qui Christi personam gerit, introitus ad Altare, ipsius adventum in Mundum, ut faceret voluntatem Patris, ac se ipsum pro nobis in Sacrificium offerret, idem Sacerdos, & victima, nobis in memoriam revocat. Venientem Dominum præcesserunt *Lex, & Prophetæ, Sapientes, & Scribæ*, de quibus ipse ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas*: quos repræsentant Diaconus, Subdiaconus, & Acolythi. Diaconus enim ex Evangelio futuram vitam prænunciat: Subdiaconi in vasis Domini ordine debito disponendis sapientiam produnt, & ex Apostolicis Epistolis Sapientiam loquuntur inter perfectos, sicut *S. Paulus* de seipso scribebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi; sed loquimur sapientiam Dei in Mysterio, quæ est abscondita*. Cerei quos Acolythi ferunt, significant Christum lucem veram adventu suo gratiam Evangelii Mundo intulisse, & homines in tenebris positos in admirabile lumen suum vocasse, & ipsius Evangelii luce perfudisse. *Erant enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; unde ipse ait: *Ego sum lux mundi*. Præcedit Thuriferarius cum thymiamate, quod significat Christi Corpus plenum odore bono: hoc enim primo necesse est prædicari in omnibus gentibus: unde *S. Paulus* ad Corinthios scribebat: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*. Sicut Introitus Sacerdotis adventum Christi, sic Antiphona, quæ dicitur ad Introitum, desiderium adventus ejus significat, de quo Dominus ait Apostolis: *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt*. Antiphonæ repetitio multiplicationem clamoris indicat, quo divinam misericordiam implorabant, magno fervore dicentes: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem Filie Sion*. Interpositio Gloriæ, captationem significat benevolentie. Ut enim quod expectabant, facilius obtinerent, ad totam Trinitatem glorificando clamabant: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis :: Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephaim, Beniamin, & Manasse. Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos*.

IV. Cum jam tempus misericordiæ advenerit a Psalmista prædictum Psal. CVIII. *Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendiejus*; congrue subjungitur, *Kyrie eleison*, idest, *Domine, miserere*. Hæc precatio apud omnes Nationes in usu est. Hujus institutionem in Ecclesia Latina S. Gregorio Magno plerique tribuunt, sed multis annis ante S. Gregorium usurpatam fuisse, constat ex Conc. II. Vasensi sub Felice IV. cap. III. *Quia (inquit) tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italiæ Provincias, dulcis, & nimium salutaris consuetudo est intronmissa, ut, Kyrie eleison, frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinos, & ad Missas, & ad Vesperam, Deo propitio intronmittatur.* Græce *Kyrie eleison* dicimus, sicut Hebraice *Amen, Alleluja, Sabaoth, Osanna*: quod ita institutum est, ut ostendatur unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis, & Græcis primum, deinde ex Latinis coadunata est: vel, quia Mysteria nostræ Fidei tribus hisce Linguis ab Apostolis, & Evangelistis, eorumque immediatis Successoribus conscripta fuerunt: quæ quidem linguæ in titulo Crucis quodammodo consecratæ sunt: si ve ut ostendatur una Dei misericordia a cunctis Nationibus imploranda: sicut hanc vocem, *Homouison*, ad consubstantialitatem Filii exprimendam usurpamus, quia una credenda est a cunctis Fidelibus Trinitatis substantia, ut ait Auctor Epistolæ olim clxxviii. inter Augustinianas, nunc xx. in Appendice, quæ est *Altercatio cum Pascentio Ariano*. Novem vicibus hanc precatio nem repetimus, ter ad Patrem, ter ad Filium, ter ad Sp. Sanctum eam dirigentes, contra triplicem miseriam, ignorantiam, culpæ, & pœnæ: vel, ut tres Personas in se mutuo inexistere significetur, vel, ut contra novem genera peccatorum divina misericordia imploretur, scilicet originale, veniale, mortale; cogitationis, locutionis, & operis: fragilitatis, simplicitatis, & malignitatis: fragilitatis per impotentiam, simplicitatis per ignorantiam, malignitatis per invidentiam; hoc est, peccatum in Patrem, peccatum in Filium, peccatum in Sp. Sanctum. Ideo autem, *Christe eleison*, ad Filium dicimus, non *Kyrie* sicut ad Patrem, & Spiritum Sanctum, quia Pater, & Sp. Sanctus sunt ejusdem naturæ tantum: Filius autem etsi sit ejusdem naturæ cum illis, est tamen etiam alterius, ut *Geminæ gigas substantiæ*. Naturam scilicet humanam assumpsit, secundum quam unctus est a Deo oleo lætitiæ præ consortibus suis, non oleo visibili, sed plenitudine divinitatis: ideo *Christus*, idest, *Unctus*, vocatur. Ex cujus unctionis redundantia, & effusione, hominis misertus, quem latrones spoliatum, & vulneribus confossum, semivivum reliquerant, plagas ejus vino, & oleo perfudit, & curavit. Quamvis autem Fideles omnes Dei misericordia plurimum indigeant, speciatim eam invocat Sacerdos Sacrificium incruentum oblaturus, tum ut mens ejus ad Deum erigatur, & ad ea attendat, quæ ore pronunciat; quod certe divinæ misericordiæ donum est: tum ut dignus sit, qui cum Deo loquatur: tum ut, si tædio aliquo corporali prægravatus spiritus sine mente oraverit, Dominus non in furore suo illum arguat, nec in ira sua corripiat, sed misericordia sua condonet: tum denique ut quavis attentione, & pietate Sacram Actionem peragat, nihil sibi de propriis meritis blandiatur, sed servum inutilem se profiteatur, secundum illud, *Dicite, Servi inutiles sumus*; & ejus imploret misericordiam, qua expugnet inanem gloriam, de quo ait Psalmista, *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*. Non ait, in meritis, & operibus tuis, quia cujus misericordia prævenimur, ut Deo serviamus, ejus munere coronamur, ut cum illo æternum regnemus. Quod debuimus facere, fecimus. Revera debuimus: quia qui non venit ministrari, sed ministrare, debitores sibi nos fecit, non nostris videlicet operibus confidentes, sed de ejus semper examine paventes. Ideo, *Kyrie eleison*, Sacerdos ingeminat.

KYRIE
ELEI-
SON.
Ordo Mis-
sæ explica-
tur.

Luc. 10.
psal. 102.4.

Ordo Mis-
sæ expli-
catur.

V. Se-

V. Sequitur commemoratio cœlestis gloriæ ad quam tendimus post præsentem vitam, & miseriam, dicendo, *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: quod dicitur in Festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria; in Officiis vero lugubribus omittitur, quæ ad miseræ commemorationem pertinent. *Hymnus Angelicus* appellatur, quem ille primus inchoando pronunciat, qui Angelum magni consilii repræsentat. Chorus autem concinendo prosequitur, quia *Subito facta est cum Angelo multitudo Militiæ cœlestis laudantium, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hymnum illum ad imitationem Angelorum canimus, ut ostendamus nos eundem Deum colere in terris, quem & Angeli venerantur in cœlis. Ad medium Altaris transit Sacerdos dicturus, *Gloria in excelsis*, quia gloria ineffabilis in excelsis facta est, quando Christus transitu suo animas Sanctorum copulavit consortio Angelorum. De pace per Christum nobis reddita congratulamur. Ante Nativitatem enim Christi tres inimicitiarum (ut ita loquar) parietes erant interpositi; primus inter Deum, & hominem; secundus inter Angelum, & hominem; tertius inter hominem, & hominem. Homo namque per inobedientiam Creatorem offenderat; per suum casum restaurationem Angelicam impederat; per varios ritus se ab homine separaverat. Judæus scilicet cæremonias observabat, Gentilis idololatriam; utriusque ritus alterius displicebat: sed veniens Pax vera fecit utraque unum, destruxit inimicitiarum macerias, & concurrentes parietes in se angulari lapide copulavit, ut deinceps unum esset ovile, & unus Pastor. Abstulit ergo peccatum, & reconciliavit hominem Deo. Reparavit casum, & reconciliavit hominem Angelo. Destruxit ritus, & reconciliavit hominem homini. Restauravit ergo, secundum Apostolum, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt: & ideo cum cœlestis Militiæ multitudine canit Sacerdos: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Prima hæc verba e Cœlo ad nos Angelorum voce derivata sunt; cetera quis addiderit, incertum est. Ejus Hymni meminit *S. Athanasius* Lib. *De Virginitate*; quo fit, ut a *S. Hilario* compositum fuisse, verisimile non sit, cui tamen a nonnullis tribuitur. Conc. Toletanum IV. can. xii. ab Ecclesiasticis Doctoribus compositum ait. *Telesphorum* constituisse ut ante Sacrificium Hymnus Angelicus diceretur, asserit Auctor Libri Pontificalis. *Symmachus* præcepit ut omni die Dominico, & in Natalitiis Martyrum diceretur. Olim a solo Episcopo dici poterat diebus Dominicis, & Festis, a Presbyteris vero solo die Paschatis, ut colligitur ex Anastasio Bibliothecario in *Vita Stephani IV.* ex *S. Gregorio* initio Sacramentarii, ex *Vvalafrido Strabone* c. xxii. & ex *Bernone Augiensi* can. ii. Nunc ab omnibus Sacerdotibus dicitur.

VI. Hymno Angelico recitato, Sacerdos Populum salutatur, dicens: *Dominus vobiscum*, quæ salutatio ex veteri Testamento in Ecclesiam derivata est. *Booz* enim salutans messores suos, *Ruth* c. ii. ait: *Dominus vobiscum*. Angelus, qui apparuit *Gedeoni*, ut legimus *Jud.* vi. ait: *Dominus tecum, virorum fortissime*. Et Propheta missus a Deo ad Regem Juda, cum victor e prælio cum exercitu suo reverteretur, dixit *II. Paral.* c. xv. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo*. Sacerdos itaque Fideles salutans, orat, ut Dominus sit cum eis, sicut dignatus est promittere per Prophetam, *Inhabitabo in illis, & ambulabo*: & Dominus ipse: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Græci salutant populum hac formula, *Pax omnibus*. Latini etiam Episcopi, cum Populum salutant prima vice; dicunt, *Pax vobis*: De qua formula *Optatus Milevitanus* Lib. III. ait: *Non potuistis prætermittere, quod legitimum est utique dixistis, Pax vobiscum. Quid salutas, de quo non habes? Quid nominas, quod ex terminasti? Salutas de pace, qui non amas*. Cum autem quidam Episcopi hanc formulam ita frequentarent, ut alteram Presbyteris communem nunquam usurparent,

parent, adversus ipsos Canonem edidit, qui ordine vigesimus est, Conc. Bracarense I. Cum vero Sacerdotes dicunt, *Dominus vobiscum*, nos per ipsos salutatur Christus, cupiens in nobis mansionem facere, & nos secum unire, ac Templum suum Eucharistica Communionem facere; sicut Angelus B. Virgini dixit, *Dominus tecum*, antequam in ejus utero carnem susciperet. *Et quia salutare nihil est aliud quam salutem optare, hæc est vera salutatio, id est, vera salutis optatio, ut Dominus sit cum Ecclesia sua, tamquam in templo suo, cui dicit Apostolus: Templum Dei sanctum est, quod estis vos: & Ecclesia habeat Dominum secum inhabitantem, & illuminantem, regentem, & protegentem; ut ille sit ei Deus, & ille sit ei Populus: . Ut dum tantæ beatitudinis dono Ecclesia Dei & possidet Deum, & possidetur a Deo, impleatur in illa, quod Psalmista ait: Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum, Populus, quem elegit in hæreditatem sibi. Hoc est enim summum hominis bonum, possidere Deum, & possideri a Deo, ipsum solum diligere, & illi soli servire, illi soli adherere, ut adherens Deo, unus cum illo spiritus fiat, dicente Apostolo: Qui adheret Domino, unus spiritus est. Nam & ipse Apostolus in Epistolis suis ita salutatur Ecclesias, ut aliquando dicat, Dominus sit cum omnibus vobis; aliquando, Deus autem pacis sit cum omnibus vobis; aliquando, Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro, Fratres, Amen: ut nonnunquam sub distinctione Personarum invocans Trinitatem salutatur, Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis. In quibus omnibus hoc optat Fidelibus scribens, quod Sacerdos ad Altare assistens, videlicet ut habentes Deum, non deserantur a Deo. Recte ergo Ecclesia tam salubri salutatione Sacerdotis accepta, & ipsa resalutando orat, & orando resalutat Sacerdotem, dicens, Et cum Spiritu tuo: nihil enim melius invenit Ecclesia, quod optet Sacerdoti, nisi quod Sacerdos optat Ecclesiæ; id est, ut idem Dominus, qui dignatur esse cum Ecclesia, dignetur esse etiam cum spiritu Sacerdotis: ac sic in utroque benigna illa Domini promissio impleatur: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Hoc etiam modo aliquoties salutatur Apostolus, & pluraliter, ubi ait: Dominus Jesus Christus sit cum spiritu vestro, Fratres, Amen, & singulariter, ubi Timotheum salutans, dicit, Dominus Jesus Christus sit cum spiritu tuo, Amen. Et bene Dominus cum spiritu hominis esse optatur, qui in spiritu, & mente rationali creatus est ad imaginem, & similitudinem Dei, & ibi est capax divine gratiæ, & illuminationis, ut in quantum ei datur possit sentire dulcedinem suavitatis, & splendorem præsentis ejus, ut fiat in eo, quod Psalmista ait, Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus: & iterum: Accedite ad eum, & illuminamini & facies vestræ non confundentur. Sic namque sanctificato spiritu hominis per inhabitationem Dei, efficitur homo etiam in corpore templum Dei. Hæc Florus Diaconus Lib. De Actione Missarum. Sensum prædictæ responsionis S. Isidorus Pelusota Lib. I. Ep. cxxii. ita explicat: Illud, quod a plebe respondetur. Et cum spiritu tuo, hanc habet sententiam: Pacem quidem nobis præbuisi, Domine, hoc est mutuam inter nos concordiam: pacem autem nobis da, hoc est hujusmodi tecum conjunctionem, que nullo modo divelli possit, ut cum spiritu tuo, pacatim quem nobis in creationis initio indidisti, a tua charitate distrabi nequeamus.*

VII. Sacerdos post salutationem, & Populum, & se ipsum excitat, ut simul orent, dicens, *Oremus*: qua monitione audita, omnes Sacro adstantes sub silentio olim orabant; tum peracta brevi oratione, omnium preces Sacerdos brevi item deprecatione concludens, *Collectam* alta voce recitabat, quæ dicta est a Collectione, eo quod ex auctoritate divinarum Scripturarum, quæ in Ecclesia leguntur, collecta sit: vel quod ex multis sermonibus una colligatur Oratio, sive a collectione, vel societate Populi, qui tunc in unum concurrens, colligitur.

Col-

1. Cor. 3. 17

Psal. 32. 12.

1. Cor. 6. 17.

Matth. 23.
20.

Psal. 33. 9.

Ordo Missæ
explicatur:

Collecta.

Collectarum quibus nunc utimur, primi auctores fuere *SS. Gelasius, & Gregorius Pontifices*, ut testantur *Anastasius Bibliothecarius in Vita Gelasi, & Jo: Diaconus in Vita S. Gregorii*. Sed tamen ante *Gelasium* breves Orationes, quibus summa petendorum a Deo paucis verbis continebatur, in Sacris Conventibus, & maxime ad Altare, cum Sacrificium celebraretur, ex Apostolorum, & Apostolicorum Virorum institutione fuisse usurpatas, antiqua monumenta probant, præsertim Conc. Milevitani can. xii. & Conc. Carthag. iii. can. xxiii. quibus prohibetur, ne quis Orationes in Missa recitare præsumat, nisi prius in Synodo fuerint approbatæ. *S. August. Epist. ccxvii. olim cvii. ad Vitalem Carthaginensem, Exere, inquit, contra Orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem populum Dei orare pro Incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro Fidelibus, ut in eo, quod esse cœperunt, ejus munere perseverent; subsanna pias voces, & dic, te non facere, quod hortatur, idest, Deum pro Infidelibus, ut eos Fideles faciat, non rogare, eo quod non sint ista divinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis.* Et Lib. De Dono Perseverantiæ, cap. xxiii. *An quis Sacerdotem super Fideles Dominum invocantem, si quando dixit, Da illis, Domine in te perseverare usque in finem, non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente respondit, Amen?* Auctor seu Collector Sententiarum, quæ *Celestini I. Epistolæ ad Galliæ Episcopos adnectuntur, cap. xi. Obsecrationum* (inquit) *Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim Sanctarum Ecclesiarum Præsules mandata sibi met legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant, & precantur, ut Infidelibus donetur fides, &c.*

Collectarum multiplicatio.

Ordo Missæ explicatur.

Antiquitus una tantum ante Epistolam dicebatur Oratio, juxta Romanum Ordinem: multiplicatæ sunt deinde Orationes a Sacerdotibus, pro cujusque privata devotione, ad tædium usque Populi. Septenarium tamen numerum Sapientiores excedendum non judicarunt, quem nec Dominica Oratio excedit; septem petitionibus omnia corpori, & animæ necessaria comprehendens. Hoc autem religiose observandum duxerunt (inquit *Micrologus cap. iv.*) ut in Missa, aut una, aut tres, aut quinque, aut septem Orationes dicerentur; una propter Romanam Traditionem: tres, tum propter Mysterium Trinitatis, tum quia Dominus ante Passionem suam ter orasse legitur: quinque, propter quinquepartitam ejus passionem, in cujus commemorationem hæc eadem celebramus Officia: septem, tum propter septiformem Spiritus Sancti gratiam, tum quia Apostoli septem petitiones Dominicæ Orationis ad consecrationem eorundem Mysteriorum frequentasse leguntur. Ita etiam *Innocentius III. Lib. ii. De Mysteriis Missæ, cap. xxvii.*

Orationum multiplicatio cepta videtur in Monasteriis. In Synodo Matisconensi anno 1127. *Agrestinus* Monachus Luxoviensis Regulam *S. Columbanum* tamquam superstitiosam impugnavit, inter cetera objiciens, *Columbanum* contra morem Ecclesiæ sacra Missarum solemniam multiplicatione Collectarum, sive Orationum celebrare. Quem refellit *Eustasius* ejusdem Monasterii Abbas, dicens: *Multiplicationem Orationum in sacris Officiis, omnibus proficere Ecclesiis; quia dum plus Dominus queritur, plus invenitur, & cum uberius oratione pulsatur, eo citius exaudire probatur.*

Concilium Mediolanense i. sub *S. Carolo* vetat, *Ne plures tribus, vel ad summum quinque, Orationes, seu, ut vocant, Collectæ dici possint; nisi ubi Ecclesiæ institutum aliud postulet.*

Et

Et S. Carolus in Instructionibus pro Celebratione Missæ: Cum plures sunt Orationes, aut Collectæ, numero dispari recitabuntur, & septem non excedant. Cum autem in Festo, in quo unica Oratio dicenda est, ratione tamen Officii Ecclesiæ hujus altera commemoratio agenda est, duæ tantum erunt.

Concluditur Oratio obiectione, & obtestatione Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est Mediator, & Redemptor noster. Ad Patrem enim dirigitur Oratio, ut Concilium Carthaginense III. decrevit, & per Filium terminatur, sicut olim præcepit dicens: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* In omnibus autem Collectis interponitur, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, ut omne, quod datur a Patre, intelligamus nos per Filium ejus accipere, cujus hereditas sumus. Per ipsum ergo hostiam laudis, atque oblationis offerimus, qui per mortem ipsius reconciliati sumus, cum inimici essemus. Vetus illa clausula est Orationum, quæ ab Ecclesia fiunt, quam ipsa ab Apostolis, Apostoli a Christo accepere. Hinc Tertullianus Apologetici c. XXI. *Dicimus, & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati, & cruenti vociferamur, Deum colimus per Christum, per eum, & in eo se cognosci vult Deus, & coli.* Sic Optatus Milevitanus, Lib. III. *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ejus ante Aram rogaverit.* Sic S. Fulgentius in Epistola ad Ferrandum Diaconum, de quinque Quæstionibus, quarum quarta est ista: *Unum Regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti credimus, & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes: quare ergo in Orationibus Sacerdotum, Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti, per universas Africae regiones Catholica dicere consuevit Ecclesia; tamquam solus Filius cum Patre possideat Regnum in unitate scilicet Spiritus Sancti, ut regnantes adunare, non simul regnare Spiritus Sanctus intimetur?* Respondet Fulgentius, nos per Jesum Christum Orationem concludere, quod ille Mediator sit: unitatem vero Spiritus Sancti cum Patre, & Filio prædicare, ut ex ipso unitatis nomine una essentia, & unum regnum, & in eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas a Fidelibus agnoscatur: ne putetur aut Filius, aut Spiritus Sanctus secundum divinam Naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum superiore regnat inferior; sed illa unitas Spiritus Sancti, quæ est communio Patris, & Filii, dum in illo Regno unitatem Divinitatis demonstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem, atque majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat. *Nullum autem præjudicium Filio, vel Spiritui Sancto comparatur, (inquit idem S. Fulgentius Lib. II. ad Monimum, c. v.) dum ad Patris Personam precatio ab Offerente dirigitur, cujus consummatio dum Filii, & Spiritus Sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen: quia dum ad solius Patris Personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, Sacrificii munus omni Trinitati uno, eodemque offertur litantis officio.* Ideo autem ad Patrem omnes pene Orationes diriguntur, quia Missa repræsentatio est ejus oblationis, qua Christus se Patri obtulit. *Amen*, confirmatio est orationis a Populo: significat autem, *Vere*, ita credimus, sicut dicis. De cujus vocis usu post orationem loquitur Apostolus I. ad Corinthios cap. XIV. & post eum antiqui Patres S. Justinus Apolog. II. S. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Sixtum apud Eusebium Lib. VI. I. *Historiæ Ecclesiasticæ* c. IX. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystagogica v. S. Hieronymus in Præfatione Lib. II. Commentariorum in Epistolam ad Galatas, S. August. Lib. II. *contra Epistolam Parmeniani*, c. VII.

Orationis conclusio.

Joan. 15. 16.

Ordo Missæ explicatur.

Epistola.

VIII. Sequitur lectio Scripturarum ad Fidelis Populi instructionem, scilicet Epistolæ, & Evangelii; quæ a primis Apostolorum Successoribus instituta creditur, *Quia in Evangeliiis Sacrificia celebrari jubentur: & in Apostolo qualiter*

celebrari debeant, docetur (inquit *Valafridus Strabo*, c. xxii.) Epistolæ nomen primæ illi lectioni tributum, quia ex Epistolis *S. Pauli* ut plurimum accipitur, quamvis interdum ex Prophetis, sive ex aliis Scripturæ Sacræ Libris desumpta sit.

Scripturarum Lectionem in sacris Christianorum cœtibus, præcipue vero cum ad Sacrificium collecti erant, fieri solitam ab Apostolicis temporibus, certum est ex *S. Paulo* Epistolæ ad Colossenses c. iv. *Cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite, ut in Laodicensium Ecclesia legatur*. Et Epist. i. ad Thessal. cap. v. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc omnibus sanctis Fratribus*.

Confirmatur ex *S. Justino* Martyre Apologia II. ubi Christianorum Sacrum describens, ait: *& Commentaria Apostolorum, aut Scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur*.

Ex *Tertulliano* Apologetici cap. 39. *Coimus* (inquit) *ad Litterarum Divinarum commemorationem*.

Lectionis Epistolarum Apostolicarum in sacris Synaxibus meminit *S. August.* Lib. 20. *De Civitate Dei*, cap. viii. Serm. 112. alias 33. *De Verbis Domini*, initio Expositionis in Epistolam i. *S. Joannis*, & Tractatu ix. & Epistola lxxx. alias clxv.

Ordo Missæ explicatur.

Seriem, & ordinem Lectionum, atque Epistolarum, & Evangeliorum, quæ singulis diebus per annum in Missæ Sacrificio legi debent, exhibet antiquus Lectionarius, *Liber Comitatus* inscriptus, & sub *S. Hieronymi* nomine laudatus a *Micrologo*, c. xxv. *Bernone Augiensi* c. i. & aliis, Concilium Laodicenum, Can. 59. & Carthaginense III. Can. 47. sanxerunt, solos Libros Canonicos Veteris, & Novi Testamenti in Ecclesia legendos esse. Toletanum iv. Can. 16. Apocalypsim legi jussit Missarum tempore a Pascha usque ad Pentecosten. Bracarense i. Can. 11. decrevit, ut in solemnium dierum Vigiliis, vel Missis omnes easdem Lectiones legant.

Cur Lectio Epistolæ Evangelio præmittitur?

Præmittitur autem Evangelio Lectio Apostolica, non causa dignitatis, sed ob amorem Apostolorum, qui ante Christum ibant, quos mittebat Dominus binos, & binos ante faciem suam. Epistola, quæ præmittitur Evangelio, Præcursoris designat officium, quod *Joannes* ante Christum exercuit, qui præivit ante faciem Domini parare vias ejus. *Joannes* ergo (inquit *Innocentius III.*) quasi Subdiaconus fuit, id est, subminister illius, qui de se dicit: *Non veni ministrari, sed ministrare*. Lex enim quasi Pædagogus infantem Dei Populum per manum Moyse custodiendum suscipiens, illius adventum docuit expectare, quem eidem populo jam adulto per os, digitumque *Joannes* præsentem in carne monstravit, ut eum ducens sequeretur ad Regnum. Præcessit nempe Lex Evangelium, sicut umbra lucem, virga spiritum, timor charitatem, initium perfectionem, dominantis præceptum amantis consilium. Nam *Lex per Moysen data est, Gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Epistola vero vox Legis est, imperfectionem suam *Joannis* testimonio profitentis, & ad perfectionem Evangelicam transmittentis. Hinc est, quod Subdiaconum legentem Epistolam unus Acolythus comitatur, Diaconum vero legentem Evangelium tam Subdiaconus quam Acolythus comitantur, quia Prædicationem *Joannis* pauci secuti sunt, sed Prædicationem Evangelii plurimi susceperunt. Unde Discipuli *Joannis* ipsi dixerunt: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Ut ergo cognovit Jesus, quia Pharisei audierunt quod Jesus plures Discipulos faceret quam Joannes, reliquit Judæam, &c.* Quia vero *Joannes* fuit limes præcedentium, & subsequendum, medius inter Apostolos, & Prophetas. nam *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem*) ideo Epistola nec semper legitur de Prophetis, nec semper de Apostolis, sed interdum sumitur de Veteri Testamento, interdum de Novo.

lib. 11. Mysteriorum Missæ c. 29.

Joan. 1. 17

Joan. 3.

Luce 16.

Graduale. Alleluja. Tractus.

IX. Perlecta Epistola, Responsorium sequitur, quod *Graduale* nuncupatum est, quod a Cantoribus in gradibus ambonis sive pulpiti stantibus diceretur. No-

men Responsorii inde accepit, quia lectioni convenire, & respondere debet, sive quia uno inchoante, alii respondent. Psalmi versiculos, vel integrum Psalmum, inter Epistolam & Evangelium, *S. Augustini* tempore in Africa lectos, vel cantatos fuisse, testis est ipse Serm. 113. alias 33. De Verbis Domini. *In Lectione Apostolica*, inquit, *Gratiæ Domino aguntur de Fide Gentium, utique ideo quia ipse fecit. In Psalmo diximus, Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. In Evangelio ad Cœnam vocati sumus.* Et Serm. 166. alias 10. De Verbis Apostoli: *Primam lectionem audivimus Apostoli. Deinde cantavimus Psalmum. Post hæc Evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit.*

Post Responsorium certo anni tempore simul cum Versiculo, & tempore Paschali sine Respontorio, geminato Versu decantatur *Alleluja*, quæ vox a *David* primum usurpata videretur, si modo constaret titulum Psalmi 104. *David* recentiore non esse. Legitur in Libro *Tobiæ* cap. xiiii. *S. Joannes* Apocalypsis xix. refert se audisse in cœlo supernarum Virtutum Choros psallentes *Alleluja*. Vox igitur illa jubilationis, quæ significat, *Laudate Deum*, e cœlis in Ecclesiam descendit, cujus modulatione nos ad Sanctorum gaudia suspirare significamus. Nam *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. . . . In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.* Hoc ineffabile gaudium vitæ præsentis inopia nullatenus habere meretur, sed prægustans illud in spe, sitit, & esurit quod gustaverit, donec spes mutetur in rem, & fides in speciem. Quapropter hoc nomen Hebraicum absque interpretatione remansit, ut peregrinum ab hac vita gaudium peregrinum quoque vocabulum signaret potius quam exprimeret. Quoniam igitur *Alleluja*, futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum, jure magis eo tempore frequentatur, quo Christus resurgens ejusdem beatitudinis spem nobis tribuit, & meritum. Canticum *Alleluja* post *Graduale*, canticum videlicet lætitiæ post luctum Penitentiae, pro nostro modulo exprimere conati magnitudinem consolationis, quæ reposita est lugentibus. Postremam vero litteram in plures neumas jubilando protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi semper erit vita sine morte, dies sine nocte, jucunditas sine dolore, securitas sine timore, tranquillitas sine labore, & fortitudo sine debilitate, rectitudo sine perversitate, pulchritudo sine deformitate, veritas sine fallacia, charitas sine malitia, felicitas sine miseria (inquit *Innocentius III.* Lib. 11. *De Mysteriis Missæ*, c. xxxii.) Quod autem interposito Versu bis *Alleluja* cantatur, significat: quod interjecta lætitia Sancti geminam glorificationis stolam accipient, animæ, & corporis.

Luctuosus temporibus pro *Alleluja* Tractus dicitur, aliquot versibus, & interdum integro Psalmo constans, cui a trahendo nomen inditum est, quia tractum, & graviter decantatur. Id discriminis est inter Responsorium, cui Chorus respondet, & Tractum, cui nemo, quod est inter duo Sacrificia, scilicet columbarum, & turturum. Volucres illæ, quæ pro cantu gemitus habent, lacrymas humilium designant, quibus plurimum in ipsis etiam bonis operibus indigemus; quia etsi bona esse, quæ agimus noverimus, qua tamen severitate a Domino examinanda, qua perseverantia sint a nobis consummanda, nescimus. Columba, quæ gregatim conversari, volare, & gemere consuevit, activæ vitæ frequentiam demonstrat: turtur, qui singularitate gaudet, adeo ut si comparem amiserit, solus deinceps permaneat, vitæ speculativæ culmina denunciat, quia & paucorum est ista virtus. Sic Tractum explicat *Amalarius* Lib. 111. c. xii.

X. Post hæc legitur Evangelium, quem morem ab Apostolicis temporibus servatum, constat ex *S. Justino Martyre* in Apologia 11. *S. Cypriano* Epist. 33. & 34. *Eusebio* Lib. 11. *Historiæ Ecclesiæ* c. xv. ubi *Papianum Hierapolitanum*, & *Clementem* istius moris testes laudat, & ex aliis Patribus. Concilium Arausicanum 1. Can. xviii. & *Valentinum* in Hispania, Can. 1. statuunt, ut

Ordo Missæ explicatur.

Psal. 83. 5.
Psal. 41. 5.

Lectio Evangelii.

Evangelium, quod solis Fidelibus antea legebatur, in Missa Catechumenorum post Apostolum legatur. Diaconus priusquam legat, petit a Celebrante benedictionem, licentiam scilicet legendi, quia nemo absque missione prædicandi munus usurpare debet. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Diaconus Populum salutatur, dicens, *Dominus vobiscum*, illud observans, quod Dominus iusserat: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui*. Stans Populus quod ante non fecerat, cum Epistola legeretur, devotus, & attentus respondet, *Et cum spiritu tuo*. Pronunciato Evangelii titulo, respondemus, *Gloria tibi, Domine*, glorificantes Dominum, quod miserit nobis verbum salutis. Sicut *Act. XI.* habetur: *Glorificaverunt Dominum, dicentes: Ergo & Gentibus dedit Deus Pœnitentiam ad vitam*. Sicut autem caput præeminet corpori, & ei cetera membra deserviunt, sic Evangelium toti Officio præcellit, eique ceteræ partes intellectuali ratione consentiunt. Hoc est verbum Verbi, sermo Sermonis, sapientia Sapientiæ. Verbum Verbi, quod erat in principio apud Deum, quod caro factum est, & habitavit in nobis. Sermo Sermonis omnipotentis, qui de cælo a regalibus sedibus venit, vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Sapientia Sapientiæ, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Paradisus deliciarum, hortus aromatum, cella vinaria, cœnaculum vitæ, mensa propositionis, quadriga Aminadab, turris David, gazophylacium Templi, thesaurus Patris familias, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Quocirca Diaconus corde purum, ore mundum, opere castum se studeat exhibere, ut sanctum Evangelium possit digne eo ferre. Hic jam non loquitur Moyses, non Isaias, non Jeremias, sed loquitur Pater in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula. Hæc de Evangelii dignitate *Innocentius III.* Lib. II. *Mysteriorum*

Ordo Missæ explicatur. *Luc. 9. 4.* *Missæ*, cap. XLVII. Lecto Evangelio, dicunt Ministri, *Laus tibi, Christe*, Deo gratias agentes Populi totius nomine, pro tam salutari doctrinæ beneficio.

Symbolum. *Hebr. 1. 2.* XI. Quia vero corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; ut ostendat Ecclesia quod Evangelii verbum corde recepit, & Christo tamquam Veritati credit, lecto Evangelio Fidei Symbolum canit: quod incipit Sacerdos, ut omne bonum a Christo procedere significetur. Quis illud primo Liturgiæ inseruerit, aut cantari iusserit incertum est. *Radulphus Tugrensis*, Propositione 23. a *Marco Papa Silvestri* Successore sancitum fuisse ait, ut Symbolum Nicænum in Missa diceretur. *Innocentius III.* Lib. II. *De Mysteriis Missæ*, cap. 49. & alii, scribunt *S. Damasum* id recitari iussisse ad exemplum Græcorum. Recitationem Symboli in Missa Hispani primi inter Latinos receperunt, & secundum formam Orientalium Ecclesiarum cantari decreverunt *Can. II.* Concilii Toletani III. anno quingentesimo octogesimo nono celebrati. Hispanicam Ecclesiam Gallicana, & Germanica postmodum imitatae sunt, Imperante *Carolo Magno*, post *Felicis* Hæretici damnationem, ut *Vvalafridus* testatur, cap. 22. Romæ in publica Missarum celebratione cantari cepit iubente *Benedicto VIII.* anno millesimo decimoquarto. Id Pontifici persuasit *Henricus II.* Sanctus Imperator. Interrogati Romani, cur Symbolum in Missa non canerent, responderunt, *Quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fece infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate Catholice Fidei permaneret inconcussa. Et ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla Hæresi potuerunt maculari*. Ita refert *Berno Augiensis*, qui rei gestæ interfuit, cap. II. Libri *De Rebus ad Missam pertinentibus*.

Offertorium. XII. Post Symbolum, & quando non dicitur, post Evangelium, Sacerdos Populum salutatur, & ad orandum excitat. Tum Chorus canit Antiphonam, quæ *Offertorium* dicitur, quia antiquo more Populus suam interi dona offerebat: & Sa-

& Sacerdos præscripto ritu, certaue precum formula panem, & vinum offert; quæ Oblatio simplex cæremonia est, mox futuri Sacrificii præparatoria. Offertorium complectitur laudem Populi in cantu Antiphonæ, quo significatur lætitia offerentium, & Orationem Sacerdotis, qui petit, ut Oblatio Populi Deo sit accepta. Unde & 1. Paralipom. cap. 29. ait David: *Ego in simplicitate cordis mei letus obtuli universa hæc; & Populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingentigaudio tibi offerre donaria.* Tum orat, dicens: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel Patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat.* Ordo conveniens est, inquit Innocentius III. ut post prædicationem sequatur fides in corde, laus in ore, fructus in opere; fides in Symbolo, laus in Offertorio, fructus in Sacrificio. Quapropter Offerenda cantatur, quia Sacrificium laudis offertur. Unde Psalmista: *Circuibō, & immolabo in Tabernaculo ejus Hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino.*

Psalm. 29.

XIII. Lectis secreto Orationibus super oblata, quæ propterea *Secretæ* dicuntur, Sacerdos præmissa Populi salutatione Præfationem incipit, qua Fideles excitat, & disponit ad Actionem Sacrificii. Hæc SS. Ambrosio, Gelasio, & Gregorio Magno antiquior est, quamvis illi plures Præfationes composuerint. Hujus meminit S. Cyprianus Lib. De Oratione. *Quando stamus (inquit) ad Orationem, fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante Orationem Præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda, ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* Meminit S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi v. Mystagogica. *Clamat (inquit) Sacerdos, Sursum corda. Verum enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit Sacerdos, curas scilicet vitæ hujus omnes, & domesticas sollicitudines illa hora relinquere, & cor in cælo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis, Habemus ad Dominum assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat, Habemus ad Dominum, mente vero circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde Sacerdos, Gratias agamus Domino. Certe gratias agere debemus, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit. Ad hæc vos subjicitis, Dignum, & justum est. Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profecto, & justum opus facimus.* Meminit S. Jo. Chrysostomus Hom. 18. in Epist. 11. ad Corinthios. *In tremendis Mysteriis (inquit) ut Sacerdos pro plebe, ipsa plebs pro Sacerdote vota facit. Neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt, id juste, ac digne fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur.* Meminit S. August. Lib. De Dono perseverantiæ, cap. 13. *Quod ergo (inquit) in Sacramentis Fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere a Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum, & justum esse respondent.* Meminit Concilium Milevitanum Can. 12. cujus hæc sunt verba: *Placuit, ut preces, vel Orationes, seu Missæ, sive Præfationes, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur.* Meminit Pelagius II. Epist. 11. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, qui ipsum rogaverant, ut ordinem Præfationum eis mitteret. Illarum porro numerum ad novem redegit. Sed alias præter novem illas, quas enumerat, in Ecclesia Romana receptas fuisse, constat ex S. Gregorii Sacramentario, aliisque antiquis Sacramentorum Libris Romanæ Ecclesiæ titulum præ se ferentibus, in quibus vix ulla Missa est, cui singularis Præfatio non assignetur.

Præfatio.

Ordo Missæ explicatur.

Sursumcor-
 da.
 Coloss. 3.
 Matth. 6.
 Iſai. 29.

Monet ergo Sacerdos, ut corda sursum habeamus ad Dominum, secundum exhortationem Apostoli, dicentis: *Quæ sursum sunt, querite, non quæ super terram.* Nam *Ubi est thesaurus tuus, tibi & cor tuum erit.* Multi dum ore loquuntur cœlestia, corde meditantur terrena: quibus Dominus improperat per Prophetam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* In qualibet ergo oratione peccatum est, sed in ista majus periculum, cor habere divisum ab ore, vel os habere divisum a corde. Nam qui semetipsum non audit, nec Deus illum exaudit. Chorus ergo respondens profitetur se Sacerdotis monita suscepisse, cum ait: *Habemus ad Dominum.* Id est, ut hortaris nos, corda nostra sursum habemus ad Dominum erecta. Mundati ab affectibus sæculi, ascensiones in corde nostro disponimus in valle lacrymarum: ad illam supernam Jerusalem Matrem nostram, quæ est in cœlis, ascendimus, immo volamus duabus alis amoris Dei, & proximi. Ab illa enim peregrinamur in hac vita, ad ejus reditum suspiramus, tam diu miseri, & laborantes, donec ad illam redeamus. Caveat ergo Fidelis, ne cor habens inflexum deorium ad sæculum, Sp. Sancto damnabiliter mentiatur. Monet adhuc Sacerdos, ut *Gratias agamus Domino Deo nostro*: ut scilicet de hoc bono sursum erecti cordis, aliisque Dei donis non nobis gloriam, quasi nostrarum virium, tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo Jesu. Quamvis enim accipere, & habere nostrum sit, id tamen habemus quod accepimus: quoniam superbienti, & ex eo quod habebat, quasi a se ipso haberet, impie glorianti, Veritas per Apostolum dicit: *Quid enim habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* Merito ergo in illo verissimo, & singulari Sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur, ut agnoscat homo, si quid bene vivit, Dei gratia se habere, & ut perficiatur in dilectione justitiæ, non se aliunde consecuturum. Quæ cogitatio piuni facit. *Gratias agamus Domino Deo nostro*: quoniam ipse est Deus, id est Creator: ipse est Dominus, id est Redemptor: ipse est noster Jesus, id est, Salvator. Tunc erit verissime noster, cum erit omnia in omnibus id est, sufficientia singulorum: quoniam ipse est Deus, qui de nihilo nos creavit: ipse est Dominus, qui Sanguine suo nos redemit: ipse est noster, qui suo munere nos salvabit: qui creando nobis dedit naturam, qui redimendo dedit gratiam, & salvando conferet gloriam. Respondet Ecclesia verbum Sacerdotis approbans, *Dignum, & justum est.* Dignum, quantum ad Dominum, quia ipse est Dominus Deus noster: justum, quantum ad nos, quia nos sumus Populus ejus, & oves pascuæ ejus. Ecclesiæ responsionem Sacerdos confirmat, eaque secum congemiscente, ait: *Vere dignum, & justum est, æquum, & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere.* Dignum, quia nos mera voluntate fecisti: justum, quia nos pura misericordia redemisti: æquum, quia gratuito nos justificas: salutare, quia æternum nos glorificas. Dignum tantis beneficiis; justum nostris obsequiis; æquum ipso pondere rationis; salutare manifesto fructu salutis: quia Deum pro beneficiis acceptis laudantes salvantur, & ingrati in ipsius judicio reprobantur. Gratias autem agere Deo debemus semper, & ubique, id est, in omni tempore, & in omni loco; ut impleamus in nobis, quod cantatur in Psalm. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Et iterum: *In omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino.* Quis est ergo, qui benedicit, & gratias agit Domino in omni tempore, nisi humilis corde? Esto humilis, si vis benedicere Dominum in omni tempore, & semper laus ejus in ore tuo: quia & Job non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legimus divitem fuisse. Ablata sunt omnia uno tempore, & implevit, quod in hoc Psalm. scriptum est, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Ecce exemplum benedicientis

I. Cor. 4. 7.

Ordo Missæ explicatur.

Psalm. 33.

Job. I. 21.

in omni tempore . Non habebat , quæ teneret , sed habebat , quod laudaret . In laude Dei sui , quasi in rerum copia , quiescebat . Plus est habere eum , qui dat , quam illa quæ dat . Si enim magna sunt , quanto major ipse largitor ? Et certe quæ in hac vita dederit Deus , aut dum vivimus , nos deferunt , aut a nobis morte deferuntur . At vero ipse Deus æterna possessio , semper præsens , nunquam deferit possidentem . Sint ergo casta vota Fidelium . Vile sit temporale bonum , ut veniat æternum . Si bona suppetunt sæculi , sit misericordiæ faciendæ materies : si defuerint , sit patientiæ fidelis occasio . Tali enim devotione etiam in omni loco Deo gratiæ aguntur , quia qui ubique est præsens , ubique agnoscit laudatorem suum ; etiam cum ore quiescente , & tacente lingua , secreto cordis affectu fidelis ei anima benedicit , cum agit in silentio , quod canitur in Psalmo : *Benedic , anima mea , Domino ,* & Psal. 102. *omnia , quæ intra me sunt , nomini sancto ejus .*

Exprimit subinde Sacerdos , ad quem orationem dirigat , dicendo , *Domine sancte , Pater omnipotens , æterne Deus :* & per quem eandem orationem dirigat , addendo , *Per Christum Dominum nostrum .* Quod dicit , *Domine* , refertur ad creaturæ subjectionem , de qua in Psalmo canitur : *Dixi Domino , Deus meus est tu , quoniam* Psal. 15. 6 *bonorum meorum non eges .* Quod vero adjungit , *Sancte Pater* , refertur vel speciatim ad unigeniti Filii generationem , vel ad omnium filiorum Dei adoptionem , pro quibus ipse eisdem verbis Patri supplicans , ait : *Pater sancte , serva eos in nomine tuo , quos dedisti mihi .* Tota autem oratio , & gratiarum actio , quam semper , & ubique debemus agere , dirigitur , & offertur Deo Patri per Christum Dominum nostrum , tamquam per Mediatorem , & conciliatorem Dei , & hominum : qui semetipsum obtulit in Passione pro nobis , ut tanti Capitis corpus essemus , secundum formam servi . Hanc enim obtulit , in hac oblatus est , quia secundum hanc Mediator est . In hac Sacerdos , in hac Sacrificium est . Per ipsum ergo & petitiones , & laudes suas offert Ecclesia Deo Patri , sciens per eum solū se posse accipere quod postulat ; per eum solum placere posse quod laudat , quem Advocatum habemus apud Patrem , qui sedens ad dexteram Dei pro nobis interpellat , qui exauditur in omnibus pro sua reverentia .

Subjungit : *Per quem Majestatem tuam laudant Angeli , adorant Dominationes , tremunt Potestates ,* &c. *Cum quibus & nostras voces , ut admitti jubeas , deprecamur ,* &c. Hæc est enim ineffabilis gloria Salvatoris , & Mediatoris nostri , qui purgationem peccatorum faciens , sed ad dexteram Majestatis in excelsis , tanto melior Angelis factus , quanto differentius præ illis nomen hæreditavit : ut per eundem Mediatorem laudet , adoret , & cum admirationis timore revereatur Majestatem Dei Patris , non solum Ecclesia hominum in terris , sed etiam Ecclesia Angelorum in cælis . Sic enim Ecclesia tota , & una accipienda est , non solum ex ea parte , qua peregrinatur in terris , a Solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini , & post captivitatem vetustatis cantans canticum novum ; verum etiam ex illa , quæ in cælis semper , ex quo condita est , cohæsit Deo , nec ullum malum sui casus experta est . Hæc in Sanctis Angelis beata persistit , & suæ parti peregrinanti , sicut oportet , opitulatur ; quia utraque una erit consortio eternitatis , & nunc una est in vinculo charitatis . Merito Deum laudant Angeli , & majestatem ejus concelebrant , cui debent quod sunt ; quod vivunt , quod juste vivunt , & quod beate vivunt . Et *Socia* quidem , id est , juncta *exultatione concelebrant* : quia dum sine fine conspicitur , & amatur , laudatur , electorum civium mira lætitia agitur , vicissim de se omnes in suo conventu gratulantur . Ipsa est enim domus Dei æterna , de qua in Psalmis canitur , *Beati , qui habitant in domo tua , Domine , in secula seculorum laudabunt te .* Et , *Sicut lætantium , omnium habitatio est in te .* Laudant autem & ipsi *per Christum Dominum nostrum* , in quo instaurantur omnia , quæ in cælis , & quæ in terris sunt . Ex hominum enim redemptione ruinæ Angelicæ damna reparantur . Et sumus *in illo repleti , qui est Caput omnis Principatus , & potestatis* (ut loquitur Apostolus ,) Cum his & nostras voces admitti deprecamur , jam *Angelorum*

Ordo Missæ explicatur .

Psal. 83. 3.

Psal. 86. 7.

Coloss. 2. 10

si meruerimus, candidati (ut ait *Tertullianus.*) Quia enim superna illa civitas ex Angelis, & hominibus constat, ad quam tantum credimus hominum genus ascendere, quantos illic contingit electos Angelos remansisse, merito Sancta Ecclesia, quæ illis socianda est in cœlo, & cum illis in Dei laudibus permanfura, jam nunc ipsis vocibus Deum laudat in terris, quibus eum Sancti Angeli laudant in cœlis, & hoc non superba præsumptione, sed *supplici confessione*: sic desiderans Majestatem Dei credere, diligere, & confiteri in mundo, quemadmodum ab Angelis videtur, amatur, & laudatur in cœlo. Una igitur confessione, id est, laude, & gratiarum actione jam nunc homines cum Angelis sociantur, dicentes.

Hymnus
Seraphicus.

XIV. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli, & terra gloria tua.* Triumphalem hunc Hymnum Ecclesia Militans a Triumphante edocta, Deo in omnibus Liturgiis canit. Vidit *Isaias* c. vi. Dominum sedentem super folium excelsum, & audivit Seraphicos Spiritus alterna modulatione psallentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum: plena est omnis terra gloria ejus.* Et *S. Joannes* in Apocalypsi c. iv. quatuor mystica animalia plena oculis describit, requiem non habentia die, ac nocte, & dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venurus est.*

Ordo Missæ
explicatur.

Luc. 2. 15.

Propterea autem *Traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus: ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana Militia communicemus* (inquit *S. Cyrillus Hierosolymitanus.*) Dominum Deum Sabaoth, id est, *Exercituum*, glorificamus. Quod nomen Deo tribuitur a Prophetis, ut & *Domini Virtutum*; quia omnis Militia cœlestis Exercitus, omnes superne Virtutes, atque Angelicę Potestates ejus imperio subjacent, ejus serviunt voluntati. Angelicos enim Spiritus recte Militiam dicimus, quia decertare eos contra aereas Potestates non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore sed imperio peragunt, quia quod agendum contra immundos Spiritus appetunt, ex adjutorio cuncta regentis possunt. De hac Militia nascente Christo laudes Deo canente scriptum est: *Facta est cum Angelo multitudo Militiæ cœlestis.* Nec vacat Mysterio trina repetitio Sanctitatis in Hymno illo Seraphico, ut explicat *S. Ambrosius* Lib. III. *De Spiritu Sancto* cap. xvi. *Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant, & dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Non semel dicunt, ne singularitatem credas: non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non Sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes: sed ter repetunt, & idem dicunt, ut etiam in Hymno distinctionem Trinitatis, & Divinitatis intelligas unitatem. Hæc cum dicunt, Deum prædicant.* Additum hunc Hymnum Sacrificio Missæ a *Sixto I.* plerique scribunt: sed Liber Pontificalis id solum a *S. Sixto* constitutum testatur, ut Sacerdote ipsum incipiente, etiam Populus eundem cantaret. Quia vero progressu temporis quidam abusus irrepsit, ut non nisi in solemnibus Missis diceretur, Concilium Vasense anno 529. statuit: *Ut in omnibus Missis sive Matutinis, sive Quadragesimalibus, vel quæ in Defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Missas publicas dici debeat: quia tam dulcis, & desiderabilis vox, etiamsi diu, noctuque possit dici, fastidium non potest generare.*

Psal. 117.

Hymno Seraphico adjunguntur verba turbaram Salvatorem nostrum laudantium in solempni Hierosolymorum ingressu: *Osanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.* Recte enim ex Scriptura Prophetica, & Evangelica completur plena laudatio; cum post laudem, & gloriam Sanctę Trinitatis, adjungitur etiam gratiarum actio de adventu Salvatoris: qui unus in ipsa, & ex ipsa Trinitate, pro salute nostra homo factus, eandem salutem moriendo, & resurgendo consummavit: unde recte illi gratias agentes dicimus: *Osanna, id est, Salva in excelsis.* Hoc est nimirum, quod in Psalmo canitur: *O Domine, salvum me fac: o Domine, bene prosperare. Benedictus, qui venit in nomine*

De-

Domini. Repetitur *Osanna*, id est, *Salva in excelsis*: ut ostendatur adventum Domini in carne, non solum humani generis in terra, sed & Angelorum in cœlis esse quodammodo salutem: quia dum nos redempti ad superna perducimur, eorum numerus Satana cadente imminutus impletur. Hinc *S. Paulus* ait, *Instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso*.

XV. Post has laudes, & gratiarum actiones, facto totius Ecclesiæ silentio, Sacerdos sociatis sibi omnium votis, & desideriis, incipit Orationem, qua Mysterium ipsum Dominici Corporis, & Sanguinis consecratur. *Te igitur, Clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia illibata*. Hæc Oratio, sicut & reliquæ ad Patrem æternum dirigitur, cujus tanta extitit erga nos clementia, & misericordia, ut proprio Filio non parcens, pro nobis omnibus illum tradiderit, & cum illo nobis omnia donaverit. Hujus rei gratia genua flectentes ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, supplices ipsum rogamus, ac petimus pereundem verum Mediatorem, & æternum Sacerdotem, ut accepta habeat, & benedicat dona, munera, sancta Sacrificia, quæ ipsi offeruntur. Sacerdotum enim est offerre, & Majestatem Dei invocare: Dei autem est benigne suscipere, & benedicere, quæ offeruntur: sicut in Lege præcepit Sacerdotibus: *Sic Benedicetis filiis Israel*: statimque post verba benedictionis subjungit: *Invocabunt nomen meum super filios Israel, & benedicam eis*. Sacerdotes itaque exhibent offerrendi, & supplicandi ministerium; sed Deus largitur benedictionis donum per unum, & verum Sacerdotem, per quem & oblata sanctificat, & sanctificata acceptat. Sensus itaque hujus orationis est: Supplices Te rogamus, ut hæc Spiritu tuo sanctifices, ut quod nostræ humilitatis geritur ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Diversis nominibus exprimitur res oblata, ut tanti Sacramenti dignitas commendetur, & pia devotio excitetur. Tria enim vocabula eandem oblationem significantia, designant individuum Trinitatem Christum morti tradidisse, ut per illum a morte nos redimeret. Donum enim est dantis, munus accipientis, Sacrificium offerentis, Pater dedit, Filius obtulit, Spiritus Sanctus accepit. Hinc Apostolus, *Christus* (inquit) *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*. Singulæ tamen Personæ dederunt, obtulerunt, & acceperunt: sed ad distinctionem dicitur Pater dedisse, propter auctoritatem; Filius obtulisse, propter humanitatem; Spiritus Sanctus accepisse, propter benignitatem. O gratiam nunquam satis digne prædicandam! Quod Deus dedit nobis in donum, hoc accipit a nobis in munus: eadem enim Sacrificia dona sunt, & munera; dona nobis collata, munera a nobis oblata. Pluraliter dona dicuntur, quia panis, & vinum ante consecrationem diversæ sunt species substantiarum. Post consecrationem autem species dumtaxat remanent, substantiis duabus in sacrosanctum Corpus, & immaculatum Sanguinem Jesu Christi convertis. Panis autem, & vinum dicuntur Sacrificia, quia Sacrificii sunt materia: unde illud *S. Cypriani* Lib. De Opere, & Eleemosynis: *Dives, & locuples in Dominicum sine Sacrificio venis*. Dicuntur Sancta, & illibata, id est, pura & incontaminata, quia iam Deo dicata, & consecrationi, atque Sacrificio destinata; jam Agni immaculati signa sunt, in cujus Corpus, & Sanguinem sunt convertenda; in cujus figuram victimæ veteris Legis immaculatæ, & sine labe jubebantur offerri: & quia Corpus, & Sanguis Christi sine macula cordis, & corporis a Sacerdote debet offerri.

Prosequitur Sacerdos, & dicit: *In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro*. Parerat, ut offerretur in primis Sa-

Ephes. 1:

Canonis orationes.
TE IGI-
TUR:Canon
Missæ.

Hebr. 9.7.

crificium pro Ecclesia Dei Sancta, Catholica, toto terrarum orbe diffusa, ipsa est enim universitas Sanguine Domini redempta: ipsa est hæreditas a Patre ei promissa, & data, juxta illud: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Pro hac itaque primum in illa oblatione postulatur, ut eam Deus toto orbe pacificare dignetur, ne per hæreses, & schismata ejus unitas dilanietur; aut adversitate persecutionum ejus tranquillitas perturbetur. Ut hanc pacem tam interius quam exterius faciat Deus Ecclesiæ suæ, ipse Apostolus orat, dicens: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.* Et omnem Ecclesiam offerre vult Deo *Obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate.* Rogatur etiam Deus, ut eam custodire, adunare, & regere dignetur. Ipse enim verus est custos Populi sui, id est, veri Israel, de quo in Psalmis dicitur: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel: & Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Deus autem Ecclesiam suam pacificando adunat, cum omnium Fidelium corda in sua pace conjungit; cum omnium Fidelium mentes per unitatem fidei, spei, & charitatis, unius efficit voluntatis, ut per Sp. Sanctum charitate diffusa, renovetur in ea, quod scriptum est: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Custodiendo quoque regit Ecclesiam suam, cum inter omnia pericula clementer eam gubernat, & dirigit, cui in Psalmo orantes dicimus: *Salvum fac Populum tuum, Domine, & benedic hereditati tue, & rege eos, & extolle illos usque in æternum.*

Subjungitur oratio pro Summo Pontifice, post Ecclesiæ commendationem, ut unitas Ecclesiastici corporis fortius commendetur: quia *Unitas Sacerdotalis a Petri Cathedra exorta est*, ut ait S. Cyprianus. Et ut ait S. Leo, Epist. 10. alias 89. ad Episcopos per Viennensem Provinciam constitutos, *Divinæ cultum Religionis, quem in omnes Gentes, omnesque Nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut hujus muneris Sacramentum in beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocarit: & ab ipso quasi quodam Capite, dona sua velit in omne Corpus manare: ut exortem se Mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individua unitatis assumptum, id, quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam: ut æterni Templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret: hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent.* Unde constat, inquit Pelagius Papa, ab universi orbis Communionem separatos esse, qui qualibet dissensione inter sacra Mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant.

Romano Pontifici singulæ Ecclesiæ proprii Antistitis commemorationem subjungunt, probantes se per illam orationem Dominicæ Oblationis, servare cum eo unitatem Spiritus in vinculo pacis.

Addimus nomen Regis ex Apostolica Traditione, præcipiente S. Paulo 1. ad *Timoth. 11.* ut fiant orationes *Pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt*, idque etiam pro Infidelibus, quales erant, qui S. Paulo vivente regnabant. Hinc *Tertulianus* Apologetici cap. xxx. Nos (inquit) *pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum... In cuius solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes Deos... Oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, Domum tutam, Exercitus fortes, Senatam fidelem, Populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt.*

Sic *Origenes* Lib. VIII. Contra Celsum: *Laboramus (inquit) pro Imperio Romano, dum iuste viventes vota pro eo facimus.*

Sic

Sic *Arnobius* Lib. IV. *Contra Gentes: Nostra Scripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter conventicula dirui? In quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur, Magistratibus, Exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vincione.*

Sic *S. Dionysius Alexandrinus* apud *Eusebium* Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XI. Nos unum Deum rerum omnium opificem, qui Valeriano, & Gallieno Sacratissimis Augustis Imperium tradidit, colimus, & adoramus. Huic continuas preces offerimus pro Imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat.*

Pro *Constantio* Imperatore Liturgicas Preces habitas testatur *S. Athanasius* in Apologia ad ipsum directa.

Sic *Optatus Milevitanus* Lib. III. *Merito Paulus docet orandum esse pro Regibus, & Potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret. Quanto magis quod Christianus, quanto quod Deum timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors?*

Orat deinde Sacerdos *Pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ Fidei cultoribus.* Quæ verba etsi desint in antiquo Ordine Romano, & in quibusdam Manuscriptis *S. Gregorii Magni* Sacramentariis, eaque superflua ceniteat *Micrologus* cap. XIII. & XXI. non tamen superflua sunt, quia per ipsa omnes Fideles vivi generaliter commemorantur: at in sequentibus, *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum,* offerentium dumtaxat commemoratio proprie fit, & ibi olim ex Sacris Tabulis quorundam nomina legebantur (ut explicant Auctor Libri de Divinis Officiis *Alcuino* adscripti, & *Florus Diaconus* Lib. *De Actione Missarum.*) Dare autem debet operam quisquis Sacrificii cupit esse particeps, ut Catholicæ, & Apostolicæ Fidei, idest, quam universa ubique servat Ecclesia, & quam in toto mundo Apostolorum doctrina fundavit, cultor sit. Cultores autem hujus fidei non possunt dici, nisi illi, qui quod recte crediderint, veraciter diligunt. Hoc enim unusquisque colit, quod maxime diligit. Ille ergo est veritatis cultor, qui sic jungit fidei dilectionem, ut Deum, de quo recte credit, diligendo colat, & colendo promereatur. Ipsa est fides, quam Apostolus commendat, dicendo: *In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, que per dilectionem operatur.* Neque enim in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hereticorum, neque in languore Schismaticorum, neque in cecitate Judæorum, quærenda Religio est, sed apud eos, qui Christiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur; idest, integritatis custodes, & recta sectantes.

XVI. Sequitur eorum commemoratio, pro quibus Sacrificium speciatim offertur, & omnium circumstantium, pro quibus Sacerdos offert, vel qui Deo offerunt hoc Sacrificium laudis, &c. Quod enim agitur proprie ministerio Sacerdotum, hoc generaliter agitur fide, & devotione cunctorum. Omnia enim Ecclesiæ dicitur per *B. Petrum: Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, offerre spirituales hostias, & acceptabiles Deo per Jesum Christum Dominum nostrum.* Sacrificium laudis dicitur, quia in Dei laudem, & gloriam offertur. Non enim nostra illi damus, sed sua illi reddimus. *Pro se suisque omnibus,* idest, ad se genere, vel familiaritate, vel qualibet alia conditione, vel devotione, sub eisdem fidei professione pertinentibus. *Pro redemptione animarum suarum,* quia in ipso habemus redemptionem per Sanguinem ejus, & remissionem peccatorum. *Pro spe salutis, & incolumitatis suæ,* idest pro vita æterna, quæ est vera salus: *Spe enim salvi facti sumus.* Nec solum pro salute æterna, sed etiam pro temporali incolumitate. Utraque enim sanitas, animæ scilicet, & corporis, ab illo est, de quo dicitur in Psalmo: *Domini est salus.*

XVII. Ut autem Sacrificium Deo sit acceptum offertur in Communione, & societate Sanctorum, in quibus voluit omnipotens Deus Ecclesiæ suæ constare

Oratio pro omnibus Fidelibus vivis generatim.

Galat. 6. 15.

I. Memento.

2. Pet. 2. 9

Canon Missæ.

Rom 8. 24. Psal. 3. 9.

Communicantes.

re fundamentum, sicut Apostolus ait: *Vos estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Ideo dicit Sacerdos: *Communicantes, & memoriam venerantes in primis gloriose semper Virginis Mariæ, sed & beatorum Apostolorum, ac Martyrum tuorum.* In eorum ergo Communionem, & memoriæ venerationem tamquam in vero templo Dei offert devotio Fidelium Deo vota sua, & munera, & ideo sunt communicantes eorum memoriæ tamquam filii patrum, & sectatores præcedentium, quia eandem fidem habent, quam illi habuerunt; & cum humilitate, & pietate eorum vestigia sequuntur. In hac commemoratione Sanctorum gloriosa semper Virgo Maria, vere Dei Genitrix, primo loco ponitur, per quam illi, & nos meruimus Auctorem vitæ suscipere. Et conjungitur commemoratio Apostolorum, & Martyrum, non solum eorum, qui hic nominatim exprimentur, sed & omnium, quorum nec nomina, nec numerum scire possumus: & tamen per gratiam fidei, & charitatis pie illis adhæremus, servantes societatem spiritus in vinculo pacis; ut cum eis unum corpus, & unus spiritus simus. *Quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per Christum Dominum nostrum.* Propter merita namque, & intercessionem Sanctorum, nostræ infirmitatis Dominus miseretur, & propitius fit; ut in omnibus sive adversis, sive prosperis, ne vel in illis deficiamus, vel in istis decipiamur, protectionis ejus muniamur auxilio. Sic oblesso ab hostibus Ezechiæ Regi, & divinum auxilium invocanti, ait Dominus: *Et civitatem hanc salvabo, & protegameam propter me, & propter David servum meum.* Sic & Moyses pro populo peccante intercedens, Patrum fecit memoriæ: *Quiescat (inquit) ira tua, & esto placabilis super malitia populi tui: Recordare Abraham, & Isaac servorum tuorum, quibus jurasti per te ipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli.* Nec dubitandum est, Fidelium petitiones a Spiritibus Justorum sciri: qui enim intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia sit foris aliquid quod ignorent. Postulat ergo Ecclesia suffragia Martyrum, nec tamen erigit Altaria in quibus sacrificet Martyribus, sed uni Deo Martyrum, & nostro.

4. Reg. 19.
34

Exod. 32. 12.

HANC
IGITUR
OBLATIONEM.

Canon
Missæ.

Mat. 4. 10.

Ephes. 5. 1.

Quam oblationem.

XVIII. Pergit Sacerdos: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familie tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, &c.* His verbis unitas Ecclesiæ offerentis ostenditur, cum in illa sacrosancta Oblatione communis servitus exhibetur Deo, tam a Sacerdotibus, quam a cuncta familia domus Dei. Hæc autem est servitus, quæ nulli alii debetur, nec Sanctis Angelis, nec Sanctis Animabus, sed uni Deo vivo, & vero, de quo nobis præcipitur: *Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.* Oratur itaque Deus, ut hanc Oblationem, quam illi soli debita servitute defert Ecclesia, placatus accipiat. Hæc est enim vera oblatio, in qua Filius offertur, Pater reconciliatur: quia, ut Apostolus ait, *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Oratur ut tali oblatione placatus, dies nostros, quibus in hac mortalitate inter diversa pericula, & tentationes, & impugnationes vivimus, in sua pace disponat; ita omnia sua pietate moderando, ut ferre possimus, ut ab ejus pietate non deficiamus; ut etsi in mundo variis calamitatibus, & angustiis premamur, in illo pacem habeamus: finito autem hujus mortalitatis cursu, ab æterna damnatione ereptos, in electorum suorum grege nos annumerare dignetur: quia ipsa quoque ad æternum Regnum prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad illud Electi labore perveniant: quatenus postulando merentur accipere, quod eis Omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. Hæc verba *Diesque nostros in tua pace disponas*, cum reliquis usque ad finem Orationis, addidit S. Gregorius Magnus, ut refert Joannes Diaconus.

XIX. Post hæc oratur Deus, ut Oblationem Altari suo impositam, & tantis precibus commendatam, ipse per virtutem Spiritus descendentis ita legitimam, & per-

perfectam Eucharistiam efficiat, ut in omnibus sit *adscripta*, idest, in numerum placitorum sibi munerum recepta: sit etiam *rata*, idest, immobili firmitate perpetua: sit quoque ejusdem Sp. Sancti operante virtute *rationabilis*, & per hæc omnia singulariter Deo grata, & *acceptabilis*: ut quamvis de simplicibus terræ frugibus sumpta, divinæ benedictionis ineffabili potentia efficiatur Fidelibus Corpus, & Sanguis unigeniti Filii Dei. Hic est Orationis illius sensus: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Hæc verba Paschasius Lib. De corpore, & Sanguine Christi, cap. xii. sic explicat: Rogamus, ut hanc Oblationem benedictam, per quam nos benedicamur: Adscriptam, per quam nos omnes in cælo adscribamur: Ratam, per quam in visceribus Christi censeamur: Rationabilem, per quam abestiali sensu exuamur: Acceptabilemque facere dignetur, quatenus & nos per hoc, quia in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus. Hic Paschasi locus sub S. August. nomine legitur apud Gratianum dist. 11. De Consecratione, Can. Verum.*

XX. Tum ait Sacerdos: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, &c.* ut possit in persona Christi verba proferre, quibus idem Dominus, & Salvator noster ad hoc Sacramentum conficiendum usus est: quæ suo loco sunt a nobis explicata. Peracta Consecratione, Christi mandatum commemoratur, præcipientis, ut hoc Sacrificium in ejus memoriam peragamus. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quod exponens Apostolus ait: *Quoties enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Christus itaque Discipulis suis, quos primos Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, præcepit, *Ut indesinenter ista vitæ æternæ Mystéria exercerent, quæ necesse est a cunctis Sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias, celebrari, usquequo iterum Christus de cælis adveniat, quo & ipsi Sacerdotes, & omnes pariter Fidelium populi exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie, & gerentes manibus, ore etiam sumentes, ac pectore, redemptionis nostræ Mystèrium indelebili memoria teneamus.* inquit S. Gaudentius Tract. 11. De Paschate.

XXI. Quamobrem Sacerdos mandato Domini obsequens, ait: *Unde & memores, Domine, nos servitui, sed & plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ Passionis, necnon & ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriose Ascensionis, offerimus pleclare Majestati tuæ de tuis donis, ac datis, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ.* Quid enim dignius, quam ut Sacerdos, qui Christi ministerio fungitur, & plebs sancta, idest fidelis, & in Ecclesiæ gremio consistens, sancta (inquam) sin minus actu, tamen vocatione, debito, professione, quæ vel præsens adest Sacrificio, vel in unitate Ecclesiæ ubique degens, particeps est Sacrificii, hæc divina Mystéria frequentando, memor sit Passionis, & Resurrectionis Christi, qui non solum *Mortuus est propter delicta nostra, sed & resurrexit propter justificationem nostram*: sicque mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit: sit etiam memor gloriose Ascensionis ejus, quia resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, sed *Assumptus in Cælum, sedet a dextris Dei, interpellans pro nobis.* Hæc tria mystéria præcipue commemorantur, quia Passio Christi charitatem accendit, Resurrectio fidem roborat, Ascensio spem erigit. Horum memores tam Sacerdotes, quam plebs fidelis, offerunt divinæ Majestati, non de suo, sed de ejus donis, ac datis, juxta quod scriptum est: *Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Ipse est enim, qui educit panem de terra, & præstat, ut vinum lætificet cor hominis. Ex his ergo creaturæ Dei fructibus, idest, bo-

Qui Pridie.

Canon
Missæ.Unde &
memores.

Rom. 4. 25

Rom. 8. 34.

1. Par. 29.

14.

ni-

nitatis, & pietatis ejus muneribus in Domini Corporis, & Sanguinis substantiam transmutatis, offert illi Ecclesia Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Corpus scilicet, & Sanguinem Agni immaculati; ejus qui peccatum non fecit, qui Sanctus sanctorum est: Panem sanctum vitæ æternæ, de quo ipse Dominus ait: *Ego sum Panis vivus, qui de Cælo descendi :: Panis Dei est, qui de Cælo descendit, & dat vitam mundo :: Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum :: Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita. Calix salutis perpetuæ, Calix est Sanguinis ejus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum: de quo in Psalmis canitur, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Est enim Calix iste salutaris accipienti, & in Sacramenti perceptione, & in Passionis imitatione, sicut a Sanctis Martyribus acceptus est.*

XXII. Orat deinde Sacerdos omnipotentem Deum, ut super hæc munera vitæ, & salutis, quæ ipsi offeruntur, propitio, ac sereno vultu respicere dignetur: non quod vultus ejus aliquando obnubiletur, & aliquando ferenetur, cum ipse sit Pater luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: sed qui semper in lumine est, tunc super nos ferent, & illuminat vultum suum, quando declarat super nos misericordiam suam, sicut orantes cum Psalmista dicimus: *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Non autem oramus, ut Deus acceptum, & gratum habeat Sacrificium ex parte rei oblatæ spectatum, aut ut propitio, ac sereno vultu super Christum respiciat; sed ex parte offerentium, Ministri scilicet, ac plebis, qui suæ infirmitatis conscii, orant, ut Deus Sacrificium, quatenus actio ipsorum est, propitio vultu respiciat, & acceptum habere dignetur, *Sicut munera justi Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahamæ, & summi Sacerdotis Melchisedech:* quæ in Scripturis præcipue commendantur, & in quibus imago erat hujus veri Sacrificii. Hoc ipsum enim uni Deo, auctori utriusque Testamenti, & utriusque Sacrificii, placebat in præfiguratione venturæ veritatis, quod & nunc placet in adimplerione ejusdem veritatis. Nam & in Sacrificio Abel, quod de primogenitis ovium, & adipibus earum oblatum, Sacrificio Cain, quod ex terræ fructibus offerebat, prælatum est, Novi Testamenti fides præfigurabatur, quæ ex innocentia gratiæ Deum laudans, Veteris Testamenti terrenis opibus anteponitur. Immolatione unci, & dilecti Filii Abrahamæ immolatio ejus præsignabatur, de quo dicit Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Unde ait Apostolus: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Sacrificium denique Melchisedech tam vere erat significatio Sacrificii Christi, ut inde prædictum sit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Postrema hujus Orationis verba, *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam* addidisse *S. Leonem Magnum,* testis est Anastasius Bibliotecharius in ejus Vita.

XXIII. Secundum hæc, supplex Deum rogat Sacerdos, ut perferri jubeat, non ipsum Corpus, & Sanguinem Christi, & sacras species, sub quibus continentur, sed vota, fidem, & preces Fidelium, in sublime Altare suum, de quo ait *S. Irenæus* Lib. IV. Cap. XXIV. *Est Altare in cælis, illuc preces nostræ, & oblationes diriguntur,* per manus *S. Angeli sui,* cujus ministerio Fidelium orationes in cælum deferri testatur Scriptura *Tob. XII. & Apocal. VII.* Unde non immerito etiam *Zachariæ* deprecanti apparuit Angelus a dextris Altaris incensi; quia veri Sacerdotis jam nunciabatur adventus, & cœleste Sacrificium parabatur, in quo Angeli ministrarent. Id autem a Deo postulat Sacerdos, ut quotquot Christi Corpus, & Sanguinem ex Altaris participatione sumpserint, omni benedictione cœlesti, & gratia repleantur. His enim muneribus Fideles suos omnipotens Deus reficiens glorioso Filii sui Corpore vivificat, sanctificat, æternitati præparat. Per hæc corda Fidelium omni benedictione cœlesti replet, ac gratia, tribuens corporibus

Joan. 6.

Psal. 115. 13.

Supra quæ
propitio,
ac sereno
vultu.

Psal. 66. 2.

Canon
Missæ.

Matth. 17. 51

Rom. 8. 37.

Psal. 109. 4.

Supplices te
rogamus.

castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per hæc tuetur suos misericordia, confirmat spe, munit charitate, ut qui Dominici Corporis participatione Deum intra se suscipiunt, templum ejus effici mereantur.

XXIV. Fit deinde commemoratio Fidelium Defunctorum, quos Ecclesia sacræ Oblationis intercessione commendat, certissime credens, quia Sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viventium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum. Præcedunt enim Fideles de corpore exeuntes ad Dominum, sed non præciduntur ab Ecclesia, quia præcedunt *cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*: Cum signo fidei, quia ex aqua, & Spiritu Sancto renati, quia Christi Cruce, & Passione signati; dormiunt autem tamquam vera Resurrectione suscitandi; in somno pacis, quia ab unitate, & societate Christi, & Ecclesiæ nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt: in quibus etsi aliquando fuerint, tamen per Pœnitentiam sanati, & per orationem Ecclesiæ, cui in Petro dictum est, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, reconciliati, & redemptionis Mysterio sociati, utique in pace obierunt, miserante illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Hic Fidelium Defunctorum nomina ex Ecclesiæ Tabulis antiquo usu recitabantur: post lectionem vero nominum subjungebantur, ut nunc post tacitam commendationem subjunguntur, hæc verba: *Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis ut indulgeas, deprecamur*. Quamvis enim sint in pace, quatenus de beatitudine sua securi sunt, & a bellis tentationum, & concupiscentiæ liberi; nondum tamen pacem perfectam habent, cum liberi non sunt a tormentis, & divinæ visionis desiderio, cujus dilatio affligit animam ad Deum suspirantem. Oratur ergo Deus, ut ipsis tribuat *Locum refrigerii*, ubi non sentitur ardor ille pœnarum, quibus Animæ Justorum in Purgatorio cruciantur, ut ab omni labe expiatae, tandem salvæ sint, sic tamen quasi per ignem: & *Lucis*, de qua Psalmista ait: *Ut placeam coram Deo in lumine viventium*: & *Pacis*, ad quam justus Simeon finitis hujus vitæ laboribus transire cupiebat, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*: Et in qua Sanctorum Martyrum animæ requiescunt, dicente Scriptura: *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*.

XXV. Orat consequenter Sacerdos Deum omnipotentem, ut etiam ceteros Fideles in hoc mundo superstites, id est, Sacerdotes, & Populum, per virtutem, & gratiam ejusdem Venerabilis Sacramenti, ad æternam beatitudinem perducatur. Totius namque Ecclesiæ vox est, id est, Sacerdotum, & plebium veraciter confitentium, & dicentium Deo, *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*: quia, *Et si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam*: non de ullis nostris meritis, sed *de multitudine miserationum tuarum sperantibus*. Pro se pater, & pro Populo Sacerdos orat. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis: qui condolare possit his, qui ignorant, & errant: quoniam, & ipse circumdatus est infirmitate: & ideo debet quemadmodum pro Populo, ita etiam pro se offerre pro peccatis*. Ad quod S. Gregorius Magnus his verbis adhortatur: *Neesse est, ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis intentione mactemus. Quia Passionis Dominicæ Mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc enim vere pro nobis Deo Hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit*. Oratur itaque Deus, ut non solum Defunctis, quorum supra commemoratio facta est, sed etiam nobis peccatoribus partem aliquam, & societatem donare dignetur cum suis Sanctis Apostolis, & Martyribus, & omnibus Sanctis: ut pro modulo nostro, quibus nunc sociamur per communionem fidei,

II. Memento.

Canon Missæ.

Matt. 16. 19.

Psal. 55. 23.

Luc. 2. 29.

Sap. 3. 2.

Nobis quoque peccatoribus.

Ad Hebr. 5

quo-

Canon
Missæ.

quorum memoriam veneramur, in quorum communione, & unitate hæc divina Myſteria peragimus, cum ipsis etiam societatem vitæ, & beatitudinis æternæ in futuro accipiamus. Intra quorum nos confortium, ut Dei pietas introducat, petimus; ut nobis non nostri meriti æſtimator, sed veniæ ſit largitor: ut quia Sanctorum ſocietati per meritum jungi non poſſumus, per indulgentiam conjungamur. In fine autem hujus, ſicut & præcedentium orationum, exprimitur, per quem nobis hæc omnia ſperanda, poſcenda, & obtinenda ſunt: *Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis.* Per ipſum enim omnipotens Pater hæc bona omnia, quæ ſacris Altaribus conſecrantur, non ſolum in exordio Mundi creavit, ſed etiam ſemper eadem bona creat propagando, & reparando. Per ipſum, inquam, Deus Pater hæc omnia bona ſemper creat, & creata, ac ſuis conſpectibus oblata ſanctificat, ut quæ erant ſimplex creatura, ſiant Sacramenta: ſicque ſanctificando vivificat, ut ſint Myſteria vitæ, ut ſumatur in eis vita: ſanctificando autem, & vivificando ineffabiliter benedicat, quia ea omni benedictione cæleſti, & gratia accumulatur. Ita vero ſanctificata, & vivificata, & benedicta præſtat nobis per eundem ſecum pariter ſanctificantem, & vivificantem, & benedicientem; qui nobis de Corpore, ac Sanguine ſuo dedit tam ſalubrem refectionem. *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti, omnis honor, & gloria.* Per ipſum ſcilicet tamquam verum Mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Jeſum. Cum ipſo, tamquam cœquali, cui ſecum unus honor, & gloria debetur; quia cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo: in ipſo autem, tamquam conſubſtantiali, ſicut ipſe ait; *Ut glorificetur Pater in Filio: in unitate Spiritus Sancti, qui ex Patre Filioque procedens, cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.* Significatur itaque his verbis in Patre auctoritas, in Filio Nativitas, in Spiritu Sancto Patris, Filiique communitas, in tribus æqualitas. Omnis autem honor, & gloria datur Deo per omnia ſæcula ſæculorum: donec ſcilicet totum præſens, quod ex diverſorum temporum ſæculis contexitur, perveniat ad finem, & ſuccedat futurum ſæculum, quod non habet finem, ubi Deus videbitur, & laudabitur ſine fine. Eccleſia reſpondet, *Amen, id eſt, Verum eſt.*

Joan. 14. 13.

Oratio Do-
minica.

XXVI. Dignum fuit, ut tota hæc tam ſacroſancta Actio Dominica Oratione concluderetur; & petitiones Fidelium, quas vel propter futuram, vel propter præſentem vitam nos Dominus docuit, per Paſſionis ejus commemorationem efficacius commendarentur. Orat ergo Sacerdos ſimul cum Eccleſia, & dicit: *Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere: PATER noſter, qui es in cælis, &c.* Hoc enim præceptum nobis eſt ſalutare, id eſt, ad æternam ſalutem proficiens, quo nos unigenitus Dei Filius per lavacrum regenerationis, & Spiritum adoptionis Dei Filios effectos, dicere monuit, ac juſſit, & ut Deo audeamus dicere, ipſe nos ſua inſtitutione informavit, dicens: *Sic ergo vos orabitis, PATER noſter, qui es in cælis, &c.* Dominicæ Orationis recitatio in Sacrificio, Traditionis eſt Apoſtolicæ, teſte S. Gregorio Magno, Lib. VII. Epistoſta LXIV. *Orationem Dominicam (inquit) idcirco mox poſt Preceſſem (id eſt, poſt Canonem) dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo Orationem oblationis Hoſtiam conſecrarent.* De priſco autem ipſius uſu in Miſſæ celebratione teſtimonium perhibent omnes Liturgiæ, & antiqui Patres: *Optatus Milevitanus* Lib. II: *Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi Myſtagogica V. *S. Ambroſius* Lib. VI. *De Sacramentis*, Cap. ultimo, *S. Hieronymus* Lib. III. *Adverſus Pelagianos*, S. *Auguſtinus* Epistoſta CXLIX olim LIX. ad Paulinum, *S. Ceſarius Arelatenſis* Homilia XII. quæ eſt de Sacrificio Miſſæ, & alii. Hujus itaque moris auctor non fuit *S. Gregorius*, ſed ſolum ſtatuit, ut congruo loco, nempe poſt Canonem, Oratio Dominica recitaretur, teſte *Joanne Diacono*

Matth. 6. 7:

Canon
Miſſæ.

in ejus Vita. Abusus olim in Ecclesiis Hispaniarum invaluerat, ut Dominicus tantum diebus diceretur, quem Concilium Toletanum IV. Canone X. refecavit, & singulis diebus dici constituit a Sacerdotibus, cum in publico, tum in privato Officio, sub pœna degradationis.

Canon
Missæ.

XXVII. Orationem Dominicam Sacerdos altera hac prece concludit: *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Mala præterita, a quibus liberari petimus, peccata nostra intelligenda sunt, quorum etsi actio jam cessavit, in nobis tamen reatus manet, nisi divina indulgentia deleatur. Mala præsentia sunt quotidiana peccata, & accidentes sæpe diversi languores, ac morbi, & innumeræ calamitates extrinsecus irruentes, ut fames, pestilentia, gladius, & cetera hujusmodi pericula, quæ omnia quotiescumque patimur, ejus debemus implorare auxilium, qui solus sua pietate & animas curat, & corpora; & novit quando filiis suis, quos ad æternam hæreditatem præparat, & flagellum correptionis, & dulcedinem consolationis adhibeat. Futura mala sunt, quæcumque nobis accidere possunt, salutis, & paci contraria, sive per tentationes diaboli, sive per adversitates, & miseras sæculi, & maxime illa, pro quibus avertendis præcipue orare debemus, ut liberemur a ventura ira, a damnatione æterna, quæ sine dubio malis constat esse futura. Pergit Sacerdos, Deumque orat, adhibita B. Virginis Mariæ Dei Genitricis, & Sanctorum intercessione, ut *det propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ ejus adjuti, & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Hujus precationis forma ex Scriptura sacra sumpta est. Præcepit enim Dominus Judæis, cum detinerentur Babylone captivi, per *Jeremiam* Prophetam dicens: *Et orate pro pace civitatis, ad quam transmigrare vos feci: quia in pace ipse erit pax vobis.* Similiter Apostolus Fideles exhortatur, dicens: *Volo igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate.* Juxta ergo hanc formam, & per Prophetam, & per Apostolum divinitus constitutam, Populus Fidelium in hujus sæculi peregrinatione, tamquam in Babylone captivus, & ad supernam Patriam suspirans, orat etiam pro pace temporali, ne impediatur ab affecutione pacis spiritualis, & æternæ, ut remotis per Dei misericordiam persecutionibus, seditationibus, hostilitatibus, quietam, & tranquillam vitam agat Ecclesia in omni pietate. Quod autem orat, *Da propitius pacem in diebus nostris;* juxta exemplum, quod in *Isaia* legitur, hoc facit. Cum enim *Ezechia* pio Regi prædixisset venturæ captivitatis mala, Rex compunctus respondit: *Bonum verbum Domini, quod locutus est. Fiat pax tantum, & veritas in diebus meis:* videlicet futura humiliter judicio Dei servans; in præsentiarum vero, quod ad suam, Populique salutem pertinet, postulans: *Fiat, inquit, pax & veritas in diebus meis:* pax, ne Regni tranquillitas ab hostibus turbaretur; Veritas vero, ut in ipsa pace Dei cultus, & religionis veritas servaretur. Ita ergo Ecclesia deprecatur pacem in diebus nostris, quod & post nos alii, & post ipsos alii, usq; ad consummationem sæculi similiter orabunt. Pacem autem postulat, ut ope misericordiæ divinæ adjuti, quod ad interiorum Religionis devotionem pertinet, simus semper a peccato liberi; quod vero ad exteriorum pacem, simus etiam ab omni perturbatione securi. Nam pax, in qua non divinæ Religionis, sed mundanæ cupiditati servitur, non est justorum, sed iniquorum, de quibus ait Psalmista: *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

Libera nos
quæsumus
Domine,
&c.

Jerem. 29.
7.
1. Tim. 2.1.

Isaia 39. 3

Canon
Missæ.

Psa 1. 72. 3.

XXVIII. Hac Oratione expleta, Sacerdos decerpta particula ex Hostia, duas in partes contracta, ter signans Calicem, ait: *Pax Domini sit semper vobiscum:* cui tantum bonum etiam Ecclesia adprecatur, dicens: *Et cum Spiritu tuo.* Quid est autem pax Domini, nisi pax Christi? Pax autem Christi finem tem-

Pacis ad-
precatio.

poris non habet; & ipsa est omnis piæ actionis, intentionisque perfectio. Propter hanc Spiritus ejus pignus accepimus; propter hanc in eum credimus, & speramus, & amore ipsius accendimur, propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera

1. Cor. 6. 17. enim pax unitatem facit, quoniam *Qui adheret Domino, unus spiritus est*. Et hoc utique ex Traditione Apostolorum servat Ecclesia, cui frequenter ab eisdem Apostolis dicitur, *Salutate invicem in osculo sancto*; id est, osculo vero, pacifico, non ficto, & subdolo, quali usus est *Joab* ad occidendam *Amasam*; quali *Judas* ad tradendum Salvatorem; quali utuntur hi, *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*. Illi ergo osculo sancto salutant invicem, qui non diligunt *Verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*.

Psal. 27. 3.
1. Joan. 3. 18
Agnus Dei.

XXIX. Interea dicitur *Agnus Dei*, ex *Sergii I.* institutione. Et ille quidem instituit ter dici, *Miserere nobis*; sed multis postea Ecclesiæ adversitatibus ingruentibus, ut ait *Innocentius III.* Lib. VI. *De Mysteriis Missæ*, Cap. VI. sive ad tollendum Schisma, ut alii scribunt, statutum fuit, ut in tertio diceretur, *Dona nobis pacem*. Qui ritus ubique receptus est, excepta Basilica Lateranensi, in qua adhuc servatur mos antiquus ter dicendi, *Miserere nobis*. Post annum millesimum hanc mutationem contigisse, probant antiqua Missalia, in quibus hæc oratio tertio repetitur cum clausula, *Miserere nobis*. Hujus originem e superna Revelatione deducit *Robertus* Montensis Abbas in Supplemento Chronici *Sigeberti*. Refert enim ad annum millesimum centesimum octogesimum tertium, Beatam Virginem *Mariam* fabro cuidam lignario in Sylva opus facienti apparuisse, dedisseque illi sigillum, sua, Filiique sui signatum imagine, cum hac inscriptione: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi dona nobis pacem*: jussisseque, ut ferret ad Episcopum, atque ei diceret, ut qui vellent pacem Ecclesiæ, similia sigilla in signum pacis portarent. Vere ille tollit peccata Mundi, de quo ad se veniente dixit S. Joannes: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*. Quomodo autem peccata Mundi tollat, Apostolus *Petrus* ostendit, dicens: *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso Sanguine quasi Agni incontaminati, & immaculati Christi*. De quo & S. Joannes in Apocalypsi: *Qui dilexit nos, inquit, & lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo*. Quod præstitit misericors Salvator, non solum quando Sanguinem suum pro nobis fudit in cruce; vel quando quisque nostrum Baptismi aquis in Mysterium sacrosanctæ Passionis illius ablutus est; verum etiam quotidie præstat, cum ejusdem Passionis memoria incruento Sacrificio ad Altare recolitur.

Joan. 1. 29.

1. Petri 1. 18

Apoc. 1. 5.

Communio.
Postcommunio.

XXX. Post Communionem Sacerdotis, dicitur Antiphona, quæ *Communio* dicitur, quia Populo communicante olim canebatur. Psalmus etiam concini solebat cum *Gloria Patri*, atque ipsius Antiphonæ repetitione, ut tota actio Communionis laude Dei personante perficeretur. Hæc autem Antiphona gaudium Apostolorum de Christi Resurrectione significat. Sequitur *Oratio ad complendum*, ut loquitur S. *Gregorius* in Sacramentario, quæ nunc *Postcommunio* vocatur, qua recitata pro gratiarum actione, Sacrificium completur. Nam, ut ait S. *Augustinus* Epist. clix. olim LIX. ad Paulinum, *Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit*.

Quæ de Ordine Missæ hic diximus, excerpta sunt ex *Alcuino*, seu alio Auctore Libri *De Divinis Officiis*, sub ejus nomine editi, ex *Floro Diacono* Lib. De Actione Missarum, *Vvalafrido Strabone* Lib. De rebus Ecclesiasticis, *Amalario* Metensis Ecclesiæ Diacono Libro De Officiis Ecclesiasticis, *Remigio Antifiodorensi*, Lib. De celebratione Missæ, *Micrologo* Lib. De Ecclesiasticis Observationibus, *Honorio Augustodunensi* in *Gemma Animæ*, *Innocentio III.* Lib. De Mysteriis Missæ, S. *Thoma*, III, P. Qu. LXXXIII. Art. IV.

ARTICULUS VI.

De Ceremoniis spectantibus ordinem eorum, quæ in Missa aguntur.

- I. **S**acerdos, cum se parat ad Missam, juxta Romanam consuetudinem recitat hos Psalmos, *Quam dilecta, Benedixisti, Inclina Domine, Credidi, De profundis*, cum precibus, & Oratione pro peccatis, ut intus, & exterius summo Sacerdoti placere valeat, quem sacratissima Oblatione sibi, omnibusque Christianis placare desiderat (inquit *Micrologus* cap. i.) Sacerdos Missam celebraturus, id est, spirituale bellum pro Ecclesia pugnaturus, necesse est, ut spiritualibus armis induatur, quibus contra hostes incentores vitiorum undique muniatur. Quotidianas vestes exuit, mundas vestes induit, quia Corpus Christi tractaturus vel sumpturus, veterem hominem cum actibus suis, id est, vitiis, & peccatis debet exuere, & novum hominem, qui secundum Deum creatus est, id est, virtutes, & bona opera debet induere. Aqua abluit manus, quia lachrymis debet abluere carnales actus: a forde eas extergit, quia peccata per Penitentiam eum extergere convenit. Sacerdotes Veteris Legis sacrificaturi, in labro de speculis mulierum ad ostium Tabernaculi excubantium facto se lavabant. Labrum ex speculis mulierum factum, sacra Scriptura intelligitur, quæ de perspicua sanctarum Animarum vita conscribitur. In hoc labro Sacerdotes sacrificaturi debent se lavare, scilicet vitam suam diligenter in sacra Scriptura considerare, exemplis Sanctorum a maculis purgare, & sic ad Sacrificium Domini accedere (inquit *Honorius Augustodunensis* in *Gemma Animæ*, cap. cxcix. & cc.)
- II. Dominicis diebus in Missa solenni fit Aquæ benedictio, & asperio. Aquæ benedictæ Ritus instituit *S. Alexander I.* Pontifex, & Martyr, quem legitimum esse probant contra Hæreticos Apostoli verba 1. ad *Timotheum IV.* scribentis: *Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei, & orationem.* Aquæ benedictæ usum ad impugnationes diaboli avertendas, a primis Ecclesiæ sæculis frequentem, & miraculis comprobatum, probant exempla *Josephi Comitæ* apud *S. Epiphanium* Hæresi xxx. *S. Hilarionis*, apud *S. Hieronymum* in ejus Vita, *Marcelli* Apameensis Episcopi apud *Theodoretum* Lib. v. *Histor. Eccles.* cap. xxi. *S. Macarii* apud *Palladium* Lausiæ Hist. cap. vi. *Germani* Antiochodorensis Episcopi, apud *Bedam* Lib. i. *Ecclesiasticæ Historiæ* Gentis Anglorum, cap. xvii. Præclara est *S. Cyrilli* Hierosolymitani sententia, Catechesi III. *Ut illa, quæ Aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione demonum impura efficiuntur: sic contra aqua simplex, per Sancti Spiritus, Christi, & Patris invocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur.*
- Aquæ benedictæ figuram habemus in facto *Elisei*, qui sal misit in aquas *Hiericho*, & sanatæ sunt: quo miraculo significatum est, homines a peccatorum putredine liberatos, cum Deus sapientiam suam symbolo salis expressam, id est, Christum Filium suum ad ipsos misit (inquit *Honorius Augustodunensis* in *Gemma Animæ*.) Ut Populus Judaicus legalibus institutis serviens, sanguine lustrabatur, ita novus Christianorum Populus Baptismi Sacramento renatus, digne Aqua benedicta aspergitur (inquit *Valafridus Strabo*, cap. xxix.) ut sicut sanguis Agni in postibus ad repellendum percussorem ponebatur, ita mysterium aquæ corpora, & loca muniat renatorum. Ad memoriam itaque Baptismi excitandam fit aquæ benedictæ asperio. Designat etiam, & quidem potissimum, effusionem Spiritus Sancti, quem Scriptura symbolo aquæ mundæ significat. *Ezechielis xxxvi. 25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hinc Aqua benedicta Fideles ante Missam, & Orationem asperguntur, ut agnoscant se gratia Spiritus Sancti mundari interius oportere, ut digne Missam audiant, utque orationes illorum Deo gratæ sint: nihilque boni ad æternam salutem conducentis agere posse sine adiutorio Spiritus Sancti, qui fons est gratiarum in Ecclesiam effusarum, quas

Ordo agendorum in Missa.

Præparatio Sacerdotis.

Psal. 83. 84. 85. 115.

Ablutio manuum.

Aquæ benedictio, & asperio.

Ordo agendorum in Missa.

4. Reg. 2.

distribuit singulis prout vult. Sal benedictum aquæ commiscetur, quia Sanctus Spiritus *Sapientiæ, & intellectus Spiritus est*. Sal benedicitur separatim, ut sapientiæ cœlestis, & divinæ symbolum fiat, quæ Spiritus Sancti donum est. Benedicitur seorsim & aqua, ut cœlestis puritatis symbolum sit, quæ divinæ benedictionis effectus est, & naturæ, humanæque rationis vires superat. Salis, & aquæ Exorcismi docent, hominis peccato non solum homines, sed creaturas omnes in dæmonis servitutem, & tyrannidem prolapsas fuisse, qui illis abusus est retroactis sæculis, & etiamnum abutitur contra Deum, & servos illius, nisi Spiritus Sanctus eas in libertatem vindicet, & ab immunditia, quam ex ejus possessione contraxerunt, sua benedictione abstergat. Sal & aqua commiscentur, ut innotescat, Spiritum Sanctum, quem Deus in Christianos effundit abunde, præsertim in Templis, & divini Sacrificii tempore, non solum puritatis, & simplicitatis esse Spiritum, verum etiam prudentiæ, & sapientiæ divinæ: ac duplicem illum Spiritum necessarium esse operibus omnibus, quæ in Ecclesia fiunt, ut sancta sint, & Deo grata: quia sine ejus Numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Aqua benedicta primum aspergitur Altare, deinde Clerus, & Populus, quia charitas per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffusa, in Christum primo refundi debet, qui per Altare significatur; deinde in homines, qui sunt ejus membra: ut Caput, & Corpus complectatur. Cum aspergitur Aqua benedicta, canitur *Versus Miserere mei Deus*, ut profiteamur, nos Spiritum Sanctum postulare, non nostris fretos meritis, sed sola Dei bonitate, & misericordia, quam supplices imploramus, ut Deus peccata nostra deleat, quorum veniam ab ipso ex animo rogamus. Aqua benedicta vim habet delendi peccata venialia, dæmones abigendi, magorum præstigias, maleficia, & incantationes dissipandi, morbos pellendi, ad orationem disponendi, & mentis evagationes cohibendi, modo contrito corde, & cum fide Populus Christianus hanc aspersionem suscipiat. Lib. v. Capitularium, cap. 383. præcipitur, *Ut omnis Presbyter die Dominico cum psallentio circumbeat Ecclesiam suam una cum populo, & Aquam benedictam secum ferat.*

Aque benedictæ asper-
sio.

Leo IV. in Sermone de Cura Pastoralis: *Omni die Dominica ante Missam, aquam benedicite, unde populus aspergatur, & ad hoc proprium vas habete.*

Hincmarus Archiepiscopus Rhementis in Capitulari ad Presbyteros Diœcesis suæ, anno 852. c. v. statuit, *Ut in omni Dominico die quisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemniam Aquam benedictam faciat in vase nitido, & tanto ministerio convenienti, de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur, & qui voluerint, in vasculis suis nitidis ex illa accipiant, & per mansiones, & agros, & vineas super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, necnon & super cibos, & potum suum conspergant.*

Toparchis, & Dominis locorum, sive etiam Ecclesiarum Patronis, aspergillum porrigi non debet, ut Aqua benedicta summis digitis delibata frontem intingant, qui solis Episcopis debitus est honos: sed ipsi post Clerum, & ante promiscuam plebem a Sacerdote debent aspergi. Cum enim Sacerdotes ipsi in Choro præsentem a Celebrante, & Celebrans ab Episcopo, cum adesse illum contingit, aspergatur, ut effusionem Spiritus Sancti a Christo per Ecclesiæ Ministerium in Fideles omnes fieri ex hoc Ritu intelligamus: non possunt Toparchæ, sive Domini, ac Dominæ locorum, Patronive Ecclesiarum id velut Jus honorificum sibi arrogare, ut eis aspergillum porrigatur. Ita sancitum est ab Ecclesiæ Gallicanæ Patribus in Comitibus Generalibus Cleri Congregatis, die *xviii.* Novembris anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto. Idemque fuerat antea constitutum Edicto Regii Consistorii die *ix.* Septembr. anno millesimo sexcentesimo trigésimo nono, Senatusconsulto Tolosano in irritum missa, quod pagi cujusdam Domino, necnon ejus conjugii, ac filiiis, Aquam benedictam cum aspergillo in manus dari, absque aspersione, contra antiquum Eccle-

siæ Ritus, ac morem decreverat. Similes vero Controversias ad Forum Episcopale deferri statuit Rex Christianissimus Ludovicus XIII. earum cognitione sæcularibus Judicibus prohibita.

III. Dominicis diebus, & præcipuis Solemnitatibus fit Processio in circuitu Ecclesiæ ante Missam solemnem, ut publica illa Supplicatione Fideles ad Sacrificium præparentur; illisque sacro hoc Ritu revocentur in memoriam Christi peregrinationes, & itinera cum Discipulis pro salute nostra, & ad Ecclesiam congregandam, & sanctificandam suscepta, cum mortalem in terris vitam ageret: simulque doceantur, totam vitam Christiani, ex quo per Baptismum in Ecclesiam ingressus est peregrinationem esse continuam in hoc Mundo velut in terra aliena: ipsum proinde rebus terrenis, ac temporalibus bonis inhæ-
re non debere Mansoria dilectione, ac delectatione (ut loquitur S. Augustinus) sed transitoria potius iis uti, tamquam viæ, tamquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum; ut ea, quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus. Significat etiam solemnns ille procedendi Ritus, nos in via spiri-
tuali semper progredi debere, donec ad Deum pervenerimus, a quo conditi sumus, juxta illud: Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion: & Mystica illa Animalia imitari Ezechieli Prophetæ visa, quorum Unumquodque coram facie sua ambulabat: ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent. Crux antefertur, quia in hac peregrinatione semper aspicere debemus in *Auctorem Fidei, & Consummatorem Jesum*: ejusque vitam, gesta, Passionem pro viribus imitari: scientes quia si Passionum ejus socii fuerimus, simul & Resurrectionis erimus. Crux ergo Clerum, populumque supplicentem præcedit, ut hoc Ritu doceamur, Christum non solum nobis viæ ducem, sed viam ipsam factum esse, qua ad Deum perveniamus. *Ille quippe (inquit S. Augustinus, Lib. 1. De Doctrina Christiana, cap. xxxiv.) qui non solum pervenientibus possessionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus ad principium viarum, voluit carnem assumere. Unde est etiam illud: Dominus creavit me in principio viarum suarum; ut inde inciperent, qui vel-
 lent venire: A quo aggrediendum, & exordiendum iter est omnibus, qui ad veritatem pervenire, & in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait: Ego sum via, veritas, & vita, hoc est, Per me venit, ad me pervenitur, in me permanetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur; quia per æqualem ille, cui est æqualis, agnoscitur; vinciente, & tamquam agglutinante nos Spiritu Sancto, quo in summo, atque incommutabili bono permanere possumus. Ex quo intelligitur, quam nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire; ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra susceptis, & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam a temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi, atque provehi mereamur.* Clerici bini, & bini procedunt, quia Christus Discipulos suos misit binos, & binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus: & ut duo præcepta charitatis, dilectio scilicet Dei, & proximi commendentur. Procedit Populus Christianus Clerum sequens, Pastoremque suum; ut se in Ecclesiæ Communione vivere, & mori velle significet, & secundum sancta monita, & exempla Sacerdotum vitam suam instituire, ac eorum imitatore esse, si & illi sint imitatores Christi; quemadmodum dicebat Apostolus: *Imitatores mei estote, Fratres, sicut & ego Christi.*

Processionis Mysteria egregie explicat Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ c. 68. & 69. In Missa (inquit) agebatur Christi pro nobis in Mundum legatio: in Processione agitur nostra ad patriam reversio. Processionis itaque solemnitate imitatur Ecclesia populi Dei de Ægypto egredientis jucunditatem; qui signis, & prodigiis

Processio .

Processionis
Mysteria .Lib. 1. De
Doctrina
Christiana
Cap. 35.
Psal. 83. 8.
Ezech. 1. 12.

Hebr. 12. 2

Prov. 8. 22.

Joan. 14.

Philipp. 3.
17.

Processio-
nis Ordo.

* Plenaria,
id est.
Missalia.
Glossar.
D. Du.
Cange.
* Feretrum,
theca, in
qua Reli-
quie Sancto-
rum recon-
duntur,
Hinc vul-
gare voca-
bulum, Fier-
te.

* Scrinium,
capsa, in
qua Reli-
quie Sacræ
recondun-
tur, vulgo
Escrin.

giis liberatus ad Montem Sinai pervenit: ibi accepta Lege, & facto Tabernaculo, quasi quadam Processione ad Terram Promissionis tetendit. Populus namque armatus incedebat per turmas, & signa, & vexilla anteferebant, Levitæ Tabernaculum gerebant, Sacerdotes tubis clangebant. Arca fœderis a Sacerdotibus portabatur, & Aaron Summus Sacerdos decoratus, & Moyses Dux populi sequebatur cum virga. Quibus in via Amalech cum Exercitu occurrit, iter armis obstruere voluit: cum quo Jesus pugnans victor extitit, Populo ad Patriam iter aperuit. Qui, Jesus normam nobis Processionis dedit, quando cum Arca, omnique Populo Hiericho circumvit, Sacerdotalis ordo tubis cecinit, Populus clamore personuit: Hiericho corruit, & victor Populus Regnum obtinuit. Populus a Pharaone per Moysen ereptus est, Christianus Populus a diabolo per Christum redemptus: tabulæ Testamenti a Monte accipiuntur, & Libri Evangelii ab Altari ad portandum sumuntur. Populus ibat armatus: & Populus Christianus vadit Fide, & Baptismate signatus. Præ turmis illorum signa ferebantur: & ante nos cruces, & vexilla portantur. Eos columna ignis præcessit: & nos candele lumen præcedit. Ille Populus sanguine aspergebatur: iste Aqua benedicta aspergitur. Levitæ Tabernaculum fœderis portaverunt: & hic Diaconi, & Subdiaconi plenaria, * & capsas gerunt. Arca Testamenti a Sacerdotibus portabatur: & scrinium, vel feretrum * cum Reliquiis a Patribus portatur. Aaron Summus Sacerdos sequitur ornatus, & apud nos Episcopus, Summus scilicet Sacerdos, sequitur infulatus, Rex, si adest, cum sceptro Rector Populi, significat Moysen cum virga ductorem Populi: si Rex non aderit, tunc Pontifex utrumque exprimit; Moysen, baculum portando; Aaron, mitra caput velando. Clangor tubarum exprimitur per sonum campanarum. Dum ad aliam Ecclesiam Processionem facimus, quasi ad Terram Promissionis tendimus. Cum Ecclesiam cantantes intramus, quasi ad patriam gaudentes pervenimus. Cum circa Monasterium scrinium vel feretrum cum cantu, & compulsatione ferimus; quasi cum Arca Hiericho cum sono tabarum, & clamore Populi circumimus. Hiericho coram nobis corruit, cum Mundi concupiscentia in cordibus nostris aruerit. Ideo quippe Crucem præcedentem sequimur, quia Christum crucifixum in omnibus sequi præcipimur, & nullus ad eum pervenire poterit, nisi qui se mundo, vitiis, & concupiscentiis crucifixerit. David quoque, & Salomon ad Processionem nos informaverunt, qui Arcam Dei Hymnis, & Canticis prodaxerunt, & David in Tabernaculum, Salomon in Templum, sub alas Cherubin reposuerunt. Cum Ecclesiam cum scrinio * intramus, quasi Arcam in Templum cum gaudio portamus, & cum Christo, atque Ecclesia (quod utrumque Arca designat) cælestem Aulam nos intraturos clamamus. Arca sub alas Cherubim ponitur, & a Populo Laus concinitur, quia Christi humanitas inter summos ordines Angelorum, Cherubim, & Seraphim locabitur: & a turba Angelorum, & hominum perenni júbilo adorabitur: Missa quoque imitatur cujusdam pugne confictum, & victorie triumphum, qua hostis noster Amalech prosternitur, & via nobis ad patriam per Jesum panditur. Jesus quippe Imperator noster cum diabolo pugnavit, & cælestem Rempublicam ab hostibus destructam hominibus reparavit; qui cum posse producere duodecim legiones Angelorum, vel septuaginta duo millia Militum, instruxit tantum agmen duodecim Apostolorum, & expugnavit septuaginta duogenera linguarum. Pontificis namque, & Cleri, Populique Processio, est quasi Imperatoris, & cujusdam Exercitus ad bellum progressio. Hic cum subtus Albis, & desuper Cappis, vel aliis solemnibus vestibus induuntur, quasi Milites pugnanturi subtus loriceis, desuper clypeis muniuntur. Cum de Chora exeunt, quasi de Curia procedunt. Quasi imperiale signum, & vexilla a signiferis ante feruntur, cum ante nos Crux, & Vexilla geruntur. Quasi duo Exercitus sequuntur, dum hinc inde ordinatim cantantes gradiuntur: inter quos vadant Magistri, & Præcepta.

ceptores, quasi cohortium Ductores, ac belli Incitatores. Sequuntur Priores, quasi Exercitus Duces, atque agminum ordinatores. Procedit Pontifex cum baculo, quasi Imperator cum sceptro. Comitatur turba plebis, quasi Exercitus pedestris. Cum ad aliam Ecclesiam procedimus, quasi ad castellum expugnandum pergimus.

IV. Cum primas Orationes Sacerdos recitat, stat a dextris Altaris, ut gaudium Dominicæ Nativitatis ostendat: deinde post Evangelium ad sinistram convertitur, ut tristitiam Passionis insinuet (quæ enim sunt læta, significantur per dexteram; quæ tristitia, per sinistram.) Sed post Communionem iterum redit ad dexteram, ut gaudium Resurrectionis annunciet. Hoc ipsum Ezechiel in descriptione quatuor Animalium figuravit. *Facies (inquit) hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor.* Per hominem quippe Nativitas, per leonem Resurrectio, per bovem immolatio designatur: & ideo facies hominis; & facies leonis erant a dextris; facies autem vituli erat a sinistris, quia Nativitas, & Resurrectio gaudium intulerunt, Passio vero tristitiam inspiravit. Ita Innocentius III. Lib. II. De Mysteriis Missæ, cap. XXI. Stans Sacerdos ad orandum, manus elevat, & extendit, qui Ritus partim ex Veteri Testamento, partim ex Nova Lege sumptus est. Legitur enim in Exodo, quod cum Israel pugnaret adversus Amalech in deserto, Moyses ascendit in verticem collis; cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel: si autem paululum remisisset, Amalech superabat. Christus etiam, cum expandisset manus in Cruce, pro persecutoribus oravit. Si quis ergo vult orationis virtute superare diabolum, debet elevare manus, id est, actus, ad Deum, ut ejus conversatio sit in celis. Unde Apostolus ait: *Remissas manus erigite: & Levemus ergo puras manus sine disceptatione.* Ita Innocentius III. cap. 28. ejusdem Libri.

V. Sacerdos ad sinistram partem Altaris accedens, pronunciat Evangelium, significans, quod Christus non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Per dextram enim justis, per sinistram peccatores significantur. Vel, Sacerdos initio Missæ stat ad dextram, cum autem pronunciat Evangelium, convertitur ad sinistram, & circa finem iterum redit ad dextram, quia cultus fidei primo fuit in Populo Judæorum, deinde transivit ad Gentes; & circa finem iterum revertetur ad Judæos ad prædicationem Enoch, & Eliæ, qui convertent corda patrum in filios, quoniam in diebus illis salvabitur Juda, & Reliquiæ Israel salvæ fient. Sacerdos visibiliter benedicit Diacono, qui lecturus est Evangelium, non autem Subdiacono, qui lecturus est Epistolam; quia Christus invisibilis manens Legem, & Prophetas, quæ per Epistolam significantur invisibiliter misit, & docuit: sed postquam in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, Apostolos, & Evangelistas visibiliter misit. Diaconus in Ambonem ascendit, ut annunciet Evangelium, secundum illud Propheticum: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam.* Et Dominus ait in Evangelio: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Nam & ipse Dominus ascendit in Montem, ut Evangelium prædicaret. Faciem ad Aquilonem vertit, ut ostendat prædicationem Christi contra eum specialiter dirigi, qui ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, similis ero Altissimo.* Adversus ergo Aquilonem legitur Evangelium, ut Aquilo surgat; & Auster adveniat, id est, ut diabolus fugiat, & Spiritus Sanctus accedat. Sacerdos, vel Diaconus, cum lecturus est Evangelium, si gnaculo Crucis signare se debet in fronte, in ore, in pectore; ac si dicat: Crucem Christi non erubesco, sed corde credo, quod ore prædico. Evangelio perlecto, liber, & thuribulum ad Sacerdotem reportantur, quia bona omnia referenda sunt ad Christum, a quo procedunt. Sacerdos Codicem osculatur, quia Christus, quod inspiravit, & docuit, hoc approbat, & suscipit. Deus enim nihil accipit, nisi quod efficit; nec remunerat, nisi quod donat. Ita Innocentius III. Lib. II. De Mysteriis Missæ.

Mutatio Sacerdotis ab una parte Altaris ad aliam, & elevatio manuum; cum recitat Collectedas.
Ezech. 1.

Exod. 17.

Heb. 12. 11.
1. Tim. 2. 8.

Ritus in lectione Evangelii.

Isai. 40.

Matth. 10.

Isai. 14.

Ordo agendorum in Missa.

Oblationes
Populi post
Evangelium.

VI. Cum Offertorium canitur, Populus ad Altaris cancellos instrumentum pacis osculaturus, & munus suum oblaturus procedit, ut se in Communione, & pace Christi, & Ecclesiæ vivere, ac permanere velle usque ad mortem significet. Cujus Communionis symbolum erat olim panis ab unoquoque Fidei-um in Missa offerri solitus. Qua de re Concilium Matisconense 11. anno 588. Can. iv. *Residentibus nobis in sancto Concilio, cognovimus quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse, ita ut nullus legitimo obsecundationis parere velit officio deitatis, dum sacris Altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini: ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris justis offerentibus, promereantur esse consortes. Omnes autem, qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, Anathemate percellantur.* Mos autem antiquus erat, ut qui communicandi jus non habebant, iidem offerre prohiberentur, ut ex Concilii Illiberitani Can. xxviii. manifestum est: *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Unde antiquis Ecclesiæ moribus Excommunicati, Catechumeni, Penitentes, aliquid offerre ad Altare non poterant, & eorum oblationes rejiciebantur. Offerentium autem recitabantur nomina ad Altare, ut sacrosancti Sacrificii tempore Deo commendarentur, illiusque præcipua quadam ratione participes essent. Sed hominum vitio in ambitionem degenerasse, quod pro Dei cultu fuerat institutum, S. Hieronymus docet in cap. xviii. Ezechielis. *Multos (inquit) conspicimus, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in suis sceleribus gloriantur, publiceque Diaconus in Ecclesia recitet offerentium nomina. Tantum offert illa, tantum ille pollicitus est: placentque sibi ad plausum populi, torquente eos conscientia.* Recitationis nominum ad Altare meminere pariter S. Augustinus Lib. iii. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. vi. *Innocentius I.* Epistolam ad Decentium Eugubinum Episcopum, Concilium Emeritense sub *Vitaliano* Papa, Canone xix. Cum frequentior populi Communio refrigerante charitate cessasset, & ad usum Sacerdotis celebrantis modica panis particula sufficeret; panis vero pro usu Sacrificii a Clericis formaretur, cepit Populus pro oblatione panis, sive farinæ denarios offerre, ut ait *Honorius Augustodunensis* in *Gemma Animæ*, cap. lxxvi. Hujusmodi autem oblationis pius usus ob alios etiam fines institutus est, scilicet ut Fideles supremum Dei dominium hac ratione recognoscant, ab eoque se omnia accepisse, & de illius donis aliquid ipsi offerre profiteantur. Deinde, ut Parocho suo aliquid ad illius, vel pauperum sustentationem, vel ad Ecclesiarum instaurationem, & ornatum subministrant. Tertio denique, ut remissionem peccatorum, & divinæ benedictionis effusionem in se familiasque suas, & bona obtineant.

Oblationes
Populi in
solemni
Missæ sacri-
ficio.

Ordo agen-
dorum in
Missæ.

Refertur
Dist. i. De
Confecrat.
Cap. Om-
nis Chri-
stianus.
Exod. 24. 15.

Quamobrem sacri Canones aliquid a Fidelibus in solempni Missæ Sacrificio jubent offerri; ut enim Canones Concilii Gangrensis vii. & viii. Valensis i. Canonem iv. Aurelianensis i. Can. xiv. Engilenheimensis Can. viii. præmittam, Concilium Moguntiacum anni dxiii. Can. xlv. ita decernit: *Oblationem quoque, & pacem in Ecclesia facere, jugiter admoneatur Populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi, & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera unanimitas, & concordia demonstratur.* Synodus Romana v. sub *Gregorio VII.* Can. xiii. statuit, *Ut omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & duci ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in Collectis Sanctorum Patrum liquido apparet, quod omnes Christiani aliquid offerre Deo ex usu Sanctorum Patrum debent.* SS. Patrum usum merito laudat: nam S. *Cyprianus* Lib. *De Eleemosyna*, scribit: *Loqueres, & dives es, & Dominicum celebrare*

lebrare te credis; quæ carbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis? Et S. Ambrosius Epistola ad Eugenium Imperatorem: Quomodo offeres dona tua Christo? Quomodo Sacerdotes Christi tua munera dispensabunt? Sub ejusdem Patris pio moderamine Theodosius Magnus servabat consuetudinem in Lege de Ecclesiæ Atylo, quæ extat ad calcem Concilii Ephesini, expressam his verbis: Ad sacra Altaria munerum tantam offerendorum causa accedimus, & cum circumseptum Sacrorum adytum ingressi sumus, statim egredimur; nec quidquam ex propinqua Divinitate nobis arrogamus. Ad Heliodorum S. Hieronymus scribit: Clerici de Altari vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad Altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum in Evangelio anum Viduam, duo, quæ sibi sola supererant, æra mittentem in gazophilacium laudaverit Dominus. De hoc more ad suam ætatem propagato scribit Vvalafridus Strabo, cap.xxii. Sciendum, quosdam inordinate offerre, qui attendentes numerum oblationum, potius quam virtutem Sacramentorum, sæpe in illis transeunter offerunt Missis, ad quas persistere nolunt. Rationabilius siquidem est, ibi offerre, ubi velis persistere; ut qui munera Domino obtulisti, offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulationem devotam. Non enim frustra in Actione dicitur, Qui tibi offerunt.

Marc. 12. 42

Infames, publicique peccatores ad Offertorium non sunt admittendi, nec ii, qui cum proximis implacabiles inimicitias gerunt. Nam Concilio Carthaginensi IV. statutum est, Ut oblationes dissidentium fratrum neque in sacramento, neque in gazophilacio recipiantur. Excludi autem ab eo non debent pauperes, qui sin minus duo æra minuta, certe corda sua, & corpora Deo, ut victimam, & hostiam sanctam viventem, placentem offerre possunt, cum S. Bernardo Sermone de Purificatione B. Virginis Mariæ dicentes: Duo minuta habeo, Domine, corpus, & animam; & hæc tibi perfecte possum in Sacrificium laudis offerre. Istamen ordo servari debet, ut primi e populo Domini locorum, deinde Magistratus, Consules, ac honoratiores, tum promiscuum vulgus ad Altaris cancellos inunus suum oblaturi accedant, sed viri primum, deinde mulieres.

Qui ab Offertorio repellendi.

Verum, quæ antiquum istud Religionis officium spectant, sub uno velut aspectu exhibet Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromæo, p. 11. De Parochiis, & Parochialibus Juribus, ac Officiis. Quæ hic etiam describere operæ præteritum est. Oblationum (inquit) institutum jam pridem ab Apostolicis usque temporibus Apostolico etiam Canone sancitum, Sanctissimorumque Pontificum Melchiodis, Fabiani, & Gregorii Constitutionibus, & Conciliorum præterea Decretis communitum, quo gravius his temporibus a Fidei, doctrineque Catholice hostibus exagitur, & languescente studio, quo magis a Fidelibus negligitur, hoc diligentius servari, atque ad executionis usum, ubi intermissum est, revocari convenit; cum præsertim & ad divinum cultum illud pertineat, & populis salutare sit, ad expiandaque peccata utile. Quare Episcopi in sua quique Diocesi, & suis, & Concionatorum sermonibus, & omni alio persuadendi, cohortandique officio, omnique Juris ratione, illud, ubi est, retineri; ac ubi negligitur, restitui studiose ad sacrorum Canonum præscriptum ita curent, ut in Solemnitatibus scilicet Domini, diebusque Dominicis ac Festis, item quos coli aut præcepti, aut consuetudinis est, omnis Christianus aliquid prout pro sua quisque pietate, devotioneque maluerit, Deo offerre procuret; idque in Ecclesia, vel Cathedrali, cum ad Missæ sacrificium, quod solemniter celebratur; vel in Parochiali, cum a Parocho, convenerit.

Oblationes a Populo non negligende.

Ordo agendorum in Missa.

Quo in officio servetur, ut quod antiquæ Ecclesiasticæ consuetudinis est, primo mares, deinde fœminæ offerant.

Sacerdoti Missam celebranti, oblationis accipiendæ causa, ab Altari paululum se
remo-

removere licet : at inde longe discedere , ac per Ecclesiam vagari , eamque quasi circumire nullo modo liceat .

Quo gratius autem Deo sit , quod offerunt , ad id præstandum accedant Fideles intima animi pietate , spirituali hilaritate , sancta charitate , omnique Christianæ devotionis testificatione .

Offerentium autem , prout sanctæ institutionis est , commemoratio in Missæ Sacrificio fiat .

Ab iis vero Oblationes ne accipiantur , ut antiquo etiam Canone vetitum est , qui scilicet inter se iniquo animo dissidentes , inimicitias exercent ; qui usurarii meretrices , sacrilegi , raptores , quive alio nomine publice , notorieque criminosi sunt .

Capellanis , aliisque Sacerdotibus , & aliis item , præter Cathedralē , Ecclesiis , earumque Fabricis , ac Scholis , piisque ejusmodi Collegiis , atque aliis quibusvis Jus Parochiale non habentibus , Oblationes deinceps inter Missæ sacrum accipere , aut exigere omnino interdictum sit : nisi quibus hæc facultas ab Episcopo , aut alias legitime data erit .

Si cum Parocho de Oblationibus dividendis quisquam pactiones fecerit , ut sibi , alii-ve Sacerdoti liceat Oblationes recipere , contra quam præscriptum est ; hæc pactio irrita sit , ac plane nulla . Tum præterea Parochus ipse , & alius Ecclesiæ Rector , & Sacerdos item , aliusve , qui pactum inierit , quive pactioni consenserit , graviter puniantur .

Quæcumque deinceps Oblationes , sive pecunia , sive cereis , sive alio elemosynæ genere in Missæ Sacrificio a Populo fient , eæ & fiant , & a Sacerdote accipiantur , dum canitur Antiphona , quæ Offertorium appellatur . Quod si Missa non conventualis est , semper tamen tum etiam fiat , accipiaturve proxime antequam Hostiæ , & Calicis Oblatio fiat .

Si quid vero aliquando non intra Missarum solemnia , sed alio tempore offerri contigerit , curet Episcopus restitui sanctum usum , & oblationi illi , & offerentibus benedicendi statuta prece , atque Oratione in Libro Sacerdotali , aut Rituali præscripta .

Ordo agendorum in Missa.

Qui vero oblaturi sunt , Missæ Sacrificio , in quo oblatio fiet , & ab initio pie , devotæque intersint , nec vero inde abeant , nisi ubi peracto Sacrificio , Benedictionem Sacerdotalem demum acceperint , quæ in fine Missæ de more fit .

Nec vero ullas hujusmodi , vel alterius generis oblationes , vel elemosynas , antequam illæ perceptæ sunt , vendi , locari , aut contractus ullos , pactionesve etiam secretas ejus generis iniri cuiquam , etiam Parocho , ullo pacto , modove liceat , pœna gravi proposita , Episcopi arbitrio irroganda .

Concilium Mediolanense 111. sub eodem Sancto Cardinali Archipræsule Tit. De iis , quæ pertinent ad Missæ Sacrificium , statuit , Ne Patena , cum Oblatio fit , sed crux , aut sacra aliqua imago offerentibus Fidelibus ad osculum præbeatur .

Mediolanense 1. p. 11. Tit. De iis , quæ pertinent ad Bonorum , & Jurium Ecclesiasticorum conservationem , &c. statuit , Ut cum pro cuiusque Ecclesiæ consuetudine Populus ad Oblationes invitatur , id graviter , & modeste fiat . Nec eo vasis , aut sacculi genere pecuniam accipiant , in quo quid quisque dederit , cerni possit ; ut Fideles pietate adducti , non pudore quodammodo coacti , elemosynam offerant . Quæ cum ad subsidium Sacerdotum , vel aliorum pauperum , vel Ecclesiarum reparationem , & ornatum sit instituta , eam Populus liberaliter præbere debet .

Ritus post Oblationem. Joann. 11.

VII. Post Offertorium Sacerdos silentium tantisper servat , significans , quod Jesus jam non palam ambulabat apud Judæos , cum cogitarent eum Judæi interficere , sed abiit in regionem juxta desertum , & ibi morabatur cum Discipulis suis . Silentium ergo Sacerdotis , latibulum Christi significat . Manus iterum Sacerdos abluit , ut magis magisque mundatus , Hostiam immaculatam offerat . Unde David Rex cum jam pœnitentia mundatus esset , orabat ,
ut

ut amplius mundaretur. *Amplius* (inquit) *lava me ab injustitia mea, & a delicto meo munda me.* Sacerdos Oblatione facta ter superducit, & circumducit thymiama, designans, quod *Maria* ter effudit unguentum super Corpus Jesu. Primo, cum unxit pedes ipsius in domo Simonis Pharisei. Secundo, cum in domo Simonis Leprosi caput ejus perfudit. Tertio, cum emit aromata, ut veniens ungeret Jesum jam in sepulcro positum. Totum adoletur Altare, quia devotionis illius fama per totam Ecclesiam diffusa est, secundum verbum Domini: *Amen dico vobis, ubicumque predicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Moraliter autem significat, thus devotionis adolendum esse in ara cordis, igne fervidæ charitatis, ut odorem suavitatis emittat. Hinc *S. Augustinus* Lib. x. *De Civitate Dei*, c. III. *Cum ad illum sursum est, cujus est Altare cor nostrum, ejus Unigenitocum Sacerdote placamus Ei suavissimum adolemus incensum, cum in ejus conspectu pio, sanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos rogemus, & reddimus Ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis, in ara cordis, igne fervidæ charitatis.* Hostia super Patenam offertur, quæ a patendo dicta, cor latum, & amplum significat, quia super latitudinem charitatis sacrificium justitiæ debet offerri, ut holocaustum animæ pingue fiat. Hanc latitudinem cordis Apostoli habebant, cum Petrus ait, *Et si oportuerit me tecum mori, non te negabo:* sed latitudo cordis ab eis aufugit, & latuit, cum omnes Discipuli relicto Magistro fugerunt, & latuerunt. Ideo post Oblationem Sacerdos abscondit Patenam sub Corporali; vel ab Altari remotam Subdiaconus retro continet involutam, per quod Discipulorum fuga, vel latibulum designatur, qui dum Sacrificium crucis offerretur, relicto Christo fugerunt, & latuerunt. Quamobrem Sacerdos Dominicæ Resurrectionis gaudium annunciaturus, & pacem ejus nomine Fidelibus adprecaturus, Patenam resumit: quia *Cum sero esset una Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant Discipuli congregati propter metum Judeorum, venit Jesus, & stans in medio, dixit eis: Pax vobis;* resumens oves, quæ trepidantes aufugerant. Sacerdos pro se, deinde pro Populo orans se inclinatur, ut Christi humiliationem significet, qui *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ita *Innocentius III.* Lib. III. *De Mysteriis Missæ.*

VIII. Silentium post Præfationem, designat latebras Christi, qui cum honorifice receptus fuit a turbis cum palmis, & laudibus, abiit, & abscondit se ab eis: non trepidantis formidine, sed dispensantis officio, quia nondum venerat hora ejus, quæ postquam advenit, spontaneus ad Passionem accessit. *Oblatus est enim, quia ipse voluit.* Sacerdos ter signo Crucis signat Hostiam, & Calicem, cum ait: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata;* in memoriam triplicis traditionis Christi, quæ scilicet facta est a Deo, a Juda, & Judæis. Prima fuit ex gratia, quia dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Secunda ex avaritia, quia constituerunt ei triginta argenteos, & exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. Tertia ex invidia, sciebat enim Pilatus, quod per invidiam tradidissent eum. Deus ergo tradidit illum ex dono, Judas pro munere, Judæi in Sacrificium illibatum; quod utique non Judæi libavere, sed Gentes.

Ter cruce signat Hostiam simul, & Calicem, dicendo, *Benedictam, adscriptam, ratam;* quia Christus tria communiter operatus est circa panem, & vinum: accepit scilicet, benedixit, & dedit. Postmodum autem seorsim signat Hostiam, & seorsim Calicem, dicendo, *Ut nobis Corpus, & Sanguis fiat;* quia dixit dando Panem Discipulis, *Comedite, Hoc est Corpus meum:* & similiter dando Calicem: *Bibite, Hic est Sanguis meus.* Vel, fiunt tres Cruces super Hostiam simul, & Calicem, ut significetur Christum venditum fuisse Sacerdotibus, Scribis, & Phariseis; vel, ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios. Fit autem signum Crucis super Hostiam, & Calicem seorsim, ut Venditoris, &

Ven-

Psal. 50.

Matth. 26.
13.

Matth. 26.
35.

Ordo agendorum in
Missæ.

Joan. 20. 19.

Phil. 2. 7.

Quid silentium post Præfationem, & multiplex impressio Crucis super Oblata, significant? *Isaïæ 53. 7.*

Venditi personæ designentur vel, ut significantur duæ naturæ, quas Christus in se per unionem hypostaticam copulavit; vel, ut Christum in anima, & corpore passum esse meminerimus.

Signum Crucis quinquies imprimitur super Oblata post Consecrationem, dicendo; *Hostiam puram, Hostiam Sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ*: ut significantur illa viventis Petræ foramina, in quibus residet immaculata columba fructuosè nidificans, id est, quinque Christi plagæ, & quinque beneficia per sacra illa vulnera hominum generi procurata, fides, spes, Charitas, beatitudo animæ, corporisque gloria, & immortalitas. Crucis autem signum non adhibetur post Consecrationem, ut aliqua in sacris donis transmutatio fiat, vel ut Christus sub panis viniq; speciebus latens a Sacerdote, major a minori, Deus ab homine benedicatur: sed solum ad virtutem Crucis, & modum Passionis Christi commemorandum. Præterea, cum non sola Eucharistiæ consecratio, sed & acceptio illius in Sacrificium a Deo, & fructus omnis ex virtute Sacrificii a Christo in cruce oblati procedat, signum crucis adhibetur, quoties aliquid horum commemoratur.

Ordo agendorum in Missa.

Trina crucis signatio, quæ fit inter illa verba, *Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur*; tria repræsentat, scilicet extensionem Corporis Christi in cruce, Sanguinis effusionem, & Passionis fructum, id est, omnem gratiam, & benedictionem. Vel, triplex illa crucis impressio trinam Christi in agonia positi, & eundem sermonem repetentis orationem significat. Forte propter sudorem Corporis Crux imprimitur super Corpus; & propter guttas Sanguinis, super Sanguinem: & quia Christus procidit in faciem suam orans, ideo sibi crucem in facie Sacerdos imprimit: vel, per duas Crucis impressiones super Corpus, & Sanguinem, designantur vincula, & flagella; vincula, quibus ligatum est Corpus; flagella, quibus elicitus est Sanguis. Tertia vero Crucis signatio, quam sibi ipsi Sacerdos imprimit, significat injurias, contumelias, alapas Christo in faciem illatas, & impactas, cum exspuebant in faciem ejus, & velabant faciē ejus, & cœdebant, dicentes, *Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit*.

Tres Cruces super Oblata imprimit Sacerdos, cum ait: *Sanctificas, vivificas, benedicis*: ad recolendam Crucifixionem Christi, quæ facta est hora tertia linguis Judæorum ter clamantium, *Crucifige, crucifige, crucifige eum*. Vel triplex illa Crucis impressio triplicem Christi in Cruce pendentis orationem repræsentat: unam pro persecutoribus, cum dixit: *Pater, ignosce illis*: alteram pro liberatione a morte, cum dixit; *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, tertiam pro adeptione gloriæ, cum dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Non quod istis verbis Animæ gloriam sibi postularet, quam a primo Conceptionis instanti adeptus erat, sed quod in persona suorum loquens, exemplum postulandi, & spem adipiscendi nobis daret. Hinc S. Augustinus Enarratione II. in Psalm. 30. hæc postrema Christi verba explicans, *Vocem*, inquit, *Corporis in se transfiguravit*. Cur autem non ad hæc verba, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, sed ad sequentia, *Sanctificas, vivificas, benedicis*, signum Crucis fiat super Oblata, explicat S. Thom. Opusc. xviii. quo Missæ Expositionem prosequitur. *Hæc est causa*, inquit, *quia humana natura ex statu pristinæ conditionis nec habuit profectum virtutis, nec stabilitatem boni operis, nec consummationem beatitudinis. Ex prima ratione creationis pollebat naturali ratione, gaudebat arbitrii libertate; per se autem non poterat stare, nec proficere sine gratia adjutrice, & Sanctæ Crucis virtute. Ex virtute autem Sanctæ Crucis, & gratiæ adjutricis, stabilis efficitur, & benedicta. Propterea ad primum verbum creationis non facimus signum Crucis; & ad hæc tria facimus Sanctificas, scilicet fide, & remissione peccatorum: Vivificas, scilicet Sacramento fidei, & virtute bonorum operum: Benedicis, scilicet plenitudine*

græ

gratiarum, & consummatione bonorum operum. Ideo ergo tres Cruces facimus, quia per Crucis virtutem, & amorem tria obtinemus, quibus super omnia indigemus.

Sacerdos iterum imprimit tres Cruces cum Hostia super Calicem, dicendo, *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*: ad designandam Crucifixionem Christi, quæ post intervallum trium horarum facta est manibus Gentilium: vel, ad significandum tres horas, quibus Christus pependit in Cruce, scilicet ab hora sexta ad horam nonam. Deinde vero duas Cruces imprimit in orè Calicis, cum ait: *Tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti*, ad designandum divisionem carnis, & animæ Domini morientis. Cum enim in Christo tres sint unitæ substantiæ, scilicet Divinitas, Corpus, & anima: duæ tantum, id est Corpus, & Anima, in morte divisæ fuerunt; nam Divinitas a neutra separata est: propterea non tribus Crucibus, sed duabus mors Domini designatur. Vel, tres Cruces significant tres cruciatus, quos Christus in Cruce sustinuit, passionem in corpore, propassionem in mente, compassionem in corde. De Passione corporis ait Dominus per Prophetam: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus. Foderunt enim manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* De propassione mentis Dominus innuit Apostolis: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Cœpit enim Jesus pavere, & tædere, cœpit contristari, & mœstus esse. Ex compassione cordis, pro crucifixoribus Patrem oravit: *Pater (inquit) dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Ideo vero tres cruces imprimuntur super Calicem, quia Christus sustinuit hujusmodi cruciatus in corpore super patibulum. Per Calicem enim Passio designatur, secundum illud, quod ipse Dominus ait: *Pater, si fieri potest, transeat a me Calix iste.* Duæ vero Cruces, quas imprimit Sacerdos in latere Calicis, designant duo Sacramenta, quæ ex latere Domini profluxerunt, scilicet Aquam regenerationis, & Sanguinem redemptionis.

IX. Sacerdos paululum elata voce, percussioque pectore, dicit, *Nobis quoque peccatoribus*, quo Ritu representat Contritionem, & Confessionem Latronis pœnitentis; necnon Centurionis, & turbæ, quæ ad triste Passionis Christi spectaculum confluerat; de quibus *Matt. xxvii.* & *Luc. xxiii.* dicitur: *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste ... Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad Spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Quia vero Jesus clamans voce magna tradidit Spiritum, Sacerdos vocem extollit dicendo, *Per omnia secula seculorum.* Dominica subjungitur Oratio, ut præmissa Passionis Christi commemoratione, Fidelium preces facilius a Deo Patre exaudiri mereantur.

X. Subdiaconus, & Diaconus Patenam representant, quam Sacerdos accipiens, cum ea sibi Crucis signum imprimit, eamque osculatur. Quo Ritu Sanctarum Mulierum officium significatur, quæ emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum: & valde mane una Sabbatorum venerunt ad monumentum orto jam Sole. Et dicebant ad invicem; *Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?* Hujus lapidis symbolum est Patena. Cum illa Sacerdos se Cruce signat, quia per Crucem, & hoc Sacrificium, omnia in cœlo, & in terris conciliata denunciat. Illam osculatur, ostendens Christum piarum mulierum desiderium implevisse. Mox enim occurrit illis dicens, *Avete*: quæ procidentes, tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt. Nec dubium, quin pedes fuerint osculatæ.

XI. Frangit Sacerdos Hostiam, ut in fractione Panis Dominum cognoscamus, sicut illi duo Discipuli Dominum cognoverunt, quibus ipso die Resurrectionis Jesus apparuit euntibus in Emmaus. Commixtio panis, & vini, designat unionem carnis, & animæ, quæ in Resurrectione Christi denuo sunt conjunctæ: & ideo ter signum Crucis imprimitur cum Hostia super Calicem, quia virtus Sanctissimæ Trinitatis animam Crucifixi ad corpus reduxit, ne derelinqueret animam ejus in inferno,

Ordo agendorum in Missa.

Thren. i.
Psalm. 21.

Matth. 26.

Quid significet unctio pectoris, & elatio vocis ad hæc verba No. bis quoque peccatoribus?

Quid significet presentatio Patene, ejus osculum, & Crucis cum ipsa signatio?
Marci 16.

Fractio Hostie in tres partes, & commixtio cum Sanguine quid significet?

Ordo agen-
dorum in
Missis.

ferno, nec daret sanctum ejus corpus videre corruptionem. Tres illæ Hostiæ partes, triforme Christi Corpus significant, ut loquuntur sacrorum Rituum Interpretes. Pars in Calicem missa significat Christi Corpus, quod a mortuis resurrexit, scilicet Christum ipsum, Deiparam Virginem, & si qui alii Sancti redivivis corporibus jam consummata beatitudine fruuntur. Pars, quæ comeditur, Fideles in terris mortalem adhuc vitam agentes significat, qui Sacramento utuntur, & laboribus variisq; calamitatibus conteruntur, sicut panis conteritur dentibus. Pars, quæ servabatur olim pro infirmorum Communionem, nunc autem cum altera sumitur a Sacerdote celebrante, significat mysticum Christi Corpus jacens in sepulcro, Justos scilicet quorum corpora requiescunt in sepulchris, & Animæ regnant cum Christo. Hinc vulgati Versus.

Hostia dividitur in partes: tincta beatos;

Plene sicca notat vivos; servata sepultos.

Duæ partes seorsim extra Calicem reservantur, quasi extra Passionem, quæ per Calicem designatur. Christus enim resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Et qui cum ipso sunt Sancti, non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque ullus æstus, quoniam priora transierunt. Vel, ideo in tres partes Hostia dividitur, ut tres Ecclesiæ ordines designentur, Præpositorum, continentium, & conjugatorum, quibus omnibus Corpus Domini signum est unitatis, signum concordiæ, & pacis & causæ æternæ salutis. Multiplices crucis impressiones, sive ante, sive post Consecrationem a Sacerdote super Oblata factas, & Hostiæ fractionem ita explicant *Innocentius III.* Libris *De Misteriis Missæ*, *S. Thomas III.* P. Q. LXXXIII. A. v. & alii.

Panis Be-
nedictio, &
distributio
in Missa Pa-
rochiali.

XII. Panis Benedictio fit in Missis Parochialibus singulis diebus Dominicis, Festisq; solemnioribus, ex veteri Ecclesiæ Instituto, ut in supplementum Communionis Populo Christiano distribuatur; eoq; signo testificentur quicumq; Sacris Mysteriis interfunt, se in Fidei unitate permanere velle, & mutuam inter se charitatem fervare, ut qui sint unum Christi Corpus, ipso Pane repræsentatum. Post Communionem in Missa distribui debet, siquidem Eucharistiæ vice cœpit erogari, postquam Fidelium fervor deferbuit, qui primis nominis Christiani sæculis toties saltem communicabant, quoties solemnes Synaxes celebrabantur. Plerique Panis benedicti usum, qualis in Ecclesia est, ad *Innocentii I.* Pontificis Maximi tempora referunt, qui Epistola ad *Decentium* cap. v. scribit: *De fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra Communionem maxime illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta; nec nos per Cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam.* Sed de Eucharistia, non de Eulogiis, seu Pane benedicto hunc locum esse intelligendum, Viri Eruditi censent, quorum probabilior opinio videtur. Alii ad *Pium I.* referunt, ex cujus Decretis ab *Yvone Carnotensi* p. 11. Decreti, cap. xxxvii. laudatur, quod *Nannetensis Concilii Can. ix.* constitutum legimus: *Ut de Oblationibus, quæ offeruntur a Populo, & Consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido: ut post Missarum solemnias, Eulogias omni die Dominico, & in diebus Festis exinde accipiant.* Idem statuit *Hincmarus*, Archiepiscopus Rhemensis in *Capitularis I.* cap. vii. Monachis Cluniacensibus Eulogia, sive Panes benedictos in Refectorio ante alios cibos fuisse distributos, antiquæ eorum Consuetudines testantur Lib. II. cap. xxx. *In privatis diebus Hostiæ non consecratæ portantur in Refectorio, ut his, qui eo die non communicaverunt, per manus Sacerdotis distribuantur.* Et Lib. III. c. xii. ubi Sacristæ Officium describitur: *Portat pixidem cum Hostiis non consecratis in Refectorium,*

Panis bene-
dictio, &
distributio.

rium, de quibus singuli prælibant, qui noluerunt, aut non potuerunt communicare. Monachi Fuldenſes in Libello ſupplici ad Carolum Magnum poſtulant, *Ut communicationem fracti Panis ante cibum quotidie ſumere non reſpuatur, ſecundum exempla præcedentium Patrum.* Abbates in Synodo Aquifgranenſi anno 817. ſtatuerant c. LXVIII. *Ut Eulogiæ Fratribus a Presbyteris in Refectorio dentur, his nimirum, qui Euchariftiam non ſumpſerant. Eulogia itaque, ſeu Antidoron, ut Græci vocant, ſeu Panis Benedictus, ut nos vocamus, inſtitutus eſt, ut Sacræ Communionis, olim frequentioris, vicarius eſſet. Nihilominus progreſſu temporis Fidelibus omnibus diſtributus eſt, iis etiam, qui Euchariftia reſecti eſſent. De quo Honorius Auguſtodunenſis in Gemma Animæ, c. LXVII. Statutum eſt (inquit) ut Panis poſt Miſſam benediceretur, & Populo pro benedictione Communionis partiretur, & Eulogia dicebatur. Sed quia hoc in Quadrageſima fieri non licuit, Orationem ſuper Populum dici Eccleſia inſtituit, ut per hanc particeps Communionis ſit.*

Panis benedictus, Eucharistiæ vicarius.

Illis tantum dari debet Panis benedictus, qui ad Communionem jus habent. Quamobrem Catechumenis, publice Pœnitentibus, & abſtentis a Communionem, olim Eulogiæ negabantur. Hinc Theophilus Alexandrinus, Can. VII. *Quæ (inquit) in Sacrificii rationem offerunt, poſt ea, quæ in ſanctorum uſum conſumuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex iis bibat, vel comedat, ſed ſolum Clerici, & qui cum eis ſunt fideles fratres.* Idem teſtatur Gregorius Turonenſis Lib. v. Hiſtoriæ Francorum, c. xv. & Lib. VIII, c. xx. Hæreticis igitur, Excommunicatis, & publicis peccatoribus dari non debet Panis benedictus; non beſtiis projici, aut ad profanos uſus adhiberi. Cum autem Eccleſiæ benedictione ſit a cibis communibus quodammodo ſegregatus, & ex piis motibus, quos in comedentibus excitat, ut Sacramentale quoddam vim habeat remittendi peccata venialia, Dæmones abigendi, morbos etiam corporis (cum Deo placuerit) ex efficacia precum Eccleſiæ, & Dei omnipotentia, ſanandi, ut plurima exempla probant ex Sanctorum Actis petita; ſumi debet cum fide, reverentia, & modestia. Unde olim in Eccleſia comedi ſolitum, diſcimus ex Decreto Synodi Conſtantinopolitanæ, tempore Alexii Comneni Imperatoris habitæ, ad quintam Monachorum Quæſtionem: quem Ritus etiam a Latinis ſervatum legimus,

In partes æquas Panis benedictus dividi debet, pro numero Parochianorum, & divitiis, ac pauperibus æqualiter diſtribui, ſicut Euchariftia, cujus ſymbolum eſt. In illius tamen diſtributione hic ordo ſervari debet, ut primo Clericis, deinde locorum Dominis, Magiſtratibus, Conſulibus, honoratioribusque Parochianis, tum promiſcuz Plebi erogetur.

Si quid Panis benedicti ſuperfuerit, pauperibus dari debet, non vendi, etiam in utilitatem Eccleſiæ. Huiusmodi enim venditio indecora, & ſordida eſt, ac Panis benedicti inſtitutioni repugnans.

Denique dimiſſo Populo hac formula, *Ite, Miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, Sacerdos benedicit Chriſti ſummi Sacerdotis nomine; in quo Pater Æternus Benedixit nos omni benedictione ſpirituſali in cœleſtibus.* Ritus iſte ſignificat ſupremam benedictionem, quam Chriſtus ad cœlos aſcensurus Diſcipulis dedit; vel Miſſionem Spiritus Sancti, quam tota Sancta Trinitas operata eſt; unde Sacerdos Populo benedicit *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* vel ſolemneſſimam illam benedictionem, quam Dominus, ac Salvator noſter Electis ſuis in ultimo Iudicio impertiet, dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine Mundi.* Sicut porro Sacerdos auctoritate Chriſti, cujus Miniſter eſt, Populo benedicit; ita Chriſtiani benedictionem a Deo ſibi mutuo adprecari debent, prout Eccleſiæ primitivæ Fideles facere conſueverant. Unde Tertullianus, Lib. De Teſtimonio Animæ, c. II. ait: *Benedictio inter nos ſummum eſt diſcipline, & converſationis ſacramentum.* Benedicat Te Deus, tam facile pronuncias quam Chriſtiano neceſſe eſt.

Benedictio Sacerdotis. Ephes. I. 3.

Matt. 25. 34.

APPENDIX PRIMA.

VARIÆ DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS, AC DISCIPLINA EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

Alias xli.
quæ autem r.
erat, nunc
75.

Refellitur novus error asserentium, peccata excæcatis, & obduratis hominibus non imputari.

RELIGIOSO VIRO***

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI.

In Edit.
nost. Par.



Uæ mea sit de statu peccatorum excæcatorum, & obduratorum sententia, nosse potes ex his, quæ scripti Libro I. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis S. x. N. xi. P. 518. prioris editionis Parisiensis*. Veruntamen non improbabili videtur eorum Theologorum opinio, qui peccatores aliquos ita excæcatis, & obduratis esse docent, ac propugnant, ut nulla eis præsto sint, vel offerantur a Deo gratiarum interiorum, propriæque sufficientium auxilia in infelici illo statu. Summam igitur fidei non spectat illa Quæstio, utrum excæcatis, & obduratis gratia omnis interior etiam sufficiens a Deo denegetur.

Error tamen est, Scripturæ Sacræ, & Traditioni contrarius, asserere, quod huiusmodi plane excæcatis, & obduratis hominibus, quos omni gratia interiori etiam sufficienti destitui eruditi quidam Theologi censent, *peccata non imputentur: quod errant, qui dicunt ipsis imputari peccata: quod tolerabilius censeant, qui dicunt eis non imputari.*

Quos enim tradidit Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, qua non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrone, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, &c. Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte: hos, inquam, qui peccare non asserunt, verbo Dei aperte contradicunt.

Deinde, quis Pharaoni, Antiocho, similibusque peccatoribus, quos malitia excæcavit, & obduravit, peccata non imputari dixerit, nisi cæcutiat in aperta luce sacrarum Scripturarum?

Sane maximum ex cæcitate, & obduratione sua commodum perdit illi homines reportarent, si peccata, quæ in illo statu committunt, illis non imputarentur.

At, inquit, nemo peccat in eo, quod vitare non potest: peccata porro vitare non possunt, quibus deest gratia sufficiens ad illa vitanda.

Responderetur 1. Falsum esse, quod peccata vitare non possint: liberum siquidem arbitrium habent, quandiu sunt in via, quo possunt hoc, & illud peccatum vitare, vel committere. 2. Quamvis mandata Dei implere non possint proxima potestate sine gratia, absolute tamen illis sunt possibile, etiam si gratiam actu non habeant: quia in eo sunt statu, in quo illis conferri possit a Deo: & quod non possumus per nos, impossibile nobis absolute non censetur, si possumus per amicos. 3. Quia impotentia convertendi se ad Deum, adimplendi præcepta, vitandi etiam peccata universum, voluntaria est, eamque libere contraxerunt præcedentium merito peccatorum. Ut autem imputetur peccatum, satis est, quod sit voluntarium in sua causa, ut egregie S. Thomas explicat Libro III. contra Gentes cap. 160. 161. & 162. *Quamvis, inquit, illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratia præstent, vel ponant, ut ostensum est, nisi auxilio gratia præveniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam: quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur; sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit. Præterea, licet ille, qui est in peccato, non habeat hoc in propria potestate, quod omnino vitet peccatum, habet tamen potestatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum: unde quodcumque committit, voluntarie committit, & ita non immerito ei imputatur*

ad

ad culpam Quamvis autem quosdam peccatores Deus ad se non convertat, sed in peccatis secundum eorum merita eos relinquat, non tamen eos ad peccandum inducit. Homines enim peccant per hoc, quod deviant ab ipso, qui est ultimus finis Inveniuntur tamen quadam in Scripturis, ex quibus videtur, quod Deus sit aliquibus causa peccandi. Dicitur enim Exodi x. Ego induravi cor Pharaonis, &c. qua omnia secundum hoc intelligenda sunt, quod Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert. Hoc autem auxilium est, non solum infusio gratiae, sed etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi ei homini ex divina providentia tolluntur, & provocantia ad peccatum comprimuntur.

Sanctus etiam Augustinus diserte asserit illis imputari peccata, quibus Dei adjutorium ad illa vitanda necessarium sua culpa deest. (Quæst. 50. in Deuteronom.) Simul ostendit Moses (inquit) & sine adjutorio Dei intelligere, & obedire homines non posse oculis cordis, & auribus cordis; & tamen si adjutorium Dei desit, non ideo excusabile esse hominis vitium, quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen iusta sunt.

Et Libro De Perfectione Justitiae, cap. vi. Peccatum est autem, cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc facit.

Et Libro i. Retractionum, c. xv. Qui vero, inquit, cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati. Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse, verissimum est.

Peccata illis etiam imputari, qui omni gratiæ adjutorio sua culpa destituti sunt, confirmat S. Prosper in Carmine De Ingratis, cap. 32.

Non autem recte, nec vere dicitur, Illos
Qui sunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus.

Eundem refellit errorem S. Fulgentius Libro ii. De veritate Prædestinationis, & Gratia, cap. xx. Solent homines, inquit, in tenebris propriae cacitatis existentes, cum audiunt gratiæ Dei præveniri, atque immutari hominum voluntates, videntque se pro tenebrosi cordis perversitate culpari, excusationi suæ de iusta Dei voluntate injustum captare suffugium, ut exinde majus recipiant punitionis augmentum. Accusant enim Deum, a quo gratiam non accipiunt; & se ipsos excusant, qui Deum iustum vitio suæ iniquitatis offendunt: ipsi suis manibus inserunt plagas, & Medico non dubitant irrogare calumniam.

Duplex itaque distinguendum est impotentiae genus, quorum alterum excusat a peccato, alterum adeo non excusat, ut etiam augeat. Alia est enim impotentia plane involuntaria; ut impotentia ambulandi in homine, cui fractæ sint tibiæ, impotentia scribendi in homine, cui præcisæ sint manus, impotentia non moriendi in homine mortali. Alia est impotentia voluntaria, qua peccatores obdurati ab observandis Dei mandatis præpediuntur. Hæc nihil aliud est, quam constans peccandi voluntas, & depravatus cordis affectus. Non potest homo in hoc statu divinis obsequi mandatis proxima potestate, quæ per gratiam confertur; sed id accidit, quia non vult, quia totus ad se conversus est, quia totus a Deo alienus est. Absurdum autem fuerit, ut ideo non imputentur homini peccata, quia toto liberæ voluntatis impetu in peccata præceps ruit. Nam, ut præclare disserit S. Bernardus Sermone 81. in Cantica, Quod surgere per se jam non potest anima, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiatum, ac vitioso amore languescens, & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo, & miro modo, ipsa voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit; ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cum sit illicta, excludere necessitatem. Et infra: Premebatur iugo non alio, quam voluntaria cuiusdam servitutis: & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis.

Idem confirmat Hugo a S. Victore Libro ii. De Sacramentis, cap. vi. Quando, inquit, homo non potest, si vult, propter voluntatem impossibilitas non imputatur; si autem non vult, propter impossibilitatem voluntas non excusatur.

Denique quod illa impotentia, in qua sunt obdurati, quos aliqui Theologi pietate, & eruditione conspicui omni prorsus gratia interiore destitutos supponunt, sit voluntaria, utpote ex eorum peccatis originem ducens, alii etiam Patres diserte docent.

S. Gregorius Nyssenus Libro de Vita Moylis: Quemadmodum, inquit, si quis de homine, qui in foveam decidit, quoniam Solem non vidit, idcirco in foveam incidisse assereraret, nullo nobis modo in mentem veniret, ab irato Sole in foveam ipsum depulsum, sed statim

intelligeremus, ideo in foveam lapsum, quoniam cœcitate sua solis lucem aspicere non potuit: sic oportet illud Apostoli dictum intelligere, eos nimirum, qui Deum non cognoverunt, ignominia passionibus traditos fuisse, & induratum a Deo fuisse Tyrannum Ægyptium, non quia divina voluntas duritiem in animum ejus induxerit; sed quia cum ipse vitiose vivere maluerit, non suscepit rationem, qua induratum in vitio cor permollitur.

S. Basilius in cap. v. Isaïæ, ad illa verba: *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem, & destruiam murum ejus, & erit in conculcationem*, ait: *Quin & nobis adimuntur molitiones murorum, cum per socordiam, & torporem nos indignos reddiderimus tutela divinorum dogmatum. Equidem justo Deus turris est a facie inimici: a peccatore autem tamquam derelicto custodia omnis auferetur, totiusque fortitudinis munitione, ac propugnaculo privabitur. Et dimittam vineam meam, & non putabitur, & non fodietur. Quod a Deo deserantur peccatores, fit per eorum ignaviam, ut hinc liquet: ait enim de his quorum salutem consulit: Non te deseram, neque derelinquam. De quorum autem salute proorsus desperat, tales sunt solutos abire ad explendas voluntates carnis, & cogitationum suarum, quando castigatio omnis inutilis fit futura. Itaque ait: Dimittam vineam. Quodque ei id contingat deserente eam Domino, subnectit: Nequaquam putabitur, neque amplius fodietur. . . . Deinde quando vinea illius germina improbanda veniunt, ab ea tollitur pluvia quandoquidem auxiliari gratia Dei sibi prerogata, non ut conveniebat, usa est. Itaque etiam nos, si quando deprehendemur minus recte usi occasione rei bene gerenda indulta nobis a Deo, tunc nobis adimitur cœleste presidium.*

S. Joannes Chrysostomus Homilia iv. De Pœnitentia, *Cum quis, inquit, continuo peccans Dei consequitur indulgentiam, & postea nihil ab hac equanimitate lucri facit homo ad malitia fugam, hunc preparat deinceps Deus, ut cor vel invitum ad ipsum malorum deducat culmen, funditusque conterat, neque jam det pœnitentiæ ullius locum, quod in Pharaone contigit.*

Zachar. 5. S. Cyrillus Alexandrinus Libro 11. De Adoratione in Spiritu, & veritate: *Mensuram quamdam, inquit, qua ab Jerusalem exibat, vidit Propheta, rogantique quid illud esset, respondit Angelus: Hæc est iniquitas ipsorum in universa terra: Quod perinde est, ac si dixisset: Hæc mensura omnia appenduntur peccata, quaecumque per universam terram singulis quibusque temporibus perpetrantur. Ubi enim nostra peccata usque ad manifestam pervenerint magnitudinem, tum vero offensus pœnas a nobis repetit ipse legum Conditor: frequenter autem insita quadam benignitate tolerat, peccantesque sustinet; neque antequam sit modus completus, universam effundit iram. Itaque dixit Abrahæ. „ Nondum enim „ impleta sunt peccata Amorrhæorum usque adhuc. . . Pharisæis autem, qui effrenate illum offendissent, dixit Christus: IMplete mensuram patrum vestrorum.*

Rom. 1. 28. S. Isidorus Pelusiota, Epistola 101. Libri 4. ubi explicans illud Apostoli, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, repletos, omni iniquitate*, ait: *Vide, quam accurate loquatur. Non dixit, Tradidit replendos, sed jam repletos reliquit, atque destituit: haud aliter, ac si quis Pastor bonus oves pestilentiali lue correptas extra gregem abire, & quodam modo lupis tradere consueverit, non quod eas in fauces luporum projiciat: sed quod sua cura, ac presidio eas denudet, ac destituat.*

Iob 12. S. Gregorius Magnus Libro xi. Moralium, cap. v. Cain, inquit, *divina voce admoneri potuit, quia exigente culpa malitia, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Bene autem subditur: „ Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat: quia omnis homo per id, quod male agit, quid sibi aliud, quam conscientia sua carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exterius accuset? Qui cum judicante Deo in malitia sua cœcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniatur, quem invenire minime meretur. . . . „ Si incluserit hominem, nullus est, „ qui aperiat: quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Unde & ad Moysen dicitur de Pharaone: „ Ego obdurabo cor ejus. Obdurare quippe per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobi per gratiam suam non emollit. Recludit itaque hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit.*

Ibid. Exod. 4 21. & 23. S. Joannes Damascenus Libro 11. Fidei Orthodoxæ, cap. 29. *Desertionis, inquit, duplex est genus. Est enim quadam desertio, qua certo consilio, ac dispensatione, atque ad eruditionem nostram contingit. Est rursus quadam ab omnimoda desperatione proficiscens: Quæ certo consilio contingit, ea est, qua ad ejus, qui patitur, emendationem, & salutem & gloriam, aut etiam ad alios amulationis studio inflammandos, aut denique ad Dei gloriam existit. Omnimoda autem desertio tum demum locum habet, cum nullo salutiferi remedii genere pratermissa, stupidus tamen, & induratus, vel (ut rectius loquar) incurabilis propria animi destinatione homo remanet, ac tum in extremum exitium traditur, ut Judas.*

Ex his intelliges, Vir Religiose, quam merito rejicienda sit Propositio illa in Collegio Parisiensi Societatis Jesu propugnata die 14. Decembris anni 1699. *Eorum, qui ajunt pecca-*

peccatores nonnullos ita desereri a Deo ut ab interiore illius luce penitus secludantur, & priventur omni motu, non una est opinio. Alii enim errant, dum asserunt peccatori plane obcæcato, & indurato peccata nihilominus imputari: alii tolerabilius censent, dum negant. Declarationem, quam Theologus Societatis, offerente Rectore Collegii, & præsentè Rectore Novitiatus Parisiensis dare compulsus est Illustrissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo Parisiensi, ut offensionem publicam ex illa Thesi ortam fieret satis, huic adnexam Epistolam ad te mitto, ne quid ad propositam Questionis elucidationem desit. Vale, meique tuis in orationibus memineris.

Lutetia Parisiorum.

DECLARATIO

DATA ILLUSTRISSIMO Archiepiscopo Parisiensi a Theologo Societatis Jesu GERMANO BESCHEFER, Rectore Collegii Parisiensis offerente, Novitiatus quoque Rectore præsentè, ut offensionem ex Thesi publica oborta fieret satis.

Delatis ad Illustrissimum, ac Reverendissimum Ecclesiæ Principem Archiepiscopum Parisiensem querelis super quadam Positione mea de excæcatorum, & obduratorum peccatis, ex Thesi, quam die 14. Decembris anni 1699. propugnavi: * hanc mentis meæ explicationem eidem Illustrissimo Præsuli summa, qua par est animi submissione obtuli, paratos deinceps, quoties occasio tulerit, quam maxima potero obsequii mei argumenta pari cum fiducia, reverentiaque exhibere: ut intelligant omnes quantum tribuam iudicio, atque auctoritati Sapientissimi Antistitis, quem summo Ecclesiæ bono inter sacræ Doctrinæ custodes, atque interpretes divina dispositio constituit.

Primum itaque profiteor, nunquam in ea me sententia fuisse, ut crederem eos, qui vocantur obcæcati, & indurati, non peccare amplius, vel sua illis peccata minime imputari a Deo; imò me semper tenuisse, & nunc etiam tenere, ex Scriptura, & Patribus certo constare, quod peccent, & quod peccata illis imputentur. Simul agnosco Positionem meam ita generalibus verbis conceptam fuisse, ut justam hujus explicationis postulandæ causam præbuerit.

Profitetur insuper, quantumvis mihi persuasam sit obduratos nequaquam omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta sufficiat, haud propterea voluisse me ulla censura notare illos, qui nec pauci sunt, nec infimi nominis, Theologos e Catholicis, quos contraria in opinione, atque in Ecclesia permessa, versari certum est: neque, cum in prædicta Positione dixi errare illos, aliud a me intellectum esse, quam quod fallantur.

Cujus sententiæ meæ, pariter & singularis adversus Illustrissimum, ac Reverendissimum Ecclesiæ Principem observantiæ, ac submissionis, ipso benigne annuente, perpetuum hoc extare Monumentum volui manu mea subscriptum Parisiis tertia Aprilis anno 1700.

GERMANUS BESCHEFER.

tertius vero omnem omnino excludit. Peccata gravia primo, & secundo desertionis gradu in hac vita puniuntur, nulla autem puniri desertione summa, ita ut Deus operi gratiæ omnem peccatori subtrahat, magis videtur Augustini opinioni congruere, & aperte docet Auctor libri de Vocatione gentium. Eorum, qui ajunt peccatores nonnullos ita desereri a Deo, ut ab interiore illius luce penitus secludantur, & priventur omni motu, non una est opinio. Alii enim erant, dum asserunt, peccatori plane obcæcato, & indurato peccata nihilominus imputari, alii tolerabilius sentiunt, dum negant.

* Positio de qua hic sermo est, octava Theses ad calcem primæ columnæ, & sic habet: Unum peccatum sæpe est pœna alterius peccati, non tamen perfectum, sed tantum per accidens, quatenus nempe obcæcatione puniuntur, & obduracione, cum Deus prius desertus, peccatorem deserit. Tres sunt desertionis gradus. Primus gratiam uberiorem, secundus minorem aliam, tertius nullam.

EPISTOLA II.

De Christiana Catholica Religionis evidentia.
CLARISSIMO VIRO ***

Alias xxxviii.
quæ autem 2
erat, nuuc 26

Rogas, quid sentiam de illa Propositione, quam Neoterici quidam Theologi publicis Thesibus nuper propugnare ausi sunt Lugduni: *Non est evidens evidentia moralis proprie dicta, Religionem Christianam Catholicam solam esse in terris veram Religionem.*

Hæc propositio falsa, temeraria, erronea, scandalosa mihi videtur, viam ad Socinianismum, aut ad indifferentiam Religionis aperiens, ac Hæreticorum conversioni ad Ecclesiam Catholicam impedimentum opponens.

Evidentiam duplicem vulgo distingui probe nosti, metaphysicam, & moralem. Metaphysica est, qua rei veritas non argumento dumtaxat extrinsecus petito, sed in se ipsa menti innotescit, vel immediate, sola scilicet intelligentia terminorum, ut in primis principiis evenit; vel per medium intrinsecum, & necessarium, ut in conclusionibus. Moralis evidentia est, qua rei veritas aliquo iudicio, seu testimonio agnoscitur, eoque tam veraci ac certo, ut nullam falsi suspensionem, aut legitimam dubitandi rationem cuiquam sapienti hærerè sinat. Res fidei, adeoque Religionis Christianæ Catholice veritas evidentiam metaphysicam non habent, quæ obscuritatem fidei necessario conjunctam excludere videtur. *Fides enim rerum non apparentium argumentum est, ut*

Heb. 11. 1.

loquitur Apostolus. Sed moralis evidentia proprie dicta Religionis Christianæ Catholicæ veritati convenit; quæ scilicet ex argumentis, seu motibus credibilitatis oritur, quæ ita sanam mentem convincunt, ut nemo ad ea attendens prudenter dubitare possit, quin Religio Christiana Catholica sola vera sit; nemo excusetur, qui hujusmodi argumentis assensum non præbeat, hisque propositis eam non amplectatur. Ea sunt autem vaticinia Prophetarum, quæ in ipsa implera videmus, ejus oppositio falsis omnibus Religionibus, & Sectis hæreticis; effecta plane digna, quæ ad causam supernaturalem, & divinam referantur; convenientia cum animo hominis quam sanandum feliciter suscipit; relatio ad Dei gloriam, cujus promotionem proficitur ejus antiquitas, & universalitas doctrinæ, quam tradit puritas, uniformitas, immutabilitas; propagationis modus prodigialis per prædicationem pauperum piscatorum, ferventibus in ejus professores perfectionibus atrocissimis; confirmatio per innumera miracula Christi, Apostolorum, Martyrum. Religionem his testimoniis confirmatam, non esse evidenter veram evidentia morali proprie dicta, qui dixerit, viam ad Socinianismum, & ad Religionis indifferenciam aperit. Si enim non est evidens evidentia morali proprie dicta solam Religionem Christianam Catholicam esse veram, nemo Paganus, & Hæreticus imprudens, & inexcusabilis censebitur, qui sibi propositis credibilitatis motibus, & explicata veritate Religionis Christianæ Catholicæ, ac Mysteriorum ejus, illi non præbebit assensum, & in Secta sua pertinaciter perseverabit. Evidens certe debet esse veritas Ecclesiæ, quæ homines docet legitimum tum colendi veri Dei, tum beatitudinis æternæ consequendæ modum, secundum celebrem illam Sancti Augustini sententiam, Libro *Contra Epistolam Manichæi*, cap. v. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.*

Psalm. 118.

Matth. 5. 14.

Quam propugnamus Propositionem, periculosis istis temporibus a Doctrinæ laxioris hominibus impugnatam idem Sanctus Doctor variis in locis confirmat, scilicet Libro *II. Contra litteras Petilianæ*, cap. 32. „ In omnem terram exivit sonus eorum. *Hinc fit* (inquit) *ut Ecclesia vera neminem lateat. Unde est illud, quod in Evangelio ipse dicit: „ Non potest civitas abscondi supra montem posita. Ideoque in eodem Psalmo connectitur: In Sole posuit tabernaculum suum, id est, in manifestatione.*

Libro *II. Contra Cresconium Donatistam*, cap. xxxvi. *Extat Ecclesia cunctis clara, atque conspicua, quippe civitas, qua abscondi non potest supra montem constituta, per quam dominatur Christus a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Act. 18.

Libro *De Unitate Ecclesiæ*, cap. xi. expendens illa verba Christi mox in cælos ascensuri, *Et eritis mihi testes in Jerusalem, & in Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*, ait: *Habeo manifestissimam vocem Pastoris mei, commendantis mihi, & sine ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam: mihi imputabo, si ab ejus grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci, atque aberrare voluero.... Jam vero ista divina voces de universa Ecclesia ita manifesta sunt, ut contra eas nisi Hæretici animosa perversitate, & cæco furore latrare non possint.*

Enarratione in Psalmum cxlvii. *Non sunt tot hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia Legis pro Ecclesia. Quæ pagina non hoc sonat? Quis versus non hoc loquitur?.... Tam nullam habet dubitationem Ecclesia Christi, & uxor Christi, quam nullam habet dubitationem Corpus Christi demonstratum oculis, contrectatum manibus Discipulorum. Ecce qui resurrexit a mortuis, utrumque ostendit: ostendit Caput, ostendit membra; ostendit Sponsam, ostendit Sponsam. Aut utrumque verum crede; aut illud in damnationem tuam non credis. Quid enim quia resurrexit a mortuis, qui in eodem corpore resurrexit? bene, quia cicatrices ostendit, quia ut crucifixus est, ut sepulchris, ita redditus, ita demonstratus: optime credis, audi illum loquentem, in quem credis. Prædicari in nomine ejus penitentiam, & remissionem peccatorum. Ubi? Per laticas terras. Si vellem illud ego dicere jam luctans adversus Hæreticos, non illud dicerem sic contra præsentis Hæreticos, quomodo illud dixit ille contra futuros. Quid vis amplius? Remissio peccatorum in Christi nomine prædicatur. Ubi? Per omnes gentes. Unde? Incipiens ab Jerusalem. Communica huic Ecclesiæ. Quare litigamus?*

Enarrationem in Psalmum lvi. *Quia ipsi Scripturas tractant, & noverunt bene quotiæ die legendo, quomodo Ecclesia Catholica per totum orbem terrarum ita diffusa est, ut omnino contradictio omnis vacet, nec inveniri possit aliquod testimonium pro schismate eorum; noverunt bene, ideo ad inferos viventes descendunt, quia malum, quod faciunt, malum esse noverunt. Studio enim contentionis accensi, a Discipulis suis malis recedere noluerunt.*

Et infra: *Quomodo in hæresis remanebit, AD TANTAM EVIDENTIAM SANCTÆ CATHOLICÆ, quam diffudit Deus per totum orbem terrarum; quam, antequam diffunderet, promisit, prænuñciavit, sic exhibuit, ut promisit.*

Libro *De vera Religione*, cap. vii. *Tenenda nobis est Christiana Religio, & ejus Ecclesia*

Communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.

Et cap. ix. *Ea est nostris temporibus Christiana Religio, quam cognoscere, ac sequi securissima, ac certa salus est. Defendi autem adversus loquaces, & aperiri quærentibus multis modis potest; omnipotente Deo per se ipsum demonstrante, quæ vera sunt, & ad hæc intuenda, & percipienda bonas voluntates per bonos Angelos, & quoslibet homines djuvante. Eo modo autem quisque utitur, quem videt congruere iis, cum quibus agit.*

Christianam igitur Catholicam Religionem solam esse veram evidens est evidentiæ morali proprie dicta, longe majore, ac firmiore, quam sit evidens esse Romani iis, qui non viderunt, sed ex aliorum dumtaxat auctoritate, & testimonio didicerunt: quamvis non sit evidens ea evidentiæ, quam Philosophi metaphysicam vocant, quæ fidei obscuritati opponitur, & ab auctoritate prorsus independens est; qualem evidentiæ postulabant Manichæi, ut Catholicam Religionem amplecti tenerentur, & qualem promittebant illis, qui Sectæ suæ nomen dabant. *Se dicebant enim terribili auctoritate separata, mera, & simplici ratione eos, qui se audire vellet, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos, ut Sanctus Augustinus testatur. Vale, meque Deo in sancto Corporis, & Sanguinis Christi Sacrificio commendes.*

S. Aug. lib. de util. credendi, & i. Retr. c. 4.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA III.

Hæc propositio, Facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus non denegat gratiam; Pelagianus, aut certe Semipelagianus error est.

Alias xlii. quæ autem 3. erat, nunc 22.

RELIGIOSO VIRO ***

Dolendum, quod recentiores quidam Theologi in Christiani orbis luce hæc Propositionem plane Pelagianam, aut certe Semipelagianam propugnauerint: *Facienti quod in se est ex solis viribus natura, Deus non denegat gratiam.* Semipelagianam certe hæresim instaurant quibuscumque fucis hæc Thesim adornent. Ex ea siquidem Propositione sequitur evidenter, opera mere naturalia justos ab injustis discernere, contra illud Apostoli: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sequitur gratiam dari ex operibus, adeoque non esse gratiam, contra illud Apostoli: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Sequitur, hominibus gratiam Dei dari sine gratiæ auxilio conantibus, quod a Concilio Arausicano II. proscriptum est ut Semipelagianum. *Si quis, inquit, sine gratia Dei credentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus: non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, resistit Apostolo dicenti: QUID habes, quod non accepisti? & GRATIA Dei sum id, quod sum.*

1 Cor. 4. 7.
Rom. 11. 5.
& 6.
Canene 6.

II. Propositionem supra dictam Theologorum quorundam recentium S. Augustini principia contra Pelagianos, & Semipelagianos posita funditus evertunt: illud in primis discrimen Catholicos inter, & Pelagianos constitutum, quod Catholici eam gratiam confiteri deberent, quæ non subsequitur, sed antecedit hominis voluntatem id est, quæ non datur, quia volumus, sed quæ facit, ut velimus: Pelagiani autem, & Semipelagiani eam gratiam dumtaxat agnoscerent, quæ subsequitur hominis voluntatem, & datur, quia volumus. Luce porro meridiana clarius est, gratiam facienti quod in se est ex solis naturæ viribus collatam, subsequi hominis voluntatem, non illam antecedere. S. Augustinum audiamus Epistola cxxvii. alias cvii. ad Vitalem Carthaginensem, cap. 5. nu. 17. *Recognoscis me, ut puto, in iis, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad Fidem Catholicam pertinent commemorare voluisse, sed ea tantum, quæ ad istam, quæ inter nos agitur, de Dei gratia quæstionem: utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est (ut planius id eloquar) utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, ut velimus.*

III. Eam, de qua scribo, Propositionem, ut Semipelagianam refellit S. Augustinus, in eadem Epistola perspicue docens, non præcedere bonam hominis voluntatem, ante gratiam divinam facientis, quod in se est, ut viam Domini velit, sed gratiam præcedere, & efficere, ut velit. *A Domino enim gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* Non dixit, *Et viam eius discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid* Nat. Alex. Theol. Tom. 1.

Psal. 36. 25.

hujusmodi, quod posses dicere a Domino quidem dari, sed homini jam volenti; ut scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate precedat, & hoc Dei donum precedente sua voluntate mereatur. Sed ideo dixit: „ A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet, ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere (quoniam De^{us} via quid est, nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, ut velimus. Non enim ait Scriptura, A Domino gressus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit; sed diriguntur, inquit, & volet. Non igitur, quia voluit, diriguntur; sed quia diriguntur, volet.

IV. Facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, gratiam non dari, contra vero flagitiosissimo dari sola Dei misericordia, S. Augustinus confirmat Lib. 1. De peccatorum meritis, & remissione, cap. xxii. Unde enim sit, inquit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provecior, aptiorque consurgat, & tameneo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? „ Quomodo enim invocabunt, „ in quem non crediderunt; aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo „ autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, & facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter hic vivat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt? . . . Quid hinc respondeant altitudinem non video, qui volentes humanis conjecturis justitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbables texuerunt.

V. Aliquam boni, vel imperfecti cupiditatem præcedere in homine, ut gratiæ adjutorio dignus habeatur, dogma Pelagianum est: qui porro facit, quod in se est ex solis naturæ viribus, ut ei gratia certa lege conferatur, aliquam boni saltem imperfecti cupiditatem ex se habet propter quam certa lege gratiam consequitur. Illud autem quid est, nisi gratiam secundum merita dari? S. Augustinum audiamus Libro 11. Contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. viii. Fortassis ergo ipsi eo modo saltem servant locum gratiæ, ut sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse. Verum, & sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari, quod in Oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo, damnavit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum ceptum erit meritum, cui tamquam ex debito gratia veniat adjutorium; ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur.

VI. Id confirmat Libro 14. cap. vi. insigni Ezechielis testimonio: Hæc dicit Dominus Deus: Ego facio non propter vos, Dominus Israel, sed propter nomen meum sanctum, quod profanastis in Gentibus, quo intrastis illuc, & sanctificabo nomen meum magnum. . . . & aspergam super vos aquam mundam; & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & mundabo vos; & dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis; & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. . . . & faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis: Quem locum S. Augustinus contra Pelagianos sic expendit: Quid remansit pelli morticina, unde possit inflari, & dedignetur, quando gloriatur, in Domino gloriari? Quid ei remansit, quando quicquid dixerit se fecisse, ut eo precedente hominis merito ab homine exorto, Deus subsequenter faciat, quo dignus est homo; respondebitur, reclamabitur, contradicetur: Ego facio, sed propter nomen meum sanctum, non propter vos ego facio? Nihil sic evertit Pelagianos dicentes Gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod quidem ipse Pelagius, etsi non corrigendo, tamen Orientales Judices timendo damnavit. Nihil sic evertit hominum præsumptionem, dicentium: Nos facimus, ut mereamur, cum quibus faciat Deus. Respondet vobis non Pelagius, sed ipse Dominus, Ego facio, & non propter vos, sed propter nomen meum sanctum; quid enim potestis facere boni de corde non bono? Ut autem habeatis cor bonum; Dabo, inquit, vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis. Numquid potestis dicere. Prius ambulavimus in justificationibus ejus, & judicium ejus observavimus, & secimus, ut digni essemus, quibus gratiam suam daret? Quid enim boni faceretis homines mali, & quomodo ista bona faceretis, nisi boni essetis? Ut autem homines sint boni, quis facit, nisi ille, qui dixit, Et visitabo eos, ut eos bonos faciam? & qui dixit, Spiritum meum dabo in vobis, & faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis? Ita ne nondum evigilatis? Nondum auditis, Faciam, ut ambuletis, faciam, ut observetis; postremo, faciam, ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus: sed ille facit, ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus. Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc est misericordia ejus præveniens nos: Huic Doctrinæ, quæ Catholicæ fidei est, nihil magis adversatur ista Propositione. Facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus dat gratiam.

Jerem. 32.
Ezech. 36.

VII. Altero S. Augustini principio error ille destruitur. Cum enim ratio quaeritur, cur Deus non omnes doceat, ac vocet; ad altitudinem, & incomprehensibilitatem iudiciorum Dei cum Apostolo Sanctus Doctor confugit, Libro de Prædeterminatione Sanctorum, cap. viii. *Cur ergo, inquit, non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet, quos autem non docet, iudicio non docet, quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: sed miseretur bona tribuens, obdurat digna retribuens.* Et Libro De Dono perseverantia, cap. viii. *Ex duobus atate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.* At si facienti quod in se est ex solis naturæ viribus certa lege daretur gratia, hanc rationem facile S. Augustinus reddidisset: Hunc Deus docet, & ita vocat, ut vocantem sequatur, quia solis naturæ viribus facit, quod in se est.

SS. Prosperi, & Fulgentii selecta ipse addes loca, in quibus contra Semipelagianos demonstrant, boni operis initium ex nobis non esse, Deumque nostram prævenire gratia sua voluntatem inspirando, excitando, adjuvando, non expectare conatus nostros, qui sine gratia nulli ad fidem, ad conversionem, ad bona opera esse possunt.

Nec vero famosa Propositioni ullum accedit præsidium ex S. Augustini Sententiâ Libro xix. De Civitate Dei, cap. xiiii. modo Sancti Doctoris textus sincerus, minimeque interpolatus proferatur, nec verbum, scilicet in conjunctionem, & mala fide mutetur ad appellandam veitatem (quod a Disputatore quodam, cuius impræsentiarum parco nomini, in celebri Congregatione De Auxiliis divina gratia, coram Clemente

VIII. Pontifice Maximo infausto exitu factum Eruditi norunt.) Sanctus enim Augustinus, postquam bona temporalia, quæ Deus cunctis largitur hominibus, enumerasset, continuo subdit: quod ea donet *eo pacto æquissimo, ut qui mortalis talibus bonis pacè mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, & honorem in vita æterna.*

His enim verbis nihil aliud significat Sanctus Augustinus, quam Deum in promissis suis fidelem, illo veluti pacto æquissimo, immortalitatis pacem, seu gloriam sempiternam illis donare, qui, divina operante gratia, bonis temporalibus recte utantur. Deum, inquam, bonorum temporalium rectum usum, qui sine gratiæ prævenientis, & efficacissima virtute operantis auxilio rectus esse non potest, quia sine ipsa nihil est validum, nihil sanctum, amplioribus, atque melioribus bonis, scilicet immortalitatis pace, & gloria æterna munere. Unde capite sequenti subdit Sanctus Doctor: *Ad hoc enim velle debet (homo) nec dolore molestari, nec desiderio perturbari, nec morte dissolvi, ut aliquid utile cognoscat, & secundum eam cognitionem vitam, moresque componat. Sed ne ipso studio cognitionis propter humana mentis infirmitatem in pestem alicuius erroris incurrat, opus habet Magisterio divino, cui certus obtemperet; & adiutorio, ut liber obtemperet.*

Quanta vero absurditas, quam erroneum commentum est, fingere pactum inter Deum, & Christum ad gratiam conferendam facientibus quod in se est ex solis naturæ viribus propter Christi merita: Pactum certe illud cum nullum habeat in Scriptura sacra, & Traditione fundamentum, temere asseritur. Illa recentiorum sententia Christi meritis abutitur ad evacuanda Christi ipsius Salvatoris merita, & veram gratiam, quæ in ipso, ex ipso, & per ipsum est: asseritque (quod auditu etiam horrendum est, atpote blasphemum) Christum Jesum meritis suis a Patre obtinuisse, & cum Patre pactum inivisse, ut ipsius gratia jam non sit gratia, sed naturæ conatibus, & operibus debita.

Deus quidem gratiam sanctificantem adultis hominibus imparatis non confert; nec actuales gratias secundas, & ultiores, nisi illis, qui primis fideliter respondent, atque cooperantur; nec ita voluntates nostras prævenit, ut nihil agant: sed omnis dispositio ad gratiam, omnis liberi arbitrii conatus, & cooperatio, a gratia est, quæ prius agit in nobis sine nobis, ut subsequente consensu nostro, bonum, quod agimus, agat nobiscum. Atque in eo fidei dogmate S. Augustinus consentientem habet S. Joannem Chryostomum, quamvis inter concionandum videatur interdum plusculum tribuere libero arbitrio, nullam ut excusationem auditoribus suis suppetere ostendat. Non dum scilicet litigantibus Pelagianis securius loquebatur; & ex adverso instantibus Manichæis, qui liberum arbitrium negabant, aut Gentilibus, qui Fatum admittebant, antiquiores Patres ita prædicabant liberum arbitrium, ut gratiæ derogare interdum viderentur: quemadmodum S. Augustinus observavit. Unum habes S. Joannis Chryostomi locum, ex quo plane intelliges, hanc ejus fixam fuisse, & immobilem sententiam: nos, quicquid boni habemus, & operamur, ex prævenientis, vocantis, & semper incipientis gratiæ dono habere, & operari. Sic loquitur Homilia xii. in Epi-

solam 1. ad Corinthios: *Acceptum habes, inquit, non hoc, aut illud, sed omnia, quae habes. Non enim tua sunt hac recte facta, sed Dei gratia. Etiam si fidem dicas, ea extitit ex vocatione. Et si dicas remissionem peccatorum, si dona, ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti. Quid ergo habes, inquit, quod non habes acceptum? At ipse ex te ipso recte egisti? Non potes hoc dicere, sed accepisti: & propterea te effers, & tibi places? Propter idipsum vero oportebat te intra fines modestiae continere. Non enim tuum est, quod datum est, sed ejus, qui dedit. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si autem non tuum accepisti, quid magnifice, ac praclare de te sentistamquam habens tuum? Et ideo subjunxit: Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Alia ut congeram S. Joannis Chrysothomi loca, Epistolae ratio non patitur. Vale, Vir Religiose, meique ad sanctum Altare memineris.*

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA IV.

Alias xly.
quae autem 4.
erat, nunc 9.

De institutione, & probatione Gentilium, ante quam ad Baptismum admittantur.

VENERABILI PATRI *** MISSIONARIO APOSTOLICO.

QUOD tanto locorum intervallo a nobis distans, mei adhuc memineris, & intimo in pectore me geras (ut suavissimarum Litterarum tuarum verbis utar) & maximo solatio mihi est, & ad gratias charitati tuae habendas non mediocriter incitamentum. In Domino gratulor, quod Ministerio tuo, & Evangelicis laboribus benedicens, non paucos Gentiles ad Christianam Religionem tua & sociorum opera convertat. Nemo vero Ecclesiasticae Disciplinae, & sanctae Doctrinae studiosus, ac peritus vestram agendi rationem non probabit, qua neminem adultum ad Baptismum admittitis, nisi qui ante dies quadraginta nomen dederit, & praecipua Fidei Christianae capita plene edoctus, atque in Morum doctrina institutus, & in conversatione, seu vitae mutatione probatus fuerit. Hac in re Episcoporum pietate, & Apostolico zelo insignium Francisci Heliopolitani, & Petri Berytensis vestigiis insistis, qui quadraginta dierum moram ad instruendos, & probandos adultos ex Gentilibus Baptismum postulantes praescripserunt in Instructionibus ab Eminentissimo Cardinali Bona jussu sacrae Congregationis de propaganda Fide recensitis, & publica luce donatis Congregationis ejusdem auctoritate. Sed & forte diutius, prudentiae vestrae judicio probandi erunt rudiores, & obtusiores, tardiorisque ingenii servi, & qui spe temporalis alicujus commodi Christianos se fieri velle significant: necnon illi, qui levis, & inconstantis animi signa dederint. Nec etiam ad Baptismum admittendi sunt adulti, quamvis in Fide satis instituti, illum ardentissime desiderarent, ac petant, nisi ante ex bona eorum conversatione exploratum sit, eos pristinis vitiis renunciavisse, vitamque priorem sincere emendasse.

Haec agendi ratio veteri Disciplinae convenit, quam in Ecclesiis apud Sinas, Tunchinenses, Cochinchinenses, Japonios, aliasque Nationes nascentibus observari, quam praeclearum esset! Varii erant Ordines, variae Classis Catechumenorum. Prima *Audientium*, altera *Orantium*, seu *genusflectentium*, tertia *Electorum*, & *Competentium*. Primi doctrinam Fidei, seu Catecheses, Scripturarum lectionem, & sermones Episcopi audiebant, quibus finitis ab Ecclesia exhibant. Genusflectentes variis orationibus exorcismis, & manuum impositione praeparabantur. *Electi*, seu destinati ad Baptismum proximo Paschatis, vel Pentecostes tempore suscipiendum nomen dabant, & abstinentia vini, carni, atque continentia expiabantur, & exercebantur, & regenerationis gratiam ardentissimis votis petebant, propterea *Competentes* appellati. Diebus ante Baptismum quadraginta nomen dabant. Hoc temporis intervallo tradebatur illis Symbolum, quod memoriae commendare tenebantur, & ante Baptismi susceptionem reddere, idest publice, ac solemniter recitare, fidemque profiteri. Hanc (uti nosti) disciplinam indigitant Concilii Niceni Canon decimusquartus, Neocaesariensis Canon quintus, Carthaginensis quarti octogimusquintus. Siricius Pontifex Maximus in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, S. Augustinus in Tractatu de Symbolo ad Catechumenos, Lib. de Fide, & operibus Lib. viii. Confession. cap. 2. Lib. 1. Retractationum cap. 17. & Sermon. 58. & 59. ultimae Edit. PP. Benedictinorum Congreg. S. Mauri, S. Isidorus Hispalensis Libro 2. De Ecclesiasticis Officiis, cap. 21. Ordo Romanus, Scriptor es omnes Ecclesiastici, qui de Sacramentorum ritibus egerunt.

Ad Baptismum non esse admittendos adultos, prius quam vitam mutaverint, & peccatis renunciaverint; aut priusquam edocti fuerint quid ad bonam vitam, moreque
pete

pertineat, Sanctus Augustinus disertè docet Libro de Fide, & Operibus cap. sexto. *Hæc ergo (inquit) secundum sanam doctrinam moderatione servata, videamus, unde agitur, id est, utrum ad percipiendum Baptismum sic admittendi sint homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne sanctum canibus detur; usque adeo ut nec apertissimi adulterii perpetratores, & ejus perseverantia professores a Sacramento tanta sanctitatis videantur arceri; quo sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis, & veris uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licita, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos. Quomodo ergo ad illa sancta recusans correctionem adulter admittitur, quo recusans observationem non admittitur conjugatus? Sed prius, inquiunt, baptizetur, deinde doceatur, quid ad bonam vitam, moreisque pertineat. Fit hoc ubi quemquam forte dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumque percipiat, ut si ex hac vita migraverit, liberatus exeat a reatu omnium peccatorum. Si autem sanus petit, spatiumque discendi est, quod aliud opportunius tempus reperiri potest, quo audiat quemadmodum fidelis fieri, ac vivere debeat, quam illud cum attentiore animo, atque ipsa religione suspensio saluberrima fidei Sacramentum petit? Anusque adeo dissimulamus a sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur, quam fuerimus attenti, atque solliciti quid nobis præciperent a quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur; vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia conveniant, quo studio serveant, qua cura pendeant? Si tunc tempus non est discendi, qua vita congruat tanto, quod accipere desiderant, Sacramento, quando erit? An vero cum acceperint, in tantis criminibus permanentes etiam post Baptismum non novi homines, sed rei veteres? Ut videlicet perveritate miserabili prius eis dicatur, Induite hominem novum, & cum induiti fuerint, postea dicatur, Exuite veterem: cum Apostolus sanum ordinem tenens, dicat, Exuite veterem, & induite novum, & ipse Dominus, clamat: Nemo assuit panum novum vestimento veteri, & nemo mittit vinum novum, in utres veteres. Quid autem aliud agit totum tempus, quo Catechumenorum locum, & nomen tenent, nisi ut audiant, qua fides, & qualis vita debeat esse Christiani; ut cum se ipsos probaverint, tunc de Mensa Domini manducant, & de Calice bibant? Quoniam qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Quod autem sit per omne tempus, quo in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes Catechumenorum gradus excipiat; hoc multo diligentius, & instantius his diebus quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum Baptismum sua nomina jam dederint. A sancta illa Disciplina procul recedunt, & Christi Spiritum Ecclesiam dirigentem non audiunt illi de quibus scribis, Missionarii, qui obvios quosvis, qui recipiendi Baptismi voluntatem præ se ferunt, una, aut altera Instructione prævia, minime probatos, sacro Baptismate initiant. Vale, Venerabilis Pater, & Confrater, meque sanctarum orationum tuarum, ac laborum Apostolicorum fac participem.*

Cloff 39. & 10

Matth. 9. 16. & 17. 1. Cor. 13. 19.

Lutetia Parisiorum.

E P I S T O L A V.

Sumptio Tabacci ante sacram Communionem est illicita: Clericis, & Laicis in Ecclesia ob irreverentiam prohiberi sub gravibus pœnis jure merito potest.

Alias xlv. que autem 4. erat, nunc 7.

CLARISSIMO VIRO *** ECCLESIAE *** ARCHIDIACONO.

Sacerdotes nonnullos te reperisse scribis, dum Parochiarum Archidiaconatus tui Visitationem obires, qui Tabaccum ante Missæ celebrationem quotidie fumere non dubitant. Sententiam rogas meam, id ne dissimulare possis? Certus sum te jam apud te acquisisse, id sub pœna suspensionis prohibere, tum ob periculum violandi præcepti de sacra Communione a jejuniis sumenda, tum propter gravem indecentiam. Ne violetur præceptum communicaturis naturæ jejunium, sumptione tabacci, periculum est, si quid illius sive folii, sive pulveris in os intret, ac in stomachum forte trajiciatur; cum medicina sit, quamvis pluribus noxia, & ob immodicum, & intemperantem usum plurimorum interfectrix, ut Medici doctissimi probant. Et ut nullum hujusmodi periculum subesset, indecentia certe sufficiens est ratio prohibendi Sacerdotibus, ne Tabaccum ante celebrationem Missæ quovis modo sumant. Quamobrem Concilium Provinciale Mexicanum anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo

Tom. 15.
Concil. Edit.
P. Labbe pa-
gin. 1291.

mo quinto celebratum, & a sancta Sede Apostolica confirmatum Libro 111. Tit. xv. §. xii. præcipit, *Ob reverentiam, qua Eucharistia percipienda exhibenda est, ne ullus Sacerdos ante Missæ celebrationem, aut quævis alia persona ante Communionem, quidquam Tabacci, Picietive, aut similium, medicamenti causa per modum fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat.*

Bullarii
Rom. to. 4.
pag. 227.

Addiderim, non modo Clericis, sed & Laicis jure merito prohiberi posse, sub gravibus pœnis, ne Tabaccum in Ecclesiis quocumque modo fumant, prout Urbanus VIII. Pontifex Maximus prohibuit omnibus Fidelibus Hispalensis Provinciæ in Hispania, Decano, & Capitulo Hispalensis Ecclesiæ supplicantibus, Constitutione, quæ incipit, *Cum Ecclesiæ*. Nos, inquit, *ut abusus tam scandalosus ad Ecclesiis hujusmodi profusus eliminetur, pro Pastoralis nostræ sollicitudine providere volentes ... omnibus, & singulis utriusque sexus personis, tam Sacularibus, quam Ecclesiasticis, etiam cujusvis Ordinis, Instituti, ac Militiarum, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumlibet privilegiatis; & exemptis, etiam speciali nota, & expressione dignis, ne de cetero, in quibusvis Civitatis, & Diocesis prædictarum Ecclesiis, earumque atriis, & ambitu Tabaccum, sive solidum, sive in frustra concisum, aut in pulvere redactum, ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, & alias quomodolibet sumere audeant, vel præsumant, sub excommunicationis lata sententia eo ipso absque aliqua declaratione per contrasacientes incurrenda pœna, auctoritate Apostolica tenore præsentium, interdicimus, & prohibemus.* His Regulis fretus, Presbyteris omnibus, & Clericis Archidiaconatus tui, prohibere sub gravibus pœnis potes, ne Tabaccum ante Missæ celebrationem, & sacram Communionem, aut alias in Ecclesiâ quovis modo fumant. Vale, Vir Clarissime, meque tui observantissimum dilige.

Lutetia Parisiorum.

Alias xxxiv.
quæ autem 6.
erat, nunc
11.

EPISTOLA VI.

Christus duobus Discipulis euntibus in Emmaus Eucharistiam non porrexit. Jejunium Sabbato Vigiliæ Pentecostes universim indictum Fidelibus non fuit ex Ecclesiæ præcepto ante XII. Sæculum.

CLARISSIMO VIRO ***

Litteris humanissimis nuper ad me datis duplicem mihi proponebas Quæstionem, & de utraque sententiam rogabas meam, ut perspectum habeas num tuæ congruat, an doctorum aliorum virorum, quos inter, ac te ipsum in familiari collatione disceptata est, opinioni. Prima est de pane, in cujus fractione Dominus Jesus agnitus est a duobus Discipulis euntibus Emmaus, de quo scriptum est Lucæ xxiv. *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* Et infra: *Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Communem quidem opinionem esse ais, quod Christus panem tunc consecraverit, & in corpus suum transmutaverit; indeque argumentum sumi ad Communionem Eucharistiæ sub una specie adstruendam: verumtamen quaris, utrum certum, exploratumque sit, panem a Christo in hospicio fractum, & duobus Discipulis datum, corpus ejus fuisse? Altera Quæstio est de jejunio Vigiliæ Pentecostes, utrum adeo antiqua sit illius institutio, ac observantia, ac vulgo existimatur, scilicet a quarto sæculo, & S. Ambrosii ætate?

Ad primam Quæstionem respondeo, certum, & exploratum non esse, quod panis a Christo datus duobus Discipulis euntibus Emmaus, Corpus ejus fuerit, & Eucharistiæ Sacramentum: varias esse ea de re Catholicorum Interpretum, & Theologorum sententias, quosdam affirmare, alios negare. Ex eo loco non probari Communionem Eucharistiæ sub una specie, nisi quatenus panis ille figura fuit Eucharistiæ, & in illa panis fractione mysterium quoddam fuit, quo significata est Eucharistiæ utilitas. Ita Belarminus Cardinalis Lib. 4. *De Sacramento Eucharistiæ*, cap. xxiv. Nec aliud voluisse videtur S. Augustinus Lib. 111. *De consensu Evangelistarum*, cap. xxiv. dicens: *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a Satana fuisse, ne agnosceretur Jesus; sed tamen a Christo est facta permissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.* Neque etiam aliud ex Theophylacto colligi potest, Commentario in cap. xxiv. S. Lucæ, dicente: *Sed & aliud innuit, quod scilicet sumentibus sacrum panem aperiuntur oculi, ut eum agnoscant: magnam enim, & ineffabilem vim habet Domini Caro.*

Neque:

Neque certo constat quænam fuerit ea de re S. Hieronymi sententia, ex eo, quod loca sancta oratorio stylo describens in Epitaphio Paulæ ait: *Repetitoque itinere Nicopolim, qua prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleopha domum in Ecclesiam dedicavit.* Non enim significat S. Hieronymus, Christum Eucharistiæ consecratione Cleopha domum in Ecclesiam veluti dedicasse, sed Paulam curavisse, ut Cleopha domus in Ecclesiam dedicaretur, sive ibi extruxisset sumptibus suis Ecclesiam, in honorem Christi, & in memoriam apparitionis illius post Resurrectionem duobus Discipulis factæ sub peregrini specie.

Christum Dominum duobus illis Discipulis Eucharistiam non porrexisset, censet Cornelius Jantenus Gandavensis Episcopus, Commentario in Concordiam Evangelicam, cap. cxlvi. *Sunt quidem (inquit) qui existimant Dominum hic jam Discipulis his duobus sub specie panis suum porrexisset Corpus, quemadmodum Apostolis in ultima Cœna, cum Eucharistiam institueret: atque hinc certum desumunt argumentum, quo ostendant licere Eucharistiæ Sacramentum sub una tantum specie suscipi, & tradi. At quamquam ea sententia non est certa, immo nec multum verisimilis, tamen ut omnia Christi facta mysticum aliquid continebant, & abstrusum, ita hæc Christi actio proculdubio aliquid sacri significabat. Nihil autem convenientius intelligi potest significasse, quam sacri ejus corporis dispensationem, quam sub specie panis, simili qua modo usus est actione, Apostolis paulo ante commendaverat: quam & in multiplicatione panum simili actione olim suis mystice commendavit. Itaque effectu hic subsecuto commendare fidelibus Dominus voluit vim Eucharistiæ digne susceptæ, nempe quod per eam oculi illuminantur ad cognitionem Jesu.*

Et infra: *Quamquam autem probabilius esse putemus Christum modo suis non impertivisse Eucharistiam, quia Discipuli, qui dicuntur simpliciter in fractione panis Dominum agnovisse, non interfuerunt ultima Cœna, ut illa singularis fractio, qua instituta erat in ultima Cœna, non potuerit his Discipulis esse cognita: tamen etsi non omnino efficax, probabile saltem hinc sumitur argumentum, quo defendatur receptus jam Ecclesiæ usus communicandi Laicis Sacramentum Eucharistiæ sub una specie.*

Eadem est Eltii sententia in annotationibus ad capit. xxiv. S. Lucae, ad illa verba, vers. 30. *Et benedixit, ac fregit.* Observat scilicet hanc benedictionem fuisse invocationem Dei super panem, quo modo fideles sumpturi cibum prius benedicunt eum, idest, super eum beneficentiam Dei invocant. *Benedixit itaque non ad effectum Consecrationis, sed quo modo juxta Paulum dicentem, Sanctificatur per verbum Dei, & orationem, Fideles benedicunt; quomodo verisimile est, ipsum solere benedicere, quoties cum Discipulis cibum sumeret. Unde ex vocabulo (benedixit) nullum sumitur argumentum pro consecratione Corporis Domini. Immo Christum hic non consecrasset Corpus suum etiam his argumentis monstrari videtur; tum quia non dedisset talibus nondum satis confirmatis in fide; tum quia non daret Corpus suum iis, qui de hujus Mysteriorum veritate nondum erant instructi, quia hi non adsuerant Cœna, in qua institutum fuit hoc Mystrium. Nemini autem dandum est Corpus Christi, nisi illud mysterium cognoscenti, & credenti. Item si dixit, Hoc est Corpus meum, jam ante debebant eum nosse; quia in hoc verbo, quod ex eo nunquam audierant, nosse eum non potuissent.*

Quod spectat Quætionem alteram de jejuniis Vigilæ Pentecostes, oppido falluntur, qui S. Ambrosii ætate illud jam institutum, & observatum fuisse putant: decepti Sermone inter Ambrosianos olim sexagesimo, ex quo hæc referuntur apud Gratianum Dist. lxxvi. cap. ix. *Non minore letitia celebramus diem Pentecostes, quam sanctum Pascha curavimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, jejunavimus Sabbato, Vigiliis celebravimus, orationibus pernoctantes institimus.* Hunc enim Sermonem S. Ambrosii non esse constat, nec Auctoris adeo antiqui; & sequentis Sermonis Auctor, qui S. Ambrosio æque suppositus est, & sub ejus nomine nihilominus refertur eadem Dist. cap. v. *Per quinquaginta dies a Pascha ad Pentecostem, quorum ultimus est dies Sabbati, a jejuniis immunes esse asserit instar Dominicæ. Per hos quinquaginta dies (inquit) nobis est jugis, & continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore, neque ad observandum inducamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus. . . . Instar ergo Dominica, tota quinquaginta dierum, curricula celebrantur, & omnes isti dies velut Dominici deputantur. Resurrectio enim Dominica est.*

Ejusdem disciplinæ, scilicet immunitatis a jejuniis per quinquaginta dies continuos a Paschate ad Pentecostem, testes sunt S. Hieronymus in Epistola ad Lucinium Bæticum, S. Augustinus in Epistola ad Casulanum, S. Leo in Sermonibus i. ii. & iv. de jejuniis Pentecostes, Cassianus Collatione xxi. c. xi. & xix. & S. Isidorus Hispalensis Libro *De officiis Ecclesiasticis*, c. xlii. Eandemque disciplinam, & consuetudinem Ecclesiæ antiquissimam esse constat ex Tertulliano Libro *De Corona* c. llii. *Die Dominico (inquit) jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Pascha in Pentecostem usque gaudemus.*

S. Leo

S. Leo Sermone IV. de Jejunio Pentecostes: *Ad hanc (inquit) nos utilitatem praesens tempus invitat, ut a Resurrectione Domini usque ad adventum Spiritus Sancti quinquaginta diebus emensis, quos in latitia praecipua festivitatis exigimus, ad jejuniorum remedia recurramus.* Et Sermone II. *Inter cetera Dei munera jejuniorum quoque gratiam, qua Festivitatem (Pentecostes) indivisa subsequitur, tunc fuisse donatam, praedicat.*

Undecimo incunte saeculo Italiae, & Galliae Episcopi Concilia celebrarunt, in quibus inter alia disciplinae capita, de jejniis spontaneis fidelium plurimorum inter Ascensionem, & Pentecosten actum est, ac decretum, *Ut ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecostes, & a quibus fieri vellent, ne prohiberentur fieri.* Ita refert Glaber Libro III. capit. III. Tunc ergo non solum spontanea Fidelium plurimorum pietate, sed Episcoporum etiam quorundam mandato, jejunium Sabbato Pentecostes observabatur.

Universim tamen sacra illa observantia in omnibus Ecclesiis instituta non fuit nisi post S. Thomae Aquinatis aetatem. Salegunstadiense enim Concilium, quod anno vigesimo secundo supra millesimum in Germania celebratum est, cap. secundo statuit, ut si jejunium quatuor Temporum Junii in Vigiliam Pentecostes incidit, eo die non celebretur, sed in ipsam hebdomadam solemnem Pentecostes transferatur.

Denique S. Thomas disertis verbis testatur jejunium ex praecepto Ecclesiae fidelibus universis indictum sua aetate non fuisse toto tempore Paschali; adeoque nec in Vigilia Pentecostes. Sic enim respondet Secunda Secundae, Q. cxlvii. Art. v. ad tertium argumentum: *Jejunium exultationis ex instinctu Spiritus Sancti praecedit, qui est Spiritus libertatis; & ideo hoc jejunium sub praecepto cadere non debet. Jejunia ergo, qua praecepto Ecclesiae instituuntur, sunt magis jejunia afflictionis, qua non conveniunt diebus latitiae: propter quod, non est jejunium ab Ecclesia institutum in toto Paschali tempore, nec etiam in diebus Dominicis.* Haec ad duplicem, quam proposuisti, Quaestionem responsa expedite, vir clarissime, & si quid tibi occurrerit a me praetermissum, id supple, & adde, meique in sacrosancti Sacrificii oblatione memineris. Vale.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA VII.

Improbatur pii Sacerdotis devotio, qui singulis diebus Missam de Rosario Beatae Virginis celebrat.

RELIGIOSO VIRO ***

COENOBII *** PRIORI.

Miror vehementer quod P. *** Nicolaum quem in opinione sanctitatis vivere scribis, ex eo laudes capite, quod singulis diebus Missam de Rosario Beatae Virginis Mariae celebret. Pium virum laudaverim una tecum, quod Deiparae Virginis sub Rosarii titulo sit devotissimus: quod nullus ipsi praetereat dies quo Rosarium non recitet, quod singularem illum modum colendi Beatam Virginem animarum saluti utilissimum ac fructuosissimum propagare zelo incredibili nitatur: sed heteroclitae (ut sincere loquar) devotionis, immo superstitionis genus mihi videtur singulis diebus Missam de Rosario celebrare, quodcumque Festum occurrat. Propter Missam enim votivam, Missam de tempore vel de Sancto, cujus Officium celebratur, dimittendam non esse constat ex cap. *Quidam*; Ext. *De celebratione Missarum*, quod ex Concilio Salegunstadiensi desumptum est. *Quidam (inquit) Laicorum habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium, In principio erat Verbum, & Missas peculiare, hoc est de Sancta Trinitate, & de Sancto Michaele: & ideo sancitum est ut ulterius hoc non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis velit propter reverentiam Sanctae Trinitatis, non pro alia devotione audire. Sed si voluerint ut sibi Missa cantentur, de eodem die Missas audiant pro salute vivorum, & etiam defunctorum.*

Et Concilium Coloniense I. anno 1536. p. 2. cap. 16. *Mos (inquit) inolevit non admodum improbandus, ut diebus Dominicis toto ferme anno Officium Missae vel de Sacrosancta Trinitate, vel de Spiritu Sancto dicatur. Nobis satius videtur, ut qua praesca Ecclesia singulis Dominicis peculiariter fecit, observentur. Quod si illorum loco alia usurpanda erunt, videbitur quod de Resurrectione Domini est, diei Dominico magis convenire, quod*

Alias V. quae
autem 7.
erat, nunc 12.

quod dies illa potissimum Resurrectioni dedicata sit. Neque ignoramus, non absque causa in Concilio Triburiensi constitutum, ne propter Missas peculiare, Missa quam de Feria vocamus, pratermittatur.

Ex Ecclesie certe disciplina est, ut Missa congruat Officio diei, quamvis privatus Missas votivas certis diebus interdum celebrari probeat ex devotione, aut pro variis virorum Fidelium necessitatibus, aut pro Defunctis. Diebus certe Dominicis & festis duplicibus illas celebrari vetat, nisi pro presentis Defuncto, ut Missalis Romani Rubricis & sacre Congregationis Rituum Decreto prescriptum est.

Contrarium usum reprehensione & emendatione dignum S. Antoninus iudicat II. P. Tit. IX. cap. X. §. I. *Reprehensibile utique multum videtur (inquit) etsi non damnable, dimittere proprias occurrentes propter Missas Defunctorum, vel alias ad instantiam laicorum sine causa multum urgente. Docendus est enim populus, non sequendus. Nos quoque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat; commonere, non his consensum prabere debemus (inquit Caelestinus Dist. lxxii. Can. Docendus.)*

„ Eadem est Silvestri Prieratis sententia in summa, verbo *Missæ* I., Quæritur (inquit) de quo Missa debet celebrari. Et dicit Summa Angelica, secundum Panormitanum in cap. *Quidam laicorum, de celebratione Missarum*, quod celebranda est de eo de quo Officium fit; unde Missam peculiarem dicens, id est, specialem de aliquo Sancto, non satisfacit præcepto de audienda Missa, quia Missa quæ præcipitur, est Missa de Festo. *Credo tamen (inquit Silvester) quod saculares audientes ex ignorantia excusentur, licet non celebrantes. In Ecclesiis autem Collegiatis vel Conventualibus Missa de Officio quotidie celebranda est, secundum capit. Cum creatura, Extra, De celebrat. Missarum*, cuius hæc sunt verba: *Mandamus quatenus nullum in vos negligentia torporem obrepere permittatis, quo minus & pro anniversariis Defunctorum & pro Festo & Feria, secundum temporum congruentiam, Missarum solemniter conven-tualiter celebretis.* Quamobrem in Cathedralibus, Collegiatis & Conventualibus Ecclesiis regulariter cani debet Missa cum Officio conventus. Si vero in eisdem Ecclesiis contingat anniversarium, vel dies depositionis Defuncti, cani debent duæ Missæ, una scilicet pro Defunctis, & alia de feria, vel de Festo, si sit festus dies. Ita enim Rubricis Missalis Romani, & Decreto Sacre Congregationis Rituum sancitum est.

Hinc cum Canonici Cathedralis Ecclesie Sarnensis ex conventionem cum Episcopo a nonaginta annis inira consuevisent singulis hebdomadis tres Missas canere, scilicet Feria secunda pro Defunctis, Feria quarta de Angelis, & Feria sexta de Sancta Cruce, Episcopus successor eos nihilominus ad canendum quotidie Missam Conventualem compellebat. Sed cum Ecclesia extra habitationes, & in loco insalubri sita esset, & in ea vix decem extarent Canonici, quorum sæpe aliquis agrotabat, præterquam quod curam habebant animarum: idcirco benigne secum agi supplicarunt, ut ad Missam Conventualem canendam nonnisi diebus Festis tenerentur. Sacra vero Congregatio Concilii censuit, quod petebatur, non esse concedendum.

Hæc a me per excursum observata, ut ab usum perfringerem, qui in nonnullis Ecclesiis Collegiatis vel Conventualibus irrepsit, ut propria Missa Conventualis Festi vel Feriæ currentis non canatur, quoties Missa de anniversario, vel alia pro Defunctis cantanda est ut Fidelium voto satisfiat, qui elemosynam in eum sinem conferunt.

Sed, ut redeat ad id unde digressa est oratio, auctor tibi sum, ut pium illum Sacerdotem N. corrigas, qui diebus singulis Missam de sancto Rosario celebrat; illumque de Sancto, cuius Festus dies celebratur, & de quo fit Officium, vel de Dominica aut Feria si nullum Festum occurrat celebrare jubeas: id unum indulgens ejus devotioni, ut Beatæ Virginis Mariæ de Rosario commemorationem faciat iis diebus, quibus plures in Missa commemorationes fieri Rubricæ permittunt, per Orationem, *Deus cujus Unigenitus*; non per eam quæ incipit, *Omnipotens sempiternus Deus*, in qua Beate Virginis merita Christi meritis quasi coequari videntur his verbis, *Ut amborum meritis*, &c. quæ propterea viri dignitate, doctrina, pietate in Ecclesia spectatissimis omittenda videtur. Vale.

Latetia Parisiorum.

APPENDIX ALTERA MONUMENTORUM, QUIBUS DOGMATA CATHOLICA, ET DISCIPLINA CONFIRMANTUR.

I.

INNOCENTII X. CONSTITUTIO
De quinque famosis Propositionibus ex Jansenii Yprensis Episcopi Libro excerptis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, universis Christifidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem;

CUM occasione impressionis Libri, cui titulus, AUGUSTINUS CORNELII JANSENII EPISCOPI YPRENSIS, inser alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Gallia, controversia super quinque præsertim ex illis: complures Galliarum Episcopi apud nos insisterant, ut easdem Propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor vero præfatarum Propositionum est, prout sequitur.

- I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt.*
- II. *Interiori gratia in statu natura lapsa nunquam resistitur.*
- III. *Ad merendum, & demerendum in statu natura lapsa, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*
- IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quod velent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*
- V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravaram opinionum erroribus, tuto militare, & tamquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, secure navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit: pro rei gravitate coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, a pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata, mature consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis ad divinam implorandum auxilium, multorum Christifidelium preces, tum privatim, tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos solícite implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt:* temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: *Interiori gratia in statu natura lapsa nunquam resistitur:* hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum, & demerendum in statu natura lapsa, non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione:* hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam:

VARIORUM MONUMENTORUM. 911

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quintam: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse: falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsentis nostræ declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, necnon hereticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, ceteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omnino coerceant, & compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque Propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ M.DC.LIII. pridie Kal. Junii, Pontificatus nostri anno nono.

HI. Datarius.

G. G U A L T E R I U S.

P. C I A M P I N U S.

I I.

CONSTITUTIO ALEXANDRI VII.

Pontificis Maximi, qua Innocentii X. Constitutio, quinque Jansenii Propositiones damnans, confirmatur.

A L E X A N D E R E P I S C O P U S,

Servus Servorum Dei Universis Christifidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD sanctam Petri Sedem, & universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili divinæ providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut sanctæ Fidei nostræ, ac sacrorum Dogmatum integritati tradita nobis a Deo potestate opportune consulere: ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abunde fuerunt definita, novæ Decisionis, si-ve Declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocasse, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ Auctoritatis remedium centuimus non esse differendum.

Emanavit siquidem alias a felicitis recordationis Innocentio Papa X. prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, Universis Christifidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.* Cum occasione impressionis Libri, cui titulus *Augustinus*, Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi . . . &c.

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones, vel in Libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictæ, & pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eodem intento damnatas non fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformidant: Nos qui omnia, quæ hæc in regesta sunt sufficienter, & attente perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica Auctoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset; quamcumque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes, ut omnes Christifideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis officii, ac matura delibe-

ratio.

Innocentii X. Constitutionem integram repetit.

ratione, præinfertam Innocentii prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas Propositiones ex Libro præmemorato Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, cui titulus est, AUGUSTINUS, excerptas, & in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaramus, & definimus, ac uti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus: & eundem Librum sæpe dicti Cornelii Jansenii, cui titulus, AUGUSTINUS, omnesque alios, tam manuscriptos quam editos, & si quos forsitan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii doctrina, ut supra damnata defenditur, vel adstruitur, aut defendetur, & adstruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christianifidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur publice vel private, palam, vel occulte imprimant sub pœnis, & censuris contra Hæreticos in jure expressis ipso facto, absque alia declaratione incurrendis.

Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinfertam ejusdem Innocentii prædecessoris constitutionem, declarationem, ac definitionem juxta præsentem nostram determinationem, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo-sexto, decimo-septimo Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

III.

A L E X A N D R I VII. C O N S T I T U T I O
qua præscribitur Formula cui subscribendum adversus quinque Propositiones Jansenii.

A L E X A N D E R E P I S C O P U S,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regiminis Apostolici divina Providentia nobis quamvis immeritis commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque salutem, & fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animum, & curam omnem, quantum licet in Domino, applicemus. Quamobrem Cornelii Jansenii heresim in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. felicitis recordationis prædecessore nostro fere oppressam, ad instar colubri, cujus caput attritum est, in varios gyros, & cavillationum flexus euntem, singulari constitutione ad hunc finem edita, altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices hostis humani generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent: qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sane studio Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi, & Episcopi regni Gallicæ, earundem constitutionum Apostolicarum executioni præcipue intenti, contulerant, & carissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dextram strenuo, ac constantissimo animo porrexit. Cum autem præfatus Rex Christianissimus eodem Religionis zelo ductus, per suum in Urbe Oratorem nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam Formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui titulus, AUGUSTINUS, excerptas sincere damnarent; ac proinde illam a nobis quanto citius expediri ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus flagitaverit: Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benigne annuendum esse ducentes, Formulam infra scriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis tam Regularibus, quam Sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatibus, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi distincte mandamus, idque intra tres menses a die publicationis, seu notificationis presentium. Alias contra eos, qui intra terminum præscriptum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

FOR.

FORMULA A SUPRADICTIS SUBSCRIBENDA.

Ego N. Constitutioni Apostolica Innocentii X. data die xxxi. Maii MDCLIII. & Constitutioni Alexandri VII. data xvi. Octobris MDCLVI. Summorum Pontificum, me subji-
cio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen AUGUSTINUS,
excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout alias per dictas Constitutiones
Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro. Sic me Deus
adjuvet, & hac sancta Dei Evangelia.

Decernentes insuper præsentem Litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces exi-
stere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per
quoscumque Judices ordinarios, & delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata
eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctori-
tate, ac irritum, & inane esse, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scien-
ter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis,
& Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in
suis Diocæsis, ac locis suæ jurisdictioni subjectis, præsentem Litteras, & in eis con-
tenta quæcumque exequantur, & exequi, ac observari ab omnibus curent, & inobedien-
tes quoscumque per sententias, censuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia,
appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis au-
xilium, omnino compellant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam im-
pressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Eccle-
siastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litte-
ris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc nostram Constitutionem, & Ordinationem infringere, vel ausu temerario con-
trahere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei,
ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum, Romæ apud San-
ctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LXIV. XV. Kal. Martii,
Pontificatus nostri anno decimo.

I. Cardinalis Prodatarius.

S. UGOLINUS.

Visa de Curia. P. CIAMPINUS.

D. CIAMPINUS.

IV.

B R E V E

CLEMENTIS IX. PONTIFICIS MAXIMI, Constitutiones Innocentii X. & Alexandri
VII. confirmans, & sinceram, sine ulla exceptione, aut restrictione, subscriptionem
Formularii exigens, & a quatuor Episcopis factam commendans.

Venerabilibus Fratribus Henrico Arnaldo Andegavensi, Nicolao Chovart Bellovacensi, Franci-
sco Stephano Appamiensi, & Nicolao Pavillon Alecænsi Episcopis.

CLEMENS PAPA NONUS.

VENERABILES FRATRES,
Salutem, & Apostolicam Benedictionem;

Venerabilis Frater Archiepiscopus Thebarum Nuntius isthic noster misit ad nos e-
lapsis diebus Fraternitatum vestrarum Epistolam in qua cum ingenti obsequii No-
bis, & huic Sanctæ Sedi per vos debiti testificatione significabatis vos juxta præscriptum
Litterarum Apostolicarum a felicis recordationis prædecessoribus nostris Innocentio X.
& Alexandro VII. emanatarum sincere subscripsisse, & subscribi fecisse Formularium in
eiusdem Alexandri VII. Litteris edito. Etsi autem quædam de hac re secus circumlata
occasionem nobis præbuerant in tam gravi negotio serius procedendi (nam dictorum
Prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissime inhærentes, nullam circa illud
exceptionem, aut restrictionem admitturi unquam fuissimus) in præsens tamen cum no-
va, & gravia isthinc acceperimus documenta veræ, & totalis obedientiæ vestræ, qua
& Formulario sincere subscripsistis, & damnatis absque ulla exceptione, aut restrictio-

Nat. Alex. Theol. Tom. I.

M m m ne

ne quinque Propositiones in omnibus sensibus , in quibus a Sede Apostolica damnata fuerant , alieni prorsus estis a renovandis hac in re erroribus illis , qui ab eadem damnati sunt ; tribuere vobis volumus hoc paternæ benevolentia nostræ argumentum , fidentes plane divinæ gratiæ , ac virtuti , & pietati vestræ , quod omni conatu facturi sitis in posterum , ut sinceræ obedientiæ , ac submissionis a vobis in hoc actu nobis præstitæ plenitudo semper magis appareat , doctrinam , ac probitatem vestram in id potissimum adhibentes , ut una cum obsequio Nobis , & huic Sanctæ Sedi per vos debito Catholicam veritatem firmiter tueamini , zelo , curaque Pontificis sedulo cooperantes , extirpando ab Ecclesia Dei novitates omnes , ac perturbationes fidelium animarum . Vobis Venerabiles Fratres , Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur . Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem , sub annulo Piscatoris , die 19. Januarii 1669. Pontificatus nostri anno secundo.

Signatum ;
FLORENTINUS.

V.

B R E V E

INNOCENTII XII. PONTIFICIS MAXIMI ad Archiepiscopum Mechliniensem , & Episcopos Antuerpiensem , Gandavensem , Brugensem , & Ruremondensem , in Belgio Ditionis Hispanæ .

De quinque Propositionum Jansenii damnatione , & Formularii subscriptione secundum Constitutiones Apostolicas . Invidioso Jansenismi nomine quemquam nominari vetat nisi legitime suspectum quod aliquam ex quinque Propositionibus damnatis tenuerit .

V E N E R A B I L E S F R A T R E S .

Nuper ex Litteris Fraternalitatum vestrarum primum accepimus orta esse aliqua diffidia ; dum alii alios incusant tamquam novarum opinionum Sectatores , qui cum verbo , tum scriptis Constitutiones felices recordationis Innocentii X. & Alexandri VII. prædecessorum nostrorum , in quibus quinque Propositiones ex Libro Cornelii Jansenii , cui titulus est AUGUSTINUS , excerptæ , & damnatæ , una cum Formulario juramenti in earundem condemnationem præstandi , continentur , variis interpretationibus inutiles , & inefficaces reddere non sine gravi animarum detrimento conantur . Cumque maxime nobis curæ esse debeat pro debito Pastoralis Regiminis nobis ex alto commissi , ut semper firmæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones permanent in rebus , quæ ad orthodoxæ fidei integritatem conducunt , ad diffidia omnia , quæ Ecclesiæ , & Fidelium pacem perturbant , compescenda : in primis prædictis Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. exemplo Prædecessorum nostrorum firmiter inherentes , easque in suo robore fuisse , & esse declarantes , Fraternalitatibus vestris , de quarum zelo , & pietate plurimum in Domino confidimus , mandamus , ut contra omnes , & quoscumque , cujuslibet status , & conditionis existant , qui ausu temerario prædictas quinque Propositiones sic damnatas in Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. publice , vel privatim tam in Scholis , quam in Concionibus verbo , vel scripto defendere præsumpserint (servato tamen juris ordine) procedatis , eosque debitis pœnis in eisdem Constitutionibus contentis puniri curetis , cum ad comprimendum tam grave malum , quod jam diu Catholicam Ecclesiam vexat , efficacius remedium adhiberi non posse videatur .

Præterea Fraternalitatibus vestris injungendum duximus , prout per presentes injungimus , ut pro vestra pietate , & prudentia facultate illa , qua per Constitutionem Apostolicam muniti estis , ita Formularii subscriptionem , seu juramentum ad praxim reducat , ut in exigendo juramento prædicto zelus & charitas vestra maxime eluceant , ne alicujus fama indebite lædatur , aut detractionibus , & murmurationibus locus detur . Quare præcipimus , ut quemadmodum ii , qui ad juramentum adigendi sunt , illud præstare debent sincere absque ulla distinctione , restrictione , seu expositione , damnando illas Propositiones ex Libro Jansenii excerptas , in sensu obvio , quem ipsa met verba præferunt , prout sensum illum damnarunt SS. Pontifices Prædecessores nostri , damnatumque haberi voluerunt a Christi Fidelibus ; ita per Fraternalitates vestras ab iis , qui Formulario prædicto subscribent , ac juramentum præstabunt , præter rei For-

mulam ipsam traditam, verbaque in Constitutione Apostolica præscripta, quicquid aliud, vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis verbo, vel scripto non exigatis, etiam sub prætextu, quod additiones ad nos transmissæ comprehendantur, seu contineantur in Formulario Alexandri VII.

Ceterum ad præcavendas omnes dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant, Nos quoscumque alios sensus Formularii, præter eum, quem ipsius verba exhibent, afferri, vel usurpari, aut de his disputari interdiximus, & prohibuimus, ac super ejusdem Formularii interpretatione, sicut & prædictarum Propositionum in alios sensus, præter eum, quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imposuimus, ut ex nostris Decretis, tam super ipso silentio, quam super prohibitione omnium Librorum editorum, vel edendorum in hac materia plenius innotescet; cum ad Summum Pontificem dumtaxat pertineat sensum, quem in his Propositionibus damnaverit, & ut damnatum a Fidelibus credi censuerit, declarare.

Demum ad extinguenda Theologorum jampridem inter sese excitata dissidia, Fraternitatibus vestris, quantum in Domino possumus, presentibus nostris Mandatis injungimus, ne ulla ratione quempiam vaga ista accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci, aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitime constiterit aliquam ex his Propositionibus tenuisse; nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus, ac Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittatis, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ Viris alioquin Catholicis gravissima est, commoverisse probatum fuerit. Hæc ad Fraternitates vestras referenda decrevimus, non de vestra voluntate, & studio circa Ecclesias fidei vestræ creditas dissidentes, sed animi nostri affectum, & omnium Ecclesiarum sollicitudinem testificantes, ut tandem, qui Pastor Pastorum est, vigilasse nos in gregis nostri custodia, divino suo judicio comprobare dignetur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die sexta Februarii 1694. &c.

Signatum,
MARIUS SPINULA.

V I.

B R E V E A L T E R U M .

I N N O C E N T I I X I I . A D E O S D E M

PRÆSULES, declarans superiore Brevis confirmatas a se Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, non reformatas.

VENERABILES FRATRES,

Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Litteras, quas decima nona Julii ad nos dedistis, libenti animo accepimus cum in illis vestras ad hanc Sedem preces intellexerimus, quibus nostrum judicium pro sana doctrina vestris in Diocæsis stabilienda postulatis. Ex iisdem autem Litteris aperteprehendimus illa, quæ quoad Jansenismum exponitis, non procedere ex eo, quod Brevis a nobis sexta Februarii anni millesimi sexcentissimi nonagesimi quarti ad vos dato satis ipsis non sit consultum; sed potius quia idem Brevis executioni fortasse, uti par esset, non mandetur, cum illud nulla prorsus indigeat explicatione, aptumque, ut in ipso præscripta adimpleantur, efficax, atque opportunum afferre remedium. Quod si prætensi Jansenistæ interne, & absque eo quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnant Propositiones, quam in sensu obvio, non habito respectu obvii sensus dicti Formularii, suoque arbitrio effingant hujusmodi sensum obvium; Ecclesia non judicat de occultis, quæ soli Deo cordium scrutatori innotescunt. Sin vero iidem prætensi Jansenistæ voce, vel scripto edant proprios sensus Apostolicarum Constitutionum, prædictique brevis sensui dissentaneos, debent Episcopi prout de jure contra eos procedere, non tantum auctoritate ordinaria, sed etiam speciali facultate ipsis indulta a Constitutionibus Prædecessorum nostrorum felicitis recordationis Innocentii X. & Alexandri VII. quas nos quoque confirmavimus; ita ut servatis servandis congrue puniantur, cum ea omnia facile probari possint, quia agitur de actibus externis.

Non sine admiratione intelleximus, nonnullos istis in Diocæsis reperiri, qui verbis & calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevis alteratam, seu reformatam fuisse Constitutionem Alexandri VII. decima sexta Octobris anni millesimi quinquagesimi sexti editam, & Formularium ab ipso pronunciatum, cum dicto Brevis utrum-

M m m 2

que

que specificè confirmetur, & omni modo intenderimus, & intendamus eisdem adhærere, & nequaquam finire, ut aliquid addatur, vel dematur a prædicto Formulario, illud quovismodo alterando in aliqua ejus minima parte; sed quod in omnibus, & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amissim observari.

Quod attinet ad Libros sacrae Scripturae idiomate vulgari traductos, & alios prohibitos, patent Constitutiones Prædecessorum nostrorum, & potissimum felicitis recordationis Pii Quarti, quibus satis superque abusibus providetur, uti etiam confugia ad alia tribunalia a consimilibus Constitutionibus inhihentur; quarum Episcopi suis in Diocæsis observantissimi executores esse debent.

Quod pertinet ad pendentes controversias circa administrationem Sacramentorum, donec aliquid specialius decernatur, ab iisdem Episcopis advigilandum est, ut juxta Sanctiones Canonicas, Statuta Conciliorum, & praxim Ecclesiae administrantur, habita casuum, atque eorum circumstantiarum ratione. Etenim in præsens magna sollicitudine discussioni Propositionum, quæ inter alias abunde delatas ad hoc argumentum spectant, adlaboratur a Consultoribus, & Qualificatoribus supremæ hujusce Inquisitionis, qui omnes sunt Prælati, & doctrina præstantes.

De vestra autem in hanc Sedem observantia adeo præclare sentimus, ut plane confidamus non omisuros vos ejusdem mandata debita charitate, & prudentia exequi, summam in spem venientes restituendam tandem isti Provinciæ tranquillitatem, qua ceteræ omnes fruuntur. Fraternitatibus interim vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 24. Novembris 1696. Pontificatus nostri anno sexto.

Subsignatum. MARIUS SPINULA.

Supercriptio:

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Mechliniensi, Episcopis, Antuerpiensi, Ruremondensi, Brugensi, Gandavensi.

VII.

M A N D A T U M :

Ex Gallico
Idiomate
summa fide
Latine red-
ditum.

ET INSTITUTIO PASTORALIS Illustrissimi, ac Reverendissimi DD. Archiepiscopi Parisiensis ANTONII LUDOVICI DE NOAILLES, S. R. E. Tit. SANCTÆ MARIÆ SUPER MINERVAM Cardinalis,

Damnans Librum inscriptum, Exposition de la Foy touchant la Grace, & la Prædestination, id est, Expositio Fidei de Gratia, & Prædestinatione, editum Montibus apud Gaspardum Migeot.

LUDOVICUS ANTONIUS Permissione Divina, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Parisiensis, Dux Sancti Clodoaldi, Par Franciæ. Archipresbyteris Sanctæ Mariæ Magdalena, & Sancti Severini, ac Decanis Ruralibus nostræ Diocæsis, Salutem & Benedictionem.

Primum, ac præcipuum officium Episcoporum est, depositum Fidei servare: ideoque novitatibus omnibus, quibus ejus integritas violari potest, summo studio, ac zelo occurrere, & obniti debent, nec unquam finire, ut quidquam in ea, vel minuendo, vel addendo, vel minimum immutetur, secundum sapiens Vincentii Lirinensis essatum: Quamobrem, ut primum volente Deo, Cleri, Populique tam numerosi regimen suscepimus, sanæ doctrinae conservationi, qua debemus cura, invigilare decrevimus. Spiritum scilicet erroris insurgere semper novimus *adversus scientiam Dei* pravae alicujus doctrinae novitate; nec unquam a cœptis desistere, quamvis consilia sua destrui videat per potentiam Spiritus veritatis. Sperabamus tamen fore, ut motus, ac tumultus, quos in Ecclesia Gallicana hoc sæculo tandiu excitavit, & quorum memoria sine dolore renovari non potest, omnino sedarentur Censuris Summorum Pontificum, quas & omnes Episcopi cum reverentia receperunt, ac executioni mandarunt, & auctoritas, pietasque Regis, ob ardentissimum pro Fide Catholica studium Primogeniti Ecclesiae Filii nomine dignissimi, amplexa, & tutata est. Causa tam solemniter finita, sperare licebat errorem pariter finiendum, ut S. Augustini verbis in simili occasione utamur. Sed maximo cum doloris sensu videmus, adhuc apud nos verari inquieti ingenii homines, & pacis inimicos, edique in lucem, ac disseminari Libros, quibus pax Ecclesiae turbari posset, ac diuturnæ, molestæque controversie; &

Commonit.
c. 32.

In Cox. 10. 5.

contentiones renovari, in quibus cohibendis, ac sedandis tanta experta difficultatem est. Talis est Liber inscriptus: *Exposition de la Foy touchant la Grace, & la Predestination*, idest, *Expositio Fidei de Gratia, & Prædestinatione*.

Nemo nescit, quos tumultus, quem fragorem excitaverint quinque famosæ Propositiones, ex Libro Cornelii Jansenii Ypensis Episcopi, cui titulus, *Augustinus*, excerptæ. Decennio ab ejus editione, octoginta quinque Galliarum Episcopi, cum in eo Propositiones animadvertissent jam a sancto Concilio Tridentino damnatas, quod & hominis libertatem nimis arctarent, Deique bonitatem angustis nimium finibus concluderent, ad Sedis Apostolicæ auctoritatem confugerunt. Qui tunc in ea sedebat Innocentius X. Constitutionem edidit pridie Kalendas Junii 1653. qua quinque illæ dicti Libri Propositiones juxta Censuram confixæ, atque damnatæ sunt. Primam illam Constitutionem Alexander VII. duabus aliis Constitutionibus explicuit, confirmavit, altera data 16. Octobris 1656. altera 15. Februarii 1667. qua Formularium continetur cujus subscriptionem imperabat: quod quidem cum eo, & sensu, & spiritu, convenit, quod a Cleri Gallicani Cætu anno 1656. editum fuerat.

Apostolicas illas Constitutiones, Episcopi, qua par erat reverentia, & animi submissio-
ne unanimiter receperunt: subsequutus est totius Ecclesiæ Catholicæ consensus. Hæc satis erant ad destructionem tam perniciosæ doctrinæ, cum maxime illius Auctor Jansenius Scripta sua Sedis Apostolicæ judicio, & Censuræ, imminente morte, ac supremæ voluntatis tabulis subjiciens, imitandum Discipulis suis dedisset exemplum. Verumtamen cum superbia, quamvis prostrata, semper extollatur, Hæresim in Libro recens edito reddivam cum dolore videmus, & quidem majore periculo, quod hujusmodi Liber, vernaculo conscriptus idiomate, a simplicibus, & imperitis, non minus quam a doctis legi potest.

Ut igitur officio nostro in re tanti momenti funderemur, Opus illud diligenter examinari curavimus, ipsique diu examinavimus, in quo nobis facile fuit venenum omne Janseniani Dogmatis agnoscere. Prima siquidem propositio, quæ velut origo est, ac fundamentum ceterarum (idest, quia justis, qui labuntur, gratia subtrahitur, sine qua nihil possumus) eo in Libro renovatur, & quasi Dogma Fidei obtruditur. Alias Propositiones damnatas, quas incognitus Auctor in Libro suo passim propugnat, sigillatim recensere non est opus; nec ostendere quam indigne S. Augustini, & quorundam aliorum Doctorum nominibus, & auctoritate abutatur.

Nullum aliud remedium est ad mali repullulantis radices excidendas opportunius, quam quo primum destructum est. Pontificiæ nimirum Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. perspicue sunt, facilis earum intelligentia, modo & ipsæ, & damnatæ per eas Propositiones in sensu obvio, quem ipsamet verba præ se ferunt, accipiantur. Hanc Regulam Episcopis Belgii, & Theologicæ Facultati Lovaniensi tradit Sanctissimus Pontifex Innocentius XII. (quem Deus multos annos conservet ad Christianæ Reipublicæ bonum, cujus vere Pater communis est) Litteris datis in forma Brevis die 6. Februarii 1694.

Viam inire non possumus tutiorem. Itaque Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. inhærentes, post maturam deliberationem, Sancto Dei Nomine invocato, Librum, cui titulus est, *Exposition de la Foy touchant la Grace, & la Predestination, imprimée à Mons chez Gaspard Migeot*, damnamus ceu continentem Propositiones falsas, temerarias, scandalosas, blasphemias, Deo injuriosas, ejusque bonitati derogantes, anathemate percussas, & Hæreticas respectivè, demum ut renovantem quinque Propositiones Jansenii, eo minus ferenda temeritate, quod Anonymus ille Auctor non modo asserere audeat, ut dogma Fidei, quod tale revera non est; verum etiam quod Fides execratur, & quod universa detestatur Ecclesia.

Nec alias tamen Propositiones hoc Libro contentas approbamus, cujus lectionem prohibemus sub pœna excommunicationis, aliisque de jure. Mandamus sub iisdem pœnis, ut dicti Libri exemplaria in Nostri, aut Vicariorum nostrorum Generalium manibus deponantur, nihil omitturi, quod Pastoralis nostri sit officii, ut doctrinam hoc Libro contentam, ac renovatam penitus extingui, & supprimi curemus.

Nè vero bonum semen cum zizaniis eradicetur, postquam eorum errorem deteximus, qui doctrina gratiæ abusi sunt, ex ejus efficacia consecraria quædam erronea inferentes, officii pariter nostri esse ducimus de tanti momenti argumento Clerum, Populumque Christianum curæ nostræ a Spiritu S. commissum, quæ necessaria sunt, edocere. Id præstabitur, sepositis difficilioribus, & quæ Scholam spectant, Questionibus, satis habentes ex Scriptura sacra, Conciliis, & SS. Patribus haurire documenta, quæ pietatem illuminare, & fovere, non curiositatem exercere, & contentiones excitare valeant.

Jacobi 1. 17.
Philipp 2. 13.

Nemo Christianus est, qui credere non teneatur, sine gratia Christi nos in salutis negotio nihil posse. Pix cogitationes, sanctæ operationes, *Omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum . . . Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere*, ut expresse docet Apostolus. Deicere igitur, ac humiliare nos debemus coram Deo, intuitu impotentiae nostræ; in spem vero, ac fiduciam animos erigere, consideratione bonitatis omnipotentissimæ Christi Jesu. Quantumvis ex nobis ipsis infirmi, & imbecilli simus, qualemcumque a nobis vitæ integritatem, ac perfectionem Deus postulet: nobis tamen *impossibilia non jubet; sed jubendo monet & facere, quod possimus, & petere, quod non possimus; & adjuvat, ut possimus*. Igitur, qui indiget sapientia, eam a se ipso non expectet, ut superbi Philosophi; sed postulet a Deo, ut petierunt semper humiles Ecclesiæ filii.

Concil. Trid.
Sess. 6. c. 11.

Auctoritates
Sedis Apost.
post Ep. 1. S.
Cælestin. Pa-
pæ I. ad Epi-
scopos Gal-
liæ, cap. 8.

Luc. 11. 1. &
& seq.

Sapiens illa, & pia Mater a Spiritu Sancto directæ, precibus suis, ad normam Orationis Dominicæ compositis, & gratiæ necessitatem, & medium quo potest obtineri, nos edocet. Hanc a primis temporibus invariabilem regulam sancti Patres tradiderunt, Legem orationis statuere legem fidei; & ut recte intelligatur, quod credimus, attendendum esse, quid petamus. *Ut legem credendi lex statuat supplicandi*. Ad sanctum Altare postulamus, & precamur, non solum ut infideles credere, peccatores ad Deum converti, boni perseverare in iustitia possint; verum etiam ut illi reipsa ab erroribus suis resipiscant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut iustis perseverantia usque in finem donetur. Non solum igitur *possibilitatem*, sed etiam *effectum* postulamus; quod ut inutiliter non fieri demonstraretur, cum sanctis illis orationibus felix datur exitus, gratiarum actiones memoris, piique, animi affectu ceu pro singulari beneficio referuntur. Quamobrem cœlestis Magister supplicantibus Apostolis, ut eos orare doceret, omnem in eorum persona erudire volens Ecclesiam, ab illo nos petere docet, ut nomen ejus in nobis revera sanctificetur, vitæ nostræ morumque integritate, ac sanctimonia; ut regnum ejus, cui omnia subdita sunt, quamprimum adveniat; ut voluntas ejus in nobis, sicut in cœlo, impleatur; & ut panis noster quotidianus, idest, necessarium animabus, & corporibus alimentum, ejus liberalitate, ac munificentia nobis detur.

Quemadmodum vero supplices ab illo petimus bona, quibus indigemus, precamur etiam, ut nos liberet a malis, quæ formidare debemus; obsecramus, ne unquam tentationi succumbere nos permittat, & ut nos liberet a malo, idest, a peccato, quod unum verum malum est, malorumque fons, & origo ceterorum, nos in perpetuum tempus defendat. Donum perseverantiæ usque in finem liberatio illa complectitur, ut probat hæc ratio, quam Ministris suis suggerit, omnibusque Fidelibus proponit Ecclesia in sacra Communionem fundendam: *Fac me, Domine, tuis semper inharere mandatis, & a te nunquam separari permittas*.

Petrus Diac.
lib de Incar.
& Grat.
Christi, ad
S. Fulg. cap. 8.

His in supplicationibus Oriens cum Occidente concordat, decemque, & amplius prætere-riæ sæcula, ex quo Gratia Defensores hanc orationem protulerunt ex Liturgia S. Basilii adscripta: *Domine virtutum, malos, quasumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, & non est, qui contradicat tibi: cum enim volueris salvas, & nullus resistit voluntati tuae*.

S. Ber. Lib.
De Grat. &
lib. arbitr. c.
11.
S. sal. 36. 21.

Hæc divinæ voluntatis in nobis operans omnipotentia, istam sacrificii orationem pariter inspiravit: *Nostras etiam rebelles ad te compelle propitius voluntates*. Non quod justificemur, & salvemur inviti, sed quod Deus voluntates nostras ex rebellibus subditas, & obedientes faciat, in illisque amorem boni, quod prius oderant, operetur. Et dum de malo mutat voluntatem in bonum, transfert, dirigit, perficit, non aufert, vel cogit libertatem, ut loquitur S. Bernardus. Gressus hominis Dominus dirigit, faciendo, ut viam ejus libere ineat. *Apud Dominum gressus hominis diriguntur, & viam ejus volent*. Deus ad se trahit animam, faciendo ut trahentem liberrima electione sequatur.

1. Cor. 6. 1.

Nemo igitur sibi fingat, efficacia gratiæ humanam destrui libertatem, aut libertate hominis gratiæ vim, & efficaciam enervari. Quis credat difficile esse Deo, qui condidit hominem liberum, facere, ut libere agat, ejusque voluntatem præparare, & adjuvare, ut, quod sibi gratum est, eligat? Scriptura sacra, Traditio, ratio ipsa nos docent, potestatem omnem, ac vires, quas ad bonum habemus, a Deo nobis tribui, & a bono faciendo nos abstinere seu declinare posse, propria experientia cognoscimus. Quin etiam sæpius constringit, ut gratiis a Deo nobis collatis actu resistamus, easque *in vanum recipiamus*. Sed quantacumque potentiam sentiamus in nobis dissentienti Gratia Dei, etiam efficacissimæ, Deum omnipotentem esse Fides docet, & consequenter ex nostra voluntate, & per nostram voluntatem facere posse, quod ipse voluerit. Cum ergo placet omnipotenti misericordiae Jesu Christi vocare nos ea vocatione, quam *secundum propositum*, idest decretum voluntatis ejus, Apostolus vocat, ipsi mortui vocem ejus audiunt, & sequuntur. Funiculi, quibus gratia ejus nos trahit, tam suaves, & amabiles no-

Rom. 8. 28.

bis videntur, quam graviora, & pudenda nobis sunt vincula peccati: *Atque inspirata gratia suavitate per Spiritum Sanctum facit (Deus) plus delectare, quod precipit, quam delectat, quod impedit.*

Hinc gratiæ cum libero arbitrio concordiam, & liberi arbitrii cum gratiæ cooperationem quodam modo intelligere possumus. *Gratia liberum excitat arbitrium (inquit S. Bernardus) cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducatur ad actum; & consentit voluntas, & gratiæ cooperatur, motum ejus sequens. Ita quod primo a sola gratia in voluntate coeptum est pariter ab utraque perficitur, simul, non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indivisivo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.*

Tanta efficacia sanctas Orationes Deus nobis inspirat quanta efficacia bonâ opera in nobis operatur. Cum S. Paulus ait: *Spiritum Sanctum postulare pro nobis*, seu in nobis orare, id ita interpretantur SS. Patres, quod orare, & postulare nos faciat, *impartito salubriter orationis affectu, & effectu*: & Ecclesia hanc edocta veritatem, his verbis Deum precatur: *Ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita postulare.*

Deus igitur tanta potestate nos facit orare, quanta potestate bona opera in nobis, & per nos operatur. Media penes se habet certissima, quibus det nobis perseverantiam in oratione, ut nos impetrare faciat perseverantiam in sanctitate vitæ. Beneficia gratiæ suæ ante omnia tempora præcivit, prædestinavit, præparavit. Novit etiam, quibus ea æterna misericordia, & amore gratuito præparabat. Hoc ponendum imprimis fundamentum est, nullam esse in Deo injustitiam, neminemque hominem altitudinem incomprehensibilem consiliorum ejus scrutari debere. Quicquid in nobis est boni, a Deo est; quicquid mali, nobis unice imputandum. *Cum Deus coronat electorum suorum merita, nihil aliud coronat quam munera sua*; nec reprobos damnat, & punit nisi ob eorum peccata, in quæ velut causam unicam eorum perditio refundenda est. Hinc discimus nos concurrente cum gratia, humili, ac fideli cooperatione, totum opus salutis nostræ cum SS. Cypriano, & Augustino, tribuere Deo debere: *Ut totum detur Deo*. Nosque summa fiducia sortem nostram ejus committere debere bonitati, cum eodem S. Augustino certissime persuasum habentes, quod *Tutores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

Verum ne hæc fiducia, hæc omnis sollicitudinis nostræ in Deum projectio nobis persuadeat nihil nobis in salutis nostræ negotio agendum; siquidem S. Petrus docet, *Satagere nos debere, ut per bona opera certam nostram vocationem, & electionem faciamus*; & S. Paulus ad curendum nos hortatur, ut præmium æternum promereri, & consequi possimus: *Sic currite, ut comprehendatis*: & S. Augustinus asserit, nos etiam ipsam obediendi perseverantiam a Deo sperare debere, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendū considerare nos non esse a prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc, ut faciamus, ipse largitur. Spes igitur, & oratio nostra pignora sunt bonitatis ejus, & magno sunt argumento, quod nos non deserat. Atque id etiam fiduciam nostram sustentare debet, quod *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*. Concilii Tridentini verba sunt. Idque pluribus ante sæculis Concilium Araucanicum secundum definiverat: *Hoc etiam, inquit, secundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes Baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Hæc sunt, quæ Fideles scire debent de magno illo Prædestinationis Mystério, cujus in contemplatione defixus ita obstupuit, seque ipsum humiliavit Apostolus Paulus. Cetera vero spectari possunt, ut profundiores, difficilioreque partes incurrentium *Questionum, quas sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.*

Abstulit vero, ut sanctos Patres, qui sancta illa Dogmata nobis tradiderunt, & præsertim S. Augustinum, modum in his excessisse quisque sibi fingat: cum e contra Summi Pontifices asserant: *Nunquam hunc sinistra suspicionis saltem rumorem aspersisse, quoad doctrinam, ab eorum Antecessoribus semper approbatam*. Tantum abest, ut in postremis suis Libris, quibus inimici gratiæ maxime commoti sunt, a veritatis tramite exorbitaverit, ut ex iis potissimum eruditus Pontifex Hormisdas disci voluerit, *Quid de arbitrio libero, & Gratia Dei, Romana (hoc est Catholica) sequatur, & asseveret Ecclesia.*

Hæc verba sancti Pontificis, quæ antiqua Synodus Confessorum propter fidem in Sardinia exulum iis olim opposuit, qui in errorem lapsi erant, digna sunt, quæ his temporibus repetantur, cum Beatissimus Pontifex Innocentius XII. nos S. Augustinum pariter audire moneat, *Cujus doctrinam (inquit) secundum Prædecessorum nostrorum Statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia.*

Hæc sana est de Prædestinatione, & Gratia Jesu Christi doctrina: cujus præcipuus fructus

S. August. l. De Civitate, c. 17. & Litterar. c. 29.

S. Ber. lib. De Grat. & Libertate. c. 14.

Rom. 8. 26. S. Aug. Epist. 197. alias 105 ad Sixtum, c. 6.

S. August.

Lib. De Domino persever. c. 6. n. 12.

1. Petri 1. 19.

1. Cor. 9. 24. Lib. De Domino persever. cap. 27. n. 6.

Seff. 6. c. 17. Conc. Arauc. c. 2. Can. 25.

Autoritates Sedis Apostolicæ post Ep. S. Celestini ad Episcopos Galliarum.

Ep. 70 ad postfessorem Episcopum.

Breve ad Facult. Th. cl. Lovan. 6. Februarii 1694.

Joan. 15. 5.
Phil. 4. 13.
Rom. 5. 5

fructus esse debet, ut Fidelibus humilitatem, & vigilantiam Christianam inspiret, ut ea doctrina imbuti propriam infirmitatem timeant, & ad officia sua attentius, & studiosius implenda excitentur. Ex ea intelligent, se sine Christo *Nihil posse facere*: sentient simul se *Omnia posse in eo, qui illos confortat*. Timorem eorum sustentat fiducia, & his virtutibus disponitur anima ad Dei amorem, quem *Spiritus-Sanctus in cordibus nostris* cum gratia *diffundit*, quæ in delectabili hujus amoris inspiratione præcipue posita est. Huic amori timor pœnarum æternarum viam præparat. Hujus amoris inchoatio corda conversioni aperit, perfectio in vita meliore confirmat. Amore Dei virtutes omnes animas subeunt, in illisque perficiuntur; falsæ Moralis Principia dissipantur, siquidem amor, & lumen infert, quo officia nostra cognoscamus, & fervorem, quo impleamus. Hoc amore fit, ne homines quærere pergant excusationes in peccatis; inter illas porro tam inanes excusationes, quibus amor proprius infirme sustentatur, nulla perniciosior est ea, qua obligatio diligendi Deum, quod omnium officiorum hominis prius, & principalis, ut justius, & amabilius est, excutitur.

Concionatores, & Confessarios adhortamur, illisque præcipimus auctoritate Spiritus-Sancti, qui Nos Pastores constituit ad regendam Ecclesiam Dei, ut sanctæ, quam ipsi proponimus, doctrinæ fideliter adhæreant: siquidem omni ex parte ex Scriptura Sacra deprompta, ipsisque Sanctorum verbis a Sancta Sede, & ab Ecclesia Catholica receptis, ac probatis expressa: in Domino confidentes, fore, ut qui alio animo scripserint, non expectent suorum castigationem errorum, pœnasque a nobis infligendas, si in illis perseverent, sed præveniant, ad sanam doctrinam redeunt.

Atque, ut hac in re Sanctissimi Patris, Summiq; Pontificis Innocentii XII. sapientem agendi rationem imitemur, cujus nobis exemplum proponimus; nihil reliquum est, nisi ut secundum Brevia Sanctitatis suæ jam laudata, omnibus Nobis subditis injungamus, ne quis ulla ratione vaga ista, & invidiosa Jansenismi accusatione ad quempiam infamandum utatur, nisi aliquam ex Propositionibus damnatis viva voce, aut scripto docuisse convictus sit. Pro viribus, & Officio in eos animadvertemus, qui illarum doctrinam temere renovaverint, & contra Constitutiones Summorum Pontificum directe, vel indirecte loqui, vel scribere ausi fuerint: verumtamen non patiemur, ut homines auctoritate pariter, & charitate destituti, de fratrum suorum fide judicare præsumant, levibusque ducti suspicionibus eorum famæ detrahant. Novimus quam noxium sit Ecclesiæ, sinistris rumoribus facile credere adversus eos sparsis, quibus Deus pietatem, & doctrinam necessarias ad illius ministerium, ac utilitatem dedit: & pro viribus conabimur inquietorum hominum motus cohibere, qui ejusdem Ecclesiæ pacem perturbare possent, fidem ejus prava doctrina corrumpentes, aut unitatem, Ministrorum ejus dissensione scindentes: *Ut desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare*. Id olim Galliarum Episcopis sanctus Pontifex scribebat: id qui hodie tanta cum gratiarum, ac benedictionum affluentia nos regit, Belgicis Ecclesiis injungit. Tandem Curia nostræ Ecclesiasticæ Officiis mandamus, ut hujusce Constitutionis nostræ executionem urgeant, eamque ad valvas templorum hujus Urbis, & suburbiorum, & ubicumque opus erit, affigi curent. Datum in Palatio nostro Archiepiscopali die 20. Augusti, anno millesimo-sexcentesimo nonagesimo-sexto.

S. Cælestinus
I. Ep. ad Epi-
scopos Gal-
liæ.

Signatum, LUDOVICUS ANTONIUS,
Archiepiscopus Parisiensis.

De Mandato Illustrissimi, ac Reveren-
dissimi Domini Archiepiscopi:
CHEVALIER.

ILLUSTRISS. ET REVEREND. ECCLESIAE PRINCIPUM .

CAROLI MAURITII LE TELLIER Archiep. Ducis Rhemenfis , LUDOVICI ANTONII DE NOAILLES Archiep. Parisiensis , JACOBI BENIGNI BOSSUET Episcopi Meldensis , GUIDONIS DE SEVE Episcopi Atrebatensis , & HENRICI FEYDEAU DE BROU Episcopi Ambianensis .

AD SANCTISSIMUM D. D.
INNOCENTIUM PP. XII.

Contra Librum, cui titulus est: *Nodus Prædestinationis dissolutus*, Auctore CÆLESTINO S. R. E. Presbytero Cardinali SFONDRATO, Typis mandatum Romæ anno MDCXCVI.

BEATISSIME PATER.

Episporum est sine personarum acceptione detegere errores, qui quo altiore loco se attollunt, eo graviore ictu conterendi. Itaque ad Apostolatam vestrum deferre cogimur Propositiones istas: primam, *Quantum ex parte Dei est, omnes dilecti: omnes ad vitam æternam, aut aliquid quod vita æterna melius sit (ut de infantibus Baptismo non tinctis postea dicemus) destinati*. Hæc scripta reperimus in Libro, cui titulus, *Nodus Prædestinationis dissolutus*. Neque enim metuimus, Beatissime Pater, ne, quia Eminentissimum Cælestinum Sfondratum, tot egregiis dotibus commendatum, ut ferviret Ecclesiæ, ad tantam dignitatem provexistis, idcirco illius quoque ignoscatis erratis, quæ ad Ecclesiæ fidem labefactandam pertinerent: immo vero scimus, Vestram Sanctitatem, ut veritati, & Ecclesiæ ferviat, nullius nomini parcituram, ac magis peccaturos nos, si necessaria taceamus.

P. 1 §. 1. n. 2.
2. P. 14.

Sane faveamus licet optimi viri memoriæ, ingenio, & elegantia, tamen obstupuimus ad inauditas voces. Sed cum Auctor ad alios nos remittat locos, ubi de infantibus sermo sit, ad eam tandem partem legendo devenimus, in qua hæc sunt posita: *Parvulus quod attinet qui sine Baptismo deest, cœlesti quidem regno, quasi paterna culpa reos, nec expiatis exclusit. Non exclusit tamen naturalibus bonis (beatitudine scilicet naturali; quod primum annotamus) & a peccato præservavit; æternoque supplicio, quo, si adolescerent, puniendi essent: cum sola (inquit) præservatio a peccato (quam semper supponit in parvulis originali licet vero, magnoque peccato inquinatis) pluris valeat, majorisque pretii sit, quam regnum ipsum cœlesti. Quasi major res sit tantum carere malis, quam æterna vita, Deoque ipso perfrui. Quæ tam absurda, tam vana sunt, ut Christianæ aures ferre non possint.*

Ib. n. 23 p.
43.

Quo magis legendo processimus, B. P. eo pejora occurrebant: qualia profecto hæc sunt: *In hac parvulorum causa considerandum est, licet Deus ad cœlestem gloriam eos non admiserit, alio tamen, multoque majori Beneficio affectisse, quod illi ipsi longe cœlo prætulissent, & nos quoque si electio daretur, multo majoris pretii quam cœlum duceremus. Unde concludit: Ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, sed magis gaudendi, gratesque agendi causa est; ut profecto parentibus Christianis parvulos suos amittentibus sine Baptismi gratia, non luctus, ut fit, sed gratulatio indicenda sit: ipsi vero parvuli, tanti licet Sacramenti exortes, lætis magis vocibus quam lacrymis prosequendi videantur.*

Hæc quidem sufficerent ad condemnationem tam inauditæ novitatis; sin autem responderi volunt Auctoris ratiociniis ex parvulorum innocentia, ut vocat, personali repetitis, de his quidem mox viderimus, si Vestra Sanctitas permiserit: rogamus interim, Te teste, Te iudice, Beatissime Pater, ecquid in Fidei Quæstionibus ratiocinia sine Scripturis, ac traditione valeant? Cum Propheta clamet: *Ad legem magis, & ad testimonium*, ad traditionem, ad Patres: ne, si tu, Theloge, quisquis es, aliquid Evangelicæ prædicationi addideris, quacumque dignitate fulgens, quocumque hominum præsidio fretus, sis licet Apostolus, sis licet Angelus, ab alta Petri Sede tamquam e cœlo feriaris, ac sermones tui anathema fiant.

Ifai. 8. 20.

Et tamen illa subtilium argumentorum inventa videamus, ipsumque erroris recludamus fontem. Nempe, inquit, actualibus cum venialibus, tum etiam mortalibus peccatis subduci, regno est potius, atque ut verbis clarioribus Auctoris utamur, *Innocentia personalis donum, & immunitatis a peccato tantum est, ut ipsi parvuli millies cælo carere mallent, quam vel uno peccato involvi: nullusque Christianorum est, cuius non idem votum esse debeat: quod est vanissimum.* Neque enim, si vetuit Apostolus ne faciamus mala, ut veniant bona, ideo prohibere possumus Deum, quominus ex permissis peccatis pro sua excellentissima potestate majora bona eliciat, quam ea, quæ ante peccata futura erant: neque propterea peccatis delectamur, absit; sed eidem Apostolo dicenti credimus: *Ubi abundavit delictum, superabundasse, & gratiam.* Nempe ex peccatis meminimus tantam gratiæ accessionem factam, ut etiam eorum occasione Christum habeamus. Nec si Petrus e lapsu evasit humilior, ac deinde fortior, atque felicior; ideo liceat nobis peccatum innocentia; sed uberiores post peccatum gratiam minori anteferre Deique omnia mala vertentis in bonum exluperantissimam prædicare bonitatem.

Rom. 5. 20.

1 Pet. 59. 5.

De his ergo argutiis, Beatissime Pater, salva reverentia Vestrae Apostolicæ Sanctitatis, id merito dixerimus: *Telas aranea texuerunt:* quibus imbecilles animæ caperentur. Neque enim quod peccatum toto animo horreamus, ideo invidere debemus, aut Deo liberalitatem suam, aut nobis felicitatem nostram: nec prohibere quis possit, quominus cum Ecclesia concinamus lætum illud, ac faustum: *Felix culpa! & O vere necessarium Ad peccatum!*

Nod. diff. 1
n. 13 & 23. p.
45. & 110.Conc. Araus.
11 c. 2. Trid.
Sess 5. can. 2.

Sess 5 cap. 3.

Hæc vera, hæc pia sunt, nec ex recentioribus novæ pietatis ducta commentis, sed ex veris fontibus Christiani, Apostolicique spiritus. Quod autem toties parvulis *immunitas a peccato*, ipsaque adeo innocentia tribuatur, intolerabile credimus: vanaque erroris excusatio est, quod illa *innocentia* novo, atque ambiguo nomine *personalis* vocatur. Neque enim parvulorum persona innocens est, *ad quam peccatum ipsum, quod est mors anima, transit*, ut est in Arausiano II. ac postea in Tridentino Concilio definitum: non, inquam, persona innocens est, eo quod careat peccatis propria voluntate contractis: immo vero peccatrix, quæ sub ira Dei, atque in potestate tenebrarum nascitur; quæ exorcismis exufflatur; quæ aqua mundatur: valetque omnino illud, quod a Sancto Augustino Synodus Tridentina deprompsit, Originale peccatum non utique nobis esse extraneum: immo ut *origine unum, ita propagatione unicuique esse proprium:* nec nisi inhærente, & propria sanctitate purgandum.

Ib §. 2. n. 16 p.
164.§. 1. n. 23. p. 118
§. 2. n. 16. p. 164

Ejicite ergo, Beatissime Pater, ex Ecclesia Dei, cui pari integritate, ac potestate præsidetis, degeneres mollesque sententias, quæ pietatis specie vim ipsam pietatis infringunt. Neque enim dissolvit, sed implicat nodos, qui humanis affectibus, exilibusque argutiis magis, quam Ecclesiæ traditione ducitur. Nec semel dixisse contentus, eundem errorem inculcat magnificentioribus verbis: cum dona collata parvulis sine Christi Sacramento decedentibus, *ad Christi merita, ac redemptionem pertinere*, asserit: ut hinc quoque, vel maxime redempti parvuli censeantur, quod Sacramenti redemptionis expertes, nulla in Redemptoris regno, & corpore parte sint: quo quid absurdius, & in Redemptorem ipsum contumeliosius dici possit, nos quidem non videmus. Quo loco idem Auctor hoc etiam addit: Non damnari parvulos: quippe qui propter alienum nec personale peccatum damnari non possint. At quis hæc docuit? Non certe Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. non Florentinum sub Eugenio II. quorum, hæc fides est, hæc definitio: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos.* En quo, en quibuscum descendant: qui natura filii iræ, exosi, & invisi, cum ceteris damnatis ad infernum intruduntur: quos tamen Auctor noster non damnari docet, quasi aliud sit damnari, quam ad infernum descendere. Insuper, si Deo placet, patriæ exilium, favori, & gratiæ iram, denique ipsi cælo infernum anteposit: usque adeo summisima permiscet.

To. 1. Theol
Dog. 19 c. 10
& 11. Vind.
Aug. c. 3. §.
5. a p. 5. ad 84.
rom. 31. 6. c. 2.

Quod vero damnari negat, qui a pœna sensus hoc est, ab ignis æterni cruciatu, passim immunes habeantur: quid ad nos, qui ea de re non contendimus? Consulant, qui voluerint, doctissimum Dionysium Petavium: consulaat in primis Eminentissimum Henricum Norisium, a vestra Sanctitate insignis doctrinæ merito, Christiano orbe applaudente, ad summa quæque provectum: nos quidem hæc prætermittimus, ac Theologis disputanda relinquimus. Quam autem sit immanis error, ab inferno, ac damnatione absolvere parvulos sine Christi Sacramento defunctos, Cardinalis Bellarmini verbis malumus quam nostris dicere: qui quidem ex prædictis, aliisque decretis hanc sententiam, ab Ambrosio licet Catharino, aliisque defensam, non modo falsam, sed etiam hæreticam existimandam esse concludit: & contra, *Fide Catholica tenendum*

parvulos sine Baptismo decedentes absolute esse damnatos: nec sola cœlesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuo carituros, qui nempe sunt, eruntque semper aversè habitualiter a Deo: deguntque, ac semper degent in carcere inferno! ex Concilii Lugdunensis Oecumenici decretis in Concilio Florentino repetitis: Ecclesia Orientali una cum Romana, & Occidentali in unam fidem concinente. Ex his igitur, aliisque decretis, teste Bellarmino, illi parvuli sub potestate diaboli in carcere inferno degunt, loco, inquit, horrido, ac tenebricoso: quod quid est aliud, quam projici cum damnatis in horrendas illas exteriores tenebras, & ibidem esse sub potestate tenebrarum, quarum id regnum est?

De affectibus vero illis, quos pios vocant, juvat eundem Bellarminum audire, hæc sancte, & graviter differentem: *Nihil prodesse parvulis jam defunctis misericordiam nostram, & contra nihil eisdem obesse nostræ sententiæ severitatem: multum autem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas, aut Ecclesiam defendamus. Idcirco non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scriptura, Conciliorum, & Patrum sententiam consulere, & sequi debemus.*

Atque abuisse quidem a celeberrimo Sfondrato Cardinali hanc pertinaciam, facile confidimus: ceterum tacere non possumus id, quod de sancto Augustino scribit: *Nunquam, scilicet, Augustinum hoc modo philosophatum esse, sed in causa parvulorum non nisi ad occulta Dei judicia provocasse.* Hæc ille de S. Augustino, quem in ipso Libri titulo suæ solutionis auctorem prædicabat. Et tamen postea ejusdem doctrinæ diffusus, ac plus tanto Doctore (absit verbo injuria) sibi sapere visus, hæc subdit: *Nec id ad Augustini institutum pertinebat, nec voluit ipse aliis adimere libertatem ea omnia dicendi, quæ deinceps opportuna viderentur: præsertim, inquit, adversus Calvinum, atque Jansenium:* quo sane prætextu ad nova, & inaudita quæque profiliunt. An enim si novi Auctores confutandi veniant, ideo nova quoque dogmata invehi necesse est in Ecclesiam? Nempe hæc, quod parvuli tam luctuoso puniantur exilio, non ad illa tremenda judicia, sed ad Dei gratiam potiorum referri oportere. Quæ profecto si ad nodum reprobationis parvulorum dissolvendum pertinerent, quo in loco explicando, Augustinus totus est non ab ejus instituto abhorrerent. Sed ille huic nodo non aliam solutionem offert, quam illud Apostoli: *Tu qui es?* & illud, in causa parvulorum toties repetitum: *An non habet potestatem figulus lutum ex eadem massa originis vitiatæ, atque damnatæ, facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Neque quidquam aliud in parvulorum, ac in tota prædestinationis causa, B. Augustinus aut quæsit, aut prompsit: immo aliud quærentibus id aperte significat, cui non ista sufficiant, ut quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptos.

Ib. paragr. 2. n. 25. p. 164.

Rom. 9. 20. 21.

Lib. de Spir. & Litt. c. 33.

Neque minus alienum est a Beati Doctoris sensu, quod illud Sapientiæ: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus,* transfertur ad parvulos. Illud enim de justis, ne a sua justitia recederent, esse prolatum, & locus ipse clamat, & B. Augustinus, aliique Orthodoxi omnes uno ore consentiunt; ad gratiam autem pertinere quod sine Baptismo rapiantur infantes in infernum carcerem devolvendi, tamquam eis subtracto Baptismo potior obventura sit felicitas, & gratia; non ipse Catharinus, non ipsi Pelagiani ausi sunt asserere: qui, cum iisdem parvulis, aut vitam æternam, aut naturalem assignent beatitudinem; non tamen eam qualemcumque aut vitam æternam, aut felicitatem regno præferendam putant.

Nod. Diss. p. 1. paragr. 1. nu. 23. p. 120. Sap. 10. 11. Lib. de Prædest. Sanct. c. 14.

Causa autem errandi hæc fuit, quod tanti Nodi dissolutor nequidem naturam, ac vim peccati originalis agnovit, atque etiam ex S. Augustino probare nititur, parvulis in præsentente vita cruciatis esse aliquid *bonæ compensationis quod in æterna vita reservet Deus: quoniam quamquam nihil boni fecerint; tamen nec peccaverint aliquid.* Quam quidem sententiam idem Cardinalis a B. Augustino in Epistola ad Hieronymum retractatam fateatur, *Non quidem ut erroneam, & falsam, sed tamen ut minus firmam, validamque.* Hæc quidem Sfondratus Cardinalis asseruit: nec legere voluit in eadem Epistola, nullam iisdem parvulis *compensationem cogitandam, quibus insuper damnatio preparata est: eamque esse Robustissimam, ac fundatissimam Ecclesiæ Fidem.* De Fide ergo est illa damnatio parvulorum, quam illi compensationi Augustinus opponit: de fide, inquam, est illa damnatio, quæ licet, Augustino teste, omnium mitissima, non tamen proinde sanctitati, ac æternæ felicitati anteferenda sit: neque ullum præsidium in illa est Epistola ad Hieronymum, quam Auctor dissoluti Nodi tanta confidentia proferebat.

Nod. Diss. p. paragr. 1. nu. 23. p. 118. S. Aug. lib. 2. de Liber. arb. c. 23. n. 68. Ep. 166. alias 23 cap. 7.

Idem alibi scripsit: *Fatendum, quia nunquam parvulis ante Baptismum sublati Deus vitam æternam voluit, istos ad alium finem, classemque providentiæ pertinere.* Quo loco perspicuum est, eundem Auctorem totius humani generis primæ institutionis oblitum. Quis enim Christianus negat, universam Adæ sobolem in eo ad æternam vitam fuisse

Nodi Diss. p. paragr. 1. nu. 13. p. 48.

fuisse ordinatam? Non ergo parvuli *ad alium finem, aut ad aliam classem providentia* revocandi sunt: sed plane ad communem creaturæ rationalis ordinem redigendi; ut nec sine Sacramento Redemptoris, vitam æternam, ad quam instituti erant, recuperare possint, nec ejus jactura sine certa, & justa damnatione mulctari.

Nod. Diff p.
1. paragr. 2.
n. 21. p. 152.

Hæc quidem sunt, quæ attinent ad parvulorum statum: pluribus superledemus, quibus quippe animus est ea promere, quæ magis ad exponendum, quam ad refellendum errorem necessaria videantur. Nunc ad alterum caput pergimus; nec veremur ne Parenti Optimo, atque Sanctissimo tædio simus, cui res maximas ejus Apostolico judicio decidendas, summa cum animi demissione subjicimus.

Alter ergo propositio sic habet: *Ut demus (Brasilienses, aliosque) ita ignorasse (Deum, hoc est, invincibiliter) id quoque magna beneficii, & gratia pars est. Quæ quidem, Beatissime Pater (liceat etiam nobis in optimi parentis sinum intimos animi nostri sensus deponere) non sine maximo dolore referimus. Sed sunt quæ magis doleant, nempe sequentia, quibus ista muniuntur. Cum enim, inquit, peccatum sit essentialiter offensio, & injuria Dei, sublata Dei cognitione necessario sequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam esse: reddique impeccabiles, atque ab æterna pœna prorsus impunes etiam parricidas, hospitem necatores, an portenta libidinum consecrantes; quos Deus tanta gratia, hoc est cecitate mentis, summaque sui ignorance donaverit. Quod quid est aliud quam peccatum ipsum Philosophicum ab Alexandro VIII. felicis recordationis antecessore vestro tanta perspicuitate damnatum? Hæc nempe ad Sineses solatia deferebant, quibus excecata gentis, ac de parentum suorum sapientia immensum gloriantis, superbiam demulcerent. Horum ergo gratia querebatur: An infideles præcepta naturalia transgredientes pœnas æternas mereantur: & negabant aliqui, quia ignorantia Dei, & Legislatoris a tam gravi pœna excusantur. Sic enim blandiebantur Sinesibus: at Sacræ Congregationis auctoritate Consultores rescribebant, procul dubio damnari eos, idque pœnis æternis, de quibus questio instituta erat, nec illam turpissimam ignorance Dei excusationem admittebant.*

Consult. &
Resp an.
1674. p. 24.
apud Illust.
Navarrete
Tract. 7. p.
503.

Alexander vero VIII. recentissimo Edicto die 24. Augusti 1690. decernebat hoc *Temerarium, piarum aurium offensivum, atque erroneum, si dicatur, Peccatum Philosophicum quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, esse grave peccatum, sed non esse offensam Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. Quo Decreto nihil sublevati sumus, si ab ipsa Urbe, a tanta dignitatis Viro portentosa doctrina non tantum ad Sineses, sed etiam ad omnes Reipublicæ Christianæ Provincias diffundatur. Sic enim duo invalerent: primum, ut essent omnino impeccabiles, qui summe, & invicte, si quidem id fieri posset, ignorarent Deum; alterum, ut ea ignorantia ad gratiam, non autem ad peccati gravissimam pœnam pertineret. Quæ duo ab errore defendi non possunt. Neque enim fieri potest, ut innocens Deo sit, qui extincta licet cognitione Dei, rectæ rationis, & conscientiæ lucem a Deo exorientem spernit. Neque item fieri potest, ut non sit contumeliosus in Deum, qui rectæ rationi, cujus Deus auctor, & vindex est, infert injuriam. De pœnarum vero per hanc ignorantiam sublata æternitate, quod sentiunt, non advertunt, pœnarum æternitas a qua radice profuat. Nempe, ut ait S. Gregorius Magnus antecessor vester: *Vellent mali sine fine vivere, ut possent sine fine peccare: quippe qui felicitatem, ac finem ultimum in prava delectatione defigunt. Neque vero quisquam est, qui non æternum esse velit id, quo se beatum putat. Inest ergo cuicumque mortali peccato quædam concupiscentiæ æternitas, atque (ut ita dicam) immensitas, cui profecto Deum tota sua infinitate, atque æternitate, ac sanctitate adversari necesse sit. Ergo mortale quodcumque peccatum, contra legem etiam naturalem, habet aliquid quod æternam iram provocet. Unde quocumque peccato rectam rationem læseris, exurgit ille ulcricis conscientiæ stimulus; ille vermis interior qui, teste Christo, non moritur; cujus adeo immortale virus, morsus indefessus, quod supplicii genus, qui extinguendum putat, Evangelio contradicit. Vermem autem illum profecto comitatur sempiternus ignis, a quo si impios illos exemeris, erit non modo parvulis, verum etiam adultis Deum nescientibus, a sempiterno igne seclusus assignandus locus, nec in sinistra erunt perditii, ac scelerati, qui Deum nesciunt, ejusque ignorance mulctati, nec a præteritis peccatis expedire se possunt, & in nova proruant. Non ergo impeccabiles, qui legem naturalem, quam sciunt, non impune contemnunt: nec, si vel maxime sint impeccabiles, id beneficii loco consequentur. Et si enim gratia est, non posse peccare in bona voluntate firmatos, non proinde gratia, sed peccati esset pœna gravissima, peccare non posse, eo quod ignorarent Deum, quo nihil est miserius, & æternæ damnationi propius.**

Lib. 34. Mor.
c. 10.

Marci 9. 43.

Hoc autem supplicamus, Beatissime Pater, ut perpendatis voces: *Ergo cum hac ignorantia impeccabiles redderentur alioquin certissime peccaturi si agnoscerent, sequitur hoc ipsum beneficium esse, juxta illud Apostoli: MELIUS enim erat illis non agnoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Hoc nempe supererat ad erroris cumulum, ut quia lege Dei, & gratia perverfi, & ingrati abutimur, subtractio legis, & gratiae, non poenae, quod semper Ecclesiae visum est, sed gratiae, & beneficio imputetur.

Nodus Diss.
ibid. p. 152.

2. Petri 2.

Quae mala inde proveniunt, Beatissime Pater, quod Scripturas divinas velut versatiles ad arbitrium flectant: quod cecis affectibus, & inanibus ratiunculis delectati, Patribus non auscultent, malintque comminisci falsa, quam tantis viris docendos se tradere. Quae nisi claro, certoque judicio ab Ecclesia Dei propulsetis, omnia collabascant: Romam, quod Deus avertat, suis favere, non modo adversarii, verum etiam pii saltem infirmi conclament: ac lascivia ingeniorum magis incitata, quam compressa esse videatur.

Sed hoc a vestris temporibus procul abesse, & vestri Pontificatus claritudo, & ab ore vestro per totam Ecclesiam pervulgatae voces docent. Itaque supplicamus, ut post illas praecipuas Propositiones, hanc quoque Sanctitas vestra dispiciat: *Post promulgatum Evangelium, an Fides explicita in Christum omnino necessaria sit, disputant Theologi: si tamen admittamus necessariam esse dicendum est, &c.* Quae a Christianorum Scholis longe abigenda sunt, ne sub dubio relinquatur, an sine Christi nomine credito, & invocato salvus esse quis possit, dicente Domino: *Qui credit in illum, non judicatur, medio justificationis invento: Qui autem, non credit, jam judicatus est: relictus ipse sibi,* nulloque novo judicio, propria, & precedente iniquitate merfus.

Nod. Diss.
paragr. 2. 69,
n. 19.

Joan. 5. 18.

Postremo, Pater Sanctissime, quod ad universi Libri pertineat scopum, illud vel maxime Apostolicae Sedi, quam Beatus illustras, insinuandum putamus, ne vestra sinat Sanctitas definitionem Praedestinationis infringi eam, quam vester Augustinus tradidit, ut nempe sit *Praescientia, & preparatio Beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Hanc enim definitionem Praedestinationis omnibus gentibus praedicandam idem Augustinus iterum, iterumque commendat. *Hac preparatione beneficiorum Dei fieri conficitur, ut omnes praedestinati singulari, & gratuita dilectione serventur, qui fons Christianae humilitatis, ac pietatis est.* Hujus praedestinationis veritatem semper fuisse in Ecclesia fide, ac de ea neminem unquam nisi errando disputare potuisse, & idem Augustinus affirmat, & sanctis Pontificibus Celestino, & Hormisda pronunciantibus, Ecclesia Romana suscepit: & nostro quoque saeculo Cardinalis Bellarminus, *Non ad opinionem, sed ad Ecclesiae Catholicae Fidem pertinere asserit.* Quam tamen Catholicam veritatem Nodi Dissolutor tacet, atque hujus praedestinationis definitionem immutat: supponit aliam Sancto Augustino ignotam, quae vim singularis, atque gratuita dilectionis, ac beneficiorum praeparationis obscurat. Quamvis enim eam non semel agnoscit, sic tamen rem involvit dictis, ut nihil magis vereri videatur, quam ne electos majori quam reprobos beneficio affectos esse constet, quod nec Molinae Sectatores inficiati sunt. Sic Ecclesiae Romanae de singulari, & gratuita dilectione electorum, aut omnino quatur, aut saltem vacillat fides: quae si Auctoris verbis affirmare nitimur, huc nempe totus liber transferendus fuit.

Lib. De Dog.
no persév. c.
14. 17. 20. 21.
23.

Lib. 1. De
gratia, & li-
bero arbitrio
c. 1. Nod.
Diss. 12. p.
paragr. 11. n.
14. p. 48. ib.
p. 106. 107-
108. 109. &c.

Neque plura memoramus, cum ea a vobis perpensa, & annotata, vestra egregia ad vicinos Belgas Decreta demonstrent. Nobis certe sufficit ad vestrum Apostolatam detulisse ea, quae veritatem laederent, ac Patrum laudare sententias, quas majore gratia de Petri Cathedra praedicatis.

Plures Episcopi subscripsissent, nisi pauci sufficerent, ut ne ambitiosius quam modestius agere videremur. Ceterum meminimus a San. Innocentio I. non modo Synodicas, sed etiam quinque Episcoporum litteras, paterno animo esse susceptas; atque ab Innocentio XII. paria expectari oportere, tanti Pontificis aequitas, ac paterna benignitas facile persuadet. Subscripsimus.

BEATISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRAE

Obsequentissimi, ac devotissimi servi, ac filii,
† CAROLUS MAURITIUS Arch. Dux Rhemenfis.
† LUDOVICUS ANTONIUS Arch. Parisiensis.
† J. BENIGNUS Episc. Meldensis.
† GUIDO Episc. Atrebatensis.
† HENRICUS Episc. Ambianensis.

Parisiis, VII. Kalendas Martii Anno 1697.

Et haec erat inscriptio: Sanctissimo Domino, Domino nostro INNOCENTIO Papae XII.

IX.

BREVE INNOCENTII XII.

Ad eosdem Archiepiscopos, & Episcopos.

INNOCENTIUS PAPA XII.

VENERABILES FRATRES, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Litteras vestras VII. Kalendas Martii proxime præteriti ad nos datas, grato animo accepimus. Ex iis enim vigilem, ac Sacerdotalem zelum, quo sacros Antistites in partem sollicitudinis nostræ vocatos flagrare maxime decet, in vobis vigere, vosque priscam erga hanc Sanctam Sedem, cui Nos, licet immeriti, præsidemus, debiti obsequii gloriam constanter retinere deprehendimus: dum antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores Disciplinae, ad locum, quem elegit Dominus, ascendistis, ac ea, quæ in libro posthumo bonæ memoriæ Celestini S. R. E. Cardinalis Sfondrati de divina Prædestinatione nuper edito, reprehensione digna vobis visa sunt, ad nostrum Apostolatum, eo ferme tempore quo variæ doctorum hominum de eodem Libro Sententiæ etiam per Urbem ferebantur, detulistis, nostrum hac in re iudicium ea, qua par est, reverentia deposcentes. Officii itaque nostri esse duximus, Librum ipsum, resque a vobis in eo adnotatas, insignium Theologorum discussioni committere, ut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, quod justum fuerit, subinde decernere valeamus, non alia profecto, quam crediti Nobis divinitus Ministerii partes, sicut oportet, implendi habita ratione: quod ut etiam in aliis omnibus, quæ ad onerosam Apostolici Muneris nostri curam pertinent, salubriter exequi possimus, jugibus Fraternitatum vestrarum apud Patrem luminum preceationibus, infirmitatem nostram juvari vehementer optamus, vobisque Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die sexta Maii, Pontificatus nostri anno sexto.

Signatum, MARIUS SPINULA.

Et hæc erat inscriptio: Venerabilibus Fratribus CAROLO MAURITIO Rhemenfi, & LUDOVICO ANTONIO Parisiensi Archiepiscopis; necnon JACOBO BENIGNO Meldensi, GUIDONI Atrebatensi, & HENRICO Ambianensi Episcopis.

I N D E X

CAPITUM , ARTICULORUM , ET RERUM ,

Quæ in hoc Tomo primo tractantur.

LIBER PRIMUS.

DE FIDE, ET SYMBOLO.

- Q**UÆSTIO I. DE FIDE. Pag. 1
 ARTICULUS I. Quid sit Fides? ibid. 1
 Fides Dei donum. ibid. 1
 Fidei lumen, certitudo, obscuritas. 2
 Ratio firmiter assentiendi veritatibus Fidei, est Dei revelantis auctoritas. 3
 ART. II. Quibus fundamentis, ac principiis Fides nitatur? 5
 §. I. Duplex Fidei principium, ac fundamentum, Scriptura sacra, & Traditio. ibid. 5
 §. II. Qui libri Sacri? 6
 §. III. Scripturæ sacræ Versiones. 7
 §. IV. Scripturæ sacræ Interpretatio. ibid. 7
 §. V. Unde Traditio innotescit? 8
 ART. III. De Fidei necessitate ad salutem. §. i. 9
 §. II. Fides ad salutem necessaria, non est singularis fiducia, qua quis credat sibi remissa esse peccata: aut se esse prædeterminatum ad vitam æternam. 9
 ART. IV. Nullum opus æternæ vitæ meritum sine fide fieri potest. Nec tamen omnia opera Infidelium sunt peccata. 12
 Quo sensu omne, quod non est ex Fide, peccatum sit? 13
 ART. V. Fides sine charitate esse potest. 17
 Quid fides formata, quid informis? ibid. 17
 ART. VI. Fidei capita sunt evidenter credibilia. 19
 Quæ sunt motiva credibilitatis? ibid. 19
 Christianæ Religionis veritas. ibid. 19
 QUÆSTIO II. DE SYMBOLO FIDEI. 26
 ART. I. Quid, & quotuplex sit Symbolum Fidei, & quot ejus Articuli? ibid. 26
 ART. II. Quo primus Apostolici Symboli Articulus explicatur, CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM COELI, & TERRÆ. 29
 §. I. Quæ sit vis istius verbi; CREDO? ibid. 29
 §. II. IN DEUM. 32
 §. III. Quid sit discriminis inter CREDERE DEO, CREDERE DEUM, ET CREDERE IN DEUM? 34
 §. IV. Unus tantum Deus credendus est. ibid. 34
 §. V. Quid de divinis Perfectionibus doceat Fides? 36
 §. VI. Dei simplicitas. ibid. 36
 §. VII. Deus immutabilis. 37
 §. VIII. Deus æternus. 38
 §. IX. Deus immortalis. ibid. 38
 §. X. Deus immensus. Ubique est. ibid. 38
 §. XI. Scientia Dei infinita. 40
 §. XII. Præscientia Dei non officit humanæ libertati. 41
 §. XIII. Deus summum Bonum. 42
 §. XIV. Deus summe Misericors, & Justus. ib. 42
 §. XV. Deus neminem deserit, reprobat, & damnat sine malis meritis. 43
 §. XVI. Ex divinis Perfectionibus nonnulla colliguntur documenta ad Morum informationem. 45
 §. XVII. Deum unum in Essentia, Trinum in Personis, Fides Catholica confitetur. 50
 §. XVIII. Imago SS. Trinitatis in nobis reformanda. 52
 §. XIX. PATREM. Quo sensu nomen Patris hic sumatur? 54
 §. XX. OMNIPOTENTEM. De Omnipotentia Dei. 58
 §. XXI. Dei Voluntas efficacissima est, semper impletur, si absoluta sit, nullaque ex conditione suspendi velit, quem intendit effectum. 60
 §. XXII. Cur omnes homines non salventur, cum Deus omnium salutem velit, si voluntas ejus semper impletur? 61
 §. XXIII. Vis efficacissima divinæ Gratiæ ex Dei Omnipotentia derivatur. Quid de Gratia credendum? 65
 §. XXIV. Gratia non datur secundum merita. 68
 §. XXV. Gratia ad singulos actus datur. ibid. 68
 §. XXVI. Gratia ad conversionem peccatoris necessaria. 69
 §. XXVII. Gratia necessaria ad vincendas tentationes. 70
 §. XXVIII. Gratia necessaria ad Deum super omnia diligendum. ibid. 70
 §. XXIX. Gratia necessaria ad servanda Dei Mandata. 71
 §. XXX. Gratia necessaria ad initium boni operis, & Fidei. 72
 §. XXXI. Singularis Gratia ad perseverandum necessaria. 73
 §. XXXII. Vis omnis merendi bonis operibus ex Gratia Christi est. 74
 §. XXXIII. Liberum arbitrium Gratiæ cooperatur. 75
 §. XXXIV. Gratia efficax, & sanctificans non datur omnibus. ibid. 75
 §. XXXV. Gratia efficax libertati non officit. 76
 §. XXXVI. Totum Deotribuendum. 77
 §. XXXVII. Fidei in Deum Omnipotentem utilitas. 78
 §. XXXVIII.

- §. XXXVIII. CREATOREM COELI, ET TERRÆ. 71
- §. XXXIX. Quid de Angelis sentiendum? 81
- §. XL. Angeli in Gratia conditi. 82
- §. XLI. Sanctorum Angelorum pugna cum malis. Quodnam istorum peccatum? 83
- §. XLII. Mali Angeli in Infernum detrusi. 84
- §. XLIII. Varii BB. Angelorum Ordines. ibid.
- §. XLIV. Angelus Custos cuique homini a Deo prepositus. 85
- §. XLV. De Hominis Creatione. Homo creatus immortalis. 86
- §. XLVI. Homo ad imaginem Dei conditus. In quo sita sit divinæ imaginis ratio? 87
- §. XLVII. Primus homo in Gratia, & Justitia originali creatus. 88
- §. XLVIII. Primi Hominis lapsus. 89
- §. XLIX. Deus hominem extra statum Gratiæ, & Justitiæ originalis creare potuit. 90
- §. L. Fructus ex Hominis creatione colligendi. 91
- §. LI. Deus omnium Conservator, ac Rector est. Providentia illius vindicatur. 93
- §. LII. Providentiæ divinæ argumenta. 95
- §. LIII. Mala divinæ Providentiæ non repugnant. Neque ipsa peccata. 96
- §. LIV. Divinæ Providentiæ non repugnant prosperitates impiorum, & adversæ res Justorum. 97
- §. LV. Peculiari quadam, ac præcipua Providentia Deus Electos suos regit. Quid de Prædestinatione sentiendum? 100
- §. LVI. Æterna Electio sine meritis; salus ex meritis. 103
- §. LVII. (rursus) Quamvis certa Prædestinatione sit, sua tamen cuique salus cum metu, & sollicitudine procuranda est. 105
- §. LVIII. In nullo gloriandum. 108
- §. LIX. Fides, Gratia sanctificans, & Charitas, plerisque reprobis a Deo retribuuntur. 109
- §. LX. Fides, & Justitia possunt amitti. 112
- §. LXI. Perditio reproborum ex ipsis est, non ex Deo. ibid.
- ART. III. Quo Symboli Apostolici Articulus alter explicatur. ET IN JESUM CHRISTUM FILIUM EJUS UNICUM DOMINUM NOSTRUM. 112
- §. I. Quam necessaria sit, & utilis hujus Articuli Fides. ibid.
- Christus Mediator. ibid.
- §. II. ET IN JESUM ! De Nomine Jesu. 112.
- §. III. CHRISTUM. Cur Nomini Jesu, Christi nomen addatur? CHRISTUS Prophetas, Sacerdos, & Rex. 121
- §. IV. FILIUM EJUS UNICUM. CHRISTUS verus Deus, Deique Filius est. Duce in Christo Naturæ. 125
- §. V. CHRISTUS una Persona est, & Filius unicus Patris Æterni, ac B. Mariæ Virginis. 134
- §. VI. CHRISTUS Homo non est Filius adoptivus Dei, sed naturalis. 136
- §. VII. DOMINUM NOSTRUM. Cur Christus Dominus noster appellatur? An servus aliqua ratione dici possit? 139
- ART. IV. Quo Symboli Articulus III. explicatur. QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU SANCTO, NATUS EX MARIA VIRGINE.
- §. I. Quid his verbis significetur, QUI CONCEPTUS EST. 145
- Vera Christi caro. 146
- Caro a Filio Dei in tempore assumpta. ibid.
- Christi caro nec e cælis delata, nec e syderibus, vel ex aere decerpta. ibid.
- In Christo vera fuit Anima, & mens hominis. ibid.
- Duplex in Christo voluntas. 147
- §. II. DE SPIRITU SANCTO. Cur Christus ex Spiritu Sancto conceptus dicatur? 148
- Incarnatio, seu Conceptio Christi in utero B. Virginis, omnium miraculorum maximum. 149
- Immensus Dei erga nos amor in Mysterio Incarnationis. 150
- Gratia maxime demonstratur in Conceptione Christi. ibid.
- Christi hominis sanctitas infinita, & immensa. 151
- §. III. Cur Spiritus Sanctus non sit Pater Christi, cum Christus ex Spiritu sancto sit conceptus? 153
- §. IV. Licet tres Personæ SS. Trinitatis Incarnationem operatæ sint, solus tamen Filius incarnatus est. 154
- §. V. NATUS EX MARIA VIRGINE. B. Virgo Maria vere proprieque Mater Dei credenda est. ibid.
- §. VI. Maria Mater Dei Virgo perpetua. 157
- §. VII. De Nomine Virginis Dei Matris. 160
- Maria Domina, spesque nostra. ibid.
- B. Mariæ Virginis cultus singularis, & invocatio. 161
- §. VIII. Qui fructus ex Christi Incarnatione, & Nativitate colligendi? 163
- ART. V. Quo quartus Symboli Articulus explicatur: PASSUS SUB PONTIO PILATO, CRUCIFIXUS, MORTUUS, ET SEPULTUS. 167
- §. I. Articuli Fides explicatur, Deus, & homo Christus vere passus: non tamen passus Deitas. ibid.
- §. II. Acerbitas Passionis Christi. 168
- §. III. CRUCIFIXUS. Cur Christus mortem Crucis elegerit? 171
- §. IV. MORTUUS, ET SEPULTUS 174
- Persona Divina, nec ab Anima, nec a Corpore Christi separata est in triduo Mortis. ibid.

- §. V. Passio, & Mors Christi voluntariæ fuerunt, non coactæ; libere, non necessariæ. 176
- §. VI. Immensa ex Passione, & Morte Christi beneficia in nos redundarunt. 180
- §. VII. Christus in Passione sua omnium Virtutum exempla dedit. 189
- §. VIII. Christi Jesu charitas, & gloria in Passione, & Cruce promicans, & per Passionem, Crucemque parata. 188
- §. IX. Christus pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est; non pro solis Prædestinatis. 194
- §. X. Ex Morte Christi Gratiæ sufficientes ad salutem omnium derivantur. Explicatur, quid de Gratia sufficienti sentiendum sit. 199
- §. XI. Interior Gratia vere sufficiens in statu naturæ lapsæ agnoscenda est. *ibid.*
- §. XII. Gratia sufficiens veram, proprieque dictam potentiam ad opus supernaturale tribuit. 200
- §. XIII. Gratia sufficiens est Gratia Christi Medicinalis. 202
- §. XIV. Gratiæ interiori in statu Naturæ lapsæ aliquando resistitur. 203
- §. XV. Justorum nemini, urgente divinorum Præceptorum observantia, deest Gratia, qua possibilia fiant. 204
- §. XVI. Gratia non deest S. Petro, qua Christum sequi, & confiteri posset. 206
- §. XVII. Gratia sufficiens ad perseverandum Justis omnibus datur. 209
- §. XVIII. Christianis omnibus, urgente præcepto, Gratia sufficiens datur, vel offertur. *ibid.*
- §. XIX. Peccatores nondum indurati, Gratia sufficiente persæpe donantur. *ibid.*
- §. XX. Gratia sufficiens Infidelibus datur: non eodem tamen modo, neque ejusdem rationis omnibus. 210
- §. XXI. Gratiæ sufficientes obduratis penitus non desunt: quamquam vero aliquibus deessent, illis tamen imputarentur peccata. 213
- §. XXII. Infantibus sine Baptismo morientibus parata est Baptismi Gratia: non tamen illis præsto est gratia proprie sufficiens. 215
- §. XXIII. Confectarium ad Morum informationem. 217
- ART. VI. Quo quintus Symboli Articulus exponitur: DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS. 218
- §. I. De Christi Descensu ad inferos. *ibid.*
- §. II. De Resurrectione Christi. Christus virtute sua resurrexit tertia die, primus omnium. 221
- §. III. Resurrectionis Christi necessitas. 224
- §. IV. Resurrectionis Christi Gloria. 227
- §. V. Resurrectionis Christi fructus, & utilitates eximias. 230
- §. VI. Spiritualis Resurrectionis signa. 232
- ART. VII. Quo sextus Symboli Articulus exponitur: ASCENDIT AD COELOS; SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. 233
- §. I. Mysterii Fides explicatur. *ibid.*
- §. II. Ascensionis Christi causæ. 235
- §. III. Ascensionis Christi fructus, & utilitates. 240
- ART. VIII. Quo septimus Symboli Articulus explicatur: INDE VENTURUS EST JUDICARE VIVOS, & MORTUOS. 245
- §. I. Multiplex Dei Judicium. Novissimi temporis ignotum. Signa illud præcedentia. *ibid.*
- §. II. Generalis Judicii Causæ. 248
- §. III. Christus Dominus ut homo judicabit. Judicis dotes. Ultima sententia. 251
- ART. IX. Quo Symboli octavus Articulus explicatur: CREDO IN SPIRITUM SANCTUM. 255
- §. I. Quid proprie significet nomen Spiritus sancti? *ibid.*
- §. II. Spiritus sanctus verus Deus est, Patri, & Filio æqualis. 256
- §. III. Spiritus sanctus a Patre, & Filio procedit. 259
- §. IV. Spiritus Sancti Nomina, Attributa, & Effectus. 260
- §. V. Dispositiones ad suscipiendum Spiritum sanctum. 268
- ART. X. Quo Symboli nonus Articulus explicatur: CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM: SANCTORUM COMMUNIONEM. 271
- §. I. Quid est Ecclesia? *ibid.*
- §. II. Ecclesia visibilis est, & manifesta. 275
- §. III. Ecclesia bonos, & malos complectitur. 277
- §. IV. Ecclesia Sancta est. 278
- §. V. Ecclesia Christi Catholica est. 281
- §. VI. Ecclesia Christi Una est. Et Ecclesiæ Catholicæ nomine una societas intelligenda est, a cujus communionem Heretici, & Schismatici excluduntur. 283
- §. VII. Ad unitatem Ecclesiæ Caput visibile requiritur, scilicet Romanus Pontifex S. Petri Successor. 286
- §. VIII. Cur Ecclesia Apostolica dicatur? 289
- §. IX. Ecclesia maxime diligenda, & observanda est. 291
- §. X. In quo Sanctorum Communio sita sit? 294
- ART. XI. Quo Symboli decimus Articulus explicatur: REMISSIONEM PECCATORUM. 299
- Remissio peccatorum Dei propria. *ibid.*
- Quid complectatur, & quando perficienda? 300
- In sola Ecclesia datur, & accipitur remissio peccatorum. 302
- ART. XII. Quo Symboli Articulus undecimus exponitur: CARNIS RESURRECTIONEM. 304
- §. I. Resurrectionis futuræ veritas. *ibid.*

Rationes congruæ Resurrectionis mortuorum .	305.
§. II. Cur carnis potius, quam hominum Resurrectionem in Symbolo confiteamur?	307
§. III. Omnes homines resurgent cum eodem corpore, & quidem integro.	ibid.
§. IV. Varia erit Resurgentium conditio.	309
Corporum gloriosorum dotes.	ibid.
§. V. Fructus ex hoc Fidei Articulo colligendi.	312
ART. XIII. Quo Symboli postremus Articulus explicatur: VITAM ÆTERNAM.	314
§. I. Quid sit vita Æterna?	ibid.
§. II. Æterna Beatitudo congruis verbis explicari non potest, sed mentis humanæ captum superat. Omnium tamen malorum liberatione, Bonorumque omnium possessione definiri potest.	315
§. III. Essentialis Beatitudo in visione, & possessione Dei sita est.	321
§. IV. Deus videri non potest, ut in se est, ab homine mortalem vitam agente.	323
§. V. Deus videri non potest oculis corporeis.	ibid.
§. VI. Mens creata Divinæ Essentiæ visionem naturæ viribus consequi non potest.	325
§. VII. Deus a nulla creata Mente comprehendere potest.	ibid.
§. VIII. Justorum Animæ, quibus nihil eluendum superest, Deum vident statim, atque corporibus solutæ sunt.	327
§. IX. Spirituales fructus ex postremo Symboli Articulo colligendi.	329

LIBER II.

DE SACRAMENTIS.

TRACTATUS I. DE SACRAMENTIS in genere.	Pag. 336.
CAP. I. De Sacramentorum essentia.	337
ART. I. De SACRAMENTI NOMINE.	ibid.
ART. II. De Sacramenti Definitione.	339
CAP. II. De Necessitate Sacramentorum.	342
Propositio I. Sacramenta in Nova Lege a Christo institui conveniens omnino fuit.	344
Propositio II. Sacramenta Novæ Legis necessaria sunt ad salutem, quædam simpliciter necessitate mediæ & præcepti: quædam sola necessitate præcepti: non tamen omnia singulis.	345
Propositio III. Sacramenta Novæ Legis propter solam fidem nutriendam non sunt instituta.	346
Propositio IV. Sacramenta Novæ Legis a Sacramentis Veteris Legis sola Rituum externorum, sive ceremoniarum diversitate non differunt.	347

CAP. III. De Partibus Sacramentorum.	349
Propositio I. Materiæ, & formæ Sacramentorum sunt a Christo determinatæ.	351
Propositio II. Materias, & formas quorundam Sacramentorum a Christo in genere tantum determinatas, earum vero determinationem in specie, Apostolorum, & Ecclesiæ auctoritati, ac prudentiæ commissam, probabilis est plurimorum Theologorum opinio.	352
Propositio III. Verba, quibus Sacramenta conficiuntur, consecratoria sunt, non concionatoria.	353
Propositio IV. Mutatio substantialis materiæ, aut formæ Sacramentalis, tollit veritatem Sacramenti, ipsumque irritum reddit.	354
<i>Regula Præxim spectantes.</i>	ibid.
<i>Regula I.</i> Mutatio substantialis materiæ fit, cum alterius speciei res sensibilis ad conficiendum Sacramentum adhibetur, quam a Christo præscripta sit.	ibid.
<i>Regula II.</i> Mutatio substantialis formæ est ea, qua verborum sensus tollitur.	ibid.
<i>Regula III.</i> Transpositio verborum Sacramentalium quandoque mutationem substantialem infert in formam sacramentalem, quandoque accidentariam dumtaxat.	ibid.
<i>Regula IV.</i> Interruptio verborum mutationem interdum substantialem, alias accidentariam tantum in formam sacramentalem invehit.	356
<i>Regula V.</i> Omissio verborum ad substantiam formæ Sacramentalis pertinentium, quæ tunc fieri censetur, cum tollitur debitus verborum sensus, irritum reddit Sacramentum.	ibid.
<i>Regula VI.</i> Additio verborum, quæ debitum formæ Sacramentalis sensum corrumpunt, tollit veritatem Sacramenti.	ibid.
<i>Regula VII.</i> Qui corrupte profert verba Sacramentalia, si hoc ex industria facit, Sacramentum non perficit: si vero ex imperitia, nec penitus auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, perficitur nihilominus Sacramentum.	358
<i>Regula VIII.</i> Sacramentorum formas, aut materias qua vis ratione mutare nemini homini licet. Ita immutantes ex industria, vel crassa ignorantia, ut Sacramentum irritum redderetur; vel qui mutatione qualicumque Ritus Novos, aut errores ab Ecclesia damnatos inducere intenderent; lethalis peccati rei essent.	ibid.
Obstetrix jurata formam Baptismi corrumpens ex ignorantia, excusari non potest a peccato mortali.	ibid.
<i>Regula IX.</i> Qui ex industria corrupte profert verba formæ Sacramentalis, etiam eodem sensu manente, lethalis peccati reus esset.	359

Regula X. Lethalis peccati reus est, qui materia, aut forma dubia utitur in Sacramentorum administratione, cum certam, & indubitam adhibere potest. *ibid.*

Regula XI. Lethaliter peccat, qui modum materiam, & formam notabilem, & ab Ecclesia universalis, vel sua, observatum non servat. *ibid.*

CAP. IV. De numero, & dignitate Sacramentorum. 360

ART. I. Quot sunt Novae Legis Sacramenta? *ib.*

Propositio Unica. Septem esse Novae Legis Sacramenta. Catholicae Fidei veritas est. *ib.*

ART. II. De Sacramentorum Dignitate. 366

CAP. V. De Sacramentorum efficacia. 367

ATR. I. Utrum Sacramenta Novae Legis Gratiam conferant? *ibid.*

Propositio I. Sacramenta Novae Legis continent Gratiam, quam significant, eamque semper, & omnibus non ponentibus obviam conferunt. *ibid.*

Propositio II. Sacramenta Novae Legis non solum Gratiam sanctificantem conferunt, vel augent, sed etiam Gratiam peculiarem tribuunt unicuique Sacramento propriam, quae propterea Sacramentalis dicitur. 369

ART. II. Utrum Sacramenta Novae Legis Gratiam conferant ex opere operato? 370

Propositio Unica. Sacramenta Novae Legis Gratiam conferunt ex opere operato. 371

ART. III. De Sacramentorum effectu, scilicet Characterem. 375

Propositio I. Tridentina Synodus Characteris doctrinam ab antiquis Patribus accepit. *ibid.*

Characteris Definitio. 377

Propositio II. Character Sacramentalis est indefectibilis. *ibid.*

Propositio III. Omnia Novae Legis Sacramenta Characterem non imprimunt, sed tria dumtaxat, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo. 378

Propositio IV. Qui Sacramenta Characterem imprimunt sine debitis dispositionibus suscipit, sive (ut loquuntur Theologi) cum fictione, Characterem quidem suscipit, sed non Gratiam sanctificantem. 379

Propositio V. Recedente fictione, seu accedente Penitentia, Gratia Sacramentalis suscitatur, seu potius de novo producit in eo, qui sine debitis dispositionibus Sacramentum suscipit. 380

CAP. VI. De Sacramentorum Institutione. 381

Propositio Unica. Omnia Sacramenta a Christo instituta sunt. *ibid.*

CAP. VII. De Sacramentorum Ministris, & conditionibus ad eorum Administrationem requisitis. 384

ART. I. De certorum Ministrorum Institutione. *ibid.*

ART. II. De Ministrorum Fide, & Probitate. 386

Propositio I. Sacramentorum virtus, & efficacia ex Ministrorum fide, & probitate non pendet: adeoque ab Haereticis, Schismaticis, & impiis nominibus administrata, nihilominus valde sunt, modo materia, & forma essentialis, cum debita intentione adhibeantur. *ibid.*

Regula Praxim spectans. 384

Regula I. A malis Ministris, quamdiu ab Ecclesia tollerantur, licet recipere Sacramenta. *ibid.*

Regula II. Parochianis, urgente necessitate, non solum recipere, sed & petere Sacramenta licet a Parochiano, quantumcumque malo, si sic ab Ecclesia toleratus. *ibid.*

Regula III. Sacramenta petere non licet ab improbo Ministro, qui nec Parochus est, nec paratus est ea administrare. 385

Regula III. A Ministris improbis, & ministrare volentibus, petere, ac recipere licet Sacramenta, si necessitas urgeat. *ibid.*

Regula IV. In casu extremae necessitatis, licet petere, & suscipere Baptismum, & Penitentiae Sacramenta a malis Ministris, quamvis ab Ecclesia non toleratis. *ibid.*

Regula VI. Extra casum necessitatis non licet petere, & suscipere Sacramenta ab Haereticis, Schismaticis, aut improbis Ministris ab Ecclesia non toleratis. 386

Regula VII. Ecclesiae Ministri Sacramenta in statu peccati mortalis confidentes, vel administrantes, gravissime peccant. *ibid.*

Regula VIII. Peccant mortaliter Ecclesiae Ministri, qui Sacramentum aliquod in statu peccati mortalis solemniter Ritu conficiunt, vel administrant, nisi vera Contritione, cum proposito Sacramentalis Confessionis quamprimum edenda, peccatum illud expriment. 397

Regula IX. Lethaliter peccat Sacerdos, qui Eucharistiam sive a se, sive ab altero consecratam administrat in statu peccati mortalis. *ibid.*

Regula X. Diaconi etiam, & Subdiaconorum functiones Ordinum in statu peccati mortalis solemniter obeuntes, lethaliter peccant. *ibid.*

Regula XI. Verbi Dei Ministri sacras Concionem ex officio habentes in statu peccati mortalis, praesertim si crimen sit manifestum, graviter peccant. 398

Regula XII. Sacramentorum Ministri animum ab omni peccati mortalis labe purum diligenter conservare debent. 399

ART. III. De Intentione Ministri. *ibid.*

Propositio I. Intentio interior, & sincera faciendi quod facit Ecclesia, necessaria est in Ministris Sacramentorum, ut valida sint, & rata. 400

Propositio II. Ad Sacramenti perfectionem necessaria non est in Ministro intentio pro-

- producendi effectum Sacramenti. 403
- Propositio III. Ut ratum sit Sacramentum, non sufficit Intentio habitualis, neque necessaria est actualis: sed sufficit virtualis. 404
- Regula Praxim spectantes.* 405
- Regula I.* Si quis Ritum a Christo institutum, & ab Ecclesia celebratum, atque frequentatum in Administratione Sacramenti fervaverit, necullo tunc prodiderit indicio serio se non agere, aut contrariam intentionem habere intentioni Ecclesie; postea autem significet se nullam intentionem habuisse conficiendi Sacramenti, non statim iterandum Sacramentum est, v.g. Baptismus, aut Ordinatio, etiam sub conditione; sed consulendus est Episcopus, & si necesse sit, Sedes Apostolica, ejusque expectandum Judicium. *ibid.*
- Regula II.* Perversa Intentio Ministri suscipientibus Sacramenta non nocet, cum illam ignorant, ejusque peccato non communicant. 408
- Regula III.* Quamvis actualis Intentio ad valorem Sacramenti non sit necessaria, sed virtualis sufficiat; tamen graviter peccat Sacramentorum Minister, si studium omne, ac diligentiam non adhibeat, ne ab intentione actuali distrahatur. 409
- CAP. VIII. De Sacramentorum Ceremoniis. 410
- Propositio I. A primis usque Ecclesie temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam Ceremoniis administrarentur. *ibid.*
- Propositio II. Ceremoniarum usus in Sacramentorum Administratione utilissimus est, optimisque rationibus nititur. 413
- Regula Praxim spectantes.* 415
- Regula I.* Ceremoniæ ab Ecclesia receptæ, & approbatæ, & in solemnibus Sacramentorum Administratione adhiberi solite, nec contemni, nec a Ministris pro libito omitti, aut in novas alias, privata auctoritate, mutari possunt. *ibid.*
- Regula II.* *ibid.*
- Regula III.* *ibid.*
-
- TRACTATUS II.
DE BAPTISMO.
- CAPUT I. De Natura Baptismi. 417
- ARTICULUS I. Quid sit Baptismus? *ibid.*
- ART. II. De materia Baptismi, & insignibus ejusdem Figuris. 419
- Propositio I. Veram, & naturalem aquam esse necessariam, solamque legitimam Baptismi materiam, dogma Fidei est. *ibid.*
- Regula Praxim spectantes.* 424
- Regula I.* In qualibet aqua, modo non solvatur species aque, conferri potest Baptismus. *ibid.*
- Regula II.* Nulla necessitas, aut ratio efficere potest, ut validus, ac ratum sit Baptismus in alia materia, quam in aqua simplici collatus. 425
- Regula III.* Aquæ consecratio per Chrismatis admixtionem, & orationem Sacerdotis, ut in ea Baptismus solemniter Ritu administraretur, ab antiquis temporibus in Ecclesia observata est. *ibid.*
- Propositio II. Ad valorem Baptismi perinde est, an Ablutio fiat immersione, effusione aquæ, vel asperzione. *ibid.*
- Regula Praxim spectantes.* 426
- Hac in re unusquisque Ecclesie suæ Ritum sequi debet, nec ab eo discedere absque peccato potest, nisi necessitas cogat. *ibid.*
- Propositio III. Unica, vel trina Immersione perfici potest Baptismus, quamvis trina Immersio priscae Traditioni, & antiquis Ecclesie Moribus magis conveniat. 428
- ART. III. De Forma Baptismi. 430
- Propositio Unica. Perfecta, & absoluta Baptismi forma hæc est: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* *ibid.*
- Regula Praxim spectantes.* 432
- Regula I.* Irritus esset Baptismus, si quis baptizaret In Nomine Sanctissimæ Trinitatis, tribus personis expresse non invocatis. *ibid.*
- Regula II.* Irritus pariter esset Baptismus in Christi solius Nomine collatus. *ibid.*
- Regula III.* Multo minus ratum est Baptisma in Nomine Dei, & Sanctæ Crucis collatum. 436
- Regula IV.* Non solum tres Personæ Trinitatis in forma Baptismi propriis nominibus exprimendæ sunt, sed & actio Ministri, dicendo *Ego te baptizo.* *ibid.*
- Regula V.* Simul ab eo, qui baptizat, non ante, aut post abluionem, sed eodem tempore quo ablutio peragitur, verba Sacramenti, quæ formam continent, pronuntianda sunt. 437
- Regula VI.* Baptizare se ipsum nemo potest. 438
- Regula VII.* Pronomen *Ego*, & verbum *amen*, ad substantiam formæ non pertinent. *ibid.*
- Regula VIII.* Pronomen *Te*, ita necessarium est, ut qui tantum diceret, *Baptizo*, nihil conficeret. *ibid.*
- Regula IX.* Latinus formam Græcorum studiose adhibens lethaliter peccaret; validus tamen, ac ratum esset Baptismus. 439
- Regula X.* Si quis loco illius verbi *Baptizo*, dixerit, *Abluo, lavo, immergo*, validus est Baptismus. *ibid.*
- Regula XI.* In loco harum vocum, *In Nomine*, dicat, *In Nominibus*, nullus est Baptismus. *ibid.*

Regula XII. Si quis addat formæ Baptismi aliqua verba formæ sensum non immutantia, ratus erit Baptismus. *ibid.*

Regula XIII. Baptismus ita collatus: *Ego te baptizo in Nomine Patris, ego te baptizo in Nomine Filii, ego te baptizo in Nomine Spiritus Sancti*, ratus, ac validus videtur. *ibid.*

Regula XIV. Baptismus collatus sub hac forma, *Ego te baptizo cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*, nullus est. *ibid.*

CAP. II. De Baptismo Joannis. 440

Propositio Unica. Baptismus Joannis eandem vim cum Baptismo Christi non habuisse, dogma Fidei est. *ibid.*

CAP. III. De Institutione Baptismi. 445

Propositio I. Baptismus ante Christi Passionem institutus est. *ibid.*

Propositio II. Christus Baptismus instituit, cum a Joanne in Jordane baptizatus est. 447

Propositio III. Obligatio Baptismi non cepit nisi post Mortem, & Resurrectionem Christi, ac sufficientem Legis Evangelicæ promulgationem. 449

CAP. IV. De Baptismi necessitate. *ibid.*

Propositio I. Omnibus hominibus Baptismi Lex a Domino præscripta est, non solum iis, qui adulta sunt ætate, sed etiam infantibus: ita ut nisi per Baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam, & interitum a parentibus, sive illi Fideles, sive Infideles sint, procreentur. 450

Propositio II. Baptismus Aquæ in adultæ ætatis hominibus supplet Baptismus fluminis, seu perfecta cordis conversio cum voto Baptismi, quando illos a susceptione Sacramenti necessitas excludit. 456

Propositio III. Martyrium vicem Baptismi supplere, certissimum est. 461

Confectaria Praxim spectantia. 462

Regula I. Ad Baptismi susceptionem omnes, & singuli homines obligantur. *ibid.*

Regula II. Parentes, aut curatores infantium tenentur ad procurandum illis baptismum. *ibid.*

Regula III. Baptismus puerorum non est differendus. *ibid.*

Regula IV. Baptismus adultorum differri potest: 463

Regula V. Peccant Catechumeni, cum ultra tempus ab Ecclesia constitutum Baptismus differunt. 464

CAP. V. De Ministro Baptismi. *ibid.*

Propositio I. Sacerdos est proprius, & ordinarius Minister Baptismi. *ibid.*

Documenta Praxim spectantia. 465

Extra Parochialem Ecclesiam baptizandos offerre non licet infantes, excepto necessitatis articulo. *ibid.*

Propositio II. Diaconis Jure suo, & sine Episcopi, aut Parochi concessione, absque urgente necessitate nunquam tribuenda, *Nat. Alex. Theol. Tom. I.*

Baptismaum solemnî Ritu administrare non licet. 466

Propositio III. Omnes, & singuli, etiam de Populo, sive mares, sive feminae, quamcumque illi Sectam profiteantur, cogente necessitate, sine solemnibus cæremoniis baptizare possunt. 467

Confectaria Praxim spectantia. 470

Regula I. Peccant Laici Baptismus extra casum necessitatis administrantes: immo & Clerici quicumque sive Minores, sive Majores, præter proprium Parochum, vel Sacerdotem, cui hanc ille provinciam demandaverit. *ibid.*

Regula II. Peccant graviter, qui pueros alteri, quam proprio Parocho, vel Sacerdoti, cui hanc ille provinciam commiserit, baptizandos offerunt; & multo magis si Laico, mulieri, Hæretico, aut non baptizato, extra casum necessitatis. *ibid.*

Regula III. Hic ordo a Fidelibus in Baptismo conferendo, cum necessitas urget, omnino servandus est: ut mulier si viri adsint; Laicus item præsentem Clerico; tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi non sumant. *ibid.*

Regula IV. Obstetricibus formam Baptismi tenentibus baptizare licet urgente necessitate, etiam præsentem Laico, qui hujus Sacramenti conficiendi plane ignarus, rudisque sit. *ibid.*

Regula V. Parentes filios suos baptizare non debent absque manifesta necessitate. 471

Regula VI. Parochi baptizandi formulam docere, ac tradere Christiano Populo debent. *ibid.*

CAP. VI. De Susceptoribus, sive Patrini. *ibid.*

Propositio Unica. Præter Sacramenti Ministros, Susceptores etiam, sive Patrini ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine ad Baptismus convenienter adhibentur. *ibid.*

Confectaria Praxim spectantia. 472

Regula I. Susceptorum partes sunt curare, ut filiolus Fidei Catholicæ elementis, & moribus Christianis informetur. *ibid.*

Regula II. Spiritualis cognatio Matrimonium contrahendum impediens, & dirimens contractum, oritur inter Patrinos, ac baptizatum, illiusque patrem, & matrem; necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem. 473

Regula III. Pater, & Mater baptizati Patrino officio in illius Baptismo fungi non debent, nisi cogat necessitas. 475

Regula IV. Qui non sint admittendi ad suscipiendum ex Sacro Fonte puerum? 476

Regula V. Admitti non debent Patrini, qui nondum Confirmationis Sacramentum susceperunt. *ibid.*

Regula VI. Admittendi non sunt peregrini, & ignoti ad puerum suscipiendum, multo minus Hæretici, & Schismatici. *ibid.*

- Regula VII.* In Patrinatorum delectu ratio magis habenda est spiritualis utilitatis pueri, quam nobilitatis, divitiarum, amicitiae, temporaliumque quorumvis commodorum. 477
- Regula VIII.* Ad pueros e Sacro Fonte suscipiendos admitti non debent Monachi, aliiue Regulares, aut Moniales. ib.
- Conveniens esset, ut nec saeculares Clerici sacris initiati in suorum praesertim Beneficiorum, aut Mansionis locis pueros e Baptismi Fonte susciperent. ibid.
- Regula IX.* Quae nomina Baptizandis imponenda sint? ibid.
- Regula X.* Docens quid Patrini, & Parocho respectu illorum vitandum sit. 478.
- CAP. VII. De suscipientibus Baptismum, & conditionibus ex illorum parte necessariis. 203
- Propositio I. Quis homo capax est Baptismi, sive adultus, sive puer, sive vir, sive mulier. ibid.
- Propositio II. Infans in utero matris adhuc existens baptizari non potest. 479
- Conseclaria Praxim spectantia.* 480
- Regula I.* Expectanda est totalis egressio pueri ex utero, ut baptizetur, nisi mors imminuat. ibid.
- Regula II.* Si mulier in partu obierit, curandum est, ut statim uterus aperiatur, indeque educus infans, si vivit, quamprimum baptizetur. ibid.
- Regula III.* Infantes, qui mortui nascuntur, baptizari non debent, etiam si in iis ad pia quaedam loca a simplicibus, aut superstitionis mulierculis delatis motus aliquis, aut calor ab extrinseco ortus, aliudve signum aequivocum vitae appareat. 204
- Regula IV.* Praegnantis mulieris, parentumque, ac domesticorum erga ipsam pium officium. 481
- Regula V.* Circa Monstrorum Baptismum cautio maxima est adhibenda. 482
- Propositio III. Pueri Judaeorum, & aliorum Infidelium invititis parentibus baptizari non debent: quamvis collatus ipsis Baptismus sit ratus, ac validus. ib.
- Exceptiones Praxim spectantes.* 483
- Regula I.* Filii infidelium, qui aliquando fidem susceperunt, sed ab ea defecerunt, invititis parentibus possunt baptizari. ibid.
- Regula II.* Pueri Infidelium, qui sunt Christianorum servi, possunt invititis parentibus baptizari. ibid.
- Regula III.* Puerum in extremo vitae periculo constitutum, & de cuius salute desperatum est, invititis parentibus baptizare licet. ibid.
- Regula IV.* Alterutro parentum consentiente, puer baptizari potest, quantumvis repugnet alter. 484
- Regula V.* Pueri a parentibus Infidelibus sive jure, sive injuria separati, possunt illis invititis consultis baptizari. ibid.
- Regula VI.* Infidelium pueri, ut primum rationis usum attigerunt, invititis parentibus baptizari possunt. ib.
- Regula VII.* Pueri Judaeorum, & aliorum Infidelium, invititis parentibus baptizati, ab illis separandi sunt, propter perversionis periculum. ibid.
- Propositio IV. Amentes, & furiosi a nati- vitate, aut a pueritia perpetuo his morbis laborantes, baptizari possunt sicut infantes: qui vero amentia, vel furore ex intervallis laborant, non sunt baptizandi, nisi Baptismum ante amentiam, vel furorem, aut in lucidis intervallis postulaverint. 485
- Propositio V. Energumeni Catechumeni baptizandi sunt urgente necessitate, aut data opportunitate. 486
- Propositio VI. Ad Baptismum adultorum necessarius est baptizandorum consensus, seu intentio suscipiendi Baptismum, quae saltem praesecerit, & per actum contrarium non fuerit revocata. ibid.
- Conseclarium Propositionis.* 487
- Alienum est ab Ecclesiae ingenio, & Disciplina, ut ad Baptismum suscipiendum infideles cogantur. ibid.
- Propositio VII. Fides ad consequendam Baptismi gratiam maxime necessaria est adultis. 488
- Propositio VIII. Ad gratiam per Baptismum obtinendam, necessaria adultis est Pœnitentia, seu dolor sincerus de peccatis antea commissis, peccati voluntatem excludens. 489
- Documentum ad Morum informationem.* 493
- Dei misericordia ob Baptismi beneficium laudanda. ibid.
- CAP. VIII. De effectibus Baptismi. 494
- Propositio I. Primus, ac praecipuus effectus Baptismi, est cujuscumque peccati, sive a primis Parentibus origine contracti, sive a nobis commissi, plena, & perfecta remissio. ib.
- Propositio II. In Baptismo poenae omnes peccati debitae a Deo benigne condonantur. 499
- Propositio III. Quamvis post Baptismum poenae hujus vitae remaneant, scilicet concupiscentiae motus, infirmitates corporis, morbi, dolorum sensus, moriendi necessitas, miseriae omnes, quae poenaltates vocantur; Baptismi tamen virtute ab his liberabuntur Justi in Resurrectione. 501
- Documentum ad Morum informationem.* 503
- Christianus vigilare, & pugnare fortiter debet contra tentationes post Baptismum ingruentes, & de adjutorio Gratiae Christi pie considerare. ib.
- Propositio IV. Alter effectus Baptismi est regeneratio, seu renovatio per Gratiam sanctificantem, virtutum infusarum, ac donorum comitatu instructam. ibid.

Propositio V. Baptismo sequens omnis renovatio quodammodo tribuitur: non ita tamen, ut sola Baptismi recordatio per fidem sufficiat ad remissionem omnium peccatorum, quæ post Baptismum committuntur, & nullo alio Sacramento sit opus. 509

Propositio VI. Illuminatio, & bonorum operum fecunditas sunt effectus Baptismi. 511

Propositio VII. Baptismus imprimit Characterem, ex quo fit, ut iterari absque sacrilegio non possit. 512

Consecratoria Praxim spectantia. 514

Regula I. Non iteratur Baptismus, cum baptizantur illi, quorum Baptisma incertum est. ibid.

Regula II. ibid.

Regula III. Quamvis eos de quorum Baptismo dubitatur, baptizari voluerint veteres Patres, & Synodi sine apposita conditione, idque diu fuerit in usu; postea tamen consultius visum est illos, quorum Baptismus incertus, aut dubius erat, sub conditione baptizare. ib.

Regula IV. Ab Hæreticis, præsertim Lutheranis, & Calvinistis, sub legitima verborum forma in publico Cætu baptizati, sub conditione baptizari non debent. ibid.

Regula V. Infantes ab Obstetricibus baptizandi peritis domi baptizati, sub conditione baptizari non debent. 516

Regula VI. De Infantium expositorum Baptismo. 517

Regula VII. Presbyter non baptizatus baptizari debet, ac deinde ordinari, si velit. ibid.

Propositio VIII. Postremus effectus Baptismi est Regni cælestis, quod peccato interclusum erat, apertio. ibid.

Propositio IX. Christiani per Baptismum non solius Fidei, sed universæ Legis Christi servandæ debitores fiunt. 518

Documentum ad Morum informationem. 523

Baptismus ad imitationem Christi, adeoque ad bonæ opera Christianos obligat. ib.

Propositio X. Baptismus hominem ab Ecclesiæ Mandatis non liberat. ibid.

Propositio XI. Revocandi quidem sunt homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut promissiones in Baptismo factas observent: sed vi promissionum huiusmodi irrita esse Vota omnia post Baptismum facta, nemo nisi Hæreticus dixerit. 530

Documentum ad Morum informationem. 532

CAP. IX. De Cæremoniis Baptismi. 533

ART. I. De Cæremoniis Baptismum præcedentibus. ibid.

ART. II. De Cæremoniis baptismum comitantibus. 536

ART. III. De Cæremoniis baptismum consequentibus. 539

ART. IV. Quid agendum a Parocho post administrationem Baptismi? 543

TRACTATUS III.

DE SACRAMENTO

CONFIRMATIONIS.

CAPUT I. De Confirmationis Natura. 544

ART. I. Utrum Confirmatio sit verum Novæ Legis Sacramentum? ib.

Varia Confirmationis nomina. ibid.

Propositio Unica. Confirmatio est verum, & proprie dictum Novæ Legis Sacramentum. 545

ART. II. De Materia Confirmationis. 550

Propositio I. Impositio Manuum cum unctione Chrismatis conjuncta est materia Confirmationis. ibid.

Propositio II. Chrisma, quod sacrum unguentum est ex oleo, & balsamo confectum, conveniens est Confirmationis materia. 553

Propositio III. Chrisma benedictum, seu consecratum ab Episcopo esse debet, ut sit Confirmationis materia. 555

Consecratoria Praxim spectantia. 556

Regula I. Chrisma ex præscito Ecclesiæ More Feria V. in Cæna Domini consecrandum est. ibid.

Regula II. Chrisma quotannis renovandum, & vetus comburendum est. 557

Regula III. Pro Chrismate, aut balsamo ad illud conficiendum, nihil exigendum. ib.

Regula IV. Presbyteri acceptum Chrisma sub sigillo, & sera custodire debent, nec ulli donare, ne ad maleficium, superstitionem, aut quosvis usus profanos, aliquis eo abutatur. ib.

Regula V. Chrismatis Consecratio Religiosis Ritibus peragitur, quos impie derident Hæretici. ibid.

Regula VI. Explicans cur Chrismatis inunctio fiat in fronte confirmandi. 558

ART. III. De forma Confirmationis. ib.

Propositio Unica. Forma Sacramenti Confirmationis est Oratio manuum impositioni adjuncta, & solemnia verba Chrismatis inunctioni respondentia. ibid.

CAP. II. De Ministro Confirmationis. ibid.

Propositio Unica. Sacramenti Confirmationis Minister ordinarius est solus Episcopus, extraordinarius vero Presbyter a plerisque Theologis probabiliter asseritur, aliis reclamantibus. 57

Regula I. Quo tempore Confirmatio administranda? 563

Regula II. Quid in ea cavendum? 564

CAP. III. De Confirmationis effectibus. 569

- ART. I. De Gratia , primo Confirmationis effectu. ibid.
- ART. II. De septem Donis Spiritus Sancti , Gratia perficientis comitibus . 567
- §. I. De Dono Sapientia. ibid.
- §. II. De Dono Intellectus. 570
- §. III. De Dono Consilii. 574
- §. IV. De Dono Fortitudinis. 574
- §. V. De Dono Scientia. 577
- §. VI. De Dono Pietatis. 579
- §. VII. De Dono Timoris Domini. 582
- ART. III. De fructibus Spiritus Sancti. 586
- ART. IV. De Confirmationis Characterē , altero ejus effectu. 590
- CAP. IV. De Necessitate Confirmationis : e-
jusdemque Sacramenti subjecto. 592
- Propositio I. Sacramentum Confirmationis non est necessarium homini Christiano necessitate mediū. ibid.
- Propositio II. Confirmatio in re , vel in voto est adultis necessaria necessitate Præcepti Divini , & Ecclesiastici. 593
- Confectaria Praxim Spectantia.* 594
- Regula I.* Lethaliter peccant , & in manifestum salutis discrimen se conjiciunt Christiani , qui Confirmationis Sacramentum suscipere contemnant , vel negligunt . ib.
- Regula II.* Sacramentum Confirmationis contemni censetur , quando Episcopus est præsens , paratus dare , & persona hoc sciens negligit , aut despicit suscipere. 595
- Regula III.* Præceptum de Sacramento Confirmationis suscipiendo maxime obligat persequentis , graviorumque tentationum , præsertim adversus Fidem , tempore. ibid.
- Regula IV.* Ecclesiasticum præceptum de Confirmatione suscipienda , obligat opportunitate data , cum scilicet Episcopus ad illius administrationem paratus adiri potest , quamvis non sine labore . ibid.
- Regula V.* Parentes tenentur adducere pueros confirmandos ad Episcopum , cum idoneam ætatem attigerint , & Episcopus Sacramentum istud administrat ; alioquin gravis peccati rei sunt. 252
- Regula VI.* Omnis ætas Confirmationi est idonea , sicut & Baptismo. ibid.
- Regula VII.* Prisca disciplina statim administrandi pueris Sacramentum Confirmationis post Baptismum , in Ecclesia Latina recte mutata est , & rationis usus expectatus . 596
- Regula VIII.* Secundum hodiernam Disciplinam pueris ante septennium non est conferendum ordinariæ Confirmationis Sacramentum. ib.
- Regula IX.* Infirmis , & in vitæ periculo constitutis , qui confirmati non fuerint , Sacramentum istud pie postulantis , ab Episcopo administrandum est. ibid.
- CAP. V. De Dispositionibus ad Confirmatio-
tionem suscipiendam , vel administrandam necessariis. ibid.
- CAP. VI. De Confirmationis Ceremoniis .
Confirmatorum Patrini . 598
- Mutatio nominis quando necessaria ? 600
- Impressio Signi Crucis in fronte quid significet ? ib.
- Quid alapa levis inflictio ? 601

TRACTATUS DE SACRAMENTO EUCCHARISTIÆ.

- CAPUT I. De Sacramento Eucharistiæ secundum se spectato. 602
- ART. I. De Nominibus istius Sacramenti . ibid.
- ART. II. De Eucharistiæ Figuris , & Institutione. 611
- §. I. De Figuris huius Sacramenti. ib.
- §. II. De Eucharistiæ Institutione. 612
- ART. III. De Materia Eucharistiæ. 614
- Propositio I. Materia Eucharistiæ est panis , & vinum. ibid.
- Propositio II. Materia , ex qua Eucharistia consecratur , solus est panis triticeus , & vinum de vite. 618
- Propositio III. Tam ex pane fermentato , quam ex azymo consecrari potest Eucharistia. Orientalis Ecclesiæ Ritus panem fermentatum adhibentis , innoxius est . Ritus Ecclesiæ Occidentalis , azymum consecrantis , convenientior est , & in Christi Domini exemplo fundatus. 619
- Propositio IV. Aqua vino consecrando admiscenda est necessitate Præcepti Ecclesiastici , non necessitate Sacramenti. 622
- Confectaria Praxim Spectantia.* 626
- Regula I.* Si panis absque vino consecraretur , aut e contrario , valida esset consecratio , ibid.
- Regula II.* Christi institutioni , ac præcepto repugnat , ut Eucharistiæ Sacramentum in una tantum specie consecratur. 265
- Regula III.* Unam speciem sine altera consecrare nunquam licet : ne quidem Summi Pontificis dispensatione. 627
- Regula IV.* Panis , & vini consecrandi quantitas non est ex institutione Christi determinata , idest , nulla est tam magna , quæ consecrari non possit , potestate Ministri , & verborum Sacramentalium efficacia spectatis. 628
- Regula V.* Materiam consecrandam præsentem esse Sacerdoti necesse est , non solum præsentia physica , sed morali. ibid.
- Regula VI.* Materia Consecrationis debet esse par-

- particularis, & determinata intentione Ministri. 629
- Regula VII.* Si qua frumenta sunt, quæ ex femine tritici generari possunt, confectus ex iis panis congrua est Eucharistiæ materia. *ibid.*
- Regula VIII.* Panis ex tritico cum alterius frumenti modica permixtione confectus, materia est hujus Sacramenti: si vero magna sit adulterini frumenti permixtio, non est debita materia. 630
- Regula IX.* Ex pane penitus corrupto consecrari Eucharistia non potest. *ibid.*
- Regula X.* Si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor ab aqua vera, & elementari, non possit ex hujusmodi materia confici Sacramentum. *ibid.*
- Regula XI.* Græci Sacerdotes, cum in Patria sua, tum in Monasteriis, & Ecclesiis, quæ sunt Græcis in Ecclesia Latina destinatæ, in quibus Ritus Græcorum servantur, pane fermentato ad Eucharistiæ consecrationem uti debent: Latini vero cum in suis regionibus, tum in Ecclesiis quas habent in Græcia, pane azymo. *ibid.*
- Regula XII.* Ecclesiæ Latinæ Sacerdos iter a gens per Græciam, aut Sacerdos Græcus per Occidentem, Ritus Ecclesiæ suæ retinere potest, & ille azymo, hic fermentato pane ad consecrandam Eucharistiam uti, modo absit scandali periculum. 631
- Regula XIII.* Panes consecrandi, ad usum Sacrificii, & Communionis, studiose parari debent, ac esse integri, nitidi, & modicæ quantitatis, secundum Ecclesiæ consuetudinem. 267
- Regula XIV.* Sicut ex pane omnino corrupto valide consecrari non potest Corpus Christi; ita nec de aceto Christi Sanguis, potest tamen confici de vino acescente, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens. 633
- Regula XV.* Ex agresta non potest consecrari Sanguis Christi; ex musto potest. *ibid.*
- Regula XVI.* De vino congelato, an sit aptum consecrationi, variæ sunt Auctorum sententiæ. 268
- Regula XVII.* Quia mixtio aquæ cum vino non est de necessitate Sacramenti, non refert quantum ad substantiam, & integritatem Sacramenti, quicumque aqua vino misceatur, sive naturalis, sive artificialis. Quamvis, quantum ad convenientiam Sacramenti, peccet graviter, qui aliam aquam miscet præter naturalem, & elementarem. 634
- Regula XVIII.* Per modicum aquæ vino admiscendum est. *ibid.*
- Regula XIX.* Aqua in dolium infusa non sufficit ad significationem hujus Sacramenti. 635
- Regula XX.* Si Sacerdos ante consecrationem Sanguinis, & post consecrationem Corp^oris Christi percipiat, aut vinum, aut aquam non esse in calice, debet statim infundere, & consecrare: si vero post Consecrationis verba cognoverit aquam vino mixtam non fuisse, pergere nihilominus debet. *ibid.*
- Regula XXI.* Nullo modo debet aqua vino jam consecrato misceri; quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte. *ibid.*
- Regula XXII.* Si Sacerdos ante Consecrationem advertat, hostiam esse corruptam, aut non esse ex pane triticeo, ipsa statim rejecta sumat aliam, & a Canone incipiens, Missam prosequatur. 636
- Regula XXIII.* Si musca, vel aranea in Calicem ante Consecrationem ceciderit, aut etiam venenum immisillum cognoverit Sacerdos, effuso vino, & abluto Calice, aliud vinum infundere debet consecrandum. *ibid.*
- Regula XXIV.* Si qui defectus accidant circa materiam consecrandam, etiam absque voluntate Sacerdotis, aut Ministrorum; sola ignorantia, vel negligentia: nihilominus penitentiam hujus errati agere debent. 637
- ART. IV. De forma Eucharistiæ. 269
- Propositio Unica. Forma Consecrationis panis sunt hæc verba, *Hoc est Corpus meum*. Forma vero Consecrationis vini sunt ista, *Hic est Calix Sanguinis mei, &c.* Nec aliæ preces ad Consecrationem Eucharistiæ sunt necessariæ, ut Græci recentiores contendunt. *ibid.*
- Consecratoria Praxim spectantia.* 642
- Regula I.* Hæc verba, *Accipite, & manducate: & Bibite ex hoc omnes*, ad Sacramentum conficiendum non sunt omnino necessariæ; gravissime tamen peccaret Sacerdos illa prætermittens. *ibid.*
- Regula II.* Idem ferendum est iudicium de conjunctione, *enim*. 643
- Regula III.* Non solum hæc verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, sed & hæc, *Novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, ad substantiam formæ pertinent. 272
- Regula IV.* Si verbum, *est*, prætermitteretur, sacrilegii reus esset Sacerdos illud omittens: sed tamen perageretur consecratio. 644
- Regula V.* Si quis loco pronominis, *Hoc*, diceret, *Istud est Corpus meum*: Graviter qui dem peccaret, sed rata esset Consecratio. *ibid.*
- Regula VI.* Si Sacerdos demonstrato pane diceret, *Hæc est Caro mea*; aut, *Hæc est Corpus Christi*; Sacramentum non conficeret. *ibid.*
- Regula VII.* Si diceret Sacerdos, *Fiat hoc Corpus meum*, non consecraret. *ibid.*
- Regula VIII.* Si Sacerdos non meminerit se verba Consecrationis protulisse, propterea perturbari non debet, sed Sacrum prosequi, & perficere. 645

- ART. V. De necessitate Sacramenti Eucharistiae. 645
- Propositio I. Eucharistia non est ad salutem necessaria necessitate medii, ita ut sine Eucharistiae Sacramento actu suscepto vitam æternam consequi nemo possit. ibid.
- Eucharistia pueris olim administrata. ibid.
- Quando abrogata puerorum Communio? ibid.
- Propositio II. Res, sive effectus Sacramenti Eucharistiae, qui est conjunctio cum Christo, & insitio Corpori ejus mystico, seu votum saltem implicitum suscipiendi hoc Sacramentum, est necessaria ad salutem. 646
- Propositio III. Eucharistia necessaria est adultis necessitate Præcepti, cum Divini, tum Ecclesiastici. 651
- Ecclesiae præceptum de Communione Paschali. 652
- Communio infirmorum. 653
- Confectaria Præxim Spectantia. 654
- Regula I. Divinum, & Ecclesiasticum Præceptum de Eucharistiae sumptione, parvulos non spectat. ibid.
- Regula II. Mortale peccatum committit, quicumque Fidelis Eucharistiam tempore Paschatis non sumit. ibid.
- Regula III. Præceptum Communionis Paschalis extra propriam Parochiam non impletur. ibid.
- Regula IV. Paschalis Communio de consilio proprii Sacerdotis, ob rationabilem causam, ad tempus differri potest. 656
- Regula V. Qui apud Privilegiatos, sive in Ecclesiis Regularium Eucharistiam sumpserit. Hebdomada Sancta, debet nihilominus intra Quidenam Paschalem semel in Ecclesia Parochiali sumere, ut satisfaciat. Præcepto Communionis Paschalis. 657
- Regula VI. Qui Præcepto Communionis Paschalis satisfecit, Eucharistiam in propria Parochia sumendo, die ipso Paschatis Eucharistiam sumere non potest in Ecclesiis Regularium, aut quorumvis Exemptorum. ibid.
- Regula VII. Qui Communionem Paschalem prætermisit, tenetur ad satisfaciendum Ecclesiae Præcepto pro illo anno communicare. ibid.
- Regula VIII. Mortale peccatum incurrit quisquis gravi morbo correptus, & in mortis periculo constitutus, Eucharistiae Viaticum recipere renuit, ac negligit. ibid.
- Regula IX. Præcepto annuæ Communionis non fit satis per Sacrilegam Domini Manducationem. 658
- Regula X. Explicans, quo Ritu Eucharistia deferenda sit ad infirmos. 659
- CAP. II. De Conversione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi. 661
- ART. I. Utrum Christi Domini Corpus, & Sanguis vere, ac realiter in Eucharistiae Sacramento contineantur? ibid.
- Propositio Catholica. Verum Christi Domini Corpus, verus item Sanguis in Eucharistia re ipsa præsentia sunt, non præsentia tantum virtutis, & efficaciam, sed substantiam. ibid.
- Realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia probatur ex verbis promissionis. ibid.
- Ex verbis institutionis. 663
- Ex verbis hujus Sacramenti usum spectantibus. 665
- Ex summo Patrum consensu. 666
- Contrariæ Doctrinæ damnatio in Conciliis. 667
- Rationes Catholicæ istius veritatis. 668
- ART. II. Utrum substantia panis & vini post Consecrationem in Eucharistia remaneat? 677
- Propositio Catholica. Panis, & Vini substantia in Eucharistiae Sacramento post Consecrationem non remanet: sed tota panis substantia divina virtute in totam Corporis Christi substantiam; totaque vini substantia in totam Sanguinis Christi substantiam convertitur. ibid.
- Transubstantiationis fides ex Scriptura Sacra. ibid.
- Ex doctrina Patrum. ibid.
- Ex antiquis Liturgiis. 678
- ART. III. Quo Realis Præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia Consecraria explicantur. 686
- Consecrarium I. Christi Corpus, & Sanguis in Eucharistia sunt extra usum hujus Sacramenti. ibid.
- Consecrarium II. Eucharistia in Sacrario reservare, & ad infirmos deferre licet, expeditque. 687
- Consecrarium III. Corpus Christi est sub specie panis, & Sanguis sub specie vini, vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis; animaque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitas porro propter admirabilem illam ejus cum anima, & corpore hypostaticam unionem. 688
- Consecrarium IV. Non solum sub utraque specie, sed sub quavis utriusque speciei particula totum Christum contineri, Dogma Fidei est. 689
- Consecrarium V. Quamvis totus Christus sit sub utraque specie, & sub singulis cujusque speciei portionibus, separatione facta, optimo tamen jure institutum est, ut separatim duæ Consecrationes fierent. 690
- Consecrarium VI. Christum Dominum in Eucharistiae Sacramento cultu latius, etiam externo. 2

- terno, adorandum esse, Dogma Fidei est. *ibid.*
- Confectarium VII. Pie, & religiose hic indutus mos est, ut singulis annis peculiari quodam, & Feito Die Venerabile Eucharistiæ Sacramentum singulari veneratione, ac Solemnitate celebraretur, utque in Processionibus reverenter, & honorifice per vias, & loca publica circumferretur. 692
- Confectarium VIII. Regulæ circa Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti Expositionem. 694
- Christus Dominus in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento publice, ut adoretur, populo pie proponitur ab Ecclesia. *ibid.*
- Confectarium IX. Accidentia panis, & vini in Eucharistiæ Sacramento sine subiecto remanent. 696
- Confectarium X. Fractis, divisi sive speciebus, Corpus Christi non frangitur, nec dividitur, sed integrum sub quacumque particula perseverat. 700
- Confectarium XI. Corpus Christi non est ubique: sed in celo est ad dexteram Patris, ut in loco, in Eucharistia vero sub speciebus ubivis locorum consecratis, ut in Sacramento. 701
- Confectarium XII. Quamvis species sacramentales interdum corrumpantur, corruptio tamen illa in Christi Corpus non redundat. 703
- CAP. III. De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. *ibid.*
- Propositio I. Per Eucharistiæ Sacramentum gratia confertur eis, qui illud pure, & sancte accipiunt. *ibid.*
- Propositio II. Sacramentum Eucharistiæ non confert primam gratiam, adeoque nec remissionem peccatorum mortalium per se operatur. 705
- Propositio III. Per Eucharistiam peccata venialia condonantur. 706
- Propositio IV. Tota pena peccati per Sacramentum Eucharistiæ non remittitur. 707
- Propositio V. Eucharistiæ Sacramentum antidotum est quo a futuris peccatis præferamur. 708
- Propositio VI. Sacræ Eucharistiæ summo vis est ad æternam gloriam comparandam. 709
- Propositio VII. Eucharistia sumentibus prodest, non solum quatenus est Sacramentum, sed etiam ut Sacrificium: non sumentibus vero, ut Sacrificium dantaxat. 710
- Confectaria Praxim spectantia.* 711
- Regula I.* Eucharistiam pro aliis sumere, devotio recens, nec auctoritate, nec ratione fulta. *ibid.*
- Regula II.* Præpostera devotio est, plures Hostias in Sacra Communionem sumere, nec Sacerdotes huic superstitioni devotarum quorundam muliercularum convenire debent. 712
- Propositio VIII. Peccata venialia effectum omnem Sacramenti Eucharistiæ non impediunt. *ibid.*
- CAP. IV. De Ministro Sacramenti Eucharistiæ. 713
- ART. Unicus. Utrum solus Sacerdos sit illius Minister? *ibid.*
- Propositio I. Solus Sacerdos Eucharistiæ consecrandæ Minister est. *ibid.*
- Propositio II. Quamvis Eucharistiæ dispensatio ad Sacerdotes jure pertineat, Diaconis tamen, urgente necessitate, ab Episcopo committi potest ut Ministris extraordinariis. 715
- Confectaria Praxim spectantia.* 717
- Regula I.* Cum plures Sacerdotes unam, & eandem Hostiam simul consecrant, ut sit in sacra Ordinatione, verba Consecrationis ita proferre debent, ut ea cum Episcopo ordinante, qui in celebratione Sacrificii primas habet, simul absolvant, eaque debet esse ipsorum intentio, ut simul cum illo consecrent, nihil consecraturi, si prius, vel posterius prolationem verborum absolvent. *ibid.*
- Regula II.* Sacerdos consecrans Eucharistiam, hoc Sacramentum integre sumere tenetur, quotiescumque consecrat. 718
- Regula III.* Si miraculose Corpus Christi in Altari appareret sub specie carnis, aut Sanguis sub specie sanguinis, non esset sumentum. *ibid.*
- Regula IV.* Sacerdoti non licet a consecratione Eucharistiæ, sive a celebratione sacrosancti Missæ Sacrificii omnino cessare, etiam si curam non habeat Animarum. 719
- Regula V.* Sacerdotes, qui Festis solemnioribus, & diebus Dominicis non celebrant, impedimento legitimo cessante; mortalis peccati rei videntur. 721
- Regula VI.* Eucharistiam extra Missam, aut initio, vel post finem Missæ, citra necessitatem administrari minus decet. *ibid.*
- Regula VII.* Improbi Sacerdotes Eucharistiam consecrare, & administrare possunt, sed potestate sua male, & indigne utuntur. 722
- Regula VIII.* Sacerdotes Hæretici, Schismatici, Excommunicati, Degradati, modo rite sint ordinati, Eucharistiam consecrare possunt. 723
- Regula IX.* Ab Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, Suspendis, vel Irregularibus Sacerdotibus Eucharistiam accipere, aut eorum Missam audire non licet. 724
- Regula X.* Sacerdotum concubinariorum, vel fornicatorum Missam audire, & ab eis Communionem accipere licet, quandiu ab Ecclesia tolerantur: illos tamen ad Sacrum faciendum, aut administrandam Eucharistiam impellere, aut invitare non licet. *ibid.*
- Regula XI.* Missa boni, piique Sacerdotis ab-

- solite spectata ut Sacrificium, non est fructuosior Missa mali Sacerdotis; neque quoad orationes ab eo fusas totius Ecclesiae nomine: fructuosior tamen est expietate, & devotione Sacerdotis offerentis, & orantis.
- 725
CAP. V. De usu Sacramenti Eucharistiae, sive Communionem. 726
- ART. I. A quibus Eucharistia sumi possit, & debeat? ibid.
- Propositio I. Non soli homines iusti, sed & peccatores, Christi Corpus sacramentaliter manducant. 728
- Propositio II. Nullus sibi conscius peccati mortalis Eucharistiam sumere debet, aut potest, absque novo peccato lethali, gravissimoque Sacrilegio. 729
- Propositio III. Pueris, aliisque rationis usu penitus destitutis hominibus Eucharistiam administrare non licet. 738
- Propositio IV. Energumenis baptizatis administrari potest Eucharistia, eo temporis intervallo, quo a demone non vexantur, si id Episcopus, vel Sacerdos eorum purgationi ab Episcopo praepositus congruum judicaverit. 739
- Consecratoria Praxim spectantia:* 740
- Regula I.* Peccatoribus manifestis, sive per evidentiam facti, ut publicis concubinariis, adulteris, usurariis, raptoribus, meretricibus, histrionibus, aleatoribus, vel aliquo iudicio Ecclesiastico, aut saeculari convictis, atque damnatis, sacra Communio dari non debet, quantumvis illam enixe petant. ib.
- Regula II.* Peccatoribus occultis, sacram Communionem petentibus, non debet denegari. 741
- Regula III.* Si peccator occultus, cujus crimen Sacerdoti notum est, Eucharistiam in occulto petat, debet ei denegare, & monere ne publice petat. 743
- Regula IV.* Peccatori vehementissima suspitione criminis ex fama publica laboranti negari debet Eucharistia. ibid.
- Regula V.* Post Penitentiam, & Absolutionem etiam publicis peccatoribus non est Communio deneganda, praecipue in articulo mortis. ibid.
- Regula VI.* Hostiam non consecratam loco consecratae dare peccatori non licet. ibid.
- Regula VII.* Eucharistiam suspectis de crimine dare non licet ad illius manifestationem. 744
- Regula VIII.* Cautio erga peccatores observanda. ibid.
- ART. II. Praxim omnino spectans de Praeparatione Animi, & corporis ad sacram Communionem necessaria. ibid.
- §. I. De praeparatione animi. ibid.
- Actus Fidei dispositiones sunt ad sacram Communionem necessariae. ibid.
- Conscientiae puritas. ibid.
- Animi attentio, Amor Dei, Concordia cum proximo, Pii desiderii fervor. 747
- Humilitas. 748
- §. II. De praeparatione corporis. 750
- Jeunos esse necesse est, qui ad sacram Eucharistiae Communionem accedunt, *ibid.* & *seq.* Plures casus explicantur hanc conditionem spectantes. ibid.
- Continentia, dispositio ad sacram Communionem. 753
- Qua ratione pollutio nocturna Communionem impedit? ibid.
- Probari diutius, Penitentiae operibus expiari, & salutare continentia exerceri debent, qui in peccata carnis prolapsi sunt, antequam ad sacram Communionem admittantur. 755
- Quo habitu corporis ad sacram Communionem accedendum? 756
- ART. III. Quid in ipsa Communionem, & post Communionem praestandum? 757
- ART. IV. De frequenti Communionem. 758
- Propositio Unica. Frequentior communio, si nihil obstet, praestat rariori. ibid.
- Eucharistia panis quotidianus. 759
- Christianis, quoties ad Eucharistiam accedunt, Pascha est. ibid.
- Consecratoria Praxim spectantia.* 765
- Regula I.* Frequens Communio non est iis permittenda, qui vel in peccata mortalia saepe labuntur, vel ab affectu venialium non sunt liberi, & immunes. ibid.
- Regula II.* Commotio quavis adversus proximum, vel leviuscula, qua sabbatum cordis turbatur, impedimentum est ex decencia, & decore Sacerdotem a sacrosancti Sacrificii oblatione, Fideles reliquos a sacra Communionem prohibens, quo die id ipsis contingit, nisi gravis urgeat necessitas. 768
- Regula III.* Communio frequens iis tantum permittenda est, qui vehementi desiderio Corpus Christi percipiendi, & eo quidem ex charitate profecto, sint incensi. ibid.
- Regula IV.* Quamvis actualis devotio ad Communionem plene fructuosam sit necessaria, non tamen ad frequentem Communionem opus est devotione sensibili. 770
- Regula V.* Mundanis curis occupati, rarius ad sacram Communionem accedere debent, quam illi, qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti. 772
- Regula VI.* Qui in mortale aliquod peccatum lapsi sunt, statim ad sacram Communionem accedere non debent, quamvis contriti, & confessi: sed per aliquod tempus Penitentiam agere, antequam ad Sacram Mensam accedant. ibid.
- Regula VII.* Frequens Communio in iis, qui meliores propterea non evadunt, & nullum ex ea referunt fructum spirituales: & in iis, qui saeculariter vivunt, & Mundi pompas, voluptates, & spectacula consecantur,

- tur, non est signum Prædestinationis. 773
- ART. V. De Communionem sub utraque specie. 774
- Propositio I. Communio sub utraque specie Laicis a Christo non est præcepta, nec ad salutem necessaria. ibid.
- Ufus veteris Ecclesiæ. 776
- Propositio II. Ecclesia Calicis usum Laicis subtrahere potuit iustisque de causis subtrahit. 780
- Articuli Consecratoria. 783
- Regula I. Presbyteri, qui Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie nunc administrarent, mortaliter peccarent, & Excommunicationem incurrerent. ibid.
- Regula II. Lex Ecclesiæ de Communionem Laicorum sub una specie non est perpetua, & immutabilis. ibid.
- Regula III. Hæreticis nostri temporis Communionem sub utraque specie permittere non expedit. 784
- Regula IV. Communio Laica, & Communio Peregrina, quarum in antiquis Canonibus fit mentio, quid aliud fuerunt a sumptione Eucharistiæ sub unica specie, aut extra cancellos Altaris, more Laicorum. ibid.
- CAP. VI. De Missæ Sacrificio. 785
- Notio generalis Sacrificii. 786
- Quid sit Sacrificium proprie dictum. ibid.
- Sacrificium soli Deo debitum. ibid.
- ART. I. Utrum Eucharistia sit verum, & proprie dictum Sacrificium? 788
- Propositio I. Eucharistiam esse verum, proprieque dictum Sacrificium, dogma fidei est. ibid.
- Propositio II. Essentia Sacrificii Eucharistiæ in Consecratione, & Oblatione posita est: sumptio vero etsi non ad essentiam, ad integritatem tamen Sacrificii pertinet. 793
- Propositio III. Eucharistia non tantum est Sacrificium laudis, & gratiarum actionis, sed propitiatorium, & impetratorium. 795
- ART. II. Cui Sacrificium Eucharistiæ offeratur? 799
- Propositio Unica. Soli Deo Eucharistiæ Sacrificium offertur, non Angelis, aut Sanctis hominibus. ibid.
- ART. III. Pro quibus offeratur Eucharistiæ Sacrificium? 800
- Propositio I. Sacrificium Eucharistiæ pro omnibus hominibus mortalem vitam agentibus, etiam Paganis, Judæis, Hæreticis, Catechumenis, Excommunicatis offerri potest, maxime tamen pro Fidelibus Ecclesiæ Communionem fruuntibus offertur. ibid.
- Propositio II. Sacrificium pro Sanctis in Cælo regnantibus in gratiarum actionem offertur, non in remissionem culpæ, vel pænæ, vel ad gratiam, aut gloriam essentialem ipsis impetrandam. 801
- Propositio III. Eucharistiæ Sacrificium pro damnatis offerri non potest. 803
- Propositio IV. Eucharistiæ Sacrificium pro Fidelibus in Domino mortuis, nondum tamen plene expiatis, sed in Purgatorio de-tentis, rite juxta Apostolorum Traditionem offertur. 804
- Consecratoria Praxim spectantia. 809
- Regula I. Sana de Purgatorio doctrina plebi exponenda. ibid.
- Regula II. Cavenda in popularibus Concionibus. ibid.
- Regula III. De fundationibus, & celebratione Missarum. ibid.
- Regula IV. V. VI. & VII. De Potestate Anniversaria, & Missas ad minorem numerum reducendi. 810
- Regula VIII. IX. X. ibid.
- Regula XI. Reprobandus error. ibid.
- Regula XII. Voluntas Testatoris quomodo adimplenda? 811
- ART. IV. De Nominibus quibus Eucharistiæ Sacrificium designatur. ibid.
- ART. V. De Missis Privatis. 814
- Propositio Unica. Missæ Privatæ legitimæ, ac licitæ sunt. ibid.
- Consecratoria Praxim spectantis. 816
- Regula I. Missam nemine adstante, & respondente celebrare non licet, sed unus saltem Minister adesse debet, qui Sacerdoti respondeat. ibid.
- Regula II. Præter Clericum, aut idoneum Laicum ministrantem, plures adesse Sacrificio minime necesse est. 821
- Regula III. Eremitis perpetuo inclusis permitti potest, ut soli sine Respondente Missam celebrent. ibid.
- Regula IV. Missæ Minister vir esse debet, non femina, etiam Sanctimonialis. 822
- Regula V. Maxime decet, ut Missæ Minister Clericus sit, superpelliceo indutus, & talarum veste. ibid.
- Regula VI. Missarum siccarum celebratio, quamvis aliquando tolerata, permitti tamen non debet. 823
- Regula VII. Missæ Sacrificium privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab Ordinariis designanda, & visitanda, a secularibus, aut Regularibus Sacerdotibus quibuscumque peragi non debet. ibid.
- Regula VIII. Missas in Capellis, & Oratoriis privatis ex dispensatione Sedis Apostolicæ non licet celebrare, nisi Dispensationis Litteris ab Episcopo visis, recognitis, & approbatis. 824
- Regula IX. Missis privatis celebrandis hic modus, & ordo statui debet diebus Dominicis, Festisque Majoribus, ut earum celebratione, & auditione Populus Christianus a Missa Parochiali audienda non distrahatur. ibid.

- Regula X.* Fideles diebus Dominicis, & Majoribus Festis Parochiam frequentare, sollempne Sacrum, & verbum Dei in ea audire tenentur. *ibid.*
- Regula XI.* Fideles audientes Missam Dominicis, Festisque diebus in Ecclesiis Regularium, Ecclesie præcepto de audienda Missa satisfaciunt. 828
- Regula XII.* Parochi, cujusquam gratia, aut metu, Missam Parochialem anticipare non debent; aut differre, sed ea hora celebrare, quæ Populo magis commoda sit. 829
- ART. VI.** De valore Sacrificii Missæ. *ibid.*
- Propositio I.** Sacrificium Missæ, quatenus intentione, & orationibus Sacerdotis aliis applicatur, non æque prodest singulis, ac si pro uno solum offerretur. *ibid.*
- Propositio II.** Cum plures pari affectu, & devotione cooperantur Sacerdoti ad Sacrificium offerendum, non minor est Sacrificii fructus uniuscujusque Oblationi respondens, quam si unus tantum cum celebrante offerret. 831
- Confectaria Præxim spectantia.* 832
- Regula I.* Qui pro pluribus celebrare debet, cumque in finem eleemosynam, sive honorarium accepit, officio suo non satisfacit celebrando unam Missam pro omnibus: quin immo graviter peccat, & ad restitutionem tenetur. *ibid.*
- Regula II.* Celebrationem Missæ anticipare non licet pro incertis Missis postulaturis, ac Eleemosynas in eum finem collaturis. 833
- Regula III.* Sacerdos, qui Missam celebrandam cum certa Eleemosyna suscepit, Missam alteri celebrandam committere non potest, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, etiamsi justum, & consuetum honorarium persolvat Celebranti. 834
- Regula IV.* Nihil retineri debet ab Ædituis, aut Administratoribus Ecclesiarum ex Missarum celebrandarum Eleemosynis, pro expensis ornamentorum, cereorum, hostiarum, vini, &c. nisi cum Ecclesie alios redditus non habent, quos eum in usum expendere possint. *ibid.*
- Regula V.* Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellæ, legati, aut stipendii, si Eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missam utrique obligationi satisfacere. 835
- Regula VI.* Sacerdoti Missam pro alio, recepta Eleemosyna, celebranti, non licet aliam quoque Eleemosynam accipere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris ejusdem Sacrificii, ipsimet Celebranti debitam applicet. 836
- Regula VII.* Ubi nullam certam Eleemosynam Testator reliquit, ab Episcopo præscribenda est Eleemosyna congrua, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciae. 837
- Regula VIII.* Cujusvis generis mercedum conditiones, & pacta pro celebratione Missarum, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales Eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque ejusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibere debent Episcopi. *ibid.*
- Regula IX.* Capellanorum Officium. 838
- CAP. VII.** De Ceremoniis Missæ. *ibid.*
- ART. I.** De Ceremoniis locum spectantibus. *ibid.*
- In Ecclesia, seu loco sacro Missa debet celebrari. *ibid.*
- Ad celebrationem Missæ Altare necessarium est. 839
- Ecclesiarum Dedicatio, & Consecratio Altarium, ex Apostolica Traditione manavit. *ibid.*
- Absque Altari consecrato Missam celebrare nefas. 840
- Altare sine Sanctorum Reliquiis consecrari non potest. 841
- Ecclesia consecrari non potest, nisi ab Episcopo, nec debet sine dote. Quibus diebus? Et an sine Missæ celebratione? 842
- Quibus casibus iterum consecrari debet Ecclesia? *ibid.*
- In Ecclesia violata celebrare non licet. 843
- Quibus casibus violata censetur Ecclesia? *ib.*
- An polluta Ecclesia pollutum sit Cæmeterium, & e contrario? 844
- A quo reconciliari debet Ecclesia violata? *ib.*
- Quibus casibus Altare consecrationem suam amittit? *ibid.*
- ART. II.** De Ceremoniis Altarium, Ornamenta, Vasæque, & Instrumenta Sacrificii celebrationi necessaria spectantibus. 845
- Pallæ seu mappæ Altaris. *ibid.*
- Crux, & Cerei. *ibid.*
- Calix, ex qua materia esse debeat? 846
- Calicis Consecratio. 847
- Quando Calix Consecrationem suam amittit? 848
- Corporale, Missalia. *ibid.*
- ART. III.** De Ceremoniis Sacra Sacerdotum Indumenta spectantibus. 849
- Vestium sacrarum a profanis discrimin. *ibid.*
- Benedictio. *ibid.*
- Vestes Sacerdoti celebranti necessariae. Illarum significatio. *ibid.*
- Vestes Sacras ad usus profanos adhibere nefas. 851
- Gentilitia Nobilium Virorum, aut Mulierum itemmata in Sacris vestibus, aut vasis non ferenda. *ibid.*
- ART. IV.** De Ceremoniis tempus Celebrationis. *ibid.*

ARTICULORUM, & RERUM. 943

<p>tionis spectantibus. 853 Olim varia quoad tempus offerendi Ecclesiarum disciplina. ibid. Qui quotidie celebrare teneantur? ibid. Hora celebrandi. 854 An Sacerdos plures Missas una die celebrare possit? ibid. Missam celebrare non licet, nisi Matutino Officio cum Laudibus absoluto. 855 An Missam imperfectam relinquere, vel intermittere liceat? 856 ART. V. De Ceremoniis spectantibus ordinem eorum, quæ in Missa dicuntur. 857 Missæ lingua vulgari non celebranda. ibid. Ritus submissa voce proferendi partem Canonis. ibid. Ordo Missæ explicatur. 860 Confessio. Introitus. ibid. Kyrie eleison. 861 Hymnus Angelicus. Populi salutatio. 862 Collecta. Illius conclusio. 863 Epistola. Lectio illius cur Evangelio præmittitur? 866 Graduale. Alleluja. Tractus. ibid. Lectio Evangelii. Symbolum. 867 Offertorium. Præfatio. 868</p>	<p>Hymnus Seraphicus. 872 Canon Missæ. 873 ART. VI. De Ceremoniis spectantibus ordinem eorum, quæ in Missa aguntur. 883 Præparatio Sacerdotis. ibid. Aque Benedictio, & aspergio. 884 Processio. Illiusque Mysteria. 885 Mutatio Sacerdotis ab una parte Altaris ad aliam. Elevatio manuum cum recitat Collectas. 887 Ritus in lectione Evangelii. ibid. Oblationes Populi post Evangelium. 888 Qui ab Offertorio repellendi? 889 Oblationes a Populo non negligendæ. ibid. Quid silentium post Præfationem, & multiplex impressio Crucis super Oblata significent? 891 Quid unctio pectoris, &c. 893 Quid significet præsentatio Patenæ, ejus osculum, & Crucis cum ipsa signatio? ibid. Fractio Hostiæ in tres partes, & commixtio cum Sanguine quid significet? ibid. Panis Benedictio, & distributio in Missa Parochiali. 894 Panis Benedictus Eucharistiæ Vicarius. 895 Benedictio Sacerdotis. ibid.</p>
--	--

I N D E X

E P I S T O L A R U M .

- E**PISTOLA I. Refellitur novus error afferentium, peccata excacatis, & obduratis hominibus non imputari. 896
 Declaratio data Illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi a Theologo Societatis Jesu GERMANO BESCHEFER Rectore Collegii Parisiensis offerente, Novitiatus quoque Rectore presente, ut offensionem ex Thesi publica oborta feret satis. 899
- Epistola II. De Christiana Catholica Religione evidentiā. ibid.
- Epistola III. Hac Propositio, Facienti quod in se est ex solis naturā viribus Deus non denegat gratiam, Pelagianus, aut certe Semipelagianus error est. 901
- Epistola IV. De Institutione, & probatione Gentilium antequam ad Baptismum admittantur. 904
- Epistola V. Sumptio Tabacci ante sacram Communionem est illicita: Clericis, & Laicis in Ecclesia ob irreverentiam prohiberi sub gravibus pœnis jure merito potest. 905
- Epistola VI. Christus duobus Discipulis euntibus Emmaus Eucharistiam non porrexit. Jejunium Sabbato Vigilia Pentecostes universam indictum Fidelibus non fuit ex Ecclesie præcepto, ante XII. Saculum. 906
- Epistola VII. Improbatur pii Sacerdotis Devotio, qui singulis diebus Missam de Rosario B. Virginis celebrat. 908

I N D E X

M O N U M E N T O R U M .

- I. INNOCENTII X. Constitutio, De Quinque famosis Propositionibus, ex Jansenii Yprensis Episcopi Libro excerptis. 910
- II. Constitutio ALEXANDRI VII. Pontificis Maximi, qua Innocentii X. Constitutio Quinque Jansenii Propositiones damnans confirmatur. 911
- III. ALEXANDRI VII. Constitutio, qua præscribitur Formula, cui subscribendum adversus Quinque Propositiones Jansenii. 912
- IV. Breve CLEMENTIS IX. Pontificis Maximi, Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. confirmans, & sinceram, sine ulla exceptione, aut restrictione, subscriptionem Formularii exigens, & a quatuor Episcopis factam commendans. 913
- V. Breve INNOCENTII XII. Pontificis Maximi, ad Archiepiscopum Mechliniensem, & Episcopos Antuerpiensem, Gandavensem, Brugensem, & Ruvermondensem, in Belgio ditionis Hispanæ, De Quinque Propositionum Jansenii damnatione, & Formularii subscriptione secundum Constitutiones Apostolicas. 914
- VI. Breve alterum INNOCENTII XII. Ad eosdem Præsules, declarans superiore Breve confirmatas a se Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, non reformatas: 915
- VII. Mandatum, & Institutio Pastoralis Illustrissimi, ac Reverendissimi DD. Archiepiscopi Parisiensis ANTONII LUDOVICI DE NOAILLES, S. R. E. Tit. Sanctæ Maria super Minervam Cardinalis, damnans Librum inscriptum, Exposition de la Foy touchant la Grace, & la Prædestination, idest, Expositio Fidei de Gratia, & Prædestinatione, editum Montibus apud Gaspardum Mignot. 916
- VIII. Epistola Illustriss. & Reverendiss. Ecclesie Principum CAROLI MAURITII LE TELLIER, Archiep. Ducis Rhemensis, LUDOVICI ANTONII DE NOAILLES, Archiep. Paris. JACOBI BENIGNI BOSSUET, Episc. Meldensis; GUIDONIS DE SEVE, Episcopi Atrebatensis, & HENRICI FEYDEAU DE BROU, Episc. Ambianensis, ad Sanctissimum DD. INNOCENTII PP. XII. Contra Librum, cui titulus est, Nodus Prædestinationis dissolutus, Auctore Cælestino S. R. E. Presbytero Cardinali Sfondrato, typis mandatum Romæ anno 1696. 921
- IX. Breve INNOCENTII XII. Ad eosdem Archiepiscopos, & Episcopos. 926

Finis Indicis Epistolarum, & Monumentorum.



